I-e
1

6
12 0
24

P 342-343
C. 5
S. K
O. 2
N. 16-17


7.-1.e.1

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIÆ
PARISIENSIS.

Auctore GERARDO DUBOIS *Aurelianenſi Congreg. Oratorii* D. N. JESU CHRISTI *Presbytero & in inſigni Eccleſiâ ſancti Martini Turonenſis Præpoſito de Sodobrio.*




PARISIIS,

Excudebat FRANCISCUS MUGUET, Regis & illuſtriſſimi Archiepiſcopi Typographus.

MDCXC.

Cum Privilegio Regis & Approbatione.

Digitized by Google



ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI,

FRANCISCO DE HARLAY,

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI,

Duci &. Pari Franciæ, Regiorum Ordinum Commendatori, Sorbonæ Proviſori & regiæ Navarræ Superiori &c.

OPUS tibi offero, ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME, quod multis nominibus tuum eſt, tuis enim conſiliis, tuoque juſſu cœptum eſt, & tuis confectum auſpiciis. Continet res per nongentos fermè annos in Eccleſiâ Pariſienſi geſtas, conventus & Synodos Pariſiis habitas, & præclara Pontificum majorum tuorum facta commemorat. In ipſis naſcentis Eccleſiæ Pariſienſis initiis ſuſpicies à Dionyſio idololatriam profligatam aſſertam Nicænam fidem à Victorino, & ſanctis legibus conſtitutam à Germano vitæ chriſtianæ priſcorumque morum

Digitized by Google

diſciplinam. Videbis magnos Antiſtites religione, doctrinâ, nobilitate, rerum eccleſiaſticarum, civiliumque uſu & experientiâ inſignes, qui populo, qui clero & Regibus ipſis ſanctiora quæque perſuadere inſtituerunt; quibuſcum Reges ſua communicare conſilia ſolebant: quos honoribus decorare dignati ſunt: & in quorum fidem non modò regnum; ſed filios etiam, & regni hæredes aliquando tradere & committere haud veriti ſunt. Illis ſemper promptum fuit Eccleſiæ auctoritatem in Synodis tueri, atque in Placitis & publicis regni conventibus Gallici Imperii defendere dignitatem: illi ſupremos regni magiſtratus geſſerunt, & dum regnum civilibus, inteſtiniſque diſcordiis nutat, & dubia eſt Optimatum fides, ſuæ patriæ ſervire commodis, Reipublicæ conſulere, & Principi illibatam fidem ſervare ſemper ſtuduerunt: & quod maximum eſt muneris & gloriæ ſacerdotalis momentum, acceptam à patribus doctrinam inviolatè cuſtodierunt; neque artes hæreticorum, neque vis ulla pravorum hominum, neque longa annorum ſpatia eos uſquam de hâc dimoverunt ſententiâ: immò ſi quando fuit opus, fidei cauſam egregiè defenderunt. Cùm Ariminii fraus Arriana Nicænæ fidei cladem intuliſſet; Synodus Pariſienſis illicò damnum reparavit; Spiritus Sancti proceſſionem à Patre Filioque, in Gentiliaco villâ Pariſienſi primùm Patres celebri cœtu adverſus Græcos prædicarunt; Æneas Pariſienſis Epiſcopus tunicæ Chriſti reſarciendæ, quam adulter Patriarcha Photius ſciderat, erudito opere laboravit, & Synodus habita Pariſiis ſub Imberto Pontifice Berengarium ejuſque proſcripſit perfidiam.

Retexenda mihi eſt, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, Hiſtoria Eccleſiæ Pariſienſis, ſi narrem, quæ Epiſcopi Pariſienſes pro moribus informandis, & ordinandâ chriſtianæ vitæ diſciplinâ fecerint; quibus in Synodis tum Pariſiis, tum aliis in locis, rem Eccleſiæ magnificè & utiliter geſſerint. Non omittam tamen duas Synodos, quibus nihil ad gloriam Pariſienſis Eccleſiæ majus, nihil ad Reipublicæ chriſtianæ inſtituta accommodatius fieri potuit. Prior Synodus acta eſt ſub Clotario II. numero Epiſcoporum & decretorum promulgatione celebris, adfuerunt octoginta fermè Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopi, quem numerum nulla priùs in Galliis exæquarunt Concilia; hujus Concilii poſtea formam in aliis Synodis æmulari & auctoritatem ſequi alii Pontifices haud dubitarunt. Poſterior ſub Ludovico Pio

Pariſiis pariter extitit, quæ quidem inferior Epiſcoporum numero fuit; ſed longè prævalet legum copiâ, & multitudine decretorum, quæ ad mores non modo privatorum hominum; ſed etiam Optimatum, Pontificum, Regumque ipſorum inſtituendos ſancita ſunt: quæque tribus libris comprehenſa antiquum venerandumque redhibent diſciplinæ Gallicanæ monumentum; huic Synodo aderat Inchadus Pariſienſis Epiſcopus, qui orbitatem oculorum acri judicio & acie mentis compenſavit; ille ſcriptis in hac Synodo tabulis, quaſi condito teſtamento Canonicis Eccleſiæ Pariſienſis dives reliquit patrimonium. Longior ſim ſi ſingulorum Epiſcoporum renovem memoriam. Erchanradus junior fide & obſequio in Principem clarus fuit, legationibus pariter, quas obivit nomine Conciliorum, & negotiorum pondere, quæ pertractavit. Æneas, qui ſecutus eſt, doctrinâ, pietate, aliiſque, quæ Pontificem decent, virtutibus & ornamentis enituit: in Synodis ſæpius oſtendit, quantùm moribus & fide præſtaret, Photium ſcriptis repreſſit, ſancti Mauri feretro ſuppoſuit humeros, & nomine Pontificum Gallicanorum legatus, Ludovicum Germaniæ Regem, regnum Caroli fratris invadentem redarguere non veritus eſt. Ingelvvino hoc accidit magnificum, quòd cum Carolus-calvus Imperator ſe ad iter Italicum accingeret, hunc filii ſui fecerit cuſtodem, & regni negotiis filiique Ludovici conſiliis præfecerit. Jam verò quanti qualeſque Pontifices, qui ſecuti ſunt. Ad Goſleni amplitudinem nihil fermè addi poteſt, Caroli-magni nepos fuit, Pariſienſis Epiſcopus, Pratenſis & Dionyſianus Abbas, Regni Francorum Cancellarius. Anſchericus ejus cathedræ & honori ſucceſſit. Neque innominatos relinquam tres alios hujus Eccleſiæ Antiſtites & ejuſdem regni Cancellarios, Raynaldum, Franconem & Gaufredum: quorum primus è ſanctiſſimo Patre Comite Corboïlenſi ortus, à puero pietatem hauſit, & per annorum incrementa auctus virtutibus Pariſienſem Epiſcopatum adeptus eſt. Poſtremus Bononienſis Comitis filius, & Gotofredi Hieroſolymitani Regis patruus, fide & moribus inclytus, multam operam malis temporibus reſarciendæ diſciplinæ contulit. His verò honoribus & ornamentis quantùm accedet, ſi addidero gloriam magni Pontificis Germani, qui propè mihi exciderat, cujus tamen memoriam nulla obſcurabit oblivio; hic decus, hic lumen Eccleſiæ Pariſienſis fuit, is olim magni Principis judicio, ad Epiſcopatum

hujus regiæ urbis evocatus eſt. Rex deinde ejus uti conſiliis, cum eo vivere conjunctiſſimè, multa ejus hortatu aggredi & Religioni & Eccleſiæ utiliſſima. Eo auctore Rex idololatriam jam ſub Chlodovæi principatu multis ſauciam vulneribus delere, ac penitùs profligare adortus eſt; Ejus precibus impulſus Rex Synodos & conventus eccleſiaſticos convocavit, quorum ſanctiſſimus Pontifex ingenium & animus fuit; ille in ſede Eccleſiæ Pariſienſis tanquam in ſpeculâ conſtitutus omnia ipſe circumſpicere, alienas numquam aures, neque vicarios uſquam oculos adhibere: ipſe populum & clerum non modò regere, ſed exemplis & ſermonibus erudire, in quibus erat par facundiæ doctrina. His adde ſummum erga Deum ſtudium, immenſam adverſus gregem ſuum charitatem, indefeſſum laborem in agendo, ſingularem in conſiliis induſtriam, & in rebus arduis audendis & exequendis vigorem omninò ſacerdotalem.

Hæc, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, ſunt majorum tuorum decora, quæ fusè pertractata hæc Hiſtoria complectitur: ſed & alia ſunt, quæ ad ipſius Eccleſiæ Pariſienſis ornamentum attinent. Statim ſe ſe prodit nobilitas cleri Pariſienſis, qui ab initio frequens moribus & diſciplinâ ſemper floruit, ex quo tanquam ex ſeminario Gallicanæ Eccleſiæ ſurculi & propagines decerptæ & alieno inſitæ ſolo frondes & brachia latè porrexerunt: reperies Decanos ſapientiâ & morum gravitate pollentes, quos ſummi Pontifices, & ipſi Reges ornare laudibus dignati ſunt; quique vacuam cathedram tanquam paternam adire hæreditatem aliquando meriti ſunt: admiraberis Galerannum Præcentorem, quem ſanctus Anſelmus ob ſingularem pietatem prædicavit, & quem Gaufredus Pariſienſis Epiſcopus ſecedentem, & arctius vitæ propoſitum ſequentem revocavit ad Eccleſiam, ut factis & dictis clericos ad honeſtatem informaret. Quid ſi memorem Archidiaconos pietate & doctrinâ & rebus geſtis inſignes, Berctramnum, Aëtium, Blidegeſilum, & Guilelmum Campellenſem, quorum in Hiſtoriâ Pariſienſi celebrata eſt memoria; quid referam celeberrimum cœtum Canonicorum, qui eccleſiaſticâ inſtitutione & diſciplinâ clari, aliis clericis vitæ forma & exemplar extiterunt; illi inter ſe mutuis certare officiis, illi ſanctis operibus ſe ſe invicem ad meliora quæque inſtituta excitare: illi conſtanter honeſti bonique obſervantes, vel dum aliis in locis gliſcit corruptela, ſemper utique prompti ad gubernaculum Eccleſiæ optimum quemque ſeligere, & Epiſcopos

tanquam patres revereri, & cum iis votis factiſque ad promovendam rem Eccleſiæ conſpirare. Hæc interna ſunt ac velut domeſtica Eccleſiæ Pariſienſis bona. Jam ſi ſpectes illum decorem, quo foris illuſtratur; an quidquam aliàs antiquitate, dotatione, diſciplinâ, aſcetarum numero, Abbatum reverentiâ & amplitudine magnificentius videris, quam monaſterium ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod condidit Rex Chlodovæus; Vincentianum ſeu Pratenſe, quod extruxit & dotavit Childebertus: & Dionyſianum, quod Dagobertus opibus & honoribus cumulavit: illic inſignes baſilicæ, quibus tantùm acceſſit dignitatis ex ſepulcris Regum Francorum: quantùm ſanctitatis & religionis illis locis Martyrum, Pontificum, Virginumque tumuli contulerunt. Alia tantummodò annotabo monaſteria, Latinianenſe, Foſſatenſe, Maglorianum & Campenſe, quæ etiam ob antiquitatem, monachorum ſeveriorem diſciplinam, & Abbatum gloriam, haud mediocrem laudem merentur; ad hæc adjunge Victorinas ædes, ubi cum ſtudio litterarum, pietas & regularis Canonicorum inſtitutio florentiſſima fuit.

Sed & ad Eccleſiæ Pariſienſis honores pertinent etiam priſca Virginum Cœnobia. Calenſe inprimis monaſterium, opus ſanctiſſimæ Reginæ Bathildis; Eligianum, cujus feliciſſima fuerunt initia; Argentoïlenſe, quod Adelaïs Regina reſtituit. Non faciam dicendi finem, ſi omnia, quæ Pariſienſem exornant Eccleſiam, enumerem; ſi referam Pontifices, quorum veneranda eſt apud poſteros ob vitæ ſanctitatem memoria; ſi Reges, Regumque filios & Reginas adſcriptas Sanctorum catalogo, ob vitam piè & ſanctè peractam; mulieres quoque ex auguſto Regum Francorum ſanguine ortas, natas & inſtitutas Pariſiis, quæ apud exteras gentes egregium ſuæ fidei ſpecimen ediderunt; ſi Abbates & Virgines, quorum in faſtis eccleſiaſticis honorifica mentio eſt; ſi denique, omnes alios ſigillatim enumerem, qui pietate, doctrina, aliiſque virtutibus & ornamentis in Eccleſiâ Pariſienſi diverſis temporibus floruerunt.

Hæc quidem magna ſunt, ſed majora deinceps ſuppeditabit Hiſtoria Eccleſiæ Pariſienſis, quam ſi Deus adjuvet, & tuum patrocinium non deneges, ſcribere proſequar. Et ſi verò hæc nunc prætermitto, non poſſum tamen & tua merita non prædicare; Quî enim tui obliviſcar, qui feciſti, ut majorum tuo-

rum memoriam litteris conſignarem, ut facta magnorum Pontificum oblivione penè obruta reviviſcerent; eóque proclivius in hoc incumbam argumentum, quò magnarum copia rerum erit abundantius & illuſtrius magnitudine factorum videbitur. Tu enim ſolus nobis redhibes quæcumque per varias ætates à pluribus & clariſſimis quibuſcumque peracta eſſe memoratum eſt. Tu cum præclarâ generis nobilitate, eximio præſtantique ornatus es ingenio. Tu ſummam magnis laboribus & vigiliis doctrinam aſſecutus es, & te tamen in negotiorum uſu & rerum publicarum pertractatione exercitatiſſimum eſſe cognoſcimus. Tu populum & clerum jam à principio Pontificatus tui publicè docere conſuevisti; neque deſiiſti gregi attendere, Eccleſiæ providere, audire ſingulos, & omnium utilitatibus invigilare. Quantùm fide clarus eſſes, quantùm religione polleres, oſtendiſti in ambone, cum traderes populo & fidei & chriſtianæ diſciplinæ documenta, in conventibus eccleſiaſticis, cum iis præſideres; in aula Archiepiſcopali, quando celeberrimo cœtu arcana noſtræ Religionis myſteria, ſanctorumque Patrum leges & decreta Pontificum doctis & eruditis ſermonibus enarrare cœpiſti; in totâ Galliâ quando ſerpentem novitatem extinguere, & hæreſim moventem humeros Ludovici Magni Chriſtianiſſimi Regis conſiliis & auſpiciis penitus debellare aggreſſus es; tu comitatem, & ſermonis affabilitatem gravitate condire & animi manſuetudinem, ſi res exigit, ſeveritate temperare didiciſti; tu in cœptis induſtriam, ſolertiam in negotiis, prudentiam in conſulendo, in agendo conſtantiam adhibere ſolitus es. His præclaris artibus ſummos Eccleſiæ adeptus es honores, bonorum omnium conciliaſti voluntates, & meruiſti gratiam maximi Principis, qui te honorare ſua dignatus eſt amicitia. Verum, ſi per tuam liceat modeſtiam, lubet hæc fuſiùs commemorare, quæ brevi ſermone complexus ſum.

Jam longâ majorum tuorum ſerie, qui tibi faces ad virtutem prætulerunt, te Deus ad ingentia facta & ſummos honores comparaverat, cum animum ad omnia ſumma natum cum claro ſanguine tibi olim infudit. E nobili & antiquâ domo in Burgundiâ ortus es, quæ jam ſub priore Ducum illius provinciæ familiâ, nobiliſſimos quoſque aut affinitate, aut cognatione, atque inprimis clariſſimam Cabillonenſium Comitum familiam attingebat. Exinde Harlæi nomen militiæ clarum & multis

in

in bello præclarè geſtis, & magnis muneribus decoratum. Familia poſtmodum in plures ramos diviſa eſt, quæ hinc domi,& hinc militiæ inſignis fuit; ſed longè illuſtriſſimus Chanvalloniorum ſanguis eſt, quo propinquitate cum Regibus & potentiſſimis Europæ Principibus conjunctus es. Verùm hanc domus tuæ claritatem, quam alii in pretio ponunt diſſimulare, aut negligere ſoles, ratus alienum eſſe, quod tibi non tam proprium eſt, quam gentilitium ac domeſticum; ſeu quod magis crediderim, domus tuæ & hæreditatis paternæ oblivìſceris, quia te totum amplificandæ religioni & exornandæ Eccleſiæ tradidiſti.

Hoc te nobili ortum genere parentes liberaliter educaverunt. Multa prætermitto, quæ juvenis præclarè feciſti; nobis enim notum eſt, te jam ab annis juvenilibus eximiæ indolis argumentum ſæpiùs dediſſe, & certa futuræ magnitudinis indicia; jam tum ab eâ ætate exitiale adverſus hæreſim odium exercebas, jam tu in adoleſcentiâ bellum pro Eccleſiâ adverſus errorem meditabaris, quod ſæpius mihi teſtari ſunt ii, qui eâ ætate domi tecum vitam agebant. Ubi verò cœpiſti annis eſſe maturior, crevit in te animus defendendæ Eccleſiæ. Poſtquam aliquot annos ſtudiis theologicis poſuiſti operam: cum te oportuit publicum tui ingenii, & tuæ doctrinæ dare ſpecimen, tu ſtatim adverſus Janſenii librum recens editum primos lapides, ac veluti prima tela conjeciſti; tu ſcilicet evolvendis legendiſque ſancti Auguſtini adverſus Pelagianos libris noctes dieſque conſumpſeras, illoſque contuleras cum libro Janſenii, ſenſus depravatos, locos perversè enarratos deprehenderas, & librum obelis confixum judicaveras dignum cenſurâ. Jam tùm prænuncius fuiſti futuræ cladis, & proximæ proſcriptionis, quâ paulò poſt ſummi Pontifices Janſenii librum & doctrinam percuſſerunt. Illâ publicâ exercitatione præter famam ingenii, doctrinæ, & eruditionis honores eccleſiaſticos conſecutus es. Patruus tuus Rotomagenſis Archiepiſcopus, vir ſingulari doctrinâ præditus, morum gravitate & factis clarus, annis & canitie venerabilis, applaudentibus tibi illique præcipuis ſcholæ Sorbonicæ magiſtris, tanto elatus eſt gaudio, cernens in nepote ornamenta & dotes refloreſcere, quæ cum annis in ſe conſeneſcere ſentiebat, ut illicò in tui gratiam Gemeticenſem abbatiam ceſſerit, ſi aſſentiretur Regina, cui per id tempus regni adminiſtratio fuit: quod facilè iidem Doctores obtinuerunt. Ita meritiſſimi patrui

judicio, negotioque eorum, qui duces ſtudiorum, tuique certaminis & victoriæ ſpectatores fuerant, rei benè geſtæ præmium accepiſti. Hoc ſtadium emenſus theologiæ, legendis ſanctorum Patrum operibus ſtudium omne collocâſti, ut mentem ſanctioribus imbueres documentis, & quibus teipſum inſtrueres, & quæ deindè in aliorum animos transfunderes. Sanè poſt aliquod tempus ambonem conſcendiſti, habuiſti ad populum concionem, ad quam confluebat incredibilis audientium multitudo: non ex confertâ quorumcumque hominum turbâ celebritas erat; ſed aderant præſtantiſſimi quique, qui aut dignitate muneris, aut ingenii & doctrinæ excellentiâ eminebant: Optimates pariter magno numero, & ipſa Regina haud dedignabatur rebus publicis, & regni negotiis ſe ſubtrahere, ut te audiret, & te hortatore mentem ad cœleſtium rerum cogitationem revocaret. Vix aliquem reperire licet, qui his inſtructus animi corporiſque adjumentis, quibus præditus es, ad dicendum acceſſerit. Ineſt tibi honos capitis, oris dignitas, facilitas æquabilitaſque orationis, concinnitas verborum & elegantia, quæ non arte quæſita, nec domo allata, ſed nata videatur, quibus adde divinam quandam memoriam rerum & verborum, quæ ſtudio & exercitatione exculta adeò præſtans eſt, ut ſemel lecta & ſemel audita facilè poſſis meminiſſe: & undè quemadmodum ex theſauro opes immenſas eruis; hinc ſententias ſanctorum Patrum, hinc loca ſcripturarum, hinc pias eruditaſque cogitationes haud hæſitans educis; quæ verò ſit actionis tuæ virtus, quiſque, qui te intuetur, intelligit; ad egregiam corporis formam, clarus & ſuavis vocis ſonus decorque geſtûs accedunt; his omnium allicis animos, & quò lubet flectis audientium voluntates: ità ut facile tibi ſit ad rectam vitæ ſemitam vel repugnantes traducere. Neque oratio tua inanis verborum ſonitus eſt, qui aures tantummodò verberet; ſed his argumentis, hiſque rebus abundat, quas ſacræ paginæ, ſcripta ſanctorum Patrum, & veneranda noſtræ religionis documenta ſuppeditant. Audivi aliquando, cum tu reprehenderes, eorum conſuetudinem, qui crederent ſermonis ornatum, verborumque pulchritudinem ſapienti veterum Patrum dicto deformari; rectè judicabas non modò antiquorum ſententiis tanquam luminibus illuſtrari, ſed ex his quoque vires & nervos orationem acquirere. Certè ad perſuadendum nihil potentius eſt, quàm grave aliquod documentum ſanctorum hominum,

qui dictis factiſque religionem approbarunt, qui in Eccleſiâ divini verbi interpretes, catholicæ doctrinæ magiſtri, inſtitutores vitæ chriſtianæ, fidei vindices, doctores morum & diſciplinæ aſſertores extiterunt.

Ex quo publicè dicere cœpiſti, hanc etiam facultatem aſſecutus es, ut, ſi opus eſſet, ex tempore & inpromptu diceres, extemporaneaque oratio pro meditatâ & diligenter elaboratâ haberetur; teſtis eſt civitas Rotomagenſis. Cum aliquando divini verbi præco inopinato morbo percuſſus, impeditus eſt, quominus cœptam concionem proſequeretur: tu Archiepiſcopus aderas in majori beatæ Mariæ baſilicâ, tu dolebas actorem deficere, dolebas eſurienti non eſſe, qui panem frangeret, nolebas turbam inanem & impaſtam dimitti, ne & ipſa deficeret: populum ſedere juſſiſti, eſcam porrexiſti, non ad ſatietatem modò, ſed ad delicias. Mirabatur turba inter manus diſpertientis cibos excreſcere, & ità multiplicari alimoniam, ut poſtquam omnes refecti ſunt, reliquiarum & fragmentorum plures cophini ſupereſſent; ea verborum rerumque ubertas fuit, ut non haberes ſolum, quod uni, ſed quod pluribus actionibus ſufficeret; quodque mirabilius eſt, eumdem ſermonis contextum, eamdem orationis proſecutus es partitionem, quam roborare argumentis, Patrum ſententiis, & verborum elegantiâ exornare tibi vel ex tempore expeditum fuit; ſic locutus es, ut meditati ſermonis damnum, copiâ & facultate dicendi & dicentis amplitudine compenſares. Sed quod eo in loco omnibus admirationem peperit, tibi poſtea uſus & conſuetudo fuit: ſæpiùs enim in concionibus publicis, in eccleſiaſticis conventibus, in legationibus honorificis, ad populum, ad Optimates, ad Reges ipſos extemporaneum ſermonem habere tibi contigit. Sciebant omnes te imparatum ad dicendum acceſſiſſe; palàm erat tibi haud promptum fuiſſe meditari, quomodò diceres; ſemper tamen oratio tua meditati & arte exculti ſermonis opinionem obtinebat.

Hâc imprimis facultate tui admirationem concitaſti, cum Comitiis generalibus aut præſideres, aut intereſſes. Ad hæc primùm veniſti provinciæ ſecundæ Lugdunenſis ex ordine ſecundo delegatus. Non hic memorabo, quæ vel eo tempore munera honorifica, & magna negotia tibi demandata, quæque ex tuo ſemper judicio finita ſunt. Referam tantùm quemadmodum cauſam patrui tui Rotomagenſis Archiepiſcopi, & ipſius Ec-

b ij

cleſiæ auctoritatem egregiè defendiſti. Decretum fuerat in Comitiis Cleri Gallicani, ut in provinciis haberentur Synodi; Archiepiſcopus haud mora Synodum indixerat; tum Senatus Rotomagenſis decretum rulit, ne id ageretur, alia inſuper impedimenta exorta ſunt. Tibi patrui tui cauſam & Eccleſiæ auctoritatem defendere propoſitum eſt; Antiſtites ad jura ſua propugnanda incitaſti, allocutus es regni adminiſtros, & eos, qui plus gratiâ & poteſtate in aulâ valerent, ad Reginam adiviſti, violari jura Eccleſiæ conqueſtus es, oſtendiſti Synodos eſſe rem Eccleſiæ, & hanc haud attinere ad magiſtratus; tantùm effeciſti, ut decretum Senatûs caſſum & irritum fieret, & Rotomagenſis Archiepiſcopus Synodum ritè celebraret, & præclaras ederet pro diſciplinâ ſanctiones.

Ex felici hujus-ce rei eventu, & ex aliorum teſtimonio intellexit patruus tuus, te majoribus negotiis agendis idoneum eſſe; ſcribit ob eam cauſam ad generalem conventum Epiſcoporum, ſe gravem annis, & laboribus eſſe confectum, jam ſe imparem oneri ferendo, aliquo ſibi opus eſſe, qui fatiſcenti ſupponat humeros, eſſe in Comitiis nepotem, quem ſi honore dignum cenſerent, velit ſibi adjutorem tribui, ut in partem laborum veniat, timere tamen: ne plus æquo carni & ſanguini indulgeat; rem eorum arbitrio ſe permittere. Addebat ſi petitio probaretur, rogitare, ut quâ valerent gratiâ, conſenſum à Reginâ obtinerent. Litteræ frequenti conventû lectæ ſunt, & æquis animis acceptæ. Acclamatum eſt Abbatem Chanvallonium, ſic enim te id temporis vocitabant, dignum eſſe his honoribus, virtute, doctrinâ, religione, aliiſque ornamentis ſummum meruiſſe ſacerdotium. Etſi proclivia in te omnium fuerunt ſtudia, res tamen haud feliciter ceſſit; in conſeſſu quippè regio cautum fuerat, ut iſthæc conſortia cathedrarum non ampliùs admitterentur, ne quilibet ſacerdotium loco patrimonii habere, & cathedris ſicut hæreditalibus vellet ſuccedere. Verùm eâ repulsâ, nihil felicius, nihil honorificentius tibi accidit; non enim tam repulſus es, quam compulſus ad honores feſtinantiùs capiendos. Non ſolummodò in conſortium, ſed in ipſum omninò cathedræ locum aſſumptus es. Ægrè ſenes ſe honoribus exui ſuſtinent; cum animi & corporis vis deficit, magiſtratibus & magnis muneribus ætatem vallant & muniunt, & gerere honores ſuæ ſenectutis columen reputant: tuus tamen patruus metæ proximus, honorum curſum abrumpere,

ætatis attritæ ſolatia omittere, & ſe penitùs à ſacerdotio abdicare haud dubitavit, ut in ſuum ſuccederes locum, ut ferventis ætatis annos eccleſiaſticis laboribus impenderes, & hoc frueretur ſolatio, quod te cerneret his paſſibus ambulare, hiſque inhærere veſtigiis, quæ longo uſu; diuturnoque annorum ſpatio indefeſſus obtriverat. Nullum tuæ vitæ, tuorumque morum validius certiuſque eſt argumentum, quam illa ſpontanea patrui tui in tui gratiam abdicatio: ille ſenex ætate venerabilis, judicio maturus, clarus moribus, inſignis probitate vitæ, doctrinâ & religione pollens ſucceſſorem non optavit, niſi ſui ſimillimum. Quod magis eſt, huc accedit Cleri Gallicani ſuffragatio, celebris ſcilicet Pontificum conventus, qui Pariſiis habebatur, negotium obtinendæ regiæ conſenſionis ſibi aſſumpſit; quin etiam Pontifices delegati, qui vel ſolutis Comitiis à Reginâ conſenſum expoſcerent. His bonis artibus aſcendiſti ad editum Eccleſiæ locum, patrui tui judicio, petitione Cleri Gallicani, & ſollicitâ Antiſtitum Gallicanorum flagitatione. Quàm præclarum eſt & magnificum hoc genere ambitûs adire ſacerdotium!

Paulopôſt, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, ordinatus es Archiepiſcopus in baſilicâ Carthuſiæ Pariſienſis, fugiſti turbam hominum & in ipsâ urbe regiâ, ubi innumerabilis eſt hominum multitudo, quæſiviſti ſolitudinem, inveniſti latebras, ubi à ſtrepitu remotus ſoli Deo vacares, ubi religioſos hujus eremi incolas in auxilium vocares, qui tecum precibus cœlos pulſarent, ut in ordinatione tuâ dona cœleſtia ubertìm acciperes. Quanta ſunt, & quàm præclara, quæ geſſiſti Archiepiſcopus! ſtatim atque ordinatus es rem arduam aggreſſus es, & miniſterio, quod aſſumpſeras congruentem. Eo tempore Gallia omnis in factiones ſciſſa, inteſtinis diſcordiis, & bellis ardebat civilibus, accenſa inprimis conjuratio erat in perniciem Julii Mazarini Cardinalis, cui tunc temporis ſumma apud Regem & Reginam auctoritas erat, eóque factio progreſſa eſt, ut in Cardinalem ferret proſcriptionem, & ejus caput pretio poneret. Juſſu Regis Epiſcopi, qui verſabantur Pariſiis congregati ſunt, conventui recens ordinatus aderas, & in eo Præſes ſediſti, contra proſcriptionem multa locutus es: ac demùm cum tribus Epiſcopis miſſus es ad Regem, & inter gladios & tela accenſæ factiônis, haud veritus es Turonos, ubi Rex agebat, iter facere. Regem & Reginam publicè allocutus es, aderant

Proceres, qui regias partes ſequebantur, contra decreta proſcriptionis multa dixiſti, cauſam Cardinalis peroraſti, enumeraſti ejus in Regem & Reginam merita; dicebas violata regni jura, temeratam eſſe Eccleſiæ dignitatem, Regis auctoritatem conculcatam eſſe, inauditum eſſe non modò municipem Romanæ civitatis: ſed etiam Romanæ Eccleſiæ Principem his modis indigniſſimis accipi, Cardinalem his inſignem honoribus, quos Romani Pontifices, quos Reges illi contulerant, ſicut ſicarium & publicum prædonem indictâ causâ à laïcis capite condemnari. Eam verò partem ità verborum & affectuum vi concitaſti, ut omnibus oborirentur lacrymæ, & Regina flêre inſueta haud teneret lacrymas, & oblita ſuæ Majeſtatis tuis dictis obſequi dignaretur. Obtinuiſti, quod rogaveras. Rex proſcriptionis decreta reſcidit, delevit perverſè actorum memoriam, notam abſtulit, quam inuſſerat proſcriptio; quæ rès tam Eccleſiæ & tibi honorifica fuit, quam læta Julio Mazarino Cardinali, qui te palàm vindicem ſuæ ſalutis, vitæ aſſertorem & liberatorem ſuum vocitabat. Hæc initia fuerunt tui pontificatûs, ac velut magnarum rerum, quas poſteà geſſiſti, præludia. His pro regni ſtatu & tuendæ Eccleſiæ auctoritate peractis, Rotomagum profectus es, ubi omnis populi exceptus acclamationibus, & continuò à Clero hujus Eccleſiæ in ſede Archiepiſcopali collocatus es. Poſtero die ſacram Liturgiam ſollemniter celebraſti, & pomeridianis horis ad populum, qui magnâ celebritate confluxerat, habuiſti concionem, Clerus populuſque admirabantur rerum verborumque gravitatem, fatebanturque omnes, neminem eâ doctrinâ & ſapientiâ locutum eſſe; revocabant in mentem majorum tuorum merita, qui hujus cathedræ Pontifices fuerant; & hanc Eccleſiam immenſis cumulaverant donis; redibatque inprimis Cardinalis Ambacienſis, cujus proneptis avia tua fuit, ſubibatque omnium animos patruus tuus, qui ſuperſtes adhuc ſuam etiam expectationem vinci gaudebat; ſed complures, qui rem altiùs cogitabant, jam illo tempore ominabantur, fore te aliquando utrique ſimilem, te paria & majora aliquandò facturum his, quæ patruus geſſerat, te in eo, ſi non muneris, certè gratiæ loco futurum aliquandò apud Regem Ludovicum Magnum, in quo apud Regem Ludovicum duodecimum Cardinalis propatruus fuerat. Nec vanum omen fuit; ille quidem Regi dilectiſſimus fuit, qui pater patriæ appellatus eſt: tu Regi cariſſimus es,

qui non modò patriæ pater, & parens Reipublicæ eſt, ſed amor & delicium populi, ſociorum tutela & columen, præſidium religionis & propugnaculum provinciarum eſt.

Quanto tempore Eccleſiæ Rotomagenſi præfuiſti, tanto & Eccleſiæ univerſæ ſtuduiſti proficere, & parochiæ tuæ ſervire commodis, conventibus eccleſiaſticis, in quibus res fidei agebatur, adfuiſti, nec deſiiſti Clerum in publicis collationibus docere, & populum aſſiduis concionibus ad honeſtatem & bonos mores, & rectam vitæ diſciplinam adhortari; ſæpiùs etiam circumire parochiam, ire per caſtella, vicos & opida, ut divini verbi ſpargeres ſemina, ut per agros faceres delectum, & tirones Chriſti militiæ adſcriberes, & eos demùm ſacro conſignares ſigillo. Inquirebas in fidem & in mores Parochianorum, clericos & dictis & factis ad rem benè gerendam excitabas: fortes & ſtrenuos laudabas, ſegnes & ignavos verborum rationumque pondere, & ægrè quidem, ſed ſi opus eſſet, ſeveritate ad meliora compellebas; nec pigebat ruſticanos alloqui, eoſque ſanctioribus documentis informare; mirabantur, qui tecum aderant, quod etiam noſſes ad eorum ingenium altiſſima quæque noſtræ Religionis myſteria exprimere, & ſcires ea parvulis perindè ac ſapientibus revelare. Quid quod nulla quies erat à labore, à ſummo manè ad veſperam operam protrahebas, qui te comitabantur agendo tecum defeſſi erant, tu qui pondus diei & æſtûs operando toleraveras, expeditus & alacer à labore ad laborem tranſibas; lites privatorum hominum, & accenſa inter nobiles odia componere, & diſſidentes animos ad pacem & concordiam revocare tibi in otio, cura & negotium erat. In his itineribus ſæpiùs effuſa antè occurſum tuum vidiſti opida, omnes agrorum culturam, ruſticanaque opera relinquebant, ut te viderent, & quiſque in pretio habebat, vel te oculis intueri, & à te benedictionem aut geſtu, aut verbis excipere. Dum tu Eccleſiam peragras, Deppam celebre tuæ parochiæ opidum ingreſſus es; illic complures patrum noſtrorum memoriâ corruptis Calvini erroribus imbuti, à rectâ fide deſciverant, & inter civilium armorum motus extruxerant conventicula, quæ deindè iis adire licebat, qui impietatem publicè profitebantur. Die Dominicâ concionem habuiſti; tantam tui famam concitaveras, ut etiam apud hoſtes Eccleſiæ nomen tuum venerabile fieret: clauſerunt illi conventicula, & te præſente error pudore ſuffuſus

obticuit, eo die, quo locutus es, fallacia hæreticorum obmutuerunt oracula, magnuſque Calvinianorum numerus ad te audiendum confluxit; tùm tu de induſtriâ adverſus hæreſim dixiſti, adorandam fidei vetuſtatem verbis magnificis prædicaſti, novitatem erroribus circumſeptam eſſe oſtendiſti, multa contentiosè pro causâ religionis, multa adversùs Calvinianam inſaniam locutus es, gregem tuum, populum tuum conquerebaris perditum eſſe, ſeductum eſſe à Paſtoribus, cœpiſſe vagari per montes, & de monte ad collem tranſiviſſe, & oblitum eſſe cubilis ſui. Hæc aliaque enarraſti tantâ verborum facundiâ, tanto argumentorum pondere, ut omnes commoverentur, quidam etiam ad te adierint, qui errorem publicè deteſtati ſunt.

Dum Rotomagenſem Eccleſiam benè & feliciter tegis, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, Cathedram Pariſienſem vacare contigit, & de vitâ decedere illuſtriſſimum Pariſienſem Epiſcopum Harduinum deceſſorem tuum. Alterius Pontificis ſubrogatio ad Regem Ludovicum Magnum ſpectabat, ſciebatque, non tam unius civitatis, quam totius regni eſſe negotium, ut in urbe regiâ, Gallici imperii metropoli, ſacerdotali muneri Pontificem idoneum præficeret. Rex ſapientiſſimus jam diù regni ſui clavum tenebat: ipſe magnis operoſiſque regni negotiis animum ultrò adjicere, & neceſſitatibus non modò civitatum & provinciarum, ſed etiam Eccleſiarum ſolebat providere. Tu ipſe illi fueras notiſſimus, & ob fidem dubiis rebus ſervatam, & ob rem in conventibus Cleri Gallicani, quibus præfueras, præclarè geſtam: tu & regio illius capiti coronam ſollemniter impoſueras, quando Remis ſacro oleo ritè inunctus eſt, noverat ſuſceptos à te labores pro Eccleſiæ tuæ adminiſtratione, in hâc urbis regiæ viciniâ, tui mores, tua inſtituta illi nota & probata erant, teque ante aliquot annos regiorum ordinum inſignibus ornaverat. Haud cunctatus igitur te Pariſienſem Archiepiſcopum appellavit, ratus eligendum, qui magnis in honore ſuo perfunctus laboribus honorem alterum meruiſſet. Rex ipſe, quo nihil honorificentius eſt, ſcriptis ad ſummum Pontificem litteris inſigne de te teſtimonium tulit, effecitque, ut ſine morâ litteras tranſlationis obtineres, & brevi cathedram conſcenderes Pariſienſem. Hæc dies læta & felix Eccleſiæ & civitati Pariſienſi fuit; tum incredibilis lætitia omnium animos invaſit: collegia, ordines, & quiſquis opibus

&

& honoribus tùm in Eccleſiâ tùm in urbe eminebant, tibi cum honorificis ſermonibus occurrere, tibi novam dignitatem gratulari, & Regis judicium ſummis extollere laudibus, & palàm confiteri, hoc cum omnium civium votis conſpirare. Contrà civitas Rotomagenſis in luctu eſſe, conqueri avulſum ſibi meritiſſimum Archiepiſcopum, doctrinâ, fide, moribus & meritis clarum; ſuamque tanquam erepto patre orbitatem deflere. Fauſta felixque illa tranſlatio fuit, quam non peperit odium populorum, ſed quam tempus & viduatæ Eccleſiæ neceſſitas flagitavit, quam civitatis regiæ conventus expetivit, ſapientiſſimi Regis judicium fecit, & quam vetuſtæ diſciplinæ indeflexa ſeveritas prædicaret.

Ex eo tempore, Rex Magnus te honorare amicitiâ, & te ſuis aſciſcere conſiliis dignatus eſt, & multis modis oſtendere, quanti te faceret, & in quo te poneret loco. Libuit ſtatos dies, certaſque horas ſecretis colloquiis, rebuſque pertractandis tibi aſſignare; dignatus eſt te regiâ domo recipere, ædeſque in regali palatio tibi utendas permittere; te arbitrum judicemque conſtituere litium & controverſiarum, quæ in Eccleſiâ Gallicanâ plerúmque acciderent, quaſque tuo maximè judicio terminatas & finitas eſſe voluit. Rex tibi nihil eorum, quæ poſcebas denegare, tu nihil poſcere, quod tibi, ſed quod rebus tantùm publicis, aut alienis proficeret. Poſtquam è Rotomagenſi cathedrâ ad Pariſienſem tranſlatus es, & Regis gratiâ & favore uti cœpiſti, non te, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, honoribus, aut dignitatibus, redditibus-ve eccleſiaſticis auctiorem, nec tuorum tuæque familiæ fortunis quidquam acceſſiſſe vidimus: & ſi complures, qui nec cognatione, aut propinquitate ad te pertinent, hoc tibi tribuunt, quod regiis beneficiis honeſtati ſint. Indignum eſſe judicas maximi Principis amicitiam, quæ ipſa tibi ſit merces pulcherrima, in quæſtum & augmentum fortunarum traducere.

Mox dicam, quos fructus ex favore maximi Regis collegeris, cum ego referam, quos adieris labores, & quæ negotia ſub ejus auſpiciis confeceris; ſed aliò me vocat Eccleſiæ Pariſienſis adminiſtratio. Statim, ut Deus tuis votis aſpiraret, cœpiſti per opida & vicos Parochiæ preſbyteros mittere, qui ſanctis piiſque ſermonibus ad pietatis & religionis officia jacentes animas excitarent: ſelegiſti celebratiſſimos quoſque ex cœnobiis, ex congregationibus, ex collegiis & capitulis, eos

ire per rura præcepiſti, ut ſemina vitæ æternæ mentibus committerent, illos edocuiſti quomodò lolium noxiaque gramina ex animis evellerent, quomodò incultis locis ingratoque ſolo copiam & ubertatem afferrent. Sumptus ipſe de tuo liberaliter ſuppeditaſti, nihil induſtriæ, nihil impenſis feciſti reliqui, ut meſſem uberrimam colligeres. Non multo pòſt convocaſti Synodum, quæ magnâ celebritate Pariſiis peracta eſt, in eâ documenta quædam retinendæ diſciplinæ utiliſſima tradidiſti. Præcepiſti inter Presbyteros fieri de moribus, & de regulis Eccleſiæ collationes, ut æmulatione diſcendi ad lectionem provocarentur; Presbyteros ruris aſſiduè invigilare ovili ſtatuiſti, ne dulcedine urbis regiæ illecti ſtationem desererent; monachos devotaſque Deo virgines intra monaſteriorum ſepta permanere ſtatuiſti, ne ſubductis diſciplinæ monaſticæ humeris, ſacræ pactionis, ſanctique propoſiti fidem violarent. Hæc aliaque juxta priſcos canones, & antiqua Conciliorum decreta ſapienter à te definita & promulgata ſunt, quæ poſteri æmulentur. Hæc deindè decreta, aliaque anteceſſorum tuorum, quæ propè oblivio aboleverat colligi, & in codicem referri juſſiſti, quod æternum legum eccleſiaſticarum in Eccleſiâ Pariſienſi permaneret monimentum. Deprehenderas prætereà complures adhuc nævos in libris liturgicis reperiri, quidquid in eorum emendatione ab anteceſſoribus tuis præſtitum fuiſſet, multa tolli, addi, mutari, corrigi, & reſtitui oportere, ut ea publicæ pietati, & divini cultus majeſtati congruerent; ut igitur libri diligenter emendati & recogniti ederentur, viros ſelegiſti pietate & doctrinâ præſtantes ex Eccleſiæ Pariſienſis Capitulo, ex numero Parochorum civitatis, ex Academiâ & Clero Pariſienſi, quibus emendationis & novæ editionis provinciam tradidiſti; Ipſe ſeſſionibus interfuiſti, & te judice correctionis recognitio facta eſt; tandemque opus tuis curis ità retractatum eſt, ut omnia ex dignitate operis & negotii magnitudine ordinata eſſe viderentur.

Dum hæc aguntur, aggreſſus es, ſolus ſcilicet rem gerere Pariſienſis Eccleſiæ. Olim quidem in ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis, dum modica plebs erat, & in exiguis conventiculis Synaxes agebantur, haud difficile erat Pontificibus Eccleſiam Dei regere. Verùm ubi Chriſti imperium numero & multitudine fidelium auctum eſt; tùm quiſque Pontifex ſibi aſciſcere clericos vitæ integræ, & probatæ fidei, quos in la-

borum partem, ac velut in ipſam miniſterii ſocietatem admitterent. Hoc quiſque Pontifex agere inſtituit, qui cautum Eccleſiæ ſuæ neceſſitatibus volebat. Tu, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, in Eccleſiâ Rotomagenſi hunc morem ſecutus es, quem tui majores induxerant, & pariter in Eccleſiâ Pariſienſi preſbyteros pietate, doctrinâ, & honoribus fulgentes, qui vices obirent tuas, ſeligere tibi promptum fuit. Verùm paulopòſt his aut morte ſublatis, aut aliò ad ſummos Eccleſiæ honores tranſlatis, ſolus Eccleſiam adminiſtrare inſtituiſti, neminemque & laboris, & adminiſtrationis ſocium admittere, neque alienos oculos, nequè vicarias manus ad miniſterium advocare tibi propoſitum eſt. Tu ſingula proſpicere, tu omnibus Eccleſiæ tuæ negotiis ſolus providere cœpiſti. Hæc breviter dicta ſunt, magna tamen & digna memoratû. Quiſque ſecum reputet, quæ ſit in hâc urbe Regiâ civium turba, quæ clericorum multitudo, quæ baſilicarum frequentia, quæ ubicumque exurgunt, quis monaſteriorum cœnobiorumque numerus, quæ referta monachorum, & plena virginum ſunt. His adde Academiam profeſſorum diſcipulorumque celebritate florentem, Senatus & curiarum amplitudinem: infinita propemodùm artium, omniumque mercium collegia; Quid dicam nobilium & magnatum domos & Principum palatia, quorum quodlibet inſtar urbis eſt. Tu tamen tot baſilicis, tot cœnobiis, tot collegiis, tot ædibus & palatiis, tantæ urbi, quæ Galliarum metropolis eſt, quam nulla alia magnitudine adæquat, quæ Regum Francorum ſedes eſt, quæ imperii Gallici domicilium eſt ſolus providere ſtatuiſti. Vix poſteri credent, vix noſtris oculis credimus, jam plures annos, nullius ope, nullius adjutus operâ, nemine aut in auxilium, aut in conſortium laborum aſſumpto omnium conſulis utilitatibus. Tu omnes in domum admittere, ſingulos audire, ſingulos alloqui, cujuſlibet rogationes excipere, acta omnia imperare, legere & obſignare conſueviſti; neque mentem obſcurat, aut memoriam obruit rerum copia, aut perſonarum diverſitas: immò ægrè pateris tibi quidquam inculcari; & ſi quod negotium impeditum eſt: aut ſi quis referendo noctem & tenebras offundit, illicò mentis tuæ radiis diſcutis caliginem, diem reducis & lucem, & re dilucidè perſpectâ, conſilium das, aut fers judicium. Neque curarum moles quidquam de ſerenitate vultûs tui, aut de comitate detrahit, etiam gratus es, quibus gratiam negare oportet; neminem à te ſub-

triſti vultu, aut demiſſis oculis, aut inclinato capite à te diſcedere cernimus, ſed quiſque erectâ cervice & fronte hilari teſtatur, id in loco gratiæ ponere, quod te ſit allocutus, quod te viderit, quod te loquentem audierit, quod bellè gratiam dederis, aut bellè negaveris.

Huic operi, quod ſolus ſuſtines, vix olim ferendo multi pares eſſe poterant. Verùm quantula pars eſt laboris tui, quantula eſt occupationum tuarum hæc portio: non enim ſolummodò continuâ ſollicitudine Eccleſiæ Pariſienſis curam geris: ſed ut temporum opportunitatumque prudens diſpenſator es, horæ etiam tibi ſuppetunt, quas aliarum Eccleſiarum rebus & negotiis impendas. Seu Rex, ſicut olim Imperator Orientis ad Byzantinum Pontificem controverſias referri volebat, ita tuis curis, tuoque judicio, aliarum Eccleſiarum committit diſſidia; ſeu qui diſſident volentes ſe tuo permittant arbitrio, nullum ſapientius eſſe judicium rati, quam quod ſapientiſſimus Rex approbavit. Ex omnibus Galliarum provinciis, ex penitiſſimis regni receſſibus ad te accedunt clerici, Abbates & Antiſtites, qui pro rebus ſuis, & neceſſitatibus Eccleſiarum ſuarum operam tuam poſcunt. Si fortè inter ſe diſſident, libens eorum componis lites & diſſidia; nec abnuis acta impedita difficultatibus & anxiis implicita negotiis evolvere, ſeriò legere & diligentiùs expendere, neque tibi quies & otium eſt, donec pacem inter diſſidentes conciliaveris. Si res poſtulat, ſi gravitas negotii exigit, cauſam ad Regem ipſum refers, totumque negotium cum illo communicas; Rex benefaciendi cupidus, ſolet tuis votis annuere; atque ita regiæ interpres voluntatis, regii nuncius beneficii Eccleſiis ſuccurrere, cauſis Epiſcoporum patrocinari non deſinis. Hinc frequens ille comitatus virorum, qui ſingulis diebus magno concurſu in domum tuam confluunt; hinc illa frequentia clericorum & monachorum, qui ex omnibus regni provinciis limina domus Archiepiſcopalis obſident: hinc illi Abbates reverentiâ & dignitate clari, & magni Pontifices doctrinâ, religione & honoribus eminentes, qui in tua penetrant conclavia, ut te alloquantur. Hæc nobis cernentibus ſtatim ſubit cogitatio rem te gerere non unius, ſed omnium Eccleſiarum, quæ Ludovici Magni imperio continentur. Hæc nos quidem, ſed tu non propterea plus poteſtatis tibi aſſumis, nullum ſpecioſius nomen tibi tribuis; una tibi ſufficit conſcientia laborantibus ſubveniſſe, revocaſſe decertantes ad

concordiam, tuam induſtriam, tuamque gratiam, non in tuam: ſed in alienam rem, & in commodum Eccleſiarum convertiſſe. Hæc domi aſſiduus agitas & privatim, & pro ſingulis. Jam ſi addidero, quæ in proſpectu, & ante oculos omnium in univerſum pro Eccleſiâ Gallicanâ geſſeris; quanta & quam præclara ſe ſe offeret ad dicendum materies, quis ad laudem ſe ſe campus aperiet! Tu jam per triginta fermè annos omnibus propè Comitiis Cleri Gallicani præſidere ſolitus es; de te id dicere liceat, quod olim in laudem magni Cordubenſis Epiſcopi prædicatum eſt, quibus Eccleſiæ conventibus non præfuiſti? Hoc quidem munus longè honorificentiſſimnm eſt, præeſſe conventibus Epiſcoporum, ex eorum votis pronunciare judicia, & in illuſtriſſimo Cleri Gallicani conventu priorem locum obtinere; quanti verò conſtat hæc loci prærogativa, quantis eum oportet eſſe munitum adjumentis, & quibus ornamentis decoratum, qui hunc honorem aſſecutus eſt, quot adeundi labores illi, qui præeſt, ut omnia ex muneris amplitudine & dignitate Pontificum perficiantur. Oportet illuſtriſſimi conventus Præſidem ſacerdotali dignitate & gradu eminere, ut jure præſit; oportet promptam paratamqne illi eſſe vim, & facultatem dicendi, ut ſubitis, nec expectatis ſermonibus illicò ornatè & opportunè, ſicut decet, reſpondeat; ingentes & dignos pontificarũ debet gerere ſpiritus, ut adverſùs Magiſtratuum molitiones & Optimatum conatus Eccleſiarum jura defendat, audacterque & apertè coram ipſis Regibus, Cleri decus ſuſtineat,& dignitatem Eccleſiæ; debet abundare doctrinâ & rerum eccleſiaſticarum uſu & ſcientiâ præcellere, quippèqui in cœtu doctiſſimorum hominum ſedeat, ubi ſæpius de fide, ſæpiſſimè de moribus, & inſtitutis Eccleſiarum diſſerendum eſt. His omnibus adjungenda eſt, longâ exercitatione parta rerum negotiorumque experientia, nam examinandis pluribus clericorum & Eccleſiarum cauſis, ſumptibus publicis ordinandis, ſubducendiſque accepti & expenſi rationibus, multum laboris & operæ impendi conſuetum eſt. His aliiſque adjumentis ornatum eum eſſe oportet, qui Cleri Gallicani Comitiis præſidet.

Hæc, quæ diviſa quemlibet exornent, in te unum congeſta eſſe admiramur. Tu vix preſbyteratus annos attigeras, cum te ſupremis Eccleſiæ honoribus refulgentem, & obeundo Præſidis muneri idoneum conſpeximus. Quantum dicendi facul-

tate valetes, jam anteà memoravimus, & tu ſæpiùs in Comitiis oſtendiſti, cum regiis Legatis meditata verba, paratumque ſermonem habentibus, extemporaneâ reſponſione majora meditatis reponeres, & cum imparato tibi, nec opinanti coram maximo Rege ſuſtinenda Eccleſiæ Gallicanæ auctoritas eſſet. Meminiſti? cum aliquando ad Pontiſaram tu publicis Cleri Gallicani conventibus præſidebas, renunciatum eſt ægrum jacere Montalbanenſem Epiſcopum, à quo poſtridiè pro initiis Comitiorum coram clero Gallicano publicam concionem haberi oportebat: tu ne quid deeſſet ſollemniis inter curas laborioſi magiſtratûs ejus vicem ſupplere inſtituiſti. Acta fidem faciunt, te vel ex tempore chriſtiani oratoris officium ità impleviſſe, ut concio non infrà ampliſſimam tuam dignitatem, ſed ſuprà ſummam audientium expectationem extiterit. Statutum fuerat in conſeſſibus Comitiorum, ne quis cuiquam ob rem quamcumque geſtam gratias ageret, ne actio ſæpius interpellaretur: cœtus tamen non ſe cohibuit, vox erupit gratias agentium & laudantium doctiſſimam & eloquentiſſimam orationem. Sincera hæc gratulatio fuit, quam non adulatio meditata peperit, ſed repentinus impetus ex animis & cordibus omnium expreſſit. Ex his quiſque intelligit te eo digniſſimum eſſe munere, qui ſcilicet noveris omnes numeros præſidentis implere, & pariter ſingulorum partes tenere, ſi opus eſſet, & velles & poſſes. Cum ad hanc dicendi facultatem adjunxeris inſignem animi magnitudinem, haud mirum eſt in hoc principatu tibi inprimis propoſitum eſſe Cleri Gallicani jura defendere, & Eccleſiæ gloriam & auctoritatem tueri. Nullum certè exornandæ Eccleſiæ, & ſuſtinendæ ejus dignitatis locum reliquiſti. Nonnulli poſthabitâ Epiſcoporum poteſtate eorum juriſdictionem pulſare audebant, tu effeciſti, ut hi Epiſcopos revererentur, ut patres, & illis ſubjicerentur, ut filii. Vir clariſſimus & munere conſiſtoriani Comitis præditus, ultra mandata progreſſus cùm donum à clero non tam popoſciſſet, ut gratiam, quam exegiſſet, ut debitum, tu illicò apud Regem injuriam conqueſtus es; Rex haud mora reſcripſit donum eſſe gratiæ, non debitionis. Rex nova juris inſtituta condi juſſerat, & in codicem referri, irrepſerant quædam haud conſona juribus Eccleſiæ; ſed te poſcente ea auctoritate regiâ ſublata ſunt. Quidam injuriam clericis fecerant, aut damnum intulerant, tuo negotio ſarcitum eſt damnum, & depulſa injuria. Si quæ Romæ acta ſunt

noſtris motibus adverſa, & querelæ de his ad Comitia delatæ ſunt : tem ità pertractaſti, ut noſtros mores defenderes, & Romanæ curiæ non læderes reverentiam. Quis hujus otationis modus ſit, ſi dixeto, quæ in his conventibus feceris opportunè pto Eccleſiis, quæ dixeris honorificè pro Sacerdotibus & Epiſcopis, quæ pro cauſis privatorum prudenter conſtitueris, & liberaliter juſſeris erogari, pro levandâ miſerorum inopiâ, & quæ pro gloriâ & amplitudine Cleri Gallicani geſſeris fortiſſimè : hoc omne fuſè deſcriptum vix capiunt ampla actorum volumina, quorum ſimplex commemoratio ingens modò, nec moritura olim laudatio eſt.

Et ſi ætatem in rebus eccleſiaſticis conſumpſiſti, & mores Eccleſiarum, & inſtituta magnis laboribus didiciſti; haud tamen neglexiſti addiſcere rem chriſtianæ familiæ, in bona ſcilicet & poſſeſſiones Eccleſiæ inquirere, quæ fuerit facultatum illius inſtitutio, quæ adminiſtratio, quæ diſtributio legitima ſit.; noſti, quæ libertates collegiorum, quæ privilegia monaſteriorum, quæ Eccleſiarum jura ſint, hæc apprimè edoctus ſoles in Comitiis expendere rei ſumptuariæ rationes, ex æquo id æſtimare, quod in acceptum & in expenſum teferri oporteat. Cavebas inprimis ne facultates Eccleſiæ, quod eſt familiæ chtiſtianæ patrimonium & hæreditas clericorum, in alienos traducetentur uſus; ducebas nefas eſſe Eccleſiæ bona diſſipare, quæ comparata ſunt ad ſublevandam miſerorum inopiam, ad magnitudinem dignitatemque Eccleſiæ ſuſtinendam, ad alendos Eccleſiæ miniſtros, alioſque, qui huic propagandæ & exornandæ ætatem terunt; ſed nec alienum abs re exiſtimabas eſſe, ejus opibus publicam rem adjuvare, ſi præſertim aut præſentibus, aut imminentibus malis premeretur, ratus te haud minus facturum rem Eccleſiæ, ſi ex ejus bonis & poſſeſſionibus patriæ ſubvenites laboranti, quam ſi privatorum neceſſitatibus provideres. Ea non modò mens tua fuit, ſed majorum noſtrorum ratio, qui difficillimis temporibus Reipublicæ opportunè adfuerunt, imò & fundos & prædia, ſi opus fuit, oppignerare veriti non ſunt, imitati ptovidos nautas, qui ortâ tempeſtate minotem mercium partem mergere haud dubitant, ut pars major ſalva ſit. Certè non magis ſuccurritur civibus, ſi iis largiris, cum miſeri ſunt, quam ſi aliis largiris, ne miſeri fiant. Vtrobiquè laudabile bonorum eccleſiaſticorum impendium eſt: Imò utiliot ſæpiùs hæc, quam illa diſpenſatio eſt.

Neque hic omittam dicere, quod majoris momenti eſt, in his Epiſcoporum conventibus, etiam res agitari, quæ ad rectam diſciplinæ normam, & ad inoffenſam fidei doctrinam pertinent, quod à priſcis Eccleſiæ moribus haud alienum eſt. Nam & accepimus ejuſmodi conventus in rebus, & cauſis Eccleſiarum & clericorum vim & jus Synodi habuiſſe, & eorum definitiones pro lege habitas eſſe. In Oriente ab Epiſcopo regiæ urbis, ſæpiùs advocatos Pontifices, qui ad comitatum veniſſent, & ex iis conflatam Synodum ex antiquis Eccleſiæ commentariis didicimus: data opportunitate in dedicationibus peractas Synodos, acta noſtrorum Conciliorum memorant: noſtros Antiſtites ſæpiùs in ſollemnibus regni Comitiis feciſſe Synodum, & ſtatuta, quæ ſanxerunt, & Regum Francorum Capitularia teſtantur. Æqua noſtrorum temporum, atque priſcorum Epiſcopis poteſtas eſt, auctoritas illa, quæ à Chriſto data eſt Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus quaſi per manus tradita, neque per longam ſeriem ætatum cariem, aut ſenium contraxit, neque per plurimas Epiſcoporum ſucceſſiones, aut detrimentum paſſa eſt, aut imminutionem ſenſit: ſed integra illæſaque ad nos uſque pervênit; eadem, quæ olim regendæ Eccleſiæ ratio eſt, munus idem, idem, quod anteà miniſterium eſt, parque illi, quod anteà præſtitum eſt, & his debetur obſequium.

His muniti exemplis, hiſque perſuaſi rationibus noſtri Pontifices, diſciplinæ eccleſiaſticæ negotium pertractare, & rem fidei, ſi quando Eccleſiæ res poſtulavit, acerrimè tueri, & ſerpentem per Gallias novitatem modis omnibus profligare ſibi propoſuerunt. Te præſidente, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, ſæpiùs in Comitiis actum eſt, de inſtitutis & moribus Eccleſiarum, de cauſis clericorum; de fide quoque ſancitum eſſe acta illorum conventuum commemorant. Agebas in Comitiis Præſidem, cum Sacramentarium redditum gallicè editum eſt. Res ad conventum Epiſcoporum delata eſt; omnes ſtatim factum improbare. Tu inprimis arguebas audaciam interpretis, qui contra Epiſcoporum auctoritatem, & Eccleſiæ inſtituta feciſſet, qui violaſſet præcepta Conciliorum, qui ſancta manibus profanis obtrudere non eſſet veritus, qui profanam hominum multitudinem induxiſſet in ſacrarium, & plebeculæ imperitæ arcana ſanctæ religionis temerè retexiſſet. Quid enim aliud eſt, inquiebas, librum publicare Sacramentorum, & vernaculè reddere, quam inſtituta majorum noſtrorum pervertere,

quam

quam imitari improbas hæreticorum artes, qui codices ſacros & precarionum libros exprimere vulgari ſermone primùm inceperunt, ut hâc rei novitate plebeculam deciperent, & fidelium animos fallaci corrumperent interpretatione. Hæccine dicebas Eccleſiæ conſuetudo eſt? ut imperitus quiſque rituales ſacrorum formulas, arcanaſque lirurgiæ preces habeat, & illotis eas tangat manibus. Quid iſthuc eſt? niſi profanum vulgus ad ſanctius admirrere miniſterium, & omnium oculis promiſcuè ſubjicere ſecreta religionis, quam ſolâ reverentiâ à populo coli oporter. Hæc aliaque eleganter & doctè prorulisti, quibus oſtendebas id haud licitum eſſe, niſi auctoritas Pontificum præciperet, & rerum temporumque exigeret neceſſitas. His ſacer Ponrificum cœtus rogatis ſenrentiis ultrò aſſenſus eſt, arque ita lara eſt proſcriptio in ſacramentarium gallicè redditum. Pontifices quoque, qui aberant rogati per epiſtolas ſunt, ut proſcriptionem admitterent, ſummus ipſe Pontifex Cleri Gallicani religionem & vigilantiam laudavir, & datis litteris Gallicam interpretationem notâ condemnationis inſſit; Academia pariter Pariſienſis decreto calculum appoſuir, & ut condemnatio auctoriratem obtineret regiâ conſtitutione roborata eſt; arque ita effectum eſt, ut ſicut laïcis haud licet ractu fœdare ſacrorum vaſorum ſanctitatem, ſic parirer nefas eſſet viſu profano ſacrorum codicum vetuſtam inceſtare religionem.

Quid quod in his Pontificum conſeſſibus ſæpiùs pro fide pugnare tibi contigit adverſus artes hæreticorum & novarorum molitiones. Hæretici, qui patrum noſtrorum memoriâ regnum turbaverant, & laceraveranr Eccleſiam, non jam apertè graſſari, ſed quaſi per cuniculos adoriri Eccleſiam, & variis artibus lariùs diffundere venenum aggreſſi ſunt: illis prætergredi limites, quos edicta præſcripſerant, & ulrrà metas evagari promptum erat, extruere nova ſuæ impietaris conventicula, erigere ſcholas, ubi error doceretur, dotare noſocomia, ubi ſuæ ſectæ pauperes ſcorsùm alerentur, ſpargere libros felle & veneno ſuffuſos, quibus incautas mentes imbuerent, privarâ auctoritate colligere pecunias, quas dilatandæ impietati profunderent, ſuæ inſaniæ adminiſtros ex exteris provinciis advocare, qui etiam exoricos adveherent errores, famulos aſſumere ſinceræ fidei, quibus ſuæ pravitatis adminiſtrarent pocula, pupillos ſanctæ religionis & orbos parentibus alere, quos ſui morbi contagione inficerent. Hæc aliaque multa ejuſmodi aggredi ad im-

pietatem latiùs propagandam. Tu ſacerque conventus Epiſcoporum his obviam ire decreviſti, & indomitam hæreſis refrænare licentiam. Placitum eſt ad cohibendam perniciem regiam advocare auctoritatem, & nomine Gallicanæ Eccleſiæ de his ad Regem rogationem ferre. Rex ſapientiſſimus hæc animo ſecum conſiderare, reputare ſæpiùs, quæ hæreſis vulnera Eccleſiæ & Reipublicæ inflixerat, mederi quibuſdam malis: ſed majora meditari, opperiri ad perimendum monſtrum opportuna tempora: ut quod inter domeſticas turbas, & motus inteſtinos ortum & vires acquiſiverat, compoſitâ pace interitum & finem acciperet.

Hæc adverſus apertam profeſſamque hæreſim in comitiis feliciter agebas. Neque minore ſtudio fidem defendiſti adverſus gliſcentem novitatem. Innocentius X. PP. rogatus à Gallicanis Epiſcopis quinque propoſitiones è libro Janſenii proſcripſerat; ejus diſcipuli pudore defenſæ pravitatis, & propugnati ſcriptoris, quem ſummus Pontifex condemnaverat, variis artibus eludere condemnationem conati ſunt; dicebant damnatis propoſitionibus etiam rectum, ſanumque ſenſum ſubeſſe, in quem non caderet animadverſio: addebant percuſſa anathemate capita in Janſenii ſcriptis non reperiri, ejus porrò doctrinam non aliam eſſe ab eâ, quam ſanctus Auguſtinus docuit, & univerſa prædicavit Eccleſia. Gallicani Pontifices os audaciamque hominum non tulerunt, quippe qui pontificiæ conſtitutioni vim & auctoritatem detraherent.

Super eam rem plures Pariſiis habiti ſunt conſeſſus Epiſcoporum, tibi etiam, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, cum aliquot aliis Epiſcopis inquirendi in Janſenium demandata provincia eſt: neque ea res tibi ardui laboris fuit. Jamdudùm ille auctor à te animadverſus & notatus fuerat; tu igitur ſtatim ſubire libri receſſus, ubi error deliteſcebat, tu illum indicare, illum excutere, & in conſpectum dare; tu variis modis illius doctrinæ peregrinitatem oſtendere cœpiſti. Tùm palàm fuit tantùm illius auctoris opiniones à ſanâ ſancti Auguſtini doctrinâ differre, quantùm ad eas accedere & ſimilitudine iis referri viderentur, quas ſummi Pontificis proſcripſerat auctoritas. In eam itaque diſceſſum eſt ſententiam libro Janſenii damnata quinque capita comprehendi, quod etiam Alexander VII. PP. decreto confirmavit. Summi Pontificis auctoritas, Gallicanorum Antiſtitum amplitudo, Cleri Gallicani reverentia, neque

motos fluctus componere, neque potuerunt animorum frangere contumaciam.

Sedebas Præſes in comitiis, cum decretum eſt, ut omnes clerici decreto ſubſcriberent, & id pariter à ſummo Pontifice conſtitutum eſt, formulaque inſuper adjecta eſt, cui clericus quiſque ſubſcribere juberetur, & qui abnueret, legibus ſubjiceretur canonicis. Omnes fermè obtemperare, pauci refragari. Id temporis rem præclaram & tuæ congruam dignitati & Eccleſiæ utilem feciſti. Moleſtum erat in viros magni in Eccleſiâ nominis agi ſummo jure, qui præſertim dicerent ſe acquieſcere quæſtioni de jure, ſed in quæſtione de facto hæſitare. Placuit hæc diſſidia diſpenſatione chriſtianâ componi. Igitur, qui partes Janſenii tuebantur formulæ ſubſcribunt eo ſenſû, qui quidem rectus & planus videretur, ſed quem etiam trahere in ſuam ſententiam poſſent; verumtamen ejuſmodi ſubſcriptio Romæ rejecta eſt. Spes pacis omninò adempta videbatur, cum tu, qui errorem quidem perimi, homines emendari & ſervari volebas, Regis optimi mandatis excitatus negotium conficere inſtituiſti: adiviſti partium principes, his perſuadere ſaniora adortus es, tantùmque rationibus & auctoritate apud eos valuiſti, ut declaratâ expreſſiùs ſententiâ eorum ſubſcriptio Romæ admitteretur, ſic inter ſævos turbines, & inter graves Eccleſiæ procellas, tanquam felix aliquod ac benignum ſidus inſperatò affulſiſti, & cum res perditæ & conclamatæ viderentur, ſubitò pacem nobis attuliſti & ſerenitatem. Ex his omnibus, quæ retulimus quiſque intelligit, te his virtutibus & his eſſe præditum ornamentis, quæ magnum Pontificem & ſapientiſſimum Præſidem decent, te digniſſimum eſſe eo magiſtratû, quo nullus major in Eccleſiâ Gallicanâ eſt: te factis exæquaſſe Regis maximi judicium, & parem fuiſſe exiſtimationi Cleri Gallicani, qui cum te augere honoris amplitudine non poſſet, fecit, ut ſæpè repetitis honoribus altiùs increſceres.

Ingens tibi hoc ſplendidumque laudis argumentum eſt, quod diſſidentes animos, qui auctoritate vinci non poterant, tuâ induſtriâ, & bonis artibus ad unitatem & concordiam reduxeris: ſed hoc non minus laudabile, quod Eccleſiam Pariſienſem jam plures annos adeo tranquillè & placidè adminiſtras, ut, etſi in gerendo nulla tibi eſt requies, rem tamen gerere magis in otio videaris, quam in negotio, domi foriſque, rure & in urbe, ubique ex immenſâ hominum multitudine conflata

Eccleſia pacatiſſima eſt. Incredibilis eſt eccleſiarum & monaſteriorum concentus; ſtudet quiſque paribus animis, paribuſque votis rem Eccleſiæ promovere, & quemadmodum grex ſuis diviſus ſeptis libens ſui cujuſque paſtoris vocem audit, ſic quiſque paſtor gaudet tibi morem gerere, præſtat ultrò obſequium, quod ab aliis recipit, & quiſque prudenter agit & moderatè, quia te videt in rebus modum tenere, nec te uſquam extra æqui juſtique fines excedere, omnes ſcilicet hanc, quam exprimis regiminis formam, conantur æmulari. Si quis fortè aliquo animi vitio laborat, ſi leve malum ſit, nec inſanabile cautè medicinam paras, caveſque inprimis, ne malum curatione ingraveſcat. Si opus eſt inciſione, dolet quidem id tibi; ſed ne pars ſincera corrumpatur ferrum adhibes, ægrè tamen & rarò, hoc verò eâ tractas induſtriâ, ut membrum ex tabe magis & putredine ſponte excidiſſe, quàm exciſum eſſe videatur. Hæc agis tacitùs & ſine ſtrepitu, nè dum morbis & vulneribus mederis, & Eccleſiæ ſanitati conſulis, ejus honori quidquam detrahas & dignitati. Collegia canonicorum, monachorum & virginum aſceteria, ad pacem retinendam, & conſulendum Eccleſiæ commodis tecum conſpirant, illi omnes te venerari, ut decet, & perindè ac reliquus grex tuam audire vocem, tuis obſequi mandatis: tu illos diligere, illos fovere, illos, ſi opus eſt, gratiâ & auctoritate adjuvare: neque illi ſua tibi objectare privilegia ſolent: neque tu hæc temerare aggrederis. Illi, ut priſcâ ſolebant ætate, ſub tuis auſpiciis ſuas ordinare familias, tu inter illos partiri opera, nec tanquam mercenarios, aut extraneos, ſed tanquam municipes ac domeſticos in partem officiorum aſſumere; tu pacis & otii turbatores tollere, inertes excitare ad laborem, jacentes & animo fractos erigere. Sæpiùs te vidimus tuis incluſum conclavibus totos dies evolvendis, perlegendiſque chartis terere, ut eorum res lapſas reſtitueres, reſarcires diſcerptas, ac perditas & diſſolutas ad priorem formam revocares. Jure itaque & meritò, quod ipſi audivimus, tribuum aliquot, & familiarum principes, te patrem ſuum, te vindicem ſuæ gentis, aſſertoremque familiæ magnis vocibus prædicabant.

Dum in eum, quem diximus modum Eccleſiam pacatè & feliciter regis, ipſe Clerum publicè docere aggreſſus es, ſatis tibi non fuerat vigilantiam paſtorum veterum æmulari, eam etiam vincere tibi decretum eſt. Illi utique vitæ æternæ pabulum

gregi ſubminiſtrare, illi ſolebant ambonem conſcendere, plebem alloqui, homilias agere, morum & fidei tradere documenta, invehi in corruptelam, & dicto hæreſim profligare. Hoc quidem præclarum eſt, & à te jam antea magnificè præſtitum; ſed hoc majus eſt, quod aggrederis, & vix antiquis Præſulibus uſitatum, clerum ſcilicet erudire, qui alios doceat, & magiſterium ſacræ diſciplinæ in ipſos docendi magiſtros exercere. Quanti verò id æſtimes hoc opus ſuſcipere Lutetiæ Pariſiorum, ideſt in ipſo diſciplinarum domicilio, quo loco nullus eſt in orbe doctrinâ clarior, nullus doctorum hominum numero & celebritate nobilior eſt; tu tamen inter immenſas tui miniſterii curas, hoc munus aſſumere non dubitaſti: & quod alium quemvis deterreret loci & audientium fama, hoc ipſum te & ingenii & doctrinæ ſecurum vehementius excitavit. Agendis collationibus aulam capaciſſimam ſelegiſti, adſciviſti tibi ſocios doctrinâ & eruditione præſtantes ex majore Eccleſiâ, ex numero Preſbyterorum, qui baſilicis præſunt, & ex magiſtris Sorbonicæ domûs, qui omnes erant & honoribus Eccleſiæ, & titulis doctrinæ decorati; hujuſce conſeſſus Præſidem egiſti: ſi is non fuiſſes, qui ex tui muneris amplitudine hunc honorem meruiſſes, certè ex magnitudine mentis tuæ, ex ſummâ & ſingulari tuâ doctrinâ, eximiâque facultate dicendi hunc eſſes conſecutus. Ubi rumor increbuit per civitatem dicturum te publicè & ſollemniter; præſtantiſſimi quique doctrinâ & dignitate ad ædes Archiepiſcopales advolare, ut te audirent, quinetiam Abbates & Epiſcopi ſcientiâ & eruditione clari eodèm pariter confluere, eaque audientium celebritas fuit, ut vix multitudinem caperet ampliſſima exedra, ubi in modum amphitheatri per gradus digeſta erant ſedilia. De præceptis divinis, eorumque diverſis ſpeciebus collatio erat, ad latus tuum adſidebant viri clariſſimi, quos tibi ad loquendum ſocios adjunxeras. Illi primùm exordiri, & doctis eruditiſque ſermonibus argumentum proſequi ſolebant. Tum quiſque his attendere, & hæc æquis excipere auribus, gravitatis & eruditionis plenus erat eorum ſermo, argumento nihil addi poſſe videbatur; gratum erat viros doctrinæ haud vulgaris audire; ſed dolebamus, quod tibi præripi palmam ſineres, quod nihil tibi dicendum ſupereſſet, quod non dictum priùs, dolebamus, quod inculcata dictorum repetitio tuæ non congrueret dignitati, & noſtræ non ſufficeret expectationi. Sed haud diù

d iij

nos tenuit anxios iſthæc ſollicitudo; ſtatim atque locutus es, tu omnium animos aliò traducere incepiſti, & quotquot aderant in tui admirationem concitare. Tu nec inculcare, quæ dicta fuerant, nec idem iter inſequi, quod tenuerant: ſed latam illuſtremque viam ad dicendum ipſe tibi aperire, ipſe orationem argumentis inſtruere, quæ ex ſacris paginis hauſeras, quæque ſolebas veteribus Eccleſiæ documentis confirmare, & patrum fulcire ſententiis; ea verò ità verborum concinnitate exornare, ut dubium eſſet utrùm doctrinâ, an eloquentiâ prævaleres? eo tamen diſcrimine, quod hæc nata tibi & ingenita, illa labore improbo, & aſſiduis acquiſita lectionibus videretur. Admirabantur, qui te audiebant, quomodo in tantis occupationibus non intermiſiſſes ſtudia doctrinæ: quomodo inter tot curas & negotia, ſollicitas inter allocutiones, ſalutationeſque honorificas, longas periodos è ſanctis decerptas Patribus, longam argumentationum ſeriem retinere memoriâ, & dicere tibi promptum paratumque eſſet: quomodo priſcos chriſtianorum mores ab origine deducere, annotare uſitatam per varias ætates diſciplinam, referre, quæ detrimenta variis temporibus paſſa eſſet, quæ ſubindè adhibita ad eam reſtituendam remedia; quomodo poſſes ex ordine memorare receptas in diverſis Eccleſiis conſuetudines, & celebratam apud doctiſſimum quemque ſcriptorem morum normam, & vitæ ordinandæ rationem. Cumque hæc haud hæſitanter diceres, oſtendebas te non heri, aut nudiùs tertiùs, ſed jam diù his eſſe imbutum, quæ longo ſtudiorum uſu, & aſſiduâ rerum exercitatione jam olim paraveras. Quiſque intelligebat, te non hoc modico, quod inter collationis cujuſque diem erat, ſpatio, id didiciſſe, quod diceres, ſed te facilè & fideliter hoc dicere, quod dudùm animo imbiberas; te promere celeriter, quod mente, tanquam locuplete penu, clauſum ac reconditum retinebas: ex his, quæ dicebas perſpectum erat omnibus & exploratum, te in Patrum ſcriptis eſſe verſatiſſimum, quippè qui loca non referres curſim lecta, & raptìm collecta: ſed diligenti examine & ſeriâ meditatione expenſa; id apertè ſignificabas, cum ex præcedentibus & ſequentibus ſententiis ea clariùs explicares: cum falſum adulterinumque ſenſum, quem quidam perversè exponebant, ex aliis ejuſdem ſcriptoris locis rejiceres; cum allatas ab iis, qui primùm locuti fuerant, ſententias, novâ interpretatione, noviſque ex tempore illuſtrares ſententiis. Nobis

hæc cernentibus apparebat non modò ſententias aliquot tibi cognitas eſſe, ſed ipſos libros integroſque codices à te perlectos accuratè atque animadverſos eſſe diligenter; quid enim aliud nos ſentire oportebat, cum unius ſententiæ expoſitione, unius auctoris ſcientiam exprimebas. Cum loquebaris, quiſque ſe continebat, cavebatque, ne quid eorum, quæ dicebas excideret. Inter hæc tamen blandi leneſque audiebantur applaudentium ſuſurri, tacitæque naſcebantur admirationes, quæ tamen, ut finieras, foràs erumpebant; ſtatim enim quiſque tibi apertè gratulari, publicè applaudere, & coràm fateri te tantùm aliis doctrinâ & eloquentiâ præcellere, quantùm alios dignitate, & honoribus præcederes.

Collationis habendæ hanc rationem ſecutus es. Unus ex his, quos tibi ſocios adjunxeras, argumentum & controverſiæ ſtatum exponebat, & de eâ ſolebat eruditè diſſerere; ſuccedebat alter, qui eamdem quæſtionem breviter retractabat, librabat ille pondera & momenta rationum, allatiſque compluribus argumentis eas oppugnabat; inter loquendum ſolebat admiſcere multa, quæ ad mores Eccleſiæ, & Eccleſiarum inſtituta pertinebant; hæc omnia doctè pertractata, alii, qui ſequebantur excipiebant, & multiplices perplexoſque difficultatum nexus admirabili ſolertiâ diſſolvebant. Illi ex decretis ſummorum Pontificum, ex Patrum verbis & argumentis Doctorum pugnabant, & quæſtionem pluribus ſtabilire nitebantur. Tum, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, ad loquendum adſurgebas, tuque omnia novè non modò, ſed nova etiam referebas; hæc quidem nova, quia indicta, nec priùs uſurpata ab his, qui te dicendo præceſſerant; antiqua tamen, & quæ erueras ex ipsâ Eccleſiæ vetuſtate, quæ ad patrum ſcita & definita majorum concludebas.

Sed nec aliorum officium, ſi res poſceret, agere recuſabas. Quidam eorum, qui tecum adſidebant, & ad quem exordiendæ collationis munus ſpectabat, in morbum incidit; in locum ægri ſubrogari aliquem, aut in alium diem differri collationem oportebat. Tu ne prorogatio moleſtiam faceret, ſupplere aggreſſus es, unus, aut alter dies ad dicendum ſupererat; nihilominùs inter negotia ſacri magiſtratûs uno die bis dicere tibi decretum eſt, & tuum, quod tibi impoſueras, munus exequi & alienum. De ſimoniâ erat controverſia; malum hoc, quod ſæpiùs Eccleſias afflixit, retuliſti, rem ab ipsâ origine pertractaſti. Pri-

mam mali labem indicaſti, excurriſti per ætates & regiones, quas afflixerat, varias hujuſcè morbi ſpecies expoſuiſti, ac demùm allata diverſis temporibus contra malum remedia memorare dignatus es. Sed inprimis tibi in pretio fuit dicere, quæ noſtrates ad cohibendam vim morbi feciſſent: quemadmodum malum hoc olìm induſtriâ octoginta Epiſcoporum Pariſiis ſub Chlotario Rege curatum eſt: ſed cum paulò poſt vulnus recruduiſſet, Audoëni & Eligii meminiſti, qui cum Bathilde Reginâ hiantem cicatricem obduxerunt; cumque vis morbi iterùm ſuccreviſſet: tu revocaſti in memoriam tempora Pippini Regis, ſub cujus principatu in palatio Vernenſi adverſus morbum inſanabilem ſeverè ſancitum eſt; dicebas, quid Carolus Magnus ad perimendum monſtrum hoc, Leoni III. ſummo Pontifici ſignificatum eſſe voluiſſet: quid decretum in celeberrimis Conciliis Pariſiis & Aquiſgrani ſub Ludovico Pio? quid Piſtis ſub Carolo calvo? quibus in locis, quæ ſtatuta Chalcedone fuerant ſuffragiis noſtrorum Epiſcoporum renovata ſunt: ſed quid potiſſimùm graviſſimi horum temporum auctores Hincmarus & Paſchaſius in eam rem ſcripſerunt; tùm ultrà proſecutus veniſti ad difficillima Eccleſiæ tempora, ubi corruptæ leges Eccleſiæ, venditæ publicè res ſacræ, data auro ſacerdotia, Synaxes inſtar nundinarum habitæ, redemptiones altarium, ſicut feudorum factæ, allecti paſſim ad ſacrum miniſterium, non qui plus virtutum; ſed, plus numerarent pecuniarum; tu enumeraſti deindè egregios eccleſiaſticæ diſciplinæ vindices, Gerbertum, qui poſteà ſummus Pontifex fuit, Fulbertum & Ivonem, Robertum de Arbriſellis & Bernardum Tironienſem Abbatem, alioſque, qui morum integritate clari, & eccleſiaſticæ ſeveritatis tenaces, dictis ſcriptiſque, tanquam telis hanc perniciem depellere conati ſunt; referebas complures loco pulſos eſſe, quem occupaverant pretio; ſuis muneribus & officiis excidiſſe, quæ obtinuerant pecuniâ, & his ſpoliatos bonis, quæ pravis quæſierant artibus. Addidiſti nihil plus ad recidendum malum valuiſſe, quam frequentes Synodos celebratas Lugduni, Cabilloni, Rotomagi, Pictavis, apud Clarum-montem, Toloſæ, Remis', quibus in locis ſacrilegæ illæ nundinationes, pœnis canonicis coërcitæ ſunt. Longior ſim, ſi memorem, quæ poſteriorum temporum auctoritas tibi ſuggeſſit; recordatus es inprimis anteceſſorum tuorum, qui editis decretis longè hanc teterrimam peſtem eliminarunt. Mirabamur, quod hæc omnia tibi

Digitized by Google

tibi venirent in mentem, & ea, ubi maximè proficere & valere poſſent, tam expeditè collocates; imparatus veneras ad dicendum, nulla meditationis erat ſuſpicio, par tamen diligenti & accuratæ orationi loquendi elegantia fuit, & in diſſerendo mira rerum & ſententiarum explicatio. Sed hæc oratio tanta quanta fuit, non prohibuit, quominùs iterum tuo more dicetes, & collationi finem imponeres; iterum igitur dixiſti, neque eorum copia, quæ primùm dixeras, te jejunum poſtea & inopem fecit: ſed ſicut primùm, ità ſecundò locutus es, idem ſonus vocis fuit, eademque firmitas laterum, & par ſermonis ubertas, ſed diverſa ſententiarum & argumentorum ratio, diſſimiliſque de eâdem re dicendi materies fuit. Quando dicebas te tecum conferre nobis placuit; verum ſeu primo, ſeu poſtremo diceres loco te magnum ubique, & ubique te tui ſimilem invenimus, & ſemper aliis magnitudine rerum, & majeſtate orationis longè diſſimillimum. Sic ſtudia litterarum, quæ Regum capitularia in epiſcopiis, ſeu in domibus Epiſcoporum fieri juſſerant, ad ædes Archiepiſcopales poſt longos annos reduxiſti, neque puduit Academiam ſuos ortus reviſere, & jam annis grandævam, & apprimè diſciplinis omnibus imbutam, repetere ſua incunabula, & te magiſtro addiſcere rectam Eccleſiæ diſciplinam, ut ſuos & aliorum mores ad honeſtatem informaret. Sic clerus Pariſienſis tuam vocem audiebat, & tuo innutritus pabulo à te copiosè recipiebat, unde gregem paſceret; provinciæ paritet, quas tui nominis tuarumque collationum famâ impleveras, per eos, qui te Pariſiis audierant inſtitui ſe vehementer optabant, ut documenta, quæ tradideras, ſi non à te, tua certè ab aliis perciperent, hocque modo ſuæ abſentiæ dolorem ſolari, & utcumque damnum reſarcire conſueverant.

Dum cleri inſtitutioni conſulis, & rebus eccleſiaſticis exponendis operam ponis, fidei & religionis promovendæ negotium ſtudiorum curſum ſubitò abrumpit. Hæreſis patrum noſtrorum ætate regni provincias infeſtare cœperat; eóque proceſſerat, ut impietatem, quàm tranquillè aſſerere non poſſet, vi & armis adſtrueret. Reges anteriores necquidquàm ad eam evertendam, omnes vires inſumpſerant. Illa enim inter factiones regni tantum roboris acquiſivetat, ut quæ priùs occultè & clanculùm, poſtea publicè & palam ageret, extrueret conventicula, impias Synaxes facetet, & ſuæ falſitatis deligeret præ-

e

cones; cogeret Reges ſibi erigere bipartita tribunalia, dare ſibi ad ſecuritatem urbes munitas, jura civitatis concedere, & civilia quæcumque munia ſibi permittere. Ludovicus Juſtus jam illi nervos ſucciderat, & deſtructis propugnaculis ejus vires obtriverat.

Verùm Ludovicus Magnus partâ ubique pace illam, quæ inter diſcordias creverat, tollere penitùs inſtituit. Primùm quidem ſenſim ejus vires debilitare, deſttuere conventicula, quæ privatâ auctoritate hæreſis conſtruxerat, bipartita judicia abolere, illam exigere ex foro, ex militiâ, ex aulâ, ex comitatu, ac demùm illam omnino profligare, revocare hoc edictum ſollemne, quod olim Namnetis Rex Henricus Magnus ſcripſerat, & quemadmodum unius Dei cultus in Galliis erat, ità unius religionis obſervationem impetate, & quemlibet hæreticum cogere aut impietatem deſerere, aut patriam. Hæc Rex cum faceret, tuo inprimis uti miniſterio, teque in conſortium conſiliorum & laborum aſſumere. Tu ſolebas de ſtatu provinciatum exquirere, ut ſcires, quis ſtatus eſſet religionis: ſciſcitari, quot in quâlibet provinciâ impietatis conventicula, quot hominum damnatæ Synaxes, quot perverſæ doctrinæ magiſtri, qui vellent ſanari, qui nollent? De his ad Regem referebas; ille edictis & auctoritate agere, tu ingenio & induſtriâ: ille nihil ſumptibus & impenſis, tu nihil curis & laboribus parcere; mittebas in provincias ad Antiſtites operarios doctrinâ & moribus præſtantes, qui pravitatem convellerent, Rex illis annonam ſuppeditabat: tu inprimis procurabas, ut nefandi dogmatis libri flammis abſumerentur, Rex è fiſco ſubminiſtrabat, unde pios & orthodoxos ſufficeres: tu magiſtros & miniſtros pravæ ſuperſtitionis rationum vi, & argumentorum pondere ad ſaniorem ſententiam revocabas, Rex ſtipendia illis decernebat; nullum Rex Chriſtianiſſimus dignius impendii genus reputabat, quam, quod erogatur in ſalutem civium, & in religionis augmentum: tu tuo negotio & tuæ exiſtimabas ſolertiæ ſatis eſſe datum, ſi quod detractum fuiſſet ſuperſtitioni, hoc ſacris noſtris accreſceret. His bonis artibus multa hominum millia ad ſanitatem redierunt, alij è finibus regni ejecti ſunt, ne ceteri eorum contagione corrumperentur. Quidquid id eſt, his monſtris purgata eſt Gallia, quæ antiquitùs non alebat, quæque poſtmodùm non aluit, niſi invita, & quæ tandem, cum liberum fuit, aut extinxit, aut ejecit.

Dum hæc foris aguntur, domi otium non erat: nam dum aliis provides, & gnaviter rem agis tuam, & tuæ Eccleſiæ benè conſulis; hoc illi magnificum & felix accidit, quod avitæ ſemper tenax religionis fuerit: eam ſcilicet, quam olim Dionyſius fidem tradidit, etiam hodie retinet: neque illam aliàs ab eâ vel latum unguem deflexiſſe, aut perverſi dogmatis labe infectam fuiſſe, aut ſchiſmate ſciſſam accepimus; unus grex & unum ovile ſub ûnius paſtoris cuſtodiâ ſemper fuit. Patrum noſtrorum memoriâ magnis laboribus longè à ſe Calvinianam peſtem avertit, verumtamen hæreſis, quæ provincias, & regni civitates peſſimè afflixerat, etiam in metropolim Galliarum clanculùm irrepſit, & virus ſuum evomens, quædam illius civitatis membra corrupit, & poſtmodùm, ut erant ea Reipublicæ tempora, obtinuit, ut palam faceret ſuæ impietatis miniſtros, & conventiculum, ſi non intrà muros, certè haud procul ab urbe extrueret. Rex tuis & aliorum uſus conſiliis, monſtrum opprimere ſtatuit, quod turbidis rebus caput erexerat; conventiculum deſtrui jubet, magiſtros erroris, aut deteſtari perfidiam, aut foràs ire imperat.

His geſtis tu cogere diſſipatum gregem, & oves diſperſas ad ovile revocare inſtituiſti, & ut conſilium perficeres, ſelegiſti operarios in urbe religione & ſcientiâ clariſſimos, qui tuis inſtructi monitis, & tuis muniti mandatis, eò pergerent, ubi morbus ſæviebat, & quò ire aliàs vis morbi eos prohibebat, illi cum iis conferre, qui noxiis imbuti poculis medicos antea & medicinam reſpuerent; illi circuire domos, & meliora iis perſuadere, quos hæreſis infecerat, & pluribus reddere ſanitatem. Tu ſolebas ad Eccleſiam redeuntes excitare, nutantes præclaris fulcire documentis, & contumaces graviſſimis dictis caſtigare, & ſuam illis ſuorumque Patrum exprobrare defectionem. Utilis illa & glorioſa Eccleſiæ Pariſienſi expeditio fuit; complures enim, quos parentum ſuorum culpa magis, quam ſua in vitium traxerat, ejuratâ perfidiâ ad ſigna catholica reverſi ſunt; multi, quos Patrum ſeceſſio ab Eccleſiâ ſubſtraxerat, ad baſilicas & aras noſtras ſupplices confugerunt, & execrati impietatem, quam cum lacte hauſerant, ultrò fidem noſtram confeſſi ſunt. Incredibilis eâ tempeſtate tua vigilantia fuit; tu enim rebus omnibus & omnibus perſonis providere: tu brevi omnia hæreticorum latibula detegere, tu familias omnes, quas virus erroris corruperat agnoſcere, uni-

verſorum & ſingulorum ſenſus & cogitationes reſcire, qui obduratâ ad reſiſtendum mente, qui inclinatâ eſſent voluntare ad reſipiſcendum; quibuſcumque offerebas idoneas conſequendæ ſalutis opportunitates; conſulebas puellarum vitæ & honeſtati, quas parentum ſuorum contumacia de ſancto propoſito dimovebat: mulieres, quas virorum impotentia in perfidiâ detinebat, regiâ auctoritate ad amplexandam fidem adjuvabas: viduis & pupillis, quos hæreſis ſanctæ æmula religionis alebat, victum aliaque vitæ tolerandæ ſubſidia curabas miniſtrari: viris ipſis opem ferre conſueveras, prout rerum temporumque neceſſitas poſceret. Sed quod majoris erat negotii, ipſe multum laboris impendebas Optimatibus inſtituendis, quos injuria malorum temporum in errorem induxerat, dies totos inſumebas maculis eluendis, quas hæreſis eorum animis impreſſerat; cum his diligenter diſcutiebas graviſſima quæque rationum momenta, quibus rectam fidei doctrinam aſtruimus, omniaque mendaciorum genera, quibus magiſtri falſitatis ſuum errorem diſſimulant. Tu illos hortabaris, ut animo conſiderarent, an ſecta nomen religionis mereretur? illa ſcilicet, quæ ex defectione orta eſt, quæ inter turbas & domeſticos tumultûs ex ſcelere & audaciâ æſtimationem acquiſivit; an potius illa vera ſinceraque religio eſſet, quam omnes ætates, omnium Eccleſiarum conſenſûs, quam omnes, qui olim aut doctrinæ, aut ſanctitatis laude floruerunt, ſemper profeſſi ſunt, & quam integram illibatamque Apoſtoli per continuaras Epiſcoporum ſucceſſiones ad nos tranſmiſerunt. Hoccine, inquiebas, reperies in contumaciâ & factione quorumdam hominum, qui nuper ab Eccleſiæ unitate defecerunt, qui nihil reveriti, neque priſca majorum noſtrorum inſtitura, neque tor ſæculorum præjudicia, neque teſtimonia tot ſacerdotum, neque virorum ſapientiſſimorum judicia, antiquam ſacrorum religionem abolere, nova inſolitaque ad arbitrium confingere, & ad libidinem omnia permiſcere adorti ſunt. Inſuper perennem Eccleſiæ Pariſienſis oſtendebas integritatem, quæ, quod ab initio percepit, ſemper tenuir, quæ nullâ hoſtium vi, nullâ novitatis fraude vinci ſe, aut falli uſquam paſſa eſt, ſed depoſitum ſanctum, quod primus hujuſce Eccleſiæ Sacerdos tradiderat inviolatè cuſtodivit. Tum pro ſingulis, in quibus à nobis diſſidebant, articulis cum iis decertabas: prolatiſque ſanctorum Patrum expoſitionibus, docebas puros ſacrorum codicum fontes

peſtiferâ interpretatione eſſe inquinatos. Sic agebas cum ovibus tuis, ut eas revocares ex diverticulis, in quibus diſperſæ in die nubis & caliginis erraverant; de terris deſertis eas inducebas in terram ſuam, ut eas in montibus Iſraël, in paſcuis uberrimis paſceres. Omnia providi paſtoris exercebas officia; tu requirebas, quod perierat: reducebas, quod dehiſcebat: ligabas, quod confractum: & quod ægrum, quod infirmum erat tuis fomentis & tuâ curatione ad ſanitatem redibat. Nihil Ludovico Magno magnificentius, nihil tibi honorificentius fuit. Hæreſis ſcilicet, quæ armis & regiis exercitibus reſtiterat, quæ contra conjuratas acies, multos annos ſuam defenderat perfidiam, maximi Regis dicto & auctoritati; vigilantiſſimi Paſtoris ſolertiæ & ingenio ceſſit.

Dum ſanandis Eccleſiæ vulneribus vehementiùs indulges, ipſe in morbum graviſſimum incidiſti. Febris acerba te immaniter vexare cœpit, quæ brevi tuam vitam ad ſummum diſcrimen adduxit; ad periculum commoveri civitas Pariſienſis, omnes ſtatim te ſpectare, cum deficeres. Aliàs quidem, cum præclaris præditus ornamentis, undecumque colluceres, nos quidem te intueri, ſed tanti hanc lucem, quâ refulges, æſtimare non fuit, quam haurire cuilibet, & ut libet licebat: ſed quando propè fuit, ut lux tua cum vitâ defineret: tunc ut ingenium eſt hominum, qui maximè ſua bona norunt, cum dilabuntur & pereunt, omnes enumerare tua merita, quiſque in cœlum tuas extollere virtutes, tuam vitam deplorare, & lamentari Eccleſiæ & Reipublicæ damna: cives excurrere per plateas, & alternas febris acceſſiones & deceſſiones ex ſe invicem ſciſcitari, ſubire in baſilicas; clerici ante aras ingemiſcere, & à Deo immortali precibus & votis tuam expoſcere ſanitatem. Ipſi Regi tua valetudo curæ fuit, ille inter regni negotia tui ſollicitus erat; Rex magnus, qui omnibus metuendus eſt, & qui nihil metuere ſolet, tibi metuere cœpit, & tuo trepidare periculo; ille ad te mittere dignatus eſt, qui te ſuo nomine inviſerent, & hâc doloris teſtificatione, tuum ſolari dolorem, & mali acerbitatem mitigare; Proceres, qui plus honoribus in aulâ fulgent, benevolentiæ & amoris ducti affectû, pariterque Regis exemplo incitati, confertim & ipſi mittere nuncios ad ædes tuas, ut de morbi ratione exquirerent. In aulâ non modò, ſed quiſquis auctoritate & dignitate in urbe regiâ pollebat ad te ſimiliter properare anxius quiſque,

an febris æſtus decreſceret, & ſe ſe vis morbi remitteret? Eheu, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, propè de ſalute tuâ conclamatum eſt. Tui quod ſine lacrimis non viderunt, nec ego rememorare poſſum te exanimi ſimillimum conſpexerunt, illa divinæ linguæ facundia penitùs obricuit, vultûs & oculorum decor decidit, jacebas decolor, ſenſûs expers & ſpiritûs expulſaque anima foràs effugere videbatur; ſed fortiùs reſtitit, indignata ſe dimoveri è loco, quem tamdiu virtutis & gloriæ domicilium feciſſet. Immò cum ſpes ſalutis abſciſſa crederetur: ecce inſperatò redit ſpiritus, & paulatim ſe ſe ſenſus prodidit, apparuitque Deum eſſe præſentem, & numen exoratum, reque votis omnium, & populi conclamationi redditum eſſe. Publica tunc exultatio fuit, & par dolori lætitia; par itidem dolentium numero, tibi ſanitatem gratulantium concurſus, qui in ædes tuas confeſtim confluxerunt, qui te viſerent, qui te cernerent oculis, & quaſi renatum & redivivum admirarentur. Ut dulcius poſt tempeſtatem ſerenum eſt, ſic gratior fuit intermiſſa morbo præſentia. Tu me his diebus admittere in domum tuam dignatus es, cum adhuc impreſſæ ori oculiſque mali ſævientis notæ ſupererant, recentia adhuc conſpiciebantur in vultû, in motû, & in inceſſû indicia periculi, quod timueramus, & quod evaſeras; illibata tamen erat vis animi, integraque oris & capitis dignitas remanſerat, eamdem, quæ fuerat priùs, comitatem, affabilitatemque deprehendimus: tu nos complecti, tu nos deoſculari, hæcque eò libentiùs faciebas, quod verè & ſincerè gratulantibus ſcires, hoc te grati animi ſpecimen dare. Neque multopòſt te in conſpectum omnium tradidiſti, & ſicut antea ſolebas, majora pertractare negoria adortus es; neque perſuaderi potuiſti, ut otio & quieti indulgeres, aut ſaltem oneris partem in aliorum humeros transmitteres, ſicut antea rem ſolus agere, regredi ad priſtinos labores haud veritus es, & palàm oſtendere te, ſicut olim exiſtimaveras, datum, ita te id temporis, non tibi, ſed Eccleſiæ, & Reipublicæ eſſe reſtitutum, ut utriuſque commodis, & utilitatibus inſervires. Deus Optimus & Maximus, tibi addat animos, & tuis faveat conſiliis & laboribus, ille tuis curis & negotiis conficiendis vires ſufficiat, ille tibi opem ferat, dum Eccleſiæ promovendæ te totum addicis, dum nihil tibi parcis, & ne momentum quidem temporis ſine operâ & negotio ſinis effluere; illum enixè precamur & continuò precabimur, ut hanc

tibi ſervet voluntatem, ut diutius hanc agendi poteſtatem tibi faciat, & Eccleſia Pariſienſis ſub tuis diu militet auſpiciis; & te auſpice felix, ſicut antea, ita & impoſterùm plures de novitate, de hæreſi, & de licentiâ temporum referat victorias.

Ex his omnibus, quæ dixi apparet, quam præclaro præſtantique ornatus ſis ingenio; nihil profectò tam arduum, quò non pervadat! nihil tam complicatum, quod non evolvat! nihil quamvis multiplex & immenſum eſt, quod confeſtim non capiat: hoc in privatis, hoc in publicis conſeſſibus experimento didicimus; cùm tu doctè & eruditè exponeres perplexas fidei & doctrinæ diſputationes, cum acie mentis illuſtrares impeditiſſima quæque auctotum loca, cum in negotiis & judiciis legum nodos mirâ celeritate aut diſſolveres, aut præcideres. Vidi ego & admiratus ſum ſæpius, cum in difficillimis locis, & ambiguis quæſtionibus, tanquam in ſalebris hærerent viri doctrinâ & eruditione pollentes, tu ſine morâ viam planam hæſitantibus aperires, & tanquam porrectâ manu eos ad rei involutæ notitiam facilè deduceres; cum tu curſim & ſemel lecta, quæque verborum & rerum ambage obſcura viderentur, ſtatim intelligeres, explicares, & pluribus verbis tanquam doctis adornares commentariis. Tuis colloquiis nihil gravius, nihil ſuavius eſt, immò ſi res, aut perſona exigit, nihil doctius & eruditius eſt, dictis ſanctorum Patrum ſermonem ſoles condire, & quodcumque inciderit argumentum, præſto tibi eſt, & quaſi ad nutum parata ſententia; anceps dubiumque eſt, utrùm felicior tibi memoria, quæ materiam opportunè ſuggerit? an firmius judicium, quod aptè & prudenter delectum habet?

Illæ collocutiones nobis oſtendunt, quæ fuerint ingenii tui dotes, ex iis pariter intelligimus, quantùm lectioni appuleris animum, quâ doctrinâ, quâ eruditione præditus ſis. Certum eſt jam te ab initio multum laboris & temporis ſtudiis eccleſiaſticis inſumpſiſſe; tu juvenis in ædibus Sorbonicis agebas, cum ex improbo labore, & indefeſſo ſtudio morbum contraxiſti, corpuſque ita contabuit, ut animus deficeret; & quæ juvenibus fit, ut à ludis, aliiſque voluptatum illecebris avocentur, ea vis tibi illata, ut abſtineres à ſtudio. Poſtea cum Rotomagenſem Eccleſiam regeres, tu ſæpius te ſubtrahebas negotiis, ut ſtudiis vacares, te ſubducebas in Gaillonenſe caſtrum, ut cum ſanctis Patribus, & antiquis ſcriptoribus inires ſocietatem, & tacita

miſceres colloquia; tu te amovebas ab urbium ſtrepitu, & hominum turbâ, ut ſacris Epiſcoporum conſeſſibus intereſſes, ut Concilia & Synodos antiquas relegeres: ut clades & Eccleſiæ victorias ex actis eccleſiaſticis recenſeres. Huc te adibant viri docti, quos tecto & mensâ recipiebas; cum his habebas ſermonem de ſtudiis: cum his ſæpius communicabas, quæ diurna nocturnaque lectio, quæ ſeria meditatio tibi retexiſſet, quid acies animi deprehendiſſet: admirabanturque id à te repertum, quod diu perquirendo non offendiſſent, id à te intellectum, quod aſſequi præclara noſtri temporis ingenia necquidquam contendiſſent: illi tuam comitatem & dulcedinem tui hoſpitii prædicabant, neque eos quantumvis doctos pudebat confiteri, ſe à te doctiores diſceſſiſſe. Jam verò ex quo ad ſedem Pariſienſem advocatus es, tu in hoc litterarum domicilio tanquam fulgidum ſidus illuxiſti. Vidi complures, qui omni diſciplinarum genere erant inſtructi, vidi magiſtros philoſophiæ & theologiæ, novi aliquot, qui in vetuſtatis ſacræ inquiſitione conſenuiſſent, qui addiſcendis Pontificum decretis, legendiſque ſanctorum canonum ſtatutis ætatem conſumpſiſſent, quos ſæpius tuis honorare alloquiis, quibuſcum de variis arduiſque quæſtionibus conferre conſueveras: iique omnes tantùm ingenio & doctrinâ, quantùm auctoritate & loco infra te poſitos ſe agnoſcebant, & in eo, quo quiſque excelleret, te ſuperiorem ultrò fatebatur: hoc reſponſum eſſe honoris causâ crederemus, niſi privata colloquia, publici conſeſſus, eccleſiaſticæ collationes hoc hominum ſapientum dictum comprobaſſent. Cum docti inter ſe diſſiderent, & ſecum invicem decertarent, illi te arbitrum & judicem controverſiarum eligere, illi coram te cauſam agere, & de rebus difficillimis diſceptare: nec abnuebant, quâ eruditione polles, tuo ſtare judicio. Cum mota eſt de auctore libri de Imitatione Chriſti controverſia, duo celeberrimi ordines, inter quos lis agebatur, rem ad te retulerunt, & te Præſide in conſeſſu doctorum hominum cauſam agitare aggreſſi ſunt. Nota eſt contentio orta inter Cointium & Chifletium de annis Dagoberti Regis; cauſa coram te peracta eſt, illi argumentis & rationibus pugnare, illi codices, acta vetera, tabulas & inſtrumenta proferre: tu auditis partibus, expenſis cauſæ momentis, ferre judicium, & ſedare contentionem. Alii, qui libros ſcriberent, aut conciones componerent, hæc opera priuſquam ederentur tuo ſubjecta judicio,

&

& emendata eſſe voluerunt, neque poſtea verebantur id dicere, quod tibi probatum, neque id edere, quod tibi gratum acceptumque fuerat, ex tuo judicio publicum metiebantur. Neſcio, an majus certiuſque aliquod tuæ doctrinæ argumentum ſit? quam his doctorum hominum conſeſſibus præſidere, quam de eruditiorum contentionibus judicium ferre: qui enim de his judex à doctis ſtatuitur, haud dubiè creditur doctrinâ & eruditione ceteris antecellere.

Verùm his ornamentis, quibus inſtructus es, & quæ longo deduximus ſermone, uſus es ſemper ad amplificandam Eccleſiæ dignitatem; hæc à te omnia geſta ſunt, ut imperium Chriſti ornares, & latiùs diffunderes, in his deprehendimus chriſtianas virtutes, quibus refulges, in his cernere licet magnæ pietatis, ſummæ religionis, & ſinceræ fidei manifeſta teſtimonia. Quis enim non prædicet tuam pietatem, quando revocabit in mentem pias doctaſque conciones, quas olim agebas ad populum, & quibus hominum mores ad virtutem & honeſtatem excitabas, cum eruditas illas collationes recogitabit, ubi datâ operâ ex ſanctis Patribus, ex decretis ſummorum Pontificum, ex inſtitutis Eccleſiarum vitæ eccleſiaſticæ & chriſtianæ diſciplinæ tradebas documenta. Quis fidem, quis religionem tuam non efferat laudibus? cum ponit ob oculos tuos triumphos de novitate, tuas de hæreſi & de impietate victorias. Quid verò ſi attendimus ad Eccleſiæ Pariſienſis adminiſtrationem? ubi nihil non ad fidem tuendam, ornandam religionem, & fovendam pietatem, compoſitum & ordinatum eſſe videatur. Tu ſedulus huic regendæ & gubernandæ provides, & ne minimo quidem momento manum à clavo abducis; tu quantacumque populi & Cleri frequentia ſit, huic tamen ſolus ſine miniſterii conſorte, & ſine adjutore proſpicis; tu clericos omnes & Preſbyteros noſti, eos ſuo nomine vocas, & hi tuam vocem audiunt; & ſicut ſingularum Eccleſiarum rebus, ita miniſtrorum omnium actionibus invigilas; tu quoſlibet pœnitentiæ & verbi miniſtros ad te venire jubes, in eorum mores, in eorum doctrinam inquiris, neminemque ſinis ultra rectam vitæ ſemitam, ultra piæ & ſanæ doctrinæ limites evagari; tu merentes verbis non modo, ſed honoribus etiam ad rem benè gerendam excitas, peccantes aut emendas, aut amoves à miniſterio. Quid quod meritiſſimos quoſque ad maxima Eccleſiæ Pariſienſis munera vocas; teſtis eſt illa cele-

bris Eccleſia, ubi complures, qui pietate, doctrinâ, & aliis virtutibus clati ſunt, tuo beneficio & tuo munere dignitates ſunt conſecuti; tu Virginum cœnobiis optimum quemque præficis: hanc Chriſti gregis illuſtriorem portionem tradis cuſtodiendam hominibus, quos ſumma gravitas & conſummata ſapientia commendat: hæ ſub eorum auſpiciis in cœlum viâ inoffensâ enituntur, ſub tuis vigilibus oculis tutæ ſanctitatem corpore & ſpiritu illibatam cuſtodiunt: illæ ſpretis fallacibus ſæculi blanditiis, ea tantummodò, quæ Domini ſunt, ſolent cogitare; hæc recta inſtitutio, hæc ſancta Virginum diſciplina non modo ad eorum laudem & famam pertinet, quos ad earum regimen ſelegiſti: ſed ad te & ad tuam maximè dignitatem amplificandam ſpectat, qui tot cœnobiorum ordinationi, tot Virginum innocentiæ tam benè & tam ſapienter conſulis. Certè tuæ vigilantiæ & tuæ debemus pietati, quod in omnibus baſilicis res ſacra ex dignitate Eccleſiæ & Religionis amplitudine perficiatur; quiſque ſilentio & modeſtiâ ſanctitatem loci & numinis præſentiam teſtatur, neque quemquam vota offerentem, aut ſacra facientem ſtrepitû, aut loquelâ interpellari permittis; odiſti profanum vulgus, & longè arces à limine Eccleſiæ: ut ſua baſilicis eſſet reverentia mandatum ſcripſiſti, quo tuâ non modo, ſed regiâ etiam auctoritate, ſanctitati Eccleſiarum cautum & proviſum eſſe voluiſti.

Longa fortaſſe oratio, ſed brevis te tuaque geſta ſcientibus videbitur. Quid ſi meminiſſem illius graviſſimæ Orationis, quam nomine Nortmannicæ provinciæ apud Regem & Reginam habuiſti: cujus ea vis & poteſtas fuit, ut memoratis provinciæ malis, omnium mentes & Regis ipſius animum ad miſerationem, ſimul & ad tui admirationem excitares. Quid ſi dixiſſem, quæ celebritas, qui concurſus magnatum nobiliumque hominum fuerit: cum tu Pariſiis toto jejuniorum tempore ſacram vitæ ſpiritalis alimoniam tam ſplendidè & tam copiosè diſtribueres; ſed & quam laudem conſecutus es, quando Chiſium Cardinalem Alexandri VII. ſummi Pontificis nepotem & Legatum Pariſios ſollemni apparatu adventantem nomine Gallicanorum Pontificum allocutus es. Admiratus eſt Cardinalis Romanus in Gallicano Antiſtite ſingularem, quam vix Romæ viderat, dicendi dignitatem, & mixtam ſapienti gravitate venuſtatem. Sed quod tibi honorificentiſſimum fuit. Tu auguſtiſſimam Reginam Ludovici-magni Regis conjugem

morbo, quo abſumpta eſt correptam ad ſpem meliorum bonorum erexiſti, & decedenti de hâc vitâ prægustandum vitæ æternæ cibum miniſtraſti, idem antea præſtiteras officium Annæ Reginæ meritiſſimæ ejuſdem Regis Parenti, quam etiam Pariſiis poſt obitum digno Regia majeſtate elogio in majore Eccleſia proſecutus es. Hæc aliaque innumerabilia ejuſmodi prætermitto. Verum cum hæc ornamenta, quibus refulges circumſpicerem, cum egregiis tuis factis diligenter attenderem, tibi aliquando ampliſſimos Eccleſiæ Romanæ honores augurabar, dicebam te aliquando Romanâ purpurâ, quam rebus magnificè geſtis meruiſſes fulgentem fore: nec fallax nec inane augurium fuit, ecce enim me hæc tua facta commemorantem interpellat nuncius, qui per urbem regiam divulgatus eſt, te à Chriſtianiſſimo Rege Ludovico-magno pro more, quo Regibus uti conſuetum eſt, Romanæ amplitudinis candidatum ſollemniter appellatum eſſe. Augurium non modo tua merita præceſſerant: ſed hoc etiam pluribus annis Regis ſapientiſſimi judicium anteverterat. Jam enim, ut certò didici, quindecim anni ſunt, cum Rex primùm eminentiſſimi Cardinalis honorem & nominatione & petitione tibi detulerat. Neſcio, quo caſu id temporis dilata Cardinalium creatio eſt. Mutata interim rerum Gallicarum facie, remunerandus fuit vir Princeps, qui regias partes ſecutus pro republica & pro Principe caput periculis objecerat; tum, quod honore ipſo tibi honorificentius eſt, illum alteri cedere tibi haud ingratum fuit; non dubitaſti ad tempus illum omittere, quoniam credebas intermiſſum magis, quam admiſſum publicis utilitatibus profuturum. Ex eo tempore tu non anxiè aucupari tempora, non externum favorem captare, non tibi conciliare perſonas ad conficiendum negotium: ſed ſecurus regiæ voluntatis rerum temporumque occaſiones expectare, & placidè opperiri, dum nomen tibi glorioſiùs ſublatum, quam delatum, iterum tibi honorificentiſſimè redditur. Tu longæ dilationis moras patienter ſuſtinebas, quarum Rex pertæſus inter aſperrimi belli negotia honorem tibi penitus reddere ſtatuit, quem gratiùs dimiſeras, quam accepiſſes. Ille dum rebus belli difficillimis providet, tuæ pariter ſtudet dignitati amplificandæ; neque conjuratæ Germanorum legiones, neque jurata Belgarum Batavorumque fœdera, neque erecta adverſum nos ferocis Iberiæ vexilla, neque minæ atroces rebellis Bri-

tanniæ, neque projectæ hæreſis veſanus furor, ita ejus animum aliò avocarunt, ut tui oblivisceretur. Dum adverſus multiplicem hoſtem armat, quod vix credent poſteri, quadringenta hominum millia & Oceanum operit navium multitudine, tuam rem curat & tuæ magnitudinis ſollicitus illius augendæ rationes quærit; tantum ejus animo inhæret tuorum meritorum recordatio, & memoria opportunè reſtituti beneficii & ardentius deſiderium denuò reſtituendi!

Quæ prius ad deferendum hunc honorem Regem impulerant, hæc eadem ad eum referendum magis magiſque accendebant. Repetebat Rex ſapientiſſimus memoriam Ludovici XII. qui Georgio Ambacienſi aviæ tuæ propatruo Romanæ purpuræ decus obtinuiſſet, haud moderatè ferebat tibi, qui tantumdem meruiſſes, tantumdem honorum non eſſe datum, quantùm ille Rex olim contuliſſet amico Præſuli, quem non modo ſanguine retuliſti, ſed animi etiam magnitudine, felicitate ingenii, rerum & factorum gloria adæquaſti, & quem, ſi non civilis & publicæ, eccleſiaſticæ certè atque pontificiæ adminiſtrationis laude ſuperaſti. Revocabat in mentem plures ex anteceſſoribus tuis, qui in cathedra Pariſienſi poſiti Regum judicio eum honorem fuerant conſecuti; dolebat Rex te in eodem ſedere loco, nec eodem decore ſplendeſcere, qui ſi illis ætate, & tempore, ſanè haud eſſes inferior virtutibus & ornamentis: cum præſertim labore & induſtria effeciſſes, ut eccleſia Pariſienſis deterſâ hæreſis labe, quam patrum noſtrorum ætate contraxerat, priſtinum decorem hodie reciperet. Tu quidem ſatis tibi eſſe & ſupèr putabas, qui urbi regiæ, qui Metropoli Galliarum præſideres. Verum Rex ſuis votis & regiæ beneficentiæ haud factum ſatis exiſtimabat; cumque non eſſet ampliùs in Eccleſiâ Gallicanâ, quo creſceres trans Alpes conquirere cœpit & Romanas opes accerſere, quas tuis opibus & tuis ornamentis adjiceret. Te igitur Cardinalem Romanæ Eccleſiæ deſignavit. Macte, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, hâc novâ quaſi jam partæ dignitatis gloriâ! non fruſtraberis deſtinatâ purpurâ, hac publica nominatione ſe ſponſorem tuæ magnitudinis Ludovicus-magnus prædicavit. Neque abnuet Alexander VIII. quo memori gratoque animo eſt annuere petitioni Regis, cui more majorum in pretio eſt defendere eccleſiam, & pro ejus amplificatione regni opes profundere. Novit quæ Ludovicus-magnus geſſerit adverſus novitatem, quam ſerpentem in ortu

oppreſſit, & adverſus hæreſim, quam adultam, & viribus fidentem ſuis penitus extinxit. Videt ex edito loco ſapiens Pontifex & admiratur, quomodo Rex Chriſtianiſſimus ex omni parte impetitus obvius undequâque pugnet & reſiſtat fortiter: nec tamen religioni, quam alii privatis commodis poſthabent, deſinat opitulari, miſſis ultra Oceanum exercitibus, ut impietatem debellet, & eam de loco, quem invaſit dejiciat. Tanti Regis judicio ultrò, inquam, ſuffragabitur magnus Pontifex,cui tuendæ religionis conſtans propoſitum eſt. Hanc certè fiduciam omnibus fecit Regis dictum, ſtatim enim atque locutus eſt, omnes illico tibi applaudere, quique ad Palatium Archiepiſcopale properare, ut te viſerent, ut lætitiam teſtarentur, Antiſtites qui Lutetiæ Pariſiorum verſabantur, Optimates & proceres, auguſtiſſimi Senatus Principes, Præſides curiarum, Clerici generis & titulorum claritate inſignes ſtatim tuam aulam & tua conclavia impleverunt, ut tibi tuiſque honoribus gratularentur: quaſi indicto per urbem juſtitio publica exultatio fuit. Pariſienſis Academia frequenti celebrique cœtu congregata te adiit, & te verbis honorificis allocuta eſt, intermiſitque ſtudia diſciplinarum, ut deſtinatæ tibi purpuræ ageret ſollemnia. Sed inprimis Eccleſia Pariſienſis, quæ & ſe tuis auctam honoribus reputabat, ad celebrandos tuæ novæ amplitudinis ortus exquiſitas rationes attulit; collecto quippe ſuæ Eccleſiæ frequenti Senatu non modo ad te, ſed ad ipſum Regem legationem decrevit, ut de ſibi, quia tibi delato honore gratias ſollemnes perſolveret; Decanus vir gravitate & ſapientia præſtans Princeps legationis fuit: ille cum ſelectis ejuſdem Eccleſiæ Canonicis admiſſus ad Regis præſentiam graviſſimam de deſignatâ tibi dignitate orationem habuit. Dicebat eſſe inter te, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, & Eccleſiam Pariſienſem quoddam bonorum honorumque conſortium, & quemadmodum in corpore membra, ita eam capitis dignitate decorari; quapropter eſſe quoque ſui muneris honorum vices ſacræ Majeſtati ob collatum ſuo Pontifici honorem, quomodocumque rependere. Addebat felicem illum diem eſſe & faſtis Eccleſiæ Pariſienſis aſcribendum, quo te Rex Archiepiſcopum Pariſienſem renunciavit, & te ad hanc cathedram evocavit. Ex eo tempore & te ſecum, & ſe tecum fuiſſe pari voluntate & eâdem animorum conſpiratione conjunctiſſimos: unde apparebat Regem divino quodam ſpiritu afflatum de te judicium

feciſſe, ut te Pariſienſis Eccleſiæ adminiſtrationi præponeret. Hæc aliaque ejuſmodi ſapienter ad Regem dixit vir graviſſimus. Rex ad ea reſpondit digna, quæ ad perennem perpetuamque tui commendationem in ære inſcribantur, & quæ libet hic memorare: Te ſcilicet eo in loco apud ſe habitum, ut ſemper te plurimi faceret; olim te datum Eccleſiæ Rotomagenſi Archiepiſcopum, ubi vel eo tempore magni Pontificis partes omnes ita impleveris, ut Eccleſiæ utilitatibus diligenter inſervires, & in graviſſimis regni negotiis opportunam reipublicæ præſtares operam: te deinde ad regiam urbem accitum, ut Eccleſiæ Pariſienſi, quæ tum vacua erat Pontifice, præſideres, & in eo te loco ita geſſiſſe, ut ad promovendam eccleſiaſticam & publicam rem nihil reliqui feciſſes. Pergratum id ſibi eſſe, quod moderatam ſapientemque tuam adminiſtrationem tam magnificè Eccleſia Pariſienſis prædicaret, ſed inprimis ſibi acceptiſſimum eſſe, quod lætitiam ſignificaret ob tibi deſignatos curiæ Romanæ honores, quos virtutibus, rebus præclare geſtis & aſſiduè ſibi præſtitis officiis meruiſſes, & quos tibi tributos eſſe voluiſſet, ut ceteris regni præſulibus dignitate anteires. Hæc à tanto Principe dicta ea verborum dignitate, quæ uſui illi, omnibus admirationi ſolet eſſe, quam nullus referendo attingere, nedum adæquare poſſit, vim omnem laudandi & quodcumque præconii genus longe exuperant.

Tum quiſque de rebus noſtris bene ominari & ſperare Romam in tua non modo, ſed in omnium noſtrûm vota conſenſuram, ſummumque Pontificem ſuorum deceſſorum exemplo Eccleſiæ Gallicanæ faventem atque propitium fore, & noſtros Epiſcopos fide quidem & communione, ut ſemper fuerunt, verumetiam animorum conſpiratione fore cum illo conjunctiſſimos. Quantos & quam uberes fructus allatura eſt illa purpura, quæ jam in ortu & in ipſa deſtinatione pacem Eccleſiæ Gallicanæ, & compluribus Epiſcopis jam dudum deſignatis ſedem & conſecrationem brevi pollicetur. Neque id fruſtra eſt: ecce enim eo fermè tempore, quo te Rex Cardinalem deſignavit, opportunè tibi redditæ ſunt à ſummo Pontifice litteræ, quibus ipſe Alexander PP. VIII. haud dubitavit tuam commendare virtutem, eamque cum ampliſſimâ tuâ dignitate adæquare; & cum nota atque perſpecta illi eſſent, quæ geſſiſſes pro tuendâ ſedis apoſtolicæ auctoritate adverſus hæreſim & adverſus novitatem; cum erroris improbitas & temporum licentia ſanctiſſimæ ſedi

obtrectandi audaciam feciſſent: te inprimis hortatur, ut Eccleſiæ Romanæ jura defendas, & collegas Gallicanos Antiſtites, qui quidem in ſummum Pontificem, & in Romanam cathedram propenſo animo ſunt, & ſemper fuerunt, exemplo & auctoritate tuâ ad conſervandam & augendam illius dignitatem vehementius inflammare ſtudeas. Permitte obſecro, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, ut hoc tam inſigne Maximi Pontificis teſtimonium, quo nihil magnificentius eſt, huic, quam ſcribo, epiſtolæ, tanquam tui elogii coronidem ſubjiciam, ut ſciant poſteri, me hac oratione pluribus verbis ea tantummodò deſcripſiſſe, quæ ſummus Pontifex in epiſtola breviter confecit. Tuque ſecurus eſto meritorum tuorum, aſſertores habes tuæ virtutis in Galliâ Ludovicum-magnum, Romæ Alexandrum VIII. quorum judicio nihil ſanctius, nihil habet orbis ſapientius.

Hæc, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, de te tuiſque eximiis virtutibus libuit commemorare; etſi longè facultatem dicendi tua ornamenta ſuperant, ea tamen à me utcumque referri oportuit, haud æquum quippe videbatur, te taceri & tua facta præteriri ſilentio, qui feciſti, ut acta Pontificum Pariſienſium litteris commendarem, & ſcriptis eorum celebrarem memoriam. Hoc debebatur honori noſtrorum temporum, ut ſciret poſteritas, noſtrâ ætate fuiſſe Pariſiis Pontificem, qui vetuſtatem rebus præclarè geſtis aut æquaret, aut vinceret; hoc pariter debebatur felicitati Eccleſiæ Pariſienſis, quæ quidem clericos habet doctrinâ, pietate & religione præſtantiſſimos, ſed & virtutibus parem ſuæ amplitudini & ſuæ dignitati Pontificem, & hoc inprimis debebam tuis in me meritis, ut gratum memoremque animum teſtificarer, & meam in te ſingularem voluntatem & ſummam obſervantiam hoc qualicumque officio ſignificarem. Hæc tibi offerebat.

ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME,

Tuus obſequentiſſimus & humillimus ſervus,
GERARDUS DUBOIS, Preſbyter Oratorii Domini Jeſu, & inſigni in Eccleſiâ S. Martini Turonenſis Præpoſitus de Sodobrio.

Dat. in ædibus Oratorii Pariſienſis Idibus Maii anno 1690.

EPISTOLA, SEU BREVE APOSTOLICUM


ALEXANDER PP. VIII.

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO ARCHIEPISCOPO PARISIENSI.

VENERABILIS frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Inter feſtivos præſulum plauſus humilitati noſtræ in excelſo poſitæ blandientium, peculiari profecto nos gaudio affecerunt effuſæ exultantis animi ſignificationes, quibus perceptam à fraternitate tua ex ejuſdem humilitatis ad apoſtolicum ſolium exaltatione lætitiam luculenter declaraviſti. Tibi enim, qui virtute non minus, quam dignitate in Gallia præfulges, tantopere probari præcipuo plane ſolatio ducimus: meritò ſiquidem confidentes fore ut ad ea, quæ à procuratione noſtra chriſtianæ reipublicæ auſpicaris, implenda, validam nobis ab illo, qui dives eſt in miſericordia opem implorare contendas, noſtræque imbecillitati conſulas. Impoſitum etiam infirmis humeris noſtris onus non parum levabis, ubi hujus ſanctæ ſedis rationes & jura omni conatu, ac niſu religioſiſſimo iſto in regno promovere, atque ad idem præſtandum cæteros ipſius Regni Epiſcopos exemplo, ac auctoritate tua inflammare ſtudueris. Præclaris hiſce artibus præter mercedem magnam nimis, quam à Pontifice ſempiterno, cujus proculdubio cauſam ages, recipies, voluntatem quoque noſtram, eximiis, in occaſionibus quæ ſe offerent, documentis explicandam, magis tibi magiſque conciliabis, Venerabilis frater, cui interim ad gregem paſtorali curæ tuæ commiſſum majori in dies cum laude regendum, divinum auxilium paratum uſque precamur, ac Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. M. Majorem ſub annulo piſcatoris, die trigeſimâ-primâ Januarii MDCXC. Pontificatus noſtri anno primo. MARIUS SPINULA.

HISTORIA



HISTORIA
ECCLESIÆ PARISIENSIS.
LIBER PRIMVS.

CAPUT PRIMUM.
De antiquo Galliarum ſtatu:

INITIO rerum Chriſtianarum Apoſtoli quos Jeſus Chriſtus magiſtros & doctores noſtros eſſe voluerat, in totum orbem effuſi legem Evangeliumque ejus annunciare cœperunt, & homines à cultu profano Dæmonum avocare. Mirabile eſt dictu quàm feſtinanter, & quàm citò fides doctrinaque Chriſti per civitates & provincias diſſeminata eſt; homines quippe magno numero, repudiatâ vanâ ſuperſtitione quâ tot annos totque ſæcula deluſi excæcatique erant, Evangelii lumen avidè receperunt. Tùm Eccleſia Chriſti, quæ primùm ex Apoſtolis pauciſque diſcipulis coaluerat, per provincias & populos longè lateque divulgata, multitudine credentium plurimùm aucta eſt. Tùm Eccleſiæ, cœtu ex fidelibus facto, in ſingulis civitatibus primùm fundatæ ſunt, & conſtituti ab Apoſtolis Epiſcopi, qui Eccleſiis præeſſent, reſque religionis Chriſtianæ in quâlibet civitate adminiſtrarent. Et ſi fides Evangelii totum fermè orbem terrarum torrentis inſtar citò pervaſit, provinciæ tamen aliæ aliis citiùs Evangelium acceperunt pro temporum, locorum rerumque ipſarum opportunitate. In Palæſtinâ, ubi Chriſtus vixerat, ubi ſanctiorem vivendi diſciplinam homines docuerat, initia ac prima noſtræ fidei incunabula fuerunt. Tùm facile fuit indè tranſmittere Evangelium in Aſiam, in Ægyptum & Græ- I.

Digitized by Google

LIB. I. CAP. I. ciam, ac deindè in Italiam, quibus in locis certum eſt primis temporibus annunciatam receptamque Chriſti legem, quin & in ipſam Africam tranſlatam fidem ætate S. Petri Patres antiqui tradiderunt. Verùm quo tempore trans Alpes allatum Evangelium, an ſeriùs citiùſve in Galliis ſuſcepta Chriſtiana religio ſit, certò ſtatuere, & aſſeveranter dicere longè difficillimum exiſtimo: quia primis Apoſtolis eorumque diſcipulis major ſemper cura fuit propagandi regni Chriſti, quàm ſua certamina, ſuaſque deſcribendi victorias, & ſi ſcribenda & poſteritati plurimùm commendanda agerent paterenturque.

II. Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus rerum Eccleſiaſticarum antiquus juxtà & illuſtris ſcriptor in ipſo aditu ſuæ hiſtoriæ profitetur neminem ante ſua tempora e rebus Chriſtianis quicquam præter ſchedulas ſparſaſque aliquot narratiunculas reliquiſſe. Fuerunt quidem à principio in Eccleſia acta quædam & codices, ubi deſcriptæ paſſiones certaminaque martyrum: Eccleſiæ quoque ſecum invicem communicabant quidquid læti aut triſtis in Chriſtianâ religione acciderat, idque faſtis Eccleſiarum plerúmque inſerebatur. Verùm omnia hæc aut hominum incuria, vel temporum lapſu, vel ſævitia perſecutionum interciderunt. Euſebius quidem nonnulla fragmenta, tamquàm ex naufragio tabulas, collegit ſuæque attexuit hiſtoriæ. Sed alia acta, quæ præteritorum temporum ſcriptores magno numero nobis obtrudunt, conſtat adeò corrupta & adulterata eſſe, ut fidei parùm, aut certè nihil mereantur. Horum igitur auctoritate quicquam certi affirmare non debeo nec poſſum: tametſi multi ſuarum Eccleſiarum initia ab Apoſtolis repetentes, & vehementiori ſtudio antiquitatis ſibi vendicandæ, quàm indagandæ veritatis ea defendere non dubitarunt, & ea, populis non repugnantibus, eſſe legitima perſuadere conati ſunt; adeò ut hac ætate iis contradicere propè religio eſſe videatur. Ea porrò omnia in cauſâ ſunt, cur Eccleſiarum præſertim noſtrarum partium antiquas origines inveſtigare ardui ſit operis. Quia tamen incœpti mei ratio id exigit, ut dicturus de primis Epiſcopis Pariſienſis Eccleſiæ adnotem, quantùm potero, tempora, quibus in Gallias allata fides; paucis referam, quæ Patres antiqui ſcriptoreſque Eccleſiaſtici haud dubitanter de primis Galliæ Eccleſiis commemorant, quæque in certis monumentis antiquitatis reperiuntur, rejectis inſtrumentis aut dubiæ fidei, aut compertæ ſuppoſitionis.

III. Verùm exordia Eccleſiarum noſtrarum faciliùs aſſequar, ſi priùs breviter oſtendam quo in ſtatu Gallia fuit antequàm Evangelium per orbem terrarum divulgari cœptùm eſt. Galliarum primas origines obſcuras eſſe malo ipſe confiteri, quàm ſectari fabulas, commentaque aliquot ſcriptorum. Gallos quidem antiquitate gentis & belli gloriâ claros fuiſſe certa memoria eſt. Celtarum celebre nomen, potentiſſimumque Galliarum fuiſſe imperium conſtat. Nec dum adulta Romana Republicâ Italiam non modò, ſed & Græciam & Aſiam ſui nominis terrore adeò impleverant, ut Romani nullum hoſtem magis reformidarent, & Reges Orientis nulla bella ſine virtute Gallica confici poſſe arbitrarentur. Tarquinio priſco regnante, Celtarum, quæ Galliæ tertia pars erat, penes Bituriges ſumma Imperii fuit. Ii Ambigatum Regem Celtis dederant, qui, quod Gallia numero hominum & multitudine abundaret, Belloveſum & Sigoveſum filios ſororis aliò migrare, & quò fata ferrent ſedes quærere compulit. *Tit. Liv. lib. 5.* Tùm Sigoveſus in Hercinios ſaltus tendit, Belloveſus in Italiam: is ex Biturigibus, Arvernis, Senonibus, Aeduis, Ambarris, Carnutibus, Aulercis ingenti peditum equitumque collecto exercitu Alpes tranſcendit attrivitque Tuſcorum vires, quorum tunc longè latéque per Italiam patebant opes, hiſque pulſis ex ſuis ſedibus, Galli multas urbes condiderunt in illa parte Italiæ, quam occupavere, quæque Romanis Gallia citerior fuit. Ex eo tempore Galli cum Romanis multos annos vario marte bellum geſſerunt, ſed demùm, virtute an felicitate Romana, victi ſubactique ſunt. Primum Gallicum bellum Romanis fuit, cum Galli legatorum Romanorum injuria provocati, relictis Cluſinis, quibuſcum bellum gerebant, adversùs Romanos ſigna converterunt, pugnatumque eſt ad Alliam fluvium; fuſis fugatiſque Romanis, Galli

Romam incenderunt, quod Livius ſcribit accidiſſe anno v. c. CCCLXV. LIB. I. CAP. I.
Non libet hic ſingula bella perſequi, quæ populus Romanus in Italiâ cum Gallis geſſit; dixiſſe ſufficiat tantum apud Romanos belli nominiſque Gallici fuiſſe terrorem, ut teſte Polybio, tumultu Gallorum nuntiato Coſſ. C. Atilio & Æmilio Romani tàm ex ſuis, quàm ex ſociis quingenta millia peditum, equitum ſuprà ſexaginta adversùs Gallicam virtutem comparaverint. Diutiùs Galli reſtiterunt, multaſque clades intulerunt Romanis, ſed tandem ſeu Gallis inter ſe diſſidentibus, ſeu urgente fortuna Romanorum, illa provincia, quam Galli in Italia occupaverant, Romana provincia facta eſt, dictaque eſt Gallia citerior. Romani poſteà adversùs Gallos trans Alpes arma moverunt. Prima congreſſio adversùs Salios fuit, quos M. Fulvius fudit. Anno ſequenti, qui fuit urbis conditæ DCXXIX. Sextius iterato certamine eoſdem vicit, primam in Galliis Romanorum coloniam Aquas ſextias condidit, & triennio poſt in provinciam redacta eſt ea pars, quæ vulgò appellata eſt Provincia Romana, ſeu Gallia Narbonenſis. Liminibus Galliæ ſemel perfractis Romani deinceps Galliam integram armis occupare cogitaverunt, ſed hæc conſilia tàm bellis externis quàm civilibus ad tempora Julii Cæſaris retardata ſunt. Nam ille citerioris ulterioriſque Galliæ Proconſul, cupidine gloriæ & magnitudine rerum, quas jam meditabatur, accenſus ultrò Gallis bellum intulit, eorumque opes ita fregit, ut intra novennium Galliam omnem penitùs ſubactam in provinciæ formam redegerit.

IV. Hæc hactenùs Galliæ fortuna fuit, quæ deinceps ſubjecta imperio Romano permanſit. Jam quæ ratio provinciarum Galliæ fuerit paucis exponam, & quemadmodum illarum ordo ad Principum arbitrium ſubindè mutatus eſt. Cæſar in tres partes Galliam omnem dividit, quarum unam Belgæ incolerent, alteram Aquitani, tertiam Celtæ, addiditque Celtas ab Aquitanis flumine Garumna, à Belgis Matrona & Sequana dividi. Auguſtus, teſte Strabone, *Str. lib. 4.* Galliam in quatuor regiones diviſit, in Aquitanicam, Belgicam, Lugdunenſem ſeu Celticam, & Narbonenſem, quæ diviſio aliquandiù manſit; nam Plinius & Ptolemæus eamdem ſecuti ſunt. In hac diviſione fines Aquitanorum ampliati ſunt à parte Celtarum: Strabo quippe auctor eſt decem gentes intra Ligerim & Garumnam ab Auguſto Aquitaniæ attributas, ideòque Ptolemæo Aquitaniæ limes à ſeptemtrione Celtica eſt juxta Ligerim; quod ad juriſdictionem Eccleſiarum, quæ ad normam hujuſce limitis definita eſt poſteà, annotatum velim. Verùm neque ea Galliæ ſtetit diviſio. Legimus enim in Breviario Sexti Rufi, quod ſcripſit tempore Valentiniani Senioris, in Galliâ fuiſſe quatuordecim provincias. In ea diviſione ex Celtica quatuor Lugdunenſes factæ ſunt, quarum metropoles in hanc uſque perdurant ætatem. Notitia Imperii Romani hanc nobis provinciarum diſtributionem ſuppeditat: de libelli hujus ætate controverſia eſt, ſed Honorii principatu, non ſeriùs ſcriptum exiſtimo. Nam novam totius imperii diviſionem conditam fuiſſe poſt diſtractum à Barbaris imperium in animum inducere non poſſum. Certè Apollinaris Sidonii ætate jam notiſſimæ erant quatuor Lugdunenſes, ut ex ejus epiſtolis perſpicuum eſt. In his provinciarum Galliæ mutationibus, Celticæ inprimis partitiones ſum proſequutus, quoniam Lutetia Pariſiorum, cujus res Eccleſiaſticas dicere inſtitui, quartæ Lugdunenſis ſeu Senoniæ eſt.

V. Hæc quidem provinciarum Galliæ diſpoſitio olim fuit; ſed & alia Galliam diſtribuendi ratio erat in populos ſeu civitates. Civitas apud Cæſarem ſcriproreſque, qui ejus ætatem proximè ſequuti ſunt, non opidum aut urbem ſonat, ſed populum unius territorii, ejuſdemque juriſdictionis: ſerie temporum traducta ſunt ad opida & ad urbes civitatum populorumque vocabula. Populi autem ſeu civitates, quas Cæſar Romano ſubjecit Imperio LX. fuerunt aut LXIV. Strabo ſcribit in eo templo, quod Lugduni in honorem Auguſti olim ædificatum, inſcriptionem fuiſſe LX. populorum Galliæ: Ptolemæus & Vopiſcus totidem enumerant, Tacitus LXIV. In illâ geminâ diviſione Galliarum in provincias & civitates antiqua conſtat metropoleon & diœceſeon di- *Strabo lib. 4.*

LIB. I. CAP. I.

ſtributio, quæ in Eccleſia Gallicana diu integra permanſit; neque etiam noſtra ætate multum immutata eſt. Uni porrò civitati, ſeu eidem populo multæ erant urbes, multaque opida. Cum duce Vercingetorige communi Galliæ concilio adverſus Cæſarem decretum bellum, xx. urbes incendi placuit Biturigum, quod & in reliquis civitatibus factum eſſe Cæſar tradit; ex quo intelligere licet in ſingulis civitatibus plures urbes fuiſſe; & in eum ferme modum Antonius apud Dionem oratione funebri laudans Julium Cæſarem dicit eum innumeras civitates Romano adjeciſſe imperio, & trecentos populos Cæſarianis armis devictos Plutarchus commemorat. Adeò Gallia jam ante adventum Cæſaris urbium opidorumque frequentiâ celebrata eſt. Quantùm autem hominibus ſemper abundaverit, cognitu facile eſt. Cum enim ex Galliâ peditum equitumque copiæ olim ſedes aliò quæſitum abierint, & ubique terrarum colonias olim condiderint; argumentum eſt non tantum frugum ſed & hominum adeò feracem fuiſſe Galliam, ut abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Sanè auctor antiquus ſcribit trecenta millia hominum ad quærendas novas ſedes Galliam olim effudiſſe. Jam bello Cæſariano quantus hominum numerus extiterit in Galliâ ex hoc uno facile eſt oſtendere, quod cum Vercingetorix cum exercitu LXXX. millium hominum incluſus Alexiæ mœnibus teneretur, Galli cum CCL. aliis millibus tàm peditum quàm equitum adverſus Cæſarem ad ſolvendam obſidionem acceſſerint, & ſi omnes Galliæ civitates numerum ſuum ad defendendam libertatem non contulerunt. Sed hæc longiùs pertractare haud mei eſt inſtituti. Poſtquàm Galliam ità diviſam oſtendimus, non erit alienum exponere, quæ forma reipublicæ, quique ritus religionis fuerint, quando Cæſar in Galliam venit.

Pompeius Trogus apud Juſtinum lib. XXIV.

VI. Gallia omnis, in tres partes, ut dictum eſt, ſeu in civitates LX. diviſa erat, & non modò Belgæ, Celtæ & Aquitani, ſed & ſingulæ civitates ſuis legibus & inſtitutis utebantur. Æduæ civitati præerat ſummus magiſtratus, qui annuus creabatur, iſque vitæ & necis in ſuos habebat poteſtatem. In quibuſdam civitatibus ſumma rerum penes Reges erat. Divitiacum Regem fuiſſe Bellovacorum, Galbam Sueſſionum, & Piſonem Aquitanum in ſuâ civitate regnum obtinuiſſe Cæſaris commentarii memorant; hos plerumque factione & potentia regnum occupaſſe puto. Nam & aliquos orta ſeditione interfectos fuiſſe apud Cæſarem legimus, nec filios paterno regno ſucceſſiſſe. Orgetorix Helvetius apud Cæſarem Caſtico perſuadere conabatur, ut regnum, quod pater in Sequanis obtinuerat, in ſua civitate occuparet; memoraturque Taſgetius in Carnutibus, cujus majores in ſua civitate regnum obtinuerant; & huic Cæſar ſicut & Cavarino apud Senones locum majorum reſtituit, & Celtillus pater Vercingetorigis apud Arvernos vir ſummæ potentiæ ob eam cauſam quòd regnum appetebat ab civitate interfectus eſt. Ut ut ſit, civitates aliæ, ubi Rex non erat, per ſuum Magiſtratum regebantur; ut quiſque tamen opibus & factione valebat, ita principatum obtinebat in civitate. Cum duo pluresve eamdem auctoritatem habebant, ii, ut ferè fit, de principatu contendebant; & ob eam cauſam civiles diſcordiæ diſſenſioneſque oriebantur; horum porrò principum ad arbitrium judiciumque ſumma omnium rerum conſiliorumque redibat. Nec ſolùm inter principes, verùm etiam inter ipſas civitates de potentatu erat contentio; namque is populus, qui armis plus & bello pollebat, is in alios populos principatum obtinere nitebatur. Inter Æduos, Arvernos, & Sequanos paulò ante Cæſaris tempora de principatu magnæ contentiones ortæ ſunt. Ædui ſæpiùs prælio victi, fractis rebus, Sequanis dare obſides & annua ſolvere ſtipendia coacti erant, ſed armis Cæſarianis poſt cladem Arioviſti ab hoc jugo fuerant liberati. Ante hæc miſeranda tempora Æduorum maxima fuit auctoritas; erant in eorum clientelâ populi magnæ auctoritatis, Senones, Bituriges, & Bellovaci aliique plures; erat ſiquidem hæc in Galliis conſuetudo, ut, ſi quæ civitates minùs potentia & viribus valerent, ne aliarum opibus premerentur, ſe majorum civitatum fidei & clientelæ commendarent; ita Eburones, & Codruſci Trevirorum clientes erant, Carnutes Remorum,

Hoc hactenùs velut jus aliquod privatum ſingulis civitatibus, ſed aliud erat commune toti Galliæ. Quoties enim res communis agebatur, tùm ſolemnia à principibus civitatum concilia indicebantur, ut in commune decerneretur, quidquid e republicâ videretur; ut ſi hoſtis minabatur, aut bellum imminebat, illicò civitatum principes in unum locum conveniebant, dux belli ſuffragiis principum eligebatur, deſcribebatur militum numerus, quem quiſque ad bellum conferret. Ad eum modum adversùs Cæſarem concilio Bibracte indicto, omnium vocibus dux belli Vercingetorix renunciatus eſt; & ex commentariis accipimus Cæſarem Lutetiæ Pariſiorum & in aliis locis Galliæ indixiſſe concilium. Tùm publicæ, tùm privatæ res apud Gallos, quemadmodum expoſuimus, adminiſtrabantur, & pleraque eorum, quæ diximus, antè tempora Julii Cæſaris in uſu Gallis fuiſſe ex Polybio, Livio, & Strabone intelligimus. LIB. I. CAP. I.

VII. Quod verò ad religionem pertinet, natio Gallorum, ſicut reliquæ gentes, vano idolorum cultui cæteriſque Paganorum ſuperſtitionibus addicta erat. Diis gentium templa dicata in Galliis erant, ibique tanquam in ſacris ærariis auri magna vis aſſervabatur. Nota eſt Tholoſani templi direptio per Quintum Cæpionem tempore Cimbrici belli, ex quo quiſquis aurum attigit, miſero cruciabilique exitu periiſſe dicitur. Et Suetonius refert Julium Cæſarem fana & templa Deûm in Gallia expilaſſe. Cæſar ipſe auctor eſt Gallorum nationem admodum deditam fuiſſe religionibus, additque eos eamdem ferè cum reliquis gentibus habuiſſe de Diis opinionem. Mercurium, quem maximè colebant, exiſtimabant eſſe artium inventorem, huncque ad quæſtum pecuniæ, & mercaturas utiliter exercendas plurimùm poſſe arbitrabantur, eumque ducem viarum itinerumque reputabant; ita Apollinem morbis mederi, Minervam operum artificiorumque eſſe magiſtram, Jovemque imperium cæli tenere & Martem belli præſidem, atque huic plerumque devovere mos erat quæ bello capta fuerant, tumuloſque ex ſpoliis hoſtium in ejus honorem extrui: eorumque ſimulacra more gentium in templis colebantur. His adducor, ut credam Gallos ab Italis, aut à Græcis ſuperſtitionem ſuam accepiſſe, non ab Ægyptiis; & ſi ænigmaticas quaſdam imagines inſtar Ægyptiorum obſervabant, qualis ea erat, qua eloquentiam ſub Herculis perſona, teſte Luciano, depingebant, aliis quoque profanæ religionis diſciplinis inſtituti erant; nam & præter ceteras gentes augurandi ſtudio calluiſſe antiqui ſcriptores aſſerunt. Apud eos in honore habebantur, Bardi, Vates, & Druides. Bardi hymnis *Juſtinus.* canendis, carminibuſque pangendis operam & ſtudium collocabant. Illi præclara fortium virorum facta celebrabant, & poſteritati verſibus commendabant, de quibus nobilis poëta.

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptas *Lucanus Pharſal. lib. 1.*
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Vates ſacrificiis peragendis addicti erant, ſpeculabantur arcana naturæ. Sed Druides tàm noti exteris, quàm in honore Gallis erant. De horum diſciplina philoſophiaque multa Cæſar, aliique auctores referunt ab inſtitutis Pythagoræ haud aliena; nam neque interire animas, ſed ab aliis ad alios tranſire ſentiebant; juvenes addiſcendis verſibus annos plures inſumere & in ſua diutiùs cogebant permanere diſciplinâ. Publica privataque judicia exercebant, & maximè capitalia, ejuſque erant auctoritatis apud Gallos, ut ſæpè acies inteſtinis accenſas odiis & ad conflictum paratas retinuerint, pacemque inter ſtrictos enſes conciliatis animis compoſuerint. Sacris prætereà Gallorum intererant, ſacrificia & publica & privata procurabant. Scribit Plinius Druides nihil viſco ſacratius habuiſſe, ſi robori adnaſceretur, repertum magna religione peti ſolitum magnoque & ſolemni ritu demeti & compleri ſacrificiis hanc ſuperſtitionem, eoſque exiſtimaſſe viſcum ità decerptum adverſus ſterilitatem & venena præſentaneum eſſe remedium. Illa frivola ſunt; hoc verò præclarum magnificumque ſemper mihi viſum & ſanctiore dignum religione, quod pœna

 apud eos graviſſima eſſet ſacrificiis interdici, eoſque, quibus ita erat interdi-ctum, numero impiorum & ſceleratorum haberi, adeò ut omnes illorum aditum ſermonemque defugerent, ne quid ex eorum contagione acciperent. Sed hos ritus profanæ religionis approbatos à reliquis gentibus maculavit humanas victimas devovendi uſitata apud Gallos conſuetudo. Illi quippe affecti gravioribus morbis, aut in periculis conſtituti, Druidibus adminiſtris, immolabant humanas victimas, aut ſe immolaturos vovebant, rati ſcilicet pro vita hominis vitam hominis reddi oportere, neque aliter placari Deos immortales poſſe. In Eccleſiaſtica hiſtoria plura de profanâ religione non libet congerere, ſufficit paucis adnotaſſe, quo in ſtatu eſſent tùm publicæ, tùm privatæ res quando Gallia Romanis ſecuribus ſubjecta eſt. Non facilè dixerim quis Galliæ ſtatus fuerit, poſtquam in provinciam redacta eſt.

VIII. Gallia quidem, rebus acciſis, libertatem amiſit, ſtipendia Romanis pendere cœpit, exceptis quibuſdam civitatibus, quæ in fide Romanorum ſteterant, quas liberas remanſiſſe ex Plinio conſtat. Jura privata civitatum, antiquos magiſtratus, & ſacra ſua, moreſque alios retinuiſſe Gallos puto, etiam poſtquàm jugo Romano collum ſummiſerunt. Namque Romani domitas gentes non niſi ſenſim ſuis legibus & cærimoniis accommodabant. Statim quidem prohibitæ ſunt ab Octavio Cæſare humanas victimas immolare, & Druides à Tiberio è Galliis exacti ſunt, alii ritus, in quibus nefanda ſuperſtitio non erat, illis permiſſi ſunt. Conventus publicos, ſeu ſolemnia totius Galliæ concilia adhuc habita eſſe tempore M. Aurelii apud Euſebium Cæſarienſem reperio, ſed demùm cum Præfecti Prætorio eſſe cœperunt, & vicarii Galliarum præpoſiti, res Gallicæ omninò ad formam & ſtatum Imperii Romani redactæ ſunt, quæ rerum ordinatio tamdiu ſtetit, donec à Francis, Burgundionibus & aliis nationibus Galliæ occupatæ ſunt.

IX. Poſtquàm brevi ſermone complexus ſum quæ ad antiquum Galliæ ſtatum pertinebant, inveſtigandum mihi tempus eſt, quo Gallia melioribus inſtitutis imbuta profanum Idolorum cultum abjicere cœpit, & Chriſti legem ſuſcipere; ſed quia longum eſſet omnes Galliæ angulos percurrere, ſciſcitando quo quæque civitas tempore Evangelium recepit, neque id mihi Eccleſiæ Pariſienſis res ſcribenti propoſitum eſt; quod ad me pertinet, breviter inquiram, quo tempore in majoribus Celticæ Galliæ civitatibus religionis Chriſtianæ primordia extiterunt.

CAPUT II.

De primis Eccleſiis Galliæ Celticæ.

I. APOSTOLI divinitùs admoniti gentes etiam vocari ad Evangelium, in omnes provincias ire cœperunt, & in majoribus præcipuè opidis, urbibuſque metropolitanis verbi ſacri ſpargere ſemina; ideòque Antiochiam, Romam, Alexandriam, Epheſum, Theſſalonicam, Corinthum, in aliaſque inſignes civitates venerunt, rati ſcilicet unius urbis victoriâ provinciam integram Chriſto aſſeri poſſe. Hanc Chriſtianam ſolertiam non modò Apoſtoli adhibuerunt, ſed etiam ii, qui eorum exempla egregiaque facta æmulari ſtuduerunt. Quærenti igitur his in locis noſtræ religionis initia, mihi perluſtrandæ ſunt civitates Galliæ Celticæ, quæ in principio naſcentis Eccleſiæ plus potentia & auctoritate valerent, ut magis ſincerum certumque de primordiis noſtris, originibuſque noſtrarum Eccleſiarum judicium ſit.

II. Celtica inter alias provincias Galliæ, & numero civitatum & potentiâ longè nobiliſſima erat: hanc biſariam primùm, tùm quadrifariam in quatuor

Lugdunenſes diſpertitam fuiſſe diximus, ex quâ diviſione originem habuerunt quatuor metropoles, Lugdunum, Rotomagus, Turoni, & Senonæ; quibus noſtra ætate Lutetia Pariſiorum, quæ urbs regia eſt, diviſa Senonia in duas provincias, quinta metropolis addita eſt. Cum diverſis temporibus his in locis ſuſceptam eſſe legem Chriſti inveniam, duo præſertim tempora, ac velut duas ætates Chriſtianæ religionis adnotabo; alio enim tempore, & à diverſis Lugdunenſis prima, & ab aliis alio tempore reliquæ Lugdunenſes fidem acceperunt, ut modò dicemus, ac primùm de Lugduno nobis erit ſermo.

III. Lugdunum à Lucio Munacio Planco colonia deducta eſt, quando imperium Romanum poſt Julii Cæſaris necem bellis civilibus deflagrabat: & poſtquàm Octavius Cæſar, ſolus rerum potitus eſt, caput Celticæ fuit, undè nomen Provinciæ Lugdunenſis. Illa ad confluentes Araris Rhodanique ſita, opportunum negotiationi & mercaturæ habens Emporium, recipiendæ per advenas fidei idonea erat. Conſtat enim Marci Aurelii principatu in eâdem urbe jacta fuiſſe religionis Chriſtianæ fundamenta; tunc enim adverſum Chriſtianos primùm ſeditione populi, tùm edicto Principis ſæva perſecutio excitata eſt anno Æræ Chriſtianæ CLXXIX. Extat hujuſce rei monumentum illuſtre apud Euſebium, gravis nempe illa Epiſtola Viennenſis Lugdunenſiſque Eccleſiarum ad Aſiæ Phrygiæque Eccleſias, in quâ plures martyrii certamine defunctos eſſe legimus, atque inprimis Pothinum Epiſcopum Lugdunenſem, qui nonagenario major paſſionis certamen adjiſſe dicitur. Quo quidem tempore fides Evangelii Lugduni cœpta ſit, ſtatis temporum notis non eſt conſignatum; attamen longè retrò repetenda Eccleſiæ Lugdunenſis exordia non arbitror. In illâ enim de paſſione Lugdunenſium martyrum epiſtola legimus raptos ad martyrium utriuſque Eccleſiæ præſtantiſſimos quoſque, quorum opera res hìc conſtitutæ fuerant: nullaque certa memoria eſt ante tempora Pothini alium aliquem Lugduni præfuiſſe Eccleſiæ: & Gregorius Turonenſis Pothinum primum Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe diſertis verbis pronunciat. Sanctus Irenæus huic ſententiæ ſuffragari videtur, quandò inter Eccleſias, quæ in variis provinciis ab Apoſtolis aut eorum diſcipulis fundatæ fuerant, eas annumerat quæ in Celtis erant. Nam cum Pothinus, Irenæus & alii auditores S. Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi fuerint, Lugdunenſem, Viennenſemque Eccleſiam à diſcipulis Apoſtolorum accepiſſe fidem aſſeverare poſſumus: quid-quod antiquus eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor in noſtris natus innutrituſque Galliis ſub Aurelio Antonini filio perſecutionem quintam agitatam ſcribit, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.

IV. Non profectò iis aſſentior, qui antè hoc tempus Viennenſis Eccleſiæ initia à S. Creſcente ducunt Epiſtolæ B. Pauli ad Timotheum interpretatione fulti; *2. ad Timoth. cap. 4.* nam locum ubi apud S. Paulum legimus S. Creſcentem profectum in Galatiam de Gallia noſtra explicant, idque auctoritate S. Epiphanii & Theodoreti, *Hæreſ. 51.* quod & martyrologia Uſuardi & Adonis teſtantur. Verùm cum hæc S. Creſcentis in Gallias profectio incertâ hujus loci interpretatione tantummodò innitatur, & approbata lectio receptaque explicatio de Galatia ſit, non de Gallia, ab eorum non diſcedo ſententiâ, qui utramque Eccleſiam eadem habuiſſe exordia contendunt. Nam, ut modò dictum eſt, in epiſtolâ de Lugdunenſium martyrum certamine legimus *comprehenſos præſtantiſſimos quoſque ex utráque Eccleſiâ, quorum operà res fuerant hîc in locis conſtitutæ*. Non ſanè Lugdunum coloniam Romanam, Celticæ caput, ubi Emporium Italis Aſiaticiſque juxta frequentatum, ubi Græcè & Latinè dicendi celebratæ exercitationes, urbem, inquam, illam tot decoratam prærogativis, quaſi tot aditibus ad recipiendam fidem patefactis religionem Chriſtianam accepiſſe credam centum poſt annos quàm Viennam traducta eſt, in illâ civitatum vicinitate, mutuoque commercio, & his, quibus erant tunc Chriſtiani propagandæ noſtræ religionis ardentibus ſtudiis. His omnibus adjungam quod legitur in actis S. Felicis & SS. Fortunati & Achillei Diaconorum, Valentiam ſcilicet, quæ Viennenſis provinciæ *Apud Surium 25. April.* civitas eſt, ſua fidei Chriſtianæ initia S. Irenæo referre accepta; verba ipſa, ut

LIB. I. CAP. II. habentur in actis apud Surium refero. *Igitur Beatiſſimus Irenæus Lugdunenſis urbis Epiſcopus conſequenti tempore martyr, in quo diſpoſitione divinâ inſtituendæ fidei fundamenta mirabili locata firmitate conſtabant, Felicem Presbyterum tàm converſatione, quam nomine, Fortunatum in quo conſummationis divitias adfuturas rei vocabulum jam promittebat, & Achilleum Diaconum Valentinæ urbi pro imbuendæ prædicationis ſeminario deſtinavit.* His adducti argumentis non modò Viennenſem Eccleſiam non antiquiorem Lugdunenſi, ſed & in primâ Lugdunenſi religionem Chriſtianam non ſuſceptam ante M. Aurelii Antonini principatum aſſerimus.

V. Sed quoniam incidi in eorum mentionem, quorum operâ S. Irenæus in alias provincias & civitates Evangelium tranſmiſit, huc referam, quæ eadem acta S. Felicis de SS. Ferreolo & Ferrucione memorant, eos nempè à S. Irenæo miſſos Veſontionem Sequanorum, & eam fidem, quam annunciabant martyrio comprobaſſe. De his martyrologia ſic habent ad XVI. Calend. Julii. *In Galliis apud urbem Veſontionem SS. Martyrum Ferreoli Presbyteri & Ferrucionis Diaconi, qui à B. Irenæo Epiſcopo ad prædicandum Verbum Dei miſſi, poſteà ſub Claudio judice excruciati pœnis, gladio feriuntur.* Provincia igitur, quæ Maxima Sequanorum, & quibuſdam Lugdunenſis eſt quinta poſt tempora Pothini per Irenæi diſcipulos fidem primùm recepit. Non enim hoc admitto, quod ſine teſte locuplete, ſine certâ auctoritate, ſine aliquâ antiquitatis memoriâ tradunt nonnulli Linum S. Petri ſucceſſorem Veſontionem veniſſe, & hujus urbis fuiſſe Epiſcopum,. antequàm Romanum Pontificatum geſſiſſet. Alias circuire civitates primæ Lugdunenſis, & quo quæque tempore Chriſtiana facta ſit, inquirere, neque mihi tanti eſt otii, neque propoſiti mei eſt, cum præſertim ſatis probatum putem Chriſtianos ex Aſiâ Lugdunum veniſſe, & primas in hac urbe viciniſque civitatibus ſub M. Aurelii imperio ordinaſſe Eccleſias, quod tamen non ſine ſummi Pontificis arbitrio doctiſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus factum fuiſſe pluribus oſtendit.

De Marca diſſert. de Primat.

VI. Hæc verò fuit prima ætas religionis Chriſtianæ in Celticâ: neque tunc fides ultra Lugdunenſem Viennenſemque provincias & Maximam Sequanorum, vicinoſque aliquot tractus progreſſa eſt propter crebras perſecutiones. Eccleſia quippe Lugdunenſis ſub M. Aurelio in ipſis cunabulis cladem magnam paſſa eſt. Sed virtute S. Irenæi novis receptis viribus jam moventem humeros excepit crudelior Severi Imperatoris perſecutio; eâ namque ſæviente tanta Lugduni *multitudo Chriſtianorum ob confeſſionem Dominici nominis eſt jugulata, ut per plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtiano*, inquit Gregorius Turonenſis. Recrudeſcente iterum iterumque perſecutione plus operis damnis reparandis, quàm finibus dilatandis Chriſtiani cladibus noſtris ſuperſtites impendebant. Venit tandem illa ætas altera, quâ Deo momenta rerum noſtrarum ex Divino ſuo judicio ordinante fides Evangelii in reliquas Celticæ Galliæ partes tranſiit miniſterio SS. hominum, qui ſub Decii & Grati conſulatum à ſummo Pontifice miſſi in Gallias ſecundam, tertiam, & quartam Lugdunenſem ſeu Senoniam provinciam inprimis Evangelii lumine illuſtrarunt. Quomodò & quandò id factum ſit, modò nobis exequendum eſt.

Gregorius Turonenſis lib. I.

VII. A ſecundâ Lugdunenſi exordior, hujus provinciæ caput eſt Rotomagus: quo tempore in hac urbe primi Evangelii radii illuxerint, ſi rem ex judicio æſtimamus, facile dictu eſt; ſi ex vulgari traditione, res erit plena negotii & difficultatis. Vulgò tradunt S. Nicaſium unum ex ſociis S. Dionyſii fuiſſe, huncque à S. Clemente ordinâtum Epiſcopum miſſum ad Velocaſſes, ibique, dum res Chriſtianas feliciter promovet, ſub Feſcennino præſide martyrem occubuiſſe. Addunt deinde anno circiter CCLXXVII. S. Mellanium ſeu Mellonum à S. Stephano Pontifice Romano ordinatum veniſſe Rotomagum, quo non venerat S. Nicaſius, ab eoque primùm conditam Eccleſiam Rotomagenſem. Hæc utique vulgaris eſt traditio, ſed perplexis implicata difficultatibus; tradunt enim S. Nicaſium unum ex S. Dionyſii ſociis fuiſſe, miſſum à S. Clemente, & ordinatum ab eo Epiſcopum, deinde poſt centum & ſexaginta annos

circiter

circiter à S. Stephano PP. Mellonum miſſum Rotomagum, atque adeò hanc urbem, quæ caput eſt provinciæ, fidem recepiſſe tanto intervallo, poſtquam in pago Volcaſſino recepta eſt. Qui profectò eruditis oculis ſingula hæc aſpiciet, aſſeret S. Nicaſium apud Velocaſſes, dum opus Evangelii exercet, obiiſſe martyrem, nec multo poſt ejus paſſionem eòdem tranſmiſſum à S. Stephano ſummo Pontifice Mellonum, qui Rotomagum venit, Eccleſiamque Rotomagenſem, ut vulgaris narrat traditio, ordinavit: neque his repugnant martyrologia. Uſuardus ad v. Idus Octobris ſic habet, *In pago Vilcaſſino paſſio SS. Nicaſii presbyteri & ſociorum Quirini & Pientiæ.* S. Nicaſium presbyterum non Epiſcopum vocat Uſuardus, neque martyrii, neque miſſionis tempus adnotat. Martyrologium Romanum ad eumdem diem. *In pago Vilcaſſino SS. martyrum Nicaſii Epiſcopi Rotomagenſis, Quirini presbyteri, Scubiculi diaconi & Pientiæ virginis ſub Præſide Feſcennino.* Nicaſius hìc Epiſcopus Rotomagenſis dicitur: communis traditio eſt eum numquam veniſſe Rotomagum; dicitur præterea paſſus ſub Præſide Feſcennino, ſub quo S. Dionyſium paſſum eſſe referunt ad VII. Idus Octobris. De S. Melanio idem Romanum martyrologium ad XI. Calend. Novemb. ſic habet. *Rotomagi S. Melanii Epiſcopi, qui à S. Stephano Papa ordinatus, illuc ad prædicandum miſſus.* Ex his omnibus colligere licet S. Nicaſium apud Velocaſſes paſſionem feciſſe in eadem cum S. Dionyſio Pariſienſi perſecutione, à S. Melanio primùm Rotomagi legem Chriſti promulgatam, hanc Evangelii promulgationem ad tempora S. Stephani referendam; quæ omnia probant non ante Decii principatum lumen Evangelii Rotomagenſibus affulſiſſe.

Turonos vero, quæ Lugdunenſis tertiæ metropolis eſt, religionem Chriſtianam non antè Decii & Grati conſulatum allatam fuiſſe Gregorius Turonenſis locupletiſſimus teſtis eſt; adeo ut ſcribentem res Eccleſiæ ſuæ falſi inſimulare, ſit ipſam arguere antiquitatem. Neque ſemel ille narrat adventum S. Gatiani in Gallias Decio & Grato Coſſ. contigiſſe; nam ex libro 1. refert S. Gatianum veniſſe hoc anno Turonos, & lib. 10. cap. 31. dum texit catalogum Epiſcoporum ſuæ Eccleſiæ, non modo orditur à Gatiano, ſed hunc etiam à Romano Pontifice miſſum eo, quo dictum eſt, anno. *Primus*, inquit, *Gatianus Epiſcopus anno Imperii Decii primo à Romanæ ſedis Papa tranſmiſſus eſt* &c. quæ verba ſcriptoris ſuas res agentis tantæ fuerunt auctoritatis apud doctiſſimum Archiepiſcopum, ut dum impugnat miſſionem ſeptem Epiſcoporum, quam Gregorius Turonenſis Decio Conſule fuiſſe aſſerit, huicce de Gatiano traditioni nefas eſſe duxerit adverſari. *Quod attinet*, inquit ille, *ad Gatianum Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopum, cum ejus ſucceſſor Gregorius, cui perſpecta erant ſuæ Eccleſiæ tabularia, doceat conceptis verbis Gatianum anno Decii primo à Papa ſedis Romanæ tranſmiſſum, additis quoque aliquot ejus Epiſcopi geſtis, neque ulla nobis aliunde ſuppetit auctoritas, qua illum ad vetuſtiora tempora revocemus, temerarium cenſeo adverſus Gregorium de propriæ Eccleſiæ ſtatu diſputare.* Tardius in has provincias advectam Chriſti religionem ex eo quoque intelligere licet, quod S. Julianum Cenomanis fidem annunciaſſe eodem tempore quo Gatianus Turonos venit, ejus vitæ ſcriptor Letaldus docet, & quod ante Defenſorem, qui ordinationi S. Martini interfuit, nullus reperiatur Andecavorum Epiſcopus. His perſuaſi argumentis Turonenſem Eccleſiam Deciana tempora non præceſſiſſe conſtanter aſſeveramus.

Petrus de Marca in Epiſtolâ ad Valeſium.

Hæc quidem de Turonenſis Eccleſiæ initiis clara ſunt: verùm de Senonenſi Eccleſia traditio obſcurior. Senones antiquis Græcorum Latinorumque monumentis celebrati ſunt. Civitatis caput Agendicum, poſtmodum aſſumpto populorum nomine Senones vel Senonæ urbs dicta eſt. In notitia Imperii quarta Lugdunenſis ſeu Senonia provincia appellata eſt. Inferioris ætatis ſcriptores, qui Eccleſiæ Senonenſis primas origines ſcripto retulerunt, nimio antiquitatis affectu certos veritatis limites prætergreſſi ſunt. Tradunt quippe SS. Savinianum, Potentianum, Altinum, è LXX. diſcipulorum numero, à S. Petro miſſos Senonas veniſſe, horumque prædicatione primis fidei documentis urbem

hanc imbutam: complures quidem, ſed Victorinum inprimis, Serotinum & Eoaldum repudiata idolorum impietate fidem amplexos; creſcente poſteà credentium numero S. Savinianum baſilicas dedicaſſe, alteram in honorem Chriſti Salvatoris, *alteram in honorem Beatorum Apoſtolorum, quæ uſque in hodiernum diem dicitur S. Petri Vivi eccleſia, eo quod fuerit ipſo vivente conſtructa:* cumque res Chriſtianæ his in locis ſuccederent, alias civitates Chriſti Imperio adjicere inſtituiſſe, Altinum, cum Eoaldo profectum Aurelianos, Potentianum verò cum Serotino Trecas: magnam porrò hominum multitudinem illectam eorum ſermonibus qui Aurelianos venerant Chriſto credidiſſe; hos deinde Carnutum fines ingreſſos, ſed orta perſecutione adjiſſe Lutetiam Pariſiorum & inde veniſſe Criſtolium, qui vicus Pariſiorum eſt; ibi Agoardum Aglibertumque viros magnæ inter ſuos auctoritatis relictis idolis Chriſtianæ militiæ nomen dediſſe; demum & illos omnes graſſante perſecutione vario mortis genere fidem, quam docuerant, teſtatos eſſe. Hæc & alia ejuſmodi de primordiis Eccleſiæ Senonenſis referuntur. Equidem non inficior his, quos modo memoravi, & primæ in illis locis prædicationis, & martyrii acquiſitam laudem; ſed an S. Petri ætate vixerint, an ejus miſſione in Gallias venerint, hoc antiquitatis Chriſtianæ locuples teſtis non aſſerat. Ado quidem hos à Beatis Apoſtolis miſſos in martyrologio ad 1. ante Calend. Januarii ſcribit, ſed Uſuardus cujus potior auctoritas ad eumdem diem, non à S. Petro, ſed à Pontifice Romano Sabinianum Potentianumque miſſos tradit. *Apud Senones Beatorum Sabiniani Epiſcopi & Potentiani, qui à Pontifice Romano ad prædicandum directi eamdem metropolim martyrii confeſſione illuſtrem fecerunt.*

Chronicon Autiſſiodor.

X. Sed inter has antiquitatis tenebras certum miſſionis tempus aſſignare difficile eſt: facile tamen adducor ut credam Sabinianum ejuſque ſocios non ante Aureliani perſecutionem paſſionis iniiſſe certamen; nam conſtat Aureliani inprimis perſecutionem, in has Galliarum regiones incubuiſſe, & exiſtimo Criſtolienſium martyrum confeſſionem propius accedere ad tempus quò primùm Lutetiæ viſa fuere martyria. Adde quòd præcipui hujuſce Senoniæ provinciæ populi Altiſſiodorenſes, Tricaſſes, Aureliani, Carnutes, & Meldi, quibus ſocios S. Sabiniani prima fidei documenta tradidiſſe fama eſt, non ante Decii Imperium cœperunt habere primos Epiſcopos, ut ex ipſa ſerie Epiſcoporum, qui in tabulariis harum Eccleſiarum cuivis æquo rerum æſtimatori notum eſt. Quid quòd varia martyrologiorum loca, actaque horum martyrum, ſi aſciticiis aliquot narratiunculis, vaniſque fabulis expurgentur, neque tam populari trutina, quam certis judicii ponderibus examinentur, non longe ante Aureliani Imperium religionem Chriſtianam his in regionibus cognitam fuiſſe oſtendunt. Si martyrologia non dicunt, neque à quo Pontifice Romano Sabinianus ejuſque ſocii delegati in Gallias ſunt, neque ſub quo Imperatore paſſi; id ex eo præſertim accidiſſe ſuſpicor quòd à Decio Imperatore ad Aurelianum varia Imperii fortuna fuit. Decii Imperium breve, quemadmodum & ejus ſucceſſorum Galli & Voluſiani. Secuti ſunt Valerianus & Gallienus: ſed Valeriano Perſis per proditionem dedito, defecere provinciæ, pluribuſque Tyrannis Imperium Romanum præda fuit, quod demum Aurelianus in libertatem aſſeruit. Rebus turbidis accedebat crudelis in Chriſtianos perſecutio, quæ à Decio incœpta per Voluſianum continuata eſt, ac deinde poſt brevem Eccleſiæ pacem à Valeriano & Gallieno redintegrata eſt, iterumque reddita pace ſub Aureliano ſævior recruduit in Galliis, & interfecto Aureliano non ſtatim his in locis exſtincta eſt, ut infra memorabitur. Inter hæc SS. Pontifices Romani Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus & Felix martyrio ſublati ſunt. Ita ſuccedentibus aliis poſt alios brevi annorum intervallo multis tam Pontificibus, quam Principibus, non facile fuit ſcribentibus acta martyrum in provinciis remotis adnotare, ſub quo quiſque Pontificatu vel Principatu venerit in Gallias, ibique confeſſionem moriendo ediderit. His verò miſerrimis tùm Reipublicæ, cùm Eccleſiæ temporibus SS. Sabinianum, Potentianum, Altinum alioſque eorum ſocios in Galliis pro Chriſto militantes

ſanguinem fudiſſe exiſtimo ; etſi mediæ aut infimæ ætatis auctores SS. illos LIB. I.
martyres è ſeptuaginta diſcipulis eſſe & à S. Petro miſſos, & ſub Neronianâ CAP. III.
perſecutione paſſos dixerunt, dicturi etiam aliquid vetuſtiùs, ſi res Eccleſiæ
paterentur; adeo cœca illa antiquitatis proferendæ libido, tanquam malum
inſanabile tenet quorumdam animos. Ea certe congruunt cum his quæ ſcribit
vetus & gravis auctor Conſtantius in vitâ S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſco-
pi, qui ſcribit Peregrinum à Sixto ſecundo ſcilicet, in Gallias miſſum primum
Autiſſiodori Epiſcopum fuiſſe, quod ex ſerie Epiſcoporum hujus urbis etiam
notum eſt.

Hæc de initiis Chriſtianæ religionis in quâlibet metropoli quatuor Lug- XI.
dunenſium : ſed antequam alio ſermonem convertam, ſcire oportet, quod,
etſi Lugdunum in notitia Imperii & juriſdictione civili Celticæ, & majoris
diœceſeos caput eſſe dixi, & primùm ibi fidem annunciatam, nullum illi
propterea in politeia, ſeu adminiſtratione Eccleſiaſtica jus Exarchatus aut
Primatus in reliquas provincias acceſſerit : non modo quoniam metropoles
reliquæ à Lugdunenſi Eccleſia fidem non acceperunt, ut docuimus; ſed maxi-
me quod in Galliis olim ne nomina quidem, nedùm jura Primatum cognita
fuerint. Provinciæ namque ſuis Synodis regebantur; & ſi fortè quid majoris
momenti accideret, aut cauſa aliqua, quæ ad omnes pertineret, id ad Sy-
nodum plenariam nationis referebatur, ut inferius docebimus; neque Prima-
tus Lugdunenſis initia ante Gregorii PP. VII. repetenda eſſe palàm eſt.
Jam de Lutetiâ Pariſiorum, cujus præſertim cauſâ hoc opus noſtrum aggredi-
mur, deque hujus urbis primordiis, & primis ejus civitatis Epiſcopis inqui-
rendum nobis eſt.

CAPUT III.

De Lutetia Pariſiorum & de S. Dionyſio primo Eccleſiæ Pariſienſis Epiſcopo.

ETSI Lutetiæ Pariſiorum initia parva ſunt, ea tamen referre non eſt alie- I.
num : nam & ad illius urbis laudem pertinet, quòd, poſtquàm ſedes Re-
gum Francorum, & totius Galliæ metropolis eſſe cœpit, à parvis initiis in
tantam excreverit magnitudinem, ut totius Orbis reliquas urbes opibus, po-
tentiâ, gloriâque longiſſimè ſuperet: utque iis honoribus, quibus modò ful-
get, decorata externis populis admirationi eſt: ita ex antiquis ruderibus quæ-
cumque ſuperſunt, nihil non noſtratibus pretio & venerationi eſt. Libet igi-
tur ea colligere & ob oculos ponere, ut ſe ſe offerunt.

Certum eſt Luteriam urbem Pariſiorum antiquam eſſe; ſcriptores enim an- II.
tiqui, non Latini modo, ſed & Græci ejus meminerunt. Non ſemel in Com- *Commentar. Cæſar.*
mentariis Cæſaris illius mentio eſt. Anno urbis conditæ DCC. Cæſar ſcribit *lib. 6.*
propter motus Galliarum, multarumque civitatum imminentem defectionem
ſe Galliæ totius concilium Lutetiam Pariſiorum tranſtuliſſe. *Confines erant*, in-
quit, *hi Senonibus, civitatemque patrum memoriâ conjunxerant:* quibus poſtremis
verbis indicat Cæſar Pariſios patrum ætate in populum unum coaluiſſe, &
ſimùl conjunxiſſe civitatem, ſeu antea Pariſii diſtracti fuerint à Senonibus, ſeu
pagi vicique ſuo utentes arbitrio liberi eſſent, qui deinde iiſdem legibus ſub-
jecti unam civitatem, unumque populum ultro fecerint, ut ſe adversùs poten-
tiam vicinorum defenderent.

Anno ſequenti, cum potentiſſimæ Gallorum gentes duce Vercingetorige III.
arma pro libertate adversùs Cæſarem cepiſſent, & in ſocietatem belli veni-

LIB. I. CAP. III.

Comment. Cæſaris lib. 7.

ſent Pariſii, *Cæſar diviſo exercitu, quatuor legiones in Senones Pariſioſque Labieno ducendas dedit, ſexque ipſe in Arvernos ad opidum Gergoviam ſecundùm flumen Elaver duxit; equitatus partem illi attribuit, partem ſibi reliquit .... Labienus eo ſupplemento, quod nuper ex Italiâ venerat, relicto Agendici, ut eſſet impedimentis, præſidio, cum quatuor legionibus Lutetiam proficiſcitur, id eſt opidum Pariſiorum poſitum in inſulâ fluminis Sequanæ, cujus adventu ab hoſtibus cognito, magnæ ex finitimis civitatibus copiæ convenerunt. Summa imperii tranſditur Camulageno Aulerco, qui propè confectus ætate, tamen propter ſcientiam rei militaris, ad eum eſt honorem evocatus: is cum animadvertiſſet perpetuam eſſe paludem, quæ influeret in Sequanam, atque omnem illum locum impediret, hic conſedit, noſtroſque tranſitu prohibere inſtituit. Labienus primo vineas agere, cratibuſque & aggere paludem explere, atque iter munire conabatur, poſtquàm id difficilius confieri animadvertit, ſilentio è caſtris III. vigiliâ egreſſus, eodem, quo venerat, itinere Metioſedum pervenit, id eſt opidum Senonum, in inſulâ Sequanæ poſitum, ut paulò antè Lutetiam diximus, deprehenſis navibus circiter L. celeritèrque conjunctis, atque eò militibus impoſitis, & rei novitate perterritis opidanis, quorum magna pars erat ad bellum evocata, ſine contentione opido potitur, refecto ponte, quem ſuperioribus diebus hoſtes reſciderant, exercitum tranſducit, & ſecundo flumine ad Lutetiam iter facere cœpit. Hoſtes, re cognita ab iis qui a Metioſedo profugerant, Lutetiam incendi, ponteſque ejus reſcindi jubent; ipſi profecti palude, in ripis è regione Lutetiæ contrà Labieni caſtra conſidunt.* Intereà Cæſar dicebatur ſolviſſe obſidionem Gergoviæ, & de defectione Æduorum rumores afferebantur; quapropter Labienus exercitum incolumem reducere cogitabat, magis quàm nova acquirere. Camulagenus ratus Romanos his nunciis perturbatos facilè opprimi poſſe, eductis copiis committit prœlium, verùm infelici ſucceſſu; nam ejus exercitus deletus eſt, & ipſe in certamine interfectus. Illa Labieni expeditio hunc exitum habuit. Cæſar hìc antiquam Lutetiæ Pariſiorum imaginem paucis delineavit, urbem ſcilicet in inſula poſitam pontibus ex utraque parte junctam continenti, ripas fluminis Sequanæ è regione Lutetiæ paludoſas, Gallis & Romanis pariter bello gerendo opportunam. Iterùm ille Pariſiorum meminit; cùm exercitus Gallorum duce Vercingetorige Alexiæ incluſus ab exercitu Romano teneretur, indictoque ob eam cauſam concilio totius Galliæ certus numerus civitati cuilibet imperaretur, Pariſii etiam ſuum numerum conferre imperati ſunt.

Commentar. Cæſar. lib. 7.

Strabo lib. 4. *Plinius lib. 4. c. 18.*

IV. Ceteri deinceps auctores, qui Galliam deſcripſerunt, Pariſios & Lutetiam laudavere. *Ad Sequanam fluvium*, inquit Strabo, *ſunt etiam Pariſii inſulam habitantes in flumine, & urbem Lutetiam λουκοτοκίας* ut habent Græca. Plinius inter populos Galliæ Lugdunenſis Pariſios enumerat. Ptolemæus quoque populis Celticæ Pariſios adſcribit. *Pariſiorum*, inquit, *urbs Lutetia πόλις παρισίων λουκοτοκία*, quaſi Græci ſcriptores ad Græcam aliquam originem Lutetiæ nomen revocarent. Sed Gallici vocabuli originem apud Græcos vel Latinos indagare ridiculum eſt. Romana itineraria à Lutetia Agendicum Senonum, & Auguſtodunum Æduorum: à Lutetia Pariſiorum Cæſaromagum Bellovacorum, & Samarobrivam Ambianorum, & à Genabo Lutetiam Pariſiorum itinera referunt. Quin & Pariſii reperiuntur in notitiâ Imperii; ſed mihi inprimìs memorandus Julianus Imperator, qui amice noſtram olim Lutetiam deperibat: hanc celebrat tàm propter urbis ſitum, quippe quæ in inſula poſita eſt hinc & inde munita ponte gemino, quàm propter temperiem cœli, & amœnitatem loci, qui undequaque alluitur fluvio, cujus aqua æque grata oculis, atque ori & palato ſuavis eſt. Ad hæc laudat ſolum ferax vitibus, induſtriamque civium, qui curis hortenſibus fallentes otium labore & arte arbores præſertimque ficus alunt: ſed hæc ejus verbis referenda ſunt. *Ego olim eram*, inquit Julianus, *in hibernis apud caram Lutetiam λευκετίαν, ſic Galli Pariſiorum opidum vocant, eſt autem poſita in inſulâ non magnâ ad fluvium, qui eam ex omni parte cingit per pontes ſublicios ad eam utrìmque eſt ingreſſus; non fluvius minuitur aut creſcit, qualis eſt æſtate, talis hieme eſſe ſolet. Aquam ſitienti porrigit & ſuavem & gratam aſpectu, quà potantur, qui inſulam habitant; hiems illìc non eſt aſpera, propter*

Sectione 65.

In Miſopog.

calorem, ut aiunt oceani: ſtadiis enim non ampliùs diſtat quàm nongentis; cum enim aqua maris dulci calidior ſit, illinc tenuis aura diffunditur: ſive ob eam cauſam ſive ob aliam haud mihi cognitam id accidat, certè mitior hiemis aſperitas incolis eſt. Præterea vites optimæ illic enaſcuntur, quin & quidam ex iis ficus alunt arte & induſtriâ, nam hieme eas paleâ circumtegunt, velut amictu quodam, aliiſque rebus, quæ cæli injurias arboribus prohibere ſolent. Hæc Julianus de Lutetiâ Pariſiorum. Sanè Ammianus Marcellinus poſtquàm in deſcriptione totius Galliæ Lutetiam appellavit, *Caſtellum Pariſiorum ambitu inſulari circumclauſum*, refert Julianum Cæſarem non ſemel Pariſiis hiemaſſe, ut in alio loco fusè dicemus. Valentinianum quoque ſeniorem ibi commoratum referemus. Hæc initia fuerunt urbis æternæ, ac velut quædam præludia futuræ magnitudinis. Poſtquàm Cæſares eam caram habuerunt, Reges Francorum occupatis Galliis, hanc ſedem Regni fecerunt, tumque urbs longe dilatatis extra inſulæ ambitum pomæriis, in eam tandem, in qua illam modò cernimus, amplitudinem paulatim aucta eſt. Regum quidem anteriorum temporibus Lutetia regni dignitati haud impar fuit: verùmtamen operibus publicis, ædificiorum magnificentia adeo nunc exornata eſt, atque civium populique multitudine amplificata, ut locis omnibus majeſtatem Ludovici Magni præ ſe ferat, & ejus gloriam foris domique partam publicè oſtentet.

Ammian. Marcel. lib. 15.
Ibid lib 17.

V. Hæc de urbis antiquitate proloquutus modò quæram quibus auſpiciis, & quo tempore Lutetia legibus Chriſtianis primùm ſubjecta eſt; illa quippe ſicut reliquæ Galliarum gentes ſuperſtitionibus idololatriæ deditiſſima erat: cum Deus pro ſua ſingulari bonitate Pariſiorum civitatem in libertatem Chriſti vindicare conſtituit. S. Dionyſius ad hoc opus divinitùs evocatus ultrò hanc provinciam ſuſcepit. Ille igitur à Pontifice Romano ordinatus Epiſcopus Lutetiam venit, multoſque verbo & prædicatione patrum ejurare impietatem compulit, & ſuſcepta fide moribus Chriſtianis vivere; creſcente in dies numero fidelium Pariſienſem condidit Eccleſiam, primuſque hujus Eccleſiæ geſſit Epiſcopatum. Excitatâ deinum perſecutione Pariſiis S. Dionyſius capite abſciſſo eam fidem, quam ore & verbo prædicaverat, ſanguinis & vitæ pretio comprobavit. Multùm aliquando diſputatum eſt ecquis fuerit ille Dionyſius, quo tempore vixerit, à quo è ſummis Pontificibus in Galliam ſit delegatus, ſub cujus principatu martyrium fecerit; utrum unus idemque ſit Dionyſius Areopagita, qui ſancti Pauli prædicatione credidit Evangelio, ut eſt in Actis Apoſtolorum, poſteaque primus Eccleſiæ Athenienſis factus eſt Antiſtes, ut refert Euſebii Cæſarienſis hiſtoria, & ille, qui primus Eccleſiæ Pariſienſis Epiſcopus fuit: an verò duo diverſique fuerint Dionyſii Athenienſis Pariſienſiſque Epiſcopi. Super eam rem temporibus Ludovici Pii Imperatoris contentiones primùm motæ ſunt, quæ noſtra ætate magnis partium ſtudiis renovatæ doctis voluminibus materiam & locum dederunt. Cum autem ea diſputatio non ſit hujus loci, quippe quæ principatum Ludovici Pii non præceſſit, quandò Hilduinus monaſterii S. Dionyſii Abbas Dionyſium Pariſienſem eumdem eſſe ac Dionyſium Areopagitam in Areopagiticis defendere inſtituit, eam controverſiam, quo agitata eſt anno, pertractabo; neque libet primas hujus hiſtoriæ paginas perplexis longiſque altercationibus involvere, præterea leges hiſtoriæ me prohibent tempora confundere. Ut igitur ex his me liberem negotiis, nihil aliud modò referre mihi propoſitum eſt, quàm quod ſcriptores, qui Hilduini ætatem præceſſerunt, de S. Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo ſcriptis reliquerunt. Controverſiam verò ad tempus, quo nata eſt, differam, tùmque rationibus utriuſque partis in medium adductis, judicium de hac lite pronunciare cuilibet integrum erit, rem ipſam, ut propoſui, aggredior.

VI. Antiquiſſimum de S. Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo teſtimonium nobis ſuppeditant acta paſſionis S. Saturnini Tholoſani Epiſcopi & martyris, quorum mentionem facit Gregorius Turonenſis his verbis. *Hujus*, Decii ſcilicet, *tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt; ſicut hiſtoria paſſionis S. Saturnini denarrat. Ait enim, ſub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli*

Gregorius Turonenſis lib. 1. cap. 30.

recordatione retinetur, primum ac ſummum Tholoſana civitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt: Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Stremonius Epiſcopus, Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus. De his verò beatus Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus diverſis pro Chriſti nomine affectus pœnis, præſentem vitam gladio imminente finivit. Hic locus graviſſimorum bellorum cauſa extitit. ex quo enim de uno duobuſve Dionyſiis lites eſſe cœperunt; qui unum Dionyſium defendebant, adverſarios, qui ſe hoc loco tanquàm arce tuebantur, hinc dejicere omnibus machinis moliti ſunt: alii contrà, qui duos Dionyſios Athenienſem ſcilicet & Pariſienſem aſſerebant, hunc locum, velut propugnaculum aliquod majoribus animis defendere aggreſſi ſunt. Sed hujus certaminis cauſas & exitus in aliud tempus, ut dictum eſt rejicimus: modò extra aleam certaminis poſiti placidè adnotabimus horum ſeptem Epiſcoporum miſſionem, ex Gregorii Turonenſis auctoritate Decio & Grato Coſſ. contigiſſe, anno ſcilicet Æræ Chriſtianæ CCLII. & ex illa temporis nota facile eſt concludere hanc miſſionem ad S. Fabiani PP. Pontificatum referendam eſſe. S. ille Pontifex olim ad ſedem S. Petri cœlitus evocatus plures annos Eccleſiam Romanam rexit, multaque dum fuit Pontifex, pro re Chriſtiana geſſit. Nam rebus Eccleſiæ tranquillis, & fidelium auctus numerus, & in provincias fides allata multos progreſſus fecit. Paulò poſt excitata eſt Deciana perſecutio, in qua paſſus eſt S. Fabianus, eoque ſublato, per quindecim menſes ſedes Romana vacua Pontifice fuit; deindè perſecutione & Novatiani ſchiſmate graſſantibus Cornelii Papæ tempora perturbata fuerunt, iſque incolumem Eccleſiam conſervare, quàm acquirere nova, magis ſatagebat. Quod ideo dictum ſit, ne quis eam ſeptem Epiſcoporum miſſionem ad annum CCLIV. rejiciat; quo anno Annales Eccleſiaſtici contra fidem faſtorum Decio & Grato alterum conſulatum aſſignant. Hæc quidem ex auctoritate Gregorii Turonenſis extrà controverſiam ſunt; ſed quandiù S. Dionyſius rexerit Eccleſiam Pariſienſem, quæque egerit Epiſcopus, quos Chriſto acquiſiverit, haud ità compertum eſt. Diù incolumem permanſiſſe, neque ante paſſum eſſe, quàm Pariſienſem ordinaſſet Eccleſiam, ea, quæ poſteà dicemus, mihi perſuadent: vetera illius paſſionis acta referunt eum tàm virtute miraculorum quàm prædicatione adeo demulſiſſe animos, & corda Gentilium, ut ſuave Chriſti jugum ſibi imponi poſcerent, & impia ſua ſimulacra manibus ſuis deſtruerent. *Ab ipſis quoque deſtruebantur idola, quorum ſumptu fuerant & ſtudio fabricata, & invento ſalutis portu, idolorum gaudebant perire naufragia.* Eadem acta memorant à S. Dionyſio baſilicam ad faciendam ſynaxim ædificatam eſſe, ordinatoſque clericos, qui moribus & honoribus ſæculi magis præſtarent. *Eccleſiam, illis quæ necdum in locis erat & populis illis novam conſtruxit, ac officiale ſervitium clericorum, ex more conſtituit probataſque perſonas honore ſæculi ordinis amplians, cinctus ergo fide etiam conſtructione baſilicæ, Deum gentibus non deſinebat inſinuare, quem noverat, ejuſque omnibus & judicium & miſericordiam anteponens, paulatim ſociabat Deo, quem Diabolo ſubtrahebat.* Hæc ex actis, quæ quidem ſcripta ſunt, poſtquàm Franci orti ex Germania trajecto Rheno Galliam invaſerunt, & Francorum Reges Lutetiæ ſedem Regni conſtituerunt; in his enim nonnulla reperiuntur, quæ auctor actorum ad ætatem Dionyſii tranſtulit, & quæ, Francis occupantibus Gallias, Lutetiæ congruebant. Neque tamen ideò cetera contemnenda ſunt, quæ auctor ex traditione ſuorum temporum commemorat, quæque, ut res ætate S. Dionyſii erant, nec ab antiquis Eccleſiæ moribus, nec a priſca Chriſtianorum conſuetudine erant aliena; qualia ſunt inprimis ea, quæ de ordinatione clericorum & baſilicæ conſtructione prodidit. Sanè primis Apoſtolis mos erat, ſi meſſem uberem excreſcere cernerent, operariorum manum ſtatim advocare, miniſtroſque ſibi aſſumere, quibuſcum ſuos labores partiebantur, & ex Clero populoque Eccleſiam conſtituere. In hunc modum S. Dionyſius Ruſticum Preſbyterum Eleutheriumque Diaconum allegit, quos &

Acta paſſ. S. Dionyſ.

ſacræ ejus expeditionis & certaminis fuiſſe ſocios acta paſſionis eorum martyrologiaque prædicant, & vetera alia monumenta teſtantur. Quidni quoque baſilicam S. Dionyſius extruxit. Nam & conventicula & eccleſiæ Chriſtianorum, dum quies erat Eccleſiis, ante & poſt tempora Decii publice habebantur. ſub principatu Alexandri Imperatoris, *Cum Chriſtiani quemdam locum, qui publicus erat, occupaſſent, contra popinarii dicerent ſibi eum deberi, reſcripſit Alexander Imperator meliùs eſſe, ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur.* Et Gallienus poſt cladem Valeriani Eccleſiis reddita pace edicto ſanxit, ut qui loca Chriſtianæ religioni ſacra calente perſecutione occupaſſent, ab iis nulla mora ſecederent. Hæc & alia teſtimonia probant Chriſtianis licitum fuiſſe eccleſias quietis temporibus palam habere, atque adeo nihil prohibere, quominus S. Dionyſius eccleſiam Lutetiæ conſtruxerit, ſeu domus his initiis, ſeu conventiculum fuerit. Viri eruditi de loco primæ Pariſiorum baſilicæ ſcripta ediderunt; alii quidem in ſuburbanoLutetiæ vico, qui pòſt aucta urbe S. Marcelli ſuburbium fuit, conditam exiſtimant, diuque majorem eccleſiam permanſiſſe contendunt; alii primam matremque baſilicam intra urbem & inſulæ ambitum fuiſſe aſſerunt. Qui priorem defendunt partem, his ſuam ſententiam conjecturis aſtruere conantur, quòd S. Marcellus Pariſienſis Epiſcopus in hoc ſuburbano vico tumulatus ſit, & credibile putant ibi ſepultum eſſe, ubi ſacris operari conſueverat, & ſuſpicantur eſſe illam eccleſiam, quam Gregorius Turonenſis ſeniorem vocat, ubi Creſcentiæ virginis ſepulchrum fuit: hanc autem eccleſiam in vico Pariſiorum fuiſſe addunt: deinde vulgo credi, quòd quæ nunc S. Marcelli baſilica in ſuburbio eſt, prima majorque baſilica olim fuerit. Alii non hæc tanti eſſe æſtimant, ut fidem omnino mereantur; dicunt enim extra urbium ambitum cœmeteria plerumquè fuiſſe, Pontifices ſæpe ſepultos extra majores baſilicas, S. Germanum Pariſienſium Epiſcopum in baſilica S. Vincentii longe extra muros ſepultum; non igitur eſſe argumentum S. Marcelli eccleſiam majorem fuiſſe baſilicam, quòd ibi ſepultus ille Pontifex fuerit: neque Gregorium Turonenſem dicere quo in vico Creſcentiæ virginis tumulus fuerit, neque cur illa eccleſia ſenior vocitaretur; deinde non pro traditione recipi, quod unus alterve noſtræ ætatis ſcriptor in vulgus ſparſit, & ex conjectura tantùm commemorat: immo intra urbis muros & inſulæ ambitum primam majoremque Pariſienſem eccleſiam à primis Chriſtianitatis annis extitiſſe; id indicari in actis paſſionis S. Dionyſii. Anno CCCLXXXII. celebratam Lutetiæ Pariſiorum Synodum, ubi damna, quæ Ariminii illata fuerant Eccleſiæ, quodammodo reparata ſunt, cum Lutetiæ conſtet habitam, an alibi potiùs, quàm in ipſa eccleſia acta eſt, omnem porro de ea re dubitandi locum tollere ea, quæ in vita S. Marcelli Pariſienſis Epiſcopi à Fortunato deſcripta leguntur, quòd ſcilicet S. Marcellus adhuc ſubdiaconus, cùm die Epiphaniæ hauſiſſet aquam è Sequana, atque abluendis manibus B. Prudentio, qui tunc temporis Pariſienſem regebat Eccleſiam, præbuiſſet, verſam ſubito in vinum, quo prodigio perterritus Pontifex *juſſit ex ipſo urceo in calicem ſacrum fundi, undè univerſus populus Miſſa celebrata ad communionem accepit.* Quæ res declarat propinquam Sequanæ eccleſiam fuiſſe ætate Prudentii Epiſcopi Pariſienſis. Hæc & alia magni ſunt momenti ad ſtabiliendam horum opinionem, qui majorem eccleſiam in ipſa urbe primùm collocatam ſcribunt, cui ſententiæ ſubſcribimus. Primis enim exordientis Eccleſiæ temporibus & ad fidelium ſecuritatem, & ad vigilias, conventuſque ſeu clam ſeu palam agendos, magis erat expeditum intra ipſas urbes, quàm in ſuburbanis vicis domos ſeu conventicula Chriſtianorum eſſe; nam & turba fidelium magis in locis remotis obnoxia injuriæ fuiſſet, & minus promptum viris mulieribuſque Chriſtianis extra urbem conventus & vigilias celebrare, hanc verò baſilicam in extrema parte inſulæ, quæ Orientem ſpectat, non eſt cur negem. Nam his primis temporibus & vacuam ædibus, & idoneam cœtibus agendis hanc urbis regionem fuiſſe arbitror, & majorem baſilicam jam inde à temporibus Regum Franco-

LIB I. CAP. III.

Lampridius in Alexandro.

Euſeb. lib. 7. cap. 13.

De Glor. Confeſ. cap. 105.

 rum primæ ſtirpis ibi poſitam fuiſſe ex variis documentis accepimus. Quandò autem B. Mariæ Virginis nomine inſignita fuerit, non eſt hujus loci commemorare.

VII. Poſtquam S. Dionyſius & Clerum ordinavit, & eccleſiam conventibus agendis paratam habuit, non modo civitati Pariſiorum proficere ſtuduir, ſed & civitatibus provinciiſque vicinis conſultum eſſe voluir. Complures ex ejus ſociis in Belgicæ ſecundæ provinciam profecti ſunt, Evangeliumque multis populis prædicando tradiderunt, & Chriſti legem, quam annunciabant, ſanguinis demum & vitæ pretio teſtati ſunt. Id verò quandò & quibus in locis geſtum eſt poſteà inquiremus.

VIII. Cùm S. Dionyſius finibus regni Chriſtiani propagandis, & Eccleſiæ Pariſienſi amplificandæ annos mulros impendiſſet, exorta eſt ſæva in Chriſtianos perſecutio, & his Galliæ parribus inprimis tempeſtas incubuit. Tunc temporis Præfectus Feſcenninus præſidebat huicce provinciæ; ille exitiali in Chriſtianos odio vim multam ſanguinis Chriſtiani fudir, ſanctumque Dionyſium magni nominis Antiſtitem & rebus pro re Chriſtianâ præclarè geſtis inſignem comprehendi & mitti in carcerem juſſit, cum Ruſtico preſbytero & Eleutherio diacono. Invictum eorum animum primùm variis ſuppliciis terrere aggreſſus eſt, cumquè nihil proficeret, & fides martyrum vim tormentorum vinceret, capita illis amputari juſſit VII. Idus Octobris; quo die in Eccleſiâ anniverſaria eorum paſſio celebratur, quod martyrologia teſtantur. Vetus auctor paſſionis S. Dionyſii & ſociorum refert, quod cum eorum corpora in Sequanam projici fuiſſet imperatum, matrona quædam, quæ etſi ſuperſtitioni idololatriæ dedita erat, fidem tamen Evangelii amplecti meditans, cùm egregio aliquo opere hanc ſibi à Deo gratiam promereri ſtuderet, miniſtros ab impio facto piis artibus avocaverit: dum enim illos per ſpeciem convivii domi detinet, clam ſanctorum corpora ſubtrahit, & per ſervos efferri curat, & ad ſextum ab urbe lapidem humo mandari. Poſtquam verò ſedata hæc ſævæ perſecutionis tempeſtas; tradit idem ſcriptor excitatum ab ea ſanctis martyribus tumulum, & à Chriſtianis ædificatam eſſe *magno ſumptu cultuque eximio baſilicam*, & locum hunc virtutibus & miraculis illuſtrem extitiſſe; quorum quædam apud antiquos ſcriptores certa memoria eſt, ſuis locis referemus. Apud Fortunatum egregium extat de S. Dionyſio elogium, quod verſibus compoſuit, quodque vice cenotaphii hic apponemus.

Fortunat. lib. Poemat. 1. cap. 11.

Qui ſervente fide Chriſti ſolidatus amore,
Vertice ſuppoſito colla ſecanda dedit.
Membrorum contemptor erat, cupiendo coronam,
Vile putans quidquid ferret amore Dei.
Vt moritura caro donum immortale pararet,
Vulnera dilexit, ſed caritura nece.
Hoſtili occurrens gladio ſe miſit Olympo;
Vnde mori voluit, vota ſalutis habet.

Uſuardus ad VII. Idus Octobris meminit S. Dionyſii & ſociorum ejus his verbis. *Apud Pariſium natale ſanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherii diaconi, qui B. Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratià directus ad præfatam urbem devenit, ubi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino unà cum ſociis gladio animadverſus, martyrium complevit.*

IX. Quoniam verò S. Dionyſii paſſio tam pretioſa in conſpectu Domini, quam veneranda Pariſienſibus eſt; decretum mihi eſt ea ſigillatim indagare, quæ ad hujus ſancti Apoſtoli & martyris laudem ſpectanr, ratus ſcilicet me illius initurum gratiam & populi Pariſienſis votis facturum ſatis, ſi ſtudioſius inquiſiero quæcumque ad tanti Pontificis egregia facta, inſignemque ejus certaminis memoriam quomodocumque referuntur.

CAPUT

CAPUT IV.

De carcere, loco martyrii, tumulo & eccleſia S. Dionyſii & de ejus ſociis Ruſtico & Eleutherio.

CUM illam antiquæ Chriſtianitatis ætatem memoria repetò, qua cuique promptum erat patriam, vitam & ſanguinem, res denique omnes Chriſto aſſerendo & fidei propagandæ poſthabere, non poſſum non laudare felicitatem illorum temporum & ſummam ſanctorum hominum religionem, qui tanti fidem nobis tradiderunt. Verum cum recogito res Eccleſiæ, egregiaque veterum Chriſtianorum facta in obſcuro eſſe, adeo ut de primis Eccleſiarum auctoribus lis & diſſenſio ſæpenumerò ſit; propè eſt ut incuſem antiqua tempora, incuriamque majorum noſtrorum, qui cum fidem acceperint, quibus tamen acceptam referre oportet, ſubobſcure retulerunt.[1] Huic quidem incommodo mederi poſtea quidam conati ſunt, ſed aliud haud minus nocens malum nobis invexerunt. Nam dum hiſtoriam SS. martyrum quaſi poſtliminio ſcribere aggrediuntur, cùm certa non ſuppetunt acta, ſuæ plus æquo pietati indulſerunt, & nimio teſtificandi amoris in ſanctos ardore, quælibet ſine delectu in commentarios referre non dubitarunt. Quæ res eſt in cauſa cur mihi modo commemoranti S. Dionyſii paſſionem plurima jam occurrant, quæ opus habent examine, quæque dum expono, rerum ſeriem continuationemque perpetuæ narrationis neceſſaria diſcuſſione abrumpant. In his igitur tenebris, quas & antiquitas & diſputationes ſubinde ortæ offundunt nobis, S. Dionyſii res paſſionis, carcerem ſcilicet, locum tempuſque martyrii, tumulum, eccleſiamque ejus non ſimplici commemoratione referam; ſed & in quaſdam controverſias abduci me patiar, ut liquidò conſtet veritas, & lector quæcumque dixero, ex judicio æſtimet. I.

Graſſante his in locis perſecutione, ut dictum eſt, primores inter Chriſtianos tollere, & quaſi ſumma noſtræ religionis demetere capita perſecutoribus ſtatutum eſt: exiſtimabant ſcilicet ſublatis columnis Eccleſiæ brevi rem Chriſtianam ruituram. Dionyſius itaque, cujus præſertim opera & conſilio Pariſienſis Eccleſia cœperat & in dies plurimùm augebatur, quæſitus eſt ad necem, tandemque repertus, in carcerem conjectus eſt; ubi locus hujus carceris Lutetiæ fuerit antiqui non tradiderunt. Hilduinus hunc carcerem Glaucini appellat, ſed locum, ubi ſitus ſit, non deſignat: vulgaris opinio eſt Dionyſianum carcerem in eo fuiſſe loco, ubi modo eccleſia eſt S. Dionyſii de Carcere, ſed id non adeo certum eſſe reperio. Etenim ex veteribus chartis Anſoldus vir nobilis ſeu miles, ut illis temporibus dicebatur, cum uxore Retrude eccleſiam S. Dionyſii de Carcere fundavit de conſenſu Rainoldi Comitis Milidunenſis & Epiſcopi Pariſienſis, & in uſum clericorum ſeu canonicorum dotavit, quam fundationem Rex Robertus Aurelianis anno XIX. regni ſui confirmavit, quod ex Regis, & poſtea ex Girberti Pariſienſis Epiſcopi litteris datis anno MCCXXII. accepimus. In his porrò vocatur illa eccleſia de Pariſiaco carcere, & in aliis de Pariſienſi carcere quaſi antea non tam fuiſſet S. Dionyſii quàm publicus urbis carcer. Quidquid ſit, fama eſt, vel ibi extitiſſe carcerem illum, ubi SS. martyres Dionyſius Ruſticus & Eleutherius prima pro fide inierunt certamina, vel non procul ab eo loco. Nam tradunt eccleſiam, quæ modò S. Symphoriani dicitur, olim fuiſſe carcerem Dionyſianum, in cujus rei teſtimonium litteras proferunt Matthæi Bellimontis Comitis & Odonis Epiſcopi Pariſienſis. Anno MCCVI. ille Comes tam in ſalutem II.

In libro S. Martini de Campis.

LIB. I. CAP. IV.

Ex autographo Eccleſiæ S. Symphoriani & ex Carthul. Archiepiſ. Pariſ.

animæ ſuæ, quàm in compenſationem itineris Hieroſolymitani locum *reverentiæ & religionis antiquæ, in quo glorioſus martyr Dionyſius in carcere dicitur fuiſſe detentus conceſſit Deo & Odoni Epiſcopo Pariſienſi* ad ædificandam eccleſiam treſque ſacerdotes conſtituendos, qui Deo jugiter miniſtrarent. Ex iiſdem litteris intelligimus in eodem loco antea capellam fuiſſe ſub nomine S. Catharinæ ex pietate fidelium conditam, quæ deſuetudine & hominum incuriâ neglecta collapſaque fuerat, quæque ex liberalitate Matthæi Comitis, ut dictum eſt, in honorem & venerationem S. Dionyſii reſtituta eſt; eamdem porro eſſe, quam quæ modò S. Symphoriani baſilica eſt, charta fundationis docet; ejus enim ſitum deſcribens meminit *viæ ſtratæ*, quæ inter ipſam eſt & eccleſiam S. Dionyſii de Carcere. Cur autem dicta S. Symphoriani eccleſia ſit, non memini me legere; ſi conjicere licet, dicam propter vicinitatem alterius eccleſiæ S. Dionyſii facilè mutatum nomen, ſanctique Symphoriani eccleſiam appellatam propter reliquias illius S. martyris, quæ in ea fidelium venerationi expoſitæ cuſtodiuntur. Ante Odonis tempora nullum, quod ſciam, monumentum eſt in locum Dionyſiani carceris eccleſiam illam fuiſſe ædificatam. Hæc de carcere, in quo S. Dionyſius aſſervatus eſt.

III. Auctor paſſionis S. Dionyſii hunc cum ſociis multis afflictum injuriis & ſuppliciis affectum verberibuſque cæſum refert; quæ verò ſupplicia pertulerit non enumerat. Hilduinus ait hunc flagellis verberatum, tùm nudum lecto ferreo igne ſubjecto impoſitum, totoque ambuſtum corpore ad beſtias projectum, ſed manſuefactas ad pedes Dionyſii procidiſſe; eumdemque conjectum in ardentem clibanum, atque inde illæſum evaſiſſe; ac poſtea ad palum tortum fuiſſe crudeliter, ac demùm capite amputato cum ſociis martyrium feciſſe. De extremo capitis ſupplicio tam certa traditio, quàm de aliis, quæ Hilduinus retulit, incerta eſt; ante enim illius ætatem nullibi hæc leguntur. Fortunatus S. Dionyſium laudat quòd collum ſecandum dederit; vetus illius certaminis ſcriptor refert hunc, ut dictum eſt, variis ſuppliciis affectum, & amputato capite martyrio coronatum; martyrologia cæſum capite dicunt: verùm de lecto ferreo, de condemnatione ad beſtias, de clibano ardenti ſilentium eſt. Hodie tamen clibanum in eccleſia S. Dionyſii de Paſſu pietas fidelium venerandum fecit. Quemadmodum autem de pia fidelium veneratione aliquid detrahere mihi religio eſt, ita quoque de hac Hilduini narratione quicquam certi nolim affirmare.

IV. Poſtquàm S. Dionyſius variis ſuppliciis cruciatus eſt, tandem gladio animadverſus eſt cum ſociis, quòd diximus. Quo in loco SS. martyres præclaro pro Chriſto certamine defuncti ſint, an in extrema urbis parte, quâ inſula ad Orientem porrigitur, ubi modò eccleſia eſt S. Dionyſii de Paſſu, an extra urbem in eo loco ubi mons exurgit ſuburbanus, quem veteres olim Montem Mercurii & Martis vocitabant, magnæ nuper inter doctos viros exortæ diſputationes. Certamen quidem hujus S. Pontificis ab antiquis haud dubitanter relatum eſt; an autem intra vel extra muros fuerit, nemo ante Hilduinum commemorat: is in Areopagiticis Dionyſium, ejuſque Preſbyterum Ruſticum, Diaconumque Eleutherium glorioſam obiiſſe paſſionem narrat è *regione urbis Pariſiorum, in colle, qui ante Mons Mercurii dicebatur, quoniam idolum ipſius colebatur*. Mons quidem ille etiam Martis nomen apud aliquot authores Hilduino ſuppares retinuit; tamen obtinuit uſus ſanctior, ut Mons-martyrum omnino diceretur, quod ex ſcriptoribus veteribuſque chartis certum eſt. Nec modò huic colli martyrum nomen inditum, ſed & in eo velut ſacrum aliquod de debellata Gentilium ſuperſtitione trophæum erectum eſt; in vicem enim geminæ aræ Martis Mercuriique, duæ in SS. martyrum memoriam eccleſiæ ædificatæ ſunt, quæ ſerie temporum cum in manus laicorum hominum ceſſiſſent, monachorum S. Martini de Campis juris factæ ſunt, & ſub Ludovici VI. principatu factâ commutatione cum eccleſia S. Dionyſii de carcere Pariſienſi, quæ in manus regias conceſſerat, virginibus religioſis attributæ ſunt, quæ montem illum jam olim ſanguine martyrum conſecratum nova ſuæ vir-

Digitized by Google

ginitatis conſecratione, & vitæ ſanctioris inſtituto religioſiorem efficiunt. Sed
hæc ſuo loco ampliùs dicemus.
Hæc eſt traditio ab Hilduino aſſerta, & certis deinde monumentis ad nos V.
uſque continuata, de loco martyrii S. Dionyſii primi Pariſienſis Epiſcopi,
Ruſtici Preſbyteri & Eleutherii Diaconi. Nonnulli tamen exiſtimant Diony-
ſium intra urbis muros paſſum eſſe in extrema inſulæ parte ad caput majoris
eccleſiæ B. Virginis, ubi modò eccleſia eſt S. Dionyſii, quæ dicitur de Paſſu.
Aiunt ſcilicet eam eſſe urbis antiquiſſimam baſilicam, eamque ſub titulo &
& nomine S. Dionyſii primis temporibus ædificaram; hoc in more poſitum
apud Chriſtianos, ut ad ſepulcra martyrum baſilicæ conſtruerentur, extre-
mam illam inſulæ partem, tùm domibus vacuam, expoſcendis publicis ſuppli-
ciis opportunam; ibi S. Dionyſium defunctum martyrio, ibique ſepultum;
tumulum primò, tùm erectam eccleſiam, quæ S. Dionyſii de Paſſu dicta eſt,
quia ibi paſſus S. Dionyſius: vulgò in martyrologiis annotari apud Pariſium
fuiſſe natalem SS. martyrum Dionyſii Epiſcopi & ſociorum, qui gladio anim-
adverſi ſunt. Ea quidem magnifica, ſi veterum documentis & actorum aucto-
ritate fulcirentur, ſi tumuli S. Dionyſii, vel aliqua veſtigia illic conſpiceren-
tur, ſi denique heri aut nudiuſtertius hæc invenra non eſſet aſſertio. Dicam
hic breviter, fuſiùs aliàs, eccleſiam S. Dionyſii de Paſſu oratorium fuiſſe,
quod regnante Ludovico Juniore anno Chriſti MCXLVIII. Simon de
Piſſiaco canonicus, tùm frater ejus Oſmundus ejuſdem eccleſiæ canonicus
duobus preſbyteris inſtituendis dotaverunt, amplificatâ deinde ab aliis dota-
tione ad decem uſque clericos ſeu canonicos auctum numerum. Antea qui-
dem relictum oratorium litteræ fundationis ſignificant, neque cui uſui fuerit
aliàs invenio. Si quis hîc conjecturæ locus ſit, ego crediderim eccleſiam il-
lam S. Dionyſii de Paſſu fuiſſe olim quoddam diaconicon ſeu ſecretarium
antiquioris eccleſiæ B. Mariæ Virginis, quæ, poſtquàm illa ingentis operis,
quæ modò cernitur, major baſilica extructa eſt, atque aliò tranſlatum eſt ſe-
cretarium, vetus hoc relictum eſt, inſtitutiſque in eo à Simone & Oſmundo
& ab aliis, preſbyteris diaconis & ſubdiaconis eccleſia eſſe cœpit. Quemad-
modum eccleſia S. Joannis Rotundi aliquando baptiſterium fuit majoris baſi-
licæ; cum verò deſiit eſſe baptiſterium, preſbyteri priùs baptiſmo præpoſiti
cum diaconis ſubdiaconiſque hujus eccleſiæ miniſterio addicti ſunt: cur verò
eccleſia illa S. Dionyſii de Paſſu dicta fuerit, an à gradu aliquo, aliis inqui-
rendum relinquo; certè à paſſione ita dici nullo antiquo teſtimonio approba-
tum eſt.
Rebus ita compoſitis, perſpicuum eſt S. Dionyſium extra urbem paſſum VI.
eſſe, & in colle ſuburbano, ubi inprimis Mercurius colebatur; nam ejus cul-
tui deditiſſimam fuiſſe Galliam ſcribit Cæſar. Poſtquàm perſecutor profa-
nas ſuperſtitionis ſuæ aras ſacro martyrum ſanguine expiatas credidit, eorum
corpora in profluentem Sequanæ projici jubet, ut ea pietati Chriſtianorum
ſubtraheret. Sed providit Deus, ut ea Pariſienſibus ranquam aliquod juratæ
profeſſæque fidei Chriſtianæ monimentum ſervarentur. Parata omnia jam
erant ad ſubmergenda ſancta pignora, cùm matrona quædam, cui nomen
Catulæ Hilduinus aut dedit aut ſuppoſuit, quæ quidem nondum Chriſtiana,
ſuperſtitionem idolorum abnuere meditabatur, percuſſores de induſtria ad
convivium, ut dictum eſt, vocat, dumque eos per ſpeciem humanitatis aliò
diſtrahit, clam SS. martyrum corpora per famulos ſubducit, furtimque ſu-
blata ad VI. ab urbe lapidem terræ mandari curat; tum data Eccleſiæ pace
tumulo locum exornat, ubi in memoriam SS. martyrum baſilicam Chriſtiani
fecerunt, tùm ſucceſſu temporis, ſeu ex opportunitate loci, ſeu ex celebri-
tate tumuli vicus fuit, Catolacum vulgò vocabant, ſeu ut habent geſta Da-
goberti Regis, Catulliacum. Acta S. Genovefæ referunt hanc olim eccleſiam
S. Dionyſii curâ hujus S. Virginis, quâ pietate erat in S. Dionyſium, reſtitu-
tam eſſe, in eaque tumulum S. Martyris turritum fuiſſe Gregorius Turonenſis
tradit: Rex demùm Dagobertus aliam baſilicam magnis ſumptibus regioque

Digitized by Google

LIB. I. CAP. IV. ornatu condidit, in eamque tranſtulit ſancta martyrum Dionyſii Ruſtici & Eleutherii corpora, atque ipſe Rex in eadem baſilica ſepultus eſt. Ab eo tempore habuit ille vicus geminam ſub titulo S. Dionyſii eccleſiam; illa quidem vetuſtior eſt, quam vocant eccleſiam S. Dionyſii de Strata; recentior altera, quæ longè magnificentiſſima, non modò SS. martyrum tumulo illuſtris eſt, ſed & Regum Francorum commune eſt mauſoleum: neque amplius Catolacum vicus, ſed S. Dionyſii opidum dictum eſt. Etſi hæc fide ſcriptorum, monumentorumque auctoritate firmata ſunt, aliqui tamen neque loci religione, neque commemoratione antiquitatis deterriti, quædam revocare in dubium non veriti ſunt. Aſſerunt ſcilicet S. Dionyſium paſſum, ut libet, vel intra vel extra urbis muros, tumulatum eſſe in urbe, idque teſtimoniis veterum quomodocumque approbant. *Gregorius Turonenſis*, inquiunt, *refert Dionyſium Epiſcopum Pariſiorum urbi donatum eſſe martyrem tempore, quo Sigibertus Rex cum exercitu ad urbem illam venit, & maximam vicorum ejus partem incendio concremavit, & quemdam de primoribus ejus ad baſilicam antedicti martyris properaſſe non orationis devotione, ſed tantum ut aliquid defraudaret ab æde, ſcilicet ubi reſerata oſtia & vacuum templum reperiſſet, pallam holoſericam auroque exornatam ex gemmis, quæ & tegebat ſepulcrum temerario auſu diripuiſſe ſecumque ſuſtuliſſe.* His verbis, inquiunt, Gregorius locum ſepulcri Dionyſiani indicat intra urbem fuiſſe, quandò Dionyſium Epiſcopum Pariſiorum urbi datum eſſe dicit, cum ad urbem illam Sigibertum veniſſe & maximam vicorum ejus partem incendiſſe narrat. Hæc quidem veri ſpeciem habent; verùm aliter ſe rem habere ex Gregorii Turonici hiſtoria facile eſt intelligere. *Gregor. Turon. hiſt. lib. 4. cap. 44.* Sigibertum enim ita ad urbem acceſſiſſe ſignificat, ut hanc non fuerit ingreſſus: cum vicos non quidem interioris urbis, ſed agri Pariſienſis, & ut verbis ejus utar, vicos, *qui circa Pariſios erant* flamma conſumptos dicat. Bellum gerebat Sigibertus Rex adverſus Chilpericum; hic impar viribus fugiens in Carnotenſem agrum caſtra moverat: Sigibertus fratrem inſecutus Pariſios exercitum adduxerat, tùm, *qui circa Pariſios erant*, vici incendio abſumpti, tùm direptæ domus ſuburbanæ; quin & ipſam baſilicam S. Dionyſii unus è primoribus Sigibertiani exercitus prædæ cupidine illectus, vacuamque cuſtodibus, ut ferè fit belli tempore, nactus pallam holoſericam diripuit. Nulla res apertiùs docet baſilicam S. Dionyſii non intra ſed extra muros urbis fuiſſe; cùm enim Gregorius agri Pariſienſis vicos crematos dicat, direptas domos, & baſilicam ſine cuſtode relictam; hæc profectò de urbe poſita in inſula ſuo vallata ſitu, & multitudine civium abundanti non locutus eſt, ſed de vico, bello graſſante, expoſito oſtium direptioni. Accedit huc, quòd neque Sigibertum, nedum ejus exercitum Lutetiam ingreſſum fuiſſe Gregorius ſcribat, ſed ad populandum prope urbem acceſſiſſe.

VII. Præterea qui S. Dionyſii tumulum veteremque eccleſiam S. Dionyſii intra muros urbis fuiſſe ſcribunt, auctoritatem S. Audoëni Rotomagenſis Epiſcopi afferunt. Is in vita S. Eligii ſcribit, *quod cum anniverſaria Pariſius B. Dionyſii* *Cap. 23.* *martyris celebraretur paſſio, dum vigilia à Clero caneretur in choro, egreſſus Eligius templum deambularet in atrio, vidiſſetque eminus virum cunctis membris contractum contra ſancti ſepulcrum jacere in pavimento*, quem tandem in fide confirmatum ſanavit. Ibidem Eligius mauſoleum S. Dionyſii *Pariſius civitate* fabricaſſe dicitur. Addunt deindè hunc Fortunati verſiculum.

Ipſe Pariſiacâ properat Dionyſius urbe.

Lib. 5. Et quæ Gregorius Turonicus de Dagoberto Chilperici & Fredegundis filio memorat, *quem deducentes à villa Brennaco Pariſius ad baſilicam S. Dionyſii ſepeliri mandaverunt.* Et quæ idem de exequiis B. Aredii, quibus adfuiſſe martyres confeſſoreſque mulier quædam à dæmone vexata exclamavit. *Ecce adeſt Iulianus à Brivate, Privatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialis ab urbe propria, adeſt Saturninus à Tholosâ, Dionyſius ab urbe Pariſiacâ.* Hæc & alia congerunt, quæ & eòdem recidunt, & quæ ſi ſigillatim recenſeam, fatigem lectorem, & tempus & operam perdam. Sufficit hic dicere ex his ſimilibuſque

locis à quibuſdam colligi, in ipſa urbe Lutetiâ ſepulcrum, eccleſiamque fuiſſe. *Lib. I. Cap. IV.*

VIII. Etſi hæc in proſpectu videntur Lutetiam Pariſiorum urbemque ipſam denotare, tamen non tam ad ipſa vocabula quàm ad uſitatam illis temporibus loquendi conſuetudinem reſpicere oportet; plerumquè enim cùm urbis alicujus eſt ſermo apud auctores, non ipſa urbs ſolùm, ſed etiam ager ſuburbanus, vicinaque urbis loca ſignificantur. Ita Carolum Martellum ſepultum eſſe Pariſius in baſilicâ S. Dionyſii ſcribunt, *(Appendix Fredegarii.)* quem in ſuburbana eccleſia S. Dionyſii tumulatum eſſe conſtat; ita Stephanum ſummum Pontificem hiemaſſe *apud Pariſius civitatem* in monaſterio ſancti Dionyſii, & eumdem *apud Pariſius* duos filios ejus *Carlmannum & Carlum* unxiſſe in Reges narrant, *(Annales Fuld. Anaſtaſ. Biblioth.)* quos unctos fuiſſe in eccleſia ſuburbana S. Dionyſii nemo neſcit; ita Hugonem Regem ſepultum in baſilica S. Dionyſii *Pariſius* Chronica antiqua commemorant. *(Floriac. Monach.)* Quæ omnia cum acta ſint in baſilica S. Dionyſii ad VI. ab urbe lapidem, & tamen auctores ea Pariſius accidiſſe ſcribant, aſſeram apud alios auctores nomen Pariſius vel Pariſiacæ civitatis non ad urbem Lutetiam ſolùm, ſed etiam plerumquè ad ſuburbana Pariſiorum loca traduci. Hæc longiùs in hiſtoria perſequi moleſtum eſt. Qui plura deſiderant, conſulant viros doctiſſimos, qui ſuper eam rem accuratiſſimè ſcripſerunt, & ad eam illuſtrandam in eruditis operibus nihil reliqui fecerunt. *(Carol. le Cointe ad Ann. 574. & 630. & Hadrian. Valeſ. in diſcept. de Baſil. & defenſ.)* Sanè ſi tumulus eccleſiaque S. Dionyſii intra urbem primùm condita ſit, certiora etiamnum hujuſce rei exhiberentur teſtimonia; neque longo temporum ſpatio ita abolita fuiſſet tumulati intra urbem S. Dionyſii memoria, ut nulla penitùs monumenta ſupereſſent vel conſignata litteris, vel antiquâ veneratione Chriſtianorum ad nos uſque fideliter traducta, vel certè tranſlati corporis S. Dionyſii, vel furtim ſublati in baſilicam ſuburbanam alicubi mentio fieret. Adde quòd hæc ſancta pignora tumulo condita in inſula urbe & baſilica aſſervata neque clam ſurripi potuiſſent, neque palam auferri Clerus populuſque paterentur. Neque adversùs ſuburbanum S. Dionyſii tumulum unquam antea reclamatum fuiſſe reperio: immò ad VI. vel V. ad urbe milliarium tumulum SS. martyrum fuiſſe ſemper creditum eſt: atque id in dubium revocari prohibet ætatum omnium ſumma conſenſio, & à prima origine ad nos uſque & quaſi per manus tradita religio. His de S. Dionyſii tumulo eccleſiaque enarratis, libet paucis laudare pietatem religionemque Pariſienſium, qui fidem illam, quam S. Pontifex Dionyſius docuit & ſuo conſignavit ſanguine, inviolatè cuſtodierunt, & grato memorique animo, ſingulari veneratione ejus reliquias proſequuti ſunt. Populi ad ejus tumulum confluentes vota & preces Deo concipere inſtituerunt: Reges in ejus nomine baſilicam longè magnificentiſſimam extruere, ibique monaſterium condere, amplis reditibus latifundiiſque locupletare ſtuduerunt, & reipublicæ difficillimis temporibus ejus præſens patrocinium ſæpè experti ſe ad illius baſilicam ſepultos eſſe voluerunt, ut poſt mortem ſuffragio S. martyris Deum faventem miſericordemque experirentur. Summi quoque Pontifices, ſi quandò iis in Gallias venire contigit, non modò S. martyris Pariſienſium Apoſtoli ſalutare limina, ſed & illic commorari pietatis & religionis loco duxerunt; quin & apud exteras gentes S. Dionyſii Pariſienſis Epiſcopi longè celebratiſſimam fuiſſe memoriam poſtea dicemus.

IX. Neque hìc ſilentio prætereundi ſunt SS. martyres Ruſticus Preſbyter, & Eleutherius Diaconus, qui S. Dionyſii ſocii, ejuſque laborum & paſſionis participes fuerunt; ii quippe cum S. Pontifice rem Chriſtianam Pariſiis promoverunt, ſimul cum eo comprehenſi in carcerem truſi ſunt, unà in colle ſuburbano, ut dictum eſt, capite truncati, iique cum eo ſepulti, & in antiquiore S. Dionyſii collocati baſilica, & in eam, quam Dagobertus Rex extruxit, tranſlati ſunt; & ſi par certamen fuit, & par illis atque S. Dionyſio fuit corona. Nonnulli tamen eorum memoriam diu in oblivione fuiſſe aſſeverant, quòd neque Gregorius Turonenſis horum meminit, qui quidem de S. Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo & martyre, de turrito ejus tumulo, ejuſque baſilicâ ma-

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ...

LIB. I. CAP. IV.

gnificè locutus eſt; neque in verſibus ſuis Fortunatus, neque Fredegarius, Audoënuſque, neque auctor de geſtis Francorum quicquam de iis retulerunt, qui alioquin S. Dionyſii ſæpè meminerunt. Illi nimirùm ſcriptores fecerunt quod ſæpè fit, ut cum de pluribus SS. martyribus, aut de eorum tumulo eccleſiaque loquendum eſt, unum tantummodo, eumque primarium præcipuumque nominent; aliorum prætermiſſis nominibus, eccleſias S. Mauritii, S. Gervaſii, S. Coſmæ appellare ſolent; ſic baſilicam, monaſterium & opidum ſancti Dionyſii dicimus, etſi alii, qui tacentur, & ſocietate paſſionis & venerationis conſortio cum illis qui nominantur conjuncti ſunt. Adde quod principem inter ſocios mos eſt appellari, cum ſpecialis facti aut rei occaſione, unius alicujus mentio eſt. Ob eam cauſam Gregorius Turonenſis tumulum baſilicam & miracula S. Dionyſii celebrat, Fortunatus unum certaminis principem verſibus laudat Dionyſium, Fredegarius S. Dionyſii baſilicam vocat, & Audoënus ejus mauſoleum ab Eligio fabricatum commemorat. Secus ſe res habet, cùm paſſio plurium martyrum datâ operâ ſcripto commendatur, & eorum recenſentur certamina; tùm non unus aliquis, ſed omnes numerantur. Idcirco in actis paſſionis S. Dionyſii, quæ nonnulli viri docti Fortunato tribuunt, & alii ætatem Dagoberti Regis præcedere putant, legimus Ruſticum Preſbyterum, Eleutherium Diaconum cum S. Dionyſio in ſocietatem martyrii veniſſe. Genuinum Bedæ martyrologium anno DCCXXXIV. vetuſtius ad VII. Idus Octobris ſic habet. *In Pariſiis Natale SS. martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici & Eleutherii* reliqua martyrologia, Uſuardi, Adonis, Rabani & Notkeri Ruſticum Eleutheriumque ad eumdem diem memorant: cum eo tamen diſcrimine quod bene Uſuardo Ruſticus preſbyter eſt, & Eleutherius diaconus, ſicut apud Bedam & in actis illorum paſſionis; apud Adonem verò, Rabanum & Notkerum Eleutherius preſbyter eſt, & Ruſticus diaconus. Eſt in eccleſia metropolitana Eccleſiæ Turonenſis ſacramentarium vetus MS. ætatis Caroli Calvi, & fortè antiquius, in cujus canone & litania nomina SS. Dionyſii Ruſtici & Eleutherii continentur. Acta omnia antiquaque monumenta, in quibus celebris eſt horum martyrum memoria, referre non mihi propoſitum eſt. Apud auctorem geſtorum Dagoberti, legimus quod ille Rex *Dionyſii Ruſtici & Eleutherii corpora, eorumque nomina digeſta in ſarcophago reperit*, non quod ea penitùs obliterata fuiſſent; nam & ſarcophagum reclusum fuiſſe credibile eſt, cum S. Genovefa S. Dionyſii eccleſiam vetuſtate collapſam reſtituit: & diximus acta paſſionis S. Dionyſii, quæ Ruſtici & Eleutherii faciunt mentionem, Dagoberti temporibus antiquiora eſſe doctorum hominum fuiſſe ſententiam. Neque ille ſcriptor tradit memoriam horum martyrum priùs abolitam fuiſſe, adeo ut ea recluſo ſarcophago revixerit; ſique iſta diceret, fidem detraherent multi qui in eodem loco errores reperiuntur. Hæc de Ruſtico Eleutherioque, quorum indubitata traditio; referuntur & alii S. Dionyſii ſocii, quorum prædicatione per Belgicam ſecundam longè latéque Chriſtiana religio divulgata eſt, de quibus modò ſermonem inſtituemus.

Henſchenius ad tomum 2. menſis Martii.

CAPUT V.

De ſociis ſancti Dionyſii qui fidem in Belgica ſecunda annunciaverunt.

Et de tempore paſſionis ſancti Dionyſii.

QUEMADMODUM ſancti Apoſtoli non modò laudem meriti ſunt, quia Chriſtiani regni limitibus dilatandis ſtudium & operam ipſi poſuerunt, & tam verbis, quàm factis aſſeruerunt Chriſti religionem: ſed & quoniam per ſocios & comites tanquam per legatos multa ſtrenuè pro amplificanda Eccleſia geſſerunt: ita ſanctus Dionyſius debet valde commendari propter egregia acta, quæ pro bono & utilitate Eccleſiæ Pariſiis præſtitit, & certamina, quæ fortiter adivit, ſed adhuc propter eos, quos laboris ſui ſocios aſſumpſit, & quorum prædicatione multas civitates populoſque complures Eccleſiæ imperio adjecit. Duodecim ejus comites fuiſſe ferunt, qui ejus adducti exemplo, ejuſque admoniti conſiliis in ſecundam Belgicam, tanquam ad ſacram expeditionem profecti ſunt, ut illam provinciam Chriſto acquirerent. Cum laus rei bene geſtæ ad auctorem ducemque conſilii pertineat, & illi S. Dionyſii auſpiciis hanc expeditionem ſuſceperint, operæ pretium eſſe exiſtimo modò de iis dicere. I.

Diximus ſuperiùs fidem in Lugdunenſi prima ſub principatu Marci Aurelii annunciatam eſſe; ſed orta perſecutione, non tam citò in alias traductam provincias, adeo ut non niſi circa Decii tempora aliæ Lugdunenſes Dei religionem ſuſceperint; quo etiam tempore Lutetiam Pariſiorum perlatum fuiſſe Evangelium ex hiſtoria Gregorii Turonenſis antea à nobis relatum eſt. Poſtquam verò fides Chriſti Pariſiis in viciniſque Pariſiorum tractibus promoveri cœpit, ulteriùs etiam propagata eſt; prædicatione nimirum duodecim ſociorum ſancti Dionyſii, Fuſciani ſcilicet, Victorici, Piatonis, Quintini, Criſpini, Criſpiniani, Rufini, Valerii, Luciani, Reguli, Eugenii, & Marcelli; qui omnes in Belgicam ſecundam adhuc poteſtati dæmonis obnoxiam tanquàm impetu facto irruptionem fecerunt, ut eam à dæmonis ſervitute vendicarent. Et ſanè Sylvanectenſes, Sueſſiones, Bellovacos, Ambianos Tornacenſes, Viromanduos, Morinos, alioſque hujus provinciæ populos, divinâ, quâ pollebant virtute, legibus Chriſti parere compulerunt; & denique poſt multas regiones Chriſtianæ religioni aſſertas, pluribus diverſiſque certaminibus defuncti, Diocletiani & Maximiani temporibus martyrio mortem obierunt. Sed quoniam multi in animum induxerunt ſuum horum prædicationem cum miſſione S. Dionyſii vix cohærere poſſe, quippe quæ ſub Decio contigit, & illi ſub Diocletiano martyrium perpeſſi ſunt; neceſſe eſt oſtendere ex actis horum martyrum, aliiſque antiquis monumentis hos fuiſſe comites S. Dionyſii Epiſcopi Pariſienſis, nihilque tempora repugnare. Quemadmodum enim veritatem nullâ falſitatis maculâ contaminare mihi propoſitum eſt, ita de laude S. Pariſienſium Apoſtoli nihil detractum velim; aliquot igitur eorum acta attingam, quibus conſtat eos S. Dionyſii ſocios extitiſſe. A ſanctis Fuſciano & Victorico exordium erit. Acta eorum referunt eos cum duodenario numero ſociorum per ordinem glomeratos, unâ cum *Dionyſio Præſule, comitibus cæteris, Piatone, Ruffino, Criſpino, Criſpiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino & Regulo*, Româ profectos in Galliam veniſſe, & ſub Præſide Rictiovaro II.

Ambiani paſſos referunt; quod etiam auctor vitæ S. Audomari teſtatur. *Prædictus*, inquit, *Tervvanenſis populus licet ante adventum B. Audomari, à ſociis Dionyſii martyris, Fuſciano videlicet & Victorico, verbum audivit divinum, eodem tempore, quo S. Quintinus in Ambianenſe prædicabat urbe; multi tamen adhuc ex ipſis Tervvanenſibus cultui adhærebant idolorum: poſtquàm enim duo Beati viri prædicti Fuſcianus & Victoricus de prædicta Tervvanenſium urbe perrexerunt, & in Ambianenſium civitate martyrio coronati ſunt; tunc Tervvanenſes ad culturam iterum reverſi ſunt idolorum.* SS. Fuſcianum & Victoricum paſſos fuiſſe III. Idus Decembris martyrologia dicunt, utrumque porrò S. Dionyſii martyris & Præſulis fuiſſe ſocium hæc acta probant. S. Piatonem pariter fuiſſe è comitibus S. Dionyſii ex antiquis monumentis accepimus. In ſincero Uſuardi martyrologio ſic legimus ad primum Octobris. *Civitate Tornato paſſio S. Piatonis presbyteri, qui cum B. Dionyſio ejuſque ſociis ab urbe Roma Galliam prædicationis causâ expetiit, ac poſteà conſummato martyrio migravit ad Dominum*, quod martyrologium Eccleſiæ Pariſienſis aliaque multarum Eccleſiarum martyrologia tradunt. Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis in hymno, quem in honorem S. Piati ſeu Piatonis cecinit, hunc S. Dionyſii ſocium prædicat. *Tornacum versùs ſe direxit inclytus, cùm Pariſius iret B. Dionyſius. At Cæſar Maximianus, ut Piati hauſit famam virulentis auribus, comprehendi juſſit eum ad necandum protinus.* S. Lucianum acta vetera S. Dionyſio ſocium non modò adjungunt, ſed & eum ab eo ordinatum presbyterum narrant; hæc autem habent. *Eodem itaque tempore Beatiſſimus S. Lucianus S. Martyri conſociatus Quintino, urbe Romà cum B. Dionyſio pariter egreſſi Gallias adierunt.* Et iterum *Beatiſſimus itaque Lucianus, ut ſupra diximus, ab urbe Româ egreſſus à B. Dionyſio presbyteri ſumpſit officium & Belvacenſem ad urbem curſu properavit intrepido, atque tunc S. Dionyſius Pariſios habuit.* Hæc acta S. Lucianum ſub Juliano Cæſare paſſum tradunt. Legitur apud Bollandum alia S. Luciani vita, quam aiunt ab Odone Bellovacenſi Epiſcopo ſcriptam temporibus Caroli Calvi, quæ quidem Lucianum refert ſocium S. Dionyſii, & ab eo ordinatum presbyterum, ſed à S. Clemente miſſum in Gallias & ſub Domitiano martyrio coronatum. Notkeri Romanumque martyrologia hunc ſocium S. Dionyſii commemorant. Lucianum Quintini comitem fuiſſe omnia ferme acta docent, ſed ſub Diocleriano & Maximiano paſſum utrumque aſſerunt. Hemeræus acta paſſionis B. Quintini è codice pervetuſto Regalis eccleſiæ, quæ eſt ejuſdem martyris, edidit; in his legimus B. Quintinum & S. Lucianum Româ egreſſos in Gallias veniſſe. *Sed & libelli eorum certaminum teſtantur cum eis SS. Criſpinum & Criſpinianum, Ruſinum, Valerium, Marcellum, Eugenium, Victoricum, Fuſcianum, Piatonem atque Regulum pariter adveniſſe.* Hæc ex actis, quæ eorum certamen ſub Præſide Rictiovaro temporibus Diocletiani fuiſſe memorant; in his actis nulla S. Dionyſii mentio eſt.

Bollandus in actis ſanctorum ad VIII. menſis Januarii.

Claud. Hemer. in Auguſt. Viromand. vindicata & illuſtrata Pariſiis 1643.

Regulum unum è duodecim S. Dionyſii ſociis fuiſſe antea dictum eſt; hunc Uſuardi martyrologium Sylvanectenſium Epiſcopum refert: acta ejus, quæ Henſchenius edidit, hunc ſocium S. Dionyſii & à Clemente PP. miſſum memorant. Criſpinum & Criſpinianum ſocios S. Dionyſii annumeratos fuiſſe antea memoratum eſt. Martyrologia aiunt ambos apud urbem *Sueſſionem in perſecutione Diocletiani poſt immania tormenta gladio trucidatos, martyrii coronam eſſe conſecutos.* Acta eorum tradunt poſt Quintinum, Lucianum, & Eugenium in Gallias profectos, & jubente Maximiano ſub Rictiovaro Præſide martyrium feciſſe. Ruffinum, Valeriumque ſub eodem Rictiovaro in territorio Sueſſionis civitatis truncatos ſcribunt martyrologia ad XVIII. Calend. Julii. Ratbertus Corbeienſis Abbas eorum paſſionem ſcripſit, eoſque inter ſocios Quintini, Victorici, Fuſciani, Criſpini, & Criſpiniani annumerat, & paſſos ſub Diocletiano & Maximiano teſtatur. In Pariſienſi martyrologio ſancti Eugenii memoria eſt ad XVII. Calend. Decemb. his verbis. *Ipſo die Natalis ſancti Eugenii, qui apud pagum Pariſienſem conſummato martyrii curſu beatæ paſſionis coronam percepit à Domino.* Acta ſancti Quintini Eugenii meminerunt. Marcelli verò mentio

Uſuardi Martyrol. a 13. Calend. Aprilis.

Henſchenius in menſe Martio.

Uſuard. ad octavum Calend. Novemb.

Vide Henſch. ad 3. Calend. April. in proleg. ad S. Regulum.

mentio eſt in iiſdem, quemadmodum & in actis Fuſciani & Victorici.

III. Cur autem in actis ſancti Luciani, quæ diximus ab Odone Bellovacenſi Epiſcopo ſcripta ſub Carolo Calvo, legimus Lucianum è ſociis ſancti Dioniſii fuiſſe, qui à ſancto Clemente miſſi in Gallias ſub Domitiano paſſi ſunt, quod & acta ſancti Reguli, quæ Henſchenius edidit, commemorant; in actis verò ſancti Quintini ſanctorumque Criſpini & Criſpiniani nulla ſancti Dionyſii mentio eſt, ſed ſub Diocletiano & Maximiniano paſſos eſſe legimus: cur, inquam, illa acta ad Domitiani perſecutionem Luciani ceterorumque martyria referunt, quos aliunde conſtat certamen egregium edidiſſe ſub Diocletiano; & quare in aliis actis ſancti Dionyſii nomen reticetur, breviter explicabo. Illi, qui nova ſociorum ſancti Dionyſii acta poſt ortam de uno duobuſve Dionyſiis controverſiam ediderunt, cum legerent in antiquioribus ſcriptis eos eſſe ſancti Dionyſii ſocios & paſſos eſſe ſub Diocletiano, adverterentque ea pugnare cum ſententia de uno Dionyſio quam defendebant, conciliare diſſidia temporum duobus modis inſtituerunt. Alii expunxerunt annos Diocletiani & Maximiani, ſuppoſueruntque Imperium Domitiani & ſancti Clementis Papæ Pontificatum. Alii, quos pudebat tam apertæ falſationis quæ ex priſcis monumentis cuivis nota erat, retinuerunt quidem in horum martyrum actis tempora Diocletiani, ſed ſuppreſſo nomine Dionyſii; rati ſcilicet peracta ſub Diocletiano certamina, publicis teſtata documentis ſe conſervaturos ſimul cum paſſione S. Dionyſii ſub Domitiano, uniuſque vocabuli omiſſione lectoris diligentiam facilè falli poſſe; neque tanti eſſe expunctionem unius nominis, ut ideò acta falſi arguantur. Ceterùm ſive antiquiora & probatioris notæ acta, ſive recentiora interpolataque doceant hos ſanctos duodecim viros commilitones fuiſſe ſancti Dionyſii, id adeò ex actorum martyrologiorumque teſtimoniis probatum eſt, ut, ſi non aſſentiendi imponant neceſſitatem, ſanè diſſentiendi pudorem afferant.

IV. Non me latet eſſe homines eruditos, qui, etſi pro Dionyſii adventu in Gallias ſub Decio acerrimè pugnant, hos celebratiſſimos in Belgica ſecunda Evangelii præcones ejus fuiſſe ſocios haud ſibi perſuadent. Cum enim in Conſulatum Decii & Grati, id eſt in annum CCLII. Æræ Chriſtianæ miſſio S. Dionyſii ex Gregorio Turonenſi incidat; atque hi duodecim ſancti martyres & veniſſe in Gallias, & martyrii palmam retuliſſe ſub Diocletiano dicantur; & is ſalutatus ſit Imperator anno Chriſti CCLXXXIV. & ſævam perſecutionem moverit adverſus Chriſtianos anno CCCII. quî fieri poteſt, inquiunt, ut qui quinquaginta annos poſt adventum ſancti Dionyſii & venerunt in Gallias & paſſi ſunt, ejus nihilominus paſſionis & prædicationis ſocii appellentur. Hic ſcrupulus adeò pupugit quorumdam animos, ut illico à prima defecerint ſententia, & ſanctum Dionyſium è ſocietate & conſortio duodecim Belgicorum martyrum eliminare veriti non ſint. Ego verò, cui veritas hiſtoriæ juxta & gloria S. Dionyſii pretio eſt, conabor hunc eximere ſcrupulum ex animis & inter tenebras antiquitatis certam veritatis viam, vel ſequi vel indagare. Ut negotium tot difficultatibus implicatum expediam, priùs dicendum eſt, quis Eccleſiarum Gallicanarum ſtatus fuerit à Decii Principatu ad Diocletiani Imperium.

V. Dixi ſuperiùs Decii Imperatoris ejuſque ſucceſſorum Galli & Voluſiani Imperium paucorum annorum fuiſſe; cladiſque Valeriani memini, qui à Perſis captus, in dedecus ignominiamque Imperii Romani ab iis peſſimè habitus eſt. His verò Principibus, ut anteà memoravi, ſævis perſecutionibus vexata eſt Eccleſia. At Gallienus patris calamitate perculſus, ſtatim pacem Eccleſiis reddidit. Imperium nihilominus malis inteſtinis belliſque externis obnoxium fuit; nationes namque barbaræ in fines Romanorum irruptionem fecerunt, perruptiſque limitibus Imperio Romano multa damna intulerunt: barbariſque ſævior hoſtis multiplex tyrannus diſcerpſit provincias; alii quidem in aliis locis exorti. At Poſthumus, quem anteà Valerianus Præſidem Galliæ fecerat purpuram ſumpſit; ſeptem vel, ut alii ſcribunt, decem annos principatum ſeu

tyrannidem in Gallia geſſit, ex reipublicæ tamen commodo. Nam virtute & moderatione uſus barbaros irruentes in Gallias repulit, provinciaſque ad priſtinum reipublicæ ſtatum reſtituit; & demùm militum ſeditione interfectus eſt. Sub illius principatu Galliarum Eccleſiæ quietæ fuerunt. Lollianus Poſthumo ſuffectus paulò poſt interfectus eſt. Poſt cum Marius ex humillima origine ad faſces Imperii evectus, unum aut alterum diem Gallias rexit. Eo interempto Victorinus vir ſtrenuus, ſed moribus corruptis, Galliarum Imperium ſumpſit; is ſecundo Imperii anno Coloniæ Aggrippinæ occiſus eſt. Tetricus Senator Aquitaniam honore Præſidis adminiſtrans à militibus ad Imperium evocatus eſt; ſed ille propter ſeditiones militum purpuræ pertæſus ſe ſuoſque Aureliano Imperatori ultrò dedidit; neque horum tyrannorum tempore vexatas Galliæ Eccleſias accepimus. Dum hæc à tyrannis, qui Galliæ Imperium invaſerant, geruntur; Gallienus publicis malis nihil motus, quâ erat ſocordiâ, voluptati libidinique indulgens perditè vivebat; ſed tandem per conjurationem occiſus eſt cum fratre Vàleriano. Huic Claudius ſucceſſit, qui re adverſus Gothos bene geſta morbo interiit. Neque ſub ejus Imperio adverſus Chriſtianos promulgatum edictum; etſi multos palmam martyrii conſecutos eſſe narrant Annales Eccleſiaſtici. Tum Quintillus Claudii frater per XVII. fermè dies Imperium adminiſtravit. His Aurelianus ſucceſſit, hic contra Tetricum, qui Galliæ tyrannidem invaſerat, bellum geſſit, quo dedito, ut dictum eſt, Galliam à tyrannis liberam fecit. Crudelem ille movit perſecutionem adverſus Dei religionem, multùmque Chriſtiani ſanguinis fudit; in hiſque præcipuè Galliarum partibus graſſata perſecutio eſt. In ejus locum ſubrogatus Tacitus, qui continuò pacem Eccleſiis reddidit; ſex tantummodò menſium ejus Imperium fuit: ferro an morbo interierit, anceps fama. Florianus duos menſes, poſtquam imperare cœpit, militari tumultu interfectus eſt. Probus deinde ſalutatus Imperator multa præclarè geſſit, Galliaſque inprimis à barbaris occupatas liberavit; poſtque alia egregia facta interemptus ſucceſſorem reliquit Carum, qui aſcitis ad Imperium filiis Numeriano & Carino, altero ſui Principatus anno fulmine ictus periit. Numerianus paulò pòſt à ſocero ſuo Apro occiſus eſt. Diocletianus à militibus appellatus Auguſtus imperare cœpit, & cæde Apri, quem ſuâ manu confodit, fatum, quo ſi aprum occideret, Imperium promittebatur, implere viſus eſt. Carinus intereà, alter è filiis Cari, rerum, quæ patri fratrique acciderant, certior factus, in Illyricum venit, Julianumque, qui purpuram ceperat, prælio victum obtruncavit, ſumptiſque animis adverſus Diocletianum ſæpiùs dimicavit: ſed demùm dum Murgum juxta cum eo congreditur à ſuis percuſſus occubuit. Etſi Carus in Chriſtianos alieno non erat animo, ſub ejus tamen Principatu martyria fuiſſe, acta martyrologiaque teſtantur, ſeu filiis ejus Numeriano Carinoque auctoribus, ſeu ipſi Præſides injuſſi immeritos Chriſtianos vexarent. Diocletianus ſublato Carino collegam Imperii Maximianum allegit anno Æræ Chriſtianæ CCLXXXVI. biennio poſtquàm Diocletianus Imperium cepit. Gravem tunc fuiſſe perſecutionem in Chriſtianos Annales Eccleſiaſtici narrant, adeò ut nemini quicquam vendere vel emere liceret, niſi prius Diis libaſſet, multoſque martyrii gloriâ decoratos referunt. Id temporis tumultus in Galliis exciti ab agreſtibus latronibuſque quos incolæ Bagaudas vocabant, qui ducibus Æliano & Amando latè agros urbeſque populabant, hos Maximianus comparato exercitu oppreſſit. An hujus tumultuarii belli occaſione, vel ſeriùs, Mauritius ejuſque ſocii Thebæi milites Chriſtiani ad Agaunum paſſi ſint, varia doctorum opinio eſt. Sed quoniam bellorum moles acriùs urgebat, Galerius Conſtantiuſque in conſortium Imperii aſſumpti Cæſares appellati ſunt, & quaſi quadrifariam partito Imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ ſunt Conſtantio commiſſa, Africa Italiaque Maximiano Herculio, Illyricique ora uſque ad Pannonicum fretum Galerio, cetera Diocletianus retinuit. Demùm anno Æræ Chriſtianæ CCCII. ut Baronius aliique docti ſcribunt, vel CCCIII. ut alii contendunt, Nicomediæ promulgatum adverſus Chriſtianos edictum,

Baronius ad annum 270.

nullaque crudelior diuturniorque perſecutio fuit, & nuſquam tantum ſangui- LIB. I. CAP. V.
nis Chriſtiani per provincias fuſum eſt. Galliarum melior conditio fuit. *Con-*
ſtantius enim *conventicula, id eſt parietes, qui reſtitui poterant, dirui paſſus eſt;* *Lactantius de perſecut.*
verum autem Dei templum, quod eſt in hominibus incolume ſervavit. Alia quæ ad
Imperii vel Galliæ res pertinent commemorare non eſt animus.

Rebus Imperii & Eccleſiæ ita conſtitutis, juvat inveſtigare tempus paſſionis VI.
S. Dionyſii. Hac antiquitatis obſcuritate & auctorum ſilentio, haud facilè me-
moratu eſt, quo præſertim tempore, quaque perſecutione S. Dionyſius mar-
tyrium impleverit. Hilduinus quidem ſub Domitiano paſſum eſſe confidenter
affirmat; verùm illius ſententiam ad tempus Ludovici Pii, quo de uno duobuſ-
ve Dionyſiis orta contentio eſt, diſcutiendam rejecimus, ſecuturi interea eo-
rum auctoritatem qui de S. Dionyſio ante Hilduini ætatem aliquid nobis tradi-
derunt. Neque autem acta S. Saturnini, neque Gregorius Turonenſis, neque
antiqua illius paſſionis acta, neque ipſa martyrologia de ea re quicquam nobis
reliquerunt. Uſuardus quidem refert in eum ſub Præfecto Feſcennino unà cum
ſociis eſſe gladio animadverſum, ſed quo tempore Feſcenninus vixerit, ſub
cujus principatu præſidatum in Galliis geſſerit, tam in obſcuro eſt, quàm tem-
pus ipſum martyrii S. Dionyſii. Verùm quæ antiquitas non ſuppeditat, ſi quid
mihi liceat augurari, conjecturam paucis exponam. Ex antiquis S. Saturnini
actis & Gregorii Turonenſis hiſtoria palam eſt S. Dionyſium ſub Decio ve-
niſſe Pariſios, tùmque ibi fidem cœpiſſe promulgari. Id temporis deflagrabat
ſeptima in Chriſtianos perſecutio, cui S. Dionyſium ſuperſtitem fuiſſe haud
dubium eſt. Valerianus haud diſſimili furore correptus bellum adverſus Chri-
ſtianos redintegravit; neque eâ perſecutione S. Dionyſium ſublatum fuiſſe
puto, non enim his in locis viſa tum fuiſſe martyria comperio; & eo tempore
Poſthumus Galliæ Præſes erat, qui Germanis repellendis occupatus, nihil
novi in Galliis aggreſſus eſt. Adde quod ille cum ſingulari moderatione non
modò, ut Præſes, ſed ut Imperator Gallias rexerit, eoque nomine à Chriſtia-
nis ſcriptoribus celebratur; neque in Galliis ſolùm, ſed toto etiam Imperio
ſedata tempeſtas edicto Gallieni, cui clades patris ſaniora perſuaſerat conſi-
lia. Ita res noſtræ tranquillæ fuerunt uſque ad Aureliani Imperium: is quip-
pe adverſus Chriſtianam religionem crudelia edicta renovavit, verum *inter* *Lactant. lib. de mortibus perſecut.*
initia furoris ſui extinctus eſt; nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus edicta per-
venerant, cum falſa quadam ſuſpicione ab amicis ſuis interemptus eſt; adeo ut com- *Euſeb. lib.*
poſitis contra nos edictis & fere his ſubſcribentem divina ultio inſecuta ſit. *7. cap. 30.*
Edictum nihilominus adverſus Chriſtianos in Galliis promulgatum eſt, ſæviit-
que in his præſertim locis perſecutio, ubi multa martyria ex martyrologiis &
actis martyrum fuiſſe certum eſt. Virginem Columbam Senonis ſub Aurelia- *Prid. Calend. Febr.*
no paſſam eſſe martyrologia & tabulæ Senonenſis eccleſiæ referunt. In terri-
torio Tricaſſino Savinianum ſub Aureliano gloriam martyrii conſecutum, & *4. Calend. Febr.*
Trecis Juliam Virginem, Clandium, Juſtum, Jucundinum, cum quinque ho- *11. Cal. Aug.*
rum ſociis, & Patroclum coronâ martyrii donatos eſſe cùm antiqua monu-
menta, tùm Eccleſiæ Trecenſis tabularia teſtantur. Ex his facilè adducor ut *12. Cal. Feb.*
credam S. Dionyſium cum ſociis in perſecutione Aureliani comprehenſum
variis ſuppliciis affectum eſſe, ac demùm juſſu Feſcennini Præfecti obtrunca-
tum. Decio S. Dionyſium ſupervixiſſe conſtat; Valeriani furor non invaſit
Gallias: ſub præſidatu & tyrannide Poſthumi quietæ fuerunt: S. Dionyſius
per aliquot annos commiſſum ſibi opus proſecutus eſt, ut habent martyrologia; hos
ſanè annos Eccleſiæ Pariſienſi condendæ utiliter inſumpſit, & fidei ſtabilien-
dæ, quam ita intimis Pariſienſium mentibus infixit, ut neque denuo Pariſien-
ſem inſtaurari Eccleſiam, neque his in locis fidem iterum tradi oportuerit,
quod opus non unius aut alterius anni fuit. Huc accedit quod hæc Aureliani
perſecutio in his maximè Galliarum tractibus graſſata eſt; neque aliam per-
ſecutionem, neque tempus aliud martyrio S. Dionyſii facile tribuas. Quod
autem ſub Aureliano paſſum eſſe nullibi reperias, id ex eo, quod ſum dictu-
rus, accidiſſe reor. Aurelianus poſt publicatum contra nos edictum apud

Flav. Vopiſcus.

Cœnophrurium inter Heracleam & Byzantium interemptus eſt; deferentibus ſibi invicem Senatu exercituque honorem, ſubrogandi in illius locum Imperatoris interregnum fuit, ita ut *per ſex menſes Imperatorem Romanus orbis non habuerit, omneſque judices permanerent, quos aut Senatus, aut Aurelianus elegerat.* Cùm cruenta Principis edicta interim permanerent, nec niſi Tacito imperante revocata ſint, integrum fuit Præfectis provinciarum Præſidibuſque, vel uti manſuetudine, vel crudelitatem in Chriſtianos exercere, prout quiſque odio vel ſtudio in eos ferebatur. Duo itaque fuerunt tempora hujuſce perſecutionis; alterum, dum Aurelianus viveret, aut vivere adhuc in provinciis crederetur; alterum cum eo ſublato interregnum fuit, & nihilominus perſecutio continuaretur. Inde accidit, ut qui primis perſecutionis diebus paſſi ſunt, ſub Aureliano paſſi dicerentur; actis verò eorum, qui interregni tempore martyrium fecerunt, nomen potiùs Præſidis, quàm Imperatoris, aut neutrius aliquando apponeretur. Hoc poſtremo tempore certamen S. Dionyſii contigiſſe, & ideo nomen ſolummodò Feſcennini Præfecti annotatum faſtis Eccleſiæ conjicio. His ducti conjecturis dicimus S. Dionyſium coronatum martyrio VII. Idus Octob. anno Chriſti CCLXXVIII quo anno Annales Eccleſiaſtici cædem Aureliani, & interregnum Imperii fuiſſe annotant. Cum autem Tacitus ſit renunciatus Imperator VII. Calendas Octobris, ſanctum Dionyſium paſſum eſſe oportet dies XIV. poſtquàm ad Imperium evectus eſt, nondum nuncio de electione Taciti in has regiones perlato, nedùm revocato edicto Aureliani in Chriſtianos.

Baron. ad A. 277.

VII. Huc referendam eſſe cenſeo paſſionem SS. Agoardi & Agliberti, qui in vico Criſtolienſi paſſi ſunt, & quorum mentio eſt in martyrologiis ad VIII. Calend. Julii. Memorant eos paſſos eſſe cum aliis innumeris promiſcui ſexus. Chronicon Autiſſiodorenſe narrat eos viros fuiſſe nobiles & inter ſuos valentes auctoritate, qui prædicatione S. Altini & S. Eoaldi fidem acceperunt & ſuo exemplo numeroſam hominum multitudinem ad ſuſcipiendam Dei religionem adduxerunt; adeò ut fanum vanæ idolorum ſuperſtitioni dicatum illico deſtruerent; quam rem Præſes ægrè ferens multorum promiſcui ſexus credentium ſupplicio ac præſertim Agoardi & Agliberti morte crudeliter ultus eſt. Præclara eorum memoria fit in faſtis Eccleſiæ Pariſienſis. De iis martyrologia agunt. Uſuardus ad VIII. Calend. Julii. *In territorio Pariſiacenſi vico Criſtolio paſſio SS. Agoardi & Agliberti cum aliis innumeris promiſcui ſexus.* Neque hîc omittendus eſt Jonius martyr, quem his quoque ſævis temporibus certamen pro Chriſto glorioſum adiiſſe exiſtimo: hunc tabularia Eccleſiæ Pariſienſis in pago Caſtrenſi propè Pariſios nobilem fidei confeſſionem martyrio edidiſſe tradunt, & corpus ejus in baſilica S. Mariæ apud Corbolium magna cum veneratione aſſervari: ejus memoria Nonis Auguſti recolitur.

CAPUT VI.

De tempore quo ſocii ſancti Dionyſii in Belgica ſecunda martyrium fecerunt.

I. GALLIAM omnem Cæſar diſtribuit in tres partes, in Celticam, Aquitanicam & Belgicam. Quemadmodum autem ex Celtica quatuor poſteà provinciæ factæ ſunt, ſic quoque Belgica in quatuor provincias diviſa eſt; in duas ſcilicet Germanias, duaſque Belgicas. Ex iis Belgica ſecunda ad Sequanam Matronamque porrecta, proxima civitati ſeu agro Pariſienſi eſt. Hæc jam olim clara fuit urbium frequentiâ & potentiâ populorum, qui ob bellicæ

virtutis laudem antiquis ſcriptoribus celebrati ſunt, inter quos hi præcipui ſunt, Remi, Sueſſiones, Catalauni, Veromandui, Atrebates, Cameracenſes, Tornacenſes, Silvanectes, Bellovaci & Morini. Quo quæque tempore Belgicæ ſecundæ civitas fidem acceperit, dicere non inſtitui, neque cum ſingulis hujus provinciæ Eccleſiis de antiquitate ſua contendere. Aliàs oſtendi ſociorum S. Dionyſii prædicationi pleraſque ſua debere initia; Morinos ſeu Tervvanenſes Fuſciano præſertim Victoricoque fidem acceptam habere, Piatonis prædicatione & martyrio Tornacenſes Chriſto adquiſitos, Quintinum Veromanduis legem Chriſti tradidiſſe, Lucianum Bellovacis, Silvanectes à Regulo noſtram religionem edoctos eſſe, Sueſſiones à Criſpino & Criſpiniano ſupra memoratum eſt. Ex rerum ſerie & ex concordia variorum actorum & martyrologiorum auctoritate retulimus antea Belgicæ ſecundæ populos poſt Senones Pariſioſque fidem accepiſſe. Cùmque in pluribus actis martyrologiorumque locis aliquot ſcriptum ſit Belgicæ ſecundæ Apoſtolos ſocios fuiſſe ſancti Dionyſii & paſſos eſſe ſub Diocletiano & Maximiano, non eſt cur his fidem denegare debeamus: niſi fortè quis id opponat quod jàm diximus S. ſcilicet Dionyſium veniſſe Pariſios Decio & Grat Coſſ. quorum Conſulatus in annum CCLII. incidit, & martyria Apoſtolorum Belgicæ ſecundæ accidiſſe ſæviente crudeli illâ perſecutione, quâ Diocletianus abolere Chriſtianum nomen decreverat. Hæc autem cùm cœperit anno Chriſti CCCII. aut CCCIII. atque adeo intervallum ſit quinquaginta annorum inter Decii & Grati Conſulatum, & acerbam illam Diocletiani perſecutionem, vixque ſit credibile tanto annorum ſpatio hujus perſecutionem ab illorum martyrio diſtare; modò decretum eſt hunc nodum ſolvere, & tollere ex animis hunc ſcrupulum, & tempora S. Dionyſii cum ejus ſociorum ætate & eorum certaminis tempore conciliare. Supra multis probatum eſt diem martyrii S. Dionyſii referendum eſſe ad perſecutionem Aureliani, quem diximus incidere in annum Chriſti, juxta Annales Eccleſiaſticos, CCLXXVIII. Jam verò tempus ſociorum ejus inquirere oportet, & oſtendere illos martyres Fuſcianum, Victoricum, Quintinum, Lucianum & reliquos primis annis Diocletiani paſſos eſſe, nec eorum martyrium ad ultimam illam exitiabilemque perſecutionem eſſe rejiciendum. Quod ſi aliquando evicero, uti me id aſſecuturum mihi polliceor; nemo, puto, amplius denegabit aſſenſum tot veteribus monumentis, quæ illos ſanctos martyres comites & diſcipulos S. Dionyſii Pariſienſis Epiſcopi fuiſſe teſtantur.

II. In Belgicam ſecundam ſerius tranſlatam fidem probant acta martyrologiaque, quæ antea memoravi, traditioque Eccleſiarum hujus provinciæ. Nam ex iis Fuſcianum, Victoricum, Quintinum, Lucianum, ceteroſque harum Eccleſiarum Apoſtolos ſub Diocletiani Maximianique principatu martyrio ſublatos eſſe agnoſcimus. Hæc facilè ſibi perſuadebit, quiſquis hanc provinciam multos poſt annos gentilitatis ſuperſtitione nondum expurgatam eſſe perſpiciet. In vita S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi legimus, quod cum ille Epiſcopatum gerere cœpit, *incolæ ejuſdem regionis magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinebantur, & vanis ſuperſtitionibus ſatis dediti erant*; & auctor vitæ S. Audomari ſcribit Tervvanenſes poſt ſanctorum Fuſciani & Victorici prædicationem in idololatriam rediiſſe, nec niſi tempore S. Audomari ad ſanctiorem vitam religioſioremque Dei cultum revocatos; ex quibus intelligere licet primam verbi ſacri prædicationem nonniſi ſero his in locis contigiſſe, quippe quæ temporibus S. Eligii aut S. Audomari magnos nondum feciſſet progreſſus: neque eſſe cur fides denegetur actis traditionique, quæ hos SS. martyres ſub Diocletiano Maximianoque ſanguinem fudiſſe renuntiant; ſed hoc extra controverſiam. Non perindè eſt de tempore, quo ſub Diocletiano paſſi ſunt, hoc enim memoratu haud ita facile eſt: vulgo narrant crudeli illa perſecutione paſſos, quam ſub finem Imperii Diocletianus excitavit adverſus Chriſtianos, quæque decima perſecutio vulgo appellatur. An id autem cum veritate conjunctum ſit, mihi modò breviter exponendum eſt.

Audoënus in vita S. Eligii.

LIB. I. CAP. VI.

III. Exquo Chriſtiana religio promulgari cœpit, & gentes ad Evangelium vocari; adverſus Chriſtianos bellum graviſſimum undequaque indictum eſt. Superſtitioſi nempe homines ſuâ decepti opinione adverſari Chriſtiano nomini cœperunt, adminiſtri prophani ritus plebeculam contra Chriſtianos tanquam adverſus impios incitare, quia rem ſuam agi maximè credebant, ſi fides Chriſti aboleretur, & idolorum invaleſceret ſuperſtitio. Quin & Principes Provinciarumque Præſides rati nihil ſine Imperii periculo & reipublicæ damno, vel in vana religione innovari, publica prohibitione ſanctiſſimæ religionis progreſſus retardare inſtituerunt. Ob eam cauſam in nos frequens variaque perſecutio fuit: aliquando Principum arbitrio aut odio ſacerdotum prophani cultus in nos concitata tempeſtas; ſæpe privatis mandatis aut publicis edictis multum ſanguinis Chriſtiani effuſum eſt; aliquando etiam Præfecti provinciarum injuſſi Chriſtianos vexare aggreſſi ſunt; atque ita, modo toto Imperio imperara perſecutio: modo quaſi tumultuario impetu quibuſdam in locis ſolummodò excitata eſt; ſicque aut in plures aut in pauciores ſævitum eſt. Perſecutiones Neronis, Domitiani, Decii, Valeriani, Aureliani & Diocletiani edicto contra Chriſtianos promulgato motæ, & auctorum Eccleſiaſticorum ſcriptis memoratæ; ſed aliæ præterea quaſi tumultuariæ fuerunt, quas ex actis & paſſionibus martyrum in martyrologiis & traditione Eccleſiarum accidiſſe certò cognoſcimus. Hæc autem eò dico, ut oſtendam quo tempore SS. martyres paſſi ſunt, qui ſocii S. Dionyſii fuerunt, quique primi in Belgicam ſecundam Evangelium attulerunt, quoſque ſub Diocletiano & Maximiano paſſos eſſe conſtans opinio eſt. Vulgò tradunt fœdiſſima illa perſecutione peremptos quam Diocletianus in perniciem & exitium Chriſtianæ religionis anno ſui Imperii XIX. excitavit; cui vulgari traditioni ego non aſſentior, neque me huic aſſentiri patiuntur res Eccleſiarum noſtrarum.

IV. Etſi perſecutio Diocletiani tanquam peſtis aliqua toto ferme orbe graſſata eſt, Gallias tamen non afflixit, prohibente Conſtantio, qui tùm Gallias adminiſtrabat, quique à cæde Chriſtianorum longè abhorrebat. Nam, ut Lactantius refert, *Conſtantius, ne diſſentire à majorum præceptis videretur, conventicula ideſt parietes, qui reſtitui poterant, dirui paſſus eſt; verum autem Dei templum quod eſt in hominibus, incolume ſervavit; vexabatur ergo univerſa terra præter Gallias; ab Oriente uſque ad occaſum tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant.* Cum igitur illorum temporum ſcriptor aſſerat non fuiſſe hac tempeſtate martyria in Galliis, non eſt credibile in Belgica ſecunda tantam vim Chriſtiani ſanguinis profuſam fuiſſe. Conſtantius ſcilicet vir erat moderatus, & in omnibus vitæ ſuæ partibus temperans. Cum reliqui, qui, Imperio quadrifariam diviſo, ſummam rerum habebant, profligare Eccleſias Dei ſatagerent, & pio ſanguine provincias inceſtare; ipſe ab hujuſmodi cædibus abſtinuit, & ſuis excolendæ Dei religionis copiam fecit; quin & eos, qui orta perſecutione pararent à Chriſtiana religione deficere, tanquam transfugas è comitatu expulit, æſtimans deſertorem Dei facilè fieri proditorem Principis. Ita Gallicanæ Eccleſiæ immanem illam perſecutionem evaſerunt, cum reliquæ orbis provinciæ ſanguine & cædibus Chriſtianorum maderent. Donatiſtæ poſtea cum totum fermè orbem præter Gallias ſacrorum codicum traditione, quaſi ſacrilegio pollutum falsò crederent, & Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem ob eam rem vitio creatum dicerent, ſupplicibus libellis Conſtantinum rogaverunt, ut Judices Gallicani ſuam Cæcilianique cauſam cognoſcerent. *Rogamus te, aiebant, ò Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter ceteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia, petimus, ut è Galliâ nobis judices dari præcipiat pietas tua.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt Diocletiani perſecutione non vexatas fuiſſe Gallias. Cùm igitur Euſebius provincias Occidentis, Italiam ſcilicet, Siciliam & Galliam, Hiſpaniam, & Africam perſecutionis furorem expertas eſſe, & poſt biennium pacem conſecutas dicat, Galliam non ideò cruentatam fuiſſe ſanguine martyrum, ſed quod dixit Lactantius, baſilicas & conventicula diruta tantummodò

Lactant. de morte perſec.

Euſeb. de vita Conſt. lib. 2. cap. 33.

Optat Milevit lib. 1.

fuiſſe dicimus. Nam Conſtantius, cui Imperium Galliæ obtigerat, ut ipſe me- LIB. I
morat Euſebius, à ſanguine Chriſtianorum manus temperavit. Quæ cum ita CAP. VI.
ſint, non credibile eſt quod aliqui aſſerunt, urbes penè omnes Belgicæ ſe- *Euſeb. lib.*
cundæ his acerbis Diocletiani temporibus tinctas ſanguine martyrum. Sed quo- *1. de vita*
niam traditio actaque eorum conſtanter aſſerunt, ſocios S. Dionyſii, qui in *Conſt. cap.*
Belgicam traduxerunt Evangelium ſub Diocletiano Maximianoque paſſos eſſe, *13.*
atque ipſi hanc ſententiam defendimus: inquirendum aliud tempus eſt, quo
tantæ cædes in his Galliæ regionibus factæ ſunt; quod ut exequar, initia eo-
rum Principatus paucis nobis repetenda ſunt.

Diocletianus Imperator appellatus eſt anno Chriſti CCLXXXIV. bien- V.
nio poſt, Carino, cum quo pluribus præliis conflixerat, tandem perempto;
ſolus rerum potitus, Maximianum Cæſarem fecit. Tum motus in Galliis ex-
citi per agreſtes homines, quos vulgò Bagaudas vocant, qui ducibus Æliano
& Amando latrociniis Gallias infeſtare cœperunt. Maximianus, ſtatim atque
Cæſar renunciatus eſt, adverſus eos profectus, iis cæſis fuſiſque, brevi bellum
confecit. Cum poſteà Carauſius factâ defectione purpuram ſumpſiſſet, & Occa-
num in morem piratæ ac nefarii prædonis infeſtaſſet, atque occupaſſet Bri-
tanniam, atque, aliis auctoribus, in Africa Ægypto & Oriente rebelliones fie-
rent Diocletianus præter Maximianum conſortem Imperii Cæſares Galerium
& Conſtantium allegit: quadripartitoque Imperio Gallia Conſtantio obtigit.
Exinde res Chriſtianæ in Gallia quietæ fuerunt, neque gubernante Gallias
Conſtantio ſacer Chriſtianorum ſanguis effuſus eſt, adeo ut *non modò ille ama-* *Eutrop. lib.*
bilis, ſed etiam Gallis venerabilis fuerit. Cum igitur in Gallia nulla excitata ſit *10.*
perſecutio, poſtquàm Conſtantius Cæſar creatus eſt, nullaque ſub ejus princi-
patu extitiſſe in Galliis martyria probatum ſit; neceſſe eſt martyria, quæ ſub
Diocletiani & Maximiani principatu in Gallia contigerûnt præcedere Conſtan-
tii tempora. Sanè in eccleſiaſticis annalibus Baronii cruenta fuiſſe Chriſtianis *Baron. ad*
initia Diocletiani legimus. Quin etiam iidem annales memorant, eo anno quo *An. 284.*
Maximianus Cæſar creatus eſt, magnam in Chriſtianos motam fuiſſe perſecutio- *285.*
nem; neque licitum fuiſſe quicquam vendere, niſi thus antea oblatum aut Diis
libatum fuiſſet, idque ex actis martyrum annales eccleſiaſtici aſſerunt. Certè
à Maximiano tum vexatos in Galliis Chriſtianos haud incerta eſt opinio: nam-
que is ſtatim atque Cæſar dictus eſt, ad ſedandum motum Bagaudarum in *Aurel. Vict.*
Galliam profectus eſt, quod antiqui ſcriptores tradunt; & initio hujus tumul- *de Cæſar.*
tuarii belli Maximianum furere cœpiſſe in Chriſtianos veterum monumentis, ac *Eutrop. lib.*
præſertim inſigni Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi, quæ vulgata eſt, epiſtolâ me- *10.* *Oroſ. lib. 7.*
moratum eſt; ad ea enim tempora refert martyrium militum Thebeæ legio-
nis, qui cum ſe impiis ſacrificiis pollui nollent, juſſu Maximiani ad unum om-
nes interfecti ſunt ad locum, qui Agaunum dicitur, unde, & ipſi vulgò Agau-
nenſes martyres appellantur. Hoc autem Agaunenſium martyrum certamen
ſcribitur in his actis contigiſſe, cum Maximianus adverſus Ælianum & Aman-
dum expeditionem pararet; quod argumentum eſt fuiſſe martyria in Galliis
longè ante decimam perſecutionem, paulò poſt quàm Maximianus Cæſar di-
ctus eſt. Tum Maximianum in hæc præſertim loca veniſſe Bagaudarum tumul-
tus, qui his in provinciis inprimis exarſerat, perſuadet; nam & in agro Pari-
ſienſi fuiſſe caſtrum Bagaudarum, ubi fuit monaſterium Foſſatenſe antiquæ
chartæ teſtantur. Celebre eſt & id temporis certamen Gereonis martyris, qui *Chartular.*
Coloniæ Agrippinæ cum aliis trecentis-decem & octo; & in eodem territo- *Foſſatenſe.*
rio Victoris & ſociorum, Caſſii quoque & Florentii, quos omnes in perſecu-
tione Maximiani paſſos eſſe acta vetera, martyrologiaque memorant. Ad ea-
dem tempora referendum eſſe Juſtini pueri martyrium arbitror; hunc ſub Dio-
cletiani & Maximiani Imperio, Præſidatu verò Rictiovari in agro Pariſienſi
paſſum eſſe Beda ſcribit; ejus inquam certaminis tempus primis annis horum
Principum adſcribendum eſt, neque aliò rejicere facile eſt. Beda enim in
ejus actis quæ metro compoſuit, nullam Conſtantii mentionem fecit, qui ta-
men, cum primùm Cæſar creatus eſt, Gallias moderari cœpit, & quo Prin-

LIB. I. CAP. VI. cipe Gallicanas quieviſſe Eccleſias anteà dictum eſt. Ex illa porro hujus pueri paſſione intelligimus hanc Præſide Rictiovaro perſecutionem à Baſilea ad Rhenum, ad Ambianos, Bellovacos, Luparam uſque juxta Pariſios graſſatam eſſe.

VI. His temporibus paſſiones certaminaque ſociorum S. Dionyſii contigiſſe perſpicuum eſt; nam omnia congruunt, locus, Belgica ſcilicet provincia, Rictiovari Præſidis tempora & Principatus Maximiani, qui, cum gladios ſemel in Thebæos milites eduxiſſet, oppreſſo poſteà in his ferme locis Bagaudarum tumultu, furorem crudelitatemque in Chriſtianos tanquam in rebelles convertit, hoſque eodem ſævitiæ impetu, velut motus inteſtini reliquias perſecutus eſt; unde Maximianum exoſum fuiſſe Gallis propter ſanguinariam temeritatem, antiquus ſcriptor tradidit. (*Eutrop. lib. 10.*) Hoc igitur bacchante furore quo tota inprimis Belgica ſanctorum martyrum cruore infecta eſt. SS. Fuſcianum & Victoricum Maximiano Imperante & Rictiovaro Præſide III. Idus Decembris Ambiani paſſos eſſe acta martyrologiaque narrant. Piatonem Tornaci juſſu Cæſaris Maximiani necatum, Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus hymno in ejus honorem edito prædicavit. Bellovaci Lucianum, quem S. Quintini collegam S. Audoenus vocat, (*In S. Eligii vita lib. 2.*) martyrio coronatum ſub Principatu Maximiani antiqui codices memorant. Uſuardus Quintinum quoque pridie Calendas Novembris ſub Maximiano martyrium paſſum eſſe in *oppido Viromandenſe* commemorat: tabularia ipſa eccleſiæ Auguſtæ Viromanduorum eumdem Rictiovaro Præſide paſſum eſſe tradunt. Sueſſionis Criſpinus & Criſpinianus gladio trucidati ſunt: atque id contigiſſe Diocletiano & Maximiano Principibus & Præſide Rictiovaro ad octavum Calend. Novemb. acta martyrologiaque aſſerunt. Valerii denique & Ruffini memoria fit apud Uſuardum XVIII. Calend. Julii, *qui in territorio Sueſſionis civitatis à Præſide Rictiovaro poſt illata ſibi tormenta juſſi ſunt decollari.* Quæ omnia manifeſtè oſtendunt perſecutionem hanc, non tam Diocletiani, quàm Maximiani fuiſſe, qui ſedato motu agreſtium in Chriſtianos ſævire cœpit; unde tempus, quo ea acciderunt, facile eſt colligere. Scio plures etiam reperiri in actis martyrum, martyrologiis, tabulariiſque Eccleſiarum, qui Rictiovaro Præſide certamen martyrii his in provinciis obierunt. Verùm eos omnes hîc recenſere nec mihi integrum neque propoſitum eſt; ſufficit eorum meminiſſe martyrum, qui ſocii S. Dionyſii extiterunt, & ejus auſpiciis ultra agri Pariſienſis limites regnum Chriſti propagare ſtuduerunt. Sed quo præſertim tempore, & quo præcisè anno hæc ſæva perſecutio tanquam malum exitiale civitates Eccleſiaſque Belgicæ provinciæ populaverit, dicere haud ita promptum eſt. Quantùm tamen conjicere licet, eam opinor perſecutionem deflagrare cœpiſſe, ſtatim atque motus Bagaudarum armis & præſentiâ Maximiani ſopitus eſt; cùm autem is Cæſar ſit renunciatus anno Chriſti CCLXXXVI. & ſtatim adverſus tumultuantes agricolas in Gallias venerit, non ante annum Chriſti CCLXXXVII. neque multò poſt, hunc furorem perſequendi Chriſtiani nominis totâ Belgicâ exarſiſſe arbitror. Supra probatum eſt martyrium S. Dionyſii cadere in annum CCLXXVIII. ex computatione Baroniana; ita à paſſione ſancti Dionyſii ad martyria ejus ſociorum, qui Belgicam provinciam fidei lumine illuſtrarunt, non eſt intervallum niſi novem annorum. His omnibus ita conſtitutis, & quantùm fieri potuit accuratè expoſitis facilè conciliantur temporum diſſidia, quæ cum ſancti Dionyſii annis & Belgicorum martyrum certamine intercedere videbantur; neque amplius ſuberit cauſa cur hanc laudem ſancto Pariſienſium Epiſcopo ſubtrahamus, quòd cum ille agrum Pariſiorum excoluerit, operarios quoque miſerit in Belgicam provinciam, qui idololatriam ex inculto ſolo evellerent, & fruges ſanctioris doctrinæ diſſeminarent. Opportuna fuit locorum propinquitas; neque temporum ſpatia repugnare multis oſtendimus. His omnibus adjungam elogium Juſtini, quem mudò dicebam hac Maximiani perſecutione ſublatum.

VII. Juſtinus Autiſſiodori natus patre Chriſtiano, virtutibus doniſque ſpiritalibus ſtatim mirum in modum ornatus eſt. Puer novem annorum de redimendo

fratre,

fratre, quem barbari ceperant, cogitavit, ob eamque cauſam cum patre Ambianos, ubi hunc inter ſervitia degere divinitus admonitus fuerat, proficiſcitur. In itinere multa contigerunt, quæ pueri ſanctitatem plurimùm commendant. Ad Melodunenſe caſtrum mendicum nuditate & fame pereuntem ipſe ſibi detractâ tunicâ, admirante potiùs quàm approbante patre, operuit; Lutetiæ Pariſiorum ab Hyppolito viro clariſſimo hoſpitio vel ignotus benignè recipitur; cum Iſaram tranſire cogitaret, neque eſſet navicula, Juſtinus Deum precatus eſt; ſubitòque adſtitit portitor, qui illum ſine mercede cimba tranſvexit: cumque Ambianos adveniſſet, ad Lupi ædes, ubi frater habebatur, adiit, latentem inter famulos ſolus agnovit, & abſque pretio illius libertatem obtinuit. Rictiovarus Præſes provinciæ id temporis jubente Maximiano vexabat Chriſtianos; hic audiens advenas Chriſtianos in urbe verſari, Juſtinum cum ſociis illicò ad ſupplicium rapi jubet. Verùm illi clam dimiſſi ab hoſpite Lupo fugâ ſaluti ſuæ conſulunt, confeſtimque remeare in patriam properant. Clanculum igitur Ambianis egrediuntur; redibant ſimul viam ingreſſi, quâ Lutetiam itur. Jam Luparam, qui vicus eſt agri Pariſienſis prope attigerant, illi ex itinere defeſſi, & fame enecti ad fontem ſimul aſſident, parantque corpus reficere, cum ecce quatuor ſatellites, quos Rictiovarus ad eos inſequendos miſerat. Juſtinus hos intrepidus expectat, dum ad rupem proximam ſocii latebras petunt; rogatus à ſatellitibus, quis eſſet? an Deos coleret? quò ſocii fugiſſent? reſpondit haud hæſitans, ſe Juſtinum vocitari, & Chriſtianum eſſe, atque adeò execrati Deorum cultum, neque ſe proditurum ſocios. Cum nihil aliud à juvene acciperent, huic caput abſcindunt, & ſtatim diſcedunt. Pater, amotis lictoribus, ſacras martyris colligit reliquias, corpus quidem in vico Luparâ ſepelit, caput verò Autiſſiodorum, velut ſacrum pignus ad matrem defert, quod multos annos in domo conditum permanſit, donec Amator Epiſcopus hujus urbis ſacrum depoſitum illic latitare cognovit, quod magna celebritate in eccleſiam tranſtulit. Ejus corpus Luparâ tranſlatum eſt in majorem baſilicam Pariſiorum, ubi in theca ex ligno inaurato, magno cum honore aſſervatur. Ejus memoria in tabulis Eccleſiaſticis, Calendis Auguſti celebratur. LIB. I. CAP. VI.

Poſt ſanctum Dionyſium Malo Pariſienſis Epiſcopus habetur in tabulis majoris eccleſiæ. Quæ geſſerit in epiſcopatu, quos progreſſus eo Pontifice res Chriſtiana fecerit, in obſcuro eſt. Credibile tamen eſt Eccleſiam Pariſienſem, quæ perſecutione Aureliani gravia acceperat vulnera, reddita pace Eccleſiæ ſub Tacito & Probo Principibus auctam viribus, amplificatamque credentium numero. Etſi ſub Caro, ejuſque filiis quædam martyria in Galliis viſa ſunt, quietam tamen Eccleſiam Pariſienſem fuiſſe opinor uſque ad primordia principatûs Diocletiani & Maximiani. Nam, ut ſupra memoratum eſt, cum Bagaudæ Galliam ſuis latrociniis infeſtarent, & caſtris urbibuſque occupatis popularent provincias, Maximianus brevi ſedato motu Galliarum, adverſus Chriſtianos tanquam in reipublicæ hoſtes gladios convertit. Tum in his locis exarſit perſecutio. Id temporis Eugenium Diogili, Juſtinum puerum ad Luparam pro religione Chriſtiana trucidatos, anteà relatum eſt. Cum de Juſtino abundè ſit dictum, de Eugenio modò loquendum eſt. Eugenium fuiſſe ſocium S. Dionyſii acta S. Quintini commemorant; & Uſuardus ad XVII. Calend. Decemb. refert *apud Pariſienſem pagum, conſummato martyrii curſu beatæ paſſionis coronam percepiſſe à Domino.* In actis S. Quintini inter martyres Belgicæ ſecundæ qui ſub Maximiano paſſi ſunt, annumeratur, & ex ſociis S. Dionyſii fuiſſe vulgaris traditio narrat. Poſtmodum de eo varia credita ſunt. Eugenium acta quædam commemorant civem Romanum fuiſſe, quem fuiſſe ſocium S. Dionyſii Areopagitæ dicunt, conſecratumque à Dionyſio Epiſcopum miſſum in Hiſpaniam, Toletanamque fundaſſe Eccleſiam, cujus primus antiſtes fuerit, addunt; deinde rebus Eccleſiæ Toletanæ ordinatis, deſiderio viſendi Dionyſii in Galliis fama celebris Pariſios veniſſe, ortaque perſecutione Diogili, qui vicus ad radicem Montis-Maurenciaci ſitus eſt, martyrio coronatum, VIII.

LIB. I. CAP. VI.

ejuſque corpus in eo vico conditum, poſteaque tranſlatum in ædem S. Dionyſii. Hæc porro, ſeu omnino, ſeu partim vera Eugenii martyris famam auxere, & ſuccedente tempore ejus reliquiis honorifica fuerunt. Nam primum S. Gerardus Bronienſis Abbas magnæ vir ſanctitatis, & arctioris diſciplinæ, de quo alias plura dicentur, ſacras hujus martyris reliquias, aut portionem aliquam, quam à Dionyſianis monachis multis precibus obtinuerat anno Chriſti DCCCCXX. monaſterio Bronienſi intulit: & paulò poſt Stephanus Leodienſis Epiſcopus, habitâ ſuæ diœceſis Synodo, geſta Eugenii martyris & Toletani Epiſcopi approbavit, reliquiaſque illius palam vindicatas voluit. Hæc prima S. Eugenii reliquiarum tranſlatio fuit. En alteram. Anno Chriſti MCXLVIII. cum Eugenius PP. in Galliam veniſſet indicto Remis Concilio, Remundus Toletanus Archiepiſcopus contendens ad Synodum, primum Lutetiam Pariſiorum venit; tum ædem S. Dionyſii religionis ergo inviſit, quam cum perluſtrat oculis, videt ſepulcrum, cui inſcriptio. *Hic ſitus eſt S. Eugenius primus Archiepiſcopus Toletanus martyr.* Remundus rei novitate perculſus, (nihil enim de eo antea, ne Toleti quidem, audierat) ſciſcitatus ecquis fuerit ille martyr, allatiſque aliquot ſchedulis, acta S. Eugenii comperit inſcriptioni Dionyſionæ ædis conſona. Nihil ultra percontatus, ſolutâ Synodo in Hiſpaniam de reliquiis S. martyris Toletum transferendis cogitat: rei autem perficiendæ ita ſe præbuit occaſio. Ludovicus Junior Francorum Rex, ut habent ſcriptores Hiſpanici, poſt aliquot annos voti exolvendi gratia, Compoſtellam, tum Toletum venit. Id temporis Alphonſus VII. Caſtellæ Rex à Rege Francorum martyris Eugenii Toletani Archiepiſcopi dextrum brachium

Luc. Marin. Sicul. Martyrolog. Hiſp. ad 13. Feb. & Mar. rerum Hiſp lib 11. cap. 3.

impetrat, quod anno MCLVI. Toletum tranſlatum eſt, ſicut paſſim memorant martyrologia & rerum Hiſpanicarum celebrati ſcriptores. Anno verò MDLXV. reliquiæ & oſſa martyris Eugenii ex æde Dionyſiana Toletum tranſlatæ ſunt. Philippus enim II. Rex Hiſpaniarum populi Toletani precibus ſollicitatus integram capſam cum ſacris pignoribus à Rege Chriſtianiſſimo Carolo IX. per Oratorem ſuum impetravit; & XVIII. die Novembris allata Toletum apparatu magnifico, & pompa inſolita. Rex iſte, ſuppoſitis humeris feretrum geſtavit, & hac inſigni pietate plus honoris reddidit, quàm olim injuriæ, martyri perſecutor intulerat. Tres illæ reliquiarum S. Eugenii tranſlationes vulgo numerantur certis authorum teſtimoniis comprobatæ. Nulla quoque dubitatio eſt Eugenium martyrem fuiſſe, & ſæviente perſecutione prope Pariſios pro fide necatum. Primum verò fuiſſe Epiſcopum Toletanum haud ita facile aſſeram. Etenim ante principatum Alphonſi VII. Caſtellæ Regis de eo nulla memoria eſt, neque Toleti, neque apud Hiſpanos ſcriptores, qui hunc præceſſerunt, nec in antiquioribus actis martyrum Belgicæ ſecundæ, quæ ſupra memoravi in quibus Eugenium hunc martyrio defunctum ſub Maximiano legimus. Quærenti porrò unde primùm in æde Dionyſiana mentio Eugenii primi Toletani Epiſcopi, nihil ſuppetit, quod certò tradam: an, quod

Miræus in Faſt. Bel ad 15. Octob.

aliqui ſcribunt, ſed ſine auctoritate, Eugenii Toletani reliquias Lutetiam Pariſiorum allatas, Mauris vaſtantibus Hiſpaniam; an, quod magis probem, etſi conjectura eſt, Eugenii nomen, quod duorum Pontificum Toletanorum fuit, quorum junior carmina edidit, Pariſienſi Eugenio affictum eſſe, poſtquam Hilduinus aliquando hymnum ab Eugenio Toletano in honorem Dionyſii Areopagitæ dixit compoſitum. Nam cum in æde Dionyſiana S. Eugenii martyris memoria coleretur & ejus reliquiæ ibidem venerationi eſſent expoſitæ, facile creditum eſt eum Eugenium, quem martyrem eſſe conſtabat, & ſocium S. Dionyſii vetera acta aſſeverabant, eumdem & fuiſſe Toletanæ Eccleſiæ Antiſtitem, & martyrem Pariſienſem. Eugenii itaque martyrium Mallone Pontifice Pariſienſi, & Maximiano ut anteà probatum eſt Eccleſias Gallicanas perſequente, contigiſſe certum eſt.

IX. Maſſum in epiſcopatu Malloni ſubrogatum tradunt tabulæ Eccleſiæ Pariſienſis, & hunc tertium Epiſcopum Pariſienſem à ſancto Dionyſio fuiſſe ſcribit Hilduinus Abbas S. Dionyſii. *Lisbius*, inquit, *Romam ductus ſub Domitiano per*

tres Cæſares militavit, & ſub S. Maſſo Epiſcopo, qui tertius à B. Dionyſio Pariſiorum rexit Eccleſiam, reverſus, omnibus quæ ſunt mundi relictis, baptizatus, & religioſorum Chriſti pauperum numero eſt ſociatus. An ea, quæ de Domitiano & Liſbio Hilduinus memoriæ prodidit, hiſtoriæ veritati conſentanea ſint; expendere non hujus eſt loci. De Maſſo nihil præter nomen faſti Eccleſiæ Pariſienſis mihi ſuppeditant; tanta fuit olim incuria vel ſcribendi res Eccleſiæ, vel ſcriptas ad poſteros tranſmittendi. Chriſtianam rem ſub Maſſi pontificatu proſperam felicemque fuiſſe mihi perſuadet moderatum Conſtantii Imperium, qui per ea tempora Galliam regebat. Indices antiqui Epiſcoporum Pariſienſium poſt Maſſum Marcum ſcribunt, & Marco ſucceſſiſſe Adventum memorant, ſed præter eorum nomina nihil nobis reliquerunt. His Pontificibus haud dubium eſt quin res Eccleſiæ Pariſienſis florentiſſimæ fuerint.

His Pontificibus Conſtantinus Imperator non modò Chriſtianis ſacros ritus publicè permiſit; ſed ipſe repudiatis impuris ſacrificiis, Dei religionem ſuſcepit. Quæ res, quia initium habuit in Gallia, fidem latè per Galliam propagavit, & Eccleſiæ Pariſienſi vires & robur addidit adverſus virus Arrianum, quod paulò poſt ſerpere per Orientem cœpit, & in Occidentis Eccleſias ſenſim poſteà ſe ſe diffundens, tanquam contagione orbem penè totum infecit. Difficile eſt annos Epiſcoporum Pariſienſium computare & præciſè dicere, quamdiu quiſque pontificatum geſſerit, & quandò è vita exceſſerit, facilè tamen eſt colligere tam de ſerie Epiſcoporum, quam ex ejus ſucceſſore Adventum non modò ſub Conſtantino, ſed etiam ſub ejus filiis, qui trifariam partiti Imperium erant, Pariſienſem geſſiſſe epiſcopatum, ut modò ex iis, quæ de Victorino dicemus, perſpicuum eſt. X.

CAPUT VII.

De Victorino Epiſcopo Pariſienſi & de Conciliis Colonienſi & Sardicenſi quibus Victorinus ſubſcripſit & de Concilio Pariſienſi primo.

VICTORINUS ad ſedem Pariſienſem poſt Adventum evectus eſt. Meritis & virtutibus adeptum epiſcopatum, magnifica, quæ pro fide edidit adverſus hereticos, facinora oſtendunt. Nam pro defendenda Chriſti divinitate Euphratam Colonienſem Epiſcopum condemnavit, ut acta Agrippinenſis Synodi habent. Cum Arriani Athanaſium calumniis premerent, eumque exuiſſent epiſcopatu, & cum eo fidem peſſumdare molirentur, Victorinus in Concilio Sardicenſi cum aliis Catholicis Epiſcopis ſe fidei vindicem, & Athanaſii defenſorem præbuit, demùmque habitâ Pariſiis Synodo damna per fraudem hæreticam Eccleſiæ in Ariminenſi Concilio illata reſtituit. Sed hæc priuſquàm ſigillatim expedio, pauca ſupra repetam, quæ ad geſta Victorini cognoſcenda magis conducent. Eccleſia, quam Chriſtus acquiſivit ſuo ſanguine, poſt graviſſimas perſecutiones, quibus agitata multos annos fuerat, ſuis cladibus ſuperſtes, per ſua vulnera magis magiſque increverat; jamque ſub Conſtantino pacem multo martyrum ſanguine partam fovebat, tantùmque religioni Chriſtianæ accedebat virium, quantùm vanæ gentilitatis ſuperſtitioni detractum erat. Felicitati Eccleſiæ invidit hoſtis Dei hominumque Diabolus. Dum enim bella externa quieſcerent, inteſtina movit per Arrium impium hominem preſbyterum Alexandrinæ Eccleſiæ, qui ſubvertere animos fidelium pravitate doctrinæ inſtituit. Is contra Apoſtolorum Patrumque fidem docebat I.

LIB. I. CAP. VII. Jeſum Chriſtum opus eſſe Patris ante ſæcula quidem, ſed factum ex nihilo, & fuiſſe aliquando, cum non eſſet. Hæc primùm inter familiares clanculùm ſerere, tum parta ex impietate audacia id publicè profiteri. Alexander Epiſcopus Alexandrinus primùm monere, & illi perſuadere ſaniora; dum videt nihil ſe monitis, neque, quâ valebat, authoritate proficere, Arrium habitâ Synodo loco movet, arcetque ab Eccleſia. Arrius nihilo ſanior effectus multos homines modò per ſuſurros, modò per litteras, ſuæ impietatis ſocios ſibi adjungere qui in tranſverſum acti Eccleſiam turbare; quin & Epiſcopi Arrio adhærere, & Alexandri Epiſcopi factum arguere cœperunt. Ægypti Orientiſque Eccleſias malum ſerpens pervadebat. Generale Concilium Niceæ propterea habitum eſt Anno Chriſti CCCXXV. ubi à trecentis & octo Epiſcopis definitum contra Arrii perverſitatem, Eccleſiæ eſſe fidem, quod Jeſus Chriſtus Patri eſſet conſubſtantialis; quod in ſymbolo expoſitum eſt. Confeſſioni fidei Epiſcopi ſubſcripſere, paucis exceptis, qui in exilium acti ſunt; poſteà verò confeſſi in ſpeciem Nicenam fidem, revocati ſunt. Athanaſius ſedi Alexandrinæ poſt Synodum Nicenam aſcitus, id temporis vindex acerrimus Nicenæ fidei habebatur; cùmque Arriani Nicenam confeſſionem metu Conſtantini oppugnare non auderent, Athanaſium malis artibus opprimere ſtatuunt, & id quidem in Tyria Synodo, ſed varias Arrianorum eluſit calumnias; demùm falſis teſtibus ſubornatis in Gallias exulatum ire juſſus eſt. Mortuo deinde Conſtantino, revocatus à filiis ſuam ſedem recepit. Reditum Athanaſii acerbè cum ferrent Arriani, novas inſtruunt artes, Athanaſium coactâ Antiochiæ Synodo abſentem ab epiſcopatu dejiciunt, & alterum in ejus locum intrudunt. Tum Conſtantius, qui Orienti imperabat, aperte Arrianus erat, cum contra Conſtans ejus frater qui præerat Occidentali Imperio fidem Nicenam defenderet. Conſtantii authoritas propè exitio Eccleſiæ fuit. Nam Arriani palam ſuam impietatem profiteri, baſilicas ſeorſum extruere & poſthabitâ communione Catholicâ, ſacrilegas ſecum invicem ſynaxes celebrare; multi quoque, ad inſaniam Arrii additâ impietate, de Jeſu Chriſto jam proſcriptas opiniones renovare, aut novas ſuo modulo excogitare cœperunt; eòque res Chriſtianæ unius preſbyteri pravitate venerant, ut, non quod ſacri codices, aut Patrum ſcripta docent; ſed quod cuique lubitum erat, de Chriſto ſentire & loqui liceret; præſertimque in Oriente, ubi virus Arrianum omnia corruperat. Nam in partibus Occidentis major cautio adhibita; neque enim ibi quiſquam aut furorem Arrii, nedum quid deterius, impune promere audebat. In eo ſtatu Eccleſiæ res erant, cum Euphratas Epiſcopus Coloniæ Agrippinæ, quæ metropolis eſt Germaniæ ſecundæ, de Chriſto loqui impiè cœpit, negans Deum eſſe, neque extitiſſe à principio, imo purum putumque hominem; hancque veſaniam privatim & publicè coram clericis aſſerens; quin & præſente Athanaſio, dum in Galliis exularet, hanc nefariam ſententiam contentiosè defendiſſe dicebat Servatius Tungrorum Epiſcopus.

II. Gallicani Epiſcopi, ne malum latiùs ſerperet, congregantur primùm numero quinque, proſcribuntque impiam doctrinam, tum Euphratam ab epiſcopatu dejiciunt: iterumque anno CCCXLVI. qui fuit poſt Conſulatum Amantii & Albini IV. Idus Maias, longè numero plures in civitatem Agrippinenſem. Clericorum & aliorum accuſationibus Euphratas convictus cum impietate ſua damnatur. Adfuerunt in ea Synodo XII. Epiſcopi, & XXVII. ſeu per legatos, ſeu per litteras condemnationem Euphratæ confirmarunt; inter quos Victorinus Pariſiorum Epiſcopus celebratur. Quidam hanc Synodum falſi arguunt, aut ſaltem in alium locum rejiciendam putant, quod anno ſequente, ut eſt apud Athanaſium & apud Theodoretum, Euphratas Agrippinenſis Epiſcopus à Synodo Sardicenſi Antiochiam ad Conſtantium miſſus eſt cum Vincentio Capuano Epiſcopo, ut Epiſcopis exulibus reditum poſceret. Credibile eſſe non putant Epiſcopum hac hæreſeos inuſtum notâ & ſtatim poſt condemnationem, tam honorificâ defunctum legatione. Verùm cum nullâ in ea Synodo falſi nota reprehendatur, & annus, qui poſt Conſulatum Amantii,

conceptis verbis conſignetur; neque eſt cur ea Synodus expungatur ex Con- LIB. I. CAP. VII.
ciliorum codice, neque cur facilè in aliud tempus rejiciatur. Quod autem Euphratas Sardicenſi ſtatim Concilio adfuerit, & nomine Concilii Conſtantium Imperatorem adierit; opinor ego Euphratam temerè quidem aliquando pro licentia temporum de Chriſto locutum, ideoque meritò damnatum, ſed reſipuiſſe illico, & fidem profeſſum eſſe Nicenam in Concilio Sardicenſi, & hac fidei confeſſione Patres contentos fuiſſe; non quod Gallicanæ Synodi ſententia nullo haberetur loco, ſed quod Patres, & ipſi Gallicani Epiſcopi, qui plures Concilio aderant, ſalvam eſſe vellent Eccleſiam his malis temporibus, & è commodo & è re Chriſtianâ eſſe ducerent, potiùs curari vulnera, quàm membra excidi, & perſonas mallent corrigi, quàm plecti cum damno Eccleſiæ. Quod verò ad Conſtantium ierit à Concilio delegatus cum Vincentio Capuæ Epiſcopo, ut apud eum de reditu exulum Epiſcoporum ageret; non erat hæc legatio tam pro re fidei, quàm pro exorando Principe. Quæſiti itaque ad munus legationis obeundum, qui magis Principi grati eſſent, Euphrataſque inprimis, qui ſuo exemplo multos revocare ad ſanitatem poterat, quos aut pudor reſipiſcendi, aut metus amittendi honoris in ſua detinebat perfidia. Hæc pro Synodo Agrippinenſi, cui Victorinus Pariſienſis Epiſcopus per litteras ſubſcripſit.

Dum hæc geruntur in Gallia adverſus Euphratam, Arriani omnem movent III.
lapidem, ut Nicenam fidem convellant, Athanaſiumque fidei defenſorem opprimant. Is verò tunc & fidei aſſertor, & cupidus cathedræ, quam per vim Arrianam amiſerat, recipiendæ, nihil faciebat reliqui, ut Catholicam doctrinam ſartam tectamque cuſtodiret, & calumnias hæreticorum depelleret. Ille itaque egit apud Conſtantem, cujus Imperium Occidentis erat, & cujus animus erat Catholicus, ut generale Epiſcoporum Concilium Sardicæ haberetur. Huc Orientis, Occidentiſque Epiſcopi magno numero conveniunt. Inprimiſque Gallicani Epiſcopi numero XXXIV. nam totidem à S. Athanaſio enumerantur in ſecunda apologia, & plerique ex iis, qui Agrippinenſi Synodo ſubſcripſerant; inter eos erat Victorinus Pariſiorum Epiſcopus. Gallicanorum Antiſtitum in hac Synodo ſpectata fides: nam cum complures ex Epiſcopis, qui Arrianis favebant, ſeceſſionem feciſſent, nullus ex noſtratibus è Catholicorum Præſulum conſortio ſe ſubtraxit. Ibi confirmata fides Nicena, retentum conſubſtantialis vocabulum in ſymbolo, & Athanaſius, & multi alii Epiſcopi, quos expulerat perſecutio, ſuis ſedibus redditi ſunt; decretaque magnifica condita ſunt pro moribus Epiſcoporum clericorumque ad antiquam Eccleſiæ diſciplinam reformandis. His omnibus rebus, ut teſtis eſt Athanaſius, Victorinus Eccleſiæ Pariſiorum Epiſcopus cum aliis omnibus ſubſcripſit. Habitum eſt Concilium Sardicenſe anno Chriſti CCCXLVII. Rebus ita conſtitutis ſalva fides Catholica videbatur; Athanaſius reſtitutus cum honore fuerat, ſuamque receperant cathedram Epiſcopi omnes, quos vis Arriana dejecerat. Conſtantius, verè an diſſimulanter, Catholicos Epiſcopos amplectebatur: Valens & Urſacius Epiſcopi factionis Arrianæ principes Julium PP. adierant, & exomologeſim ſpectante Eccleſia Romana fecerant. Dum Eccleſiæ Catholicæ res proſperè fluerent, Conſtans Imperator inſidiis Magnentii petitus interficitur, magno quidem reipublicæ, ſed majori Eccleſiæ damno. Arriani enim eo ſublato, nullo metu deterriti adverſus Catholicos majoribus poſt retardatum impetum animis vertuntur. Tumultus denuò in Eccleſiis fiunt, fugæ, exilia & proſcriptiones Epiſcoporum adverſus Catholicos. Hæc in Oriente. Occidentis Eccleſiæ quietæ fuerant ſub Principe orthodoxo; ſed ſtatim atque Conſtantius ſolus rerum potitus eſt, poſt Magnentium ad Murſam interfectum, authore Valente hujus civitatis Epiſcopo ad labefactandam fidem Occidentalium animum adjecit. Crebra ob eam rem Concilia habita ſunt Arelate, Mediolani, Biterris, ubi Arrianus furor fidei Gallicanæ ceſſit. Sirmii quoque, ubi ipſæ columnæ Eccleſiæ vacillarunt, præſertim Arimini, quo in loco fides noſtrorum prope fraude Arrianâ circumventa eſt. Sed quoniam ad

Digitized by Google

 res noſtras iſtud negotium pertinet; breviter narrabo, quo conſilio Synodus Arimini fuerit, & quæ ibi per vim & fraudem acta ſint.

IV. Arriani non modò à Catholicis dogmate & ſententiâ diſſidebant, ſed etiam in varias ſectas diviſi ſecum invicem pugnabant. Alii quippe Filium D i, alterius à Patre ſubſtantiæ, illique planè diſſimilem aſſerebant; iique Anomæi propterea nominati ſunt: alii eum ſubſtantiâ ſimilem quidem Patri fatebantur, ſed ûſiæ vocabulum tanquam aliquod offendiculum refugiebant; iique Semiarriani fuerunt, qui & Homoiouſiani dicti ſunt: alii ſimilitudinis & differentiæ voces tanquam ſcopulos evitabant. Inter hos opinionum fluctus anceps Conſtantii animus unum idemque ſentire omnes cupiebat, neminem tamen rectè, quia favebat Arrianis. Hæc dum volvit animo, Catholicum quemque in unam cum Arrianis ſententiam vel vi, vel voluntate compellere cogitat, & Arrianos ad unam pertrahere opinionem, & rem in Synodo perficere. Et quoniam difficile erat omnes Epiſcopos tum Orientis, tum Occidentis in eumdem locum convenire, duo ſimul Conſtantius imperat Concilia: alterum, quod Nicomediæ primùm indicit, tùm Seleuciam transfert; alterum apud Ariminum urbem Italiæ. Sulpicius quadringentos & ampliùs ex Occidente Epiſcopos huc conveniſſe ſcribit, ex quibus octoginta Arrianæ factionis ſeceſſionem fecerunt. De fide variis collationibus actum, pugnatum diu. Catholici Epiſcopi de fide Nicena quicquam detrahi, imminuique non permittunt, immò ad defendendam fidem haud ſegni incumbunt animo, Urſacium a Singinduno, & Valentem à Murſa, Germinium & Auxentium à communione & cœtu fidelium arcent, dogma Arrianum feriunt anathemate, ûſiæque & ſubſtantiæ voces retinendas ſanciunt. Arriani numero & cauſa impares loco cedentes exiere Arimino, & gratiâ, quâ apud Principem prævalebant, parati defendere perfidiam, & homouſii vocem, tanquam novam, inſolitamque ſcripturis, è ſymbolo eliminant. Tum decem legatos ad Imperatorem mittunt; miſſi quoque ex parte Catholicorum, qui ſocordiâ & metu Principis cum Arrianis communionem ineunt, & confeſſioni ſubſcribunt, ubi latens ſub ambage verborum virus, & ûſiæ nomen abolitum, & ſimilis ſubſtantiæ Patri Filium eſſe ſubſtitutum eſt: *ſed interiùs aderat fraus parata; ut eſſet Filius ſimilis, non eſſet æqualis.* Arimini legatis regreſſis negata communio, & Nicenæ fidei jurata defenſio. Mandatum intereà Tauro Præfecto, ne ſolvi Synodum, nec Patres abire ſineret, priuſquàm omnes conſcriptæ fidei conſenſiſſent. Hoc nuncio primùm perturbari Patres, multi tædio longæ peregrinationis affici, terreri alii injuriâ hiemis quæ adventabat, & metu Principis cadere animo; adeò ut à pleriſque in ſententiam Arrianorum diſceſſio facta ſit, quæ etſi fraudem paratam habebat, tamen paucis reſiſtentibus, in hanc formulam, Tauro Præfecto, Urſacio & Valente annitentibus, ſubſcriptum eſt. *In unum verum Deum, Patrem omnipotentem credimus, in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia ſæcula, & ante omne principium natus eſt ex Deo; natum autem unigenitum ſolum ex ſolo Patre, Deum ex Deo, ſimilem genitori ſuo Patri ſecundùm ſcripturas, cujus nativitatem nullus novit, niſi qui ſolus eum genuit, Pater. Qui de cælo deſcendit, conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Mariâ Virgine, crucifixus ſub Pontio Pilato, tertiâ die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris, venturus judicare vivos & mortuos.* Etſi hæc confeſſio pietatem, religionemque præ ſe fert, infeſta tamen fidei Catholicæ erat, nam abjecta nomina ûſiæ & homouſii pro quibus tot annos in Eccleſia dimicatum eſt. Quid hoc erat niſi fidem prodere & turpi deditione fœdus cum adverſariis paciſci? Adverſariorum furori fraus addita: namque Valens ſignifer Arrianorum, in ſpeciem deteſtatus Arrii inſaniam, cum ejus blaſphemias palam damnaret, & hoc addidit, *ſi quis dixerit creaturam Filium Dei, ut ſunt ceteræ creaturæ; anathema ſit.* Clamatum eſt ab omnibus, *anathema*, nemine tum dolum ſubodorante, imò cunctis Valentem extollentibus, tanquam his vocibus Oriens & Occidens communionis vinculo, & unitate fidei necterentur. Hoc modo dimiſſum Concilium, bono initio, fœdo exitu conſummatum. Nam *cœperunt poſteà Valens & Urſacius*, inquit ſanctus

Sulpicius.

S. Hieronymus adverſus Luciferi.

Adverſus Lucif.

Hieronymus, cæterique eorum nequitiæ ſocii, egregii videlicet Chriſti ſacerdotes, palmas ſuas jactitare, dicentes ſe Filium non creaturam negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis. Tunc uſiæ nomen abolitum eſt, tunc Nicenæ fidei damnatio conclamata eſt, ingemuit totus orbis, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt. LIB. I. CAP. VII.

Ea tempeſtate fœda fuit Eccleſiæ facies; Orientis Eccleſiæ hæreticorum furore diſtrahebantur. Seleuciæ ubi diximus fuiſſe Concilium, cum Ariminenſe habebatur, vis Arriana, factio & dolus prævalebant. Epiſcopi, quibus pro fide Nicena infractus animus, per nefas & injuriam pulſi è ſedibus extorres agebant. Gemebat Ægyptus ſub impotentia pſeudo-epiſcopi qui cathedram Athanaſii invaſerat; Africa ſchiſmate Donatiſtarum diviſa erat: Illyricum Urſacii Valentiſque furor veſanus infeſtabat; reliquæ provinciæ Occidentis clade Ariminenſi perturbatæ erant. Poſtquam enim Antiſtites, ſolutâ Synodo ad ſuas quiſque ſedes regreſſi ſunt, clerici & plebes eorum imbecillitatem incuſare, formulam eis probro dare, cui ſubſcripſerant, vociferati palam fidem ſocordiâ Antiſtitum peſſumdatam, & pleriſque in locis ſegregare ſe ab eorum ſocietate, & eorum devitare contubernia. Grave profectò vulnus Arimini Eccleſiæ inflictum, dum Epiſcopi in expoſitione fidei ſinunt ſupprimi uſiæ vocabulum, & inconſultiùs ſcribunt Filium Dei non eſſe creaturam, ut ſunt cæteræ creaturæ. Etſi id noſtri non intelligebant, quod hæretici perversè interpretati ſunt, non tamen vacui à culpa, qui aliam à Nicena fide confeſſionem excudi permiſerant, ſed & huic ſubſcripſerant; neque ideò pro hæreticis habiti ſunt; nihil enim in expoſitione, cui ſubſcripſerant, ſacrilegum, nihil impium erat, verba omnia pietatem ſonabant; neque inter *illa præconia*, quibus Arriani Chriſtum laudabant, *venenum inſertum putabant. De uſiæ vero nomine abjiciendo veriſimilis ratio præbebatur quia in Scripturis, aiebant, non invenitur, & multos ſimpliciores novitate ſuâ ſcandalizat. Placuit auferri. Non erat curæ Epiſcopis de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto.* Jam verò quod ad alia quibus eos doloſè in ſuam ſententiam illexerant hæretici, conteſtabantur, teſte Hieronymo, *Corpus Domini, & quidquid in Eccleſia magis ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſuâ fide ſuſpicatos.* Putabant ſcilicet ſenſum congruere cum verbis bona de malis exiſtimatione decepti. Addit Hieronymus in Synodo Alexandrina conſtitutum eſſe, ut exceptis auctoribus hæreſeos, *quos error excuſare non poterat, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur; non quòd Epiſcopi poſſint eſſe, qui hæretici fuerant, ſed quòd conſtaret eos, qui reciperentur, hæreticos non fuiſſe.* Ex his perſpicuum eſt Ariminenſes Epiſcopos nullâ maculatos hæreſi, vi quidem & irâ Principis fractos, irretitos fraude: ſed alterum imbecillitatis eſt, alterum oſcitantiæ & ſimplicitatis fuit; neutrum verò hæreſeos aut perverſæ opinionis, ideòque totum orbem ingemuiſſe cum S. Hieronymo dicimus, & miratum eſſe, ſe eſſe Arrianum. Non quòd Epiſcopi illi hæreſim defendiſſent, ſed quòd deluſi ſpecie boni & concordiæ, in unam ſententiam confidentiùs conſenſiſſent, cujus ſenſum improbitas Arriana facilè pervertit; adeò ut totus fermè orbis Epiſcopi nihil tale cogitantes, non corde, non ore, ſed pravâ interpretatione hæreticorum, Arrianiſmum profeſſi viderentur. In Galliis nihilominus plures his Epiſcopis, qui Ariminenſem fidem recepiſſent, communionem denegandam arbitrabantur, quod ſine magno fidei Catholicæ periculo fieri non poterat. Sed hos motus inteſtinos, qui noſtris Eccleſiis perniciem minitabantur, ſuâ prudentiâ ſedavit Hilarius. Is olim exulatum ierat in Orientem; ſed cum in Seleucienſi Synodo ardenter pro fide certaret, remiſſus in Galliam, redeundi poteſtatem habuit ſine exilii indulgentiâ. Reditus ejus Eccleſiis Gallicanis gratus & utilis fuit; nam *optimum factu arbitratus revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus ferè Epiſcopis de errore profitentibus, apud Ariminum geſta condemnant, & in priſtinum ſtatum Eccleſiarum fidem reformant.* Adde quod Epiſcopi Orientis, qui in fide ſteterant, ad Hilarium jam in Galliis verſantem litteras miſerunt, conquerendi cauſa ob Concilii Ariminenſis fraudem, orantque uti pro bono Eccleſiæ damna Arimini reſarcire curet, efficiatque cum Epiſcopis Gallicanis

V.

Hieronymus advers. Lucifer.

Sulpit. lib. 2.

LIB. I. CAP. VII.

uti confeſſionem Ariminenſem deteſtentur, auctoreſque improbitatis Arrianæ, pulſos ſacerdotio & Eccleſiis, communione privatos pronuncient. Tunc temporis Hilarius haud ſegniter navabat operam rei reſtituendæ Chriſtianæ, litteras ad Epiſcopos mittit, Concilia frequentia in Galliis celebrari curat, atque inprimis ad Epiſcopos hujuſce regionis ſcribit, ad eoſque litteras Orientalium mittit, ut in commune conſulant, quid facto opus ad rem graviter agendam ſit. Congregantur Lutetiæ Pariſiorum, quo tempore, ut opinor, Victorinus Pariſienſem adhuc gerebat pontificatum. Jam enim Victorinus Pariſienſis Epiſcopus, magnificum fidei ſpecimen ediderat adverſus Euphratam Colonienſem Epiſcopum, & in Synodo Sardicenſi pro Nicena confeſſione defendenda; quin & Orientalibus pleriſque notus, quos viderat Sardicæ, præſertim Athanaſio à quo in ſcriptis nominatur: & ob eam cauſam directas illi ab Hilario Orientalium litteras, & Gallicanos Epiſcopos conveniſſe Pariſios puto, ut in civitate fierent decreta, ubi Victorinus Epiſcopus erat ætate & rebus præclarè geſtis clarus; qui verò Epiſcopi huic Synodo adfuerint haud compertum habeo. Credibile eſt tamen Epiſcopos conveniſſe ex his inprimis provinciis, quæ poſteà Lugdunenſis ſecunda, tertia, Senonia, & Belgica ſecunda. Hujus autem Synodi Pariſienſis extat adhuc adorandum fidei Gallicanæ monumentum, luculenta epiſtola, quâ fidem noſtratium ſuſpicere licet. Hi diverſis Epiſcopis Orientis teſtificantur à ſe ſemper fideliterque ſuſceptas ûſiæ & homouſii voces, quas acceperunt Arimini & Niceæ Thraciæ fuiſſe abolitas, unigenitum deinde Dei Filium ejuſdem eſſe cum Deo Patre ûſiæ ſeu ſubſtantiæ confitentur, adeò ut neque creatura, neque adoptio, nec appellatio diceretur; quibus verbis perimunt hæreſes Sabellii, Arrii aliorumque, qui veram æternamque Filii Dei nativitatem impiè negabant; poſt hæc præclarè de Chriſti divinitate loquuntur. Sed quoniam Ariminenſi expoſitioni ſimilitudo Filii cum Deo Patre inducta fuerat, Patres non quamlibet ſimilitudinem prædicant, ſed eam quæ eſt Dei veri ad Deum verum, & in eum ſenſum Filium eſſe imaginem Patris docent; ad hoc deteſtantur voces, Filium non fuiſſe antequàm naſceretur, Filium quidem non innaſcibilem eſſe, ſed impium eſſe aſſerere, præceſſiſſe tempus aliquod auctorem Deum. Cum verò abuterentur Arriani verbis quibuſdam Scripturæ, ex quibus Filium Patre inferiorem eſſe falsò aſſeverabant, ea docent Patres referenda ad Chriſtum, quatenùs infirmitatem hominis aſſumpſit, qui quidem cum in forma Dei maneret, in forma ſervi eſſe voluit; quid quod iidem Patres ſe penitus rejicere aſſerunt ea quæ vel per fraudem hæreticorum, vel noſtrorum ſimplicitatem perperam Arimini geſta ſunt. His ita expoſitis excommunicatos à ſe Domninum, Auxentium, Urſacium ac Valentem, Gaium, Megaſium, Juſtinum, eoſque inſuper, qui in locum exulum Epiſcoporum intruſi injuſtè eorum ſedes occupabant, & eos omnes, qui intra Gallias his omnibus reniti voluerint, abdicaturos ſe ſacerdotio & communione Eccleſiæ coram Deo pollicentur. Admonent poſtremò Orientales Saturninum Arelatenſem compertum impietatis ab omnibus Gallicanis Epiſcopis fuiſſe excommunicatum, uti ipſi per geminas Epiſcoporum Gallicanorum litteras acceperant. Cum enim hortante ſancto Hilario frequentia in Galliis Concilia fuiſſent, ſecum invicem quæcumque ſtatuta fuerant, communicabant. Paternum quoque Petrocoriis Sulpitius tradit fuiſſe id temporis propter eamdem inſaniam à noſtris condemnatum. De eo tamen in hac epiſtola ſilentium eſt, nondum fortè pervulgatâ per encyclicam epiſtolam ejus condemnatione. Vulgò ſcribunt hoc Concilium habitum fuiſſe CCCLXII. anno ſcilicet ſecundo Juliani Imperatoris; ego verò arbitror anno præcedenti CCCLXI. coactum; idque ut affirmem, faciunt hæc verba Antiſtitum Gallicanorum, *blaſphemias quoque omnes, quas litteris veſtris ſubjeciſtis damnamus, maximèque eorum ſacerdotes apoſtatas reſpuentes, qui in loco Patrum indigniſſimè exulantium quorumdam aut ignoratione, aut impietate ſunt ſubſtituti.* Julianus appellatus eſt Imperator ab exercitu anno CCCLX. & continuò è Galliis diſceſſit. Anno ſequenti CCCLXI. Conſtantius obiit. Anno CCCLXII.

Exules

exules redire ad Eccleſias permiſit Julianus; quo anno Athanaſius Alexandriam rediit cum Euſebio Vercellenſi, habitumque illud celebre Alexandrinum Concilium, quo Epiſcopos, qui perſecutione Conſtantii lapſi erant, ad communionem cum ſuo loco & honore recipi decretum eſt. Cum igitur hîc mentio exulantium Epiſcoporum ſit, neceſſe eſt hanc Synodum præceſſiſſe tempus, quo copia redeundi exulibus facta eſt. Quamobrem coactam oportet haud multo poſt diſceſſum Juliani è Galliis, quod congruit cum anno ſuperiore, qui eſt CCCLXI. LIB. I. CAP. VII.

VI. Hujus porrò Concilii epiſtola ad Orientales Epiſcopos; de qua diximus, ſola nobis ſupereſt, hanc primum edidit Nicolaus Faber vir doctus inter fragmenta S. Hilarii, & iterum ad alium codicem paulò emendatiorem recognovit Sirmondus in collectione Conciliorum Galliæ; unde eam demùm eruimus, ut hiſtoriæ Pariſienſi tanquam ſuo loco redderemus.

Synodica Concilii, ſeu fides Catholica expoſita apud Pariſiam Civitatem ab Epiſcopis Gallicanis, ad Orientales Epiſcopos.

Dilectiſſimis & beatiſſimis conſacerdotibus Epiſcopis Orientalibus omnibus per diverſas Provincias in Chriſto manentibus Gallicani Epiſcopi ſalutem.

OMNI quidem vitæ noſtræ fideique ſenſu gratias Deo Patri per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum confitemur, quod nos in lumine ſcientiæ confeſſionis ſuæ doctrinis & propheticis & apoſtolicis conlocavit, ne ſecularis imperitiæ tenebris detenti, judicio ſæculi teneremur: cum ſola ſpes ſit pleniſſima ad ſalutem, Deum patrem omnipotentem per Unigenitum ejus Dominum Ieſum Chriſtum in ſancto Spiritu confiteri; ſed plane non minor quotidie gratulationis noſtræ cauſa cumulatur, quod liberans nos ab errore mundi, nunc etiam inexpiabili hæreticorum admiſceri non patitur ſocietati. Ex litteris enim veſtris, quas dilecto fratri & conſacerdoti noſtro Hilario direxiſtis, fraudem Diaboli, & conſpirantia adverſus Eccleſiam Domini hæreticorum ingenia cognovimus, ut diviſi in partibus Orientis, atque Occidentis, diverſis invicem opinionibus falleremur. Nam plures numero, qui aut Arimini, aut Niceæ adfuerunt, ſub autoritate veſtri nominis ad uſiæ ſilentium ſunt coacti. Quod verbum à vobis quondam contra Arriomanitarum hæreſim inventum, à nobis ſemper ſanctè fideliterque ſuſceptum eſt. Nam homouſiou ſermonem ad veram & legitimam ex Deo Patre Unigeniti nativitatem ſumus amplexi; deteſtantes ſecundùm Sabellii blaſphemias ipſam unionem, neque aliquam partem Patris eſſe Filium intelligentes, ſed ex toto atque perfecto innaſcibili Deo, totum atque perfectum Unigenitum Deum natum, unius à nobis idcirco vel uſiæ vel ſubſtantiæ cum Deo Patre confeſſum, ne creatura potiùs aut adoptio aut appellatio videretur. Et quia ex ipſo eſſet, ut ex Patre Filius, ut ex Deo Deus, ut ex virtute virtus, ut ex ſpiritu ſpiritus, ut lumen ex lumine. Similitudinem quoque ejus ad Deum Patrem non inviti audientes: quippe cum imago inviſibilis Dei ſit. Sed eam ſolùm ſimilitudinem dignam ad Patrem intelligentes, quæ veri Dei ſit ad Deum verum. Ita ut non unio divinitatis ſed unitas intelligatur: quia unio ſit ſingularis; unitas verò ſecundùm nativitatis veritatem plenitudo naſcentis ſit. Maximè cum Dominus ipſe Ieſus Chriſtus ad diſcipulos ſuos ſit profeſſus, dicens: Ego & Pater unum ſumus. Joan. 10. 30. *Quo non ſolùm caritatem, quæ ad Patrem, ſed & Divinitatem, quæ Dei ex Deo eſt, ſignificat; ſecundùm illud. Qui me videt, videt & Patrem:* Joan. 14. 9. *& ſi mihi non vultis credere, vel operibus meis credite, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Joan. 10. 38. *Hanc igitur ſemper fidem tenentes & tenebimus, deteſtantes quoque eos, qui dicunt; Non erat antequàm naſceretur. Non quod Unigenitum Deum innaſcibilem prædicemus, ſed quod impium ſit maximè Deo temporum tempus aliquod anteferre, cum ipſum illud, antequàm naſceretur non fuiſſe, ſit temporis. Sed & obedientem quoque Patri Filium etiam uſque ad mortem crucis ſecundùm infirmitatem adſumpti hominis non negamus,*

LIB I CAP VIII. *cùm ipſe de aſcenſu ſuo ad cœlos locutus ſit: ſi diligeretis me, gauderetis, quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt. Per cujus carnis ſusceptionem nos ſibi fratres connuncupare dignatus eſt, cum in forma Dei manens forma ſervi eſſe voluit. Itaque cariſſimi, cum ex literis veſtris in iſtiæ ſilentio fraudem ſe paſſam ſimplicitas noſtra cognoſcat, etiam pietatem eorum, qui Arimino Conſtantinopolim reverterunt, conventos, ſicut epiſtola noſtra contenta teſtatur, neque eos ad tantam rem blaſphemiarum damnationem potuiſſe compellere, fidelis Dominici nominis prædicator frater noſter Hilarius nunciaverit; nos quoque ab his omnibus, quæ per ignorantiam perperam geſta ſunt, referimus. Auxentium, & Vrſacium, ac Valentem, Gaium, Megaſium, & Iuſtinum excommunicatos habemus ſecundùm literas veſtras, & certè, ut diximus, juxtà fratris noſtri Hilarii profeſſionem, qui ſe pacem cum his, qui horum ſectarentur errorés, habiturum negavit. Blaſphemias quoque omnes, quas literis veſtris ſubjeciſtis, damnamus, maximèque eorum ſacerdotes apoſtatas reſpuentes, qui in loca fratrum indigniſſimè exulantium, quorumdam aut ignoratione, aut impietate ſunt ſubſtituti; pollicentes hoc coram Deo, atque etiam confitentes, ut quiſque his quæ ſtatuimus intra Gallias putaverit renitendum, à communione ac ſede ſit ſacerdotii abjiciendus. Neque enim, ut aliàs, aut occaſionem prædicandi non damnando permittens, aut contra Deum, & Chriſti Vnigeniti Dei majeſtatem aliter, quàm nos de homouſion ſignificatione ſentimus, obnitens, dignus erit ſanctitate ſacerdotii nominis judicandus. A quo etiam Saturninum, qui ſtatutis ſalubribus impiiſſimè contradixit, ſecundùm fratrum noſtrorum geminas jam literas, excommunicatum ab omnibus Gallicanis Epiſcopis caritas veſtra cognoſcat, quem & vetera diſſimulata jamdiu licet crimina, & cetera edita epiſtolis ſuis novæ temeritatis irreligioſitas, indignum Epiſcopi nomine eſſe fecerunt.*

Joan. 14. 28.

CAPUT VIII.

De Iuliano Cæſare qui hiemavit Pariſiis & ibi renunciatus eſt Auguſtus. De Paulo & Prudentio Epiſcopis Pariſienſibus: & de geſtis S. Marcelli.

I. CUM Conſtantius, ut anteà memoratum eſt, pro arbitrio & libidine Arrianorum divina humanaque permiſceet, ut Filium Dei Unigenitum ex æterna Patris hæreditate dejiciat; Deus ipſe, cui imperium & poteſtas in Reges ipſos eſt, ejus impietatem ulciſci, & hæreditatem Imperii Romani transferre aliò parat. Nam Conſtantius, ſpe adempta prolis ſuſcipiendæ, Julianum, quem cognatione atringebat, Cæſarem facit, & ad ſpem Imperii erigit, ut provincias adverſus Barbaros defendat, & firmata regni ſucceſſione, rebellandi tollat occaſionem; ſed cum mali fuga in vitium duxit. Nam Julianus, ſumptâ Pariſiis purpurâ, adverſus Conſtantium ſigna convertit, cumque jam ægrum animi ob rem malè adverſus Perſas geſtam inſperatæ rebellionis nuncio adeò perculit, ut ex tœdio, & ægritudine animi paulò poſt moreretur, relictâ Juliano Imperii ſucceſſione. Cumque poſteà Julianus ad Conſtantii impietatem perfidia ſua cumulum attuliſſet, ad alios tranſlata hæreditate Imperii, malo & infelici fato periit. Sed quoniam res Juliani Imperatoris ad civitatem Pariſiorum pertinent, quædam ipſius geſta huic hiſtoriæ breviter attexam. Cum ſumma Imperii uni Conſtantio contigiſſet, limites Imperii invaſerunt barbari; Sarmatæ in Pannoniam irruptionem fecerunt, Franci Saxones & Alemanni, trajecto Rheno, Galliæ limitibus populatis, Agrippinam vi aliaſque urbes capiunt diripiuntque, Perſæ iterum Orienti imminent. Inter hæc Imperator ſolus abſque liberis, domi-

inſidiis, foris bello externo obnoxius erat: Julianum patruelem ſuum creat LIB. I. CAP. VIII.
Cæſarem, Arbetione & Lolliano Coſſ. Juliano bona multa erant, ſed malis
compluribus permixta, ingenium illi felix, diſciplinis addiſcendis maximè ido-
neum; in facultate dicendi & philoſophiæ ſtudio adeò verſatus fuit, ut peri-
tiſſimos quoſque in utroque aut æquaret, aut vinceret: philoſophum ſane affe-
ctabat, non modò verbis, ſed cultu, & victus parcimonia; hominum docto-
rum familiaritatem ambiebat, cupidus diſcendi, verùm ſine delectu, malas
perinde ac bonas artes promptus addiſcere. Mentis nequitiam falsâ religionis
ſpecie diſſimulans in eccleſia lectorem egit, & Cæſar factus, palam Chriſtia-
num ſe præbens, vetitis artibus ſacrificiiſque profanis noctu vacabat. Crudeli-
tatem fictâ lenitans & manſuetudinis imagine tegebat, Antiochenorum dicteria
dicaci oratione contentus refellere; ſed fidei deſertor factus, inſectator noſtræ
religionis multos vario prætextu ſuſtulit. Militem, non ut Imperator, ſed ut
commilito, & familiari delinire ſermone & laborum periculorumque ſocietate
ſolebat ſibi devincire. Gallias ſemel ingreſſus repulit barbaros, qui complun-
bus occiſis, & opidis captis, quaſi præruptis repagulis Imperii, effuſi jam in
Tricaſſinum agrum infeſto agmine percurrebant, & toti Galliæ vaſtitatem mi-
nabantur. Coſſ. Conſtantio IX. & Jul. II. Alemmannos apud Argentoratum
prælio vicit, editâque hoſtium magnâ ſtrage, captiſque ducibus inſigni victo-
ria potitus eſt; poſtea hiematum venit apud Lutetiam Pariſiorum. Hac inpri-
mis urbe, ut anteà dictum eſt, delectabatur, tam propter cæli temperiem,
quàm ob ſitum loci. Urbs id temporis inſulæ ambitu continebatur; tum Ju-
liano opinor accidiſſe, quod ipſe ſcribit in oratione adverſus Antiochenos.
Cùm in hibernis eſſet apud Lutetiam, quam caram appellat, fortè aſperior
ſolito hiems eſſet, & Sequana fluvius cruſtas gelu concretas deveheret, adeò
ut aliæ ex aliis alveo ſuperfluerent, quæ demùm ipsâ glacie ſecum invicem
conſtrictæ, tanquam marmoreum ſuper aquas pontem ſternerent. Nihilomi-
nus durior ſibi inclementiorque haud ſinebat calefieri cubiculum, aëri ſcilicet
ſe huic tolerando aſſuefactum volens. Verùm cum frigus in dies fieret aſperius,
prunas candenteſque carbones inferri cubiculo permiſit, quibus humor pa-
rieti inhærens excitatus eſt & tam gravem ejus capiti ſoporem induxit, ut
pene ſuffocaretur; ſed raptum à medicis extra cubiculum, ait ſe vomitu pe-
nitus ſanatum. Hæc Julianus feſtivè & eleganter, quibus ſuæ vitæ inſtituta à
Gallicanis moribus haud aliena æquè laudat, atque ille delicias mollitiemque
Antiochenorum perſtringit. Coſſ. Conſtantio X. & Juliano III. hiemem in
eadem urbe agens à militibus Auguſtus appellatus, diademate & aliis inſigni-
bus haud invito receptis, ſe deinceps Imperatorem geſſit; res autem ea quo- *Ammian. lib. 20.*
modo peracta eſt, paucis referam. Cum Julianus rem proſperè adverſus Ger-
manos geſſiſſet, Perſæ collecto numeroſo exercitu Meſopotamiam invaſerant *Ammian. lib. 20.*
Amydâque per vim captâ magnum terrorem Imperio Romano injecerant.
Conſtantius ipſe adverſus Perſam proficiſci ſtatuit, Perſiciſque viribus opes
Romanas opponere, ſeu hæc erat cauſa; ſeu, ut Ammianus ſcribit, gloria
Juliani urebatur; per Decentium Tribunum fortiſſimum quemque militem è
Galliis accerſit. Decentius collectos milites per Pariſios iter facere juſſit, ut
Celtas in Orientem poſteà deduceret & Julianus ipſe obſequio faciles promp-
toſque redderet; ſed res longè aliter ceſſit. Princeps enim, qui Lutetiæ Pa-
riſiorum morabatur iis adventantibus in ſuburbanis occurrit, laudat ex more
quos agnoſcebat, & convivio proceres excipit. Milites ſeu dolore ex Gallia
excedendi, ſeu ſtudio erga Principem, ſeu invicem ſuſurris & ſermonibus in-
citati, mediâ nocte tela capiunt, petuntque palatium, ambiuntque, ne cui
exeundi copia ſit, Julianumque unà tumultuariò Auguſtum appellant; deindè,
verè an diſſimulanter renitentem ſcuto imponunt, attolluntque, Auguſtum-
que iterum, tacente populo, ſolemniter ſalutant, ejuſque caput torque cu- *Ammian. lib. 20.*
juſdam militis, quaſi diademate cingunt. Poſtridie ſparſo rumore falſo Julia-
num interemptum, regiam circumdant, nec niſi viſo Principe Pariſios rever-
ſos ait Marcellinus. Die ſequenti Julianus tribunal conſcendit, ſignis, Aquilis,

LIB. I. CAP. VIII. & vexillis circumquaque explicatis, ſeptus coronâ cohortium concionem habuit. Tùm vero locatis apud Pariſios hibernis, multa volvens animo ſecum ipſe reputabat Galli fratris caſum, qui Cæſar à Conſtantio creatus, rebelliſque factus, ab eodem oppreſſus, malo fato perierat. Veniebat in mentem mutabilis militum animus, fluxaque fortuna, iraque impotens Conſtantii, quam obtrectatores accenderent. Super hæc legatos ad Conſtantium mittit cum litteris, quibus ipſe Conſtantium admonet, ſe quidem anteà Cæſaris dignitate contentum, ſed ob pericula, quæ adierat, & bella, quæ confecerat, Auguſtum à militibus vel invitum appellatum eſſe: Gallos milites ægrè tuliſſe, quod Cæſar ſemper eſſet, & ſua virtus deſpectui haberetur, quodque ipſi milites pro pretio laborum à laribus avulſi ire in Orientem juberentur; obſeſſum ſe ab exercitu in palatio, & ſe vi & minis adactum, Auguſti nomen & inſignia recepiſſe; quibus tamen ita uti velit, ut Præfectos Prætorio notæ probitatis conſtituat; ſibi poteſtatem Præſides reliquoſque Judices creandi faciat. Hæc & ſimilia ſcripſit Julianus, eo tamen modo, ut neque in ſuperbiam elatus ex nova dignitate, quicquam arrogantiùs; neque quicquam humilius infra dignitatem per ſocordiam diceret. Conſtantius his offenſus literis, factum Juliani improbans, Leonam Quæſtorem cum mandatis in Gallias mittit, qui ingreſſus Pariſios, militem & plebem advocat ad concionem. Itur in campum, Leonas tribunal aſcendit, legitur mandatum Imperatoris. *Cum ventum fuiſſet ad locum id continentem, quod geſta omnia Conſtantius improbans, Cæſaris poteſtatem ſufficere Juliano cenſebat*, continuò conferta multitudo audientium reclamavit, *Auguſte Juliane, ut provincialis & miles & reipublicæ decrevit auctoritas.* Quibus auditis Leonas re infectâ ad Conſtantium redit cum litteris Juliani eadem referentibus. Julianus autem adverſus Francos Athuarios trans Rhenum factâ expeditione reverſus ad Rauracos per Vezuntionem Viennam hiematurus venit. Ingrato, immemorique animo non modò adverſus Conſtantium, cujus beneficio Cæſar creatus fuerat, immane bellum parabat, ſed etiam adverſus Chriſtianos. Nam etſi à pueritia initiatus fuerat ſacris Chriſtianorum, & lectorem agens in eccleſia olim quaſi tyrocinium clericatus poſuerat; cum tamen poſteà bonos mores prava philoſophorum conſuetudine, & curioſis artibus corrupiſſet, jam cœpit Dei religionem abnuere, deteſtari ſacra Chriſtianorum, ſectari fallacias Dæmonum; palam quidem noſtris ritibus intereſſe, noctu & clanculùm Mercurio ſacrificare, & futura nefandis cærimoniis ſcrutari.

Ammi. Marcell. lib. 20.

Lib. 21. *Adhærere*, inquit Ammianus, *cultui Chriſtiano fingebat, à quo jampridem occultè deſciverat, arcanorum participibus paucis, aruſpicinæ, augurii*ſ*que intentus, & cæteris, quæ Deorum ſemper fecere cultores, & ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Chriſtiani Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum eccleſiam, ſolemniter numine orato diſceſſit.* Quomodo verò adverſus Conſtantium arma moverit, & quemadmodum Conſtantio ex morbo Nicomediæ ſublato ipſe imperaverit, & quæ contra Dei religionem fecerit, quomodo bello Perſico re malè geſtâ, percuſſus interierit, referre ſcribenti res Pariſienſes haud inſtitutum eſt: ſatis eſt, ſi annotem ea, quæ Julianus geſſit Pariſiis, ut auctorum antiquorum teſtimoniis aſſerta ſunt. Certè conſtat gratam Lutetiam Juliano fuiſſe & plerumque ibi hiemaſſe. Adhuc Pariſiis rudera palatii, ubi Julianus morabatur, cum Lutetiæ hiberna tranſigeret, in ea parte urbis viſuntur, ubi modò vicus eſt citharæ qui extra inſulam eſt, in ea regione quam Univerſitatem vocant. Accedit huc, quod Ammianus ſcribit Julianum noctu obſeſſum in palatio à militibus, & Auguſtum nuncupatum; undè, & ex aliis, quæ modo relata ſunt, facilè concludimus ejus palatium extra ambitum inſulæ fuiſſe, ad quod facilis militibus erat acceſſus. Quamdiu autem Lutetiæ Pariſiorum commoratus eſt, religioni Chriſtianæ, verè an diſſimulanter, indulſit.

II. Tum Victorinus, de quo locuti ſumus, pontificatum Pariſienſis Eccleſiæ adminiſtravit, vir, ut certum eſt ex iis quæ memorata ſunt, fide clarus, & acerrimus Arrianæ hæreſeos inſectator. Huic Paulus ſucceſſit, de quo nihil ſupereſt aliud, quàm nomen, quod faſti Eccleſiæ Pariſienſis nobis ſuppeditant.

LIB. I. CAP. VIII.

Prudentium Paulo ſubrogatum epiſcopatum geſſiſſe Pariſienſem fidem faciunt indices Eccleſiæ Pariſienſis, & hujus quoque meminit Fortunatus in vitâ S. Marcelli Epiſcopi Pariſienſis. Sub illius pontificatu Marcellus tum Eccleſiæ Pariſienſis ſubdiaconus erat. Cum munus ſuum Epiphaniæ die impleret, & fortè Prudentio Epiſcopo aquam hauſtam è Sequana manibus abluendis miniſtraret, ſubitò in vinum verſa eſt. Neſcio an hic mirer magis ſanctitatem ſubdiaconi an fidem Pontificis. Nam Epiſcopus nihil hæſitans hoc ipſum vinum fudit in calicem, & eo ad ſacrum faciendum, & communionem populi celebrandam uſus eſt. Scribit Fortunatus vinum non ideò imminutum, tantùmque poſt communionem in poculo ſuperfuiſſe, quantùm in eo priùs fuiſſet, & aſſervatum poſteà ægris uſui fuiſſe ad ſanitatem recipiendam. En aliud prodigium; alterâ vice cum idem S. ſubdiaconus etiam pro ratione officii Prudentio aquam funderet, aqua tanquam unguentorum odorem reſpiravit, adeo ut Epiſcopus non aqua frigida, ſed ſuavi balſamo aut ſacro chriſmate ſe lavare manus crederet, remque non tam ex ſenſibus æſtimans, quam ex judicio, intellexit non ex aqua ſed ex virtutibus ſubdiaconi odores afflari. Cœpit itaque Epiſcopus deinceps eum venerari non tanquam ſubdiaconum, ſed ut inunctum divinitùs ad ſummum Eccleſiæ Pariſienſis ſacerdotium. Erat in Eccleſia Pariſienſi puer quidam decennis clericorum jam numero aſcriptus, qui vocis & cantus dulcedine aures omnium demulcebat; & archidiaconus Pariſienſis Eccleſiæ ut rem gratam populo faceret, juſſit puerum cantare publicè, & vocis modulamine oblectare plebem; paruit puer juſſis archidiaconi. Prudentius, qui alterum hac die juſſerat cantare ægrè id tulit, & iræ nimiò plùs indulgens in puerum nimis obſequentem verberibus animadverti jubet. Deus ultus eſt innocentiam pueri; Antiſtes enim ſubitò mutus vocis uſuram amiſit, ut intelligeret ſe iracundè feciſſe, quod puerum ob cantum & vocem corripuiſſet. Hærebat itaque mutus coram populo, in eoque ſtatu aliquot dies permanſit, donec Marcellus, qui divinitùs ob culpam caſtigatum illum cernebat, juſſit eum loqui, & in nomine Domini quodlibet proferre. Statim, quaſi ſolutis linguæ retinaculis, locutus eſt Prudentius, ſicque beneficio ſubdiaconi libertatem loquendi recepit Epiſcopus. Ea de Prudentio Epiſcopo Pariſienſi referuntur in vita S. Marcelli, de quo mox ampliùs dicemus. Prudentius demùm moritur, & ſepelitur extra muros urbis in loco, qui poſteà dictus crypta S. Genovefæ, ubi ſepultum fuiſſe dicemus Chlodoveum Regem, qui ibi baſilicam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli condiderat. III.

Prudentium verò in eo fuiſſe loco ſepultum arbitror, quoniam antiquis mos erat extra urbis muros efferri mortuos, & humo mandari; quod autem olim ibi vetus ſepulcretum fuit haud dubium eſt. Conſtat enim non ſolum ibi Prudentium tumulatum fuiſſe, ſed &, antequam baſilica à Rege Clodoveo ibi extructa ſit, S. Genovefam inibi ſepultam. Quod memoratu dignum eſt ante annos ſexaginta cum illuſtriſſimus Cardinalis Rupifucaldus pro ſuâ ſingulari pietate cryptam baſilicæ S. Genovefæ inſtaurari ornarique curat, & effoditur fundamentum ſaxei gradus, quo è regione clauſtri canonicorum in cryptam deſcenſus eſt, inventum eſt vetus ſepulchrum ex albenti marmore, ſex longum pedes cum dimidio, latum tres pedes, altum duos cum octo digitis; frons anterior marmoris habebat undecim, erant figuræ toreutico opere, quarum aliæ nudæ, aliæ habitu Græcanico. In medio erat figura hominis, cujus quidem ex marmore avulſum fuerat alterum brachium: adverſus eum fera horrida frendenſque dentibus ferebatur; neque procul hinc mulieris forma viſebatur ſuccincta palla in morem venatricis Dianæ, inferiùs corpus hominis proſtratum, cadaveraque ferarum jacebant. Ad dextrum latus cernere erat ſignum cœlaturæ marmoreæ, in quo duo viri, qui perticâ ſuper humeros impoſitâ retia pendentia deferebant; ad ſiniſtram verò partem ex eodem opere icon erat venatoris leporarium canem ad feram dimittentis. Neſcio an magis doleam antiqui lapidis jacturam, an potiùs optimi Cardinalis laudem pietatem, qui vetus illud marmor, quod alius aliquis, tanquam pre- IV.

Hiſtoire des grands Chemins de l'Empire. l. II. ch. 37.

LIB I. CAP. VIII. *Dumoulines lib. 3. cap 1.*

tioſius antiquitatis Patiſiacæ monumentum curioſè retinniſſet, in uſus altaris S. Genovefæ ſecari & impendi juſſit, hujus tamen quædam ſegmina lapidis aſſervantur adhuc in Abbatiali domo S. Genovefæ. Ex hoc notum eſt fuiſſe hic aliquandò vetus cœmeterium, è quo ſanè quotidie ſarcophagi ſaxei, aut gypſati, dum foditur terra, eruuntur, quos veteres eſſe nulla dubitatio eſt.

V. Difficile eſt Pauli Prudentiique pontificum Pariſienſium annos computare, & aſſignare tempora eorum epiſcopatus. In hac igitur rerum antiquarum caligine cogimur conjecturis agere & dicere, quidquid ex Epiſcoporum ſucceſſione & eorum ſerie probabilius eſſe agnoſcimus. Victorinum puto, ut anteà docuimus, ſuperſtitem Juliano fuiſſe, Paulum verò in Pariſienſi cathedra ſediſſe arbitror ſub principatu Valentiniani ſenioris, Prudentiique Pariſienſis Epiſcopi tempora ad Grati..ni Imperium, primoſque magni Theodoſii annos eſſe referenda: ſed quot annos quiſque ſederit, neque me, neque alium quemvis relaturum aut conjectura aſſecuturum eſſe confidenter aſſevero. De S. Marcello, qui Prudentio ſucceſſit, modo nobis erit ſermo; ejus vitam, ſeu potiùs quædam ejus miracula ſcripſit Fortunatus Pictavenſis Epiſcopus, ſeu magis, ut me admonuit vir clariſſimus Claudius Caſtellanus canonicus eccleſiæ Pariſienſis & in rebus noſtris verſatiſſimus, alius aliquis Fortunatus Epiſcopus cujus mentio eſt in quatuor MSS. martyrologiis Eccleſiæ Pariſienſis XIV. Calend Julii his verbis. *Depoſitio beati Fortunati Epiſcopi & confeſſoris qui Vercellis civitate oriundus & à primævæ ætatis flore, peritiæ litterarum traditus micanti ſtudio L..ngobardorum philoſophus, dein verò à beato Germano Pariſienſi Epiſcopo cognitus, vitam S. Marcelli inſertæ urbis Antiſtitis totius mundi giramini indubitanter innotuit. Poſt paulum verò temporis, ſancto Germano ægrotante media fervente angelica viſitatione ſummonitus, cupiens quoque fervore ſpeculationis aggredi Pariſios; ac ſic circa viceſimum ab urbe milliarium Dei numine tactus in pace quievit.* Eadem in additionibus Molani ad Uſuardum. Modò locus ille ab ipſo vicus S. Fortunati Vernotenſis dicitur, qui ad viceſimum à Pariſiis milliarium ſitus eſt, ubi magna totius regionis religione aſſervantur ejus reliquiæ, & ejus nomen poſtea in vicinis locis celebratum fuit; nam & haud longè eſt fons S. Fortunati & altera ejus nominis baſilica. Ex his verò patet hunc S. Fortunatum alium eſſe à Pictavenſi qui poſt S. Germanum Pariſienſem Epiſcopum vixit & ejus vitam ſcripſit; cum is, de quo hîc ſermo, obierit ante obitum S. Germani Pariſienſis XIV. Calend. Julii, & Fortunatus Pictavenſis pridie Idus Decembris. De eo porrò Fortunato aliàs nihil reperi, neque præterea quicquam habeo quod de eo aſſeram; malim itaque hîc hærere quam conjectutas haud certas prodere.

VI. Marcellus natus eſt Lutetiæ Pariſiorum; non tam natalibus clarus, quam poſteà meritis illuſtris fuit; nam ab infantia diſciplinæ Chriſtianæ imbutus inſtitutis humilitatem excoluit, charitatis exercuit officia, caſtitatis lumine præfulſit, & corpus attrivit jejuniis; jam ut, nondum adultâ ætate, majoribus Eccleſiæ muneribus maturus crederetur. His inſtructus ornamentis, officium lectoris, qui primus erat ad clericatum gradus, aſſumpſit. Eo munere fungebatur, cum Deus ſignis & miraculis prodidit, quis & quantus in hoc diſciplinæ Eccleſiaſticæ tytocinio eſſet. Aliquando in officina fabrili ferrum candens novem librarum pondere illæſis manibus levavit, & palmâ quaſi librâ appenſum, cujus eſſet ponderis juſtâ æſtimatione affirmavit. Ad ſubdiaconatum deinde aſcitus eſt, ubi multis prodigiis, ut ſupra memoratum eſt, ſanctitas ejus cognita eſt. Mortuo Prudentio Epiſcopo Pariſienſi, in ejus locum ſuffectus, ſuffragio virtutis, Eccleſiæ Pariſienſis pontificatum adivit. Rem ſacram olim faciebat; cum ad communionem ventum eſt, & frequens populus accederet ad communionem, ecce quidam manibus ad tergum colligatis, dum communicare cogitat, & ob eam cauſam ad altare propiùs cupit accedere, conſiſtit immotus, pergere ultra non valens, dum interim reliqui prætereuntes communicant; agnoſcit hoc Pontifex, ſciſcitatur quid rei ſit, quidve commiſerit, *reſpondet ſe peccaſſe*, cujus confeſſionem admittens S. Marcellus *dixit ei, veni accede, & ultra non pecces.* Vir juſſis Pontificis obtemperans dicto

LIB. I. CAP. VIII.

Epiſcopi vinculis & culpâ abſolutus ad communionem ultro acceſſit, intellexitque ſe veniam criminum, & præmium vitæ æternæ eſſe conſecutum. Verùm inter noviſſima ejus opera hoc annumeratur. Quædam matrona magis nobilitate generis, quàm moribus & opinione bonæ famæ clara, fato functa eſt, cujus exequiis ritè & ſolenniter actis, condita eſt tumulo. In vindictam violati thalami ſerpens immanis accedit ad tumulum mulieris, ejuſque membra depaſcitur, & cadaver illius, cujus animam per noxia ſibila corruperat, in loco quietis quieſcere non ſinit. Id verò advertentes ex ſtrepitu famuli quondam mulieris valde perterriti ſunt; multique ex civitate ad ſpectaculum accurrere cœperunt; tùm trepidare viſa ingenti bellua; quidam è ſedibus propriis aliò commigrare. B. Pontifex, his auditis, cum plebe egreditur, jubetque cives tanquàm ſpectatores conſiſtere, ipſe intrepidus fit obvius draconi, qui fortè tum ad tumulum ibat. Dictu mirabile, ſerpens quaſi ſupplex genibus S. Epiſcopi advolvitur, illi abblandiri, & veniam ab eo poſcere videbatur. Tum Marcellus caput ejus baculo percutiens, in eum orarium injecit, circumducenſque per duo triave milliaria, proſequente populo, *triumphum ſuum ante civium oculos extrahebat:* deinde belluam increpat, jubetque aut ſe locis deſertis in poſterum perpetuò condere, aut ire ſe miſſum præcipitem in mare; de illaque ita dimiſſa, nihil uſquam ampliùs auditum eſt. Hanc fusè de ſerpente victoriam Fortunatus deſcribit. His editis operibus Marcellus diem obiit, æternamque mercedem laborum à Chriſto, cui fideliter ſervierat, recepit. Obitus ejus contigit Calend. Novemb. & anniverſaria ejus memoria Pariſiis celebratur III. Nonas Novembr. propter feſtum diem omnium ſanctorum & commemorationem defunctorum fidelium. Sepultus eſt in vico ſuburbano, qui poſteà auctâ urbe, ſuburbium fuit, ac demùm urbis regio eſt ſub nomine S. Marcelli. Ejus vitam ſcripſit Fortunatus, ſeu is Pictavenſis Epiſcopus, ſeu ille de quo diximus, rogatus à S. Germano Pariſienſi, cui eam nuncupat. Eo quidem tempore, quo ille ſcribebat, geſtorum S. Marcelli memoria penè erat obliterata, etſi ejus ſanctitas nullâ oblivione deleta eſt; quidquid ex traditione hujus temporis colligere potuit, hoc ipſum ſcriptis mandare aggreſſus eſt. Utinam tamen præter miracula, quæ tùm omnium ore ferebantur, etiam geſta ejus, pontificatûs annos, notaſque aliquot temporis conſignaſſet. Ea omnia, ut ut ſunt, tradimus. In hac tamen rerum noſtrarum penuria gratulandum civitati Pariſienſi, quæ reliquias S. Pontificis ab eo tempore magnæ ſemper habuit venerationi, & præſens auxilium ejus temporibus difficillimis experta eſt. Poſtquàm enim, ut dictum eſt, S. Marcellus ſepultus eſt in vico ſuburbano, cives tacti loci reverentia ad tumulum ire cœperunt, & vota Deo concipere ad ejus cineres, & civis patriſque ſui opem implorare, eumque faventem experiri. Narrat Gregorius Turonenſis ſuo tempore à febri quartana ſanatum Ragnemodum presbyterum ad tumulum S. Marcelli his verbis. *Marcellus verò Pariſiacæ urbis Epiſcopus, qui quondam, ut in ejus vitâ legitur, ſerpentem immenſum depulit ab opido, & nunc in ipſius civitatis vico quieſcit. Ad cujus tumulum, cum Ragnimodus presbyter, qui nunc ejus municipii habetur ſacerdos, quartano typo veniens decubaſſet, totaque die jejunio & orationi vacaſſet, facto jam veſpere obdormivit, expergefactus verò poſt paululùm à ſomno, incolumis ſurrexit à tumulo.* Cur autem in vico ſuburbano S. Marcellus tumulatus ſit, non facilè dixerim; non quòd eccleſia mater in hoc loco primùm ædificata ſit, ut ſuprà memoratum; ſed quod cœmeteria extra urbium muros eſſent, & in ſuburbanis locis, ut modò dicebamus de Prudentio: in hiſque Chriſtianorum cœmeteriis oratorium erat, cui presbyter plerùmque attribuebatur. Illi, loci ſepulturæque fidelium, & oblationes recipiendi cura erat: eaque antiqua eſt Eccleſiæ conſuetudo. Serie temporum baſilica in honorem S. Marcelli ædificata eſt, & canonici in ea eccleſia fuerunt. De his aliàs dicemus. Quo tempore S. Marcellus Epiſcopus Pariſienſis fuerit haud compertum eſt, neque Fortunatus tradit, neque licet addiſcere vel ex veteribus monumentis, vel certis ſcriptoribus. Si ex faſtis Eccleſiæ Pariſienſis, & Epiſcoporum indice rem

De gloriâ Confess. cap. 89.

LIB I. Cap. VIII. utcumque æſtimem, ejus pontificatus cadit in principatum Theodoſii ſenioris, adeò ut S. Marcellus æqualis S. Martino Turonenſium Epiſcopo ſit, qui ob vitæ ſanctimoniam, magnaque, quæ edidit, opera toto orbe celebratus eſt. Quo tempore jam catechumenus erat, is primùm militiam ſecutus ſub Juliano meruit; tum impetratâ miſſione ſub Hilarii Pictavenſis Epiſcopi diſciplinâ Chriſtianæ legis ſeviora inſtituta amplexus eſt. Poſt multos annos, cùm jam virtutibus & præclaris operibus omnibus notus eſſet, vacante cathedrâ Eccleſiæ Turonenſis, populi clerique votis expetitus Turonenſis Epiſcopus ordinatus eſt, effecitque rebus & præclare geſtis, ut omnes ad hunc Eccleſiæ magiſtratum cælitùs vocatum crederent. Ejus vitam magnificaque facinora eleganti ſtylo Sulpitius Severus proſecutus eſt. Sed quod ad hiſtoriam noſtram pertinet, narrat ab eo ſanatum leproſum ad Pariſiorum civitatem. *Apud Pariſios verò*, inquit Sulpitius, *dum portam civitatis illius magnis ſecum turbis euntibus, Martinus introiret, leproſum miſerabili facie horrentibus cunctis oſculatus eſt, atque benedixit, ſtatimque omni malo emundatus eſt, poſtero die ad eccleſiam veniens nitenti cute, gratias pro ſanitate, quam receperat, agebat.* Dum hæc in Eccleſia Pariſienſi gererentur occiſo Juliano & mortuo poſt aliquot menſes ejus ſucceſſore Joviano, Valentinianus Imperium Romanum regebat; & aſcito ſibi conſorte Valente fratre, cui provincias Orientis reliquerat, ipſe Occidentis Imperium cepit. Tum barbari trajecto Rheno in Gallias irruptionem fecerant, minabanturque toti Imperio, cum Valentinianus haud cunctatus in Gallias venit, ut provinciis ſuccurreret, & validis copiis hoſtem à finibus arceret. Pariſios adventabat cum affertur nuncium Procopium, ſumptis Imperii inſignibus, ſuſtuliſſe ſigna adverſus Valentem, plures avidos novitatis & odio Valentis arma ſumpſiſſe, compluresque provincias defeciſſe. Res ea Valentinianum diu ancipitem tenuit; conſilio tamen amicorum adverſus barbaros bellum gerere placuit. Permanſit itaque Pariſiis, ibique verſabatur, dum Charietto à barbaris interfectus eſt, & Jovinus à barbaris notam Romanis exercitibus inuſtam barbarorum ſanguine eluit.

VII. Tunc temporis Eccleſia Pariſienſis, & frequentia populi & credentium fide clara erat; nam illa, ut docuimus, parta pace, poſt Maximiani perſecutionem vires acquiſierat, & fides patrum, damnata in Pariſienſi Synodo Arriana pravitate, incorrupta manebat. Sed non æquè res Imperii in Galliis quietæ erant. Ex quo enim Julianus diſceſſit, barbari, ſumpta audacia Rhenum tranſierunt, ſæpiuſque in Galliam incurſionem fecerunt; etſi Valentiniani majoris, & Gratiani armis attriti ſunt, ſæpè tamen trajecto Rheno bella renovaverunt. Hæc miſeranda tempora excepit defectio Maximi, *qui in Britannia per militum ſeditionem Imperator factus eſt, quo mox in Gallias transfretante, Gratianus apud Pariſios * Mellobaudis Magiſtri militum proditione ſuperatus, & fugiens, Lugduni captus, atque occiſus eſt.* Non eſt hujus loci dicere quis fuerit exitus Gratiani, & quæ fata Maximi tyranni, quaſve perfidiæ pœnas tandem pertulerit, quaque felicitate de eo Theodoſius vindictam ſumpſerit. Res noſtras proſequenti ſufficit annotare relictum proditumque à ſuis Gratianum, qui ſcilicet offenſi, quod Alanum militem externum donis & muneribus cumularet, atque id in probrum ſuique injuriam fieri rati ad Maximum, defectione factâ, tranſierunt. Idque Proſper apud Pariſios contigiſſe narrat.

Proſper. in Chronic.

* Merobaudis.

CAPUT

CAPUT IX.

De ſtatu Galliarum ſub principatu Honorii. De S. Genovefa virgine & ejus geſtis, de die & anno ejus obitus & de ejus ſepultura.

I. CUM Gratiani Valentinianique cædem bella civilia excepiſſent, magnus Theodoſius profligatis, necatiſque tyrannis moritur. Poſtea Arcadius Honoriuſque diviſo bifariam Imperio regnare cœperunt. Tum ii, quibus ſumma auctoritas & gratia Principum, æmulatione potentiæ mutuis odiis & domeſticis diſſidiis certare, externæque locum facere injuriæ, ambituque & factionibus peſſundare rempublicam. Alanus, Vandalus, Suevus, Burgundio, hiſque crudelior Hunnus duce Attila aliæque nationes, conjuratis in perniciem Romani Imperii armis, Galliam invadere cœperunt, & inſtar prædonum vagis circumerrare ſedibus. Alani Vandalique, Gallia Hiſpaniaque populatis, trajecto freto Gaditano ſedes in Africa ponere, Suevi in Gallæcia, Burgundiones ad ripas Araris Rhodanique conſidere; Hunni verò, Gallia devaſtata, perterriraque Italia in Pannonia tandem conſiſtere. Id quoque temporis Franci, natio bello potens, armiſque inclyta, explorato multoties limite Gallico, tandem facta via, ultra evaſere, iique felicibus auſpiciis ingreſſi magnam hujus provinciæ partem ſuis ſubjecerunt legibus, & potentiſſimum Regnum fundare inſtituerunt. Hac ſane tempeſtate miſerandus Galliæ ſtatus fuit, nam cum per eam, velut per oſtium, aditus barbaris in alias provincias eſſet, prima barbarorum majoribus injuriis obnoxia fuit. Quo in ſtatu fuerit Lutetia Pariſiorum facile eſt aſſequi conjectura: ea quippe ad confinia Belgicæ Celticæque ſita, prope Sequanæ & Matronæ confluentes, barbaris ad vaſtandam Galliam & alias Imperii provincias è Germania venientibus iter opportunum præbebat; atque adeo agrum Pariſienſem, populationibus, incendiis, aliiſque malis, quæ bella ingerunt, ſæpè vexatum fuiſſe haud dubium eſt: hæcque incommoda civitatem Pariſiorum eo uſque afflixerunt, donec Franci potiti urbe, hanc ſedem Regni conſtituerunt, ut infrà memorabimus. Cum autem illæ calamitates Lutetiam, ſicut reliquam Galliam aliaſque provincias premerent, populis ſe adverſus barbarorum incurſiones tuentibus & pro focis ariſque continuò contrà novos hoſtes pugnantibus, res Eccleſiæ Pariſienſis in oblivione fuerunt; paucaque illorum temporum acta ſuperſunt, undè rerum noſtrarum hiſtoriam edoceamur; neque quicquam de Pontificibus Pariſienſis Eccleſiæ præter ſola nomina reliquum eſt; de his præſertim, qui à S. Marcelli epiſcopatu ad Heraclii ætatem ſederunt. Is ſub Clodoveo Rege pontificatum Pariſienſem geſſit, Concilio Aurelianenſi I. ſubſcripſit. Hoc temporis intervallo in tabulis Eccleſiæ Pariſienſis leguntur Vivianus, qui in locum S. Marcelli poſt ejus glorioſum obitum aſcitus eſt. Huic autem ſucceſſiſſe Felicem memorant. Flavianos deinde epiſcopatum Pariſienſem geſſit, cui ſubrogatus Urſicinus: Apedemius ſeu Apedinius demùm Epiſcopus Pariſienſis fuit. Hi porrò quinque Epiſcopi toto fermè ſæculo quinto Eccleſiam Pariſienſem rexerunt; ſed quamdiù quiſque vixerit quot annos præcisè Epiſcopus quiſque fuerit, nemo hoc dicere vel vaticinari poſſit. His tameo miſerrimis temporibus multis in locis res Eccleſiæ florentiſſimæ erant. Quin & ipſa Gallia hoc temporis ſpatio fœcunda SS. hominum extitit, multique Pontifices ſanctitate & doctrinâ conſpicui Eccleſias Galliarum rexerunt, ipſaque Eccleſia Pariſienſis non expers exemplorum fuit.

LIB. I. CAP. IX. II.

Puella agri Pariſienſis celebris fuit Genovefa nomine. Acta ejus vitæ narrant hanc Nemptodori natam, qui vicus eſt Pariſiorum ad Sequanam, ad quartum aut quintum ab urbe Lutetiâ milliare ſitus, & patrem habuiſſe Severum, & matrem Geronciam. Quibus & quantis divinæ gratiæ donis abundaverit, quæ illi piè totâ vitâ contigerunt, religioſa præclaraque facta ejus facilè oſtendunt. Puella adhuc erat cum nota fuit ſanctiſſimis Epiſcopis Germano Autiſſiodorenſi, & Lupo Trecenſi, qui tunc temporis Eccleſiæ Gallicanæ lumina erant. Cum Pelagiana hæreſis Eccleſiam infeſtaret, Britanniam inprimis, undè Pelagius ortus, auctore Agricola, qui, ut ait Beda, Severiani Epiſcopi erat filius, quique hac hæreſi infectus virus ſuum per inſulam effudit; cumque hujus inſulæ Sacerdotes graſſantis mali uim cohibere haud facile poſſent, à Gallicanis Epiſcopis auxilium petere inſtituerunt; ob eamque cauſam miſſa in Gallias legatio, & ibi collecta Synodus numeroſa. *In vitâ S. Germani cap. 19.* *Omnium judicio*, ait Conſtantius, *duo præclara religionis lumina univerſorum precibus ambiuntur, Germanus Autiſſiodorenſis, ac Lupus Trecenſis, Apoſtolici Sacerdotes terram corporibus, cælum meritis poſſidentes, & quantò laborioſior neceſſitas apparebat, tantò eam promptiùs heroes devotiſſimi ſuſceperunt, neceſſitatem negotii fidei ſtimulis maturantes.* *Beda lib. 1. cap. 17.* Continuò igitur illi ad iter tranſmarinum, tanquàm ad ſacram expeditionem ſe ſe accingunt. Venerant jam in agrum Pariſienſem, cum SS. Pontifices Nemptodorum divertendi gratiâ ingrediuntur, quâque erant ſanctitate celebres obviam illico ire cœpit civium plebiſque conferta multitudo, eorum benedictionem ſubmiſſis animis expoſcere, & ſanctos hoſpites plurimâ veneratione, & honore ſingulari proſequi. S. Germanus non modo gratum animum reſtificari, ſed & eorum animos ſalutaris verbi doctrinâ imbuere. Circumſtabat undequaque frequens hominum turba: beatus Pontifex in ipſâ aſtantium multitudine Genovefam puellam eminus intuetur, collucenteſque in ejus ore radios divinæ gratiæ agnoſcens jubet propius ad ſe accedere, & paterno affectu complexus virginem, ſciſcitatur qui ſint parentes puellæ, quod ſit illi nomen. Acciti parentes ſiſtuntur ante oculos S. Epiſcopi, qui Deo plenus in morem Prophetæ multa de puellâ vaticinatur, hiſque verbis parentes illius alloquitur. *Constant. cap. 20.* *Beatos vos dies illa fecit, quâ tantæ prolis vos contigit eſſe parentes, cujus ortus nativitatis ipſis quoque Angelis lætitiam peperit ſalutarem, erit enim pretioſi apud Deum meriti, ac ſpiritualis perfectione propoſiti ipſis etiam viris aliquatenus imitanda.* Conſtantius ſcribit hæc & alia multa in laudem virginis S. Germanum protuliſſe. S. deinde Pontifex petit à Genovefâ, an velit ſe Chriſti ſponſam profiteri, & ſanctæ virginitatis propoſitum amplecti. Illa conſecrandæ Deo virginitatis magno ſe jamdudum teneri deſiderio, rogatque ut votum hoc ſpiritali ſuâ benedictione confirmet. Hortatur virginem Pontifex, ut bono animo ſit & conſtanter ſanctum opus perficiat. *Intereà*, inquit Conſtantius, *greſſum devertit ad eccleſiam, maximo populorum agmine proſequente, ibique inter diutiſſimos pſalmorum concentus ac prolixam orationis continuationem B. Germanus dexteram ſuper caput virginis indefeſſè tenuit. Expletâ ſolenniter oratione cibum unà cum gratiarum actione ſumpſerunt.* Poſtero die Genovefa jam Chriſto devota virgo ad B. Germanum adit, animique lætitiam ex profeſſa virginitate ore & oculis ſignificans, teſtatur S. Pontifici, quàm ſibi grata ſit illa ſponſio, quam pridiè fecerat, quamque tota vita inviolate conſervaturam ſe iterùm pollicetur, ſi tamen Deus, quod ſperat, non deneget auxilium, & S. Pontificis adjuvetur precibus. Addit Conſtantius S. Germanum æreum nummum, quem forte reperit, ubi inſculptum crucis ſignum, velut aliquod amoris ſui pignus virginis collo appendiſſe; ſed hæc ſcriptoris ipſius verbis referenda ſunt. *Æreum nummum divinâ, ut credo, allatum ſententia, impreſſione crucis inſculptum inſpexit, inſpectumque protinus à terra collegit, quem loco muneris Genovefæ tradidit, atque ſemper collo ſuſpenſum ob ſui memoriam ferre præcepit. Hoc, inquit, me accedente, pignus mei amoris præ oculis jugiter geſtare memento.* Demum S. Germanus monet Genovefam, ut virtutibus exornare animum ſtudeat, hunc eſſe cultum ſponſæ Chriſti, pulchritudinem animi eam decere, quæ Deo accepta eſt, aurum, gemmas,

aliaque oris & corporis ornamenta, mera eſſe fallacis ſæculi ludibria, quæ ambire liceat iis, quæ mundo, non Deo, ſe devovent. *Ceterùm univerſa alia mundialis pulchritudinis ornamenta auri gemmarumque compacta fulgoribus numquam tuis, vel collo, vel digitis inſeri patiaris, habeant hæc quæ ſæculo militant; tu, quæ ſponſa Chriſto adſcripta es, ornamenta ſpiritalia concupiſce. Ità fatus virgini vale fecit, atque ut ſui ſemper eſſet memor, admonuit.* Ex his verbis licet colligere Genovefam non tenui ortam loco, ut vulgò creditur, quam ſapiens Pontifex auro & gemmis ornatam nolit; alioqui hæc ratio S. Germani haud bene congrueret puellæ, ſi pauperibus & infimis prognata eſſet parentibus; neque antiqua ejus vitæ acta hanc opilionis filiam fuiſſe memorant. Hanc SS. Pontificum in Angliam profectionem vulgò referunt ad annum Chriſti CCCCXXIX.

III. Etſi coràm Genovefa ſervandæ virginitatis propoſitum edidit, nondum tamen ſolemniter & ritè, ut fit in Eccleſia, virgo conſecrata eſt, tum propter Genovefæ ætatem; tum, quoniam ejuſmodi benedictionem non ab Autiſſiodorenſi, ſed à Pariſienſi Epiſcopo confici oportebat. Sane in iis omnibus, quæ ſupra ex auctore vitæ S. Germani exſcripſimus, nihil invenio, quod ſolemnem virginis conſecrationem oſtendat. Hortante S. Germano, illa quidem ſe virginem Deo profeſſa eſt, ingreſſa eſt cum S. Epiſcopo eccleſiam, dumque orationes Deo fierent, impoſitam continuit ſuper caput virginis dexteram; ſed quod conſecrandæ ſollemniter virginis præcipuus ritus erat, ſacrum velamen non tradidit: ſponſalia fuerunt, ſed nondum celebrata ritè cum Chriſto ſponſo nuptiarum ſollemnia; fuit typus quidem ſacræ benedictionis, non ipſa conſecratio. Idque conſentaneum eſt cum iis quæ in actis S. Genovefæ leguntur, S. ſcilicet virginem, cum ad ætatem, ex regulis Eccleſiaſticis, virginibus, ut ſe Deo devoveant, præſcriptam perveniſſet, ſacram accepiſſe benedictionem ab Epiſcopo, cum duabus aliis virginibus. A Pariſienſi autem Epiſcopo conſecratam eſſe haud dubium eſt, & Felicem fuiſſe ſuſpicor; & ſi in actis S. Genovefæ Vilici nomen refertur, quem nuſquam fuiſſe Epiſcopum Pariſienſem legas, conſtat hoc loco in acta irrepſiſſe mendum. Poſtquam Genovefa virginem ſe profeſſa eſt, continuò ſe totam Chriſto dedere cœpit, orationi dies impendere, eccleſiam adire ſæpiùs. Hæc quidem Nemptodori. Sed poſt parentum ſuorum obitum, Lutetiam venit, ubi egregia pietatis exempla edidit: inter hæc tamen ejus animum & virtutem diverſis modis probatam Deus eſſe voluit. Primùm inopinatò fœdâ paralyſi vexatam acta ejus vitæ referunt, ſed poſt aliquot dies divinitùs fuiſſe ſanatam: tum, quod morbo pejus erat, maleferiatorum hominum linguis & conviciis impetita eſt. Sed nec Deus Chriſti ſponſam injuriis calumniiſque obnoxiam eſſe diutius tulit. Nam fortè S. Germanus Autiſſiodorenſis Epiſcopus iterum in Britanniam accitus eſt, ut penitus perimeret hæreſim Pelagianam, quæ poſt ejus diſceſſum factione quorumdam humeros movere conabatur denuò. Severo igitur Epiſcopo Trevirenſi aſcito ſibi comite, in Britanniam S. Pontifex proficiſcitur, tum Lutetiam venit. Populus ejus adventum cœpit proſequi honoribus. Verùm ille de S. Genovefa virgine plurima ſciſcitari, quæ calumniâ plurium tunc temporis premebatur. Intellexit S. Germanus obtrectatione hominum & feralibus odiis virginem immeritam appeti; illam nihilominus ſpectante populo adiit, ingreſſuſque ejus domum certuſque illius ſanctitatis, eam ſicut ſacrum Dei templum palàm venerabatur; quod aliis admirationem peperit, obtrectantibus verò verecundiam. Sed ut maledicorum ora obturaret, de Genovefæ virtutibus palàm loqui non veritus eſt; ut adhuc puella olim virginitatem ſacro afflata numine ſpoponderat, quam pia & ſancta deinde fuerint ejus vitæ inſtituta, quam cara Deo ſit. Hæc & alia proſecutus, terram Genovefæ lacrimis madentem colligens populo oſtentat. Ad hæc compoſiti animi ſunt, & virginis deinceps ſanctitas cognita eſt. *Et ne adventus Pontificis beati ſacræ virgini nihil contuliſſe videretur*, inquit Conſtantius lib. 2. c. 2. vitæ S. Germani, *neve ejus inter improbos perſona inexpugnata remaneret, habito ſermone ad populum, prima ejus converſa-*

tionis auſpicia declarans, cujus & quanti meriti eſſet apud Deum cunctis evidenter expoſuit. In argumentum tantæ rei arentem terram, cui orans ſuperjacere conſueverat, frequenti lacrymarum imbre madentem oſtentans. Itaque univerſorum animis erga innocentem Paſtorali aſſertione compoſitis, ire præmaturans, inceptum mare Chriſto auctore conſcendit. Acta ejus vitæ eadem fermè de Genovefa referunt.

IV. Hunnus duce Attila trajecto Rheno devaſtabat Gallias, opida & urbes vi & incendiis abſumebat, & ut provinciarum diſpoſitio eſt, ingruebat tempeſtas hæc agro Pariſienſi. Ad periculum imminens fremere omnes cœperunt, jamque deſerere Lutetiam quiſque cogitabat, cum virgo Genovefa avertere malum ſtatuit precibus, pervigiliis & jejuniis numen iratum placare, & Attilam, qui ſe flagellum Dei vocitabat, pœnis, caſtigationibuſque ſpontaneis prævertere, & ut id omnes facerent adhortari, pollicita his ſpiritalibus telis urbem à periculo immunem fore. Quod contra omnium ſententiam accidit, uti promiſerat. Quiſquis itinera & caſtrametationes vagi. Hunnorum exercitus conſiderabit, non fortuito eſſe, ſed precibus beatæ virginis Pariſios liberatos ultrò fatebitur. Divodurum Mediomatricum direptum eſt, Auguſta Trevirorum exciſa eſt, Durocortorum Remorum deletum, Autiſſiodorum incenſum, & obſidione cincta ac propè capta Aurelianenſis civitas. Inter hæc vicinarum urbium excidia, nonne inſtar miraculi eſt agrum & civitatem Pariſienſem incolumem permanſiſſe? Eadem acta narrant tunc temporis Genovefam, ut vanam falſamque vatem à populo exploſam, adeo ut etiam multi illi mortem intentarent; ſed prohibitos ſermonibus archidiaconi Autiſſiodorenſis, qui tum forte Lutetiam venit, hancque à S. Germano laudatam affirmabat. *Ecce*, inquiebat, *eulogias à S. Germano directas exhibeo.* An vera ſit ea archidiaconi oratio, dubitandi locum facit obitus S. Germani, qui accidit Ravennæ duos aut tres fermè annos antequam Attila irruptionem in Galliam faceret.

Acta S. Genovefæ cap. 3.

Sed, quod nemini dubium eſt, Genovefæ virginis pietas ſingularis, amor præcipuus erga Deum, ſumma religio, fides illibata, futurorum bonorum firma ſpes, aliæque virtutes Chriſtianæ & dotes eximiæ notæ omnibus erant. Ejuſmodi fuit, quemadmodum acta ejus vitæ memorant, ut ab anno decimo quinto ad quinquageſimum non ſolita ſit ſolvere jejunium, niſi Dominicâ die & feriâ v. quibus diebus pane hordeaceo & fabis in tres hebdomadas coctis veſcebatur; poſt annum quinquageſimum Epiſcoporum conſilio panem hordeaceum lacte temperavit. A die Epiphaniæ uſque ad feriam quintam majoris hebdomadæ in Cœnâ Domini conſueverat ſe cellulâ clauſam continere, ibique die nocteque in juſtificationibus Domini meditari, & perpetuo conſiderare mirabilia de lege ejus, ne momento quidem intentum Deo animum ab oratione relaxans. Magnâ inprimis veneratione S. Dionyſium martyrem, primum Epiſcopum Pariſienſem ejuſque ſocios Ruſticum & Eleutherium proſequebatur, ideoque ad * Catholiacenſem vicum frequens ibat, ubi SS. martyrum corpora ſepulta fuerant. Locus quidem tum erat ſanctorum pignorum cultu venerandus, ſed nondum baſilica ad tumulum extructa erat. Quâ erat pietate erga SS. martyres, & opis divinæ fiduciâ, in eorum honorem baſilicam condere inſtituit; etſi deerant ad tantum opus perficiendum neceſſaria, tamen non deerat animus. Conſilium itaque priùs cum preſbyteris communicavit, præſertim cum Geneſio preſbytero, quibus ob inopiam rerum omnium conſilium haud approbantibus, miraculo perſuaſit, ut in ſuam ſecum ſententiam tranſirent. Tum omnes pariter cives S. Genovefæ pietate & ſermonibus preſbyterorum incenſi operam induſtriamque non denegare, ſumptus ad opus perficiendum ſubminiſtrare: ita operâ & conſilio S. virginis brevi ad faſtigium uſque baſilica conſtructa eſt. Illa baſilica dicta eſt Eccleſia de Stratâ, poſtquam temporibus Dagoberti Regis alia longè magnificentiſſima ſumptibus regiis extructa, & in eam tranſlata SS. martyrum corpora, ut anteà dictum, & poſteà fuſiùs referemus. Solebat utique ſingulis diebus ſabbati pervigilia facere Genovefa, & tanquam virgo ſapiens expectare nocte adventum ſponſi, aliquando verò poſt galli cantum pergere ad eccleſiam & ire obviam ſponſo,

** Catuliacenſem*

Aliquoties accidit extingui cereum, qui intempeſtâ noƈte ante ipſam fereba-
tur, dum ibat ad eccleſiam S. Dionyſii. Verùm Deus non permiſit noƈte lu-
cernam ſapientiſſimæ virginis diutiùs extingui; ſtatim enim ejus cereus miran-
tibus cunƈtis accendebatur.

Longum eſſet ſingula commemorare quæ S. virginem commendant; quæ V.
præclara pietatis totâ vitâ ediderit exempla, quam operibus admirandis ſanƈti-
tatem Deus palam oſtenderit. Ægris ſæpè ſanitatem reddidiſſe, energumenos
purgaviſſe ſpiritibus immundis, & vitam mortuo reddidiſſe aƈta ejus vitæ teſtan-
tur. Hæc & alia, quæ penè incredibilia ſunt, facile ſibi perſuadebit, quiſquis ea
reſpiciet quæcunque ſanƈta, quæcunque magnifica illi contigerunt. Teneræ ad-
huc erat ætatis, ſe tanquàm ſacrum Deo templum obtulit: deinde orationi,
jejuniis, aliiſque piis operibus ita vacavit, ut viris etiam ſanƈtiſſimis eſſet ad-
mirationi & exemplo. Quodque ſummæ pietatis & religionis admirandæ ar-
gumentum eſt, à ſuſcepto propoſito, ne latum quidem unguem, tota vita, quæ
longa fuit, deflexiſſe viſa eſt; neque invidia, quæ etiam ejus virtutem inſeƈta-
ta eſt, ejus animum vel tantillum perturbavit, cum patientia conſtantiaque
eſſent ſuprà ſexum. Inviƈta ſemper ſtetit adversùs improborum odia & malè-
dicentium convicia, tantùmque evicit, ut etiam dum viveret, & ſui popula-
res & exteri pariter ejus ſanƈtitatem excolerent. Ipſi Reges Childericus &
Clodoveus multum ejus pietati tribuerunt, & magnis honoribus illam proſe-
qui non dedignati ſunt. Obiit virgo ſanƈtiſſima, ut dicemus aliàs III. Nonas
Januarias. LXXX. annis majorem deceſſiſſe omnes ſcribunt. Martyrologia
obitum ejus hac die celebrant. Martyrologium Bedæ ab Henſchenio edi-
tum ad III. Nonas Januarii. *Pariſius Genovefæ virginis.* Martyrologium
Uſuardi ad eamdem diem. *Civitate Pariſius S. Genovefæ virginis, quæ à B.
Germano Altiſſiodorenſi Epiſcopo Chriſto dicata admirandis virtutibus latè claruit.*
Et Gregorius Turonicus lib. de gloriâ Confeſſorum his verbis de S. virgine
ſic loquitur. *Eſt ibi*, Pariſius, *& S. Genovefa in baſilicâ SS. Apoſtolorum, quæ in
corpore poſita, tantùm in virtute prævaluit, ut mortuum ſuſcitaret, ad cujus tumu-
lum ſæpiùs petitiones datæ ſuffragium obtinent, ſed & frigoriticorum febres ejus vir-
tute ſæpiſſimè reſtinguntur.*

Dies obitus S. Genovefæ certis antiquorum ſcriptorum calculis notatus eſt; VI.
annum verò nullâ certâ temporis notâ ab antiquis conſignatum eſſe invenio.
Cum ſemel & iterùm S. Germanus Autiſſiodorenſis in Britanniam profeƈtus
eſt, vivebat Genovefa; verſabatur Pariſiis, cum Attila vaſtabat Gallias ſub
Meroveo; tum ſub Clodoveo Rege vixiſſe, & ante obitum ejus Regis è
vitâ deceſſiſſe haud dubium eſt. Sed ex his aliiſque aƈtis elicere annum obitus
Genovefæ, & præcisè dicere, difficile eſt. Aƈta quidem ejus, & auƈtores reliqui,
qui de ejus morte poſtmodum locuti ſunt, eam annos oƈtoginta & ampliùs
vixiſſe tradunt; ſed neque quo nata, neque quo mortua ſit tradunt. Ex his ta-
men qualibuſcumque indiciis quidquid veriſimilius dici aut conjici poteſt, ex-
ponendum eſt. Quandò S. Germanus cum S. Lupo Epiſcopo Trecenſi pri-
mùm in Britanniam profeƈtus eſt, S. Genovefam Nemptodori vidit, virgi-
nemque Chriſto deſpondit, propoſitum recepit; tùmque puella erat, ut ex
Conſtantio ſcriptore vitæ S. Germani conſtat. Hujus verò S. Germani prio-
ris expeditionis tempus varii variè conſignant. Sirmondus in Conciliis eam
profeƈtionem ad annum CCCCXLVI. accidiſſe putat, idque ex teſtimo-
niis Bedæ & Sigiberti affirmat, ſed eorum calculus vix ſtare poteſt cum an-
nis S. Germani Autiſſiodorenſis, qui aliàs cum Severo Epiſcopo Trevirenſi in
Britanniam iterùm profeƈtus eſt, quemque Ravennæ in comitatu mortuum
eſſe Conſtantius haud dubitanter ſcribit, quo tempore Galla Placidia cum
filio Valentiniano ibidem verſabatur. Cum autem Placidia anno CCCCL.
Romæ è vitâ deceſſerit, oportet S. Germanum anno CCCCXLVIII. quod
aliqui exiſtimant, aut anno CCCCXLIX. mortuum eſſe.

Quibus rebus ità conſtitutis non poteſt prima S. Germani in Britanniam VII.
profeƈtio ad annum CCCCXLVI. aſſignari. Nam inter utramque profe-

ctionem intervallum eſt plurium annorum, quod ex Conſtantio ſcriptore, & ex vitâ S. Genovefæ manifeſtum eſt; neque duas legationes Britannicas fuiſſe, aliam ſtatim ex aliâ, & S. Germanum tot & tanta itinera, quot & quanta narrantur, feciſſe duorum annorum ſpatio quiſquam ſibi perſuadeat. Accedit huc, quod in vitâ S. Lupi Trecenſis Epiſcopi vulgò legimus S. Lupum ſub Honorato Lerinenſi Abbate monaſticam vitam inſtituiſſe, & poſt annum ad ſedem Trecenſem evocatum, & biennio poſt cum B. Germano delegatum in Britanniam. Qui fieri poteſt ut iſti legationi annus, qui CCCCXLVI. eſt congruat cum annis S. Honorati Lerinenſis Abbatis, & poſteà Arelatenſis Epiſcopi & annis ejus ſucceſſoris Hilarii Arelatenſis, qui anno CCCCXXXIX. Regenſi præfuit Synodo. Ea & alia omnia in cauſa ſunt, cur aliam ſententiam ſequar noſtris rationibus aptam magis, & idoneam, S. ſcilicet Germanum primùm profectum in Britanniam anno CCCCXXIX. quod Proſperi Chronicum aſſerit; ad Conſulatum enim Florentii & Dionyſii ſic ſcribit. *Agricola Pelagianus Severiani Epiſcopi Pelagiani filius Eccleſias Britannicas dogmatis ſui inſinuatione corrupit, ſed ad actionem Palladii diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Autiſſiodorenſem Epiſcopum vice ſuâ mittit, & deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam ſidem dirigit.* Hoc fundamento omnis ratio annorum & temporis S. Genovefæ meliùs conſtabit; erat novem aut decem annorum plùs minùs, quando S. Germanus iturus cum S. Lupo in Britanniam Nemptodorum venit, & eam ad virginitatis propoſitum hortatus eſt. Anno CCCCXLVI. iterùm B. Germanus cum Severo Trevirenſi Epiſcopo in Britanniam profectus eſt; in itinere vidit Lutetiæ Genovefam, quæ calumniis conviciiſque obtrectatorum premebatur; ſtatimque ex Britanniâ reverſus eſt S. Germanus in Armoricam, tum Ravennam in comitatum venit, ubi diem obiit; quod accidiſſe puto anno CCCCXLIX. Anno CCCCL. Placidia Romæ obiit, agebaturque annus CCCCLI. quando Attila Galliam ingreſſus eſt: tum S. Genovefam precibus hanc depuliſſe à civitate Pariſienſi tempeſtatem antea memoratum eſt. Aliis ejus operibus annos aſſignare difficile eſt, cum octoginta & ampliùs annos vixerit; ejus obitum anno D. aut DI. adſcribendum eſſe puto. Hæc de Genovefæ ætate. Joannes Bollandus, bina ejus vitæ acta ex variis MSS. publicavit. Priora antiquioris eſſe ſcriptoris conſtat, quæ alter paucis aut mutatis, aut interpolatis exſcripſit. Auctor prioris vitæ ſcribit, *ſe poſt ter ſenos ab obitu ejus annos ad deſcribendam ejus vitam animum appoſuiſſe.* Nuper Petrus Franciſcus Chiffletius S. J. preſbyter publicavit vitam S. Genovefæ, quam exſcripſit ex vetere MS. Abbatiæ S. Genovefæ, auctoremque exiſtimat vitam ſcripſiſſe annos decem & octo poſt obitum B. virginis, quod ex ipſo auctore diſertis verbis colligit. Miror Chiffletium, virum alioquin doctum, non advertiſſe in his actis reperiri quædam, quæ huic omninò ſententiæ contraria ſunt. Cum enim S. Genovefa obierit circa annum D. & ejus vitæ ſcriptor paucos poſt annos ejus vitàm ſcripſerit, quomodo potuit meminiſſe vitæ S. Benedicti Abbatis, cujus obitum anno DXLIII. accidiſſe ferunt? Immò qui fit ut in eâ ſit mentio murorum urbis Pariſienſis, qui juxtà baſilicam ejuſdem virginis à Philippo Auguſto anno MCCXI. extructi perfectique ſunt. *Defuncta eſt verò*, inquit, *plena dierum ſub die tertio nonarum Ianuariarum; humataque in pace in baſilicâ in monte ſitâ juxta nova mœnia Pariſii nomine Leucotitio.* Credo equidem vitam S. Genovefæ ſcriptam ab antiquo ſcriptore, ſed deinde pluribus in locis adulteratam interpolatamque. Id verò ita eſſe ſentio, quoniam hæc ex variis MSS. codicibus exſcripta diverſo modo legitur, ſervatis tamen iiſdem propè capitibus, & eodem ordine. Inter interpolationes certa eſt illa, quam legimus, in vita, quam edidit Chiffletius, ubi de S. Dionyſio Areopagita, quamque in caſtigatioribus & antiquioribus codicibus non lectam tradit Bollandus; & reverâ adjectam fuiſſe poſtmodùm cuilibet bene cordato facile conſtabit. Certum eſt quoque, acta, quæ Bollandus, minùs eſſe corrupta, quàm quæ Chiffletius edidit, etſi hæc exſcripſit ex ipſo codice Abbatiæ S. virginis Genovefæ.

Sepulta eſt S. Genovefa in cœmeterio, ubi Prudentium Epiſcopum tumulatum diximus, quo in loco Chlodoveus Rex ædificare cœpit baſilicam in honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quam piiſſima Regina Chrotildis omnino perfici curavit. *Nam & glorioſæ memoriæ Chlodoueus Rex bellorum jure tremendus crebrò pro dilectione ſanctæ virginis in ergaſtulum retruſis indulgentiam tribuit, & pro criminum animadverſione ſæpe etiam culpabiles incolumes Genovefa ſupplicante dimiſit. Quin etiam honoris gratia baſilicam ædificare cœperat, quæ poſt diſceſſum ejus ſtudio præcellentiſſimæ Chrotildis Reginæ ſuæ celſum extulit ædificata faſtigium. Cui eſt porticus applicata triplex, necnon & patriarcharum, & prophetarum, & martyrum atque confeſſorum, veram vetuſti temporis fidem, quæ ſunt tradita libris & hiſtoriarum paginis pictura refert.* Cum poſtmodum multa miracula ad S. virginis tumulum fierent, ea baſilica, modò ſancti Petri, modò SS. Apoſtolorum, aut ſimpliciter S. Genovefæ appellata eſt; ac demum obtinuit vel conſuetudo, vel pietas populi Pariſienſis, ut eccleſia S. Genovefæ tantummodò diceretur. Alia, quæ ad S. Genovefam, & ad eam eccleſiam ſpectant, ſuis locis dicemus. Verum nequeo hîc præterire ſilentio, quis cultus variis ſubinde temporibus ejus reliquiis delatus ſit. Poſt ejus mortem iis qui febribus aut aliis morbis vexabantur ad ejus tumulum à Deo auxilium poſcere conſuetum erat, & Deus ob ancillæ merita iis ſupplicibus ſuffragari haud dedignabatur. Exinde Pariſienſibus piæ ſanctæque virginis memoria in pretio & honore fuit, ejus patrocinium ſæpius implorare, ad ejus tumulum vota Deo nuncupare, & præſens auxilium rebus difficillimis experiri. Jacebat ejus corpus in crypta humi mandatum, cum S. Eligius qui poſtea Noviomenſis Epiſcopus fuit illi ſepulcrum ex auro argentoque fabricavit, ut S. Audoënus in vita S. Eligii memorat. In eo ſtatu permanſit ſanctæ virginis ſepulcrum uſque ad annum DCCCXLV. quo Normanni per oſtium Sequanæ effuſi in Galliam hanc regionem vaſtare adorti ſunt. Tum enim hujus baſilicæ canonici S. Genovefæ reliquias in theca poſitas aliò tranſtulerunt, ut eas è manibus ſævientium barbarorum eriperent. Primum ad villam quam Athegiam vocant tranſlatæ ſunt, ac deinde ultra Sequanam ad Dravernum. Id temporis Herbertus Abbas ex ejus maxilla dentem extraxit. Sed ſine mora graviſſimo percuſſus morbo admonitus eſt expiare injuriam. Statim ille ſanctæ virginis auxilium poſcere, culpam deprecari. Convaluit Abbas dentemque auro chryſtalloque incluſit & eccleſiæ ſacrum pignus reſtituit, quod poſtea infra argenteam S. Genovefæ imaginem poſitum & publicæ traditum venerationi eſt. Demum amotis barbaris ſanctæ virginis reliquiæ ad ſuam baſilicam magno hominum concurſu deportatæ ſunt. Cum anno DCCCL. iterum totâ provinciâ Normannorum baccharetur furor, ad Dravernum iterum delatæ ſunt, ubi pluribus virtutibus & miraculis Genovefæ ſanctitas inclaruit. Tertio demum iiſdem barbaris hæc loca vaſtantibus delatum ſanctum corpus ad Mariſiacum, quæ villa eſt haud procul à Firmitate Milonis quam Hermegaldus vir nobilis olim baſilicæ S. Genovefæ donaverat, pluribus quoque ſignis Deus ſanctitatem Genovefæ oſtendit. Poſt quinquennium ſingulari religione & magna hominum frequentia ad propriam eccleſiam ſanctæ reliquiæ relatæ ſunt. Anno MCLXI. rumor percrebuit à canonicis ſublatum è capſa ſanctæ virginis caput. Rex fama perculſus ſigillo regio muniri capſam illico juſſit; deditque provinciam Hugoni Archiepiſcopo Senonenſi, Alano Autiſſiodorenſi, Manaſſi Aurelianenſi Epiſcopis ut eam recluderent inſpicerentque an quicquam ſurreptum fuiſſet; omnia integra erant, caput ipſum inprimis repertum eſt; gratiæ ſollemniter Deo actæ ſunt præeunte Guillelmo canonico regulari, qui poſtmodum in Dania Abbas fuit quique rem ſcripto prodidit. Hujus facti anniverſaria commemoratio eſt, revelationem reliquiarum S. Genovefæ vocant. Anno MCCXXX. ejuſdem loci Abbas Hebertus novam capſam facere inſtituit, jamque operi animum & operam locabat, cum mors ejus pia conſilia interrupit. Robertus ejus ſucceſſor rem perfecit, quæ demum ab aurifice anno MCCXLII. perfecta penitus & abſoluta eſt. Operi conficiendo nonaginta & centum argenti

Acta vitæ S. Genovefæ.

LIB. I CAP. IX. marchas opifex impendit, & octo marchas auri cum ſemiſſe. Sacra beatæ virginis oſſa in eam tranſlata ſunt ipſo die ejus tranſlationis quæ celebratur xv. Calend. Novemb. Demum anno MDCXIV. Beniaminus Brichanteau Epiſcopus Laudunenſis & ejuſdem loci Abbas eamdem capſam ſenio & uſu attritam & quibuſdam in locis laceram refici curavit. Nobiliſſimæ regni matronæ nihil reliqui fecerunt, ut pietatem erga S. virginem teſtarentur; ſmaragdos, ſapphiros, adamantes, gemmas omnis generis contulerunt ad capſam exornandam. Sed inprimis memorabile eſt donum Mariæ Mediceæ Reginæ Chriſtianiſſimæ. Sertum eſt ex auro, variis contextum floribus ad naturam expreſſis, ſingula folia fulgent auro & adamante diſtincta, tenet culmen pretioſa crux ex auro ſexaginta gemmis decorata, in medio radiat pendula ſapphirus pretio & pondere inſignis. Sertum integrum exæquat palmæ magnitudinem. Temporibus difficillimis publicæ indicuntur ſupplicationes, & capſa S. Genovefæ ſollemni ritu defertur ad majorem eccleſiam. Sed de hac re aliàs copioſe dicemus. Hic meminiſſe oportet S. Aldæ quæ cum olim ſocietate vitæ & ſanctitatis communicatione cum S. Genovefa fuerit, ita poſt obitum honorum conſortio cum eadem conjuncta eſt; ejus corpus pariter in eadem baſilica cum veneratione cuſtoditur, ejuſque memoria anniverſaria recolitur xiv. Cal. Novembris.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De origine & regno Francorum in Galliis.

POSTQUAM Romana potentia ruere cœpit, atque Imperii Romani fortuna ſub principatu Honorii penitùs inclinata eſt; Franci, quorum validæ opes, armaque nota fuerunt, perruptis limitibus Rhenoque trajecto in Gallia poſuerunt regni ſedem, quod deinceps adeò bello paceque potens fuit, ut nullum diuturnitate temporum, Principum gloria, aut magnitudine rerum geſtarum illuſtrius fuerit. Cum autem Lutetia Pariſiorum jam inde à principatu Clodovei ad noſtra fermè tempora Regni caput, & Regum Francorum ſedes fuerit; de Francis eorumque initiis breviter præfari oportet, & paucis commemorare quomodo eâ temporum rerumque inclinatione mutatus Galliæ ſtatus ſit, & attritis opibus Romanorum, potentiſſimum Francorum Regnum in Gallia tandem confirmatum ſit, nemo, puto, id reprehendet, ſi addidero. Hoc patriæ, hoc pietati debeo & religioni Regum noſtrorum, qui civitatis Pariſienſis inprimis eccleſias donis beneficiiſque cumulate amplificare & dotare ſtuduerunt; adeo ut in hoc opere de iis ſæpius loqui & eorum pia facta laudare & mei muneris & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſit. Prophetæ olim, qui ſancto afflati numine divinæ legis & fœderis antiqui res nobis tradiderunt, etiam Ducum Regumque geſta ſacris paginis inſerere haud veriti ſunt, rati ſcilicet & viciſſitudines temporum & Regum, populorum, Principumque caſus, quoniam ea haud ſine Dei nutu accidant, ad ſummi ſupremique Auctoris gloriam majeſtatemque pertinere. Adde quod tam arcta eſt rerum Eccleſiaſticarum civiliumque plerumque affinitas, ut earum narratio ſe invicem adjuvet; & difficile ſit ſine magno utriuſque diſpendio alterutram in hiſtoriâ prætermittere. Euſebius Cæſarienſis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ parens etiam res bellaque Conſtantini libris ſuis adjecit: Socrates, Sozomenus, Theodoritus, aliique, qui Euſebium ſequuti ſunt, ejus quoque ſcribendi formam imitati ſunt. Nam ut plures admodum Principes de Eccleſia bene meritos, ita quoque aliquos & turbatores Eccleſiæ, & fidei hoſtes fuiſſe conſtat; & ob eam aliaſque cauſas ſæpè Principum acta actis Eccleſiæ attexere neceſſe fuit. Cum verò Reges Francorum, ex quo religionem Chriſti ſemel amplexi ſunt, ſemper fidei & Eccleſiæ defenſores tutoreſque extiterint, neque illorum aliquis unquam ab hac ſuſcepta ſententia deſciverit; ultro horum religioſa facinora, ſi quando rerum Pariſienſium narratio popoſcerit, litteris commendare, ab inſtituto alienum non erit. Anteà tamen, quod ratio hiſtoriæ & ordo rerum jubet, Francorum gentis primordia paucis inquirere operæ pretium eſſe puto. I.

Francorum nomen veteribus ſcriptoribus ignotum. Primus omnium Vopiſ- II.

H

LIB. II. CAP. I. *Vopiſcus in Aurel.*

cus Francorum meminit; ſcribit ſcilicet Aurelianum apud Maguntiacum, cum Tribunus eſſet ſextæ legionis Gallicanæ, Francos venientes, quum vagarentur per totam Galliam, ſic afflixiſſe, ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis, ſub coronâ vendiderit. Ex eo tempore frequens apud Latinos auctores de iis ſermo eſt, ex quibus intelligimus Francos virtute & belli famâ ſtatim inclaruiſſe; nam ſæpè cum Romanis vario marte conflixiſſe, & ſæpè infeſtis ſignis Imperii perrupiſſe limites, quin etiam apud Romanos Imperatores potentiâ & auctoritate valuiſſe memorant. Sub principatu Gallieni capto à Perſis Valeriano, Franci, direpta Gallia, uſque in citeriorem Hiſpaniam venerunt, Tarraconem urbem potentiſſimam vi captam diripuerunt; diſtracto à tyrannis Imperio Poſthumum invadentem Gallias adverſus Romanas opes defenderunt. Quieverunt quidem ſub Aureliano, ſed eo ſublato, cum interregnum eſſet, LXX. Galliæ urbes occupare cœperunt, quas tamdiù retinuerunt, donec Probi Imperatoris felicitas eos antiquas domos repetere compulit. Sub Caro Principe, & paulo poſt ſub Diocletiano invaſere Gallias. Maximianus ultra Rhenum traducto exercitu eos in propriis terris adortus eſt, & tranſrhenanâ potitus victoriâ, Reges eorum Atech & Genobaudem pacem petere compulit. Neque propterea quievit bellicoſa gens; cum enim Chamavi, Friſii aliæque nationes Bataviam occupaſſent, Conſtantius creatus Cæſar multos interfecit; reliquis, ne nova molirentur, âgrum in Gallia dedit. Plus ſævitiæ Conſtantino ad vindicandum aſſiduum hoſtem fuit. Cum enim ſub initio Imperii Francus, qui ripam ulteriorem Rheni incolebat, in Galliam apertis limitibus irruptionem feciſſet, illicò Conſtantinus magnâ editâ hoſtium ſtrage, Aſcaricum & Ragaiſum Francorum Reges prælio captos in ludis editis Auguſtæ Trevirorum feris objecit, eodemque victoriarum impetu trajecto Rheno Bructerorum fines ingreſſus eſt, Francorumque vicis exuſtis, innumerabilem horum multitudinem aut cepit aut gladio peremit: cumque ſuis cladibus ſemper ſupereſſet natio potens, & Gallis minitaretur, ecce iterùm Conſtantinus poſt cladem Maxentii receptamque Italiam, trans Rhenum moto exercitu, Francorum copias delevit. Poſt mortem magni Conſtantini, Conſtante Occidentem adminiſtrante, Franci Gallias populare cœperunt. Sed demùm poſtquam vario marte bellum geſtum eſt, icto cum Romanis fœdere, quieverunt. Conſtans poſteà Magnentii tyranni inſidiis interfectus eſt: ſed & ille Conſtantii armis victus, ſibi ipſi mortem conſciſcens perfidiæ pœnas dedit. Ita ad unum Conſtantium res Romana pervenit: quo tempore Franci in comitatu Principis auctoritate & potentia pollere cœperunt. Franci & Alemanni, ſumpta ex bellis civilibus opportunitate & audacia, Galliam præſidio Romano vacuam pervagati ſunt. Julianus à Conſtantio Cæſar appellatus adverſus eos miſſus XLV. urbes multaque caſtella vi cepit diripuitque, &, ut alias à nobis memoratum eſt, apud Argentoratum commiſſo certamine, claram de Alemannis victoriam retulit anno CCCLVII. Re bene geſta cum copias in hiberna deduceret, ſexcentos Francos ætate florentes ad ripam Moſæ loco munito ſe defendentes ad deditionem compulit. Anno ſequenti Francis & Saliis, qui ante aliquot ánnos Toxandriam occupaverant, per legatos ſuppliciter precantibus pacem dedit; Chamavos pariter prælio cæſos, datis obſidibus, in fidem recepit. Neque ultima hæc congreſſio Juliani cum Francis fuit. Poſtquam enim Pariſiis renunciatus eſt Auguſtus, in inferiorem Germaniam profectus eſt, Francos Attuarios inopinatò aggreſſus oppreſſit. Hæ fuerunt Juliani Imperatoris adverſus Francos expeditiones. Sub Valentiniano Seniore ſe ſuis ſedibus Franci magis continuerunt, ſeu is ripam Rheni præſidio, turribus & caſtellis munierat, ut hoſtem quotidianum à limitibus arceret, ſeu Franci accepti Imperatoribus in palatio florerent, & honorifica tam domi, quàm militiæ obirent reipublicæ munera. Ita Sylvanum à Conſtantio militum Magiſtrum; Cariettonem pariter Francum Comitem adverſus Alemannos miſſum à Valentiniano legimus: Mellaubodes Rex ipſe Francorum, Comes Domeſticorum ſub Gratiano celebratur. Hos alioſque Francos

Valeſ. rerum Franc. lib. 2. *Ammian. Marc.*

reliquis temporibus in palatio, magno in loco fuiſſe conſtat. Quin & Salios aſcriptos militiæ Romanæ noritia Imperii Romani docet, & ſæpe egregiam operam contra barbaros præſtitiſſe ſcriptores produnt. Gratiano Auguſto Maximi tyranni inſidiis interfecto, ipſe Maximus adversùs Valentinianum Theodoſiumque malè rem gerit. Franci, ducibus Genobaude, Marcomere & Sunnone, Germaniam inferiorem deprædandi locum & tempus eſſe rati latè Galliam pervagantur; ſed dum onuſti prædâ domum revertuntur, Nannicus & Quintinus magnam partem cædunt. Verùm Quintinus, dum eos ultrà Rhenum temere proſequitur, intra ſilvas & paludes urgentibus Francis deletus eſt. Anno ſequenti Valentinianus Junior, acceptis obſidibus, cum Marcomere & Sunnone Francorum Regibus fœdus pepigit. Sub Honorii principatu Stilico cum Francis amicis, receptis obſidibus, ſocietatem renovat. Claudianus Poeta tradit Marcomerem & Sunnonem, cum moliri res novas, & redintegrare bellum cum Romanis vellent; alterum à popularibus Imperatori Honorio traditum; alterum, cum injuriam fratris ulciſci meditaretur, à ſuis interemptum. Cujus fuerint filii Reges; an Priami, de quo in Proſperi Chronico mentio eſt; an alterius, non liquidò conſtat. Pharamundum verò Marcomeris fuiſſe filium vulgò ſcriptores tradunt. Tunc temporis Imperii Romani, ſed Galliarum inprimis, miſerabilis ſtatus fuit. Nam, ut Hieronymus de ea calamitate ad Ageruchiam ſcribit. *Innumerabiles & ferociſſimæ nationes univerſas Gallias occuparunt, quidquid inter Alpes, & Pyreneum eſt, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Eruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, &, ò lugenda Reſpublica! hoſtes Pannonii vaſtarunt. Etenim Aſſur venit cum illis. Mogontiacum nobilis quondam civitas capta, atque ſubverſa eſt, & in eccleſia multa hominum millia trucidata, Vangiones longa obſidione deleti, Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacum, Nemetæ, Argentoratus tranſlatæ in Germaniam. Aquitaniæ, Novemque populorum, Lugdunenſis & Narbonenſis Provinciæ, præter paucas urbes, populata ſunt cuncta: quos & ipſos foris gladius, intus vaſtat fames.* Iis miſerrimis temporibus Pharamundus, capta direptaque urbe Trevirorum, in Galliis ad ripam Rheni conſederat. Annales Eccleſiaſtici, ubi temporum diligentiſſima ratio eſt, Pharamundum referunt regnaſſe novem annos, obiiſſe anno CCCCXXIV. Clodio, ſeu ut habet Gregorius Turonicus, Chlogio Pharamundo patri ſucceſſit. Hunc Gregorius tradit primum apud Diſpargum caſtrum habitaſſe, *quod eſt in termino Thoringorum*, capto deinde Cameraco ad Suminam fluvium uſque progreſſum: quin & Rorico ſcribit Ambianis Regni ſedem ſtatuiſſe. Cum in agrum Atrebatenſem copias duceret, & fortè celebrandis nuptiis nobiliſſimæ puellæ exercitus incautiùs immoratur, Aetius, ut Sidonius ſcribit, inopinatò adveniens Francos clade afficit. Poſt Clodionem Francorum Rex Meroveus fuit; filius, an affinis Chlodionis varia opinio eſt. Aetio Magiſtro militum & Præfecto Galliarum in campis Catalaunicis acie conflixit cum Hunnis, qui duce Attilâ Galliam invaſerant. Primâ deindè Germaniâ, & ſecundâ Belgicâ ſubactis, Francorum Imperium ad Sequanam uſque protulit. Ultrà progreſſus eſt ejus filius & ſucceſſor Childericus, Aurelianos namque Andecavoſque cepit, atque ita propagavit regni fines uſque ad Ligerim; obiit ille anno CCCCLXXXI. Chlodoveus paterni regni hæres, & gloriæ majorum æmulus latè regnum ampliavit, multis clarus victoriis; ſed multò clarior Dei religione, quam ſuſcepit; adeò ut omnes ſuæ ætatis Principes & factorum gloriâ, & animi magnitudine, ſed & fidei integritate ſuperaret. Quod autem noſtri eſt inſtituti, ſedem Regni invictæ gentis Lutetiam Pariſiorum eſſe juſſit. Ex iis, quæ breviter & curſim retulimus, certum quidem eſt atque exploratum Francos ad Rheni ripam conſediſſe, & aſſiduis quotidianiſque incurſionibus vexaſſe Gallias, ſed tandem uſos opportunitate temporum potentiſſimum & nobiliſſimum in Galliâ fundaſſe Imperium. Sed quæ ſit origo invictæ gentis, quæque Francici nominis initia, haud ita dictu facile eſt. Nonnulli, quaſi ad gloriam nationis de ejus ortu fabuloſa dicere attineret, Francorum originem

poëticis decorare figmentis inſtituerunt, & more quorumdam populorum noſtræ gentis primordia à Trojanis deducere; quæ omnia hîc commemorare aut refellere in animo non eſt. Gregorius Turonicus ſcribit à multis eſſe traditum Francos *de Pannonia fuiſſe digreſſos.* Sed his in locis fuiſſe Francos antiqua monumenta non tradunt, & Ureticos falsò à quibuſdam pro Francis creditos Valeſius exiſtimat. Placet nonnullis Francorum gentem ex pluribus Germaniæ conflatam populis fuiſſe, qui conjurationem adverſus Romanum nomen fecerint malis Imperii temporibus; quod his præcipuè aſtruunt argumentis: Aiunt ſcilicet Francorum nomen non legi apud antiquos ſcriptores, qui de Germanis ſcripſerunt, de bis ſilentium eſſe apud Cæſarem, Strabonem, Plinium, Tacitum, Ptolemæum; & tamen ſub Imperio Valeriani Francos ſtatim numero, potentia & belli fama notos eſſe. Addunt præterea Francorum nomen multis tribui populis, Saliis, Attuariis, Chaucis, Bructeris, Tencteris, Chamavis, Tubantibus, Sicambris aliiſque pluribus, qui ſub uno Francorum agmine & ſub iiſdem ſignis atterere Romanas vires inſtituerunt. Cur, inquiunt, iſtbæc? niſi quod gens Francorum multorum populorum conjurata factio ſit, non verò aliquis populus, cujus opes, potentia, Imperium, non niſi per longa temporum ſpatia augeri & increſcere ſolent. Huc accedit quod Francorum vocabulum, Germanorum ſermone, libertatem ſonare affirmant. Alii exiſtimant Francos eos eſſe populos, qui Germaniæ inferioris oram maritimam incolebant, qui, quod ſemper liberi & Romanorum ſervituti numquam obnoxii fuerint, Franci dicti ſunt; atque id nominis facilè conſecutos habitâ ratione populorum ſuperioris Germaniæ, quos Romani ſuis ſubjecerant legibus; idque ſignificari teſtantur à panegyriſtis, qui Francorum ſedes & Franciam ipſam in penitiſſimis Germaniæ locis conſtituunt, unde Eumenius in panegy. Conſt. *Quid loquar intimas Franciæ nationes jam non ab iis locis, quæ olim invaſerant, ſed à propriis ex origine ſedibus ſuis, atque ab ultimis barbariæ ſedibus avulſas?* Et in laudatione ejuſdem Conſtantini. *Tibi ſe ex ultima barbaria indigenæ populi dedidere.* Quod congruere affirmant cum iis, quæ de Proculo tyranno retulit Vopiſcus. *Probus fugatum, uſque in ultimas terras, & cupientem in auxilium Francorum venire, à quibus originem ſe trahere dicebat, ipſis prodentibus Francis, vicit & interemit.* Sidonius Apollinaris. *Francorum penitiſſimas paludes intrares venerantibus Sicambris.* Loca autem illa ultima barbariæ, ea eſſe volunt quæ oram maritimam inferioris Germaniæ continent, & partem illam, quæ à Friſia uſque in Pomeraniam ultra Albim extenditur; eamque Franciam dictam eſſe & populos commune Francorum nomen habuiſſe, ita tamen ut propriam ſibi quiſque appellationem tribueret. Unde factum eſſe contendunt, ut qui Friſii, Tubantes, Chamavi, Ampſivarii, Bructeri, Salii, Attuarii vocabantur, ita & Franci communi & ſociali nomine dicerentur.

Lib 2. cap. 9.

III. Iſacius Pontanus, qui de Francorum origine volumen edidit, exiſtimat Franciam veterem habuiſſe tractum illum, qui ex adverſo eſt Coloniæ Agrippinæ, partemque Veſtphaliæ & Cleviæ ducatus continet, omnem quoque Tranſilaniam, & quidquid olim terrarum poſſiderent Chauci, Tencteri, Tubantes, Bructeri, majores minoreſque Friſii, quod modo occupant Zupheni, Drenteni, Tuenteni, Friſii, qui modò, ſeu ad ortum ſeu ad occaſum ſunt, illorumque territorium quod ad Viſurgim & ultrà protenditur. Solum hoc comperimus incoluiſſe Francos, quod olim Sicambri, quos Auguſtus Cæſar in Gallias traduxerat, relicta exigua indigenarum parte, qui deinde ſub Francorum nomine nobiles extiterunt, atque adeo Francos vulgò Sicambros ab antiquis dici, uti legitur apud Claudianum & Apollinarem, qui Francorum Sicambrorumque vocabulum promiſcuè uſurpant.

Claudian. in paneg.

Ante Ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
Cæſariem, pavidoque orantes murmure Franci.

Et Apollinaris.

Tu Vidrum, Vahalim, Viſurgim, Albim,
Francorum & penitiſſimas paludes,

Intrares venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutus.

Quid quod refert à S. Remigio Chlodoveum appellatum Sicambrum, nomenque genti vult inditum, non ex libertatis nomine, ſed ex genere ſecuris, quod franceſcam dixerunt, ut legitur apud Gregorium Turonenſem de Chlodoveo, *qui elevatis manibus ſuis franceſcam ſuam in caput militis defixit.* Sed franceſcam magis à gente, quam ab eâ gentem nominatam puto. Ne in his diutiùs, quàm mei inſtituti ſit, immorer, paucis dicam, quod certum eſt. Francos eſſe gentem Germanam, ea, quæ modò memorata ſunt, aperrè probant, quam ſanctus Hieronymus inter Saxones & Alemannos fuiſſe ſcribit. *Inter Saxones*, inquit, *& Alemannos gens ejus non tam lata, quàm valida, apud hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur*; quod Procopius Agathiaſque confirmant: ille quidem de bello Gothico memorat olim Germanos, *qui Franci nunc appellantur*, habitaſſe circa paludes ubi Rhenus in Oceanum evolvitur. Alter tradir Francos Italis accolas & conterminos eſſe, quos olim dictos eſſe Germanos conſtat. Primam gentis originem ad Rheni inferioris ulteriorem ripam, & circa regiones Vahali, Vidro, Viſurgi, Albique adjacentes ex antiquis ſcriptoribus cognoſcimus. Sed cum multi populi, quos modo nominavimus, hanc regionem incolerent, Francorum nomen gentis eſſe commune oportuit. Verùm, quod mirabile eſt, Franci per ſexaginra & centum plus minus annos, Galliam variis expeditionibus invaſerunt; neque à conſilio provinciæ hujus occupandæ tot annorum ſpatio deſtiterunt, ſeu repulſi armis Romanorum, ſeu variis certaminibus fracti, ſeu caſtellis & turribus prohibiti. Hanc tamen præclaram non modo victoriam adepti ſunt, quod tot annis totque cladibus non potuerint vinci; ſed prætereà quod omnibus fortiores periculis, potiti tandem Galliâ ſint, & feliciter nobiliſſimi Imperii crexerint fundamenta. Unde verò nomen ſuum ſortiti; an quod liberi ſemper, & legibus ſubjecti Romanis numquam fuerint, haud ſcio: ſed Francos dici, quaſi φρακτοὺς, ut Libanius ſophiſta dixit, minimè credam. Non quæſita eſt à Græco, ſed è voce Germanica profecta hæc origo eſt. Sidonius Francorum habitum cultumque omnem in laudatione Majoriani graphicè verſibus depingit: procero dicit fuiſſe corpore, crine rutilo, in frontem defluentibus comis, attonſo occipite; cæſios habuiſſe oculos, vultum raſum, relictos tamen barbæ pilos in criſtæ morem ſcribit; addit illis adeo ſtrictam arctamque fuiſſe veſtem, ut ad juſtam corporis formam aſſuta artus etiam ſingulos exprimeret; poplitibus tamen nudis fuiſſe, latum deindè balteum geſtaſſe, ſecures & haſtas, quas certo ictu mittere à puerilibus annis edocti ſunt; unde hac tenera ætate vehementem belli amorem illis innaſci: in certaminibus verò invicti adeo animi eſſe memorat, ut loco cedere neſciant; ne ſi vel numero hoſtium premantur, aut loci iniquitate pugnare contingat. Fortitudo Francorum ab auctoribus præcipuè laudata eſt. Libanius Francorum crebras impreſſiones confert cum fluctibus maris, quos ventorum vis excitat: priuſquam prior fluctus ſe frangat ad oppoſitum obicem, alter ſuccedit major, tertius deinde, & ſic deinceps plures veniunt, donec ventorum furor conquieſcat; ità impreſſiones Francorum ſuccedere, creſcentibus animis, ſemper augeri ſcribit.

In cap. ult. proph. Iſaiæ.

Agath. l. 6. 1. d.

In Panegyrico qui Baſilicus dicitur.

Quæ autem fuerit Francorum religio, aut potiùs vana ſuperſtitio, antequam fidem profeſſi ſint Chriſtianam; pauca hic adjicere operæ pretium eſt. Gregorius Turonicus ſcribit Francos fontium, aquarum, avium, beſtiarumque formas pro Diis habuiſſe. *Sed hæc generatio fanaticis ſemper cultibus viſa eſt ſemper obſequium præbuiſſe, nec prorsùs agnovere Deum.* Hæc ipſa ſuperſtitio veterum Germanorum præcipuè fuit, fontes, aquas, lucos, ſylvas, & arbores ipſas pro Diis habere; in ſylvarum quidem opacitare ineſſe quoddam venerabile homines imperiti exiſtimabant. Denſitas arborum, frondiumque umbracula Soli invia ex formidine reverentiam ingerebant, horrorque loci ſacer habebatur, & timidis animis arcanos numinum eſſe receſſus facilè perſuadebat; hocque congruit cum iis, quæ Tacitus de Germanorum moribus commemo-

Gregorius lib. 2. cap. 10.

LIB. II. CAP. II.

Tacitus de moribus Germanorum.

Lib. 5. hiſt.

rat, *Lucos*, inquit, *ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſolâ reverentiâ vident.* Ita quoque abditis fontium originibus, & in perpetuis fluviorum decurſibus numen aliquod ſubeſſe credebant; quia aut originem aquarum indagare, aut fontium fluviorumque perennitatem cum nequirent intelligere, numen ſcilicet hoc rati quodcumque ſupra mentis intelligentiam, pareret cum veneratione admirationem. Apud Tacitum Civilis Batavorum Dux cum ſuos ad pugnam excitaret, *dicebat eſſe Rhenum & Germaniæ Deos in aſpectu, quorum numine capeſſerent pugnam.* Adeò verum eſt hanc aquarum religionem non Francorum magis eſſe, quàm Germanorum. Aves, beſtias, apud Francos in honore fuiſſe addit Gregorius. Anno MDCLIII. Tornaci fortuitò effoſſum eſt ſepulcrum Regis Childerici. Certè inter alia multa, quæ in eo reperta ſunt, quæque Chiffletius edito de eâ re libro fusè deſcribit, bubulum ex auro caput inventum, quod Chiffletius idolum fuiſſe Regis autumat, quod convenit Francorum ſuperſtitionibus. Etſi autem Cæſar ſcribit, præter Solem, Vulcanum & Lunam Germanis Deos non fuiſſe, Mercurium tamen & Martem ab iis coli poſteà compertum eſt; quod me adducit ut credam Francis pro Diis eos habitos eſſe. Dico ampliùs, & Jovem & Saturnum, aliosque fictos Deos, quos Romani colerent, Francos poſtmodum coluiſſe. Nam apud Gregorium Chrotildis Regina Regem Chlodoveum adhortatur, ut non ſolùm Martem & Mercurium, ſed & Jovem & Saturnum deſerat, tamquàm falſa numina, & ex lapide ligno & metallo conficta conflataque ſimulacra. Ea fermè ſuperſtitioſa religio fuit Francorum, antequam repudiato cultu ſacrilego Chlodoveus à S. Remigio baptiſmum ſuſciperet, cum non ſolùm Rex ille fortiſſimus, ſed & melioribus ejus auſpiciis gens Francorum Chriſti jugo collum ſummiſit, & rectam Evangelii fidem ultrò amplexa eſt, quam deinceps ad noſtrum uſque tempus ita retinuit, ut nullâ ratione ab eâ deflecteret. Hæc de Francorum primordiis proloquutus, ad res Eccleſiæ Pariſienſis redeo.

CAPUT II.

De Chlodoveo Rege Francorum qui primus ſedem Pariſiis poſuit. De ejus converſione & de ejus bellis. De Concilio Aurelianenſi I. De Heraclio Epiſc. Pariſienſi. De baſilicâ SS. Apoſtolorum. De palatio Chlodovei & de ejus morte & ſepulturâ.

Vita S. Genov. cap 34.

I. POSTQUAM Franci, non tam prædandi animo, quàm occupandi ſedes, Galliam ingreſſi ſunt, eorumque conſiliis miſera Imperii tempora opportunitatem præberent, vi & armis opida & urbes ad deditionem compellere cœperunt, ſtudiis & amicitiâ ſibi conciliare animos populorum, & his artibus novæ dominationis longiùs fines propagare. Childericus, ut ſuprà memoratum eſt, ad Ligerim Aurelianis Andecaviſque captis, imperium protendit; ejus quoque auſpiciis primùm Lutetiam Pariſiorum Francorum imperio ſubjectam fuiſſe ex geſtis S. Genovefæ colligimus. In iis enim legimus Lutetiam à Francis obſeſſam, obſidionemque decem annos permanſiſſe; tumque civitatem annonæ caritate vehementer affligi cœptam, fame urbem agroſque premi, & virginem Genovefam, quâ auctoritate & pietate prædita erat in popu-

LIB. II. CAP. II.

lares, profectam Arciacum, quod oppidum eſt Tricaſſini agri ad Albam ſitum, deinde Pariſios tranſvexiſſe frumentum, & ſic inopiæ urbis ſuccurriſſe; unde intelligimus, quod nuſquam alibi legas, Childericum Regem poſt longam obſidionem urbe potitum. In iiſdem actis memoratur veneratio, quâ S. virginem idem Rex, etſi non Chriſtianus, proſequutus eſt; ejus enim precibus ſollicitatus condonavit Rex reis, in quos capitali ſupplicio animadverti juſſerat. Acta hæc habent. *Hildericus Rex Francorum, cum non fuerit Chriſtianus, grandi eam veneratione ſuſpexit; nam quadam vice, cum aliquos capitaliter reos, pertinaciter vellet occidere, ne S. Genovefæ precibus poſſent liberari, exiens de civitate, juſſit portas civitatis clavibus obſerari. At ubi Genovefæ nunciatum eſt, quod Rex ad eos occidendos foras fuiſſet egreſſus, protinùs, ut pro eis Regem precaretur, feſtina perrexit. Advenienti ergo portis, quæ diligenter fuerant obſeratæ, ſtatim ei ſunt, ſtupefactis cuſtodibus, quaſi quodam jubentis imperio, vel obtemperantis obſequio reſeratæ. Sic ad Regem perveniens, ne vincti capitibus truncarentur, obtinuit, & jam jamque perituri ab imminenti mortis periculo ſunt liberati.* Neque revocan- *Valeſ. lib 5.* dam in dubium eam hiſtoriam puto, quod Rex profani cultus Chriſtianam virginem adeò revereatur, ut ad ejus preces, reis damnatiſque ſupplicium remittat. Hoc habuit ſemper pietas Chriſtiana, quod etiam profanis hominibus ſui reverentiam conciliaret. Et Francorum animis magnatum inerant ſemina virtutum, quæ, poſtquàm fide & moribus Chriſtianis exculta ſunt, uberes produxerunt fructus; & Francorum Regibus, res Chriſtiana, necdum Chriſtianis, tamen venerabilis erat. Teſtis Chlodoveus, qui noſtris nondum initiatus myſteriis Epiſcopo petenti urceum (Fredegarius S. Remigium fuiſſe ſcribit) bello captum, magni pretii reddi juſſit, militiſque impietatem, qui contrà obniti voluerat, impactâ capiti ſecuri, graviſſimè ultus eſt; & Hincmarus ſcribit S. Remigium & paganis & Regi Chlodoveo in honore & pretio habitum.

II. Childerico ſucceſſit Chlodoveus; is non modò virtute & felicitate, ſed etiam religione majoribus ſuis longè anteivit. Præclara autem facinora, quæ domi & foris tam pro religione Chriſtianâ, quàm pro amplificandis regni finibus edidit, ſingula recenſere, neque mei muneris, neque propoſiti eſt. Nequeo tamen ſilentio præterire inſignem victoriam, quam ad Tolbiacum de Alemannis retulit, ubi Rex tum adhuc idololatriæ deditus, inclinante acie, cœpit precari Deum, ſpondens Chriſtianum fore ſe, ſi vinceret; extemplò fuſis hoſtibus, voti factus eſt reus, & paulo poſt Remis fidem liberavit, ſuſcepto à Remigio Pontifice hujus civitatis baptiſmo; tumque complures ex Francis noſtris myſteriis, præeunte Rege, imbuti ſunt, Franciaque Chriſtiana cœpit eſſe. Id autem contigit anno CDXCVI. Rex dilatato Imperio Francorum, profligatâque gente Alemannicâ, Pariſios venit, ibique manere cœpit, reli.tis Ambianis, quam & olim Chilpericus Regni ſedem fecerat, & Auguſta Sueſſionum, in quâ, teſte Hincmaro, commorari conſueverat. Anno DVI. qui vigeſimus *In vitâ S. Remigii.* quintus regni ſui fuit, Chlodoveum graviſſimo morbo Pariſiis affectum fuiſſe acta S. Severini Abbatis Agaunenſis tradunt, adeoque vim morbi invaluiſſe, ut toto biennio Regem affligeret, neque ullâ medicaminum potentiâ depelli poſſet. Erat tunc celebrata ſanctitas Severini Abbatis Agaunenſis monaſterii, quod conditum fuerat ex frequentiâ piorum hominum, qui locum, ubi Thebæa legio ſub Maximiano martyrio inſignem fidei confeſſionem ediderat, colere & habitare cœperant, & poſtmodùm à Sigiſmundo Rege Burgundionum magnificè extructum fuit. Is carus Deo & hominibus ob religionem, magnam famam compluribus ſignis ſibi comparaverat. Tranquilinus medicus monet Regem nullam ſpem eſſe in arte, expectandum à Deo remedium, accerſendum Severinum, qui ægrum curet precibus. Probavit Rex conſilium, mittitque ad Agaunum nuncium, (hunc Tranſoarium acta vocant) qui roget S. Abbatem, ut veniat Pariſios, & Regi ægro opem ferat. Ultrò petitioni Regis annuit ſanctus Abbas, iterque ingreſſus, ſanato in itinere Euladio Epiſcopo Nivernenſi, Lutetiam Pariſiorum venit. *Et cum veniſſet ad portam civitatis,*

LIB. II. CAP. II. inquiunt acta, *erat ibidem leproſus unus eleemoſynam ſe accepturum ſperans ab eo. Cui ſanctus Dei dixit, veni ad me, & venit, & oſculatus eſt eum, & ſputum ſuum manu ſuâ impoſuit ſuper eum, & linivit eum, & ſanavit lepram ejus, & cum oraſſet in eccleſiâ Dei, domum Regis ſe contulit, ingreſſus & ante lectulum Regis ſe in orationem proſtravit. Et cum ſe elevaſſet exuens caſubulam ſuam, corpori Regis induit eam, & ſtatim dimiſit eum febris, & adoravit eum Rex, & flectens genua ad pedes ſancti ſe jactavit, benedicens. Deum & Dominum Ieſum Chriſtum, qui per adventum S. Severini ſuper illum ſuas tantum oſtendit virtutes, & dixit ad eum Rex, Abba pater, accipe pecuniam de theſauro meo, & pauperibus eroga, & quanticunque in Regno meo pro ſuo crimine carceribus detinentur, noſtrâ indulgentiâ relaxentur. Multi quidem & alii infirmi erant in domum Regis, & ſub urbe Pariſius. Sanctus autem Dei Severinus corporibus ſingulorum ſuis orationibus reddidit medicinam.* Poſt Regis incolumitatem Severinus ſe ad Caſtrum-Nantonis recepit, & erecto inibi oratorio, paulò poſt diem obüt. Hæc excerpta ſunt è vitâ S. Severini, quam ejus diſcipulus Fauſtus ſcripſit, quamque ex bibliothecâ S. Germani Pratenſis eruit Joannes Mabillonus & deſcripſit in actis SS. Ordinis Bened. ſæcul. 1.

III. Chlodoveus receptâ ſanitate ægrè ferebat Gothos magnam Galliarum partem occupare, & latè per nobiles provincias dominari: volvens hoc animo armis eos aggredi inſtituit. Ob eam rem conſilium procerum Pariſios indicit, hortaturque ad bellum Gothis inferendum, perfidiam gentis ponit ob oculos, quæ hæreſim defendat, & per Gallias virus Arrianum effundat; ita adversùs eos expeditio ſuſcepta. Priuſquam proficiſceretur Rex, hortante Reginâ, ædificaturum ſe eccleſiam in honorem S. Petri principis Apoſtolorum, cum à bello redierit Pariſios, pollicetur, ut propitio numine rem gerat; quod author geſtorum Regum Francorum commemorat his verbis. *Rex Chlodoveus cum veniſſet Pariſius civitatem, ait ad Reginam & ad populum ſuum: ſatis mihi moleſtum eſt, quod Gothi Arriani partem optimam Galliarum tenent, eamus cum Dei auxilio, & ejiciamus ipſos de ipſâ terrâ, noſtriſque eam ditionibus ſubjiciamus, quia valde bona eſt, placuitque hoc conſilium proceribus Francorum. Tunc Chlotildis Regina conſilium dedit Regi dicens, faciens, inquit, faciet Dominus Deus victoriam in manibus domini mei Regis: ſed tu audi ancillam, & faciamus eccleſiam in honorem beatiſſimi Petri principis Apoſtolorum, ut ſit auxiliator in bello, & Rex ait, placet hoc quod hortaris, ita faciamus, tum Rex projecit à ſe in directum bipennem ſuam, quod eſt franceſca, & dixit fiatur eccleſia beatorum Apoſtolorum, dum auxiliante Deo revertimur.* Chlodoveus ad bellum profectus adverſus Gothos, in Vogladenſibus campis pugnat feliciter; fuſi Gothi, manu Chlodovei peremptus Alaricus in acie, adjectaque hac victoriâ Francorum Imperio Aquitania: victor Rex Turonos ad ſepulcrum B. Martini venit; tum Pariſios redit, urbemque Lutetiam, ubi jam plures annos fuerat commoratus, Regni ſui ſedem eſſe juſſit. *Egreſſus,* inquit Gregorius Turonicus lib. 2. cap. 28. *Chlodoveus Turonis Pariſius venit, ibique Cathedram Regni ſui conſtituit* anno DVIII. Multa Regem impulerunt, ut ibi Regiam poneret, loci amænitas & ſitus urbis, quæ poſita in inſulâ, circumquaque Sequanâ cingitur; quid quod inter Celticæ & Belgicæ fines ſita, neque longe diſſita à limitibus Aquitaniæ, opportuna Francorum Imperio erat, qui has provincias confines tenebant. Invitavit & exemplum Juliani Valentinianique Senioris Imperatorum, qui cæli temperie, ut dictum eſt, & pulchritudine loci illecti, hiemem Pariſiis tranſigere ſolebant. Quo in loco palatium Chlodovei ejuſque ſucceſſorum extructum fuerit, an intra ambitum inſulæ, an extra; an ad Auſtralem regionem, quæ olim ſuburbana erat, an in eâ quæ ad Occaſum tendit ſecùs Sequanam, in dubium nonnulli revocant. Palatium Lib. 20. quidem Juliani Pariſiis fuiſſe Ammianus Marcellinus memorat, pluribuſque in locis ejuſdem meminit, Regiamque fuiſſe extructam in ſuburbanis urbis. Neque haud procul fuiſſe apertum campum ex iis, quæ in eodem leguntur ſcriptore haud dubitanter colligitur. Antiqua fama eſt Regiam Juliani ad meridiem in ſuburbanis urbis ſitam eſſe, ut ſupra memoratum eſt, viſunturque hodie

inter vicum Citharæ & ædes Abbatis Cluniacenſis antiqua hujus regiæ domus monumenta, quæ ex opere ipſo Romana ædificia fuiſſe facile agnoſcas. Neque nomen poſt tot annorum curriculum omnino abolitum eſt; nam vulgò locum illum, ubi ea viſuntur, locum thermarum, ut eſt in veteribus chartis domus Sorbonicæ, quin & domum thermarum & palatium thermarum ſolent vocare. In litteris Ludovici VII. datis anno MCXXXVIII. eccleſiæ Mathurinorum, quæ tunc temporis eleemoſyna B. Benedicti, mentio fit thermarum, quæ in ſuburbio Pariſienſi juxta illam eccleſiam erant. *Eleemoſyna B. Benedicti ſita in ſuburbio Pariſienſi, juxta locum, qui dicitur Thermæ.* Cum igitur haud incerta opinio ſit Juliani palatium in hoc ſuburbii loco ædificatum fuiſſe, & Valentinianum Seniorem eamdem domum habitaſſe, cum hiemem Pariſiis ageret; mihi omninò perſuaſum eſt, Reges Francorum, Chlodoveum præſertum, Childebertumque ejus filium, nullum alium ponendæ Regiæ locum ſelegiſſe. Quod utique conſonum eſſe reperio cum his quæ leguntur apud Fortunatum lib. VI. cap. VIII. ubi hortos regios laudat, quibus ad baſilicam S. Vincentii iter erat, in quâ ipſe Childebertus deinde ſepultus fuit.

LIB. II. CAP. II.

Antiquitez de Paris liv. 2. du Breuil.

Hæc iter ejus erat, cum limina ſancta petebat,
Quæ modò pro meritis incolit ille magis.
Anteà nam vicibus loca ſacra petebat amatus,
Nunc tamen aſſiduè templa beata tenet.

Nam, ut ſcribit Hadrianus Valeſius in diſceptatione de baſilicis. *Hodie à thermis rectà per vicum fratrum Minorum portamque S. Germani petitur ea baſilica.* Diu permanſit illud vetus palatium, etſi poſt adventum Normanorum, intra ſeptum inſulæ, primùm Comites, tum Reges ipſi palatium habere cœperunt; quod ex chronico Vicelliacenſi colligit Valeſius, ubi hæc verba leguntur. *Exeuntibus igitur Vicelliacenſibus monachis*, è palatio ſcilicet Regis Ludovici VII. *& populis proſequentibus, proceſſerunt obviam illis, uſque ad vetus palatium omnes fratres S. Germani de Pratis, & ſuſceperunt eos cùm fletu.* Hæc paucis de veteri palatio Regum noſtrorum, quæ doctiſſimi viri Valeſius in diſceptatione de baſilicis, & Mabillonius lib. 4. de re diplomaticâ pluribus proſecuti ſunt. Ab initio igitur belli Gothici, ut antea memoratum eſt, baſilicam SS. Apoſtolorum extruendi conſilium cœpit Chlodoveus, idque maximè ſuadente piiſſimâ Reginâ Chrotilde; neque cœptum ædificium niſi poſt bellum Gothicum tradit Rorico. Scribit enim pollicitum Chlodoveum eccleſiam ſe in honorem S. Petri ædificaturum, cùm partâ de Gothis victoriâ Pariſios redierit. *In hoc loco, adjuvante Domino, S. Petri ſtabilietur eccleſia, cum è prælio victor reverſus fuero.* Narrant acta S. Genovefæ Chlodoveum cœpiſſe ædificare eccleſiam, & poſt ejus mortem Chrotildem Reginam opus perfeciſſe, referuntque eam baſilicam tribus porticibus fuiſſe decoratam, & exornatam picturis, quibus ſacræ patriarcharum, prophetarum, martyrum & confeſſorum hiſtoriæ deſcriptæ fuerant. *Quin etiam Chlodoveus honoris ejus gratiâ baſilicam ædificare cœperat, quæ poſt diſceſſum ejus, ſtudio præcellentiſſimæ Chrotildis Reginæ ſuæ celſum extulit ædificata faſtigium.* Acta vitæ S. Genovefæ. Sane Gregorius, aliique antiqui rerum Francicarum ſcriptores Chlodoveum cum Chrotilde Reginâ ſcribunt hanc eccleſiam SS. Apoſtolorum conſtruxiſſe, ſed cœptam à Rege, & à Reginâ perfectam fuiſſe non memorant: quin potiùs ante obitum Chlodovei faſtigium baſilicæ impoſitum innuunt. Vita S. Remigii. *Tunc per conſilium Reginæ ſuæ fecit eccleſiam, in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli*, & Fredegarius. *Sepultus eſt in eccleſia S. Petri Apoſtoli quam ſuo opere conſtruxerat*, quod & Gregorius qui ſcribit *Chlodoveum ſepultum in baſilicâ SS. Apoſtolorum, quam cum Chrotilde Regina ipſe conſtruxerat.* Gregor. Tur. lib. II. cap. 43

Ea autem baſilica poſtea non modo ſanctitate loci, & fundatione Regis IV.
celebris fuit, ſed ſepulcris Regum, atque inprimis commendata ſepulcro S. Genovefæ, ut ſuperiùs memoratum eſt. Chlodoveus in ea ſepultus eſt; Theodovvaldus, & Guntharius filii Chlodomeris ibi quoque tumulati ſunt; quin & ipſa ſanctiſſima Regina Chrotildis, etſi Turonis è vitâ deceſſit, poſt mortem Pariſios delata, in eâ baſilicâ condita eſt; Chrotildem etiam filiam ejus, quæ

LIB. II. CAP. II. Amalarico Vveſigothorum Regi nupſerat, inibi ſepultam Gregorius teſtatur: ſed hæc aliàs. Apud Gregorium baſilica ſanctorum Apoſtolorum dicitur; aliquando baſilica S. Petri, ut ſuperiùs annotatum eſt. Ita in libro de gloriâ confeſſorum cap. 91. ſcribit S. Genovefam ſepultam in *baſilicâ SS. Apoſtolorum*; & libro 2. Hiſtoriæ Franc. cap. ultimo. *Chlodoveus in baſilicâ ſanctorum Apoſtolorum*; ita idem auctor ſcribit Chrotildem proſequutam corpora filiorum Chlodomeris uſque *ad baſilicam S. Petri*, & ipſam Chrotildem ſepultam *in ſacrario baſilicæ S. Petri, ad latus Chlodovei Regis*. Alii multi ſcriptores promiſcuè baſilicam S. Petri, ſanctorum Apoſtolorum eam dicunt; aut ſolummodo eccleſiam S. Genovefæ. In ea primum monachos fuiſſe ex actis S. Bathildis colligo, quibus canonici ſucceſſerunt; his ſubrogati ſunt canonici regulares, qui locum dotatione & ſepultura magni Regis celebrem, cultu S. Chrotildis & S. Genovefæ venerandum, pietate, doctrina præclariſque vitæ canonicæ inſtitutis exornant.

Lib. 3. cap. 18.

Lib. 4. cap. 19.

V. Anno DXI. quo Chlodoveus Rex mortem oppetiit, habitum Aurelianenſe Concilium primum. Heraclius Pariſienſis Epiſcopus huic interfuit & ſubſcripſit. Cur ea Synodus habita ſit, facile dictu eſt. Cum per multos annos miſerrima Galliarum tempora fuiſſent, crebræ barbarorum incurſiones, nobiliſſimarum civitatum excidia, populorum ſtrages, aſſiduaque bella ingentem effeciſſent in noſtris provinciis vaſtitatem; adhæc gens bellicoſa ſuperſtitioni vanæ dedita, occupatis Galliis, reipublicæ formam mutaſſet; fieri non potuit, quin labente, ut fit, diſciplinâ, res Chriſtiana multum detrimenti pateretur. Quid quod genti nuper ſubjectæ jugo Chriſti, opus erat legibus, quibus ad mores Chriſtianos & pia religionis noſtræ inſtituta ſe componeret. Cum res noſtræ in eo ſtatu erant, Epiſcopi Regni Francici fieri Synodum à Chlodoveo petierunt. Hincmarus ſcribit ſanctum Remigium hujus conſilii auctorem fuiſſe; ſed eum Synodo interfuiſſe non legimus. Rex itaque, ut habet præfatio Concilii, Aurelianos Sacerdotes evocavit. Urbs ad Ligerim ſita, opportuna fuit Aquitaniæ, Celticæ & Belgicæ Sacerdotibus congregandis. In eâ Synodo ex iis provinciis collectos fuiſſe Epiſcopos ſubſcriptiones fidem faciunt. Unus & triginta canones in collectione Sirmondi leguntur, omnes diſciplinæ aut reſtituendæ aut retinendæ utiliſſimi. Tribus prioribus decretis, immunitatibus & privilegiis baſilicarum cautum eſt. Quarto canone ſtatutum, ne quis ex laicis ad Clerum allegatur niſi ex juſſione Regis, aut factâ à judice poteſtate, aut ex aliis clericis genitus ſit. Ex quinto intelligimus Chlodoveum Regem multa eccleſiis dona contuliſſe, & poſſeſſiones Eccleſiæ munitas eſſe immunitatibus & privilegiis, eorum autem adminiſtrationem Epiſcopis commendari. Non animus eſt ſingulos canones, aut ſingula eorum capita repetere, quæ cuivis obvia ſunt in collectione Conciliorum. Multa de bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatione, multa de Abbatibus & monachis, qui tunc temporis in poteſtate Epiſcoporum erant, & de clericorum judiciis aut cauſis utiliter decreta. Decimo canone diſpenſatio adhibita in gratiam Gothorum, qui ex hæreſi Ariana ad Eccleſiam redirent. Canon XII. annotandus, ubi de diaconis & preſbyteris, qui pœnitentiæ publicæ legibus ſubjecti fuerant; nam aliàs vetitum fuerat eos inter pœnitentes verſari, & ſolâ communione laicâ abdicati ab officio plectebantur. Additur in eodem canone eos, nonniſi ortâ neceſſitate, baptiſmum potuiſſe conferre. Canon XIII. probat diaconos quidem & preſbyteros juſſos continentiam ſervare; & ſi conjugati erant, non ideo tamen reſciſſum matrimonium; nam cavetur ne uxores à diaconis & preſbyteris relictæ matrimonium cum aliis ineant. Hæc & ſimilia cuique facile erit deprehendere. Hoc primum Eccleſiæ Gallicanæ ſub Regibus Francorum Concilium fuit, cui interfuerunt XXXII. Epiſcopi, ex quibus V. metropolitani. Heraclius Pariſienſis Epiſcopus huic calculum & ſubſcriptionem dedit. Quàm fuerit diſciplinæ Eccleſiaſticæ Heraclius obſervantior oſtendit negotium, quod anno ſequenti cum S. Remigio paulò aſperius tractatum eſt. S. Remigius ex teſtimonio Chlodovei Regis Claudium preſbyterum fecerat. Claudius poſt ordina-

tionem, ſeu furtum, ſeu aliud aliquod ſacrilegium admiſerat. Pius Antiſtes cum Claudio reſipiſcente agendum mitius exiſtimabat, & aliquid de ſeveritate canonum per indulgentiam remittendum, & poſt pœnitentiam reſtituendum officio, ut & hac piâ manſuetudine ad meliorem frugem revocaretur. Tres Antiſtites Heraclius, Leo & Theodoſius factum Remigii improbant; id vertere in contemptum* & perniciem Eccleſiæ dicunt, ſcriptiſque ad eum litteris, id non eſſe paſſuros teſtantur, multa exprobrantes, quaſi id per imbecillitatem ingraveſcentis ætatis feciſſet, & eum jubilæum appellaverunt. Reſpóndit ad Epiſcopos graviſſimis litteris Remigius, & Scripturæ locis tuetur indulgentiam, quam adverſus Claudium exercet, & queritur quod ex ætate contemptum magis, quam ex caritate honorem conſequatur. Hanc epiſtolam integram adducimus. LIB. II. CAP. II.

Dominis verè ſanctis & meritis beatiſſimis in Chriſto fratribus, Heraclio, Leoni, & Theodoſio Remigius Epiſcopus.

Paulus Apoſtolus in Epiſtolâ ſuâ loquitur: caritas nunquam excidit, quæ, ut tales ad me litteras mitteretis, in veſtris ſenſibus non reſedit. Nam pro Claudio fudi ſimplicem precem, quem vos non presbyterum ſcribitis, ut in me indignationem veſtri pectoris proderetis. Illum non abnego graviter deliquiſſe: ſed vos ætati meæ, etſi non meritis, decuerat detuliſſe. Quod propitiâ divinitate ſit dictum, quinquaginta & tribus annis epiſcopali ſedi præſideo, & me appellavit tam procaciter nemo. Dicitis, melius vos fuiſſe non natos. Hoc mihi fuerat opportunum, ne audiſſem tranſgreſſoris opprobrium. Ego Claudium presbyterum feci, non corruptus præmio, ſed præcellentiſſimi Regis teſtimonio, qui erat non ſolùm prædicator fidei Catholicæ, ſed defenſor. Scribitis canonicum non fuiſſe, quod juſſit. Summo fungamini Sacerdotio. Regionum præſul, cuſtos patriæ, gentium triumphator injunxit. Tanto in me prorupiſtis felle commoti, ut nec epiſcopatus veſtri detuleritis auctori. Rogavi, ut Claudius ſacrilegii perpetrator pœnitentiæ ſervaretur. Legimus namque, quod excidium cœleſti denunciatione prædictum evaſerint per pœnitentiam Ninivitæ, quod Ioannes Præcurſor Domini in Evangelio prædicavit, ut regno appropinquante cœlorum, eam populi agerent, ne perirent. In Apocalypſi Angelis Eccleſiarum ſcribitur ex præcepto Domini Salvatoris, ut quæ digne minùs egerant, pœnitentiæ ſatisfactione corrigerent. De iracunda dictione ſanctitatis veſtræ intelligo, quod lapſum non miſeramini poſt ruinam, ſed magis vos velle video ne convertatur & vivat, cum Dominus dixerit: nolo mortem morientis, ſed ut convertatur & vivat. Hoc nos expedit ſequi, hanc Domini voluntatem non prætermittere, ſed tenere: quia nos poſuit non ad iracundiam, ſed ad hominum curam, & ſervire pietati potiùs, quàm furori. Ponitis in epiſtolâ veſtrâ, quod Celſus quidam, qui Claudio credidit, quòd abductus, & utrum vivat aut ſit mortuus ignoratis, atque hujus inquiſitorem me eſſe præcipitis, & neſcitis ſi in ſæculo, aut ſi apud inferos ſit quærendus, & res ſuas à me vultis reſtitui, quas ſublatas fuiſſe non novi. Impoſſibilia præcipitis, ut impia peragatis. Annorum numerum me eſſe ſcribitis jubilæum, irridentes potiùs, quam pro dilectione gaudentes, cui vinculo caritatis inrupto inſinceriter, à vobis nec parcitur, nec defertur.

Heraclium fuiſſe Pariſienſem Epiſcopum haud dubium eſt, & Theodoſium Autiſſiodorenſem Epiſcopum. Hi enim duo Epiſcopi Concilio Aurelianenſi anno ſuperiore interfuerunt, & ſubſcripſerunt; cujus autem civitatis Epiſcopus fuerit Leo, non ita liquet. Putant aliqui eſſe Leonem Epiſcopum Senonenſem, in cujus locum Orbatus presbyter Concilio Aurelianenſi II. ſubſcripſit. Ægrè ferebant Antiſtites, quod Remigius Claudium ad presbyteratus ordinem evexiſſet, & quod poſt admiſſum ſacrilegium in honore ordinis retineretur quod erat contra canonem IX. Concilii Aurelianenſis I. ubi ſic legitur. *Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiſerit, ſimul & officio & communione pellatur.* Non igitur Heraclius & alii duo arguendi, quod hoc factum ex decreto recens edito improbarent, ſed neque vituperandus Remigius, quod VI.

Annales Eccleſiaſtici Francorum ad an. 512.

ex judicio *præcellentiſſimi Regis, qui erat regionum præſul, cuſtos patriæ, gentium triumphator, Claudium ordinaſſet*, & quod ex prudentiâ & caritate, canonicæ ſeveritati utilem & perſonis & tempori modum poſuiſſet. Proinde licitum fuit agere aut ex jure canonum, aut ex caritatis lege. Si quid gravius præterea contigerit, non tam perſonarum, quam cauſarum vitium eſſe puto. Jubilæum per contemptum appellatum S. Remigium Hincmarus & Flodoardus narrant. Sic Cellenſes de ſancto Remigio. *Quid ille Jubilæus, ſic enim appellabatur propter ætatis prolixitatem S. Remigius.* Eadem poſtea diſpenſatione uſus eſt cum Genebaldo Laudunenſium Epiſcopo, quem S. Remigius pœnitentem ad officium ſacerdotale divinitus admonitus revocavit.

In vitâ S. Remigii lib. 1. cap 17
Hincm. in vitâ S. Remigii

VII. Eodem anno, quo habitum eſt Aurelianenſe Concilium, Chlodoveus Pariſiis moritur quinto Calendas Decemb. ut antiqua calendaria docent, ſepultuſque eſt in eccleſia SS. Apoſtolorum, ut Gregorius memorat. *Apud Pariſius obiit, ſepultuſque in baſilicâ SS. Apoſtolorum, quam cum Chrotilde Regina ipſe conſtruxerat, migravit autem poſt Vogladenſe bellum anno quinto. Fueruntque omnes dies regni ejus triginta anni. A tranſitu ergo S. Martini uſque ad tranſitum Chlodovei, qui fuit undecimus annus epiſcopatus Licinii Turonici Sacerdotis ſupputantur anni centum duodecim.*

Lib. 2. cap. 41.

VIII. Chlodoveus Rex Francorum domi foriſque clarus multum regni promovit fines, ſed quod inprimis laudare oportet, ſuſceptâ Dei religione, multum Chriſtianæ fidei amplificandæ profuit; præter quàm enim quod ad fidem recipiendam exemplo gentem Francorum allexit, nulla ſuam fidem hæreſeos labe, vel ſuſpicione maculari paſſus eſt; quod magnificum fuit eo præſertim tempore, quo Principes omnes, qui hac ætate vivebant, aut Arriana aut alia hæreſi infectos fuiſſe conſtat. Sinceritati fidei pietatem religionemque adjeciſſe multa oſtendunt: in expeditione Gothica per agrum Turonenſem traducens exercitum, edicto prohibuit ne quis quicquam in honorem B. Martini caperet, & in militem ob violatum in re modica edictum ſæviſſimè animadverti juſſit. In eadem expeditione præceperat, ne quis etiam in hoſtili agro aliquid quod ad eccleſias pertineret, ad clericos aut virgines, aut viduas, quæ ſe Deo voverant, rapere auderet. Victor verò rediens ex expeditione, Turonis in atrio baſilicæ hujus civitatis, ex auro & argento, quod ex ſpoliis hoſtium corraſerat, ſacrum populo congiarium dedit. In Concilio Aurelianenſi legimus ipſum agros & poſſeſſiones eccleſiis tribuiſſe, & clericos immunitate donaſſe; quin & eccleſiam SS. Apoſtolorum extruxiſſe modo dicebamus. Quæ omnia veræ religionis, & ſinceræ pietatis teſtimonia ſunt, adeo ut non modò ob bellicas, ſed ob Chriſtianas virtutes, nec ſolùm ex præclarè, ſed ex religioſè geſtis magni cognomen adeptus ſit. In crypta S. Genovefæ conditus eſt, ejuſque ſepulcrum ſæpius reſtitutum eſt ac demùm erectum in medio chori eccleſiæ S. Genovefæ à Cardinale Rupefucaldo cum hoc elogio.

Chlodoveo Magno
Regum Francorum primo Chriſtiano
Hujus baſilicæ fundatori
Sepulcrum vulgari olim lapide ſtructum
Et longo ævo deformatum
Abbas & Conventus meliori opere
Cultu & formâ renovarunt.

Digitized by Google

CAPUT III.

De filiis Chlodovei Regis Theodorico, Chlodomere, Childeberto & Chlotario. De bello Burgundico & morte Chlodomeris, ejuſque filiorum funeſtâ cæde. De geſtis S. Chlodoaldi & S. Severini ſolitarii. De geſtis, morte & ſepulturâ S. Chrotildis & de ejus filiâ quæ nupſerat Amalarico Vveſogothorum Regi.

MORTUO, ut dictum eſt, Chlodoveo, quatuor ejus filii, Theodoricus, I.
Chlodomeris, Childebertus atque Chlotarius Regnum ejus quadrifariam diviſerunt, & ex diviſo Imperio quatuor Regna, totidemque in ſuâ quiſque ſorte Regias conſtituerunt. Theodoricum Mettis, Chlodomerem Aurelianis, Chlotarium Sueſſionis, Childebertum verò Pariſiis ſedem Regni collocaſſe Fredegarius ſcribit. Sane Childebertum Gregorius Pariſiorum vocat Regem. Regina vero Chrotildis, ſepulturâ & juſtis exequiarum viro ritè perſolutis, Turonos ſeceſſit, ut piis operibus, quod viduam decet, viduitatis damna ſolaretur. *Chrotildis Regina, poſt mortem viri ſui Turonos venit, ibique ad baſilicam S. Martini deſerviens cum ſummâ pudicitiâ atque benignitate in hoc loco commorata eſt omnibus diebus vitæ ſuæ, raro Pariſius viſitans.* (*Greg. lib. 2. cap. 43.*) Verùm Reginam Deo vacantem interturbavit domeſticus caſus, & eam Pariſios revocavit. Rem paucis expedio. Reges Francorum hortante matre infeſtis ſignis Burgundiam ingreſſi feliciter cum Sigiſmundo Rege Burgundionum & ejus fratre Godomaro prælium commiſerunt. Godomarus fugâ quidem ſaluti conſuluit, ſed Sigiſmundi ſors iniquior; dum enim fugit ad Agaunenſe monaſterium quod condiderat, in manus Chlodomeris incidit, captuſque cum uxore & filiis ducitur Aurelianos. Reges victoriâ potiti Burgundiam vaſtant, & onuſti prædâ domum redeunt. Godomarus interea occupat fraternum regnum, reparatoque exercitu bellum redintegrat. Chlodomeris audito in Burgundiâ denuo bellum moveri, Sigiſmundum cum uxore & liberis necat, & in puteum apud Columnam, qui vicus eſt propè Aurelianos, abjici jubet; ſed malo urgente fato, ut antea Avitus Mitiacenſis Abbas præmonuerat. Statim namque in Burgundiam proficiſcitur, pugnat cum Godomaro apud Viſorontiam: fuſi Burgundiones fugam capeſſunt; Chlodomeris dein fugientes inſequitur & incautè ſe miſcet hoſtibus, qui vultu & loquelâ ſe Francos eſſe diſſimulabant; illico ab iis circumventus obtruncatur, & caput defixum oſtentant: quo ſpectaculo Franci accenſi ad vindictam magnâ hoſtium internecione & Burgundiæ vaſtitate Regis cædem ulciſcuntur. Hoc accidit anno DXXIV.

Erant Chlodomeri Regi tres filii Theodovvaldus, Guntarius & Chlodoal- II.
dus. Horum tutelam ſuſcepit avia Chrotildis, quippe quæ in nepotum educatione amiſſi filii dolorem leniret; ſed hoc ipſum, unde ſolarium ſperabat, majoris deloris cauſa extitit. Childebertus Chlotariuſque fratres, ut potiundæ paternæ hæreditatis ſpem penitùs adimerent pupillis, nefarium facinus aggrediuntur; cujus auctorem fuiſſe Childebertum Pariſiorum Regem Gregorius Turonenſis perhibet. Is cernens filios Chlodomeris ab avia Chrotilde diligi plurimùm, timere cœpit, ne quâ valebat inter Francos auctoritate, paternum

regnum, cui ipſe inhiabat, reciperent; moner Chlotarium fratrem per nuncios, uti confeſtim Pariſios veniat, ut in commune conſulant quid facto opus ſit, Chrotildem matrem ad ſpem regni nepotes educare, regios pupillos aut attonderi, ut ſic plebeiis accenſerentur, aut interfici oportere, ut regnum Chlodomeris inter ſe dividant. Nihil cunctatus Chlotarius Lutetiam Pariſiorum advolavit, habitoque conſilio facinus immane concipiunt; ſparſo interim rumore ideo convenire Reges, ut ad paternum ſolium filios fratris evehant. Eadem Chrotildi, quæ tum Pariſus agebat, per nuncium ſignificant, rogantque uti ab eam cauſam ad ſe filios Chlodomeris mittat. Illa ſceleris neſcia, ire, inquit, nec me orbatam filio putem, ſi ejus regno ſubſtitutos vos videro. Sed ea res longè aliter ceſſit, quàm ſperaverat. Ubi tres filii Chlodomeris ad patruos acceſſerunt, amoti ab iis cuſtodes, puerique, qui eos comitabantur, miſſuſque ad Chrotildem Arcadius geſtans diſtrictum cum forfice gladium, rogat Reginam Regum nomine, an illa malit nepotes inciſis crinibus vivere, an jugulari. Perculſa nuncio Regina reſpondit, quod dolor iraque ſuggeſſerant, ſe malle pueros privari vitâ, quam regno. Arcadius verba Chrotildis renunciavit non tanquam deteſtantis crimen, ſed tanquam ſcelus approbantis. Horret ſtylus Eccleſiaſticæ rei cetera proſequi. Chlotarius illico Theodovvaldum natu quidem majorem, ſed decennem tantùm, allidit ad terram, & adacto per axillam cultro crudeliter necat. Guntharius puer ſeptennis ad miſerabile fratris ſpectaculum perterritus advolvitur pedibus Childeberti, amplexanſque genua & puerilirer ejulans, *ſuccurre*, aiebat, *piiſſime pater, ne & ego peream ſicut frater.* Childebertus tactus miſeratione, vitam pro puero deprecari cœpit; tum Chlotarius exprobrans Childeberto præpoſteram pœnitentiam parricidii, cujus auctor incentorque fuerat, minarum plenus, eo cultro, qui cruore Theodovvaldi manabat, Guntharium confodit. Unus Chlodoaldus evaſit periculum virorum fortium audaciâ è cruentis patruorum manibus ereptus. Haud æquior puerorum, cuſtodumque, qui regios pueros comitabantur, fortuna fuit; nam omnes ad unum eodem crudelitatis impetu trucidati ſunt. Chlotarius Childebertuſque perpetrato tam immani facinore ex urbe diſceſſerunt, & poſteà regnum Chlodomeris aſſertum parricidio inter ſe diviſerunt. Chrotildis ad nuncium criminis exhorruit; quod ſuæ pietatis fuit, tenera puerorum corpora feretro compoſuir & cum publico mœrentium civium luctu clericorumque pſallentium frequentiâ funus ipſa proſequuta in baſilicâ ſancti Petri tumulo ea condidit. Ex eo tempore Chrotildis peccata filiorum, non modò lacrymis eluere cœpit, ſed etiam piis largitionibus & eleemoſynis placare Deum, eccleſiis, baſilicis & monaſteriis prædia poſſeſſioneſque largiter diſtribuens, & exhibens ſe omnibus in locis Chriſti famulam, *ut putaretur*, inquit Gregorius, *eo tempore non Regina, ſed propria Dei ancilla ipſi ſedulò deſervire, quam non regnum filiorum, non ambitio ſæculi, nec facultas extulit ad ruinam, ſed humilitas erexit ad gratiam.*

III. Is exitus fuit Chlodomeris, ejuſque filiorum, quorum unus ſuperſtes fuit Chlodoaldus, qui cum ſuo periculo intelligeret fallacia hujus ſæculi bona tot eſſe circumſepta malis, inſidaque eſſe mortalium pectora, quæ plerùmque cupiditas in tranſverſum agit, ea deſpicere, melioribus bonis inhærere, & in Deo ſpem ſuam omninò collocare cœpit. Quoniam verò de eo ſermo incidit, quæ de ejus actis antiquitas memorat, breviter retractabo. Gregorius Turonenſis de eo ſcribit his verbis. *Is ſanctus Chlodoaldus poſtpoſito regno terreno, ad Dominum tranſiit & ſibi ipſi manu propriâ capillos incidens, clericus factus eſt, boniſque operibus inſiſtens presbyter ab hoc ſæculo migravit.* Ejus vitâ ex MSS. codd. S. Germani Pratenſis edita eſt in actis SS. Ordinis S. Benedicti ſæculo primo. Scriptor ille tradit Chlodoaldum, ſpretis honoribus ſæculi, æternæ felicirati adipiſcendæ ſedulò adjunxiſſe animum, ſacrorum ſcilicet librorum lectione, quaſi cibis ſpiritalibus, ſolitum mentem paſcere, orationibus & pſalmis intentum indulſiſſe, egenorum inopiæ largâ manu ſuccurriſſe, & ut rebelles animi affectiones frænaret, ſeveriorem vitæ inſtituiſſe diſciplinam. Uſus eſt magiſtro

Lib. 3. cap. 18.

LIB. II. CAP. III.

Breviar. Pariſ. Franc. de Gondi.

Severino, qui recluſus in cellâ vitam, ut plerique illis temporibus, agebat ſolitariam, & ipſi curæ inprimis erat ad illius ſapientiſſima magiſtri conſilia mores & vitam moderari; ab eo ſumpſit habitum religionis, attonſoque capite ſe ſacræ, eo duce, militiæ ſollemniter addixit. *Abiit ad B. Severinum*, inquit ſcriptor vitæ Chlodoaldi, *qui in cellâ recluſus, contemplationi divinæ pro viribus fervere plurimorum voce ferebatur, poſcens ab eo ſibi habitum ſacræ religionis imponi, in vultu quoque, manu ejus immutari per tonſionem capillorum. Cujus devotam petitionem præfatus deſideranter curavit implere, intuens eum divino amore plurimùm fervere &c.* Cum vero in obſcuro eſſe, & aſpectum hominum defugere cuperet, abiit in Provinciam, quæ pars eſt ſecundæ Narbonenſis, ut ibi deliteſcens, rerum cæleſtium contemplationi ſe traderet. Verùm virtus Chlodoaldi quaſi flamma in arcto poſita effractis obicibus elucere cœpit, & ſe ſe ſuo lumine prodere. Namque ille, quâ erat ſanctitate, ſtatim agnoſci atque miraculis ſe ſe palam oſtendere, ſeu cùm purgaret energumenos & impuros abigeret ſpiritus, ſeu redderet ægris ſanitatem; ſurdi auditum, cæci viſum, & claudi greſſum operante divinitùs Chlodoaldo recipiebant. Cum neque his latebris quas quæſierat, in occulto eſſet, rediit Lutetiam Pariſiorum. Tum, ut aliàs dicemus, Euſebius pontificatum Pariſienſis Eccleſiæ gerebat, qui eum ad vota & preces populi, & Cleri ſuffragia ordinavit preſbyterum, *dignum judicans*, ut habent acta, *ut qui jam ſemetipſum exhibuerat hoſtiam vivam, placentem Deo, per contritionem & devotionem mentis, conſtitueretur miniſter ſalutaris & vivifici ſacramenti, ut quos verbo & operibus abſtrahere conabatur à ſatanæ faucibus, ab eodem truculento hoſte ereptos reficeret divinis dapibus.* Opidum eſt infra Lutetiam, ad Sequanam ſitum, Novientum plerùmque & aliquandò Novigentum veteres vocitabant, modò nomen habet S. Chlodoaldi. Ibi monaſterium condidit Chlodoaldus, dotavitque redditibus, ut ibi cum fratrum cœtu orationi & Deo impenſiùs vacaret, & quaſi facto agmine in cælum irrumperet. Vicum ipſum ſcripto teſtamento matri eccleſiæ Pariſienſi legavit, & ex eo tempore Pontificibus Pariſienſibus aſſerta poſſeſſio: quin & in actis publicis legimus ſæpiſſime hoc eccleſiæ laudi tributum, quòd ea inprimis dotata ſit Chlodoaldi beneficentiâ, qui cum Regum Francorum ſanguine ſingularem conjunxerat pietatem. Hincmarus in vitâ S. Remigii meminit hujus donationis, aliarumque, quas Chlodoaldus aliis contulit eccleſiis. *Filius Chlodomiri*, inquit, *filii Chludovici Regis, nomine Chlodoaldus interfectis fratribus ſuis, quos unà cum eo poſt patris obitum Chrotildis regina nutriebat, in clericum ſe totondit, & proceſſu temporis vitæ & religionis ſuæ merito, partem hæreditatis à patruis Regibus obtinuit. De quâ Duziacum villam in pago Moſomagenſi cum appenditiis ſuis S. Remigio*, ſi tamen tunc viveret Remigius, *ac Remenſi eccleſiæ tradidit, & villam Ruilliacum in pago Biturico S. Dionyſio delegavit. Villam verò Novientum in pago Pariſiaco cum omnibus ad ſe pertinentibus matri eccleſiæ Pariſius civitatis, ubi presbyter fuit ordinatus, donavit; in quâ villâ plenus virtutibus migrans ad Dominum, in eccleſia, quam ipſe ædificaverat, corpore ſuis in pace ſepultus.* Cum Chlodoaldus in eo monaſterio, cum iis quos idem amor Dei excolendi accendebat, vitam piis exercitationibus aliquot annos impendiſſet, tandem ſolutis corporis vinculis ad Dominum migravit VII. Idus Septembris, quo die in tabulis Eccleſiaſticis illius celebris memoria eſt, & in eccleſia Pariſienſi anniverſarius ejus dies ſollemni cultu celebratur. In martyrologio Bedæ legitur VII. Id. Septemb. S. Clodoaldi Confeſſoris. Quo autem anno obierit haud itâ liquet; ſed cum ab Euſebio Pariſienſi ſit ordinatus preſbyter, & is epiſcopatum Pariſienſem circa annum DLI. cœperit gerere, Chlodoalduſque poſt ordinationem extruxerit monaſterium, & aliquot annos inter monachos, quos ipſe congregaverat, verſatus ſit, mortem ejus ante annum DLX. ut Mabillonus notat, contigiſſe non crediderim. Ceterum de ejus obitu, & loco ubi conditus eſt, auctor illius vitæ his verbis loquitur. *His igitur exercitiis divinâ gratiâ præditus, ex revelatione divinâ ſcire meruit vitæ ſuæ tranſitum, cujus ultimam horam lætus præſtolabatur, cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Migravit ergo à corpore* VII. *Idus Septembris, recipiens coronam meritorum, quam & reddidit illi*

LIB. II CAP. III *Dominus pro laboribus juſtus judex, cujus corpus in eadem cellâ ſummo honore humatum eſt, ubi ſuffragantibus ejus meritis completur votum ex fide petentis, præſtante Domino Jeſu Chriſto.* Permanſit aliquandiù monaſterium S. Chlodoaldi, ſed ex eo poſteà factum eſt collegium canonicorum, quod hodie permanet. Eſt Eginhardi Abbatis ad Goſbertum Abbatem epiſtola, ubi meminit monaſterii S. Chlodouvaldi, commendatque illi cauſam Bebonis, cui dederat beneficium *de monaſterio S. Chlodouvaldi.*

IV. S. Severini modò fecimus mentionem. Is more veterum aſcetarum tempore Childeberti in ſuburbio Pariſienſi ſe cellâ incluſerat ſemotus ab hominum conſortio, ut rebus cæleſtibus ſolùm intentus Deo in terris frueretur. Eum magiſtrum diſciplinæ Chriſtianæ, & vitæ ſuæ inſtitutorem habuit Chlodoaldus. Acta vitæ S. Severini non habentur: magnæ ſanctitatis monachum fuiſſe conſtat, eâque vitæ auſterioris æſtimatione, ut populus Pariſienſis, & dum viveret, haberet in honore, & poſt obitum ejus coleret memoriam. In martyrologio Romano celebratur v. Calendas Novembris his verbis. *Pariſiis depoſitio S. Severini monachi & ſolitarii in Eccleſia Pariſienſi*, ejus memoria fit VIII. Calendas Decembris cum hoc elogio quod in breviario Pariſienſi legitur. *Severinus apud Lutetiam Pariſiorum, monaſticam vitam amplexus; ut liberiùs rerum cæleſtium contemplationi vacaret, cellâ ſe concluſit, ab eo beatus Chlodoaldus Chlodovei primi ex Chlodomere nepos, & religionis habitum, & vivendi rationem accepit. Demùm Severinus ſanctitatis famâ & vitæ planè angelicæ commendatione celebris ex hac vitâ deceſſit, corpus ejus quieſcit in eccleſia Pariſienſi.* Quo anno obierit dicere haud promptum eſt, ſed ſub Childeberto Rege Pariſiorum vixiſſe certum eſt. Circa annum DXL. diem obiiſſe mihi perſuadent ea præſertim, quæ de ſancto Chlodoaldo à nobis memorata ſunt. Pietate civium Pariſienſium ex cellâ ejus oratorium factum eſſe Valeſius tradit, ſed falsò. Illa namque baſilica dedicata eſt ſub nomine alterius Severini, dequo ſuperius actum eſt, quem apud Caſtrum-Nantonis ſolitariam vitam egiſſe & conſummaſſe diximus, qui hujus eccleſiæ patronus ſemper habitus eſt, & cujus ſingulis annis memoria in eo loco recolitur; hanc porro baſilicam monaſterium fuiſſe Adrianus Valeſius exiſtimat, idque colligit ex litteris Heinrici R. Franc. filii Roberti, ubi fit mentio eccleſiæ S. Severini ſolitarii his verbis. *Noverit poſteritas omnium ſanctæ matris Eccleſiæ fidelium, & noſtrorum, quod Ymbertus Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus noſtræ ſerenitatis adierit præſentiam, rogans & obnixè poſtulans, ut quaſdam eccleſias in ſuburbio Pariſienſi, noſtræ poteſtati, & anteceſſorum noſtrorum antiquitùs mancipatas, S. Stephani ſcilicet, Juliani martyris, Severini ſolitarii, necnon & S. Bacchi, quarum quædam olim Abbatiarum dignitate ſublimatæ erant, & ideò receptaculum & ſtationem congregationi canonicorum præbentes S. Mariæ, ſed propter regni perturbationem rebus conceſſis ſpoliatæ, ſolitudini vacantes, parvum aut nullum antiquæ profeſſionis retinuerunt ſtatum, prædictæ congregationi concederemus.* Preſbyter autem ſeu rector hujus parœciæ S. Severini, archipreſbyteratus honore & titulo decoratus eſt.

In Uſuardi martyr. nono Calend. Decemb.

Lib. de baſil. Pariſ.

V. Poſt cruentas mortes continuataque filii & nepotum funera, Chrotildi Reginæ novus ex filiâ Chrotilde acceſſit dolor, quæ Amalarico Vviſigothorum Regi nupſerat. Is cum gente ſuâ Arrii hæreſim ſequebatur, ſeorſumque à Catholicis ſynaxes & conventus agebat. Chrotildis verò à piiſſimâ matre bene erudita, fidem Catholicam palam confeſſa, ritus Arrianorum profanos deteſtabatur. Amalaricus ægrè ferens conjugem de fide religiosè ſentire, neque ſuam profiteri perfidiam, eam ad Arrianiſmum vel vi vel voluntate pertrahere aggreſſus eſt. Cum prava conſilia non ſuccederent, peſſimis modis Chrotildem habere cœpit; utque illa ventitare ad eccleſiam ſolebat, impius Rex jubebat luto & ſtercore inquinari; cum neque eo modo quicquam de religione remitteret, eam adeò crudeliter percutere, ut ex plagis manaret ſanguis. Chrotildis demùm impatiens mali, ad fratrem Childebertum ſcribit, ſudariumque ſuo ſanguine infectum mittit, rogatque & obnixe obteſtatur, uti ſorori opem ferat. Ille continuò collecto exercitu infeſtis ſignis in Hiſpaniam proficiſcitur,

proficiſcitur, Amalaricumque acie vincit. Amalaricus quidem primùm fuga LIB. II.
ſibi conſuluit, tum mutatâ ſententiâ regreditur ad theſauros recipiendos; ve- CAP. III.
rùm à Francis circumventus, dum confugit ad eccleſiam Catholicorum, ſic
Gregorius baſilicam orthodoxorum vocat, antequam ſancta limina pertingeret,
occiditur. *Tunc*, inquit Gregorius, *Childebertus cum magnis theſauris ſororem aſ-* Lib. 3. cap. 10.
ſumptam ſecum adducere cupiebat, quæ, neſcio quo caſu, in viâ mortuâ eſt, & poſteà
Pariſius adlata juxtà patrem ſuum Chlodoveum ſepulta eſt. Childebertus verò inter
reliquos theſauros miniſteria eccleſiarum pretioſiſſima detulit. Nam ſexaginta calices,
quindecim patenas, viginti Evangeliorum capſas detulit, omnia ex auro puro ac
gemmis pretioſis ornata; ſed non eſt paſſus ea confringi: cuncta enim eccleſiis & baſili-
cis ſanctorum diſpenſavit ac tradidit. Neqoe dubium eſſe exiſtimo quin hæc vaſa
ſacra magnam partem baſilicis Eccleſiæ Pariſienſis diſtributa fuerint. Pugna-
tum verò cum Vviſigothis fuiſſe in Gallia Narbonenſi anno DXXXI. An-
nales Eccleſiaſtici Francorum annotant.

VI. Chrotildis multis defuncta eſt laboribus quos præſertim ex filiorum & ne-
potum variis caſibus pertulit, cum interim invicto animo pietatem coleret, &
religioſam ageret vitam. Obiit Turonis anno DXXXVII. tertio nonas Ju-
nii. *Chrotildis Regina plena dierum*, inquit Gregorius lib. 4. cap. 1. *boniſque ope-*
ribus prædita apud urbem Turonicam obiit tempore Injurioſi Epiſcopi, quæ Pariſius
cum magno pſallentium præconio deportata in ſacrario baſilicæ S. Petri ad latus
Chlodovei Regis ſepulta eſt à filiis ſuis Childeberto atque Chlotario Regibus. Nam
baſilicam illam ipſa conſtruxerat, in quâ & Genoveſa beatiſſima eſt ſepulta. Hanc
Deus quaſi manu apprehenſam per varios rerum eventus ad ſummam ſancti-
tatis gloriam evexit. Regio Burgundionum ſanguine orta, à patruo Gunde-
baldo educata eſt, qui priùs Chilpericum patrem matremque interfecerat.
Etſi Burgundionum gens Arriana labe infecta erat, tamen illa pie & catholi-
ce vixit, adeo ut inſtar miraculi fuerit puellam regiam inter acerba ſuorum
funera, & in ipſa gentis ſuæ pernicie, capite incolumi, & fide integrâ ſtetiſſe.
Nupſit Chlodoveo Regi Francorum, qui tunc temporis idololatriæ ſuperſti-
tioni addictus erat, tantumque pia religioſaque Regina precibus boniſque
conſiliis promeruit, ut Rex cum gente Francorum Dei religionem ſuſciperet,
ac deinde illi quæcumque bona, quæcumque ſancta & ſanæ fidei conſona facilè
perſuaſit. Mortuo Chlodoveo Chriſtianæ viduæ officia omnia obire cœpit, elee-
moſynis pauperum egeſtati ſuccurrere, baſilicas condere, & dotare monaſte-
ria. *Eccleſiam*, inquit auctor vitæ S. Balthildis, *in honorem S. Petri, ubi religio*
monaſtici ordinis vigeret, Pariſius fecit, necnon cœnobium ſacrarum virginum in ho-
nore S. Georgii in Kalâ prima inſtruxit. Neque propterea piæ matris munera
omittere; namque filiis & nepotibus adeſſe, exhortari ad pacem, eorum malis
affligi & delictis inprimis percuti, & pro iis Deo placabilem & beneplacentem
hoſtiam continuò devovere ſe. Turonos poſt obitum viri ſeceſſerat, ut vidui-
tatis tempus ad tumulum beatiſſimi Martini degeret, ibi è vitâ deceſſit; ſed,
ut modo dictum eſt, pietate filiorum deportata eſt Pariſios; cujus corpus rite
tumulatum eſt in baſilica S. Petri, quam cum viro extruxerat. Ejus oſſa poſt
multos annos è tumulo extracta thecâ incluſa venerationi fidelium expoſita
ſunt. Puellæ, uxores & viduæ habent quidem quod in ſancta Regina imiten-
tur, ſed omnes in ſanctis ejus reliquiis, quod piè colant & religioſè veneren-
tur. Certè civitas Pariſienſis ſæpè acerbis temporibus præſens ejus auxilium ex-
perta eſt. Quo anno obierit, acta antiqua expreſſe non tradunt, ſed ſub Injurioſo
Turonenſi Pontifice vitâ functam Gregorius ſcribit; proindè ante annum
DXLVI. quo obiiſſe Injurioſus videtur, Chrotildem mortem oppetiiſſe opor-
tet. Certè ejus mortem anno DXXXVII. Annales Eccleſiaſtici Francorum
conſignant; III. Nonas Junii auctor, quem Mabillonius edidit, mortuam re-
fert. Faſti Eccleſiaſtici & hodierna martyrologia conveniunt, & Eccleſia Pa-
riſienſis anniverſarium ejus diem quotannis eodem die celebrat. Sed hæc om-
nia, quæ de Chlodoaldo ejuſque germanis, de S. Chrotilde ejuſque filiâ re-
tulimus, geſta ſunt ſub pontificatu Probatii, Amelii, Saffaraci & Euſebii, de
quibus modò erit ſermo.

CAPUT IV.

De Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis Probatio, Amelio, Saffaraco ac Euſebio & de Conciliis Aurelianenſibus II. III. IV. & V. & Pariſienſibus II. & III.

I. ETsi ea, quæ ſub Chriſtianis Francorum Regibus, ſeu in Eccleſia, ſeu in civitate Pariſienſi olim geſta, longâ annorum ſerie & majorum noſtrorum incuriâ, pleraque in oblivione ſunt, haud dubiè tamen dixerim ſtatim ſub eorum Imperio urbem opibus, & Eccleſiam Pariſienſem honoribus auctam eſſe. Nec vetera omninò nobis deſunt monumenta; nam & ſub primâ Regum noſtrorum ætate conditas Pariſiis videmus eſſe baſilicas, & dotata monaſteria, & certum eſt his temporibus Eccleſiam Pariſienſem & clericis & monachis abundaſſe, compluresque Pontifices hujus Eccleſiæ compluribus ad fuiſſe Synodis, quarum clara memoria eſt ob leges ſanctiſſimas, quæ non modò antiquis temporibus, ſed etiam noſtris in honore ſunt. Hæc autem ſub quibus Regibus & quibus Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis geſta ſunt, modò mihi memorandum eſt. Dictum eſt ſuperiùs de Eraclio Epiſcopo Pariſienſi qui ſub finem regni Chlodovei Aurelianenſi Synodo ſubſcripſit; huic Probatum ſeu Probatium tabularia Eccleſiæ Pariſienſis ſubrogant; nulla præterea illius in actis antiquis memoria eſt; Amelium deinde referunt, cujus in Conciliis Aurelianenſibus fit mentio.

II. Is primùm Concilio II. Aurelianenſi interfuit & ſubſcripſit. Hoc Concilium habitum eſt anno DXXXIII. Aurelianis juſſu Childeberti ejuſque fratrum Regum Francorum: XXI. editi canones. Primi ſcripti ſunt adversùs Epiſcopos, qui ad Concilium, aut conſacerdotum ordinationem convenire negligerent; tum metropolitani ſingulis annis habere Concilium jubentur; vetatur ne quis Epiſcopus ex ordinatione quicquam recipiat, & ne quis ambitu aut nundinatione ſacerdotium ſibi vindicet; tum de ſepeliendis Epiſcopis, & metropolitanorum ordinatione decretum eſt. Sed inter omnes canones, XVII. & XVIII. annotandi, ubi de diaconiſſis mentio eſt, quæ deinceps fieri vetantur; quod antea in Concilio Arauſicano decretum fuerat. Sed etſi abolita eſt hæc diaconalis dignitas, tamen reperiuntur poſteà diaconiſſæ; nomine id magis & honore, quam ex conſecratione fuit: ita Radegundis, cum monachicum habitum induit, diacona à Fortunato vocatur.

III. Interfuit præterea Amelius Concilio Aurelianenſi III. quod & coactum eſt anno DXXXVIII. juſſu ejuſdem Childeberti, ubi graviſſimis decretis de diſciplina Eccleſiaſtica ſancitum eſt. Cum enim Epiſcopi mores clericorum depravari, & veterem diſciplinam paulatim labi viderent, vetera reſtituere ſtatuta, & nova inſuper ſuis non modò temporibus ſed futuris maximè profutura condere inſtituerunt: XXXIII. canones ſanciti ſunt. Primo canone cautum eſt, ut ſingulis annis à metropolitanis haberentur Synodi; quod ſi differrent, pro tarditate integro anno miſſas facere non præſumerent. Secundo conſtitutum eſt ut à ſubdiaconatu clerici ab uxoribus abſtinerent; quod annotandum, cum ſuperiore Synodo Aurelianenſi à diaconatu tantùm continentia clericis imperata ſit. IV. renovatur toties antea recantatum de extraneis mulieribus decretum. VI. de ordinatione clericorum egregius eſt; nam vetatur ne quis laicus ordinetur clericus, niſi poſt annum à converſione morum, & à renunciatione ſæculi; neque quis Diaconus ante XXV. aut presbyter ante XXX. annum ordinetur; neque qui alteris nuptiis religatus, aut vir renuptæ fuerit,

aut qui antea pœnitentiam profeſſus, aut mutilato corpore, aut arreptitius LIB. II. CAP. IV.
fuerit. Id vero quoniam eâ tempeſtate clericis haud permiſſum erat pœniten-
tiam publicè agere, IX. ad clericatum admitti vetantur, qui ante vel poſt le-
gitimas nuptias concubinas publicè habuerint; ex diſpenſatione tamen ordi-
natio eorum per ignorantiam facta approbatur. X. interdictæ inceſtæ conjun-
ctiones: diſpenſatio tamen anteactorum ita temperata eſt, ut Patres relaxatam
vim canonum velint erga eos, qui ignoranter egerint, non verò in eos qui per
contemptum legum Eccleſiaſticarum inceſtas nuptias fecerint; nam eos non-
niſi poſt ſeparationem admitti ad communionem permittunt. XI. ſtipendia ex
Eccleſiaſticis rebus negantur clericis, qui miniſteria ſua implete detrectant.
XII. alienatio bonorum Eccleſiæ prohibetur. XVI. raptores virginum, vel
quæ devotæ, vel conſecratæ ſunt, excommunicantut uſque ad exitum; quo
tempore eos viatico munire licet: quod ſimiliter de raptoribus viduarum, aut
mulierum pœnitentium ſtatutum eſt; nam illis mos erat continentiam profite-
ri. XVII. conſtitutum eſt de munificentiis ſeu donationibus à clericis poſſeſ-
ſis. XVIII. de clericis civitatis, qui monaſteria, diœceſes, ſeu, ut modo vo-
cant, parœcias, vel baſilicas ordinandas ſuſceperint, liberum relinquitur Epiſ-
copo, ſi quid, ut antea, de munere Eccleſiaſtico habere debeant. XXIV. pro-
hibet ne admittantur ad pœuitentiæ benedictionem juvenes conjugati, ne ſci-
licet continentiæ propoſitum facilè diſſolverent; neque hoc propoſitum mu-
tare licebat, quod ſequens canon oſtendit. XXVI. ſervi & coloni arcentur à
clericatu. Hæ leges, præſtantiſſimaque alia decreta Aurelianis acta ſunt, qui-
bus Patres Gallicani diſciplinam Eccleſiaſticam firmare ſtuduerunt, & quibus
ſtabiliendis, operam ſuam Amelius præſtitit, ut ex ſubſcriptionibus Synodi
conſtat.

Triennio poſt, anno ſcilicet DXLI. habitum eſt Aurelianenſe Concilium IV.
IV. & anno Childeberti Regis XXX. Huic quidem Synodo non interfuit
Amelius, ſed in ejus locum Amphilochius Abbas ab ipſo miſſus eſt. In eâ Sy-
nodo præclara pariter ſtatuta ad retinendam diſciplinam Eccleſiæ condita ſunt,
de annunciatione Paſchæ, in Epiphania, & jejunio Quadrageſimæ, de vino in
calice cum aquâ offerendo, de loco ubi ordinari debet Epiſcopus, de pœni-
tentiâ lapſorum, de digamis diaconis aut preſbyteris, de alienatione bonorum
Eccleſiæ, quæ ab Abbatibus & preſbyteris fieri abſque conſenſu Epiſcopi
prohibentur, de litibus Epiſcoporum, & cauſis clericorum, de privilegiis Ec-
cleſiarum. In eâ Synodo vetitum eſt ne puella invitis parentibus nubat. Cau-
tum quoque ut homicidæ pœnitentiæ legibus ſubjicerentur, etſi aliundè crimi-
nis indulgentiam acceperunt. Vetitum præterea oratorium fieri in agro abſ-
que dotatione. Hæc aliaque, quæ cuilibet in Conciliorum codicibus obvia
ſunt. Quamdiù Amelius geſſerit epiſcopatum non liquet. Quartæ Synodo ſu-
perſtitem fuiſſe, & ante quintam deceſſiſſe ſubſcriptiones Epiſcoporum aſſe-
runt, id eſt poſt annum DXLI. Vir doctus ante annum DXLIX. obiiſſe ar- Launoius de
bitratus eſt, & de eo Amelio Pariſienſi Epiſcopo factam mentionem in his veter. baſi-
verſibus Fortunati. lic. Pariſ.

Qui cupis egregii ſtructorem noſcere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.
Longiùs hinc olim ſacra cum delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpè timeret iter,
Exiguam præbuerat hic Præſul Amelius arcem,
Chriſticolam populum nec capiente loco.
Quo vitæ claudente diem pro lege graduque
Venit ad hæredem hoc opus atque locus.
Fundavitque piam dehinc Papa Leontius aulam,
Obtulit & Domino ſplendida dona ſuo.
Quam venerandus habet propriam Dionyſius ædem!
Nomine ſub cujus ſanctificata nitet.

Ex quibus verſibus colligit extra urbis muros primùm baſilicam Pariſienſium

fuiſſe, quam deinde Amelius intra urbem primùm ædificavit, & quam Leontius urbis Burdigalenſis Epiſcopus ampliorem fecit. Verùm de baſilicâ in agro Burdigalenſi ædificatâ ibi mentionem fieri ex ipſo Fortunato perſpicuum eſt, cum in aliis verſibus idem auctor celebret Leontium ob baſilicas in Aquitania conditas; ita baſilicam S. Martini in colle, baſilicam S. Vincentii in loco Vernemetis nomine, baſilicam S. Nazarii, & alias in eâ provinciâ ab eodem Epiſcopo aut extructas aut reparatas nominat. Sanè de Lotetia aut de his locis nullum apud Fortùnatum, cum de Leontiò loquitur, verbum eſt. Hunc igitur Amelium Burdigalenſem Epiſcopum fuiſſe oportet, & alium à Pariſienſi Epiſcopo, cujus in ſubſcriptionibus Conciliorum ſubſcriptiones leguntur, atque adeo malè baſilica ex Aquitania Lutetiam tranſlata eſt, cum id tantum fulciatur nomine S. Dionyſii; quod ſi alicujus roboris eſſet, etiam baſilicam S. Martini in colle quam idem Leontius in Aquitania condidiſſe conſtat, Turonis extructam eſſe oporteret. Hæc de Amelio.

V. Huic Saffaracus ſuffectus eſt, qui cathedram Pariſienſem, quam Dionyſius, Victorinus, Marcellus, Amelius, aliique omnes virtutibus ſuis ornaverant, primus anteriorum Pontificum inquinavit, adeò ut ille ex eâ dejici meruerit. Is primùm Concilio Aurelianenſi V. interfuit. Hoc Concilium congregatum eſt anno D X L I X. Childeberti Regis X X X V I I I. In eo Concilio canones habiti X X I V. In primo condemnatur hæreſis Neſtorii & Eutychis. In ſecundo vetitum eſt, ne quis quemquam niſi ob graves culpas à communione ſuſpendat. I I I. mulieres extraneæ à domo preſbyterorum aut diaconorum eliminantur. I V. cavetur ne quis clericus cujuſlibet ordinis auſit matrimonio ſe jungere; ſi benedictionem acceperit, in reliquum ab officio abdicetur, communione conceſſa. V. ne ullus Pontifex alterius clericum ſine illius conſenſu ſibi vindicet V I. de ſervis eſt, qui ordinantur ſine voluntate dominorum. V I I I. prohibentur Epiſcopi vacante cathedra ordinare clericos, & conſecrare altaria. X. cautum eſt, ne quis præmio aut ambitu paret epiſcopatum, ſed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri ac plebis. XI. ne quis epiſcopatum accipiat invitis clericis & civibus. X I I. ne alter Epiſcopus vivente altero ordinetur, niſi priore ob culpam capitalem amoto. X V. eſt de xenodochii privilegiis, quod Childebertus cum uxore Ultrogothone Lugduni fundaverat. X V I. ne quis auferat donationes aut legata pia Eccleſiis facta. X V I I. de Epiſcoporum cauſis ut ad audientiam metropolitani deferantur, & cauſæ Epiſcoporum metropolitanorum ad Synodum. X V I I I. ſuſpenduntur ab officio Epiſcopi per ſex menſes, qui venire ad Concilium diſtulerint. X I X. de puellis eſt, quæ propriâ voluntate in monaſteria intraverint aut oblatæ fuerint à parentibus X X. ut unum annum in quâ veſte fuerint, permaneant, ut qui detinentur carceribus, ab archidiaconis, aut præpoſito eccleſiæ viſitentur, & exquirantur, & vinctis provideat Epiſcopus quæ neceſſaria ſint, & victum de domo eccleſiæ ſubminiſtret. X X I. ut leproſis per Epiſcopum ſubveniatur. X X I I. de ſecuritate ſervorum, qui ad eccleſiam confugerint. X X I I I. de Conciliis ſingulis annis habendis. X X I V. confirmantur cum his antiqua Patrum decreta. Et ad hoc Concilium referendum eſt, quod Gregorius de Marco Aurelianenſi Epiſcopo ſcribit, qui immeritus è loco motus eſt, & in exilium pulſus, cujus causâ in hac Synodo ad examen revocatâ, pronunciatum eſt eum injuriâ pulſum, & ſic Patrum judicio civitati & cathedræ reſtitutus eſt. Quinque hæc Concilia Aurelianis habita ſunt ab Eccleſia Gallicana, ab iis ſcilicet Epiſcopis, ex Francorum Imperio trifariam inter Reges diviſo. Præclara ſane Patrum noſtrorum documenta, quibus ad retinendam Eccleſiæ diſciplinam non ſanctiora reperias, & quibus adeò in Eccleſia celebrata Concilia Africana vix præferas. Quæ ſi, quemadmodum Africana decreta, in codicem Romanæ Eccleſiæ non injecta ſunt, id accidit, non quod minùs utilia, ſed quod noſtra minùs tranſalpinis nota fuerint; digna ſanè quæ noſtris animis infixa ſint, tanquàm antiqua Patrum noſtrorum inſtituta & Gallicanæ religionis monumenta. Utinam Saffaracus, qui horum in Conci-

Gregorius lib. de vitis patrum cap. 6.

lio V. Aurelianenſi inſtitutor & aſſertor fuerat, eâ fide obſervare hæc inſtituiſ- LIB. II. CAP. IV.
ſet, quâ pietate & religione à ceteris Pontificibus condita ſunt; eam certè
Eccleſiæ Pariſienſi, quæ tota ſpecioſa erat & ſine maculâ fœdiſſimam labem
non aſperſiſſet. Sed quoniam ea violare auſus eſt, canonicæ ſeveritatis vim ex-
periri meruit, & Noſtri hoc inſigni exemplo oſtenderunt ſe non minùs Eccle-
ſiaſticæ diſciplinæ vindices quàm auctores. Ea verò quomodo geſta ſint, quan-
tum licet, ex decreto Patrum quod nobis ſupereſt, modò memorandum eſt.

Saſſaracus, aliis Saphoratus ſive Saphoracus, inquiſitione factâ & propriâ VI.
confeſſione multorum criminum reus compertus eſt; tum Childebertus Rex
complures Epiſcopos ad Synodum convocavit cauſæ cognoſcendæ gratiâ, &
ferendi judicii. Viginti ſeptem Pariſiis adfuere Epiſcopi ex variis provinciis;
allata coram inquiſitionis acta, & à teſtibus Epiſcopis, aliiſque venerabilibus
viris approbata confeſſio, quibus Patres agnovere crimen, & Saſſaracus con-
victus videbatur. His impulſi tulere judicium, ut Saſſaracus privatus ſacerdo-
tio, & motus loco in monaſterium pelleretur. Hoc Concilium congregatum
eſt anno D L I. ut habent Annales Eccleſiaſtici Francorum. Decretum Syno-
di, quod ſolum ex actis ſupereſt, ſic ſe habet. *Cum in urbem Pariſius ad invita-
tionem Domini Regis glorioſiſſimi Childeberti veniſſemus, & in unum poſiti, quæ ad
Eccleſiaſticum ordinem vel fidei Catholicæ auctoritatem pertinent, Chriſto adjuvante,
quæ erant neceſſaria tractaremus, & ex hoc magis pro ordinanda Eccleſia memoratæ
urbis ejus nos dignatio jugiter admoneret, ut unde Sacerdotem, ſicut deflendum eſt, ma-
nifeſta ſi quidem culpa dejecerat, qualiter reparari Dominici gregis Paſtor providus
debuiſſet Pontificalis convenientia declararet, ob hoc in domo eccleſiæ unanimiter reſi-
dentes, cum veniſſemus ad locum, ubi ejus confeſſio de crimine tenebatur, quam præ-
ſentibus ſanctis ac venerabilibus viris Epiſcopis Medovecho, Leubeno, vel Leuba-
chario Abbate, Hiculfo presbytero, Æterno archidiacono, necnon & Caſtricio diacono
profeſſus fuerat, memoratus quondam Epiſcopus Saſſaracus; ipſos denuò interrogan-
tes, ſupraſcripti confeſſionem nobis denuò ore proprio retulerunt. Quod etiam facinus
necnon & Epiſcopus Ardaricus à memorati Saſſaraci ore ſe etiam veridicâ aſſertione
audiſſe perdocuit, & quia tanti ac tales viri, quos interfuiſſe diſcuſſioni veridica do-
cet ſcripta relatio, quæque reverà dicta vel agnita ſunt, geſtis teneatur inſcriptum
ſanctorum Antiſtitum & laudabilium virorum, quos ſtudioſiſſimè indagaſſe oſtendit
conſcripta diſcuſſio: tantæ eorum diſcuſſioni unanimiter præbentes aſſenſum, placere
nobis quod eum in monaſterio duxerunt, præſentibus etiam decretis unanimiter profite-
mur. Et quia ſine dubio culpas ejus eſſe capitales canonum auctoritate monſtratur,
utique confeſſione propriæ linguæ dejectioni ipſe ſe fecit obnoxium. Igitur tam apertiſ-
ſimâ confeſſione ſecundum ſententiam canonum, quæ de hujuſmodi tranſgreſſione in
Aurelianenſi Synodo nuper habita ſunt decreta, à metropolitano, cui redigendi actio,
vel ordinatio de comprovincialibus ejus Eccleſiæ manet, in memoratâ urbe ſcripta ſer-
ventur, ac regulariter peragantur, ut diſciplinæ modus maneat, & qui tanto ordini
præſunt adjuvante Chriſto bonæ vitæ auctoritate viventes, quem ſecundum ordinem
ſacrum poſſit is ordinare, provideant, ut nec falſa objectio culpæ maculet innocentes,
& illi qui inventi & comprobati in culpâ fuerint, in nullâ diſtrictione habeantur
immunes.*

Subſcripſerunt huic Synodo Epiſcopi viginti ſeptem, Sapaudus Arelatenſis VII.
metropolitanus Epiſcopus cum comprovincialibus Lucretio Deenſi, Prætex-
tato Cavallico, Clematio Carpentoractenſi, Matthæo Arauſicano, & Firmi-
no Ucetico. Eſychius Viennenſis metropolitanus cum Syagrio Epiſcopo Gra-
tianopolitano. Nicetius Trevirenſis metropolitanus. Probianus Bituricenſis
metropolitanus. Conſtitutus Senonenſis metropolitanus cum comprovinciali-
bus Medoveo ſeu Medovecho Meldenſi, Aridio ſeu Aregio Nevernenſi, &
Leobino Carnotenſi. Leontius Burdigalenſis metropolitanus. Tetradius Ve-
ſuntienſis metropolitanus cum Vincentio Epiſcopo Bellicenſi. Avolus Epiſco-
pus Aquenſis metropolitanus cum Epiſcopis comprovincialibus Clementino
Aptenſi, Velleſio Vappincenſi, & Expectato Forojulienſi. Ex provinciâ Lug-
dunenſi primâ Placidus Matiſcenſis, Tetricus Lingonenſis, & Agricola Ca-

LIB. II. CAP. IV. bilonenſis. Sinidius deinde, Megetius, & Agreſtius quorum ſedes neſciuntur. Ab his Epiſcopis habitum eſt in cauſa Saffaraci Concilium Pariſienſe ſecundum. Ex his multi catalogo ſanctorum poſt mortem inſcripti ſunt, Leobinus inprimis vir pietate & religione conſpicuus. Is primùm monachus, deinde Abbas Braïacenſis, tum Epiſcopus Carnotenſis ordinatus eſt. Vacante ſede Pariſienſi, poſt mortem, uti exiſtimo, Amelii Epiſcopi, cum Pariſiis ageret, ècce ſubitò incendium ingens pontis ædificià conſumere cœpit, quod ſuis precibus ipſe extinxit. Hoc miraculum auctor ejus vitæ deſcribit, quod, quoniam multa in eo memoratu digna ſunt, verbis auctoris referam. *Quodam tempore dum beatus Leobinus cum Medeveo conſacerdote*, ſeu Medevecho Epiſcopo Meldenſi *à ſæpe dicto Rege Childeberto Pariſius fuiſſet invitatus, & dies Paſchæ, vice illius loci Pontificis defuncti, epiſcopaliter tranſegiſſet, à parte baſilicæ B. Laurentii noctu edax ignis exiliens domos pendulas, quæ per pontem conſtructæ erant, exurere cœpit, & non ſolùm ex vicino fluvio inceſſanter aquà ſuperfuſa non adquievit, ſed etiam civitati proximis civibus, ut univerſa conſumeret magnum timorem incuſſit. Vt autem Rex ob clamorem populi expergefactus ſopore quietis abrupto, cauſam tumultùs agnovit, confeſtim ad beatum Leobinum dirigit miſſum, ut celerrimè veniens ſuccurreret civitati. Sed dum multis hortantibus, ut ante eum iret locum, quo magnum flagrabat incendium, ait, viri fratres, illic occurrendum eſt nobis, unde contra flammæ globum divinum potiùs, quàm humanum imploretur auxilium. Qui cum pergeret ad eccleſiam, & in terram proſtratus divinum efflagitaret ſuffragium, fretus oratione unà cum Sacerdote ad ignem properavit impiger. Mox ignis ejus oratione compreſſus in ſemetipſo deficit, vires, quas incendendo ædificia aſſumpſerat, obliviſcitur, & ita flamma ejus interventu conſumitur, ut in ſemetipſa mortua penitus conſopiretur.*

VIII. Inter viros doctos de illâ S. Laurentii baſilicâ controverſia eſt, an ſcilicet è regione parvi pontis ſita ad meridiem ſit, an ad Septemtrionem, ubi modò ſeminarium S. Lazari, vel baſilica S. Laurentii, quæ modò baptiſmalis eccleſia eſt. De eâ ſanè & apud Gregorium Turonicum ſermo eſt lib. VI. cap. IX. ubi de Domnolo Cenomanorum Epiſcopo loquitur. *Tempore Chlotarii Regis apud Pariſius ad baſilicam S. Laurentii grege monaſteriali præfuerat.* Et cap. XXV. ejuſdem libri. *Aquæ verò extra ſolitum invaluerunt. Nam tantam inundationem Sequana Matronaque circa Pariſius intulerunt, ut inter civitatem, & baſilicam S. Laurentii naufragia ſæpè contingerent.* Eam verò baſilicam S. Laurentii in parte Septemtrionali, &, ubi eccleſia baptiſmalis eſt, ſitam fuiſſe mihi perſuaſum eſt. Conſtat id ex charta Childeberti III. Regis, quam Dom. Mabillonius edidit in doctiſſimo opere de re diplomatica lib. VI. num. XXVIII. baſilicam S. Laurentii in eâ parte, ubi nunc viſitur, poſitam fuiſſe, *& quatenus antehactis temporebus*, ut habet charta, *clade intercedente de ipſo vico S. Dionyſii, ipſe marcadus fuit emutatus, & ad Pariſios civitate inter S. Martini & S. Laurentii baſelicis ipſe marcadus fuit factus &c.* Audivi & ipſe, quod & Mabillonius teſtatur, à clariſſimo viro Nicolao Gobillonio doctore & ſocio Sorbonico, & eccleſiæ S. Laurentii paſtore, & teſte oculato, ante haud plures annos effoſsâ terrâ inter cœmeterium & eccleſiam retectos fuiſſe antiquos è gypſo & lapide ſarcophagos, ubi condita oſſa operta veſtibus nigris inſtar monaſticarum, quæ aperto aëre difflatæ ſunt, & in pulverem ſtatim abierunt: quod probat & hunc eſſe locum, ubi olim monachi fuerunt, & ea ad Laurentianam hanc baſilicam pertinere, quæ ex Gregorio modò memorata ſunt. Et certè locus ille, qui infrà baſilicam eſt, recipiendis aquis tumentibus ex Sequana opportunus eſt, ut pote qui olim paludoſus fuit, ut modò adhuc hinc & inde depreſſus eſt, elevato in aggerem itinere Sandionyſiano. Neque adverſatur, quod ex Droctoveo retulimus, excitatum ex ſomno Childebertum ob incendium, quod contigerat ex eâ parte, ſeu Rex ipſe inter ambitum inſulæ habitaret, ſeu ut fit ex clamore & tumultu civium totâ inſulâ circumcurſantium, qui ex declive collis proximi, ubi regium palatium erat, facile potuit audiri.

IX. Eodem anno, quo habita Pariſiis contra Saffaracum Synodus. S. Sacerdos

Epiſcopus Lugdunenſis Pariſiis moritur. De eo Gregorius Turonicus de vitis patrum cap. 8. ſic loquitur, *Ægrotante Sacerdote Lugdunenſi Antiſtite in urbe Pariſiaca, cum à Childeberto ſeniore magno amore diligeretur, voluit Rex uſque ad ejus lectulum proficiſci, ac viſitare infirmum, quo veniente ait Epiſcopus, optimè noſti piiſſime, quod tibi in omnibus neceſſitatibus tuis fideliter ſervierim, ac quæcumque injunxiſti, devote impleverim. Nunc precor, ut quia tempus reſolutionis meæ adeſt, ne dimittas me ab hoc mundo cum dolore diſcedere, ſed unam petitionem, quam ſupplico, libenter indulge, & ille, pete, inquit, quod volueris obtinebis. Rogo, ait, ut Nicetius presbyter nepos meus Eccleſiæ Lugdunenſi ſubſtituatur Epiſcopus. Eſt enim, ut mei teſtimonii verba proferunt, amator caſtimoniæ, dilectorque Eccleſiarum, & in eleemoſynis valdè devotus, & quæcumque ſervos Dei decent, & operibus gerit & moribus. Reſpondit Rex, fiat voluntas Dei. Ee ſic placito Regis & populi ſuffragio Epiſcopus Lugdunenſis ordinatus fuit.* Hoc anno id accidiſſe Annales Eccleſiaſtici Francorum referunt. LIB. II. CAP. IV.

De ſucceſſore Saffaraci dubitatio eſt; veteres Epiſcoporum Pariſienſium indices Libanium, ſeu Libanum ſcribunt, ſed tamen Euſebium huic ſubrogatum fuiſſe multa probant. Apud Aimoinum legimus Euſebium deceſſorem S. Germani fuiſſe. *His diebus B. Germanus poſitus in ſopore reſpicit à quodam ſene claves ſibi portæ Pariſiacæ porrigi, & interrogans quid hoc fieret? accepit reſponſum, ut ſalvas eas fateret. At poſt civitatis ejus Epiſcopo nomine Euſebio decedente, dum præcellentiſſimo Regi occurriſſee, in ejus electione mox effectum illa vox cæleſtis promeruit, & epiſcopatus ſortitus eſt gradum dignitatis.* Hæc in lib. 2. cap. 18. apud Aimoinum interpolata ſunt, & ex vitâ S. Germani ad verbum deſcripta, excepto nomine Euſebii, quod interpolator addidit. Tamen id neque ſine auctoritate eſt; nam in vitâ S. Droctovei S. Germanus dicitur ſucceſſiſſe Euſebio. *Childeberto Regi*, inquit ejus auctor, *cum non fortuitu, ſed, ut creditur, potiùs ſuperno nutu Germanus beatiſſimus occurriſſet aliquando, ejuſque civitatis præconium attolleret populi multitudo, Princeps ſereniſſimus jocundatus in Domino ſanctum virum præſulatu Pariſiacæ ſedis ſublimavit illico. Deceſſerat enim nuperrimè Euſebius Epiſcopus civitatis prædictæ.* Præterea Euſebii Pariſienſis Epiſcopi fit mentio in vitâ ſancti Chlodoaldi, à quo legimus fuiſſe presbyterum ordinatum. *Chlodoaldum Euſebius ejuſdem urbis Epiſcopus ordinavit presbyterum, annuens voci clericorum, & precibus Pariſius morantium.* Quidam Euſebium eum eſſe volunt, qui Ragnemodo Pariſienſi Epiſcopo ſubrogatus eſt, de quo inferiùs dicemus; ſed neque ætas Chlodoaldi illorum ſententiæ congruit. Nam Chlodoaldus ſeptuagenario major presbyter ordinatus fuiſſet, quod vix credibile eſt. Sed quod omnem ambigendi locum adimit, Gregorius Turonenſis non procedit ultrà annum, quo Euſebius Ragnemodi ſucceſſor fuit, & in eodem opere Chlodoaldum presbyterum jam mortuum memorat. *Chlodoaldum*, inquit, *comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus eſt, is poſtpoſito regno terreno ad Dominum tranſiit, & ſibi manu propriâ capillos incidens clericus factus eſt, boniſque operibus inſiſtens presbyter ab hoc mundo migravit.* Ceterum inter Saffaraci & S. Germani epiſcopatum unum aliquem in ſede Pariſienſi Epiſcopum fuiſſe ex vitâ S. Germani manifeſtum eſt: legitur enim poſt obitum, non poſt depoſitionem alterius ſuffectum Epiſcopum. *Quod*, inquit Fortunatus auctor ejus vitæ, *poſt civitatis ejus Epiſcopo decedente, dum præcellentiſſimo Regi Childeberto occurreret, in ejus electione effectum illa vox promeruit.* De Chlodoaldo plura ſuperiùs memorata ſunt.

X.

Acta Bened. Sæcul. 1.

Annales Eccleſ. Francorum ad A. 551.

Acta bened. Sæcul. 1.

CAPUT V.

De ſancto Germano Epiſcopo Pariſienſi.

I. EX depoſitione Saffaraci vulnus acceperat Eccleſia Pariſienſis, ſed ſuffecto in locum Euſebii Germano, adeò illa refici viribus, & priſtinum recipere decorem cœpit, ut nulla Galliarum Eccleſia hac ætate illuſtrior eſſet, ſeu ſanctitate Pontificis, ſeu Cleri reverentiâ, ſeu Regis exemplo, quem Germani virtutes ad pietatem accenderant. S. Germani vitam auctor ſuorum temporum Fortunatus Epiſcopus Pictavenſis ſcripſit. Hunc Auguſtoduni natum ait ex patre Eleutherio, & matre Euſebia, à B. Agrippino Æduenſi Epiſcopo diaconum, & triennio poſt presbyterum ordinatum fuiſſe, & poſteà à Pontifice Nectario Abbatem. S. Symphoriani Auguſtoduni creatum. *Sed quantâ inibi obſervantiâ vixerit*, inquit Fortunatus, *quantiſque vigiliis continuando duraverit, quis enarrabit? Ceterum quibus illic eleemoſynis profuſus extiterit, illa res una teſtis eſt. Cum jam rebus reliquis pauperibus erogatis, nec panis ipſe reſideret, quatenus fratres reficerentur. Quâ de re inſurgentibus adversùm ſe monachis, retrudens ſe in cellula, amare flevit & doluit. Inter hæc ipſo orante, quædam Anna matrona duorum ſaumariorum cum pane dirigit onera, ſequenti etiam die cum annona deſtinavit plena carpenti vehicula ita ut exinde monachi, cum ſaturarentur cibo, terrerentur miraculo.* Ante annos quatuor, quàm ordinaretur Epiſcopus, ut ſuprà memoratum eſt, divinitùs admonitus eſt ſe aliquandò futurum Pontificem Pariſienſem in ſomno; *etenim vidit à quodam ſene claves ſibi portæ Pariſiacæ porrigi. Interrogans, quid hoc fieret, accepit reſponſum, ut eas ſalvas faceret.* Quid hoc? niſi quod Deus cuſtodiam gregis hujus urbis illi committeret. Somni præſagium eventus comprobavit; namque anno D L V. divinitus ad epiſcopatum Pariſienſem eſt evocatus. Cum enim Lutetiam Pariſiorum fortè veniſſet, obviam Regi Childeberto factus eſt; tum plebs coram Rege prædicare ſanctitatem Germani, ejus eximios mores ſummis laudibus ad cælum extollere. Eo tempore Euſebius Epiſcopus Pariſienſis obierat, deſiderabaturque Epiſcopus,
Ex vitâ S. Droctovei. qui mortuo ſuffectus viduam Eccleſiam regeret. Childebertus vocibus plebis excitatus hunc Epiſcopum nominat: judicium Regis repentina plebis & Cleri gratulatio excepit, & paulò poſt ordinatus eſt Epiſcopus. Veteres annum ejus ordinationis non tradiderunt. Annales Eccleſiaſtici Francorum ad annum D L V. eam referunt. Certum eſt ante hunc annum fieri Epiſcopum non potuiſſe, neque ejus pontificatus initia multò ampliùs differri. Germanus enim, ut Epiſcopus Pariſienſis tertiæ Synodo Pariſienſi ſubſcripſit, id eſt anno DLVII. quo habita hæc Synodus. Poſtquam creatus eſt Epiſcopus Pariſienſis, nihil omninò de auſteriore vitâ monachi remiſit. *Adeptus*, ait Fortunatus, *gradum curæ Paſtoralis, de reliquo monachus perſiſtebat, hinc ſe frequentibus exercebat vigiliis, inde continuatis macerabat inediis. Pernoctabat algida ſenectus per hiemem ſuſtinens dupliciter frigus ætatis & temporis, quod nec tolerare poſſent potulenti juvenes: ſe ipſum penè obliviſcens pro victoriâ corporis, tanquam ſi ſimul acceſſiſſent dignitas & neceſſitas. Quæ verò eleemoſynæ tam de rebus Eccleſiæ, quàm populi oblatione vel regio munere per manus ſancti factæ ſunt.* Hæc Fortunatus de Germano Epiſcopo. Credo & conſiliis & auctoritate, quâ S. Pontifex valebat apud Regem anno D L V I I. habitam eſſe tertiam Synodum Pariſienſem, ubi decem canones conditi pro Eccleſiarum diſciplinâ, eo quo notamus anno, & ſi deeſt nota temporis, cum Sirmondo & Annalibus Eccleſiaſticis Francorum id affirmamus, quoniam Euphronius, Turonenſis Epiſcopus, qui Synodo ſubſcripſit, ſub finem ſuperioris anni epiſcopatum adiit, & ſexti canonis poſteriorem

partem

partem Childeberti conſtitutione confirmatam tradit ſecunda Synodus Turonenſis; Childebertum autem anno poſteriore è vitâ deceſſiſſe certum eſt. LIB. II. CAP. V. Primus ſcriprus eſt adverſus eos, qui bona Eccleſiaſtica injuſtè retinent, neque Eccleſiis ea reſtituere curant, & eos præſertim, qui tempore, quo Chlodoveus nondum Chriſtianam legem ſuſceperat, invaſerant bona Eccleſiæ, & poſtquàm ipſi improviſa morte ſublati ſunt, ea reliquerunt ſuis hæredibus, quos omnes à communione arcendos Synodus judicat. II. canon communione privat eos, qui ſimiliter bona Epiſcoporum invaſerunt, ex quo licet intelligere à bonis Eccleſiæ jam tunc facultates Epiſcoporum eſſe ſejunctas. III. canone vetitum eſt ne quis Epiſcopus, à quo boni operis exemplum procedere debet, aliorum quoque bona invadat, aut ſi invaſerit reſtituat, neque res exteras aut aliorum bona Eccleſiæ ſuæ relinquat. In IV. leguntur præcepta de his, inter quos matrimonia contrahere non licet, neque cum fratris uxore, etſi relicta eſt, licet contrahere nuptias, ita neque novercam ſuam, neque uxorem patrui, aut ſororem ſuæ uxoris uxorem ducere licitum eſt, pariter à conjugio relictæ avunculi, nurus ſuæ, materteræ, amitæ, privignæ, ac filiæ privignæ jubet abſtineri; *quibus etiam gradibus matrimonium Romana lege vetabatur*; V. arcentur à communione raptores virginum, aut qui nuptias conxerant cum puellis, aut viduis, quæ mutato habitu, ut mos erat, aut religionem, aut virginitatem, aut pœnitentiam profeſſæ fuerant. In VI. Canone ſunt duæ partes; prima pars eſt in eos qui res alterius rapiunt, ſecundâ parte vetitum eſt, ne quis abſque arbitrio parentum viduam aut filiam alterius rapiat, neque Regis beneficio poſtulandam æſtimet: quod Childeberti, Clotarii deinde, & Chariberti conſtitutione cautum eſt. VII. renovat antiquos canones ne quis Epiſcopus ab alio Sacerdote excommunicatum ad communionem admittat. VIII. decretum de canonicâ electione Epiſcoporum contra eos, qui ex ordinatione Regis epiſcopatum invadere præſumebant. IX. de ſervis, quos Eccleſiis, aut hæredibus heri reliquerint, ut voluntas defuncti permaneat. X. demùm rogantur Epiſcopi, qui non adfuerunt, roborare decreta Synodi ſuâ ſubſcriptione. Ea omnia decreta S. præſertim Germani hortatu ſancita fuiſſe mihi facilè perſuadeo, quia tempori maximè opportuna, & ſine diſtinctione perſonarum ad Eccleſiatum commodum conſtituta. Ita, quoniam & eo tempore quo Chlodoveus Rex diſſentiebat à nobis, & bellis barbarorum Galliæ vexabantur, plerique quaſi datâ occaſione invaſerant bona Eccleſiarum & Epiſcoporum; adversùs eos aut eorum hæredes lata excommunicationis ſententia, niſi ea, quæ rapuerant, reſtituerent. His quoque temporibus, quibus Gallia expoſita eſt irruptioni barbarorum, nullus in legibus infringendis modus aut nulla in conjugiis lex; ſed conſuetum erat promiſcuè illicitas nefariaſque nuptias contrahere, adeò ut & ſororem uxoris ſuæ potentiſſimi quique ducerent, & aliis inceſtis conjugiis ſe illigarent: etiam multi Deo ſacras virgines rapere, aut non repugnantes ducere uxores haud vererentur. Itum eſt obviam huic malo ſancitis contra antedictas nuptias canonibus. Quin etiam interdictum eſt, ne qua filia ſine arbitrio parentum nuberet; quod adeò Regibus etiam placitum fuit, ut Childebertus, Clotarius, & Charibertus hoc decretum regiis conſtitutionibus firmarent. Mos ille invaleſcebat, ut cum ſedes epiſcopalis vacaret, non is ſæpè eligeretur, qui meritis ceteros anteiret, ſed qui plus haberet gratiæ vel auctoritatis apud Regem, jaceretque antiqua electionum forma. Conſultum eſt quoque huic incommodo per renovationem antiquorum canonum, qui electionem Epiſcoporum populo & Clero cum conſenſu metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum aſſertam eſſe volebant. Nemo eſt, puto, qui omnia hæc ſalubria decreta, ex nutu quidem, & voluntate Regis Childeberti, ſed inprimis ex vigore ſacerdotali ſanctiſſimi Pontificis Germani profecta fuiſſe non videat. Huic Concilio quindecim Epiſcopi ſubſcripſerunt.

Ut redeamus ad S. Germanum, ejus ſanctitas non modò populo, ſed Regi II.
ipſi veneranda erat. Sanè Rex Childebertus ſancti Germani exemplis dictuſ-

que excitatus eleemoſynas dare, ædificare baſilicas, condere monaſteria cœpit. Illius manu egenorum inopiam ſolabatur, ſæpè illi ingentes pecuniarum ſummas ad erogaudum pauperibus largiebatur; aliquando comminui jubebat vaſa argentea, quæ S. Sacerdoti mitteret. *Quadam vice*, inquit Fortunatus, *præcellentiſſimus Childebertus Rex, cum ei direxiſſet ſex millia ſolidorum pauperibus eroganda, expendens tria millia revertitur ad palatium; interrogatus à Rege ſi adhuc reſideret, quod egenis tribueret, reſpondit medietatem reſediſſe, nec inveniſſe inopes, quibus totum expenderet: cui Rex inquit, domine dona quod reſtitit, nam Chriſto largiente, quod donetur non deficiet. Incidens aurata miſſoria, argentea vaſa comminuens, quidquid primum habuit, dans ſacerdoti ne perderet. Erat ergo expectanda contentio inter Sacerdotem & Principem, faciebant apud ſe de miſericordiâ pugnam, de pietate certamen, theſauros ut ſpargerent, & de ſuis talentis egeni diteſcerent &c.*

III. Germanus ex altera parte opem divinam Regi ob caritatem in pauperes procurare & precibus ſollicitis precari, ut anteactæ vitæ peccata condonaret. Accidit ut anno, qui proximè Synodum Pariſienſem ſequutus eſt, anno ſcilicet Regis XLVII. Rex graviſſimè ægrotaret in villa pagi Melodunenſis, cui Cellæ nomen; adeòque vis morbi invaleſcebat, cum neque adverſus malum cura hominum nec ars medicorum quicquam poſſet. Tum S. Sacerdos enixè Deo ſupplicare, totâ nocte indulgere orationi, ut quod neque poteſtates herbarum, neque induſtria hominum valeret, id ſummus artifex Deus efficeret; poſterâ die Germanus ad Regem accedit, imponenſque manus ejus capiti, reſtituit illi ſanitatem; in cujus rei gratiam Rex conceſſit tam ipſi, quàm eccleſiæ B. Mariæ Virginis villam ipſam, Cellas, & in Provincia locellum, ubi olivæ arbores, ad luminaria ejuſdem eccleſiæ. Litteras regias, quas è tabularis eccleſiæ Pariſienſis accepimus, hic modò ſubjicimus. *Apoſtolicus vir Domnus & pater noſter Germanus Pariſiacæ urbis Epiſcopus, nobis innotuit prædicatione ſuâ, quod, dum in ſæculo habitamus, ſemper de futuro cogitare debemus, & ammonuit nos, ut ſanctarum Eccleſiarum memoriam haberemus, & ſemper bonis illarum potiora adderemus, ut in augmentum nobis proficeret, & admonens etiam eleemoſynarum largitionem non omittere, ut conſuetudo erat illius. Accidit autem, ut quodam tempore Domnus Pontifex inveniſſet nos in pago Milidunenſe, in villa Cellas nominatâ gravi ægritudine correptum, undè multorum adhibita eſt corpori meo cura, ſed nullatenus aliquod veſtigium ſanitatis immittere potuerunt. Demùm ipſe Domnus Sacerdos totâ nocte vigilans, in oratione ſtetit, & craſtinâ manuum ſuarum ſanctarum impoſitione tetigit corpus graviter infirmatum, & continuò ſumpſi ſanitatis donum, quod à nullo percipere potui medicorum. Ideò nos pro tam magna juſtitia, quam Dominus per manus Sacerdotis pro ſtabilitate Regni noſtri, & æterna retributione miniſtravit, donamus ad ſanctam matrem eccleſiam Pariſiacam, ubi ipſe Domnus Germanus præeſſe videtur, hoc eſt ipſam villam Cellas nominatam, ubi ſanitatem recuperavimus, ſitam in pago Melidunenſe ſuper alveum Sequanæ, ubi Iona illam ingreditur, cum baſilicis, appenditiis, territoriis, mancipiis, vineis, ſylvis, pratis, cultis & incultis, omnia & ex omnibus totum & ad integrum quidquid ad ipſam villam reſpicit, & fiſcus noſter continet cum integritate à die præſenti ad memoratam caſam Dei ſive ad Domnum ſacerdotem donamus & confirmamus. Sed & ipſe Domnus Pontifex petivie nobis in Provincia locellum noſtrum in pago Foridrenſe, cui vocabulum eſt Cella propter arbores oliviferas, ad luminaria facienda, quod nos pro mercedis noſtræ augmento concedimus & condonamus, hoc eſt memoratam Cellam cum baſilica S. Romani, unà cum terminis & mancipiis ſuis, cum integritate ſeu appenditiis ſuis in Aliaville ſuper fluvio Caramio à termino Broniolacenſi uſque ad fontem Campinam, quicquid fiſcus noſter tenet ibidem cum integritate ad ipſam matrem eccleſiam Pariſiacam concedimus, & per ſtrumentum firmamus. Condonamus etiam & ſalinas, & in Maſſilia cum ædificio, quod ſupereſt ædificatum, omnia & ex omnibus ſicut ſuperiùs inſertum eſt, à die præſenti, ut ſupra, matri eccleſiæ Pariſiacæ, quæ eſt dedicata in honore S. Mariæ D. noſtri Ieſu Chriſti, ſeu & Eccleſiæ SS. martyrum Stephani atque Vincentii, necnon & Apoſtolorum duodecim, ac reliquorum SS. Dominorum, quorum inibi pignòra continentur, ſub manu Domni Pontificis ipſa res per longitudinem dier*

rum & multorum annorum ſpatium habeat, teneat, poſſideat, & quidquid exinde elegerit faciendi, liberam in omnibus habeat poteſtatem faciendi, per præſentes auctoritatem noſtram, quam perpetualiter manſuram eſſe decrevimus. Et hæc auctoritas firmior habeatur, & per tempora conſervetur, manu noſtrâ eam firmamus & roboramus. Actum anno XLVII. regni noſtri, in menſe Ianuario. Childebertus Rex Francorum. Hoc regium inſtrumentum legitur quidem in minore paſtorali eccleſiæ B. V. ſed etiam in antiquâ archivi hujus eccleſiæ charta, unde quædam correcta ſunt, inprimis annus regni Childeberti Regis; qui malè ſcriptus habebatur, & doctis moleſtiam faciebat ob expunctam litteram numeralem L. cujus locus etiam facile agnoſcitur in antiqua charta quæ in archivo capituli habetur. Qui enim XVII. eſt, debet eſſe XLVII. unâ enim litterâ expunctâ corruptus locus, qui debet ita reſtitui, ne hæc charta, quæ alioquin genuina eſt, nauſeam ampliùs doctis pariat. Porrò villa, Cella, etiam hodie antiquum eſt ejuſdem eccleſiæ patrimonium. Quoniam verò ſermo incidit de Childeberto, de ejus pietate pauca adjicere licet. Is olim vehementiore regnandi ambitu adverſus filios fratris inclementior fuerat, poſteà dolore hujus facti tactus, multa egit piè & ſanctè, quibus reſarcire damna conſcientiæ, & vera pœnitentiæ ſigna edere cogitavit. Pauca hic præter illa, quæ retulimus, referam. Lugduni fundavit xenodochium cum conjuge ſua Ultrogothone quod confirmavit Concilium Aurelianenſe V. anno DXLIX. can. XV. *De xenodochio verò quod piiſſimus Rex Childebertus, vel jugalis ſua Vltrogotho Regina in Lugdunenſi urbe inſpirante Domino condiderunt, cujus inſtitutionis ordinem, vel expenſæ rationem petentibus ipſis, manuum noſtrarum ſubſcriptione firmavimus, viſum eſt pro Dei contemplatione, junctis nobis in unum permanſura auctoritate decernere* &c. Arelate quoque condidit monaſterium virorum & dotavit, quod perſpicuum eſt ex epiſtolâ CXVII. lib. VII. S. Gregorii ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum. Ad Caſtrum-Nantonis fecit quoque eccleſiam ſuper ſepulcrum S. Severini. Sed quod ad noſtram hiſtoriam pertinet, matrem eccleſiam Pariſiis ornatiorem, auctioremque extruxit, quam Fortunatus hiſce verſibus deſcripſit.

Si Salomoniaci memoretur machina templi,
Arte licet par ſit, pulchrior iſta fide.
Nam quæcumque illic veteris velamine legis
Clauſa fuère priùs, hìc reſerata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo;
Clariùs hæc Chriſti ſanguine tincta nitet.
Illam aurum, lapides ornarunt, Cedrina ligna:
Hic venerabilior de cruce fulget honor.
Conſtitit illa vetus, ruituro ſtructa talento;
Hæc pretio mundi ſtat ruitura domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
Et quia pura manet, gratia major ineſt.
Prima capit radios vitreis oculata feneſtris,
Artificiſque manu clauſit in arce diem.
Curſibus auroræ vaga lux laquearia complet,
Atque ſuis radiis & ſine ſole micat.
Hæc priùs egregio Rex Childebertus honore,
Dona ſuo populo non moritura dedit.
Totus in affectum divini cultus inhærens
Eccleſiæ viles amplificavit opes.
Melchiſedech noſter meritò Rex atque Sacerdos
Complevit laicus relligionis opus.
Publica jura regens, & celſa palatia ſervans,
Vnica Pontificum gloria norma fuit.
Hinc abiens, illic meritorum vivit honore:
Hic quoque geſtorum laude perennis erit.

Auctor vitæ S. Droctovei Abbatis tribuit hos verſus eccleſiæ S. Vincentii,

LIB. II. CAP. V. quam Childebertus ædificavit in ſuburbanis locis Lutetiæ, & de quâ fusè ſequenti capite dicemus. Sed meliùs doctiſſimi viri noſtri temporis exiſtimant eſſe eccleſiam majorem, quam Childeberti diploma, quod ſuperiùs attulimus, ſub Beatæ Virginis nomine extructam memorat. Verùm quod Regis Childeberti fidem prædicat, is idololatriam in regno penitùs profligare ſtatuit, ex conſtitutione quâ jubet ex agris aliiſque locis inſaniam hanc ejici, & impia ſimulacra tolli, & eos, qui hæc negligerent, & ne à ſacerdotibus fierent, prohiberent, tanquam reos ſacrilegii puniri. Cavit pariter eadem conſtitutione, ne quis pervigilia ſollemnitatum Eccleſiæ pollueret ſacrilegiis, hujuſque criminis reos pro ratione perſonarum plecti juſſit. Ecce hæc ipſa conſtitutio, ſed mutila qualem Sirmondus edidit.

Childeberti Regis Conſtitutio.

De abolendis reliquiis idololatriæ, & de ſacrorum dierum feſtivitatibus caſtè celebrandis.

Credimus hoc Deo propitio & ad noſtram mercedem & ad ſalutem populi pertinere, ſi populus Chriſtianus, relicta idolorum cultura, Deo cui integram promiſimus fidem, in quantum inſpirare dignatus fuerit, purè deſervire debeamus. Et quia neceſſe eſt ut plebs quæ Sacerdotis præceptum non ita ut oportet cuſtodit, noſtro etiam corrigatur imperio, hanc chartam generaliter per omnia loca decrevimus mittendam, præcipientes, ut quicumque admonitus de agro ſuo, ubicumque fuerint ſimulacra conſtructa vel idola dæmoni dedicata ab hominibus, factum non ſtatim abjecerint, vel ſacerdotibus hæc deſtruentibus prohibuerint, datis fidejuſſoribus non aliter diſcedant niſi noſtris obtutibus præſententur. Qualiter in ſacrilegis Dei injuria vindicetur noſtrum eſt pertractandum, & quia fides noſtra, ut verbo de altario ſacerdote faciente quæcumque de Evangelio, Prophetis, vel Apoſtolo fuerit annunciatum, in quantum Deus dat intellectum, ad nos querimonia proceſſit multa ſacrilegia in populo fieri, unde Deus lædatur & populus per peccatum declinet ad mortem; noctes pervigiles cum ebrietate, ſcurrilitate, vel canticis etiam in ipſis ſacris diebus Paſcha, Natale Domini, & reliquis feſtivitatibus, vel adveniente die Dominico, banſatrices per villas ambulare. Hæc omnia unde Deus agnoſcitur lædi, nullatenus fieri permittimus. Quicumque poſt commonitionem ſacerdotum, vel noſtrum præceptum ſacrilegia iſta perpetrare præſumpſerit, ſi ſervilis perſona eſt, centum ictus flagellorum ut ſuſcipiat jubemus: ſi vero ingenuus aut honoratior fortaſſe perſona eſt……* cetera deſiderantur.

Exiſtimo hanc conſtitutionem ſcriptam à Rege ex conſilio S. Germani Epiſcopi Pariſienſis. Sane ex Synodo Turonica II. addiſcimus Patres diligenter providiſſe ut reliquiæ idololatriæ penitus abolerentur quod ex canone XXII. poſſis intelligere. Hnic autem Synodo non modò adfuit Germanus; ſed & conſtat hunc ipſum Concilii mentem & animum fuiſſe. Ex his porro aſſero conſtitutionem Childeberti ſcriptam poſt annum DLV. quo ſcilicet Germanus pontificatum adiit.

IV. Demùm Rex Childebertus ægrotare cœpit, & diuturnâ graviſſimâque febre vexatus Pariſiis moritur x. Calend. Januarii anno DLVIII. Regnavit annos XLVII. ſex & viginti dies. Gregorius Turonicus ejus obitum his verbis refert lib. 4. cap. 20. *Childebertus Rex ægrotare cœpit, & cùm diutiſſimè apud Pariſius lectulo decubaſſet, obiit. Ad baſilicam, quam ipſe conſtruxerat, eſt ſepultus.* Refertur ejus epitaphium apud Aimoinum interpolatum.

Francorum rector, præclarus in agmine ductor,
Cujus & Allobroges metuebant ſolvere leges,
Dacus & Arvernus, Britonum Rex, Gothus, Iberus.

Hic ſitus eſt dictus Rex Childebertus honeſtus.
Condidit hanc aulam Vincenti nomine claram
Vir pietate cluens, probitatis munere pollens,
Amplectens humiles, proſternens mente rebelles.
Templa Dei dicans, gaudebat bona repenſans;
Millia mendicis ſolidorum dans & egenis
Gazarum cumulos ſatagebat condere cælo.

Childeberti elogium uno hoc verſu fecit Fortunatus lib. 6. carm. 4.

Ille fuit mitis, ſapiens, bonus, omnibus æquus. V.

Ultrogothonem, ſeu Ultrogotham habuit uxorem, ex qua nullos filios, ſed duas filias ſuſcepit, Chrothbergam, & Crothſindam. Chlotarius ejus frater ſolus regnum Francorum, collectis aliis partibus, regere cœpit. Hanc diem propter obitum Childeberti celebrant monachi Sangermanenſes. Eo die quo mortuus eſt Childebertus prima dedicatio eccleſiæ S. Vincentii celebrata eſt à S. Germano Pariſienſi Epiſcopo, ut Uſuardus memorat ad x. Calend. Januarii. *Pariſiis dedicatio baſilicæ in honore S. Crucis & S. Vincentii martyris, & depoſitio Domini Childeberti Regis*, & in Calendario S. Germani Pariſienſis confecto anno MCCLIX. per fratrem Herbertum de Yoraco quondam pœnitentiarium. x. Calend. Jan. *Anniverſarium Domini Childeberti glorioſiſſimi Francorum Regis, fundatoris eccleſiæ iſtius ſollemniter celebratur* &c.

CAPUT VI.

De eccleſiâ S. Vincentii, de ejus fundatione dedicatione & privilegiis.

GERMANO Pontifice florere cœpit monaſterium S. Vincentii, quod à Childeberto hac occaſione ad prata ſuburbana fundatum eſt. Rex Childebertus, an odio adversùs Hiſpanos, an gloriæ cupidine, initâ cum Chlotario belli ſocietate, expeditionem in Hiſpanias fecit. Reges, junctis armis Pyreneos tranſgreſſi Cæſarauguſtam urbem obſidione cingunt. Cives hortante Epiſcopo ad Deum confugere, & ab ipſo precibus & jejuniis poſcere auxilium, & his armis tueri opidum parant. Tum indicta publica ſupplicatione circumire muros civitatis, viri incedebant ciliciis horridi, mulieres ſequebantur ſparſis ſuper humeros crinibus, atris amictæ ſtolis, plangebantque pectus. Tunicam inſuper S. martyris Vincentii circumferebant, hacque lugubri ſupplicatione flectere iratum Deum conabantur. Triſte hoc ſpectaculum aduerterunt Reges; neque quid rerum eſſet rati, rogant ruſticanum, quem fortè ceperant, ecquid iſthæc multitudo circumneunrium muros? Reſpondet fieri per populum ſollemnem precationem, & S. martyris Vincentii deferri tunicam. Reges ſeu religione permoti, ſeu Deo opidanorum precibus favente, ſolvere ilicò obſidionem, & ab urbe diſcedere ſtatuunt. Ferunt tum à Childeberto evocatum Epiſcopum Cæſarauguſtanum, ſtolamque ejuſdem ſancti ab eo accepiſſe, quam Rex inſtar opimi ſpolii Pariſios detulit; in cujus rei memoriam ſub nomine S. Vincentii in ſuburbanis Pariſiorum eccleſiam ædificavit. Aimoinus emendatus ſic habet. *Childebertus acceptam B. Vincentii ſtolam Parrhiſius defert, ædificatamque ſolo tenus baſilicam nomini ejuſdem ſancti levitæ ac martyris dedicari fecit, in quâ non minimam vaſorum partem, quæ cum à Toleto apportaſſe ſuprà memoravimus, cum capſis Evangeliorum, cruces quoque mirifici operis, aliaque devotus excellentiſſima contulit munera.* I.

Gregor. Turon lib 3. cap 29.

Geſta Regum Franc. cap. 26.

Aim. lib. 2. cap. 19.

Lib. 2. cap. 20.

Hanc baſilicam magnifico opere conſtructam fuiſſe auctor vitæ S. Drocto- II.

LIB II. CAP. VI.

Vita S. Droctovei in actis SS. ord. bened. ſæcul. 1.

vei Abbatis hujus monaſterii ſcribit. *Cujus baſilicæ*, inquit, *opus mirificum deſcribere nobis videtur ſuperfluum, qualiter ſcilicet diſtincta feneſtris, quibus pretioſiſſimis marmorum fulta columnis, quove modo criſpante camerà compta auratis laquearius, necnon parietes, ut Chriſti decebat aulam, quo decore nitebant picturà aurei coloris, ſtrato inferiùs pulchro emblemate pavimenti. Tectum verò ipſius baſilicæ coopertum adprimè deaurato cupro ære, repercuſſum ſolis jubare, ſic flammigero rutilabat fulgore, quatenus intuentium aciem reverberaret nimià claritudine* &c. Scribit idem baſilicam in modum crucis extructam, & quatuor habuiſſe altaria, quorum majus in honorem S. Crucis & S. Vincentii martyris ædificatum atque conſecratum eſt, tum propter ſanctam Crucem, quam Childebertus Rex ex prima in Hiſpanias adversùs Amalaricum expeditione, tum ob ſtolam, quam ex Cæſaraugusta illuc attulerat. Alterum altare ad Septemtrionem ſub S. martyris Ferreoli Viennenſis nomine, & ad Meridiem tertium fuiſſe altare ſub titulo S. Juliani Brivatenſis. Quartum altare verſus Occidentem in honorem SS. Gervaſii & Protaſii, S. Celſi pueri & S. Georgii martyris eſſe conſecratum. Ad latus meridionale baſilicæ S. Germanus oratorium extruxit ſub nomine S. Symphoriani, ubi idem S. Germanus, ut memorabitur inferiùs, ſepultus, & unde poſteà in baſilicam tranſlatus eſt. Ad partem quoque ſeptemtrionalem fuit oratorium S. Petri Apoſtoli titulo honoratum. Hanc porrò baſilicam dedicavit S. Germanus Pariſienſis Epiſcopus in honorem S. Crucis & S. Vincentii martyris. Hujus conſecrationis adjutores fuerunt Nicetius Archiepiſcopus Lugdunenſis, Prætextatus Cabillonenſis Epiſcopus, Euphronius Nivernenſis, Felix Aurelianenſis, Domitianus Carnotinus, & Victorius Cenomanicus, ut refert auctor vitæ S. Droctovei. Quod notatum velim; etenim ſuper hos Epiſcopos multa mihi ſcrupulum movent. Pretextatus Cabillonenſis Epiſcopus non fuit: nomina deinde Euphronii, Domitiani, & Victorii tabulis harum eccleſiarum his temporibus aſcripta fuiſſe non reperi; de his fuſe inferius dicemus. Addit idem auctor poſt celebritatem dedicationis exequias Childeberti Regis fuiſſe peractas, & ipſum in his ſacris ædibus, quas extruxerat, fuiſſe ſepultum; quod à nobis anteà memoratum eſt.

III. In ea verò baſilica Childebertus primùm monachos poſuit, qui ſacra facerent, & ſanctas preces Deo ſingulis diebus funderent, eaſque ædes & Childebertus, & S. Germanus dotarunt, ut victum monachis ſuppeditarent. Noſtrâ ætate controverſia fuit inter aliquot doctos, an primùm huic eccleſiæ addicti clerici, an monachi; mihi ſanè rem diligentiùs exploranti nulla dubitatio eſt, quin à primordiis hujus baſilicæ monachi fuerint: hanc ſententiam, quæ Hadriani Valeſii viri utique doctiſſimi fuit, ultrò amplector. Sanè auctor vitæ S. Droctovei ſcribit à S. Germano monaſterium ibi inſtitutum, cui Droctoveum Abbatem præfecit, quem ipſe ex monaſterio S. Symphoriani, cui S. Germanus præfuerat, accerſivit. *Beatus ergo Germanus*, inquit hic auctor, *locum ſibi delegatum à præfato Rege, non ſegni ſtuduit ordinare diſpoſitione. Inſtituens enim gregem monachorum Deo jugiter famulantium, patrem eis inſtituit beatum ſcilicet*

Lib. 2. cap.

Droctoveum. Indices recentiores ejuſdem monaſterii Autharium docent primum hujus monaſterii Abbatem fuiſſe, quod Aimoinus ipſe ſcribit. Sed nihilominùs Mabillonius ejuſdem baſilicæ doctiſſimus aſceta ſententiam auctoris vitæ S. Droctovei magis probat, & ut veriorem ſequitur. Sanè eam magis conſentaneam puto verſibus, quos in laudem Droctovei Abbatis concinit Fortunatus, & antiquioribus hujus monaſterii chartis. Droctoveus igitur, poſtquam egregia vitæ monaſticæ documenta dicto factoque præbuiſſet, ſanctè in eo monaſterio moritur VI. Idus Martii. Illius mentionem facit Uſuardus ejuſdem loci monachus ad VI. Id. Martii. *Pariſius depoſitio S. Droctovei Abbatis, diſcipuli B. Germani Abbatis.* De eo hos verſus ſcripſit Fortunatus lib. 9. Carmin. 11.

Vir venerande, ſacer, meritis, & honore colende
Droctovee, mihi ſemper amore pater,
Qui de diſcipulis Germani jure beati

Digitized by Google

Norma magiſterii factus es ipſe ſui,
Cujus Pontificis ſacra per veſtigia currens
Deſpicis hunc mundum, dum cupis ire polo. 1
Perge libenter iter cæli manſurus in orbem,
Et me pro famulo, quæſo, precare Deum.

Revertamur ad baſilicam S. Crucis ſeu ſancti Vincentii; ſub his enim nominibus à Germano Pontifice dedicata eſt; poſt tranſlationem corporis S. Germani, ob pietatem Pariſienſium erga hunc ſanctiſſimum Pontificem baſilica ſeu eccleſia S. Germani de Pratis dicta eſt. Ubi verò olim prata erant, diu ſuburbium fuit inſtar urbis populoſæ, vicorum & ædium frequentiâ atque magnificentiâ celebratum, quod hodie urbis regio eſt. Hanc verò baſilicam non modò Childebertus Rex extruxit, ſed etiam redditibus & latifundiis locupletavit. Fiſcum inprimis Iſciacum cum appenditiis & pertinentiis omnibus huic eccleſiæ donavit, ut conſtat ex pragmatico Childeberti, de quo etſi dubitatur, de ea tamen donatione nihil dubitatum eſſe reperio; immò certum eſt antiquam eſſe hujus monaſterii poſſeſſionem. Sanctus verò Germanus fundationem Childeberti pluribus donationibus auxit; eas Mabillonius enumerat ex cenſuali codice Irminonis Abbatis; ejuſmodi verò ſunt. *Manſus Dominicatus in villa, Vitriaco, & ſylva, Puciolus, quæ pertinet ad ipſam villam,* quod ſuum ipſius *alodium S. Germanus contulit ad luminaria Eccleſiæ S. Crucis, quatinus omnibus annis perſolvant ad ipſam eccleſiam VIII. ſextaria olei, aut XXI. ceræ libras. Eſt ibi in confinio quædam alia poſſeſſio, quæ dicitur Valliacus, aliaque procul, quæ vocatur Galliacus, quas pater S. Germani ab Ermenfrido Comite emit; quaſque prædictus S. Præſul contulit prædictæ eccleſiæ, quatinus annis ſingulis in commemoratione natalitii patris ſeu genitricis ſuæ ſolvant ad ſepulcra eorum cereos duos, librarum videlicet octo uuumquemque, & ad refectionem fratrum XX. ſolidos. Addidit etiam S. Præſul excommunicationem coram XIX. Epiſcopis, & quiſquis temeraria præſumptione hoc donum, quod ſuæ contulit eccleſiæ ex propria videlicet poſſeſſione, auderet auferre, ſeu Epiſcopus Autiſſiodorenſis, in cujus conſtant diœceſi, ſeu Princeps Nivernenſis, ſub cujus conſtant ditione, cum Iuda traditore damnationem percipiant.* Inſuper in eodem codice additum nomen patris & matris S. Germani his verbis. *Dies depoſitionis patris ejus nomine Eleutherii Kal. Novemb. matris verò nomine Euſebiæ v. Calend. Ianuarii,* quorum corpora in oratorio S. Symphoriani ſepulta ſunt. Pragmaticum ita apud Aimoinum legitur & apud Breulium in antiquitatibus Pariſiorum.

Childebertus Rex Francorum vir inluſter. Recolendum nobis eſt, & perpenſandum IV.
*utilius, quod hi, qui templa Domini Ieſu Chriſti reædificaverint, & pro requie animarum ibidem tribuerint, vel in alimoniam pauperum aliquid dederint, & voluntatem Dei adimpleverint, in æterna requie ſine dubio apud Deum * mercedem recipere* * Dominum
merentur. Ego Childebertus Rex, unà cum conſenſu & voluntate Francorum &* * meruerint
*Neuſtraſiorum, & exhortatione ſanctiſſimi Germani Pariſiorum urbis Pontificis, vel conſenſu Epiſcoporum cœpi conſtruere templum in urbe Parrhiſiaca * prope muros civita-* * Pariſiacâ
*tis in terra quæ aſpicit ad fiſcum Iſciacenſem in loco, qui appellatur Locotitio *, in* * Locotitie
*honorem ſancti Vincentii martyris, cujus reliquias ex Hiſpania * aſportavimus ſeu &* * Spaniâ
*ſanctæ Crucis, & * ſancti Stephani, & ſancti Ferreoli, & ſancti Iuliani, & bea-* * vel
*tiſſimi ſancti Georgii, & ſancti Gervaſii, Prothaſii, Nazarii, & Celſi pueri, quorum reliquiæ ibi ſunt conſecratæ. Propterea in honorem * Dominorum ſanctorum, ce-* * honore
dimus nos fiſcum largitatis noſtræ, qui vocatur Iſciacus, qui eſt in pago Parrhiſio- * pagis Pariſiorum
*rum * prope alveum Sequanæ, unà cum omnibus, quæ ibi aſpiciunt *, cum manſis &* * ſunt aſpecta
*commanentibus meis, agris, territoriis, vineis, ſylvis, pratis, ſervis, inquilinis, libertis, miniſterialibus (præter illos, quos nos ingenuos eſſe præcipimus) cum omnibus appendentiis * ſuis, quæ ibi aſpiciunt, cum omnibus adjacentiis *, cum omnibus quæ no-* * appenditiis
*bis * deſerviunt tam in aquis, quàm * in inſulis, cum molendinis inter portam civita-* * adjacentiis quæ ibi adjacent
tis & turrim poſitis, cum inſulis, quæ ad ipſum fiſcum adjacent, cum piſcatoria, quæ * nos
*appellatur Venna, * cum piſcatoriis omnibus, quæ ſunt in ipſo alveo Sequanæ, ſu-* * vel
muntque initium à ponte civitatis, & ſortiuntur finem, ubi alveolus veniens Savara * Vanna

LIB. II CAP. IV

*præcipitat ſe in flumen. Has omnes piſcationes, quæ ſunt, & fieri poſſunt in utraque parte fluminis, ſicut nos tenemus, & noſtra foreſtis eſt, tradimus ad ipſum locum, ut habeant ibidem Deo ſervientes victum quotidianum per ſuccedentia tempora. Damus autem hanc poteſtatem, ut cujuſcumque poteſtatis littora fuerint, utriuſque partis fluminis teneant unam perticam terræ legalem, ſicut mos eſt, ad ducendas naves & reducendas, admittenda retia & retrahenda, abſque ulla refragatione. De argumentis verò, per quæ aves poſſunt capi ſuper aquam, præcipimus, ut nulla potens perſona inquietare audeat famulos Dei, ſed omnia ſecurè teneant, poſſideant, per infinitas temporum ſucceſſiones, & cum areis & caſis infra * Pariſius civitatem cum terra & vinea, & oratorium * in honore ſancti Andeoli martyris, quem * de Helario, & Ceraunio dato pretio comparavimus, & * cum omnibus quæcumque in ea nobis deſerviunt, pro requie animæ meæ, quando Deus de hac clariſſimâ luce dederit diſceſſum, ipſe fiſcus, qui vocatur Iſciacus, cum omnibus, quæ ibi aſpiciunt, * ipſo die ad ipſum templum Domini, quod nos ædificamus, deſerviat, & ad omnia, quæ illi * ſunt opus tam ad lumen quàm in Dei nomine ad ſtipendia ſervorum * Dei, quos ibi inſtituimus; ſeu ad ipſos rectores, qui ipſos regere habent, omnino * ibi tranſolvant, & per longa annorum ſpatia ad ipſum templum Domini abſque contradictione vel refragatione, aut judiciaria contentione, inſpecta ipſa præceptio omni tempore proficiat in augmentum. Et ut hæc præceptio celſitudinis noſtræ futuris temporibus Deo auxiliante firmior habeatur vel per omnia tempora inviolabiliter conſervetur, manibus propriis vel noſtris ſignaculis infra decrevimus roborare. Datum quod fecit menſe * Decembri die ſexto, anno Quadrageſimo octavo, poſtquam Childebertus Rex regnare cœpit. Ædificatâ igitur & multis prædiis & ornamentis ditatâ eccleſiâ Abbatem inibi conſtituit Autharium nomine, magnæ nobilitatis virum, qui præeſſet ibi Deo famulantibus.*

* in Pariſius civitate.
* oratorio
* quæ de Elario
* omnia & eis omnibus quæcumque ex nos deſerviarint, in poſtmodum pro requie
* ſunt aſpecta
* ibi
* ſervis
* omnia & ex omnibus
* menſis Decembris

V. An verò ſincerum hoc ſit inſtrumentum multi diſputant. Illud ſanè in libro Aimoini ex editionibus Aſcenſii, & Breulii legitur, & cum Aimoinum aſſerant monachum fuiſſe Sangermanenſem, & hunc inclinante ſæculo IX. ſcripſiſſe hiſtoriam Francorum, auctoritatem haud levem ex eo ſumunt de antiquitate, immò & ſinceritate hujus chartæ, de qua mentio eſt apud veterem auctorem. Verùm Philippus Labbeus S. J. diatribam doctiſſimam ſcripſit de duobus Aimoinis, quorum alter ſenior, qui Sangermanenſis monachus extitit, alter verò junior monaſterii Floriacenſis, oſtenditque ſole clarius Aimoinum Floriacenſem ſcripſiſſe quatuor libros hiſtoriæ Francorum, qui poſtmodum varias adierunt fortunas, adeò ut ex pluribus additamentis, variiſque interpolationibus deformati, priſtinam ſinceritatem, & nativum decorem deperderent. Sanè quod Aimoinus junior & Floriacenſis monachus fuerit, & ſcriptor hiſtoriæ Francorum fuerit, Sigibertus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ex editione Miræi apertè memorat, eaque eruditorum virorum Petri Pithœi, Falceti, Duchenii, Sirmondi, Valeſii, Launoii ſententia eſt. Adde quod Aimoinus monachus nuncupat ſuam hiſtoriam Abboni Abbati Floriacenſi, ex cujus grege alumnum ſe dicit, ſeque ejus imperio accinctum ad hoc opus, quod cum Aimoino Sangermanenſi malè congruit, cum nullus hoc nomine monaſterio ſancti Germani Pariſienſis toto ſæculo nono præfuerit. Sane inventa ſunt genuina exemplaria hujus hiſtoriæ, ubi tantùm quatuor libri continebantur, quæ anteà doctiſſimi viri pura putaque judicaverant, & ex quibus tanquàm ex lucido fonte Aimoini hiſtoria prodiit qualis in Ducheniana collectione ſcriptorum noſtræ gentis legitur. Ex hac porrò omnes interpolationes reciſæ, avulſa ſpinoſa quæ ſuccreverant, & quæ elegantiam floridi ſcriptoris corruperant. Verùm hæc interpolata fuiſſe à monacho Sangermanenſi, qui vivebat tempore Ludovici Sexti, id clarè probat Labbeus. Inter varias additiones, quas monachus malè aſſuit, non omiſit dare locum chartis ſui monaſterii, & addere indicem Abbatum Sangermanenſium, quibus non alia fides debetur quam auctori ſeculi XII. Si quis hæc omnia, quæ paucis retulimus, fuſè & doctè pertractata legere voluerit, is adeat diatribam Philippi Labbei. Sed ut ad noſtrum propoſitum revertamur, conſtat pragmaticum Childeberti Regis in hiſtoria Aimoini meram fuiſſe interpolationem, adeòque nullius ponderis

eſſe

eſſe hujus authoris teſtimonium. Launoius multa contra hoc pragmaticum ſcripſit, ſtatim configit illam vocem, Neuſtraſu, quæ nondum apud Francos erat in uſu; & ſi poſtea maximè uſurpata fuit, tumque alterutriuſque vocabuli, non utriuſque: etenim Occidentales Franci, Neuſtraſii dicti ſunt uno vocabulo, non Franci-Neuſtraſii. Addit pragmaticum à Childeberto, *exhortante Germano*, conditam eccleſiam S. Vincentii; quod neque tempori, neque antiquis auctoribus convenit: neque enim ante decimum tertium annum poſt bellum Hiſpanicum S. Germanus Pariſienſis Epiſcopus fuit, & hiſtorici nullam S. Germani mentionem faciunt. Auctor qui geſta Francorum ſcripſit, *memorati Reges*, ait, *acquiſitâ maximâ parte Spaniæ, cum multis theſauris & ſpoliis reverſi ſunt. Childebertus verò Pariſius veniens eccleſiam in honore beati Vincentii martyris ædificavit.* Eadem prope Aimoinus non interpolatus. Quin etiam monachi Sangermanenſes vel doctiſſimi Dacherius & Mabillonius deſerere hujus pragmatici patrocinium videntur, cum Droctoveum, non Autharium, exiſtimant fuiſſe hujus eccleſiæ primum Abbatem, qui tamen in proximè ſequentibus pragmaticum lineis ab Aimoino primus Abbas nominatur; vel certè oportet Aimoinum, aut alium quemvis, qui primus hoc pragmaticum evulgavit, ab iis deſeri. Unde quæ fides ſit interpolatoris & interpolationis, quiſque judicet. Alia multa adverſus hoc pragmaticum referuntur, quæ apud Launoium cuilibet facilè eſt legere. Veniamus ad privilegium S. Germani Pariſienſis Epiſcopi, unde monaſterium S. Vincentii ſuarum libertatum originem deducit, & quo præſertim inſtrumento monachi adverſus poteſtatem Pontificum Pariſienſium ſe muniunt, & à quorum juriſdictione multos annos cum toto ſuburbio immunes ſeſe ac liberos tutati ſunt. Aiunt verò S. Germanum vicinum morti de vindicando in libertatem monaſterio S. Vincentii ſeriò cogitaviſſe, & huic eccleſiæ, quam unicè colueтat, privilegium attribuiſſe, quo Pontifices ſucceſſores ſui eam perturbare, quâ pollent in parochiam poteſtate, haud facile poſſent; ſcripſiſſe itaque privilegium, quod inter interpolationes Aimoini legitur, & illis conceſſiſſe; quod eſt ejuſmodi.

Dominis viris Apoſtolicis, ſanctis, & in Chriſto fratribus omnibus Epiſcopis Pariſiacæ urbis, cum gratiâ Dei futuris, & cæleſti viſitatione ditatis, Germanus peccator. Omnibus non habetur incognitum, qualis ac quantus circa monaſteria & eccleſias, aut erga Deum timentium virorum fuerit inclytæ memoriæ glorioſiſſimus Childebertus Rex cujus ſumma benevolentia multis largita eſt copioſa beneficia, & immunitati noſtræ ſtabilitatem perpetuam. Scilicet cogitans, quia, qui iſta temporalia reſervaret metenda ſibi, multò majora à Deo illi attribuerentur, ſi ob ejus amorem eccleſias & templa fundaret, & egentium inopiam ſuſtentaret, & pro magnis parva offerret, atque pro terrenis cæleſtia adipiſceretur. Unde & nobis ob ſepulturæ ſuæ meritum aliqua à ſe conſiderare mandavit, & conſiderata ceſſit. Itaque inclytus iſte Princeps Pariſius baſilicam in honore S. Crucis, & Domni Vincentii, vel reliquorum ſanctorum in unum membrum conſtruxit, & ſibi ſepulturam inibi collocavit, ac largitatis ſuæ copiam per teſtamenti ſui paginam nobis habere decrevit, & habendi meritum loco tanti ordinis conſtituit. Sed dum pagina teſtamenti ſui, & cordis fides ſub humana fragilitate temporaliter vigeret, agente id quorumdam calliditate, ne æterna illi tribueretur beatitudo, ac ſcriptum non ſortiretur effectum, ſimulque Abbas & Congregatio deputata non perciperent, ac ſterilitate victûs & veſtitûs deperirent, monuit me illius recordatio, & ob amorem illius terruit me tanta ſecuritas, ſimulque pietatis & caritatis affectus. Ille etenim poſt Deum, dum ſupereſſet, fuit noſtra immunitas, & ſecuritas, pax & recuperatio, ac ſequeſtratio omnis ab civili negotio. Nos verò in hac re pietati illius conſulentes, ac ceterorum Regum velle ſtabiliri conantes caritatem fraternæ dilectionis veſtræ nobiſcum volumus concordari, quatinus illius ſancti loci honor celeberrimus, & memoria jam dicti Principis glorioſi eniteat eodem in loco omnibus hujus ævi temporibus, habeatque Abbatem ex propriâ congregatione ipſa eccleſia, qui ſub gubernatione Regum per ſucceſſiones eumdem locum prævideat, ſitque alienus Pontifex omnis Pariſiorum ab eodem loco, ut non deinceps aliquam poteſtatem in omnibus ad ipſum locum pertinentibus habeat, ſimulque ſancimus ut nullus metropolitanus aut aliquis

ſuffraganeus ejus causâ alicujus ordinationis illuc ingredi præſumat, niſi ſolummodò ab Abbate ejuſdem loci vocatus venerit ad ſanctitatis myſterium celebrandum, aut ad eccleſias conſecrandas, aut ad benedictiones clericorum vel monachorum inſtituendas, quod debitum renuere nullatenùs debet. Ceterùm quicquid à die præſenti, tam à tempore meo, quàm à ſucceſſorum meorum omnium in ſede Pariſiorum reſidentium Epiſcoporum, vel à Deum timentibus Principibus ejuſdem plebis, in fiſcis, villis, agris, in auro vel argento fuerit delegatum, ſive donatum, ut ad integrum habeat, volo, rogo, conjuro. Decrevi etiam per hanc chartulam immunitatis & ceſſionis meam baſilicam ſuperiùs nuncupatam ſine geſtorum obligatione manere, & quia id anteà conſuetudo non fuit, & modò à Regibus & Principibus mihi eſt conceſſum, voluntatem pietatis veſtræ in hoc ſcripto prætermittere nolui, ſed in omnibus per vos roborari, & confirmari expoſco, ut deinceps ratum permaneat. Et ſi aliquis unquam fuerit, qui contra hanc deliberationem meam (quam ego pro firmitatis ſtudio cum metropolitani & reliquorum Epiſcoporum conſilio & ſuaſione decrevi conſcribere) quoquo tempore venire tentaverit, aut fortaſſis locum refragandi quæſierit, inprimis à liminibus ſanctarum Eccleſiarum ab omnibus Epiſcopis & ſacerdotibus Dei, tam præſentis temporis, quàm & futuri, ſit excommunicatus, & alienus à pace, & in futuro judicio, cum ſanctis & amicis Dei (in quorum honore hæc conſcriptio facta eſt) meum ac dominorum meorum metropolitanorum ſeu coëpiſcoporum præſentium ſuper ſe adeſſe ſentiat judicium, ac ſit anathema maranatha. Et inſuper ut hæc chartula firmiorem poſſit adipiſci plenitudinem comprovincialium dominorum Epiſcoporum & fratrum meorum presbyterorum ſeu diaconorum conſcriptionibus ipſam volui corroborare. Actum Pariſius civitate ſub die duodecima Calend. Septembris anno quinto Domini Chariberti Regis. Germanus peccator hanc chartulam ceſſionis & immunitatis à me factam relegi & ſubſcripſi ſub die quo ſupra. Nicetius Lugdunenſis Epiſcopus in Chriſti nomine petente Apoſtolico domno & fratre meo Germano Epiſcopo, & domna Vltrogotha Regina, atque domna Chrodeſinta ac Chroberga conſtitutionem hanc, ſcilicet à præſenti tempore à ſucceſſoribus domni Germani Epiſcopi perpetuò cuſtodiendam relegi, & manus meæ ſubſcriptione corroboravi notato die. Prætextatus Cabillonenſis Epiſcopus deliberationem ſuperiùs comprehenſam rogante & præſente domno Germano Epiſcopo gaudenter ſuſcepi relegendam, & ſubſcripſi notato die. Eufronius Nivernenſis Epiſcopus rogante domno Germano Epiſcopo hanc deliberationem relegi & ſubſcripſi notato die. Felix Aurelianenſis Epiſcopus juxta conſenſum & deliberationem domni Germani in perpetuò manſuram ſubſcripſi notato die. Domicianus Carnotenſis Epiſcopus juxta conſenſum & deliberationem fratris mei Germani Epiſcopi conſenſi & ſubſcripſi notato die. Domnolus Cenomanenſis Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi notato die. Caletricus peccator juxta conſenſum & deliberationem domni Germani Epiſcopi conſenſi & ſubſcripſi notato die. Victurius peccator juxta deliberationem hanc Germano præſente fratre meo & rogante conſenſi & ſubſcripſi notato die. Leodebandus peccator conſenſi & ſubſcripſi notato die. Amanuenſis notarius ſub juſſione Domni Germani Epiſcopi hoc privilegium ceſſionis ſcripſi & ſubſcripſi.

VI. Hoc privilegium, quod præ ſe fert nomen S. Germani, extat in Aimoino interpolato, tum in libro quem Brulius monachus Pratenſis de antiquitatibus Pariſiorum ſcripſit. Launoins allatis viginti tribus momentis rationum illud profligare olim contendit. Quattemarius monachus illius cænobii ſe tanquam propugnaculum fortiter oppoſuit & pro illius defenſione, an feliciter, certè eruditè ſcripſit. Joannes Launoius aſſertionem repoſuit, & ſua momenta novis argumentis propugnare iterum aggreſſus eſt. Verùm cum anno MDCLXVIII. pactio acta ſit de juriſdictione ſpiritali & ſuburbii & Abbatiæ S. Germani inter Archiepiſcopum Pariſienſem, Abbatem & monachos Pratenſes, nolim hic compoſitas lites renovare, & rememorare ſingula, quæ Launoius congeſſit; neque velim quoque omnia omnino omittere, quæ vim hujus inſtrumenti infringant, ne videar cauſam Eccleſiæ Pariſienſis deſerere. Certum eſt, ut aliàs fuſiùs explicabimus, monachos ſub Epiſcoporum regimine fuiſſe; extant eo de negotio decreta in Concilio Chalcedonenſi, quibus monachos oportet juriſdictioni Epiſcoporum eſſe ſubjectos; & ſecundùm

hujus œcumenici Concilii regulas ſæpiùs in Gallicanis Synodis de monachis conſtitui canones. Ne ſingulas Synodos percurram, Synodus Aurelianenſis prima Abbates & monachos poteſtati Epiſcoporum ſummittit. Sed referre ſtatuta ſupervacaneum eſſe exiſtimo; cum enim monachi ſe privilegiis defendant, ſe legibus privatis, non publicis aut communibus agere profitentur. Verùm, ut poſteà memorabimus, non ſtatim ſe iis privilegiis ab Epiſcoporum juriſdictione ſubſtraxerunt, quibus modò utuntur. Primùm enim poſſeſſionum ſuarum ac bonorum adminiſtrationem in ſe ſitam, & à ſe ſolùm, non ab Epiſcoporum arbitrio, ut alia bona eccleſiaſtica, pendere volebant. Deinde ex collegio monachorum Abbatem à ſe, non ab Epiſcopo eligi optabant; ſic alia ejuſmodi, volentibus Epiſcopis obtinebant quæ ad monaſteriorum regimen ipſis relinqui neceſſe erat. Non tamen propterea ab auctoritate Epiſcoporum liberos ſe & immunes exiſtimabant; annis ſequentibus prima illa privilegia longiſſimè aucta ſunt, ità ut inpoſterùm nullus in iis modus ineſſe videretur. His ita breviter elucidatis, quæ aliàs explanare fuſiùs promptum erit, ultrò confitemur multa in eo privilegio reperiri, quæ his temporibus haud conſentanea ſunt. An id conſonum canoni Eccleſiæ? quod non ſolùm S. Germanus ſe ſuoſque ſucceſſores exuit à poteſtate, qua in eam eccleſiam pollebat, ſed metropolitanum quoque, quem vetat habere in ea eccleſia ordinationes, eccleſias conſecrare, & agere benedictiones, qui, ſi hæc jura habuiſſet in Epiſcopos ſucceſſores, certè nullo modo habuiſſet in metropolitas. Quid quòd à ſacris, & à liminibus eccleſiæ arceantur Epiſcopi, ſeu metropolitani, ſeu provinciales, qui hæc, quæ ſupra memorata ſunt, peragere non vocati tentaverint. Quid dicam quod in eodem loco ſuffraganeorum mentio eſt: quod vocabulum non illius ætatis erat, ſed poſtmodùm in uſu, pro voce provincialium, aut comprovincialium; quæ voces tritæ ſunt in Synodis illorum temporum. Deinde huic inſtrumento tribuuntur nomina, quæ tamen plurimùm à ſe diſtant: modò enim ceſſio, aut immunitas, vel privilegium nominatur; quod teſtimonium eſt eſſe ſcriptum non certæ, ſed vacillantis manus, quæ non aſſeveranter unum vocabulum huic chartæ tribuit. Sunt multa ejuſmodi in eo ſcripto, quæ magnam falſitatis ſuſpicionem ingerunt. Jam verò quæ falſi notæ ſint in ſubſcriptionibus, modò mihi memorandum eſt. Privilegio ſubſcribunt. *Pariſius civitate ſub die duodecima Calend. Septemb. anno quinto Domni Chariberti Regis*, Germanus peccator, Nicetius Lugdunenſis Epiſcopus, Prætextatus Cabillonenſis Epiſcopus, Felix Aurelianenſis Epiſcopus, Eufronius Nivernenſis Epiſcopus, Domitianus Carnotenſis Epiſcopus, Domnolus Cenomanenſis Epiſcopus, Caletricus peccator, Victurius peccator, Leodebandus peccator. Manifeſta fraus eſt in illis ſubſcriptionibus; ſi enim Nicetium Lugdunenſem & Domnolum Cenomanenſem excipias, nulli ſua ſedes tribuitur. Caletricus, Victurius, & Leodebandus, neque epiſcopatus neque ſedis habent nomen. Unde autem iſthæc omnia? conjectura facile eſt aſſequi, & artem paucis reregere. Certum eſt eos omnes, qui nominati ſunt, fuiſſe id temporis Epiſcopos, ſed non ex illis ſedibus, quæ cuique in hoc privilegio tribuuntur. Id perſpicuum eſt ex ſubſcriptionibus Synodi Turonicæ II. quæ anno VI. inchoato Chariberti Regis habita eſt; huic enim Synodo ſubſcripſerunt Euphronius Turonicæ civitatis Epiſcopus, Prætextatus Epiſcopus Eccleſiæ Rotomagenſis, Germanus Epiſcopus Eccleſiæ Pariſiacæ, Felix Epiſcopus Eccleſiæ Namneticæ, Chaletricus Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenſis, Domitianus Epiſcopus Eccleſiæ Andecavenſis, Victurius Epiſcopus Eccleſiæ Redonicæ, Domnulus Eccleſiæ Cenomanenſis, Leudobaudis Epiſcopus Sagenſis. Clarum ex illis omnibus quæſitas ſubſcriptiones. Cum enim artifex illius inſtrumenti nuda Epiſcoporum nomina inveniſſet, eo forſan modo, quo aliquot ex his leguntur in Synodo Pariſienſi, *Germanus peccator conſenſi & ſubſcripſi, Euphronius peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi, Felix peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi, Domitianus peccator conſenſi & ſubſcripſi*, ſedem cuique addere pro ſuo arbitrio inſtituit, ſelegitque inprimis ſedes ex Senonenſi provincia, ut aſſereret id quod inſtrumentum exponit his verbis. *Inſu-*

LIB. II. CAP. VII *per, ut hæc chartula firmiorem poſſit adipiſci plenitudinem, comprovincialium dominorum Epiſcoporum, & fratrum meorum presbyterorum ſeu diaconorum ſubſcriptionibus ipſam volui corroborare.* Ita Euphronium Nivernenſem Epiſcopum dixit, Felicem Epiſcopum Aurelianenſem fecit, & Domitianum Carnotenſem, aliosque promiſcuè aliis ſedibus Senonicæ provinciæ attribuit. Nicetium Lugdunenſem inprimis adjecit, quod cogitaret, etiam tempore S. Germani, primatum in quatuor Lugdunenſes fuiſſe huic Eccleſiæ aſſertum. Undè haud levis ſuſpicio eſt poſt tempora Gregorii VII. confictum privilegium, & uſum Pontificis Lugdunenſis nomine, ut ſuæ fraudi auctoritatem faceret, & hac ſpecioſâ Primatis ſubſcriptione faciliùs incautis lectoribus imponeret. Ea fermè nobis ſuppeditavit doctiſſimus Francorum Annaliſta, qui hæc deinde ſubjungit. *Certè cum lites de juribus Epiſcopalibus inter Epiſcopos Pariſienſes & Abbates S. Germani Pratenſis obortæ ſunt, hi nullam privilegii ſupra recitati mentionem fecerunt; illud enim aut ignorabant, aut ſuppoſititium rebantur.*

CAPUT VII.

De Rege Chlotario, & de variis geſtis ſancti Germani, & de ejus obitu.

I. MORTUO Childeberto Rege, Chlotarius rerum Francicarum ſolus potitus Pariſios venit. Paulò poſt reducendæ ad torum Radegundis conſilium cepit. Hæc erat filia Bertharii Thoringorum Regis, quem acie victum Franci interfecerant, ejuſque filiam, puellam adhuc, captivam fecerant, quam ſibi Chlotarius poſteà matrimonio junxit. Illa deinde res ſæculi pertæſa, mutata veſte, à S. Medardo diaconiſſa ſeu monacha conſecrata eſt. His geſtis Pictavos ſe contulit, & ex viri liberalitate monaſterium condidit, in quod ipſa ſe recepit, haud abnuens ſe ſub Abbatiſſæ ſubdere imperio. Demùm poſt plures annos, quos ſeverioris vitæ exercitiis impenderat, cogitat Chlotarius uxorem recipere; Turonos per ſpeciem religionis proficiſcitur, ſed re-ipſa ut Pictavos iret recipiendæ uxoris gratiâ. Rex cum Sigiberto filio Germanum Pariſienſem Epiſcopum ſecum duxit. Radegundis interim ad Germanum Epiſcopum per Proculum fidum hominem litteras mittit, quibus S. Pontificem deprecabatur ut Regem à pravo propoſito depelleret. Germanus, lectis Radegundis litteris, quo tempore Rex ante ſepulcrum beati Martini preces Deo fundebat, ejus pedibus advolvitur, precaturque ut uxoris repetendæ conſilium omittat, idque, uti Radegundis ſcripſerat, ſub conteſtatione divina vehementer poſtulabat; hæcque ſanctiſſimus Pontifex dicebat lacrymans. Sermone Pontificis Rex commotus mutare ſententiam cœpit, & eos condemnare, qui conſilii auctores fuerant, & ſe indignum æſtimare tali uxore, quam ipſe amittere meruerat. Tum ante limina S. Martini accidere ad genua S. Germani, obſecrans ut veniam tam mali conſilii à B. Radegunde impetraret. Tum deinde tàm placandi Dei, quem hoc propoſito offenderat, quàm confirmandæ Radegundis gratiâ, beatum Germanum Pictavos mittit, qui urbem & monaſterium ingreſſus ad pedes Radegundis ſe projicit, veniam pro Rege deprecans, quam ultrò illa indulſit ſingulari gaudio affecta, quod Rex, mutatâ ſententiâ, ſe inter virgines procul ab aulico ſtrepitu morituram relinqueret. Hæc Bondonivia monialis in parte altera vitæ ſanctæ Radegundis. Germanus, hac puto occaſione, Agnetem coram aliis Epiſcopis, in hoc S. Radegundis monaſterio Abbatiſſam conſecravit; quod in epiſtola ad Epiſcopos Concilii Turonenſis ipſa Radegundis memorat. Tum quoque contigiſſe arbitror, quod Fortunatus de S. Germano ſcribit in ejus vita, quod ille cum ad S. Hilarium

Gregorius lib. 9. cap. 41.

iret, ei oblata eſt quædam nomine, Baudofrida, quæ muta, clauda, & manca
erat, adeò ut toto corpore tabeſceret; cumque S. Pontifex ſuper eam S.
Crucis ſignum manu expreſſiſſet, continuò hæc penitùs ſanata eſt: facta illi
loquendi poteſtas, pedibus manibuſque data libertas; adeò ut tertio poſt die
ad S. Pontificem accederet, & redderet gratias B. Epiſcopo, cui idem fuerat
mulierem tangere & ſanare.

Interjecto deinde aliquo tempore ſanctus Germanus Auguſtodunum profe- II.
ctus eſt ad ordinationem Siagrii Epiſcopi hujus loci. Tum, ut refert Fortuna-
tus, S. Germani precibus, Florentius, qui poſteà ad epiſcopatum Matiſco-
nenſem evocatus eſt, ex vulnere, quo oculus affectus fuerat, convaluit. Mor-
tuo deinde Rege Chlotario, cum Charibertus unus ex quatuor filiis Pariſiis
regnaret, S. Germanus Bituricas profectus eſt ad ordinationem Felicis Epiſ-
copi, ut Fortunatus ſcribit. Tum Sigericus Judæus ſermonibus S. Pontificis
perſuaſus fidem Chriſtianam repudiato errore ſuſcepit; cumque ejus uxor ſuam
nihilominus perfidiam obſtinaciùs defenderet, illam, admotâ ad ejus frontem
manu, vel reluctantem S. Epiſcopus Chriſtianam fecit. Sed hæc victoria alia-
rum inſtrumentum fuit; complures enim Judæi eorum exemplo & ſanctitate
Pontificis victi, inſaniam Judæorum deteſtati, religionem Chriſti amplexi ſunt.
Neſcio an ad ea tempora, an, quod magis placet, ad Bituricenſis Epiſcopi
Probiani epiſcopatum referam, quod Gregorius Turonicus memorat. Refert *Lib. de glor.*
Auguſto Abbati baſilicæ S. Symphoriani, quam Probianus Epiſcopus extru- *Confeſ. cap.*
xerat Bituricis, revelatum divinitus fuiſſe ſepulcrum B. Urſini primi hujus *80.*
loci Epiſcopi, quod deliteſcebat in veteri ſepulcreto, quod poſt multùm tem-
poris terra operuerat, ubi poſtmodùm vitis inſita; quod cum Abbas Epiſ-
copo renunciaſſet, & id tanquam futile ſomnium negligeret. *Intereà*, inquit
Gregorius Turonicus, *Germanus Pariſiacæ urbis Epiſcopus adfuit, ſuſceptuſque eſt
ab Epiſcopo poſt cœnam domus eccleſiaſticæ, cum ſe ſopori dediſſet, adparuit Vrſinus
utrique per viſum, Epiſcopo ſcilicet & Abbati, dumque eos ad locum ſepulcri, de-
precans ut auferrent eum à loco illo, expergefacti ſimul ad vigilias conveniunt in ip-
ſam S. Symphoriani baſilicam, explicitiſque matutinis officiis, refert Epiſcopus Ab-
bati, quæ viderat, confeſſuſque eſt & ipſe vidiſſe ſimiliter. Igitur inſequenti nocte ac-
cedentes illuc cum uno tantum clerico, qui cereum ferret, venerunt ad indicatum locum,
cumque fodientes uſque in profundum, ſepulcrum reperiunt, quo detecto, amotoque
opertorio, viderunt ſanctum corpus, tanquam dormientis hominis, nullâ putredine reſo-
lutum, quod admirantes & iterum componentes, indicarunt Epiſcopo, datâ die quæ
viderant. Tunc illi convocatis Abbatibus & Clero cum honore atque pſallentio levave-
runt beatum ſepulcrum, & quia vectes illi, quibus ferebatur, valde longi erant,
cum veniſſent ad porticum, non poterant defiecti in ingreſſu ejus, ut ad oſtium ædis
ſine labore accederent. Tum beatus Germanus elevatâ voce ait, ſancte Dei ſacerdos,
ſi voluntas tua eſt in hanc baſilicam ingredi, ſentiamus levamen adjutorii tui, & ſta-
tim amiſſo pondere, ita in ſumma levitate factus eſt ſarcophagus, ut relictis vectibus
pauci manibus ferrent, quem uſque ad locum illum multi detulerant, & ſic celebra-
tis miſſis gaudente populo juxta altare ſepelitur, multis ſe deinceps virtutibus mani-
feſtans.*

Sæpè ipſum itinera feciſſe ex ejus vita conſtat. Solebat ſæpiùs ire Auguſto- III.
dunum ad S. Symphoriani memoriam, ut ibi vota Deo puriora conciperet,
& quoties huc accederet, ſolebant Dæmones ejus adventum ad S. Symphoria-
num prænunciare. Id Fortunatus narrat. *Erat ſanè mirabile*, inquit, *quoties
famulus Dei ad Auguſtodunum voluiſſet accedere, mox ad S. Symphorianum Dæmones
nunciabant, & occurrentes per Murvinum fletu gemituque clamabant: vir ſancte, ſi
de locis cultis nos inconſideranter repellis, vel habitare concede ſylvarum per ſolitudinem,* *Vita S.*
ut liceat miſeris per deſerta ſecuros errare. Sæpiùs quoque Turonos profectum *Germ.*
probat, & iter cum Chlotario Rege actum; & Fortunatus ſcripſit eum ad fe-
ſtum S. Martini Turonos veniſſe; & certum eſt eum Concilio Turonico II.
interfuiſſe; Namnetas uſque veniſſe idem ejus vitæ auctor tradit. Cetera pro-
ſequi longum eſt, ſicut & inſignia opera quæ geſſit, quorum multa Fortunatus

LIB. II. CAP. VII. deſcripſit. Eſt interpolatio apud Aimoinum, quæ aſſerit Germanum Pariſienſium Epiſcopum profectum Hieroſolymam, & in itinere ab eo ſalutatum Juſtinianum Imperatorem, à quo donatum narrat particula ex ſpinea Corona, reliquiis SS. Innocentium, brachio S. Georgii martyris; quæ deinde Germanus ad baſilicam S. Vincentii detulerit. Sed iſthæc omnis narratio mera fabula eſt; mirum enim ubique eſt de hoc itinere ſilentium; neque adeò his temporibus frequens erat noſtratibus iſta peregrinatio; neque facile eſt huic longo itineri tempus & locum reperire.

IV. Sed etſi hæc itinera fecit pro commodis Eccleſiarum & Epiſcoporum, aut pietatis cauſa; tamen neque quicquam de ſeveritate vitæ aut aſſiduitate Deum precandi remittebat. In ipſo itinere, aut Deo hymnos canere aut de Deo colloqui ſolebat, & curſum ſeu horas canonicas nudo capite recitabat; neque nix aut imber ipſum deterrebat. Eo Antiſtite florentiſſima fuit Eccleſia Pariſienſis. Clerus exemplum S. Pontificis æmulari ardebat; ſæpè Antiſtes monitis & concionibus Clerum & populum ad ſanctiorem diſciplinam provocare ſolebat, neque quiſquam ejus parere præceptis abnuebat. *Quis verò dignè repetat, quanta virtus verborum ab ore rotabatur, cum prædicaret in populum, ut omni litteraturæ naſceretur ſtupor, & fieret in commune generalis compunctio, atque ex ore dicentis crederes, ut verba formarentur ab Angelo, dum pluſquàm homo loqueretur tranſlatus in mentis exceſſu, cum abraſis maculis ſinceritate dogmatis pectora plebis cogeret divinis effragrare pigmentis.* Sed etiam Fortunatus laudes Cleri Pariſienſis prædicavit lib. 2. cap. 10.

Fortunat. in vit. S. Germ.

Cœtus honorifici decus & gradus ordinis ampli,
Quos colo corde, fide, relligione patres:
Iam dudum obliti deſueto carmine plectri
Cogitis antiquam me renovare lyram.
En ſtupidis digitis ſtimulatis tangere chordas,
Cum mihi non ſolitò currat in arte manus.
Scabrida nunc reſonat mea lingua rubigine verba,
Exit & incompto raucus ab ore fragor.
Vix dabit in veteri ferrugine cotis acumen,
Aut fumo infecto ſplendet in ære color.
Sed quia dulcedo pulſans quaſi malleus inſtat,
Et velut incudem cura relapſa terit,
Pectoris atque mei ſuccenditis igne caminum,
Vnde miniſtratur cordis in arce vapor.
Obſequor hinc, quia me veluti fornace recocto
Artis ad officium veſter adegit amor.
Celſa Pariſiaci Cleri reverentia pollens,
Eccleſiæ genium, gloria, munus, honor.
Carmine Davidico divina poëmata pangens,
Curſibus aſſiduis dulce revolvit opus.
Inde ſacerdotes, Leviticus hinc micat ordo,
Illos canicies, hos ſtola pulchra tegit,
Illis pallor ineſt, rubor his in vultibus errat,
Et candent rutilis lilia mixta roſis.
Illi jam ſenio, ſed & hi bene veſtibus albent,
Vt placeat ſummo picta corona Deo.
In medio Germanus adeſt Antiſtes honore
Qui regit hinc juvenes, ſubrigit inde ſenes.
Levitæ præeunt, ſequitur gravis ordo canentum,
Hos gradiendo movet, hos moderando trahit.
Ipſe tamen ſenſim incedit, velut alter Aaron,
Non de veſte nitens, ſed pietate placens.
Non lapides, coccus, cidarim, aurum, purpura byſſus,
Exornant humeros, ſed micat alma fides.

Iſte ſatis melior veteri quàm lege ſacerdos,
Hic quia vera colit, quod priùs umbra fuit.
Magna futura putans, præſentia cuncta refellens:
Anteà carne carens, quàm caro ſine ruens.
Sollicitus, quemquam ne devoret ira luporum,
Colligit ad caulas paſtor opimus oves.
Aſſiduis monitis ad paſcua falſæ vocatus
Grex vocem agnoſcens currit amore ſequax.
Miles ad arma celer, ſignum mox tinnit in aures,
Erigit excuſſo membra ſopore toro.
Advolat ante alios, myſteria ſacra requirens,
Vndique quiſque ſuo templo petenda loco.
Flagranti ſtudio populum domus irrigat omnem,
Certatimque monent, quis prior ire valet.
Pervigiles noctes ad prima crepuſcula jungens
Conſtruit Angelicos turba verenda choros.
Greſſibus exertis in opus venerabile conſtans
Vim factura polo cantibus arma movet.
Stamina pſalterii lyrico modulamine texens
Verſibus orditum carmen amore trahit.
Hinc puer exiguis attemperat organa cannis;
Inde ſenex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibuſque tropis fiſtula dulce ſonat.
Tympana rauca ſenum puerilis tibia mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.
Leniter iſte trahit modulus, rapit alacer ille,
Sexus & ætatis ſic variatur opus.
Triticeas fruges fervens terit area Chriſti,
Horrea quandoquidem conſtruitura Dei.
Voce Creatoris reminiſcens eſſe beatos,
Quos dominus vigiles, dum redit ipſe, videt.
In quorum meritis, animo, virtute, fideque,
Tegmine corporeo lumina quanta latent!
Pontificis monitis Clerus, plebs pſallit & infans,
Vnde labore brevi fruge replendus erit.
Sub duce Germano felix exercitus hic eſt:
Moſes tende manus, & tua caſtra juva.

Summâ ſanè & ſingulari pietate valebat vir ſanctus pervigilia noctis aſſiduè orando Deo exercens. *Quantam*, inquit Fortunatus, *vigiliarum curam ſemper impenderet, quis enarret? aut toleratos algores ardore fidei prædicet? cùm frequenter in lectulo, antequàm reliquos de ſopore commoneret aſſurgere, quinquaginta pſalmos, vel ampliùs, indefeſſus in templo ſui pectoris Domino decantaret. Sed quis illud furtum felix vel auditu ſenſerit, vel viſu deprehenderit, cum ipſe de lectulo frequenter ſine caligis, ne ſentiretur ab aliquo, perrexit in oratorium, nullum ſibi cupiens teſtem in illud * furtum præter Chriſtum occurrere, qui celebratâ vigiliâ remeans ad lectulum, quaſi nihil egerit, tunc primùm reliquos excitaret. Quanta verò fuit ad pſallendum conſtantiâ, dum velut ferri rigore inducta caro ſubſiſteret, cum ſaxa frigus decruſtaret, & aquas in cruſtam verteret, qui cum ſuis viſceribus dimicaret & vinceret, penè ſe ipſum obliviſcens, ut domeſtico tormento ſuperato corpore, de ſe ipſo triumphum in pace factus martyr acquireret: ut ſe mutantibus clericis, ſine viciſſitudine ipſe decantandi modulamina non finiret. Cum penè hoc incredibiliter dicitur, quod ſcitur, quia tertiâ noctis horâ ingrediens in eccleſiam, non eſt egreſſus ulteriùs pſallentium ab ordine, donec clareſcente die, decantatus ſollemniter curſus univerſus conſummaretur ex canone. Cum verò domum regrederetur fatigatus ætate, vel frigore, aut illata diverſorum inquietabat ſuggeſtio, aut ab ipſo requirebatur, ubi præberet ſuffragium, ut*

LIB. II. CAP. VII. *etiam ad requiem reclinanti, vel paululùm de querelis occurrentium afflictorum vel pauperum, crux pararetur in lectulo, poſtponens ſuas injurias ne ſuggerentem premeret illata neceſſitas. Paratus pro miſericordia, ſemper currens pro venia. Pater & paſtor populi, ad ſe alienas cauſas transferens & querelas, aut pro parte mitigabat dolores compatiens, aut quantùm poſſet ex toto curabat corde ſubveniens.* Hæc Fortunatus. Eâ ſanè caritate fuit, ut nemini operam denegaret; effuſus in eleemoſynas erat, ipſe unâ caſulâ contentus, cetera populis liberaliter erogabat, *adeò ut*, inquit Fortunatus, *inops calefieret largitore algente.* Servos captivos à ſervitute redimebat, & pariter erga omnes cujuſcumque nationis aut populi miſericordiam exercebat; & ſi quando ad convivium vocaretur, hortabatur eos qui aderant, ut pro modulo ſuo quiſque conferret, unde vel captivum à ſervitute eximeret; tum ſi quid lucri feciſſet, hilarior conviva accumbebat.

V. Eâ vitæ ratione, eâque ſanctitate non æſtimationem modò, ſed auctoritatem quoque apud omnes ſibi comparabat. Memoratum eſt ſupra quo in honore habebatur à Childeberto, cujus operâ, ut etiam populi votis, pontificatum Pariſienſem adeptus eſt; uſque ad ejus obitum ei cariſſimum fuiſſe certum eſt. Cum aliquando ad Chlotarium Regem S. Germanus acceſſiſſet, & cùm poſt multas moras ante veſtibulum ſtetiſſet, neque à Rege admiſſus demùm reverſus eſſet; ſequenti nocte Rex febri correptus eſt. Senſit Rex ſe percuti ob contemptum Pontificem; continuò optimates ad Germanum veniunt, rogantque ſuppliciter, ut Regem adeat: Epiſcopus immemor injuriæ ad palatium venit; aſſurgit ei Rex de lecto, confeſſuſque culpam, moxque ſanatus eſt. *Idque actum eſt*, inquit Fortunatus, *ut cujus incurrerat de contemptu periculum, ſentiret tactu remedium.* Cum Sigibertus Rex adverſus fratrem Chilpericum bellum moveret, S. Germanus perſpiciens mala, quæ Pariſienſi agro incumberent, iis occurrere ſtatuit, & ad Brunichildem Reginam ſcripſit, ut Sigibertum ab hoc propoſito revocaret. Legitur hæc epiſtola in collectione Conciliorum; & quoniam hæc una nobis ex litteris S. Germani supereſt, hanc integram referre placuit. *Dominæ clementiſſimæ atque præcellentiſſimæ & nobis ſemper piiſſimæ dominæ, & in Chriſto ſanctæ Eccleſiæ filiæ, Brunechildi Reginæ Germanus peccator. Quia caritas congaudet veritati, & omnia ſuſtinet, & nunquam excidit, propterea ex contribulato corde & ex intima animi dilectione audemus vobis ſuggerere. Quia eo tempore, quando minor erat numerus populi Chriſtiani, & cum*
2. Cor. 6. 2. *Dei auxilio licebat reſidere quietum, cum Apoſtolis dicebant. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nunc è contrario tam funeſtos & luctuoſos ante oculos habentes dies, flenter dicimus. Ecce dies tribulationis & perditionis noſtræ adveniunt. Væ nobis, quia peccavimus. Si nos iſtæ non conterruiſſent amaritudines & tribulationes, & corpori exhibuiſſent infirmitatem, per nos metipſos veſtræ debuimus occurrere pietati. Quia, ſi fas dici eſt, ſingulariter & veſtri dilectionem in noſtro geſtamus pectore, & unicè de veſtra præſentia ſpirituali deſiderio ſitientes, ſicut cultores, & peculiares filii Dei, ambientiſſimè vos vivere atque proficere in omnibus piè optamus. Sed quicumque hominem in anima diligit, ſi minùs oculis carnalibus eum valet intueri, quæ ad animæ & corporis proſperitatem pertinent & ſalutem, omnimodis literario officio reticere non debet. Vulgi verba iterantes, quæ nos maximè terrent, veſtræ pietati in notitiam deponimus, quæ ita diſſeminata loquentium ore detrahunt, quaſi veſtro voto, conſilio & inſtigatione dominusglorioſiſſimus Sigebertus Rex tam arduè hanc velit perdere regionem. Non propterea hæc dicimus, quaſi à nobis credatur: ſed ſupplicamus ut nulla occaſio tribuatur dicendi, unde vobis tam maximum & periculoſum generetur blaſphemium. Licet hæc regio * jam caruiſſe felicitatem & perditionis noſtræ concludamus terminum: ſed de miſericordia non deſperabamus divina, adhuc ultionis ſuſpendendi manum, dum emendationis expectatur remedium, ſi non dominaretur intentio, quæ mortem operatur; cupiditas, quæ radix eſt omnium malorum; iracundia, quæ ſenſum aufert prudentiæ. Salvator noſter perſpiciens ſuæ paſſionis imminere tempus, dixit:*
Matth. 18. 7. *væ homini, per quem ſcandalum venit; quod ore proprio deteſtatus eſt, impunè non poſſe manere credimus. Omnibus clamamus, omnes conſcientiæ ſuæ cogitationes & actiones conſiderent, & caveant ne cum Iuda proditore hujus condemnationis ſortiantur judicium.*

tium. Deo ſufficit noſſe, optabam aut pro ipſis mori, ut illi viverent; aut ante eo- LIB. II. CAP. VII.
rum interitum quocumque caſu vitam finire, ut nec eorum, nec regionis cerneremus
interitum. Sed alter ab alterutro excuſatione utitur, & nullus ex ipſis ante oculos
Dei ponit judicium, neque aliquid Dei reſervat poteſtati judicandum, nec credunt
ſe jam ſub Dei eſſe notitiâ. Quia à nullo audiri meremur, vobis & ideo ſupplicamus:
quia ſi illi regnum perdiderint, nec vos, nec filii veſtri, magnum poſſidebitis trium-
phum. Ad hoc vos hæc regio ſuſcepiſſe gratuletur, ut per vos ſalutem non interitum
percipere videatur. In hoc populi reſtinguatis verba, ſi mitigatis furorem, ſi Dei fa-
citis expectare judicium. In veritate ſuggero, ſi meam humilem deſpicitis ſupplicatio-
nem, adhuc de votorum veſtrorum gaudemus plenitudine. Propterea hæc dolens ſcribo,
quia video qualiter præcipitantur & Reges & populi, ut Dei incurrant offenſam. Ita
legimus: quicumque in brachii ſui fortitudine ſperavit, antea confuſionem, quàm vi-
ctoriam promeruit. Quicumque adminiculo gentis ſibi adjuvari poſſe confidit, antea
periculum mortis, quam ſalutem promeruit. Quicumque propter copiam auri & ar-
genti elevatur in ſuperbiam, antea deſolationis opprobrium ſuſtinebit, quàm ſuæ cu-
piditatis conſuluiſſet aviditati. Ipſe judex æternus nunc judicat, perpetuam judicia-
riam poſſidet poteſtatem: non corrumpitur præmiis, aut adſpicit ad vota impiorum, ſed
conſiderat cogitationes cordium, & reddet unicuique ſecundum opera ſua. Inhoneſta
victoria eſt fratrem vincere, domeſticas domos humiliare & poſſeſſionem à parentibus
conſtructam evertere. Contra ſemetipſos pugnant, ſuamque felicitatem exterminant;
de ſuâ perditione gaudet accelerans inimicus. Quâ fide & ex quo animo, quâ devotione
hæc ſcribimus, Deo ſufficit noſſe, ut vobis bona futura præparetis, & nos cum Deo
abſolutos eſſe, vel paululum ſentiamus. Sed quia ſacerdotibus præceptum eſt, ut tuba Iſai. 58.
exalta vocem tuam, & annuntia populo meo opera eorum. Ergo piiſſima domina in-
telligite myſterium, & cavete exemplum. In principio duobus fratribus commiſſus erat
mundus. Vnus ex ipſis Cain fratricidium perpetravit, & uſque ſeptuplum punitionis Geneſ. 4.
ſententiam ſuſcepit. Ioſeph fratres ſui per invidiam vendiderunt, & poſtea ſervituti Geneſ. 37.
ejus ſubjugati ſunt. Saül ſanctum David per invidiam nitebatur occidere, ipſe poſteà 1. Reg. 18.
in eum miſericordiam exercuit. Abſalon fratrem interfecit, patrem è regno voluit re- 2. Reg. 13.
movere; & qualem ſuſcepit interitum, nulli habetur incognitum. Præcipuè quoque
David Propheta dicente: Quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur: qui verò Pſal. 36.
expectant Dominum, ipſi hæreditabunt terram. Apoſtolus clamat: Qui odit fratrem 1 Ioan. 3.
ſuum homicida eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo vadat. Salvator denuntiat: Matth. 5.
beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Pacem meam do vobis, pacem meam Ioan. 14.
relinquo vobis. Vbi eſt pax & caritas ibidem eſt Dei pietas. Legimus per Eſther Re- Eſth 8.
ginam populo fuiſſe conceſſam ſalutem. In hac parte & veſtram oſtendite prudentiam
& fidei veſtræ ſalubritatem atque perfectionem, ut & dominum Regem à Dei revo-
cetis offenſa, & populum à parte ſuâ vivere liceat quietum, donec judex æternus
conſuetam diſcernat juſtitiam. Quia evidentiſſimè omnibus patet, quia caritatem fra-
ternam poſtponit, deſpicit conſortium, non acquieſcit veritati, omnes Prophetæ contrà
ipſum loquuntur, omnes Apoſtoli ipſum deteſtantur, & Deus omnipotens ipſe quod
conſtituit, judicabit. Præmiſſo ſalutationis obſequio ſupplicamus, ut latorem præſen-
tium ſervum veſtrum Gundulfum commendatum habeatis, & quæ per eumdem verbo
mandamus, abſque hæſitatione credentes recipiatis, & implere non deſpiciatis, &
elaboretis, qualiter de veſtrâ ſalute nobis gaudia præparetis. Illud petimus, ut per ve-
ſtræ pietatis reſcriptum, ex omnibus jocundari mereamur.

VI. Magni animi & vigoris ſacerdotalis fuit argumentum, quod facere non regiâ auctoritate deterritus eſt adverſùs Charibertum Regem, qui ſe inceſtis nuptiis illigaverat. Charibertus ejectâ conjuge Ingobergâ, Meroſledem ex obſcurâ origine ſuo junxit thalamo, dein creſcente libidine Marcoveſam Meroſledis ſororem ſibi conjugio copulavit. Cum Rex ſortem Childeberti obtineret, ſedem regni collocaverat Pariſiis. Germanus, cum nihil monitis proficeret, à communione fidelium Regem Marcoveſamque abſcindere non veritus eſt. Deus judicium ſanctiſſimi Pontificis comprobavit, nam cum neque Rex deſiſteret ab incœpto, illa ſtatim mortem oppetiit; neque multò poſt Rex ipſe de vitâ deceſſit: quod paucis verbis Gregorius commemorat. *Poſt*

LIB II. CAP VII.
hæc Marcoveſam, Meroſledis ſcilicet ſororem, conjugio copulavit, pro quâ causâ à ſancto Germano Epiſcopo excommunicatus uterque eſt. Sed cum eam Rex relinquere
Lib 4. cap 26.
nollet, percuſſa Dei judicio obiit, nec multò poſt & ipſe Rex poſt eam deceſſit Charibertus. Id verò ſanctus Germanus juxtà regulam Eccleſiaſticæ diſciplinæ, &
Concil Pariſ 3. & Synod. Turonic. 2.
præcepta, quæ ipſe cum aliis Epiſcopis ediderat. Pàtres, inter quos ſedebat, prohibuerant ne inceſtæ nuptiæ, & illicita conjugia contraherentur; atque inprimis, ne quis præſumeret ſibi ſociare ſororem uxoris ſuæ, ut canone quarto Concilii Pariſienſis continetur, & Turonic. can. xxi. Longior ſim, ſi enumerem virtutes & miracula, quæ Fortunatus de eo memorat; ſufficit dicere plures ejus auxilio à morbis, variiſque malis quibus affligebantur, fuiſſe ſanatos: energumenos ſæpè purgavit; quocumque ibat, ſuæ ſanctitatis oſtendit argumenta; prævidit diem ſui obitûs; paulò antequam moreretur, juſſit notarium ingredi cubiculum, & hæc tantummodò verba ſuper lectum ſcribere. *Quinto Calendas Iunias:* quod nemo niſi poſt mortem intellexit; nam ipſo die mortuus eſt ferè octogenarius. *His*, inquit Fortunatus, *& conſimilibus ſtudiis occupatus, ac ſemper intentus, ferè octogenarius, per orbem mirandis actibus adſciſcendus martyribus, Apoſtolis adgregandus, glorificandus meritis, coronandus in populis, ereptus corporeo vinculo, immaculato ſpiritu, beatis fidei dotibus perpetualiter victurus, victor evolavit ad cælos*, anno Chriſti DLXXVI. anno regni Childeberti. Junioris primo. De eo Gregorius Turonenſis his verbis ſcribit. *Eo anno & B. Germanus Pariſiorum Epiſcopus tranſiit, in cujus exequiis multis virtutibus, quas in*
Lib. 5. c. 8.
corpore geſſerat, hoc miraculum confirmationem fecit. Nam carcerariis adclamantibus corpus in plateà adgravatum eſt, ſolutiſque eiſdem, rurſùs ſine labore levatur, ipſi quoque qui ſoluti fuerant, in obſequium funeris uſque ad baſilicam in quà ſepultus eſt, liberi pervenerunt. Ad ſepulcrum autem ejus multas virtutes, domino tribuente, credentes experiuntur, ita ut quiſque, ſi juſta petierit, velociter exoptata reportet. Si quis tamen ſtrenuus virtutes illius, quas in corpore fecit, ſollicite vult inquirere, librum vitæ illius, qui à Fortunato presbytero compoſitus eſt, legens, cuncta reperiet. Hujus mortis meminit Aimoinus lib. 3. cap. 15. *Eodem tempore ſanctiſſimus & verè Derè Deo dignus Germanus Pariſiorum Epiſcopus, migravit ad Dominum, cujus corpus in oratorio S. Vincentis eſt ſepultum.* Oratorium, ſeu ſacellum illud S. Germanus ipſe conſtrui juſſerat, & in honorem S. Symphoriani dedicaverat; & inde poſteà, ut ſuo loco dicemus, in baſilicam S. Vincentii honorifice tranſlatum eſt. Multa miracula ad ejus tumulum edita ſunt; unum à Gregorio refertur de gloriâ Confeſſorum cap. xc. his verbis. *Ingrediente autem Chilperico Rege in urbem Pariſiacam poſtridiè quàm Rex ingreſſus eſt civitatem, paralyticus, qui in porticu baſilicæ S. Vincentii, in quà beatus Germanus requieſcit in corpore, reſidebat, dirigitur; manè autem facto, ſpectante populo gratias beato Antiſtiti referebat.* In interpolatione Aimoini hoc legitur S. Germani epitaphium.

Eccleſiæ ſpeculum, patriæ vigor, ara reorum,
Et pater & medicus, paſtor amorque gregis,
Germanus virtute, fide, corde, ore beatus,
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir, cui dura nihil nocuerunt fata ſepulcri,
Vivit enim, nam mors, quem tulit, ipſa timet.
Crevie adhuc potius juſtus poſt funera, nam qui
Fictile vas fuerat, gemma ſuperba micat.
Hujus opem ac meritum mutis data verba loquuntur,
Redditus & cæcis prædicat ore dies.
Nunc vir Apoſtolicus rapiens de carne trophæum
Iure triumphali conſidet arce throni.

Aſcribit Interpolator hos verſus Chilperico Regi: ſed judicium penes æquum
Lib 6. cap. 46.
æſtimatorem ſit, an illos ſcripſerit Rex, de quo Gregorius ſic ſcribit. *Confecit duos libros, quaſi Sedulium meditatus, quorum verſiculi debiles, nullis pedibus ſubſiſtere poſſunt, in quibus, dum non intelligebat, pro longis ſyllabas breves poſuit, & pro brevibus longas ſtatuebat.* Mabillonii, cui & interpolatio Aimoini placet,

opinio eſt ſcriptos à Chilperico, ſed emendatos ab Aimoino. Quidquid ſit ſancti Germani apud Pariſienſes felix memoria; tranſlato ejus corpore, baſilica, quæ S. Vincentii nomen habebat, ob pietatem populi Pariſienſis erga ſanctiſſimum hunc Pontificem, baſilica S. Germani à Pratis dicta eſt *conſuetudine & denominatione populari* ob tumulum & reliquias S. Germani, magis *quàm dedicatione*. Neque modò baſilica, ſed monaſterium ab eo nomen accepit: dicitur enim Abbatia S. Germani à Pratis, quod nunc caput eſt Congregationis monachorum S. Mauri, floretque & pietate & doctrinâ aſcetarum. LIB. II. CAP. VII.

VII. Ita vixit, ita obiit S. Germanus, cujus vita felix, & honorifica fuit. Ille repudiatis ſæculi honoribus clericorum mores & diſciplinam Auguſtoduni ſequi inſtituit. Tum factus Abbas S. Symphoriani, egregia vitæ ſeverioris documenta factis & dictis præbuit. Cum fortuitò Pariſiis ageret, ex judicio Principis, Cleri & populi approbatione ad cathedram Pariſienſem, quæ tum vacabat evocatus eſt. Ex eo tempore cum Rege conjunctiſſimè vixit; ſæpè Childebertus Rex familiaria miſcere cum eo colloquia & graviſſima communicare negotia dignatus eſt. Ejus inprimis hortatu Rex idololatriam jam ſub Chlodovei patris principatu multis affectam damnis profligare penitùs edictis aggreſſus eſt, & templa vanæ ſuperſtitioni ſacra dirui præcepit. Eodem ſanctiſſimo Pontifice auctore Rex convocavit Synodos & Conventus Eccleſiaſticos, quorum Germanus animus & ingenium fuit. Ita verò Eccleſiam gubernavit, ut ipſe omnia ſolus tamquam è ſpeculâ circumſpiceret, omnium audiret preces, omnibus daret reſponſa, nuſquam alienis auribus, aut vicariis oculis uteretur. Ipſe Clerum, ipſe populum non modò exemplis ſed doctis ſermonibus inſtituere ſolebat, in quibus erat par facundiæ doctrina. Huc accedebant Chriſtianæ virtutes, ſummum erga Deum ſtudium, immenſa in gregem, cui præpoſitus erat, caritas, haud interrupta vitæ arctioris diſciplina, & infracta boni retinendi voluntas, & in rebus arduis gerendis vigor omninò ſacerdotalis. Quæ omnia non modo hominibus, ſed & ipſi Deo, ita grata extiterunt, ut ejus vitæ ſanctitatem pluribus ſignis admirandiſque factis ipſe oſtenderet; quæ ſi quis legere velit, adeat ejus vitam, quam Fortunatus pluribus deſcripſit; quæque omnia huc referre noſtræ res non patiuntur.

VIII. Jam olim ſcripſeram quæ ſuperius allata ſunt de S. Germano, cum in manus meas incidit Mabillonii veterum analectorum tomus tertius. Librum evoluenti forte occurrerunt acta Epiſcoporum Cenomannenſium, in quibus præclara S. Germani mentio eſt. Id vero hic addere vel extra ordinem viſum eſt, magis quam omittere; res autem ita ſe habet. Inter Epiſcopos Cenonomannenſes Domnoli utique felix eſt memoria: hunc clerus populuſque hujus eccleſiæ vel renitentem olim fecerant Epiſcopum. Domnolus in hoc edito Eccleſiæ loco conſtitutus nihil potiùs habuit, quam factis expectationem omnium implere, monaſteria augere redditibus, ut & numero monachorum creſcerent; ſed alia quoque monaſteria condere, atque inprimis extruere & dotare monaſterium S. Vincentii quod deinceps celebratiſſimum fuit. *Antedictus*, inquiunt acta Cenomannenſium Pontificum, *namque beatus Domnolus Pontifex monaſteriolum S. Vincentii & S. Laurentii martyrum Chriſti juxta urbem conſtituit & ad effectum uſque perduxit.* Ad dedicationem baſilicæ multi Pontifices acceſſerunt: ſed ſollemnitatem inprimis ornaſſe præſentia ſua memoratur Germanus Epiſcopus Pariſienſis qui ob eam cauſam à Domnolo Cenomannos vocatus eſt. *Ad dedicationem quoque ipſius monaſterioli eccleſiæ*, ut habent acta, *beatum Germanum Pariſiacæ civitatis inſignem Epiſcopum Domnolus vocavit.* Neque modo conſecrationi eccleſiæ præſens fuit; ſed prætereà chartis, donationibus, & inſtrumentis dotationis S. Germanus ſubſcripſit, quod acta præcipue propter famam illius S. Pontificis annotant. *Cum ejus*, ſancti ſcilicet Germani, *conſenſu & deprecatione cleri ipſius civitatis & populi illius urbis parochiæ & cum conſenſu eorum, de rebus S. Mariæ & ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii matris ejuſdem civitatis eccleſiæ & jam dictum monaſteriolum, quod ſuo opere & labore à fundamento ædificaverat, dotavit, & villas ſui epiſcopii ad eamdem eccleſiam, quam in eodem*

LIB. II. Cap. VII. *monaſterio, unà cum B. Germano præfixæ civitatis Pariſiacæ inſigni Epiſcopo, ſollemniter in honore ſanctorum prædictorum martyrum ſancti Vincentii & S. Laurentii Calend. Novembris dedicaverat, dedit, & in ea caput beati Vincentii, & magnam partem craticulæ ſuper quam ſanctus Laurentius aſſatus eſt honorifice collocavit. Per chartarum vero ſtrumenta, ut dictum eſt, conſentiente univerſo clero vel populo, & domno Germano aſſenſum præbente, villas S. Mariæ, & S. Gervaſii & Protaſii ad eandem, ceu dictum eſt, tradidit eccleſiam.* Scripſit præterea teſtamentum Domnolus cui ſubſcripſit S. Germanus quod auctor actorum ad gloriam Domnoli traducit. *Subſcribente autem beato Germano ipſum teſtamentum ſive ſacerdotibus, & clericis ejuſdem civitatis, & parochiæ ipſius non paucis, ſicut in eodem hactenus teſtamento continetur.* Extat teſtamentum in iiſdem actis Epiſcoporum Cenomannenſium, quod referre noſtri non eſt negotii, ſic incipit. *Domino venerabili eccleſiæ Cenomannicæ clero Domnolus Epiſcopus. Congruum nobis fuit, ut votum deſiderabile in caritatis veſtræ notitiam poneremus* &c. His vero verbis deſinit. *Actum Cenomannis civitate anno XI. regni domni noſtri Chilperici Regis, pridie Nonas Martias. Domnolus peccator ſubſcripſi. Germanus peccator rogante clero Cenomannis ſubſcripſi* &c. Hoc teſtamentum primum publicavit Cointius quod ex his actis depromptum fuerat. Ex his omnibus facile intelligas, quo in honore S. Germanus erat, etiam dum viveret; quem Domnolus alterius provinciæ Epiſcopus ad dedicationem ſuæ eccleſiæ invitat, quem clerus Cenomannenſis præcipue rogat, ut teſtamento ſubſcribat, & cujus meminerunt acta Cenomannenſium Epiſcoporum, non nominatis aliis qui celebritati dedicationis interfuerant, aut teſtamento ſubſcripſerant.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De morte Chlotarii Regis, Chariberti Regis & de Conciliis Turonico II. Pariſienſi IV.

I. ANNO DLXI. Chlotarius Rex Compendii moritur, anno regni ſui LI. ut Gregorius ſcribit, ſeu ut habent Annales Eccleſiaſtici Francorum anno quinquageſimo; quod auctor multis argumentis probat. Paulò ante mortem Turonos profectus eſt ad limina S. Martini, ut coram Deo anteactæ vitæ emendationem, pœnitentiamque teſtaretur. *Adveniens Turonos*, inquit Gregorius, *ad ſepulcrum antedicti Antiſtitis, cunctas actiones, quas fortaſſe negligenter egerat, replicans & orans cum grandi gemitu, ut pro ſuis culpis beatus confeſſor Domini miſericordiam exoraret, & ea, quæ inrationabiliter commiſerat ſuo obtentu dilueret.* Chlotario ſua vitia ſuæque virtutes fuerunt. Patrem Chlodoveum belli gloriâ & armorum virtute æmulatus eſt, bella multa bene & feliciter domi foriſque geſſit, adeo ut etiam Magni nomen poſt obitum meritus ſit. Paulò ante obitum multa piè fecit & religioſè; corpus S. Medardi Noviomenſis Epiſcopi ſuis humeris tulit, & Epiſcopos, Primateſque regni, ut ipſi quique ſuos ſubjicerent humeros exemplo compulit, & ut baſilica conderetur ſuper tumulum ſancti hujus Pontificis Sigiberto filio moriens commendavit. Ante baſilicam S. Martini publicè oſtendit quantò dolore delictorum teneretur; damna conſcientiæ his aliiſque operibus reſarcire conatus eſt. Extat conſtitutio hujus Regis, in quâ multa pro commodis Eccleſiæ ſtatuta leguntur. *Capitul. Rer Franc. à Baluz. edit.* Sancivit ut Epiſcopi recognoſcerent & emendarent quæ judices contra legem injuſtè judicaverint; ut nullus aut viduam aut puellam ſine ipſarum voluntate rapere auderet, aut ſibi conjugio ſociare ſanctimoniales; præcepit prætereà ut oblationes defunctorum in gratiam Eccleſiarum vim ſuam & auctoritatem conſequerentur; vetat quoque ne quis actor, aut decimator ex bonis Eccleſiæ ſeu clericorum quicquam recipiat, prout ab avo ejus, patre, aut germano ejus immunitatem meruerint. Rata deinde eſſe voluit & firma, quæ Principes Eccleſiis vel clericis contulerint: demùm conſtituit, ut quicquid Eccleſia vel clerici per triginta annorum ſpatium poſſederint, illis permaneat; neque ampliùs lex contrà poſſeſſionem vim habeat.

Poſt ejus mortem quatuor ejus filii Sueſſionas corpus detulerunt, & in baſilica S. Medardi ſepelierunt: ſtatimque Chilpericus unus ex filiis, captis ejus theſauris, complures muneribus in ſuas partes illexit, quorum operâ Pariſios veniens Childeberti Regis ſedem occupat. Ægrè id tulere tres reliqui fratres; collectis militibus, junctis armis adversùs eum venerunt, quibus impar

LIB. III CAP. I. Chilpericus, cum his hæreditatem patris æquâ ſorte dividere haud abnuit. Ita compoſitis rebus, quatuor fratres Charibertus, Guntchramnus, Chilpericus atque Sigibertus, ſicut antea filii quatuor Chlodovei quadrifariam Regnum Francorum dividunt. Chariberto ſors contigit Childeberti; ſedemque ſicut patruus Pariſiis poſuit. Guntchramno obtigit regnum Chlodomeris, Aurelianiſque regni ſedem habuit. Chilpericus portionem, quæ Chlotarii patris ſui fuerat, habuit; & Sueſſionis ſicut pater ſedem fecit. Sigibertuſque in hæreditate Theodorici Mettis ſedere & regnare cœpit. In eum modum Charibertus Rex Pariſiorum fuit.

II. Eo regnante collecta eſt Synodus Turonenſis II. ubi ſanctus Germanus interfuit. Cum ſancti Pontifices viderent improborum malitiâ diſſolvi nervos diſciplinæ Chriſtianæ, & improbitatem adverſus leges Eccleſiaſticas impunè graſſari, renovare antiquas leges inſtituerunt, eaſque novis præceptionibus tanquam propugnaculis munire, ut adverſus ſanctitatem motum audacia non prævaleret. Clerici contra decreta Patrum mulieres extraneas in ſuas domos inducebant; ſæpè Epiſcopis non ſatis erat animi ad emendandos clericos, & uti lege & vi canonum negligebant. Epiſcopi preſbyteri & alii clerici, quibus interdicitur lege Eccleſiaſtica conjugium, uxoribus quas dimiſerant receptis, populis erant offendiculo. Complures cum puellis virginitatem Deo profeſſis, aut cum viduis, quæ mutatâ veſte converſionem Deo promiſerant, ſacrilega inibant matrimonia: alii inceſtas nefariaſque nuptias palam contrahere non verebantur. Quidam inter bella inteſtina, fraternaſque Regum diſcordias bona Eccleſiarum & patrimonia pauperum rapere & invadere non dubitabant. Pauperes opprimebat impotentia judicum & magnatum; & quibuſdam etiam Epiſcopis ordinationes nundinari, & ordines ſacros pretio conferre mos erat; aliaque inſuper flagitia corruptelam in mores Chriſtianos inducere hac ætate ſolebant. Sancti Epiſcopi reprimere licentiam & occurrere venientibus malis, & præteritis mederi voluerunt. Poteſtate ergò ſibi factâ à Rege Chariberto Turonis convenerunt, ut ſanctitas loci & præſentia ſancti Pontificis Synodi decretis reverentiam & auctoritatem daret. In baſilica ſancti Martini celebrata Synodus anno VI. Chariberti Regis, anno Chriſti DLXVI. Canones XXVII. ediderunt maximè contrà mala quæ à nobis modò memorata ſunt. Gravitas canonum majorum Conciliorum pondus adæquare viſa eſt; etſi enim novem tantummodo adfuerunt Epiſcopi, majorem numerum compenſavit tum doctrina decretorum, tum ſacerdotum reverentia. Euphronius Turonenſis, Synodi Præſes, & ſanctus Germanus, aliique Pontifices auctoritatem haud mediocrem addidere; ex novem enim ſex propter ſanctitatem tabulis Eccleſiaſticis aſcripti ſunt. Ad Patres hujuſce Synodi Radegundis ſcripſit, pro ſuo monaſterio, & aſſerendâ regulâ ſancti Cæſarii, ex cujus præceptis regula erat; & retinendâ Agnete Abbatiſſâ, cui Radegundis ſe obnoxiam fecerat. Reſcripſere Patres decretum, & auctoritate ſuâ, quæ ſancta Regina ordinaverat, roboraverunt & confirmaverunt; denunciatâque excommunicatio

Gregorius Turon. lib. 9 cap 42. virginibus, quæ profeſſionem violarent. Hæc breviter de Synodo II. Turonenſi.

III. Anno ſequenti Charibertus Rex Pariſiis è vitâ deceſſit. Gregorius refert ejus obitum ab Euphronio Epiſcopo Turonenſi prænunciatum. Cum multi eum

De gloriâ Confeſſ. cap. 9. hortarentur ut obviam iret, tandem iis acquievit, plauſtris, equis, jumentiſque ad eundum comparatis: continuò plauſtra, & equos redire juſſit, *mirantibuſque ait ſecretius, Princeps, ad quem nos ire compellitis, obiit, nec viventem, ſi abierimus, inveniemus; ſtupefacti audientes diem notant, & ſancti verba taciti ſervant. Advenientibus autem ab urbe Pariſiacâ hominibus, eâ horâ Regem obiiſſe nunciant, quâ Sacerdos plauſtra de itinere juſſerat revocari.* Vixit ſex & quadraginta annos. Gregorius eum redarguit quod invaderet res Eccleſiaſticas; & dictum eſt ſuprà, eum excommunicatum propter inceſtas nuptias. Certè initio ſui regni uxorem Childeberti piiſſimam Reginam, ejuſque filias, quas Chlotarius exulare juſſerat, revocavit.

In tantum patrui ſe prodidit eſſe ſequacem, LIB III. CAP. I.
Vt modo ſit tutor conjugis iſte nepos: Fortunat. lib 16.
Qui Childeberti retinens dulcedine nomen, Carm.
Ejus natarum eſt frater, & ipſe pater.

Prædicat eum præcipuè Fortunatus ob bonitatem animi, ob ſapientiam quæ Regem deceret, Childeberti pietatem eum æmulari, & Chlotarii ingenio pollere commemorat; quin etiam ejus fidem, juſtitiam, aliaſque inſignes virtutes carmine celebrat: quò fit, ut exiſtimem ejus mores magnis vitiis, magniſque fuiſſe permixtos virtutibus.

IV. Poſt mortem Chariberti, fratres ejus ſortem ipſius inter ſe diviſerunt. Tunc Francorum Regno nova provinciarum ſeu regionum acceſſit diviſio in Auſtriam, Neuſtriam, & Burgundiam; cujus deinceps frequens apud auctores uſus. Ea pars, quæ ad Orientem magis pertinet, Auſtria dicta; Neuſtria ſeu Vveſtria, quæ ad Occidentem inclinat: Burgundia verò à parte Galliarum, quam olim Burgundiones occupaverant. Auſtria potitus eſt Rex Sigibertus, caputque regni fuit Mettæ: Neuſtriam habuit Chilpericus, cujus caput Lutetia Pariſiorum; in Burgundia regnavit Guntchramnus, cujus regni varia ſedes, modò Aureliani, modò Cabillonum fuit. Quidquid verò ultra Ligerim, & in Aquitania fuit, tribus Regibus varie diviſum eſt. In eâ verò diviſione Lutetia ad nullius ſortem venit. Cum enim eam urbem ſibi quiſque adquirere optaret, demùm ex pactione conventum eſt, nullius fore, ſed trium, quam tamen nemo ſine aliorum conſenſu ingrederetur; idque ſacramento polliceri, & in pœnam violatæ promiſſionis haud abnuere pati ſe jacturam ſuæ portionis, adverſos ſanctos Polyeuctum, Hilarium & Martinum experiri. Rebus ita compoſitis inter fratres Sigibertum & Chilpericum furere diſcordia cœpit, & alter alterius provincias vaſtitate & incendiis perdere. Tum Rex Guntchramnus ſeu populorum malis, ſeu Pontificum querelis excitatus Conventum Epiſcoporum congregat, ut eorum conſiliis pacem inter fratres conciliaret: neque tamen id ſucceſſit, ut Gregorius memorat. *Cum autem inter Guntchramnum* (dicti admonent legendum Chilpericum) *& Sigibertum contentio verteretur, Guntchramnus Rex apud Pariſios omnes Epiſcopos ſui regni congregat, ut inter utroſque, quod veritas haberet, edicerent. Sed ut bellum civile in majore pernicitate creſceret, eos audire, peccatis facientibus, diſtulerunt.* Adfuerunt XXXII. Epiſcopi, & fide & ſanctitate reverendi; & hoc Concilium IV. Pariſienſe numeratur. Lib. 4. cap. 41.

V. Occaſione illius Synodi, Pappolus Epiſcopus Carnotenſis, oblato libello ſupplici, conqueſtus eſt, quod cum ipſe ex voluntate clericorum, civiumque Carnotenæ civitatis, & ex conſenſu metropolitani ordinatus eſſet Epiſcopus, Promotus ex ipſius civitatis territorio preſbyter egreſſus è cellulâ ſuâ ſine litteris ſui anteceſſoris, Caſtrum-Dunenſe ſub nomine epiſcopatûs & poſſeſſiones aliquot, quæ ſuæ Eccleſiæ erant, invaſerat: rogavit igitur ſuppliciter Synodum, ut huic malo mederi vellet, & emendare preſbyteri conatus, qui & ordinationem, neſcio quibus artibus, per ſurreptionem ab Ægidio Remenſi acceperat, & Sigiberti Regis auctoritate ſe tuebatur, ad quem Caſtrum-Dunenſe pertinebat. Ejuſmodi eſt tenor libelli Synodo oblati à Pappolo Epiſcopo.

Domnis ſemper ſuis, atque Apoſtolica dignitate colendis, omnibus Epiſcopis, qui in ſancta Synodo nunc Pariſius convenerunt, Pappolus Carnotinæ civitatis Epiſcopus, humilis veſter.

ITa nos canonica inſtitutio admonet, ut quotiens aliquæ exortæ fuerint in Eccleſia cauſæ, Synodali hoc conventu debeat publicari. Ideo piiſſimi domni, in veſtræ pietatis notitiâ, hæc quæ contra nos geſta ſunt, per præſentis libelli noſtri tenorem ſtuduimus deferendum. Ergo, cum me ante aliquod temporis clericorum vel civium Carnotinæ civitatis voluntas per conſenſum, cum conniventiâ etiam metropolitani mei

LIB. III. CAP. I. *fieri Epiſcopum elegiſſet, quod annuente Domino factum eſt, poſt aliquot dies quidam ex ipſius civitatis Carnotinæ territorio presbyter nomine Promotus, qui reliquerat ſine litteris anteceſſoris mei cellulam ſuam, inlicita præſumptione parochiam meam, cui vocabulum eſt Duno, quaſi ſub nomine epiſcopatus viſus eſt pervaſiſſe, etiam & facultaticulam Eccleſiæ, cui præeſſe videor, quantum in ipſo pago eſſe conſtat, neſcio per cujus ordinationem, ſimili conditione pervaſit. Pro quâ re ſupplex veſter ſanctitati veſtræ ſuggero, & per Spiritum ſanctum, qui in vobis habitat, & diem judicii futurum, & per remiſſionem peccatorum vobis domnis meis conjuro, ut hoc ita, qualiter vobis fieri non valtis, emendari jubeatis: quatenus nec per callidam præſumptionem quis audeat in poſtmodum per tumorem ſuperbiæ ſimilia perpetrare, & ſimultas Eccleſiæ veſtro ſtudio, & ordinatione jam Chriſto propitio conquieſcat.*

Synodus conſtitutionem ſcripſit Ægidio Epiſcopo Remenſi, qui Promotum in Caſtro-Dunenſi temerè Epiſcopum ordinaverat, conqueriturque Synodus, quod Promotum ordinaverit, qui nihil ad territorium aut provinciam Remenſem pertinet, contra canones & decreta Patrum, admonetque ut eum ad ſe evocet, & ſecum retineat, minaturque Promoto perpetuum anathema & excommunicationem, ſi ſub ſubrepti honoris ſpecie reſidere ulterius audeat, ſi altaria benedicere, ſi confirmare infantes, vel facere ordinationes, aut Pappolo Epiſcopo reſiſtere; arcet quoque à communione Eccleſiæ quemlibet qui ejus benedictionem aut expetierit, aut accipere contentus fuerit. Germanus Pariſienſis Epiſcopus ex mandato Conſtituti metropolitani Senonenſis eum ad Synodum invitaverat: ſed cum nihilominus venire contemneret, Patres conſtitutionem ediderunt. Conſtitutio his verbis continetur.

Conſtitutio Synodi ad Ægidium Epiſcopum Remenſem, qui Promotum in Dunenſi-caſtro Epiſcopum temerè conſecrarat.

Domino ſuo atque beatiſſimo, & meritis Apoſtolico fratri Ægidio Epiſcopo, Philippus, Sapaudus, Priſcus, Conſtitutus, Laban, Felix, Clementinus, Syagrius, Optatus, Gallomagnus, Salonius, Quinidius, Item Salonius, Sagittarius, Promotus, Geneſius, Polemius, Aunacharius, Heſychius, Palladius, Sylveſter, Victor, Pappolus, Claudianus, Heraclius, Tetradius, Licerius, Leudobaudis, & Deſiderius, Epiſcopi, necnon Launoveus presbyter.

Dum pro cauſis publicis, privatorumque querelis Pariſius moraremur, vir Apoſtolicus frater noſter Domnus Pappolus Epiſcopus mediocritati noſtræ detulit in querelam, in Caſtro-Dunenſi, parochia denique Carnotina, quod caſtrum nec ad territorium civitatis veſtræ, nec ad veſtram provinciam manifeſtum eſt pertinere, à vobis contra omnem rationem & contra canonicam diſciplinam Epiſcopum conſecratum. Et licet ſecundum priſca beatiſſimorum Patrum decreta potuit hujuſmodi exceſſus in veſtrâ injuriâ acerbius coerceri: ſed nos caritatis jura ſervantes, beatitudini veſtræ indicamus, ut presbyterum ipſum, nomine Promotum, qui omiſſa ſeveritate canonica à vobis dicitur tam temerè conſecratus, ut juſtè debeat de gradus ipſius dignitate deponi, ſicut canonum conſtituta ſanxerunt, ad vos evocetis, vel vobiſcum retineatis, ut injuriam nec Eccleſiæ, nec ſacerdoti ſuo ulteriùs debeat irrogare. Et quia à fratre veſtro domno Germano Epiſcopo, ad petitionem domni Conſtituti metropolitani, ut ad Synodum venire deberet, eſt præſentaneâ invitatione commonitus, quod quoque domnum Conſtitutum, & domnum Germanum conſtat in Synodum retuliſſe, & ad Synodum venire diſtulit. Idcirco noverit beatitudo veſtra hoc apud univerſum præſenti tempore Concilium conſtitutum, ut ſi memoratus presbyter, aut propriâ contumaciâ, aut cujuſcumque poteſtatis aſſentatione in prædictâ Dunenſi eccleſia præſumpſerit ſub hujus ſubrepti honoris argumentatione ulteriùs reſidere, vel res Eccleſiæ ipſius ampliùs uſurpare, aut altaria benedicere, infantes confirmare, vel ordinationes per quaſcumque parochias facere, aut Epiſcopo ſuo fratri veſtro domno Pappolo reſiſtere pravâ intentione præſumpſerit, ab omni cœtu Epiſcoporum, vel à communionis conſortio, perpetuo anathemate feriatur,

Digitized by Google

feriatur, & frater noſter domnus Pappolus Epiſcopus vel Eccleſia Carnotina, parochias, quas huc uſque habuit ſub ſuâ ordinatione, debeat auxiliante domino, gubernare. Statuentes etiam ut quicumque de populo illo benedictionem memorati Promoti presbyteri, poſt hoc edictum manifeſtatum vel publicatum, aut expetierit, aut accipere contentus fuerit, à communionis conſortio, vel ab eccleſiæ liminibus arceatur. Data conſtitutio die III. Iduum Septembrium anno XII. Regum dominorum noſtrorum, indictione VI. Pariſius. LIB III. CAP. I.

Et quoniam credebatur Sigibertus Rex cauſam Promoti defendere, ad eum graviſſimam epiſtolam ſcripſerunt, & verbis honorificis quidem, ſed ſuæ dignitati ſuiſque honoribus conſentaneam, ne ejuſmodi factis defenſionem præbeat; hæc epiſtola his verbis continetur.

Epiſtola Synodi ejuſdem ad Sigibertum Regem, ut Promoti cauſam non defendat.

Domino glorioſiſſimo, atque ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ filio, Sigiberto Regi, Sapaudus, Philippus, Priſcus, Conſtitutus, Laban, Felix, Item Felix, Germanus, Lucretius, Clementinus, Syagrius, Gallomagnus, Optatus, Salonius, item Salonius, Quinidius, Promotus, Silveſter, Geneſius, Polemius, Palladius, Victor, Sagittarius, Aunacharius, Heſychius, Claudianus, Deſiderius, Heraclius, Tetradius, Pappolus, Liecrius, & Leudobaudis Epiſcopi.

Quantùm ineffabili gaudio Synodali Concilio nunciatur, quando quidem à Catholico Principe res nova pro dilectione Chriſti concipitur, tantùm lamentabile execrandumque cenſetur, cum in Eccleſia ſancta contra Deum & contra canonum diſciplinam diſſenſio generatur. Nuper etenim non abſque conniventia gloriæ veſtræ, ſicut credimus, evocati Pariſius venientes, novam inauditamque ordinationem in Caſtro-Dunenſi, parochia denique Carnotina, factam fuiſſe cognovimus. Quam rem licet vix credere poſſumus cum conſenſu gloriæ veſtræ fieri potuiſſe; tamen ſi cujuſcumque pravâ ſuggeſtione præventi in hac tam obſcœna & Eccleſiæ univerſæ contraria conſenſiſtis, ab hujuſmodi ſcandali defenſione, ſinceritatis veſtræ conſcientiam expietis; quia ſatius eſt ut ille, qui ambitionis inſtinctu rem tam nefariam doloſâ ambitione competiit, per ſatisfactionem pœnitentiæ reatum ſuum ablucre compellatur, quàm veſtra puritas (quod avertat divinitas) hujus facinoris contagione maculetur. Et quia nobis neceſſe fuit, ut juxta canonum conſtituta perſonæ temerariæ deberet præſumptio coerceri; ideo ſalutis obſequium digno in Chriſto officioſitatis & reverentiæ cultu præbentes, poſcimus, ut vos, quos Deus & culmine præcipuos, & ſinceritate præclaros eſſe præcepit, non quocumque aut quorumcumque temerario conſilio ad defenſanda hujuſmodi ſcandala miſceatis: quia Deum ſufficit noſſe, nos nequaquam penitùs velle contra vos divinam iracundiam promoveri. Annis multis gloriam regni veſtri potentia divina cum omni felicitate conſervet, Domne glorioſiſſime, & præcellentiſſime Domne.

Et ſi à XXXII. Epiſcopis adversùs Promotum hæc conſtituta ſunt, & à Patribus admonitus eſt Sigibertus ne cauſam illius ſuſciperet, non tamen ejus patrocinium deſerere viſus eſt, namque ille etiam contra judicium Pontificum Epiſcopus permanſit, quamdiù Sigiberto vivere contigit. Verùm poſt ejus obitum, cum à Guntchramno Rege opem peteret, ut ejus auctoritate fretus poſſet in contumaciâ permanere, nihil obtinere potuit, Pappolo præſertim probante Caſtrodunum eſſe diœceſis Carnotenſis & oſtendente cauſam judicio Patrum eſſe definitam, permiſſum tamen eſt illi Caſtroduni commorari, & officium presbyteratus obire. *Greg lib 7. cap. 17.*

VI. Neque Patres conciliare animos Regum potuerunt, bellis enim, ſicut anteà, inteſtinis provinciæ exarſerunt. Rex Sigibertus cum militibus tranſrhenanis contra Chilpericum venit, cumque is verſus Carnutum ſe cum exercitu recepiſſet, Sigibertus inito cum Guntchramno fœdere Sequanam cum exercitu trajecit, Chilpericumque Regem compulit potiùs pacem, redditis provinciis quæ Theodeberti fuerant, componere, quam aleam ſubire pugnæ ancipitis; cum præſertim Sigibertus & numero militum & audaciâ prævaleret.

Tunc accidit id quod narrat Gregorius. *Vicos quoque*, inquit, *qui circa Pariſios erant, maximè tunc flamma combuſſit, & tam domus, quam res reliquæ ab hoſte direptæ ſunt, ut etiam & captivi ducerentur. Obteſtabatur enim Rex ne hæc fierent, ſed furorem gentium, quæ de ulteriore amnis parte venerant, ſuperare non poterat, ſed omnia patienter ferebat donec redire poſſet ad patriam.* Sed neque prætereunda

Cap. 72. ſunt, quæ idem auctor de gloriâ martyrum commemorat, quæque ad hæc pertinent tempora. *Dionyſius verò Pariſiorum Epiſcopus urbi datus eſt martyr: tempore verò, quo Sigibertus Rex cum exercitu ad urbem illam venit, & maximam vicorum ejus partem incendio concremavit, quidam de primoribus ejus, ad baſilicam antedicti martyris properat, non orationis devotione, ſed tantùm ut aliquid fraudaret ab æde. Scilicet ubi reſerata oſtia ac vacuum templum à cuſtodibus reperiſſet, pallam holoſericam auroque exornatam ex gemmis, quæ ſanctum tegebat ſepulcrum, temerario auſu diripuit, ſecumque ſuſtulit. Veniens autem ad caſtra, fuit ei neceſſitas navigandi. Cumque puer ejus, quem tunc creditum habebat, ſuſpenſis ad collum ducentis aureis navem cum eodem aſcendiſſet, ſubitò à nullo tactus de navi decidit, oppreſſuſque aquis numquam potuit inveniri. Ille quoque judicium Dei in ſe cernens per pueri amiſſionem & auri, velociter littori, de quo digreſſus fuerat, remeavit, pallamque ſepulcri ſummâ velocitate reſtituit; & licet hoc fecerit, tamen diem, in quo hæc admiſerat, recurrente anni circulo non attigit. Alius autem ſuper ſepulcrum ſanctum calcare non metuens, dum columbam auream lanceâ quærit elidere, elapſis pedibus ab utrâque parte, quia turritus erat tumulus, compreſſis teſticulis, lanceâ in latere defixâ, exanimis eſt inventus. Id non fortuitò contigiſſe, ſed judicio Dei geſtum nullus ambigat.*

CAPUT II.

De morte Sigiberti Regis. De Ragnemodo ſucceſſore S. Germani. De Synodo Pariſienſi V. adverſus Prætextatum Rotomagenſium Epiſcopum. De canonibus Eccleſiæ Gallicanæ, & de muliere, cujus fama dubia erat.

I. PAx, quæ anno ſuperiore inter Chilpericum Sigibertumque acta fuerat, non diu ſtetit, immò diſcordiis ex conventione creſcentibus, brevi bellum renovatum eſt, auctore Chilperico, cui conditiones pacis haud gratæ; ille igitur Remos occupavit. Sigibertus icto iterum cum Guntchramno fœdere, Pariſios advolat, collecto ex tranſrhenanis militibus exercitu, Godogiſilum & Guntchramnum Boſonem viros ſtrenuos miſit adversùs Theodobertum Chilperici filium, qui in agris Turonicis bellum cum paternis copiis gerebat. Chilpericus impar tot hoſtibus conſulere ſibi fugâ quàm armis maluit, Rotomagumque primùm cum uxore & liberis, deinde Tornacum ſe recepit, ut in hac urbe ſe tanquam in arce tueretur. Tum facilè fuit Sigiberto occupare urbes, quas Chilpericus reliquerat, Pariſienſi agro finitimas, ipſumque Rotomagum. His itâ geſtis Sigibertus Pariſios venit, quò & uxor ejus Brunichildis cum liberis acceſſit. Id temporis Franci, qui Childeberto Seniori paruerant, ad eum legatos mittunt, & ejus imperio ultrò ſe permittunt. Sigibertus intereà fraternis æſtuans odiis exercitum adversùs Chilpericum miſit, jubetque opidum, quo fugerat, obſidione cingi, ipſe brevi cum novis copiis ſequuturus; cui ſanctus Germanus Epiſcopus Pariſienſis proficiſcenti hoc vaticinium prænuncia-

Digitized by Google

vit. *Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, vivus & victor redibis; ſin autem aliud cogitaveris, morieris: ſic enim Dominus per Salomonem dixit, foveam, quam fratri tuo parabis, in eam corrues.* Eventus ſanctiſſimi Pontificis dictum comprobavit. Venerat Sigibertus Victoriacum cum valido exercitu; populi lætis acclamationibus eum exceperant, elevatumque in Regem conſtituerant, cùm ecce duo Sicarii à Fredegunde Regina ſubornati, aliud diſſimulantes, quàm quod præ ſe ferebant, ad eum accedunt, & cultris veneno infectis, eum per latera confodiunt; quibus vulneribus ſtatim corruit exanimis. Ità Sigibertus Rex inter victorias & triumphos nefariè confoſſus eſt; primùm in vico, cui nomen, Lambri, poſitus eſt, tum elatus Sueſſionas, & in baſilica ſancti Medardi, quam ædificaverat, juxtà patrem ſuum Chlotarium ſepultus eſt. Id ex mandatis Chilperici Regis, qui auditâ cæde fratris, Tornaco, ubi incluſus tenebatur, diſceſſerat. Interemptus eſt Sigibertus anno ſui Regni XIV. & anno Chriſti DLXXV.

LIB. III. CAP. II.

Greg. lib. 4. cap. 28.

II. Occiſo, ut memoratum eſt, Sigiberto, Brunechildis uxor ejus, quæ Pariſiis remanſerat, ſaucia dolore, & anxia quid ageret diù permanſit. Gundobaldus Dux nihil cunctatus, Childebertum ejus filium clanculum comprehendit, furtim cum eo aufugit, tum ut eum è manibus patrui eriperet, cum ut illi paternum aſſereret regnum. Collectis itaque populis, qui Sigiberti imperio parebant, Rex ſollemniter renunciatus eſt ipſo die Natali Domini, cum vix puer quinquennis eſſet. Chilpericus intereà Lutetiam venit, Brunichildemque, theſauris ejus ablatis, Rotomagum in exilium mittit.

III. Dum hæc gererentur, ſanctus Germanus Pariſienſis Epiſcopus diem obiit v. Calend. Junias anno DLXXVI. ut anteà memoratum eſt. Ragnemodus in ejus locum ſuffectus eſt; is olim diaconus Eccleſiæ Pariſienſis, cum Turonos cum S. Germano veniſſet, & dyſenteriâ graviſſimè laboraret, in baſilicâ ſancti Martini ſanitatem recepit, quod Gregorius lib. de miraculis his verbis deſcribit. *Quodam autem tempore cum beatus Germanus Pariſiacæ urbis Pontifex ad feſtivitatem Antiſtitis glorioſi accederet, Ragnemodus tunc diaconus, nunc Epiſcopus in ſervitium ejus acceſſit, graviter à dyſenteria laborans. Sed beatus Germanus ad urbem Eccleſiæ ſuæ, quæ in hoc territorio ſita eſt, venit. Igitur cum ante noctem vigiliæ ſollemnitatis ejus Turonum advenire cœpiſſet, diaconum in urbe reſidere jubet, dicens, ne fortè fatigeris eundo, & aliquid tibi deterius contingat. At ille, poteſtas, inquit, Dei eſt, quæ nos jubeat juxtà meritum pati: nam ego non exeo aliter, niſi ad baſilicam Antiſtitis eam; confido enim, quod ſi ejus tumulum adiero, ſalvus ero: & ſtatim conſcenſo equo ad baſilicam venit. Manè autem acceptâ potione de pulvere ſepulcri, ſedatâ protinùs infirmitate convaluit.*

IV. Poſteà Ragnemodus à ſancto Germano preſbyter ordinatus; tum ille ad ſepulcrum ſancti Marcelli, cum febre quartanâ laboraret, ſanitatem recuperavit, ut memorat Gregorius lib. de gloriâ Confeſſorum cap. 89. *Ad cujus*, ſancti Marcelli ſcilicet, *tumulum cum Ragnemodus presbyter, qui nunc hujus municipii habetur ſacerdos, quartano typo veniens decubuiſſet, totâque die jejunio & orationi vacaſſet, facto jam veſpere, obdormivit; expergefactus verò paululùm à ſomno incolumis ſurrexit à tumulo.* Demum ordinatus eſt Epiſcopus ejuſdem Eccleſiæ; paulo poſt religionis ergò Turonos profectus eſt, ut Deo vota faceret. Quid autem illi in eccleſia S. Martini acciderit, breviter memorabo; quod, ut magis perſpicuum ſit, quædam mihi altiùs repetenda ſunt, quæ fusè Gregorius narrat.

V. Chilpericus poſt cædem fratris, filium Meroveum cum exercitu Pictavos mittit; ille verò injuſſus Turonos venit, celebratoque in hac urbe Paſchate Rotomagum profectus eſt, ardenſque amore Brunichildis, inceſtas cum patrui uxore nuptias contraxit. Hoc audito Chilpericus ſine morâ Rotomagum advolat, filium promiſſis allectum ex eccleſia S. Martini, quæ ad muros civitatis erat, eductum, Sueſſionas ſecum reducit. Paulò poſt idem Meroveus impatiens paterni imperii, collecto tumultuarie ex Campania exercitu, Sueſſionas ingreditur, fugatâque Fredegunde novercâ cum Chlodoveo filio, potiri urbe

LIB III. CAP. II. cogitat. Quod audiens Chilpericus exercitum adverſus rebelles mittit, cumque in contumaciâ perſiſterent, eos prælio vicit: captus eſt Meroveus, qui iterùm in manus incidit Chilperici, ille cuſtodiri juſſus eſt, donec aliter de eo pater ſtatueret. Chilpericus, ut ſpem regni & rebellionis occaſionem adimeret, per tonſuram Meroveum clericum fieri, tum mutatâ clericorum veſte, ordinari presbyterum juſſit, utque Eccleſiaſtica diſciplina inſtitueretur, ad Aniſolenſe monaſterium, quod tunc in Cenomanico agro celebre erat, miſſus eſt. Tunc temporis erat in baſilicâ S. Martini Guntchramnus Boſo, vir rei bellicæ peritus, qui olim Theodebertum filium Chilperici cum copiis Sigiberti acie vicerat & occiderat: is auditâ morte Sigiberti, metuens iram Chilperici ad baſilicam ſancti Martini tanquam ad aſylum confugerat, ut ſe ſanctitate loci tueretur. Audiens ille Meroveum in monaſterio Aniſolenſi degere, ad eum litteras mittit, conſulitque ut ad baſilicam ſancti Martini confugiat, quo ſe à patris inſidiis tuetur. Ille nihil moratus veſtem laicam induit, ad beati Martini baſilicam venit, eamque ingreſſus eſt, cum ſacra celebraret Gregorius hujus civitatis Epiſcopus: miſſis celebratis, petiit eulogias Meroveus.

Lib. 5. cap. 14. *Erat autem*, inquit Gregorius, *nobiſcum Ragnemodus Pariſiacæ ſedis Epiſcopus, qui ſancto Germano ſucceſſerat. Quod cum refutaremus, ipſe clamare cœpit & dicere, quod non rectè eum à communione ſine fratrum conniventia ſuſpenderemus. Illo autem hæc dicente cum conſenſu fratris, qui præſens erat, conteſtata cauſa canonica, eulogias à nobis accepit. Veritus autem ſum, ne, dum unum à communione ſuſpendebam, in multos exiſterem homicida. Minabatur enim aliquos de populo noſtro interficere, ſi communionem noſtram non meruiſſet.*

VI. Fredegundis intereà offenſa Prætextato Epiſcopo, ob Brunechildem & Meroveum continuò Chilpericum ad vindictam excitabat. Ejus verbis ſtimulatus Rex, hunc collecto Pariſiis ſacerdotum conventu condemnare parat. Eam rem Gregorius teſtis oculatus ipſe deſcribit, neque aliis, quàm ejus verbis referendam puto.

Lib. 5. cap. 19. *Audiens*, inquit, *Chilpericus, quod Prætextatus Rotomagenſis Epiſcopus contra utilitatem ſuam populis munera daret, eum ad ſe arceſſiri præcepit. Quo diſcuſſo, reperit cum eodem res Brunichildis Reginæ commendatas: ipſiſque ablatis, eum in exilio uſque ad ſacerdotalem audientiam retineri præcepit. Conjuncto autem Concilio exhibitus eſt. Erant autem Epiſcopi, qui advenerant, apud Pariſius in baſilicâ ſancti Petri Apoſtoli. Cui Rex ait, quid tibi viſum eſt, ô Epiſcope, ut inimicum meum Meroveum, qui filius eſſe debuerat, cum amitâ ſuâ, id eſt patrui ſui uxore, conjungeres? An ignarus eras, quæ pro hac cauſa canonum ſtatuta ſanxiſſent? Etiam non hic ſolùm exceſſiſſe probaris, ſed etiam cum illo egiſti, datis muneribus, ut ego interficerer. Hoſtem autem filium patri feciſti, ſeduxiſti pecuniâ plebem, ut nullus mecum fidem habitam cuſtodiret, voluiſtique regnum meum in manu alterius tradere. Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque oſtia baſilicæ rumpere, quaſi ut extractum Sacerdotem lapidibus urgeret: ſed Rex prohibuit fieri. Cumque Prætextatus Epiſcopus ea, quæ Rex dixerat, facta negaret, advenerunt falſi teſtes, qui oſtendebant ſpecies aliquas, dicentes: hæc & hæc nobis dediſti, ut Meroveo fidem promittere deberemus. Ad hæc ille dicebat: verum enim dicitis vos à me ſæpiùs muneratos; ſed non hæc cauſa extitit, ut Rex ejiceretur à regno. Nam & cum vos mihi & equos optimos & res alias præberetis, nunquid poteram aliud facere, niſi & ego vos ſimili ſorte remunerarem? Recedente verò Rege ad metatum ſuum, nos collecti in unum ſedebamus in ſecretario baſilicæ beati Petri. Confabulantibuſque nobis, ſubitò advenit Aëtius archidiaconus Pariſiacæ eccleſiæ, ſalutatiſque nobis, ait: audite me, ô Sacerdotes Domini, qui in unum collecti eſtis. Aut enim hoc tempore exaltabitis nomen veſtrum & bonæ famæ gratiâ refulgebitis: aut certè nullus vos amodo pro Dei Sacerdotibus eſt habiturus, ſi perſonas veſtras ſagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis. Hæc eo dicente, nullus Sacerdotum ei quicquam reſpondit: timebant enim Reginæ furorem, cujus inſtinctu hæc agebantur. Quibus intentis, & ora digito comprimentibus, ego aio: adtenti eſtote quæſo ſermonibus meis, ô ſanctiſſimi Sacerdotes Dei, & præſertim vos, qui familiariores eſſe Regi videmini; adhibete ei conſilium ſanctum atque ſacerdotale, ne exardeſcens in miniſtrum Dei, pereat ab ira ejus, &*

regnum perdat & gloriam. Hæc me dicente ſilebant omnes. Illis verò ſilentibus adjeci: mementote Domini mei Sacerdotes verbi prophetici, quod ait: ſi viderit ſpeculator iniquitatem hominis, & non dixerit, reus erit animæ pereuntis. Ergo nolite ſilere, ſed prædicate & ponite ante oculos Regis peccata ejus, ne forte ei aliquid mali contingat, & vos rei ſitis pro anima ejus. An ignoratis quid novo geſtum fuerit tempore? quomodo adprehenſum Sigiſmundum Chlodomeris retruſit in carcerem; dixitque ei Avitus Dei ſacerdos: ne injicias manum in eum, & cum Burgundiam petieris, victoriam obtinebis. Ille verò abnuens quæ ei à ſacerdote dicta fuerant, abiit, ipſumque cum uxore & filiis interemit, petitque Burgundiam; ibique oppreſſus & ab exercitu interemptus eſt. Quid Maximus Imperator? Nonne cum beatum Martinum compuliſſet communicare cuidam homicidæ Epiſcopo, & ille, quo faciliùs morti addictos liberaret, Regi impio conſenſiſſet, proſequente Regis æterni judicio, ab imperio depulſus Maximus, morte peſſimâ condemnatus eſt? Hæc me dicente non reſpondit ullus quicquam: ſed erant omnes intenti & ſtupentes. Duo tamen adulatores ex ipſis (quod de Epiſcopis dici dolendum eſt) nunciaverunt Regi dicentes, quia nullum majorem inimicum in ſuis cauſis quàm me haberet. Illicò unus ex aulicis curſu rapido ad me repræſentandum dirigitur. Cumque veniſſem, ſtabat Rex juxtà tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram ejus Bertchramnus Epiſcopus, ad lævam verò Ragnemodus ſtabat: & erat ante eos ſcamnum pane deſuper plenum, cum diverſis ferculis. Viſoque me, Rex ait: ò Epiſcope, juſtitiam cunctis largiri debes, & ecce ego juſtitiam à te non accipio: ſed, ut video, conſentis iniquitati, & impletur in te proverbium illud, quod corvus oculum corvi non eruet. Ad hæc ego: ſi quis de nobis, ò Rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt: ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam? Ad hæc ille, ut erat ab adulatoribus contrà me accenſus, ait: cum omnibus enim inveni juſtitiam, & tecum invenire non poſſum: ſed ſcio quid faciam, ut noteris in populis & injuſtum te eſſe omnibus perpateſcat. Convocabo enim populum Turonicum & dicam eis: vociferamini contrà Gregorium, quod ſit injuſtus, & nulli hominum juſtitiam præſtet. Illis quoque hæc clamantibus reſpondebo. Ego, qui Rex ſum, juſtitiam cum eodem invenire non poſſum: & vos, qui minores eſtis, invenietis? Ad hæc ego: quòd ſim injuſtus, tu neſcis; ſcit enim ille conſcientiam meam, cui occulta cordis ſunt manifeſta. Quod verò falſo clamore populus te inſultante vociferatur, nihil eſt, quia ſciunt omnes à te hæc emiſſa. Ideoque non ego, ſed potiùs tu in adclamatione notaberis. Sed quid plura? habes legem & canones: hæc te diligenter rimari oportet, & tunc quæ præceperint, ſi non obſervaveris, noveris tibi Dei judicium imminere. At ille, quaſi me demulcens (quod doloſè faciens putabat me non intelligere) converſus ad juſcellum, quod coram eo erat poſitum, ait: propter te hæc juſcella paravi, in quibus nihil aliud præter volatilia, & parumper ciceris continetur. Ad hæc ego, cognoſcens adulationes ejus, dixi: noſter cibus eſſe debet facere voluntatem Dei, & non his deliciis delectari? ut ea, quæ præcepit, nullo caſu prætermittamus. Tu verò, qui aliòs de juſtitiâ culpas, pollicere priùs quod legem & canones non omittas, & tunc credimus quod juſtitiam proſequaris. Ille verò, porrectâ dextrâ, juravit per omnipotentem Deum, quod ea, quæ lex & canones edocebant, nullo præteriret pacto. Poſt hæc accepto pane, hauſto etiam vino diſceſſi. Eâ verò nocte decantatis nocturnalibus hymnis, oſtium manſionis noſtræ gravibus audio cogi verberibus, miſſoque puero, nuncios Fredegundis Reginæ adſtare cognoſco. Quibus introductis ſalutationem Reginæ ſuſcipio. Deinde precantur pueri, ut in ejus cauſis contrarius non exiſtam: ſimulque ducentas argenti promittunt libras, ſi Prætextatus, me impugnante, opprimeretur. Dicebant enim: jam omnium Epiſcoporum promiſſionem habemus, tantùm tu adverſùs non incedas. Quibus ego: ſi mihi mille libras auri argentique donetis, numquid aliud facere poſſum, niſi quod Dominus agi præcipit? unum tantùm polliceor, quod ea, quæ ceteri ſecundum canonum ſtatuta conſenſerint, ſequar. At illi non intelligentes quæ dicebant, gratias agentes diſceſſerunt. Mane autem facto aliqui de Epiſcopis ad me venerunt, ſimile mandatum ferentes, quibus ego ſimilia reſpondi. Convenientibus autem nobis in baſilica ſancti Petri, manè Rex adfuit, dixitque: Epiſcopus enim in furtis deprehenſus, ab epiſcopali officio ut avellatur, canonum auctoritas ſan-

LIB. III. CAP. II. Ezech. 33.

LIB. III. CAP. II.

xit. Nobis quoque reſpondentibus, quis ille ſacerdos eſſet, cui furti crimen inrogaretur: reſpondit Rex: vidiſtis enim ſpecies, quas nobis furto abſtulit. Oſtenderat enim nobis ante diem tertiam Rex duo volucra, ſpeciebus & diverſis ornamentis referta, quæ adpretiabantur ampliùs quàm tria millia ſolidorum, ſed & ſacculum cum numiſmatis auri pondere tenentem quaſi millia duo; hæc enim dicebat Rex ſibi ab Epiſcopo fuiſſe furata. Qui reſpondit; recolere vos credo diſcedente à Rotomagenſi urbe Brunichilde Regina, quod venerim ad vos, dixique vobis, quia res ejus, id eſt, quinque ſarcinas commendatas haberem, & frequentiùs advenire pueros ejus ad me, ut ea redderem, & nolui ſine conſilio veſtro. Tu autem dixiſti mihi, ô Rex, ejice hæc à te, & revertántur ad mulierem res ſuæ, ne inimicitia inter me & Childebertum nepotem meum pro his rebus debeat pullulare. Reverſus ergo ad urbem, unum volucrum tradidi pueris, non enim valebant amplius ferre. Reverſi iterùm requirebant alia. Iterùm conſiliatus ſum * magnificentiam veſtram. Tu autem præcepiſti dicens: ejice, ejice hæc à tē, ô ſacerdos, ne faciat ſcandalum hæc cauſa. Iterùm tradidi eis duo ex his: duo autem alia remanſerunt mecum. Tu autem, quid nunc calumniaris, & me furti arguis, cùm hæc cauſa non ad furtum ſed ad cuſtodiam debeat deputari? Ad hæc Rex: ſi hoc depoſitum penes te habebatur ad cuſtodiendum, cur ſolviſti unum ex his, & limbum aureis contextum filis in partes diſſecaſti, & dediſti per viros, qui me à regno dejicerent? Prætextatus Epiſcopus reſpondit, jam dixi tibi ſuperiùs, quia munera eorum acceperam, ideoque, cum non haberem de præſenti quod darem, hinc præſumpſi & eis viciſſitudinem munerum tribui: proprium mihi eſſe videbatur, quod filio meo Meroveo erat, quem de lavacro regenerationis excepi. Videns autem Rex Chilpericus, quod cum his calumniis ſuperare nequiret, adtonitus valdè ac conſcientia confuſus diſceſſit à nobis: vocavitque quoſdam de adulatoribus ſuis, & ait; victum me verbis Epiſcopi fateor, & vera eſſe, quæ dicit, ſcio: quid nunc faciam, ut Reginæ de eo voluntas adimpleatur? Et ait, ite, & accedentes ad eum, dicite, quaſi conſilium ex vobiſmetipſis dantes: noſti quod ſit Rex Chilpericus pius atque compunctus, & citò flectatur ad miſericordiam: humiliare ſub eo, & dicito, ab eo objecta à te perpetrata fuiſſe: tunc nos proſtrati omnes coram pedibus ejus, dari tibi veniam impetramus. His ſeductus Prætextatus Epiſcopus, pollicitus eſt ſe ità facturum. Mane autem facto convenimus ad conſuetum locum, adveniensque & Rex, ait ad Epiſcopum: ſi munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur ſacramenta poſtulaſti, ut fidem Meroveo ſervarent? Reſpondit Epiſcopus, petii, fateor, amicitias eorum haberi cum eo: & non ſolùm hominem, ſed ſi fas fuiſſet, angelum de cælo evocaſſem, qui eſſet adjutor ei: filius enim mihi erat, ut ſæpè dixi, ſpiritalis in lavacro. Cumque hæc altercatio altiùs tolleretur, Prætextatus Epiſcopus proſtratus ſolo, ait: peccavi in cælum & coram te, ô Rex miſericordiſſime: ego ſum homicida nefandus; ego te interficere volui, & filium tuum in ſolio tuo erigere. Hæc eo dicente proſternitur Rex coram pedibus Sacerdotum dicens; audite, ô piiſſimi Sacerdotes, reum crimen execrabile confitentem. Cumque nos flentes Regem elevaſſemus à ſolo, juſſit eum à baſilica egredi: ipſe verò ad metatum diſceſſit, tranſmittens librum canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens canones quaſi Apoſtolicos, continentes hæc. Epiſcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehenſus, à ſacerdotio divellatur. His ita lectis, cum Prætextatus ſtaret, ſtupens Bertchramnus Epiſcopus ait; Audi, ô frater & coepiſcope, quia Regis gratiam non habes, ideoque nec noſtrâ caritate uti poteris, priuſquam Regis indulgentiam merearis. His ita geſtis, petiit Rex, ut aut tunica ejus ſcinderetur, aut centeſimus octavus pſalmus, qui maledictiones Iſchariotica continet, ſuper caput ejus recitaretur, aut certè judicium contra eum ſcriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego reſtiti, juxta promiſſum Regis, ut nihil extra canones gereretur. Tunc Prætextatus Epiſcopus a noſtris oculis raptus, in cuſtodiam poſitus eſt. De qua cùm fugeret nocte, graviſſimè cæſus, in inſulam maris, quod adjacet civitati Conſtantinæ, in exilium eſt detruſus.

* al. conſului.

VII. Multi longas diſputationes ſcripſerunt de his verbis. *Ipſe verò ad metatum diſceſſit, tranſmittens librum canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens canones, quaſi Apoſtolicos continentes hæc. Epiſcopus in homicidio, adulterio & perjurio deprehenſus, à ſacerdotio divellatur.* Diſputant inter ſe, quis fuerit ille

liber canonum, an Eccleſiæ Gallicanæ Pontifices uterentur codice proprio, LIB III. an diverſo à codice canonum Romanæ Eccleſiæ; an tunc temporis cùm cauſa CAP. II. Prætextati pertractata eſt, iſte liber, qui à Rege ad Epiſcopos miſſus eſt, fuerit codex Dionyſianus, qui jam cœperat eſſe in uſu Eccleſiæ Romanæ; an alius aliquis. Longâ diſſertatione has quæſtiones deducere nolim, breviter rem expediam. Certum eſt Gallicanis Epiſcopis nota fuiſſe antiquiora Concilia, & Græcorum canones ipſis aliquando uſitatos fuiſſe. Et ne probationes & argumenta longè repetam, & ante fundatum in Galliis Regnum Francorum, Aurelianenſis Synodus I. ſæpè hæc verba repetit; antiquos canones, & priora ſtatuta renovanda, ut legere licet in canonibus XIV. & XVII. ſed inprimis XXIX. *De familiaritate extranearum mulierum, tam Epiſcopi, quàm presbyteri vel diaconi præteritorum canonum ſtatuta cuſtodiant.* Ea verba ſimiliter & in Synodo Aurelianenſi II. ſtatim in aditu Patres profitentur ſe conſcribere quæ obſervanda ſint ex veterum canonum auctoritate, & pariter Patres Synodi Aurelianenſis III. ſe vetera ſtatuta renovare: ne longus ſim, ità aliæ Synodi in eadem urbe habitæ aſſerunt, juxta veterem conſuetudinem, & veteres titulos, ſanctiones edere: quod & anteriora Gallicana Concilia ſignificant. Qui autem fuerint illi priſci canones, quæ vetera ſtatuta, hic paucis mihi inquirendum eſt. Nicænos canones noſtratibus cognitos fuiſſe, vel ex hoc perſpicuum eſt, quod noſtri Pontifices adversùs Arrianos pro ὁμοούσιυ vocabulo egregiè decertarunt. De eo negotio actæ in Galliis Synodi, Arelate, Biterris, & Pariſiis, aliiſque in locis. Neque fieri poteſt, quin Gallicani Epiſcopi, quorum tanta in hac pugnâ pars fuit, etiam rerum, pro quibus certatum eſt, notitiam habuerint, & qui pro aſſerenda fide Nicæna tot labores ſuſtulerint, etiam diſciplinam hoc Concilio conſtitutam cognitam habuerint. Sanè ex epiſtola Synodi Pariſienſis I. conſtat eos in rebus artibuſque Arrianorum verſatiſſimos fuiſſe: ex S. Hilarii libro de Synodis, aliiſque ſcriptis palam eſt ipſis cognita quæcumque in Oriente geſta ſunt pro fide Nicæna, & ſi ea fermè ſcriptis comprehendit quæ ad fidem pertinent. Illa verò longè antea acciderunt, quàm Ruffinus preſbyter hiſtoriam Euſebii, canoneſque Nicænos latinè fecerit. Poſtea cum nationes Galliam invaſerunt, Epiſcopi ſtabilitis Francorum, Vviſigothorum, & Burgundionum regnis, animum appulerunt ad reſarcienda diſciplinæ vulnera, quæ bella intulerant; tum illis promptum fuit vetera Patrum ſtatuta recudere, & nova pro temporum neceſſitate inſtituere. Ita illi ſæpè Canones Nicænos rememorare cœperunt, Orientalium aliquando Synodorum decreta repetere, & poſtmodum ipſa Concilia Africana; quin & ipſas ſummorum Pontificum litteras producere, quarum auctoritate, ſua ipſi decreta firmarent. Hoc verò ex Gallicanis Conciliis notiſſimum eſt. Canones Nicæni in Synodo Arelatenſi II. ſæpiùs citati reperiuntur, & quidam ex Ruffinianâ verſione, ut habet Sirmondus in notis poſthumis; & notum quoque Concilium Conſtantinopolitanum, ut ex canone XVII. conſtat. Canon III. Concilii Regienſis in cauſâ Armentarii, quem jubet Synodus eſſe Chorepiſcopum, ut in Nicæna Synodo canone VIII. de Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus cautum fuerat. Concilium Epaonenſe Ancyritanos canones profert; & canon IX. Concilii Agathenſis probat etiam epiſtolas Siricii & Innocentii Romanorum Pontificum cognitas fuiſſe Gallicanis Eccleſiis, longè antè editum codicem Dionyſianum: & ejuſdem Synodi canon XLIII. Africana Concilia jam ex eo tempore in Galliis uſitata eſſe, ſiquidem ad eorum normam ſtatuta à noſtratibus condita fuiſſe manifeſtum eſt. Sed ne hanc materiam diutiùs traham, ſola ſufficit auctoritas Synodi Turonenſis II. in quâ allegatur Innocentii ſummi Pontificis epiſtola, laudantur canones Milevitani, alluſio fit ad Africana Concilia, Synodi quoque Arelatenſis II. Epaonenſis, Aurelianenſis I. & Arvernenſis citantur. Ex iis haud dubiè poſſumus concludere fuiſſe quidem in Galliis canonum libellum, qui canones Nicænos, alioſque qui vulgò leguntur ex Eccleſiis Orientis, canones Africanos & epiſtolas aliquot Pontificum complecteretur; ſed præterea canones ex Synodis

LIB. III. CAP. II. Gallicanis: neque, qui Apoſtolorum dicuntur, ulla mentio fuit in Galliis antè motam Prætextati cauſam. Ex iis quoque clarum eſt collectionem Dionyſianam nondum in Galliis fuiſſe in uſu, atque adeò uſitatam fuiſſe veterem verſionem orientalium canonum, quam, ut puto, Iſidorus in ſuam poſtea induxit collectionem, etſi in Nicænis canonibus referendis plerumque Ruffiniana interpretatio locum & auctoritatem habuit. Libellus igitur, quem Chilpericus Rex ad Patres Synodi Pariſienſis adversùs Prætextatum miſit, hos ferme canones habebat; ſed præterea, ut ait Gregorius, annexus erat novus quaternio, qui *canones quaſi Apoſtolicos* continebat. Unde facilè probatur canones Apoſtolicos non ex collectione Dionyſiana depromptos fuiſſe, cum in ipſo collectionis principio legantur. Adde quod canon allatus contra Prætextatum præter additionem unius vocabuli, ſit præterea alterius verſionis, & longè diverſæ à Dionyſiana; ſic enim Dionyſiana ſe habet. *Epiſcopus aut presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut perjurio, aut furto captus eſt, deponatur*: habet autem hæc verba prolatus canon adverſus Prætextatum, *Epiſcopus in homicidio, adulterio, & furto deprehenſus, à ſacerdotio divellatur*. Adfuerunt huic Concilio XLV. Epiſcopi, & habita eſt Synodus anno DLXXVII. in baſilica S. Petri ſeu SS. Apoſtolorum, quæ modò S. Genovefæ baſilica eſt. Sed ut redeamus ad cauſam Prætextati; certum eſt eum feciſſe contra canones, ſi ipſe Meroveum cum patrui Childeberti uxore matrimonio junxiſſet, aut illius matrimonii fuiſſet particeps: neque enim affinitas ſpiritalis, quam contraxerat cum Meroveo, neque quidvis aliud à violatione canonum facit immunem. Quoad homicidii crimen, quod illi injectum eſt, quodque ipſe deceptus ſpe veniæ confeſſus eſt, nihil habeo quod narrationi Gregorii opponam. Prætextatus porrò uſque ad mortem Chilperici in exilio permanſit; eo autem ſublato redit ad Eccleſiam, idque beneficio Ragnemodi Pariſienſis Epiſcopi: hoc quomodò geſtum ſit, narrat Gregorius lib. VII. cap. XVI. *Prætextatum verò Epiſcopum ægrè ſuſcipit, quem cives Rotomagenſes, poſt exceſſum Regis, de exilio expetentes cum grandi lætitia & laude civitati ſuæ reſtituerunt. Poſt reditum verò ſuum, ad urbem Pariſiacam advenit, ac ſe Guntchramno Regi repræſentavit, exorans ut cauſam ſuam diligenter exquireret. Aſſerebat enim Regina eum non debere recipi, qui fuiſſet per judicium quadraginta quinque Epiſcoporum à Sacerdotali officio ſegregatus. Cumque Rex pro hac cauſà Synodum excitare vellet, Ragnemodus hujus urbis Epiſcopus pro omnibus reſponſum reddidit, dicens: ſcitote ei pœnitentiam indictam à Sacerdotibus, non tamen eum prorsùs ab epiſcopatu remotum. Et ſic à Rege ſuſceptus, atque convivio ejus adſcitus, ad urbem ſuam reverſus eſt.* In quâ urbe cum aliquot annos permanſiſſet, tandem artibus Fredegundis Reginæ in eccleſia, ipſo die Paſchatis, ſeu potius Dominico die, à ſicario percuſſus mortuus eſt. Sed ea ad noſtram hiſtoriam non pertinent.

VIII. Childeberti Regis anno IV. accidit Pariſiis id quod narrat Gregorius lib. V. cap. XXXIII. Rumor per urbem ſparſus eſt, mulierem quamdam relicto viro cum adultero vivere. Propinqui hujus mulieris ægrè ferentes hac labe aſpergi familiam, ad patrem ejus adeunt, rogantque ut vel filiæ famam, ſi innoxia eſt, reſtituat; aut morte, ſi noxia eſt, jubeat plecti. Ad hæc pater reſpondit filiam integris eſſe moribus, & calumniâ premi; idque ſe coram teſtibus teſtaturum ſacramento, ne longiùs ſerpat maledicentia: petunt propinqui, ut coram ſancto martyre Dionyſio ſuper ejus tumulum, id ipſum eſſe ſacramento affirmet. Itur ex condicto ad baſilicam. Tum pater ſublatis ſuper altare manibus jurejurando affirmat filiam à culpâ immunem; alii contra, patrem perjurium feciſſe aſſeverant. Ex his rixa inter eos oritur; verbis primùm & conviciis rem agunt, tum ſtrictis gladiis ſe invicem percutiunt; nulla neque baſilicæ neque ſacri altaris reverentia; cruor funditur, & ſacer inficitur locus; promiſcuè ſuper tumulum S. martyris injiciuntur ſagittæ. Ex iis omnibus multi ex aulâ Chilperici erant, & inter eos primates, qui perpetrato ſacrilegio ad Regem accedunt, ſed quos, re auditâ, Chilpericus ex ſuo conſpectu expulit; hi ad Epiſcopum ire juſſi ſunt, *ut ſi de hoc facinore culpabiles non invenirentur, ſociarentur communioni*, inquit Gregorius. *Tunc ab Epiſcopo Ragnemodo, qui Pariſiacæ*

Eccleſiæ

Eccleſiæ præerat, componentes quæ malè geſſerant; ſeu pœnam pecuniâ redimentes, *in communionem Eccleſiaſticam ſunt recepti.* Neque multos poſt dies eâdem de causâ mùlier ad judicium vocatur, cumque crimen diluere haud facilè poſſet, fauces ſibi laqueo ſtrangulat. Hanc integram hiſtoriam eſſe, non ex textu Gregoriano, ſed ex interpolatione, aſſerit Cointius, neque reperiri in antiquis codicibus, in Corbeienſi ac Mettenſi, etſi in ea nihil eſt, quod veritati repugnet. LIB. III. CAP. III.

CAPUT III.

De Concilio Brennacenſi. De quodam ſeductore. De controverſia Chilperici cum Gregorio. De prodigiis & de mortibus filiorum Chilperici. De colloquio Gregorii cum Iudæo. De fœdere inter Childebertum & Chilpericum & de Theodorico filio Chilperici. De morte Mummoli, & Leudaſtis. De fœdere Guntchramni & Childeberti. De Riguntbe filia Chilperici & de ejuſdem Regis cæde.

ANNO DLXXX. in villa Brennaci, qui agri Sueſſionnenſis locus eſt, habita Synodus. Leudaſtes Comes Turonicus ſeu urbis Turonicæ præfectus Gregorium ejuſdem urbis Epiſcopum accuſaverat apud Chilpericum Regem, quod is liberiùs, quàm Epiſcopum deceret, de Reginæ fama detraxiſſet, & palam eſſet calumniatus, quòd cum Bertchramno Epiſcopo Burdigalenſi conſuetudinem haberet. Ob eam rem Rex in villa Brennaci congregat Epiſcopos, Gregoriuſque inprimis adeſſe juſſus eſt: Epiſcopi de maledicentia inquirunt; Gregorius calumniam verbis & ſacramento depellit. Leudaſtes intereà, qui ſibi calumniæ conſcius erat, fugâ ſibi conſuluerat; nihilominùs Epiſcopi adverſus eum ſententiam excommunicationis tulerunt, & de hoc judicio litteras ad alios Epiſcopos direxit Synodus, ne auctor calumniæ ad eccleſiam admitteretur, & Epiſcopi innocentia nota omnibus eſſet. Epiſcopi, qui adfuerunt, non nominantur; ſed certum eſt Ragnemodum Pariſienſem Epiſcopum huic Concilio adfuiſſe; quippe qui viveret & Regi carus, & Brennaco vicinus eſſet. Rem exponit ipſe Gregorius ad calcem lib. 5. capp. 47. 48. & 49. ſed præſertim hoc poſteriori capite. *Igitur Rex*, inquit, *accerſitis regni ſui Epiſcopis, cauſam diligenter juſſit exquiri. Cùmque Riculfus clericus ſæpius diſcuteretur occultè, & contra me vel meos multas fallacias promulgaret, Modeſtus quidam faber lignarius ait ad eum: O infelix, qui contra Epiſcopum tuum tam contumaciter iſta meditaris! Satiùs tibi erat ſilere, & petitâ veniâ Epiſcopi gratiam impetrares. Ad hæc ille clamare cœpit voce magnâ, ac dicere: eu ipſum, qui mihi ſilentium indicit, ne proſequar veritatem, en Reginæ inimicum, qui cauſam criminis ejus non ſinit inquiri. Nunciantur protinus hæc Reginæ, apprehenditur Modeſtus, torquetur, flagellatur, & in vincula compactus, cuſtodiæ deputatur. Cumque inter duos cuſtodes catenis & cippo teneretur vinctus, media nocte dormientibus cuſtodibus, orationem fundit ad Dominum, ut dignaretur ejus potentia miſerum viſitare, & qui innocens colligatus fuerat, viſitatione Martini præſulis ac Medardi abſolveretur. Mox diſruptis, vinculis, confracto*

I.

LIB. III. CAP. III. *cippo, reſerato oſtio, ſancti Medardi baſilicam nocte nobis vigilantibus introivit. Congregati igitur apud Brennacum villam Epiſcopi in unam domum reſidere juſſi ſunt. Dehinc adveniente Rege, data omnibus ſalutatione, ac benedictione accepta, reſedit. Tunc Bertchramnus Burdigalenſis civitatis Epiſcopus, cui hoc cum Regina crimen impactum fuerat, cauſam proponit, meque interpellat dicens, à me ſibi ac Reginæ crimen objectum. Negavi ego in veritate me hæc locutum, & audiſſe quidem hæc alios, me non excogitaſſe. Nam extra domum rumor in populo magnus erat dicentium: cur hæc ſuper ſacerdotem Dei objiciuntur? Cur talia Rex proſequitur? Numquid potuit Epiſcopus talia dicere vel de ſervo? heu! heu! Domine Deus largire auxilium ſervo tuo. Rex autem dicebat: crimen uxoris meæ meum habetur opprobrium. Si ergo cenſetis ut ſuper Epiſcopum teſtes adhibeantur, dicite: libenter audiam quæ jubetis. Mirati ſunt omnes Regis prudentiam vel patientiam ſimul. Tunc cunctis dicentibus: non poteſt perſona inferior ſuper ſacerdotem credi, reſtitit ad hoc cauſa, ut dictis Miſſis in tribus altaribus me de his verbis exuerem ſacramento. Et licet canonibus eſſent contraria, pro cauſa tamen Regis impleta ſunt. Sed nec hoc ſileo, quod Riguntbis Regina condolens doloribus meis, jejunium cum omni domo ſua celebravit, quouſque puer nuntiaret me omnia ſic impleſſe, ut fuerant inſtituta. Igitur regreſſi Sacerdotes ad Regem aiunt; impleta ſunt omnia ab Epiſcopo, quæ imperata ſunt, ô Rex: quid nunc ad te, niſi ut cum Bertchramno accuſatore fratris communione priveris? Et ille: non, inquit, ego niſi audita narravi. Quærentibus illis, quis hæc dixerit, reſpondit ſe hæc à Leudaſte audiſſe. Ille autem ſecundùm infirmitatem vel conſilii, vel propoſitionis ſuæ, jam fugam inierat. Tunc placuit omnibus Sacerdotibus, ut ſator ſcandali, inficiator Reginæ, accuſator Epiſcopi, ab omnibus arceretur eccleſiis, eò quòd ſe ab audientia ſubtraxiſſet. Unde & epiſtolam ſubſcriptam aliis Epiſcopis, qui non adfuerant, tranſmiſerunt. Et ſic unuſquiſque in locum ſuum regreſſus eſt.* Cointius ad annum DLXXX. totam ferè hanc hiſtoriam, quæ ad longum in hoc auctore legitur, exiſtimat puram putamque interpolationem, quæ ſcilicet in antiquis codicibus non reperitur, & in multis circumſtantiis vacillat: quæ tamen retulimus, ex genuino Gregorii textu eſſe haud mihi dubium eſt, etſi alia incerta ſunt.

II. Hoc eodem anno veniſſe Pariſios ſeductorem quemdam Gregorius memorat; primùm Turonos venerat; hunc ita Gregorius depingit. *Colobio*, inquit, *indutus erat, amictus deſuper ſindone, crucem ferens, de qua deſcendebant ampullulæ, quas dicebat oleum ſanctum habere.* Dicebat ſe veniſſe ex Hiſpania, & ferre ſe reliquias ſancti Vincentii levitæ, & ſancti Felicis martyris; venerat ſub veſpere ad baſilicam S. Martini cum reliquiis, quas collocari ſuper altare juſſit Gregorius Epiſcopus. Poſtero die ſummo mane ſeductor nec vocatus nec admonitus ad cellulam Epiſcopi venit; cumque Gregorius rogaret ecquid ſibi vellet, ſuperbè reſpondit. *Meliorem nobis occurſum exhibere debueras. Sed hæc ego in auribus Chilperici Regis ingeram, ille autem ulciſcetur deſpectionem meam. Erat ei*, inquit Gregorius, *& ſermo ruſticus, & ipſius linguæ latitudo turpis atque obſcœna, ſed nec de eo ſermo rationabilis procedebat.* Inde Pariſios profectus eſt, quò acceſſit his diebus, quibus Rogationes publicæ ante diem Aſcenſionis Dominicæ aguntur.

Lib. 9. cap. 6. *Factum eſt autem*, inquit Gregorius, *ut procedente Ragnemodo Pontifice cum populo ſuo, & loca ſancta circumeunte, ut & hic cum cruce ſua adveniens, inuſitato populis exhibens indumento adjunctis publicanis ac ruſticis mulieribus, & ipſe chorum ſuum faceret, & quaſi cum ſua multitudine loca ſancta circuire tentat. Hæc cernens Epiſcopus miſit archidiaconum ſuum, dicens: ſi reliquias ſanctas exhibes, pone eas paululùm in baſilica, & nobiſcum celebra dies ſanctos; decurſa autem ſollemnitate proficiſceris in viam tuam. At ille parvipendens quæ ab archidiacono dicebantur, cœpit Epiſcopum conviciis & maledictionibus proſequi. Sacerdos verò intelligens eum ſeductorem, juſſit eum recludi in cellulam, perſcrutatiſque cunctis, quæ habebat, invenit cum eo ſacculum magnum plenum de radicibus diverſarum herbarum, ibique dentes talpæ, & oſſa murium, & ungulas, atque adipes urſinos. Videnſque hæc maleficia eſſe, cuncta juſſit in flumine projici, ablatàque ei cruce, juſſit eum à termino Pariſiacæ urbis excludi. Sed hic iterum factâ alterâ cruce, cœpit, quæ geſſerat*

exercere, captuſque ab archidiacono, & catenis vinctus, juſſus eſt cuſtodiri. Sane Ragnemndi Epiſcopi laudandus ſacerdotalis animus, qui veteratorem illum, quâ poteſtate valebat, cuſtodiri primùm juſſit & deinde auferri quæcumque, quibus non ad pietatem, ſed ad quæſtum abutebatur; tum expelli ex urbe, & cùm neque proptereà deſiſteret ſuperſtitioni deditam plebeculam circumvenire, vinctum cuſtodiri. Poſt indictum Concilium multi Pontifices venerunt Pariſios; Gregorius ipſe Turonenſis eò venit, & ad baſilicam B. Juliani martyris commorabatur. Ecce autem intempeſtâ nocte ſeductor ille ex cuſtodia evaſit catenis vinctus, & ad baſilicam S. Juliani properavit ad locum, ubi manere ſolebat Gregorius: utque vino madens erat, in ſomnum facilè incidit; neque ullo modo à clericis excitari valuit, niſi orto ſole; quo tempore Gregorius eum Ragnemodo impetratâ veniâ reconciliavit. Cum autem quotidiè Epiſcopi ad urbem venirent, quà iter ad Synodum erat, ea omnia in convivio coram Epiſcopis narrare inſtituit; veterator ipſe aderat, quem ad emendationem acciverant: Amelius Bigorritanus Epiſcopus in eum oculos convertit; advertitque hunc ſuum eſſe famulum, qui domo fugerat, quem cum Epiſcopus, datâ veniâ recepiſſet, domum reduxit.

III. Paulò ante Synodum, cum Epiſcopi eò accederent; Chilpericus Rex de rebus fidei cum Gregorio colloqui cœpit; cumque Rex Arrianorum perfidiam fugeret & deteſtaretur, in adverſum ſcopulum offendit; Sabellii enim hæreſim cœpit defendere, negans ſcilicet neque in Dei eſſentia, neque in ipſis perſonis quicquam eſſe diſtinctum, nomina Patris, & Filii & Spiritus ſancti pura eſſe vocabula, quæ in Deo nihil penitus diſtinguerent. De eo errore ſcripſerat indiculum, quo probaverat Patrem non alium eſſe à Filio, neque à Spiritu ſancto, neque pariter Filium aut Spiritum ſanctum ab aliis diverſum eſſe; ita olim Deum Patriarchis & Prophetis viſum & cognitum fuiſſe, & eam doctrinam lege contineri. Addebat Rex velle ſe, ut Gregorius & reliqui doctores hanc fidem ſequerentur. Gregorius reſpondit quæ Pontificis Catholici eſſent, fidem ſcilicet tenendam eſſe, quam Eccleſia per Apoſtolos & doctores docuit, quam Hilarius Pictavenſis, aut Euſebius Vercellenſis defenderint: tenendum itaque unum quidem eſſe Deum, ſed perſonis diſtinctum; alium Patrem, alium Filium, alium Spiritum ſanctum; neque Patrem, neque Spiritum ſanctum, ſed Filium tantùm noſtram carnem aſſumpſiſſe. Cùm hæc & alia, quæ Catholica fides docet, Gregorius loqueretur, Rex commotus reſpondit ſe aliis & ſapientioribus, & doctioribus hæc propoſiturum. Cùmque Gregorius retuliſſet virum ſapientem numquam his aſſenſurum, Rex offenſus conticuit. Paucis diebus interjectis, Salvio Epiſcopo Albigenſi eadem propoſuit, quæ cùm condemnaret Epiſcopus, & longè fidem Catholicam ab hac falſa doctrina alienam eſſe teſtarctur, Rex deinceps de iis ſermonem habere deſtitit; immò condemnatis erroribus, in quos imprudens inciderat, ſanctæ Epiſcoporum doctrinæ ultrò aſſenſus eſt. Hoc exemplo oſtendit tam periculoſum eſſe Regibus de rebus fidei diſputare, quàm illis glorioſum eſt fidem quam ſancti Patres docuerunt, confiteri.

IV. Solutâ Synodo, cum Gregorius cum eodem Salvio ante atrium regiæ domus colloqueretur, & inter ſe ſimul ſermonem haberent, ecce Salvius ad Gregorium. *Videſne*, inquit, *quæ ego ſuper tectum ſuſpicio?* Tum Gregorius ratus id joco dici à Salvio, reſpondit nihil aliud ſe videre præter *tegulas, quas nuper Rex ſuperponi juſſerat. Tum Salvius, video ego evaginatum iræ divinæ gladium ſuper domum hanc dependentem.* Ea ſanè probè Salvium vaticinatum eſſe quæ poſteà acciderunt, eventus comprobavit, quæ etiam multis prodigiis prænunciata ſunt.

V. Eodem anno in Galliis varia acciderunt prodigia. Liger & Rhodanus adeò aquis increverunt, ut ſuper alveum effluentes, vicina loca ſubmergerent, & obvia quæque ædificia ſubverterent, & pecoribus agriſque maximam cladem inferrent. Terræ motus Burdigalam afflixit; de montibus Pyreneis vi tempeſtatis diſrupta ſaxa pecora & homines proſtraverunt: Aureliani ſubitò incen-

LIB. III. CAP. III. dio conſumpti, & Bituricæ grandine devaſtatæ. Hæc prodigia lues peſſima ſequuta eſt; ex dyſenteria enim paſſim homines moriebantur, depaſcebaturque malum quoſlibet ſine diſcrimine: vis tamen mali in pueros inprimis ſæviebat. Tum Chilpericus graviſſimè ægrotavit; tum Chlodobertum ejus filium, alterumque juniorem Dagobertum nomine, quos ex Fredegunde ſuſceperat, interire contigit. Chlodobertus in baſilica SS. Criſpini atque Criſpiniani martyrum ſepultus eſt. *Juniorem verò infantulum cum maximo mœrore deducentes à villa Brennaco Pariſius ad baſilicam S. Dionyſii ſepelire Chilpericus & Fredegundis mandaverunt.* Chilpericus his commotus funeribus, votis, orationibus & eleemoſynis Deum placare inſtituit, multaque baſilicis & pauperibus bona ultrò conferre. Horum Principum epitaphia Fortunatus his verſibus cecinit. Lib. 9. car. 4. & 5.

EPITAPHIUM CHLODOBERTI.

Flere movent populum crudelia funera Regum,
Cùm caput orbis hùmo mœſta ſepulcra legunt.
Hoc igitur tumulo recubans Chlodobertus habetur,
Qui tria luſtra gerens raptus ab orbe fuit.
De proavo veniens Chlodovecho celſa propago
Chlothariqne nepos, Chilpericique genus.
Quem de Regina ſumpſit Fredegunde jugali,
Auxerat & naſcens Francica vota puer.
Quem, patris & patriæ dum ſpes adoleſceret ampla,
Accelerante die ſors inimica tulit.
Sed cui nulla nocent queruli contagia mundi,
Non fleat ullus amor, quem modo cingit honor.
Nam puer innocuus, vivens ſine crimine lapſus,
Perpetui regni ſe favet arce frui.

EPITAPHIUM DAGOBERTI.

Dulce caput populi, Dagoberte, perennis amore,
Auxilium patriæ, ſpes puerilis, obis.
Germine regali naſcens generoſus & infans
Oſtenſus terris, mox quoque rapte polis.
Belligeri veniens Chlodovechi gente potenti,
Egregio proavi germen honore pari.
Regibus antiquis reſpondens nobilis infans,
Chilpericique patris, vel Fredegunde genus.
Te veneranda tamen mox abluit unda lavacri;
Hinc licet abreptum lux tenet alma throno.
Vivis honore ergo, & cum judex venerit orbis,
Surrecturus eris fulgidus, ore nitens.

VI. Poſt mortem filiorum Chilpericus Calam venit, quæ villa regia eſt agri Pariſienſis: Rex huc Chlodoveum venire juſſit; is, ut animus eſt juvenum, ſibi abblandiri cœpit, & multos temerè jactare ſermones; ſe ſcilicet poſt continua fratrum funera unicum regni ſupereſſe hæredem, brevi ſe potiturum Francorum imperio, ulturum ſe aliquandò injurias, quas inimici intulerunt: multa inſuper de Fredegunde noverca haud grata ſolebat inter colloquendum ſpargere, quæ relata, vehementiùs terrebant Reginam. His quidem accendebatur ferox mulieris animus, qui omninò ad iram & vindictam concitatus ſermonibus cujuſdam maleferiati hominis, qui falſa illi denunciavit. Dicebat fraude Chlodovei ſublatos ejus filios, ab eo adamari filiam unius ex ancillis Reginæ, matris ejus maleficiis orbatam eſſe filiis. Regina his verbis commota, quæ novercale odium & dolor orbitatis vera eſſe facile perſuadebant, furenti ſimilis puellam, de qua ſermo fuerat, rapi jubet, & comâ inciſâ cædi, abſ-

ciſſamque palo ante domum Chlodovei infigi, matrem ejus tormentis pariter & pœnis cruciatam confiteri crimen coegit. Hac confeſſione confirmata apud Chilpericum injuriam pluribus conqueſta eſt, Chlodovei crimine filios ſublatos; neque Regi meliora imminere; filium nihil facturum reliqui, ut brevi per parricidium regno potiatur. His aliiſque ſermonibus Regem ad vindictam accendebat. Rex his, quæ Fredegundis dixerat, conterritus, vindictam in eum modum parat. Simulat venationem, amotumque à turba filium exui armis & veſtibus jubet; tum panno indui, & per duces Deſiderium & Bobonem vinctum duci ad Reginam, quæ illum cuſtodiri juſſit, ut confeſſionem criminis ab eo extorqueret; quo conſilio flagitium molitus, quæ cœpta volveret animo, & quorum animos ſibi inprimis amicitiâ & ſocietate devinxiſſet? Nihil de crimine confeſſus eſt, ſed plurimorum amicitias retexit. Regina paucis poſt diebus juvenem trans Matronam fluvium duci jubet ad villam Nocetum nomine, ubi cultro percuſſus miſeram efflavit animam, in eodemque loco ſepultus eſt. Nunciatum eſt Regi cultrum per corpus ſibi adegiſſe, & mortem ſuâ manu acceleraſſe. Scribit Gregorius patrem infracto ſtetiſſe animo, neque ullatenus filii morte violentâ commotum. Pœna veri vel conficti criminis ad matrem ejus tranſiit; nam crudeliter cruciata interiit. Soror Chlodovei ſtuprata priùs per Reginæ famulos in monaſterium conjecta eſt. Demùm mulier, quæ vi tormentorum crimen mentita fuerat, flammis cremata eſt: cùm ducerent ad locum ſupplicii, clamabat ſe mendacia inter cruciatus eloquutam. Hæc fœda tragœdia propè Pariſios acta eſt.

Hucne afferam, quod Gregorius, ſeu ejus interpolatio refert de Eunio Venetenſi Epiſcopo, qui ad Regem à Britannis delegatus eſt; qui cum Lutetiam veniſſet, die Dominica cum ſacra faceret, corruit propè exanimis, effundens ex ore & naribus ſanguinem: quod ex nimio potu & vinolentiâ contigiſſe auctor narrat. VII.

Sequenti anno, qui Chilperici XX. & Childeberti VI. Childebertus rupto fœdere, quod cum Guntchramno Rege patruo ſuo pactus fuerat, fœdus cum Chilperico iniit. Erat tunc Chilpericus Novienti, quod oppidum eſt ſancti Chlodoaldi, eò venerunt Legati Childeberti, inter quos Ægidius Remenſis Epiſcopus erat. Inter eos actum de pace ſervanda, & tollendo Guntchramni Regis regno. Cum ea proponerent nomine Childeberti, Chilpericus teſtatus eſt, ſe ob ſua peccata, quæ multa fuerant, orbarum filiis; neque alium ſibi ſupereſſe hæredem, niſi Childebertum fratris Sigiberti filium, quem velit eſſe ſui hæredem regni, quo potiri, quamdiu vivere contigerit, liceat. Legatis id pergratum fuit; tum fœdus cum eo initum eſt, iis de quibus dictum eſt, conditionibus; actiſque gratiis redierunt ad Childebertum magnis ditati muneribus. Continuò Rex Leudoaldum Epiſcopum Bajocaſſinum cum aliis regni ſui proceribus ad Childebertum miſit, qui, pactionibus à Rege firmatis, & acceptis muneribus reverſi ſunt. VIII.

Cum Rex Novienti moraretur, huc acceſſit Gregorius Turonenſis Epiſcopus, qui eo in loco accidiſſe controverſiam illam ſcribit, quam cum Judæo habitam eſſe commemorat. Quidam Judæus, Priſcus nomine, cum Rege erat, quique eo propter merces, quas ſolebat afferre, familiariter utebatur: hunc Rex per comam apprehendit, Gregoriumque admonuit, ut Judæo manus imponeret; cumque ille reniteretur, & Rex ipſi ſuam perfidiam, & incredulitatem exprobraret, neque eum intelligere quæ prophetæ vaticinati ſunt, neque quæ lege ſub figura continebantur; ille reſpondit neque Deo conjugio, neque prole opus eſſe, neque eum pati quemquam poteſtatis ſuæ conſortem, cum per Moyſem dixerit, *videte, videte, quia ego ſum Dominus, & abſque me non eſt Deus.* Repoſuit Rex Deo Filium eſſe coæternum ſibi, neque ætate, neque poteſtate inferiorem, de quo ipſe dixit, *ex utero ante Luciferum genui te.* Cùm obloqueretur Judæus, & negaret Deum hominem fieri poſſe ex muliere naſci, verberibus ſubjici, & mortem acerbam ſubire, Gregorius ex multis Scripturæ locis probavit fore aliquando, ut Deus carnem noſtram aſſumeret, ejus deinde IX.

LIB III. CAP. III. crucem & mortem ex prophetis approbavit, & cauſas illius mortis & tormentorum oſtendit, & ejus livore nos eſſe ſanatos pluribus docuit. Obmutuit Judæus; cum tamen non reſipiſceret, Rex Sacerdotem his verbis interpellat. *Dicam*, inquit, *tibi ô Sacerdos, quod Iacob dixit ad Angelum, qui ei loquebatur, non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Et hæc dicens aquam manibus porrigi jubet, quibus ablutis, facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipſi accepimus & Regi porreximus, hauſtoque mero, valedicentes, diſceſſimus. Rex verò aſcenſo equo Pariſius eſt regreſſus, cum conjuge & filia & omni familia ſua.*

Greg. lib. 6. cap. 6.

X. Anno XXI. Chilperici, qui ſeptimus fuit Childeberti, multa prodigia viſa ſunt. Narrat Gregorius Pariſiis ſanguine depluiſſe, & hoc imbre quaſi tabe multorum veſtes infectas, adeò ut ipſi, qui iis induti erant, eas abjicerent.

Greg. lib. 6. cap. 14.

XI. Eo anno Chilpericus plurimos ex Judæis Chriſtianam ſuſcipere religionem juſſit, cumque ſacro baptiſmo abluerentur, plures Rex ex lavacro tollere dignatus eſt; nonnulli tamen diſſimulantes perfidiam execrari, nihilominus poſteà per ſpeciem diem Dominicam, re-vera diem Sabbati obſervare perſeverabant. Priſcum Judæum Rex juſſit ejurare Judaiſmum, ſed cum tergiverſaretur, & quotidie moras necteret, Phatir, unus è Judæis qui perfidiam ejuraverant, ipſum interfecit, & ad S. Juliani martyris baſilicam, ſe refugii gratiâ contulit, unde poſteà ad regnum Guntchramni ſe recepit; ſed is poſteà ejus famulis interfectis, à Priſci propinquis interfectus eſt.

Greg. lib. 5. cap. 17.

XII. Inito fœdere cum Childeberto, Chilpericus Aginnum, aliaſque urbes Guntchramni per legatos ceperat. Aſclepius Dux, qui ſequebatur partes Guntchramni, rem gratam Regi fore ratus eſt, ſi expeditionem in Chilpericum faceret. Termini ſcilicet utriuſque regni ad pontem Urbienſem, erant: cuſtodes limitis ad eum locum locaverat Chilpericus, ne quid frater adverſus ſuum regnum moliretur. Aſclepius datâ opportunitate contra eos irruit, omneſque incautos interficit; tùm per pontem facto aditu, regionem populatur. Chilpericus, auditâ irruptione, jubet duces & comites ſumptis armis regnum fratris hoſtili manu invadere. Sed ne Rex eo impetu bellum adverſus fratrem gereret, conſiliarii prohibuerunt; auctores quippe fuerunt, ut ſibi temperaret, neque factum fratris imitaretur; moderatè in hoc negotio agendum; mittendos ad Guntchramnum nuncios qui injuriam expoſcerent, quam, ſi frater condemnet, & emendare paratus ſit, abſtinendum à bello; aliàs verò, conſulendum eſſe quid facto ſit opus. Annuit Chilpericus, & conſilium approbavit; miſit legatos ad Guntchramnum, qui, auditis querelis, damna reſarcire & continuò injuriam reparare inſtituit.

XIII. Chilperici familia continuis filiorum funeribus jacebat; Rexque ſine filio hærede deflebat orbitatem ſuam, cùm ecce filium ex Fredegunde ſuſcipit. Illico Rex lætitiâ exultans ſolvi è carcere vinctos jubet, abſolutoſque abire permittit, debitores fiſci ab ære eximit.

XIV. Anno DLXXXIII. *aquæ extra ſolitum invaluerant; nam tantam inundationem Sequana Matronaque circa Pariſius intulerunt, ut inter civitatem & baſilicam ſancti Laurentii naufragia ſæpe contingerent.* Chilpericus neſcio quo animo Pariſiis egreſſus, recogitans inter fratres olim conventum fuiſſe, ne quis Regum abſque conſenſu alterius Lutetiam ingrederetur, mala ſibi imprecatus, ſi, quod ſimul ſacramento firmaverant, violaret, accitis undequaque ſanctorum reliquiis, urbem ingreſſus eſt, dieſque Paſchæ cum magna celebritate & lætitia tranſegit, quibus & filium ſacri baptiſmi undis abluit. *Quem Ragnemodus ipſius urbis Sacerdos de lavacro ſancto ſuſcepit, ipſumque Theodoricum vocitari præcepit.* Anno ſequenti egreſſus eſt Chilpericus Lutetia, in agrum Sueſſionenſem profectus eſt, ubi cum verſaretur, acerba illi nuncia allata de filio, quem mox diximus tinctum baptiſmo, qui præcoci fato raptus eſt, vexatus dyſenteria. Tùm Rex dolore graviſſimo affectus Lutetiam reverſus eſt cum Regina Fredegunde, puerumque luctu proſequuti ſepelierunt. Paulò poſt delatum eſt ad Reginam puerum maleficiis & incantationibus ſublatum, auctoremque criminis Mummolum Præfectum fuiſſe, cui jamdudum Fredegundis infenſa; renunciatumque

LIB III. CAP. III.

eſt quemdam ex aulicis, dum Mummolus domi ad menſam accumberet, dolorem eſſe teſtatum propter morbum pueri; reſpondiſſe Præfectum, ſibi eſſe herbas, quarum poteſtate brevi ſanetur puer, ſi eas potione hauriat: quæ res vehementer Reginam accendit adverſus Mummolum. Illa igitur jubet illico rapi mulieres ad pœnam, quas tormentis ſubjici jubet, ac verberibus cogi crimen confiteri. Illæ verò ſeu veritatem conſcientia criminis eliceret, ſeu tormenta, ut fit, mendaces facerent, confitentur ſe maleficiis uti ſolitas eſſe, & pluribus mortem attuliſſe; addunt teſtatas eſſe ſe pro Mummoli Præfecti vitâ vitam pueri impendiſſe. Cui tamen rei auctor Gregorius fidem abnuit. Certum eſt tamen Fredegundis juſſu gravioribus pœnis affectas mulieres, alias enectas vi tormentorum; alias flammis ambuſtas; aliis confracta rotis oſſa, paſſas denique ea, quæcumque orbitatis dolor furenti Reginæ ſuggeſſit. Rex intereà ad villam Compendium proficiſcitur; tum Regina crimen Mummoli illi denunciat; conqueritur ejus maleficiis necatum filium; refert, quæ mulieres ſint confeſſæ. Rex Mummolum acciri per pueros jubet, catenis vinciri, & tormentis tradi. Revinctis poſt tergum manibus trabi ſuſpenſum interrogant, ſed nihil penitus confitetur de his, quæ memorata ſunt: hocque dumtaxat ab eo extortum, ſe tantum à mulieribus accepiſſe incantationes & potiones, quibus gratiam Regis & Reginæ pateret. Exemptus tormentis Mummolus dixit lictori, ut id Regi nunciaret, nihil ſe doloris in tormentis ſenſiſſe: quod cùm Rex admiraretur, & id maleficiis tribueret, eum ad trocleas extendi jubet & loris vehementer cædi; tum intra pedom manuumque ungues aculeos lignorum infigi. Cùm nihil propè reliqui eſſet ad pœnam præter mortem, Regina illi condonavit; Burdigalam, ubi natus fuerat, ire juſſus, fiſco addictis ejus facultatibus; ſed ſuis tormentis non diu ſupervixit; vix enim patriam attigit, cum ex pœnis quas tulerat, & doloribus itineris fractus, mortuus eſt.

XV.

Hic libet commemorare quàm acerbam mortem Leudaſtes, de quo anteà fuit ſermo, pertulit. Is Turonos venit attulitque ad Gregorium epiſtolam ſacerdotum manu ſubſcriptam, quâ rogabatur, ut ad communionem admitteretur. Gregorii res agebatur, quem falsò inſimulaverat, & Reginæ quam calumniatus fuerat; ideò noluit eum admittere, niſi priùs re cum Regina communicata. Reſpondit Regina à multis enixè rogatam, ut ei poteſtas fieret abeundi liberè quo vellet; rogare tamen, ne ei pacem daret, neque *de manu ejus eulogias* acciperet, donec de ea re aliud judicaret. Gregorius timuit, ne quid mali Leudaſti moliretur; ejus itaque ſocerum admonuit, ut is ſibi conſuleret, donec animus Fredegundis leniretur. Spreto ille conſilio adiit ad Regem, qui tunc temporis in agro Melodunenſi cum copiis verſabatur. Rogante populo, & deprecante pro eo veniam, ad Regis præſentiam admiſſus eſt. Rex auctor illi fuit, ut ſibi cautum conſultumque eſſe vellet, donec flecteretur Regina, quam graviſſimè offenderat. Nihilominus præſentiâ Regis excitatus, Lutetiam continuò advolat, & die Dominico baſilicam majorem, quo Regina cum Rege acceſſerat, ingreſſus, ad ejus pedes advolvitur, & veniam deprecatur. Exhorruit hæc ad conſpectum hominis, quem oderat, eoque expulſo, lacrymans conquerebatur, quod orbata filius non haberet, qui ſuas injurias ulciſceretur, procidenſque ad pedes Regis poſcebat vindictam de homine ſibi infenſo, qui ad ſuum venire conſpectum auſus fuerat. Sacris celebratis Rex & Regina domum redeunt, proſequente Leudaſte: circumibatque tabernas negotiantium, ut merces & pretioſam aliquam ſuppellectilem emeret; cum ecce pueri Reginæ eum vincire aggrediuntur; ipſe gladium diſtringit, unum ex iis cædit; quo facinore alii commoti nudatis gladiis in eum irruunt; unus illi vulnus impegit quo pelle & capillis caput ejus detectum: ita ſaucius fugâ ſibi conſulit. Sed eheu? miſer inviſa ſibi fata nequit effugere; pedem fugiens inter axes pontis inſerit, tibiamque alteram confringit. Tum facile fuit inſequentibus eum capere, qui revinctis ad tergum manibus, eum cuſtodiæ tradiderunt; unde poſteà ad villam regiam perductus ex vulneribus, & vecte in gulam impacto, crudeliter mortuus eſt.

LIB. III. CAP III.

XVI. Exardeſcebant odia ftatrum Chilperici & Guntchramni; quin & Cbildebertus eorum nepos de Guntchramno conquetebatur. Hic jam odio patrui cum Chilperico fœdus inierat, quod ut firmum & ſtabile permaneret, Childebertus ad Chilpericum itetum legatos mittit. Ægidius Remenſis Epiſcopus princeps legationis fuit; à Rege admiſſi, petierunt, ut pacem, quam cum Childeberto ſancivetat, integram inviolatamque ſervatet. Dicebat Ægidius Childebertum non poſſe pacem ſervare cum patruo, qui partem Maſſiliæ urbis, quam pater cum ipſo æquâ portione diviſerat, poſt mortem Sigiberti patris invaſerat: quod è regno ſuo transfugas ille retineret, quos rogatus dimittere nollet, ideoque ſe veniſſe, ut arctiùs cum eo adverſus Guntchramnum inirent ſocietatem. Reſpondit Chilpericus fratrem ſuum multis eſſe obnoxium culpis, ipſum auctorem eſſe mortis Sigiberti. Ad hæc Ægidius rogare ſe Chilpericum ut amicitias jungat cum Childeberto, & ipſi junctis armis adverſus Guntchramnum bellum gerant, & ultionem ab eo tepetant. Fœdus juramento firmaverunt, datiſque obſidibus diſceſſerunt. Chilpericus cum exercitu Patiſios venit, qui agro Pariſienſi multa damna, multaſque clades intulit; inde in Melodunenſem agrum traduxit copias, quem, quoniam ad Gunrchramnum pertinebat, vaſtare, & populare cœpit.

XVII. Fœdus cum Chilperico initum non diu permanſit, ſeu Guntcbramnus Childebertum nepotem promiſſis & ſpe bæreditatis in ſuas partes pertraxiſſet, ſeu cauſas violandi fœderis ipſe Chilpericus ſuggeſſiſſet. Childebertus enim cum Guntchramno amicitias & pacem fecit; repoſcebat Childebertus civitates, quas poſt mortem Sigiberti patris Chilpericus invaſerat, & theſauros quos abſtulerat. Childebertus igitur adjuncto ſibi patruo Guntchramno, bello aggredi eum patat, tantamque animo Chilperici injecit formidinem, ut ſe imparem duobus eſſe reputans, raptim collectis theſauris, Cameracum fugerit, nunciis ad Duces & Comites miſſis, ut urbes munirent, & ſe ſuaque mœnibus urbium tegerent: interim ipſe exetcitum parat, ſæpiuſque huc & illuc movet caſtra. Verùm Childeberti arma nihil damni præter timorem intulerunt; nam ipſe cum exercitu in Italiam profectus eſt adverſus Longobardos; quo tempore Chilpericus ex Fredegunde filium ſuſcepit, quem Rex, ut à conatibus malevolorum hominum liberum & immunem faceret, in villa Vitriaco procul à turba hominum innutriri alique juſſit. Hæc anno DLXXXIV.

XVIII. Hoc eodem anno Calendis Octobris celebris legatio à Gothorum Rege Levvigildo ex Hiſpania Lutetiam venit, quò Cbilpericus tedierat. Legati poſcebant in matrimonium Rigunthim filiam Chilperici. Res altiùs repetenda eſt. Leuvigildus Gothorum Rex erat in Hiſpania: is ſecundas nuptias contraxerat cum Goiſuintha, quæ priùs ex Athanagildo ſuſceperat Galeſuintham, quæ Chilperico; & Brunichildem, quæ Sigiberto nupſerat. Leuvigildo ex priore conjuge erant duo filii Hetmenegildus, & Reccaredus. His regnum ante aliquot annos per ſpeciem honoris diviſetat, ſibi imperium poteſtatemque retinens. Hermenegildo majori, Inguntbim Sigiberti Regis & Brunichildis filiam, ſororemque Childeberti uxorem dedit, & Reccaredò, Rigunthim filiam Cbilperici petit. Ingunthis regio apparatu in Hiſpaniam profecta eſt. Aiunt hanc in itinere à Phronimio Agathenſi Epiſcopo admonitam, ut à toxico Arriano cavetet, quo gentem Gothicam infectam eſſe dicebat. Quantum ſalutare Ingunthi conſilium, tantum noxium auctoti fuit. Leuvigildus etenim ad necem quæri eum juſſit, quam ille fugiens ad Childebertum evaſit, cujus inde beneficio ad Vincienſem epiſcopatum evectus eſt. Ingunthis intereà ad aviam Goiſuintham venerat; primùm benevolè, tum malis modis excepta eſt. Cùm enim hanc deteſtari Arrianos ritus intellexit avia, primùm à Catholica fide eam precibus & blanditiis avocare cœpit. Cùm nihil his artibus proficeret, omnia quæcumque moliri, ut eam in hæreſim vel vi vel voluntate projiceret; modò calcibus impetere, modò crines avellere, atque ita in fontem vel invitam protrahere, ut iteratò ab Arriano presbytero baptiſmum acciperet. Verùm immota ſtetit Ingunthis, nec ſe contaminatam exiſtimans, egregia con-

feſſione

feſſione ſordes impuri fontis expurgavit. Paulò poſt Hermenegildus Hiſpalim ad ſuæ ſortis ſedem venit, cujus urbis Epiſcopus erat Leander, ſanctitate vitæ & fide celebris. Hic, junctâ cum Inguanthe ſocietate, Hermenegildo fidem Catholicam ſuadere cœpit; Ingunthis quoque ſuam illi exprobrare hæreſim & precari Deum, ut cor & animum Regis ad meliora converteret. Demùm Hermenegildus vel ſuâ ſtimulatus conſcientiâ, vel ſancti Leandri ſermonibus, aut precibus ſuæ uxoris victus, deteſtari errorem, & publicè ejurare hæreſim; quæ haud grata Leuvigildo, nec novercæ Goiſuinthæ fuerunt. Gregorius Magnus ſcribit eam ob cauſam à patre captum fuiſſe, quòd impietatem Arrianam deteſtaretur; quod malim credere, quàm quod ſcriptores alii referunt ab Hermenegildo in odium novercæ patri illatum bellum. Reliqua, quæ illi contigerunt, ſtylo perſequi non mei propoſiti eſt. Leuvigildus filium in carcere cuſtodiri juſſit; cumque perſeveraret Arrianorum execrari inſaniam, juſſu patris interfectus eſt, coronamque martyris hac inſigni victoriâ adeptus eſt. Ingunthis verò in manus Græcorum incidit, à quibus in Africam traducta eſt, ubi tam ex tædio, quàm ex morbo mortua eſt. LIB. III. CAP. III. Greg. Dial. lib. 3. cap. 31.

Et ſi hæc Chilpericum à deſpondenda filia Rigunthe deterrere debuerant, non tamen à propoſito deſtitit; cum præſertim iteratis legationibus Leuvigildus Riguntbim pro Reccaredo filio minore poſceret. Ea res dudum dilata fuerat; tandem Chilpericus rem perficere decrevit, invitatus aſſiduis Gothorum precibus; dies ad nuptias dictus eſt. Cumque dies inſtaret, legatio honorifica à Gotho Lutetiam Pariſiorum venit; cum legatis Chilpericus Rex nuptias filiæ Pariſiis celebravit, eamque Gothis demùm tradidit. Rex quidem multa eipretioſaque contulit; ſed nihil ad ea, quæ Fredegundis filiæ tradidit; immenſum erat auri argentique pondus, pretioſarum quoque veſtium & ornamentorum incredibilis multitudo, variaque atque magnifica rerum omnium ſuppellex, quam vix quinquaginta vehicula caperent. Transferri opes Regni in Hiſpaniam optimates conquerebantur: Rex ipſe ad dotationem puellæ ſe rebus ſuis nudatum querebatur; quod cum Regina intelligeret, ejus animum demulcere conata eſt. Dicebat ea, quæ filiæ dederat, non ex opibus anteriorum Regum, aut ex regni facultatibus collecta, ſed ſuas eſſe privatas opes, quas ex regia beneficentia collegerat, aut quas ipſa ſibi paraverat, aut ſibi regni primates olim benevolè obtulerant; quibus verbis vel Regem placavit, vel illuſit. Rigunthis Lutetia cum magno & honorifico comitatu menſe Septembri egreditur: narrant ad portæ limina rhedæ effractum axem; quod adverſum præſagium fuit. Hanc comitabantur Duces magnifici, Bobo Dux, filius Mummoleni, unà cum uxore, Domigiſilus, & Anſovaldus, Vvaddo Major-domus Rigunthis, & alii præter miniſtros ſervoſque fiſcales; quibus adde quatuor millia militum, ne quis ex parte Guntchramni, aut Childeberti auderet illi nocere. Rebus in eum modum conſtitutis, ad octavum milliarium ſub tentoriis pernoctavit. Nocte intempeſtâ quinquaginta viri, raptis centum equis cum frenis aureis phaleriſque, ad Childebertum ſe ſubduxerunt, quorum deinde latrocinia complures imitati ſunt. Illa tamen facto cum familia itinere Tholoſam pervenit, ubi dum illa commoratur reficiendiſque vehiculis tempus terit, nunciatur Deſiderio Tholoſatium Duci Chilpericum interfectum eſſe. Ille protinus dotem Reginæ invadit, omnemque ejus ſuppellectilem cum omnibus ornamentis obſignari & cuſtodiri jubet; ipſi Rigunthi rebus omnibus & omni ſpoliatæ famulitio dat cuſtodes; quibus peractis ad Mummolum Ducem, Gundobaldumque Avenionem properat. Ita Rigunthis ſimul omnibus rebus caruit: ex ſummis opibus in miſerrimam ſortem incidit, orbata patre, amiſſa libertate, privata divitiis, quas illi ſua mater congeſſerat, & ad cumulum malorum ſpe conjugii fruſtrata. Reccaredus enim audita hac calamitate, cum altera nuptias celebravit. XIX.

Poſt diſceſſum Rigunthis, Chilpericus ad villam Calenſem venit, dumque à venatione ſub veſperam redit, à ſicario percuſſus, ex vulnere mortuus eſt. Rem narrat Gregorius his verbis. *Quadam verò die*, inquit Gregorius, *regreſſus de* XX.

Q

LIB III. CAP. III. *venatione, jam ſub obſcura nocte, dum de equo ſuſciperetur, & unam manum ſuper ſcapulam pueri retineret, adveniens quidam eum cultro percutit ſub aſcellam, iteratoque ictu ventrem ejus perforat. Statimque profluente copiâ ſanguinis, tam per os, quàm aditum vulneris, iniquum fudit ſpiritum.* Quis auctor fuerit ſceleris, obſcurum eſt. In geſtis Francorum legimus Fredegundem Reginam cædem procuraſſe. Rem ita auctor commemorat, Fredegundem ſcilicet viſam à Rege, cum illa mane caput ablueret; ingreſſumque ejus cubiculum, baculo eam per femur percuſſiſſe, eamque deceptam dixiſſe, cur ſic agis Landrice? quæ cum Rex audiiſſet, abjiſſe ſubtriſtem; unde natam dicit auctor occaſionem flagitii perpetrandi, & Regis interficiendi, ne Rex ex verbis Reginæ adulteros amores ſuſpicatus, crimen conjugis amaſiique nece ulciſceretur. Verùm de ea re Gregorius nihil ſcribit: etſi non ſolet Fredegundis flagitia tegere, neque cædes quas aut fecit, aut fieri curavit. Adde quod Sunnegiſilus, qui poſt ſex annos crimen confeſſus eſt, Fredegundis conſiliis non ſe ad id impulſum dixit; etſi hoc gratum erat Childeberto ad probandum crimen quod ipſe Fredegundi objecerat. Alii Brunichildis malis artibus occiſum dicunt: ſed neque hujus cædis ream Gregorius refert, neque à Childeberto filio torqueri Sunnegiſilum permiſiſſet. Accedit huc, quod Fredegundis, inviſa licet Brunichildi, rogata à Guntchramno, non eam, ſed Eberulfum Comitem auctorem necis nominavit.

XXI. Poſtquàm Chilpericus Rex ita occiſus eſt. *Mallulfus Sylvanectenſis Epiſcopus*, inquit Gregorius, *qui jam tertia die in territorio reſidebat, & ipſum videre non poterat, ut eum interemptum audivit, advenit, ablutumque veſtimentis melioribus induit. Noctem in hymnis deductam in nave levavit, & in baſilica S. Vincentii, quæ eſt Pariſius, ſepelivit, Fredegunde Regina in eccleſia derelicta.* In hiſtoria Tornacenſi legimus Chilpericum hanc baſilicam magnis facultatibus dotaſſe. Hadrianus Valeſius ſcribit lib. XI. rerum Francicarum ejus tumulum & Fredegundis Reginæ monumentum ad porticum monaſterii anno Chriſti MDCXLIII. inventum & tumulo inſcripta hæc verba.

Tempore nullo volo hinc tollantur oſſa Hilperici

Et in averſo lapide hæc ex rubrica vel minio ſcripta.

Precor ego Ilpericus non auferantur hinc oſſa mea.

Verum non fuiſſe Chilperici tumulum ex eo conſtat, quòd cum poſteà moveretur ſuo loco majus altare, retrò reperta ſunt ſepulcra Childeberti Regis, Chilperici Regis, & Reginæ Fredegundis, ad columnas anterioris partis baſilicæ ex ordine poſt tumulum ſancti Germani jacentia, quæ inde tranſlata ſunt in ea loca, ubi modo conſpiciuntur.

XXII. Regnavit Chilpericus annos XXIII. & vixit LXI. Ex filiis multis quos ſuſcepit unus Chlotarius ſuperſtes fuit, filias verò duas reliquit Baſinam & Riganthim. Gregorius Turonicus eum pluribus onerat conviciis, eum Neronem & Herodem ſui temporis appellat, ejuſque inprimis memoriam condemnat, quod plures Francorum provincias igne & ferro vaſtaverit, quod injuſtè plures, ut eorum bona corraderet, morti addixerit, quod clericos plerùmque immeritos ſua auctoritate ad epiſcopatum allegerit, quod gulæ addictior, quod nullius eſſet erga pauperes miſericordiæ, quod Epiſcopos dicteriis & conviciis ſæpius impeteret, & ægrè ferret eos haberi in honore: ſcribit prætereà ſæpe ab eo reſciſſa teſtamenta, & ſui patris præceptiones nullo loco habitas ſuo tempore; accuſat inſuper ejus libidinem atque crudelitatem, aliaque. Iniquiorem fuiſſe Gregorium Chilperico viri docti exiſtimant. Fuere ſane mores Chilperici compluribus aſperſi nævis; ille tamen non uſquequaque contemnendus: bella ipſe geſſit multa, ex quibus & ducis fortiſſimi, & egregii bellatoris laudem meruit. Religione præditum fuiſſe conſtat; nam & ad Ragnemodum Pariſienſem Epiſcopum ſuos remiſit, quos didicerat cædes in baſilica S. Dionyſii feciſſe; cum illi contigiſſet liberiùs de fide loqui, Salvio eum emendante, ſtatim reſipuit, & ultrò ejus doctrinæ acquievit; neque per eum ſtetit, quin Judæi perfidiam ſuam omnes ejurarent. Gregorio reo maje-

Valeſ lib. XI rerum Francicarum.

ſtatis, ſuam teſtanti innocentiam, credidit, ſicut & Carterio Petrocoriorum Epiſcopo. Cum filii ex morbo morerentur, Deum ſibi infenſum ratus, placare donis & eleemoſynis ſtuduit. Sunt & alia ex quibus facile eſt ejus prudentiam juſtitiamque, & multa virtutum documenta conſpicere, adeò ut non verear dicere Gregorium in eo vituperando modum exceſſiſſe. Fortunatus ejus laudes deſcripſit verſibus eo tempore, quo Concilium Brennacenſe habebatur. Leguntur lib. 9. ubi egregiè Chilpericus prædicatur ob bella feliciter fortiterque geſta, ob juſtitiam inprimis. LIB. III. CAP. IV.

Quid de juſtitiæ referam moderamine? princeps,
Quo malè nemo redit, ſi benè juſta petit.
Cujus more probo menſuræ libra tenetur,
Rectaque cauſarum linea currit iter.
Nec mora fit, vero falſus nihil explicat error
Iudiciiſque tuis fraus fugit, ordo redit.

Ornatque ejus elogium aliis laudibus, quod doctrina præditus, quod verſibus ſcribere huic promptum: multa alia addit, quæ cuique facile eſt legere; ex quibus conſtat Fortunatum æquè effuſum in laudes, quàm Gregorius promptus ad criminandum fuit.

CAPUT IV.

De Guntchramno tutore Chlotarii Iunioris. De varia Gundobaldi fortuna. De exequiis Merovei. De Synodo Matiſconenſi ſecunda. De S. Bertchramno archidiacono Pariſienſi. De conventu Andelai, & de Chlotarii II. baptiſmo.

INTERFECTO, ut diximus, Chilperico, Fredegundis anceps animi quid ageret, venit Pariſios, & ad eccleſiam tanquam ad aſylum confugit. Ragnemodus Epiſcopus pro ſuo munere Reginæ tuendæ curam capit. Multi, ut fit, res Fredegundis exciſas rati, ad Childebertum cum theſauris Chilperici fugiunt. Intereà Fredegundis, habito conſilio, ſe ſuaque permittere arbitrio Guntchramni Regis decrevit. Sciebat Childeberti animo memoriam inhærere patris Sigiberti, quem ejus inſidiis interfectum eſſe fama divulgabat, recurrebatque pietas & clementia Guntchramni, qui orbatus filiis, ſui filii, ſuique ipſius facilè tutelam caperet, & adversùs Childeberti conatus utrumque defenderet. Miſit itaque legatos ad Guntchramnum, rogat uti non dedignetur venire Pariſios, ut fraternum regnum capiat, ſibi parvulum infantem in manibus eſſe, cujus tutelam velit illi committere, & ſe filiumque poteſtati ejus ſubjicere. Guntchramnus, audito fratrem occiſum, dolore affectus eſt, confeſtimque admoto ad urbem exercitu Pariſios venit; quo tempore Childebertus ex altera parte ad occupandam urbem, & capiendam Fredegundem venerat. Guntchramnus urbem ingreſſus eſt; repulſus à populo Childebertus. Is miſit legatos ad Guntchramnum, qui, ut ea quæ ex fœdere pollicitus fuerat redderentur, peterent. Guntchramni in manus venerant acta inter Chilpericum & Childebertum, quibus conventum inter Reges, ut uterque regiones & provincias Guntchramni dividerent. Guntchramnus reſpondit admirari ſe eorum frontem, qui ab eo multa pro Childeberto poſcerent, cujus I.

 amicitiam à ſe alienatam voluiſſent. Cumque nihilominùs peterent, ut promiſſa exolveret, & pacta perficeret: ecce, inquit, quæ olim inter Sigibertum, Chilpericum & me tranſacta ſunt, poſt mortem Chariberti. *Vt quiſquis ſine fratris voluntate Pariſius urbem ingrederetur, amitteret partem illam, eſſetque Polyeuctus martyr cum Hilario atque Martino confeſſoribus judex ac diſtributor ejus.* Ad hæc Rex addidit Sigibertum citra ſuam voluntatem, & violatâ juramenti ſanctitate ingreſſum Pariſios, atque adeò vita & portione ſua excidiſſe, Chilpericum vitam & ſua jura violatione pactorum ſimiliter amiſiſſe; quapropter ipſi decretum ſit portionem Chariberti ſuis provinciis adjicere, neque paſſurum ſe quicquam ex eo detrahi. His dictis abierunt legati, qui paulò poſt redierunt, ut Fredegundis inter manus Childeberti traderetur. Hæc, inquiebat Childebertus, amitam meam ſuſtulit; hæc Sigibertum patrem meum interfecit; neque viro ſuo Chilperico Regi, ſublatis patruelibus meis, pepercit. Reſpondit ſe acturum de ea re in Placito (ſic conventus publicos Franci vocitabant) & decreturum ſe quid fieri oporteat. Interim Reginam admonet conſtanti eſſe animo, ſe fore ejus defenſorem; ut illi animos adderet, eam ſæpius ad cœnam vocabat.

II. Intereà Anſovaldus & ceteri Regni Chilpericiani primates, Chlotarium filium Chilperici, puerum quatuor menſium, Regem non modò proclamare, ſed etiam in regni poſſeſſionem eum inducere cogitant. Circumeunt itaque civitates, & in urbibus exigunt ſacramenta, quibus quiſque fidem & obſequium Guntchramno & Chlotario Regi juramento polliceretur.

III. Imperium Guntchramni moderatum erat, ſeveritatem legum manſuetudine quidem, ſed & æquitate temperabat, & reſtitui curavit cuncta, quæ per vim & fraudem abſtulerant, qui plus potentia & favore apud Chilpericum valebant. Donationes & teſtamenta facta eccleſiis rata eſſe juſſit, etiam ea quæ Chilpericus ſuppreſſerat; vim quoque magnam pecuniarum in eleemoſynas impendit; etſi his tutior erat quam armis, hac tamen temporum hominumque improbitate, qua Sigibertum Chilpericumque occiderant, vix ſe tutum ſecurumque exiſtimabat. Ire ad baſilicam ſtipatus cuſtodia, cum aliquando ſacra fierent, & diaconus ſilentium in eccleſia indixiſſet: cœpit Rex populum alloqui, & publicè rogare neu ſe, quemadmodum fratres interimerent, annos ſibi paucos optare, quibus nepotes ad imperium inſtituat; è re publica & commodo ſubditorum eſſe, ut ſuperſtites regii ſanguinis ſint, qui invaſores arceant & cives ab injuria defendant. Populus his verbis excitatus oratione & precibus fidem teſte Deo ſignificavit.

IV. Pariſiis celebris Conventus habitus eſt, quod Placitum dicunt. Huc legatos Childebertus miſit, Ægidium Epiſcopum, Guntchramnum-Boſonem, Siginvaldum, alioſque multos, qui Guntchramnum adierunt. Cum Ægidius princeps legationis benè ei precaretur ob reſtitutas provincias, quas ipſi Chilpericus ademerat, Rex hoc beneficium tribuendum eſſe Deo dixit; tum Rex probro dare ei multa, ejus ſcilicet conſiliis urbes incenſas, devaſtatas provincias, & eum arguere tanquam malorum auctorem, & hæc Sacerdotem feciſſe, quæ homo profligatiſſimus non faceret: Ægidius ſeu conſcientia ſeu verecundia obticuit. Ecce alter è legatis repetit urbes & provincias, quas ex portione Sigiberti occupaverat. Guntchramnus non redditurum reſpondit; ſuas quippe eſſe ex lege pactionum. Alius verò è legatis Fredegundem poſcit ſibi tradi, ut criminum & maleficiorum artificem, quæ Regibus multis necem molita fuerat. Rex Guntchramnus eam ſe traditurum negat, quippe quæ filium habeat Regem; neque his ſe credere ait, quæ illi objicerentur. Cum verò Guntchramnus-Boſo ad loquendum ſe compararet, & de Gundobaldo ſermo eſſet, Rex eum occupare cœpit, & proditionis palam accerſere.

V. Gundobaldus à puerilibus annis à matre in morem Regum educatus fuerat; quippe ejus mater aſſerebat hunc à ſe ſuſceptum ex Chlotario, curaveratque inprimis, ut ſpargeret ſuper humeros comam, ut litteris ſtudiiſque liberalioribus imbueretur. Chlotarius tamen eum longè à ſe amovere, & tan-

quam ſuppoſitum filium procul ejicere. Mater nihilominùs de eo tanquam de puero regio divulgare ſermones, & cum inter Childebertum & Chlotarium deflagrarent odia, ad Childebertum adiit, filium fratris Chlotarii abdicatum à patre dictitat, & quærere ſibi apud eum ſolatium, & alterum filio parentem. Childebertus orbatus filiis eum in odium Chlotarii educari in aula juſſit: rebus deinde cum fratre compoſitis Gundobaldum Chlotario tradidit, qui, ut ei ſpem regni adimeret, non modò eum denegare, ſed & tonderi juſſit. Gundobaldus poſt mortem Chlotarii iterum promittere comam cœpit, & ad Charibertum confugere, cui maſcula proles non erat; mox traditus Sigiberto Regi, artonſus eſt, & in exilium miſſus; unde fuga elapſus in Italiam primùm, tum Conſtantinopolim profectus eſt. Paulò-poſt Guntchramnus-Boſo multis jactatus periculis eòdem venit, Gundobaldumque allocutus ei in Galliam reditum perſuadet, ad ſpem regni recipiendi excitat, & opem pollicetur; ita Gundobaldus in Gallias reverſus eſt. Complures ſtatim, ſeu novitatis avidi, ſeu turbarum incentores hunc ſequi, elevare in Regem more Regum Francorum. Ipſe cum magno incedere comitatu, civitates Guntchramni Regis in ſuas partes vel vi, vel voluntate pertrahere. LIB. III. CAP. IV.

In eo ſtatu res Gundobaldi erant, cum Rex Guntchramnus Conventum habebat Pariſiis, ubi, cum Boſo Regem ſermone aggrederetur, Rex ipſe de Gundobaldo multa Boſoni exprobravit; eum ſcilicet ea mente Conſtantinopolim profectum, ut Ballomerem, (ſic Gundobaldum per contemptum vocitabat) reduceret ab Oriente, & Regem in Galliis conſtitueret. Boſo verbis quidem honorificis Regem allocutus eſt, cui liceret, quæcumque vellet, pro arbitrio & voluntate dicere; innocentiam tamen ita paratum eſſe profiteri, ut non abnuat cum quolibet homine ſuæ ſortis dimicare. Cum ceteri, qui aſtabant, ſilerent; Rex multa in Ballomerem debacchatus eſt, & pariter in ejus patrem, quem ex molendino, modò ex lanificio vitam toleraſſe aſſerebat. Legati demùm, cum Rex neque provincias neque civitates reddere cuperet, abire parant. Tum unus è legatis adjecit ſalvam adhuc ſecurim impactam fratrum cervicibus, quæ ejus capiti immineat. Quibus verbis offenſus Rex, juſſit ſuper capita abeuntium projici lutum & ſtercora. VI.

Cum Rex adhuc Pariſiis moraretur, quidam eum admonet ſtrui illi inſidias à Faraulfo cubiculario quondam Regis Chilperici; ſtatutum ipſi Regem vel cultro vel haſta confodere, cum ad matutinas preces iret. Rex Faraulfum acciri jubet, cumque crimen denegaret, Rex nihilominùs ſibi conſulere cœpit, neque amplius, niſi cum cuſtodibus & militibus armatis foris pedem efferre; ſeu Rex ſibi metueret; ſeu timeret ne nova Fredegundis ſe abſente moliretur: Reginam egredi Lutetia juſſit, & ſe in villam Rotoialenſem propè Rotomagum recipere. Optimates Regni eam ſequuti ſunt, pollicitique fidem Chlotario ejus filio, ad eum redierunt. Rex ipſe Guntchramnus Cabillonum diſceſſit. VII. Greg. lib. 7. cap. 18.

Rex poſteà adverſus Gundobaldum in Aquitaniam profectus eſt, pepigitque fœdus cum Childeberto; & expeditione per legatos feliciter facta, Gundobaldo interfecto, & exciſa Convenarum civitate, quò Gundobaldus confugerat, Cabillonum regreſſus eſt; unde Nivernum, ac deinde Aurelianos, ac demùm Pariſios venit. Quò cum adveniſſet, vehementer conqueſtus eſt contra nutritios Chlotarii pueri, quod cum veniſſet ipſe ad diem Natalem Domini, ut eum de fonte ſacro ſuſciperet, neque ad Paſchalem Sollemnitatem, neque ad diem feſtum S. Joannis ſiſteretur puer ad baptiſmum. Cœpit Rex inquirere de puero, atque de ejus natalibus multa ſciſcitari; an ex regio ſanguine ſit, an aliunde aſcitus. Verita eſt Fredegundis ne quid acerbius de puero ſtatueret. Illa igitur congregavit tres Epiſcopos, & trecentos ex optimatibus regni, qui omnes coram Guntchramno ſub ſacramento teſtati ſunt puerum hunc eſſe filium Chilperici, quorum confirmatus teſtimonio Rex omnem deinceps ex animo ſuſpicionem amovit. VIII.

Rex ſæpiùs deflere mortem Merovei & Chlodovei ex Chilperico fratre IX.

 nepotum ſolebat, & ſæpiùs ob eorum cædem dolori palam indulgere. Ecce verò eum adiir vir ignotus & infimæ ſortis, pollicitus, ſi ſecuritatem daret, oſtenſurum ſe locum, ubi Chlodovei cadaver jaceret. Rex ſecuritarem non modò, ſed & præmia promiſit. Tum ille ait, primò quidem ſub ſtillicidio cujuſdam oratorũ fuiſſe tumulatum; ac juſſu Fredegundis, ne quis eum cum honore ſepeliret, in profluentem Matronæ projectum, & à ſe repertum in flumine, dum piſcaretur; & ex cæſarie agnitum Chlodoveum, quem poſteà ef- Greg. lib. 8. cap. 10. foſſa terra, tumulaverat. Quod cum Rex comperiſſet, ſimulans venationem, ad locum deductus, aperto tumulo nepotem ipſe agnovit ex longa prolixaque cæſarie; inſuper Ragnemodum Epiſcopum Parienſem huc cum Clero civitaris accedere, celebratiſque cum magnifico apparatu ejus exequiis, eum ad baſilicam S. Vincentii efferri & tumulari juſſit. Miſit deinde Pappolum Carnotenſem Epiſcopum, qui Meroveum è loco, ubi ſepultus fuerat, ad eamdem baſilicam efferret, & juxta Chlodovei tumulum ſepeliret. Ita Rex piiſſimus pari luctu, paribuſque honoribus funera nepotum atque filiorum proſequutus eſt.

X. Rex intereà Theodorum Epiſcopum Maſſilienſem, ad ſe adduci juſſerar, quod Gundobaldo faviſſe, & ipſum Maſſiliæ ex Oriente venientem excepiſſe crederetur. Cauſam ejus aliorumque Epiſcoporum, qui ejus partibus faverant, ab Epiſcopis judicatam volebat: quamobrem ad Childebertum legatos miſit. Is tunc temporis verſabatur in caſtro, quod à confluentibus Moſellæ Rhenique habet nomen. Conqueſti ſunt legati, quod Childebertus Conventum Trecis, ut inter ſe ſimul promiſerant, differret. Legatis nihil de prorogatione Synodi reſponſum eſt, ſed honorificis verbis Guntchramnum Regem à nepote Childeberto Rege loco parentis haberi, ſicut apud eum loco filii eſſe ſe cognoſceret: Trecæ certè habendæ Synodo opportunæ non videbantur.

XI. Anno Chriſti DXXCV. nt habent Sirmondus & Annales Eccleſiaſtici Francorum, habitum eſt Concilium Matiſconenſe. II. juſſu & evocatione Guntchramni Regis, cœptum x. Calend. Novembris: unde & Epiſcopi petierunt ut celeriter cauſæ & negotia pertractarentur, ne Epiſcopos *ſævæ hiemis procelloſa tempeſtas à ſedibus ſuis, quia longè ſunt, longitudine ſua arceat* &c. Sanè IV. Idus finitum Concilium fuiſſe conſtat ex præceptione Guntchramni Regis quam poſt Synodum edidit. Quadraginta tres Epiſcopi adfuerunt Synodo, vicarii ab Epiſcopis abſentibus miſſi adfuerunt xx. & tres Epiſcopi qui ſedes non habebant. Inter Epiſcopos Ragnemodus Epiſcopus Pariſienſis interfuit. Priſcus Epiſcopus Lugdunenſis Synodo præfuit, iſque primus cœpit loqui, & Epiſcopis conventum gratulari; reliqui teſtati quoque ſunt lætitiam, quod omnes Epiſcopi ex regno Guntchramni in unum conveniſſent; Deum ſe enixè orare dixerunt ut ea decernerent, quæ grata regiæ majeſtati & quæ utilia Eccleſiis ſint. Hæc ita præfati cauſas Epiſcoporum judicare cœperunt. Fauſtinianus juſſu Gundobaldi Aquenſis Epiſcopus fuerat ordinatus; Bertchramnus Burdigalenſis, Oreſtes Vaſatenſis, Palladius Sanctonicus ipſi manus impoſuerant. Conſtitutum eſt à Patribus, ut eum vicibus paſcerent, & ſingulis annis centum aureos ei perſolverent. Urſicinus Cadurcenſis Epiſcopus, quod Gundobaldum ſe recepiſſe publicè confeſſus eſt, excommunicatus eſt; & prætereà tribus annis pœnitentiæ legibus ſubjectus: quo tempore vetitum eſt ne capillos tonderet, & pilos barbæ raderet; cautum quoque ut vino & carnibus abſtineret, ne Miſſas celebraret, ordinaret clericos, conſecraret eccleſias, chriſma faceret, neque etiam eulogias daret; bona tamen Eccleſiæ & oblationes ex ejus ordinatione, ut conſuetum erat, diſtribuerentur. De Theodoro vero Epiſcopo Maſſilienſi nihil decretum accepimus; ſeu quod ejus defenſionem Childebertus ſuſcepiſſet, ſeu ægrotante Rege ad Eccleſiam rediit, Lib. 8. cap. 20. ut Gregorius memorat. Addit Gregorius à Prætextato Epiſcopo Rotomagenſi lectas orationes quas exul ſcripſerat; Epiſcopos verò variam de his tuliſſe ſententiam; ab aliis laudatas, & ab aliis reprehenſas eſſe; etſi ſtylus eccleſiaſticus erat, neque aliàs contemnendus.

Viginti canones editi ſunt. Primùm Patres legem de obſervatione diei Do- LIB. III.
minicæ inſtituerunt, ut neque cauſæ agerentur, aut exercerentur judicia; ne- CAP. IV.
que ruſticani, aut ſervi agreſtibus operibus vacarent; ſed omnes his diebus XII.
pietati & orationi ſe ſe addicerent. Si judex contra egerit; ut omnino agere
cauſas illi non liceat: ruſticanum verò plecti verberibus decernit; clericum
verò aut monachum à conſortio fratrum ſex menſium ſpatio alienum eſſe ju-
bet. II. canone ſtatutum eſt, ut per ſex dies Paſcha fieret, & omnes ab opere
his diebus feriarentur. Cum verò ad vigilias & natales martyrum baptiſmi
celebrarentur, & pauci diebus Paſchatis ſiſterentur ad baptiſmum, vetitum
eſt III. ne amplius id fieret, & ad ſanctam Sollemnitatem quiſque regenera-
tionis ſacramentum reciperet. Cautum IV. & V. canone, ut oblationes vini
& panis pro Euchariſtia ſingulis Dominicis fierent, & decimæ offerrentur pro
alimonia pauperum & redemptione captivorum. VI. canone indictum eſt, ut
à jejunis ſacrificium celebraretur. VII. eſt pro libertis, qui libertatem in
Eccleſiis conſequuti erant, ut eorum cauſæ non à judicibus, ſed ab Epiſcopis
judicentur. VIII. eſt pro privilegiis eccleſiarum, ut, qui eò confugerit, de-
fendatur ab injuria: indignum enim cenſent Patres, ut qui ad ſtatuas Regum
confugerint, illæſi ſint; & pereant qui ad aras Dei immortalis ſe recepcrint.
IX. canone percutiuntur anathemate judices, qui Epiſcopos ad ſæculare tri-
bunal pertrahunt, vultque eorum cauſas à metropolitanis judicari; quod ſi res
poſcat, unum aut alterum Epiſcopum metropolitanus colligat, aut Synodo
habita rem definiat, & X. pariter idem de cauſis clericorum ſtatuitur. In XI.
admonitio eſt ad omnes Chriſtianos, ſed præſertim ad Epiſcopos, ut hoſpita-
litatem ſervent. XII. canone conſultum eſt cauſis & rebus viduarum & pu-
pillorum, ut ab Epiſcopis judicentur. XIII. Epiſcopi canes & accipitres alere
vetantur. XIV. anathemate percutiendos ait potentes, qui miſeros opprimunt,
& injuria afficiunt. XV. ut honor habeatur clericis. Quod ſi quis laicus unum
aliquem eorum offendat in via, eum ſummiſſo capite honoris gratia ſalutet; ſi
uterque equo inſidet, laicus, ſublato galero, ei officia honoris præbeat; ſi laicus
eques ſit & pedes clericus, ille ex equo deſiliat & honorifica ſalutatione cle-
ricum dignetur afficere. XVI. interdictum ne viduæ clericorum, ſubdiaconi,
ſcilicet, exorciſtæ, & acolythi ſecundis ſe nuptiis illigent. XVII. de ſepultu-
ris actum eſt. XVIII. contra illicitas nefariaſque nuptias ſtatutum eſt. XIX.
ad laicam communionem dejiciuntur clerici, qui contra reos teſtimonium fe-
runt; ſi præſertim aliquis pro crimine ſit interficiendus. XX. & ultimo cano-
ne indicitur poſt triennium Synodus; & Epiſcopi, qui defuerint, alieni à ſo-
cietate aliorum judicantur.

Soluta Synodo Rex decreta Pontificum per præceptionem publicavit. In XIII.
ea Rex deflet nefandam temporum ſuorum corruptelam, quæ iram divinam
in provincias excitet; malorum omnium cauſam peccatis mortalium tribuit;
ait munus eſſe Pontificum objurgatione aſſiduâ reprimere vitia, & bonos mo-
res in Eccleſiam inducere. Prohibet deinde, ne quis corporali operi, diebus
Dominicis aut aliis ſollemnitatibus, neque cauſis agendis judex vacet. Immò
his inprimis diebus Epiſcopi adhortari ad pietatem & honeſtatem vitæ popu-
lum non deſinant. Hæc & alia Rex religioſiſſimus edicit, quæ præcepto ſuo
continentur. Datum eſt IV. Idus Novemb. anno XXIV. regni Guntchramni
Regis.

Eo ferme tempore incendium urbem devaſtavit; in hunc modum rem deſ- XIV.
cribit Gregorius. Quædam mulier Lutetiæ Pariſiorum cœpit vociferari, & Lib. 8. cap.
palam clamare urbem brevi ignibus perituram, & adhortari cives ad fugam. 33.
Plerique feminæ ſermones aſpernari, & ut inſanientis ſomnia irridere. Illa
nihilominus aiebat id futurum; ſe per ſomnium vidiſſe virum lumine fulgentem,
& ex baſilica S. Vincentii venientem, & ſuccenſa face, quam gerebat manu,
ædibus & tabernis negotiantium ſubdentem flammas. Etſi hoc ſomnium eſt
muliebre, præſagii tamen veritatem eventus oſtendit. Etenim poſt tertium
diem, quàm mulier locuta eſt, ecce ſub veſperam, quidam è civibus ingreſſus

eſt promptuarium, lucernam manibus tenens: neſcio quo caſu ex eo egreſſus eſt, relicto ad olei cupellam igne, quæ illico exarſit, totamque domum ſuccendit. Illa domus poſtrema omnium erat, pertinebatque ad portam urbis, quæ ad Meridiem eſt; flamma deinde vicinas domos abſumere cœpit, carcerem quoque ignis corripuit. Viſus hic Germanus ſecare catenas, quibus vincti tenebantur, & reſerato oſtio viam ad fugam facere. Hi in baſilicam S. Vincentii ad ſepulcrum beati Antiſtitis ſe receperunt, ut ſe ejus ope tuerentur, cujus operâ vincula effugerant. Interim per domos graſſatur ignis, infert omnibus locis perniciem, jamque portam adverſam propè attigerat. Oratorium beati Martini hic habebatur religione civibus venerandum, ob ſanatum in eo loco leproſum, cujus luem ſanctus oſculo depulerat. Quidam civis cùm conjuge, ut ſe à flamma tueretur, huc confugit; tum minabatur flamma, igneoſque globulos contra parietem oratorii emittebat. Trepidabat populus, & clamoribus validis eos admonebat, ut hinc evaderent: illi tamen ſanctitate loci, & virtute beati Pontificis confiſi reſiſtebant. Sanè manifeſta fuit viri ſancti virtus; nam vis flammæ ſtatim corruit, neque ulteriùs progreſſum incendium. Oratorium non modò, ſed & ædes circumquaque à flamma incolumes evaſere; alias urbis regiones ignis pervaſit. Addit Gregorius aliud, quod ſuperſtitioſæ fabulæ ſimillimum eſt, urbem aliquando ita conſecratam, ut nocere illi flamma non poſſet, neque glires, neque ſerpentes; ſed cum cuniculus pontis effoderetur, inventum glirem ſerpentemque æreum, ablatumque; & ex eo tempore urbem gliribus refertam, & incendiis ſæpius abſumptam; ac ſæpius viſos eſſe ſerpentes.

XV. Anno ſequenti res honorifica Eccleſiæ Pariſienſi contigit. Bertchramnus archidiaconus Eccleſiæ Pariſienſis in locum Badegiſili Epiſcopus Cenomanenſis ſubrogatus eſt. Is ex nobili familia in Aquitania natus, Turonis tonſuram accepit: inde Pariſios profectus eſt; ubi admiratus virtutes ſancti Germâni Pariſienſis Epiſcopi, ſe ejus diſciplinæ penitùs addixit, à quo poſteà innutritus & inſtitutus aliquot gradus in hac Eccleſia promeruit; undè poſteà ad archidiaconatum evocatus eſt: hoc ipſe in teſtamento ſuo ſignificat. Scribit Gregorius Bertchramno Epiſcopo multas fuiſſe lites cum uxore relicta Badegiſili, quòd illa retineret quàmplurimas Eccleſiæ poſſeſſiones, quas dicebat eſſe *militiam viri ſui*, quas tamen vel vi, vel voluntate reſtitui Epiſcopus curavit. Bertchramnus porrò Eccleſiam piè & ſanctè adminiſtravit, ſeque operibus & benefactis diſcipulum S. Germani & Eccleſiæ Pariſienſis alumnum probavit. Multa monaſteria, plureſque baſilicas condidit & dotavit: neque totidem ab aliis Cenomanorum Epiſcopis vel ædificatas, vel locupletatas accepimus. Is, cùm aliquando noctem in oratione tranſigeret in turre ad auroram, admonitus eſt ab Angelo Michaele, ut in loco vicino, cui nomen, Vivereus, baſilicam ſub nomine SS. Apoſtolorum Petri & Pauli conſtrueret & dotaret; quod poſteà confecit; modò monaſterium eſt de Cultura Dei. Duo quoque ſyndochia, ut vocat, ſeu xenodochia dotavit, alterum S. Crucis, alterum ſancti Martini ad Pontileugam; ſed & cœnobium fundavit in honorem S. Germani Epiſcopi Pariſienſis; & oratorium, ubi viderat Angelum, quod nunc etiam S. Michaelis nomen habet. Sed hæc externa ſunt: ecce domeſtica. Inter pias donationes, quas teſtamento ſcripſit, ille memor Eccleſiæ Pariſienſis, ubi tyrocinium clericatus poſuerat, huic villam & vineas legavit, ut ex ejus teſtamento accepimus, ubi hæc leguntur. *Id mihi placuit delegare, ut villa Nimione, ſita in territorio Pariſiaco cum vineis, quæ Frontanito ad palaſtrias & vinitores eſſe noſcuntur, quas mihi domnus Chlotarius Rex dedit, quæ meo ſæpius, dum laicus fui, tam de fiſco, quàm de comparato, poſſidendum ſanctæ Eccleſiæ Pariſiacæ, ſub cujus gratia nutritus ſum, ad integrum volo eſſe donatum.* Neque oblitus religioſus Pontifex baſilicæ S. Vincentii in ſuburbanis Pariſiorum, ubi ſciebat ſanctum Germanum ſepultum fuiſſe. *Baſilicæ domni & peculiaris patrini mei Germani Epiſcopi, qui me dulciſſimè enutrivit, & ſua ſancta oratione, acſi indignum, ad ſacerdotii honorem traduxit, ſi ſuperſiſtit, ut in baſilica domni Vincentii, ubi ejus ſanctum corpuſculum*

*tulum requieſcit, dono inibi in honore ſepulturæ ſuæ villam, Bobane, quæ eſt in territorio Stampenſe ſuper fluvio, Calla, quem mihi glorioſiſſimus domnus Chlotarius Rex ſuo munere contulit, ut ſi ſemper corpus ejus in baſilica nova, quam inclytus * Chilpericus quondam Rex conſtruxit, ſi convenerit ut inibi transferatur, villam ipſam, ubi ejus ſemper corpus fuerit, ſemper ibidem deſerviat, & ipſe ſanctus Pontifex pro meis facinoribus deprecare dignetur. Rogo Abba illuſtris loci illius ut nomen meum in libro vitæ recitetur.* LIB III. CAP. IV. * Childebertus

Guntchramnus Rex cum nepote Childeberto pacem iniit; eaque ut firmiſſimis vinculis colligata permaneret, pactio hæc inrer eos edita, ut tertia portio è regno Chariberti, quam olim Sigibertus poſſederar, quamque ob violatam pactorum fidem Guntchramnus occupaverat, ad Childebertum rediret, excepta civitare Pariſiorum, cum caſtellis Dunenſi & Vindocineoſi, & pagis Carnutino & Stampenſi, quæ ſub poteſtate Guntchramni Regis remanerent. Deinde ut regnum alterutrius, qui ſine liberis è vita decederet, ad hæreditarem ſuperſtitis devolveretur: de aliis deinde rebus conventum eſt, quæ ad Chrotildem filiam Guotcbramoi, & Brunichildem Reginam pertinebant. De Leudibus pariter conſtitutum, ut quiſque in regnum, cujus erat, tempore Sigiberti Regis, rediret, & ab altero diſcederet, & ſe ſub illius poteſtare ſummirteret, cui fidei & obſequii ſacramentum priùs feciſſet: ea tameu ita acta velint, ut quicquid eccleſiis, aur ſuis contuleriut, aut conferre voluerint, rata ſint; quæ omnia ſe ſine dolo malo ſervaturos eſſe, cum ſacramento polliciti ſunr. Hanc pactionem Gregorius in hiſtoria iotegram deſcribit. Hæc habita ſunt Andelai in finibus Burgundiæ & agri Lingonici IV. Calend. Decemb. aono XXVI. Guntcbramni Regis & Cbildeberti XII. Rebus ita compoſitis diſcedunt Reges, pacemque inter ſe cuſtodiunt, juratamque fovent amicitiam; tamen poſt aliquot annos, ea, quæ fœdere juncta fuerant, peoè diſſoluta ſunt hac occaſione. XVI. Greg lib. 9. cap. 20.

De baptiſmo Chlotarii Regis, de quo anteà memoratum eſt, iterum ſermo fuit; & iterum Guntchramnus rogatus eſt, ut ex fonte ſacro eum ſuſciperet. Hoc pietatis officium Rex religioſus non recuſavit; venit itaque Rex Pariſios, inde ad Rotoialum, quæ villa eſt agri Pariſienſis, accerſitoque puero juſſit Nemptodori, qui vicus eſt vicinus, omnia ad baptiſmum comparari. Intereà eum adierunt legati Childeberti Regis, conqueſtique ſunt, quod Guntchramnus, qui nuper cum Childeberto Rege pacem pepigerat, ipſe cum ejus inimicis amicitiam contraheret, atque ita jurata fœdera violaret; eo ſcilicet conſilio Cblotarium evocatum, ut Regem Pariſiis conſtitueret: addebant Deum perjurii vindicem fore. Rex, ea manſuetudioe qua præditus erat, reſpondit ſibi in animo eſſe conventa retinere, & inviolatè cuſtodire; oeque ob eam cauſam Chlotarium veniſſe, ſed ſe rogatum, ut nepotem ex fratre levaret ex fonte; quod nemo Cbriſtianus deneget, ſe nihil mali animo coquere, neque velle quicquam moliri quod religiouem pactorum diſſolvat, atque ideò iram numinis in ſe convertat. Quid, ſi quotidie liceat dominis etiam filios famulorum ex ſancto lavacro ſuſcipere, an non ſibi integrum ſit filium fratris, filium in baptiſmo facere ſpiritalem? Annuncient igitur Childeberto Regi ſe pactiones juratas cuſtoditurum inviolatè, quandiu ipſe ea ſervari curabit: ita legati diſceſſerunt. Ipſe verò ad ſacrum foutem venit, puerumque è lavacro ſuſtulit, Chlorariumque nomioe appellavit, & bene puero precatus eſt, poteſtate & felicitate avum Chlotarium adæquaret. Tum Chlotarium recens ablutum convivio excepit, & donis cumulavit; ſimiliter ab eo exceptus donatuſque Cabillonum reverſus eſt. Aderant optimates regni, inter quos Ætherius Epiſcopus Lugdunenſis, Siagrius Auguſtodunenſis, & Flavius Cabilloοenſis, præter alios multos, quos Rex ad hunc celebrem Conventum vocaverat; multi quoque ex familia Regis, ac præſertim Comites. Ita Chlotarius baptiſmum ſuſcepit, & à Guntchramno Rege è ſancto lavacro ſuſceptus eſt. XVII.

R

CAPUT V.

De morte Ragnemodi Pariſienſis Epiſcopi & de ejus ſucceſſoribus Euſebio & Faramodo. De morte Guntchramni & de ejus virtutibus. De bellis inter Childebertum & Chlotarium. De morte Childeberti & Fredegundis.

I. ANTE celebritatem baptiſmi, de quo dictum eſt, Gregorius memorat mortem Ragnemodi Epiſcopi Pariſienſis, poſtquàm hujus Eccleſiæ pontificatum quindecim annos geſſit. Ille in Eccleſia Pariſienſi à ſancto Germano ſacris documentis informatus eſt. Diaconum, preſbyterumque ab eodem ordinatum eſſe conſtat ex iis quæ relata ſunt. Carus Regibus fuit, & à Gregorio Turonico laudatus eſt. Fredegundis ſe ſub ejus tutela & defenſione in eccleſia Pariſienſi poſt mortem Regis Chilperici commiſit. Ejus itinera ad ſepulcrum ſancti Martini teſtantur eum & fide & pietate claruiſſe; ſed & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindicem fuiſſe, ea, quæ ſuperiùs retulimus, oſtendunt, quando eſſe mulctatos voluit aulicos, qui ad ſepulcrum ſancti Dionyſii ad manus venerant, & fuſo cruore locum ſanctum polluerant; eáque inprimis, quæ de Theodulfo diacono eccleſiæ Pariſienſis Gregorius narrat. Is relicta eccleſia Pariſienſi, cujus clericus erat, Andecavos ſe receperat ad Audovenum hujus civitatis Epiſcopum: qui nempe ex eo tempore, quo ſimul Pariſiis vixerant, ſocietate vitæ & amicitiæ vinculo conjuncti fuerant. Ragnemodus ægrè patiebatur diaconum abeſſe ab eccleſia: hunc itaque revocat, & iteratis mandatis redire ad eccleſiam jubet, dicto non audientem excommunicat; tanta erat diacono & tam arcta cum Epiſcopo Andecavenſi neceſſitudo. Tandem Deus injuriam graviter ultus eſt. Cum enim diaconus è ſolario vino madens deſcenderet, pulſus inconſultò ab Epiſcopo Andecavenſi, præceps deorſum corruit, fractiſque oſſibus & membris periit & violenta morte pœnas contumaciæ dedit. Prætereà Ragnemodus Conciliis adfuit Pariſienſi, ubi cauſa Prætextati agitata eſt; & Matiſconenſi. Sed hoc memorabile eſt, quod poſt mortem Chilperici, cum Guntchramnus detrectaret Prætextatum è ſede abdicatum audire, ex judicio tamen unius Ragnemodi, & ad menſam Regis vocatus eſt, & in ſedem, refragante nemine, reſtitutus. Immò Prætextatus ipſe Synodo Matiſconenſi II. interfuit, & canones cum aliis edidit, cum nullus Antiſtitum ejus reſtitutionem, nec judicium Ragnemodi improbaret. De Ragnemodo Fortunatus ſic ſcribit.

Lib. 9. carm. 10.

Summe Pater patriæ dulci mihi lumine Rucco
Interiora mei cordis amore tenens.
Quidquid amicitiæ veteris collegimus ambo,
Creſcit in affectum ſemper opime meum.
Nam mihi nulla meos oblivio tollit amantes;
Ante ſit extremum, quàm mihi deſit amor.
Unde beate pater properans dependo ſalutem,
Optans longinquo te ſuper eſſe gradu.
Hinc etiam gemitæ reddunt tibi pectore grates
Munere pro niveo, marmore de pario.

Quæ quoties epulæ diſco tribuuntur in illo.
In doni ſpecie te pietate vident.
Nam pro gemmarum ſerie tibi reddat honorem,
Cui data proficiunt, crux veneranda throno.

II. Verum Eccleſia Pariſienſis, quæ clericorum pietate florebat, morte Ragnemodi Pontificis graviſſimam jacturam paſſa eſt. Etenim poſt ejus obitum cathedra Pariſienſis fœda nundinatione coempta eſt. Faramodus frater Ragnemodi vacuum pontificatum ambierat. Erat tunc temporis Euſebius Syrus natione, qui huc negotiandi cauſa venerat. Hic quaſi ſub haſta venalis epiſcopatus eſſet, pecunia, donis & muneribus hunc prenſare cœpit, tantumque turpi licitatione per Fredegundem effecit, ut Ragnemodo ſubrogaretur: hujus illicitæ electionis Gregorius meminit. *Ragnemodus quoque Pariſiacæ urbis Epiſcopus obiit, cumque germanus ejus Faramodus presbyter pro epiſcopatu concurreret, Euſebius quidam negotiator, genere Syrus datis multis muneribus, in locum ejus ſubrogatus eſt. Iſque accepto epiſcopatu omnem ſcholam deceſſoris ſui abjiciens, Syros de genere ſuo eccleſiaſticæ domui miniſtros ſtatuit.* Significat Gregorius Euſebium amore ſuæ gentis clericos, quos ſolebat Epiſcopus Pariſienſis alere & inſtituere ad ſuæ eccleſiæ miniſterium, ſeu ad cantum, ſeu ad legendum, aut ſacra facienda, aliaque eccleſiæ obeunda munera, fuiſſe ſublatos ab homine externo; alioſque ex ſua natione in eorum locum intruſos. Diu Syrum illum rexiſſe Eccleſiam Pariſienſem non arbitror: Faramodus enim, qui jam antea epiſcopatûs candidatus fuerat, paulò poſt ei ſucceſſit; de quo, ſicut & de Euſebio, nulla aliàs memoria eſt.

Lib. 10. cap. 26.

III. Hiſtoria Gregorii Turonenſis paulò poſt mortem Ragnemodi deſinit; unde magna rebus noſtris exoritur obſcuritas, cum ejus hiſtoriæ continuationem nullius penè nominis ſcriptores ſuſceperint, & pro perpetua hiſtoria diſſoluta chronica exaraverint, ubi de Regum geſtis & publicis rebus nihil prope ſcriptum reperimus. Non mirum eſt cur nihil, aut pauca de rebus Eccleſiaſticis; atque inprimis de rebus Eccleſiæ Pariſienſis, memorata ſint. Colligemus igitur ea, quæ qualitercumque ſparſa per alia loca ſunt; & quaſi per aviam ſolitudinem & incultum ſolum quomodocumque viam ſequemur, donec uberiores tractus, & cultiora loca teneamus.

IV. Ad urbem Pariſienſem pertinent etiam res Guntchramni Regis; nam & in ejus poteſtate urbs fuit poſt mortem Chariberti Regis Pariſiorum. Ejus fratres trifariam ejus portionem partiti ſunt. De Pariſiis conventum ut trium eſſet, & nemo in eam urbem ingrederetur ſine aliorum conſenſu, & diſpendio portionis; quod juramento teſtati ſunt; & promiſſi vades acceperunt SS. Polyeuctum, Hilarium & Martinum, quos ſibi adverſos eſſe voluerunt, ſi fallerent. Sigibertus nihilominus inconſultis aliis venit Pariſios, & pariter Chilpericus: utroque ſublato, ut retulimus, Guntchramnus urbe potitus eſt, & pactione Andelai actâ, portio Pariſiorum, quæ erat Childeberti II. in Guntchramni poteſtatem venit. His rebus ita conſtitutis de Guntchramni obitu pauca dicemus, ejuſque virtutes breviter attingemus. Chronicum Fredegarii anno ſui regni v. Calend. Aprilis mortuum eſſe refert, & ſepultum in eccleſia ſancti Marcelli, quam ipſe cum monaſterio Cabilloni extruxerat. Vixit Guntchramnus annos unum ferme & ſeptuaginta, regnavitque unum & triginta cum aliquot menſibus. Romanum martyrologium illius meminit ad v. Calend. Aprilis. *Cabillone in Galliis depoſitio S. Guntchramni Regis Francorum, qui ſpiritalibus actionibus ita ſe mancipavit, ut relictis ſæculi pompis theſauros ſuos eccleſiis & pauperibus erogaret.* Uſuardus, Molanus & alii ad eumdem diem illius meminerunt.

V. Guntchramno Regi, ſicut ceteris hominibus, ſui fuerunt nævi; ſed quod omnibus Regibus non accidit; magnis præſtantiſſimiſque fuit virtutibus inſignis: pietas illi ſingularis, & ſumma religio; frequens in baſilicis erat ad orandum Deum, pervigilia ſæpius & jejunia exercebat, pauperibus eleemoſynam erogabat, reverebatur Epiſcopos ſicut patres ſpiritales, baſilicas extruxit & annuis reditibus dotavit monaſteriaque condidit; in ſumma illa, qua pollebat,

LIB. III. CAP. V. poteſtate, auctorem ſuæ magnitudinis Deum ſummiſſo animo excolebat, nec adulationibus hominum deceptus ſuperbè ſe efferebat. Cum aliquando Aurelianos veniret IV. nonas Julii, quo die fit ſollemnitas ſancti Martini, cum omnes è portis erumperent, ut irent ei obviam; & quiſque variis linguis ejus laudes caneret, Judæi quoque, qui in ea urbe magno numero morabantur, cœperunt ultra modum eum laudibus extollere. *Omnes gentes*, aiebant, *te adorent, tibi genuflectant, atque tibi ſint ſubditæ.* Celebratis ſacris Rex menſæ aſſedit cum ſacerdotibus, & inter epulas imprecabatur huic infeliciſſimæ genti. *Væ*, inquiebat, *genti Judaicæ, malæ & perfidæ, ac ſubdolo ſenſu viventi, ob hoc mihi*, *inquit*, *hodie laudes adulatorias acclamabat, ut me cunctæ gentes, quaſi Dominum adorarent, ut ſynagogam eorum, quæ dudum à Chriſtianis diruta eſt, juberem ope publica ſublevari, quod inhibente Domino numquam ero facturus.* Fuit illi ſacerdotalis ſollicitudo, populum amore complectebatur de ejus malis, & incommodis anxius, quæ ut averteret, & iratum Deum placaret, omnibus modis laborabat; nunc ſe jejuniis & ærumnis macerans; nunc ſupplicationibus publicis numen exorans, aliiſque exercitationibus pulſans cælos. Cum lues inguinaria infeſtaret Provinciam, & mali labes ad agrum uſque Lugdunenſem ſerperet, juſſit ipſe, velut pius ſacerdos, fieri conventus in baſilicis, & rogationibus publicis Deum in auxilium vocari; & ipſe aliis non tam auctoritate quàm exemplo præeſſe, jejuniis corpus affligere, pane hordeaceo victitare, aqua ſedare ſitim, noctem in precando Deum inſomnem tranſigere, & liberali manu pecunias largiri, & eleemoſynas largiùs ſolito profundere: ita implebat & Regis & ſacerdotis officia. In Deo ſpem omnem collocabat, ad ipſum omnibus contendebat viribus, ipſi ſuas cogitationes tota mente referebat, factaque piè & ſanctè geſta ab ipſo proficiſci ultrò fatebatur. Etſi impii & profligati homines ſæpe necem ei inferre tentaverunt, certum eſt tamen populo carum gratumque fuiſſe. Reverebantur eum ſubditi non modò ut Regem, ſed ut virum ſanctitate & virtutibus conſpicuum, quem & donis ſpiritalibus refulgentem putabant. Mulier quædam filio quartanâ laboranti præbuit aquam, ubi immerſerat diſſectam ex ejus veſte fimbriam; & puer ſanatus eſt. Gregorius ſcribit ſæpiùs ſe vidiſſe energumenos, qui ejus nomen invocarent, & qui ejus incitati virtute peccata & crimina faterentur. Non modò pepercit ingenuæ puellæ, ſed etiam ejus egregium factum laudavit, quod Ducem ſibi vim inferentem interfeciſſet. Qua verò pietate fuerit erga nepotes ſuprà memoratum eſt, quibus exequias & juſta perſolvi curavit. Longior ſim, ſi ſingula ſtylo proſequi velim; non tamen omittam Synodos ad diſciplinam Eccleſiarum reſtituendam ſæpiùs indixiſſe; habitæ ſunt ejus juſſu Matiſconenſes Synodi prima & ſecunda, & ejus pietati debemus præclara his Synodis ſancita documenta, & hæc præcepta de die Dominico rite & ſollemniter celebrando, quæ præcepto regio publicata eſſe voluit. Mortuus eſt anno Chriſti DXCIII.

Greg. lib. 8 cap. 1.

VI. Poſt mortem Guntchramni Regis, Childebertus, ſuſcepto, ut memoratum eſt ipſius regno, quod ad eum unum ex lege conventorum devolutum erat, parat ulciſci injurias quas à Fredegunde acceperat: nam & ejus inſidiis interfectum patrem Sigibertum haud falsò exiſtimabat; & ne alia narrem, ſciebat ſe quoque ejus inſidiis ſæpius petitum. Ingentem igitur ex Auſtraſianis cogit exercitum, Vvintrionem & Gundoaldum copiis præficit, qui continuò in agrum Remenſem & Sueſſonicum irruunt, & regnum Chlotarii deprædantur. Fredegundis quoque colligit copias, Landericum Majorem-domus regiæ his præficit, jubetque eum cum exercitu ad Brennacum ire. Ipſa pariter cum filio octo aut novem annorum ad caſtra proficiſcitur, ubi oſtentans in ulnis filium, milites ad rem bene gerendam excitat. Hoſtes non procul ab eo loco, ubi conſederat exercitus Chlotarii, caſtra locaverant, iique numero longè prævalebant. Aiunt Fredegundem, cum ſe viribus inferiorem eſſe cerneret, tum artibus rem geſſiſſe, & inſignem dolo haud muliebri retuliſſe victoriam. Geſta Franc. Jubet itaque ſuos noctu ire ad caſtra hoſtium, equitatum præcedere & equites

Digitized by Google

manu præferre ramos arborum, appenſis ad collum equorum tintinnabulis;
ſequi deinde peditatum, & ſic deludere hoſtem, & incautum in caſtris opprimere: ipſa cum filio in acie ſtetit, ut ſua filiique præſentia milites ad certandum fortiter hortaretur; & eo modo res geſta eſt. Vigiles, ſub luce dubia, dum haud procul vident equites cum ramis, rati eſſe arbores, & ex tintinnabulis, ſuorum equos quos ad paſtum dimiſerant, hoſtem accedere ad ſe paſſi ſunt: tum Neuſtraſii de improviſo in Auſtraſianos & Burgundiones nihil tale expectantes impetum faciunt, & ſomno ſepultos trucidant, aut inopinato adventu conterritos opprimunt. Cæſa multa hominum millia; milites promiſcue & Duces Gundoaldus & Vvintrio ſibi fugâ conſulere: Fredegundis victrix nihil reliqui facere ad cædes hominum populationemque Campaniæ. Pugna ſeu clades illa, ad Teruviam in agro Sueſſonico fuit. Ita artibus unius fœminæ victoria ceſſit Chlotario.

Quidam hanc narrationem falſi inſimulant; aiunt quippe Chlotarium non VII.
ea tunc temporis ætate fuiſſe, ut matris ulnis geſtaretur; & pugnam à Fredegario aliter narrarri; pugnatum quidem fuiſſe, ſed Chlotarium à Gundobaldo & Vvintrione, non ſine ingenti utrimque cæde, fuſum fugatumque fuiſſe. Quidquid ſit, haud multò poſt Childebertus refecto exercitu adversùs Chlotarium profectus eſt, Lutetiamque Pariſiorum cum multis aliis urbibus vi & armis cepit. His demùm peractis Childebertus annis florentibus moritur, poſtquam unum & viginti annos regnavit, relictis duobus filiis Theodoberto, quem ex concubina ſuſceperat, & Theodorico, quem ex Faileuba Regina habuit. Aiunt aliqui Childebertum veneno ſublatum artibus Brunichildis, quæ aſſueta imperio, ægrè ferebat ſe deſpici: verùm incerta opinio eſt; neque hoc parricidium illi Chlotarius exprobravit. Childebertus tum potentia & viribus valebat, quando mortuus eſt: præter enim regnum Auſtraſiæ, quod à patre Sigiberto acceperat, cujus partes Guntchramnus & Chilpericus patrui abſtulerant, & quas ipſe poſteà recuperaverat, Burgundiam & regnum Aurelianorum à Guntchramno acceperat. S. Gregorius, qui hac ætate pontificatum Romanum gerebat, præclaras ad eum litteras ſcripſit, quibus intueri licet, quo in pretio erat Francorum Regum poteſtas; placet hujus S. Pontificis referre verba. *Quantò*, inquit, *ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni veſtri profectò culmen excellit. Eſſe autem Regem, quia ſunt & alii, non mirum eſt: ſed eſſe Catholicum, quod alii non merentur, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate, luminis ſui claritate fulgeſcit; ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium perfidiam rutilat ac coruſcat. Quidquid autem Reges ſe ceteri gloriantur habere, habetis; ſed ipſi in hac re vehementiùs ſuperantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis. Vt ergo ſicut fide, ita & actione vincatur, benignam ſe excellentia veſtra ſuis ſubjectis ſe ſemper exhibeat. Etſi quæ ſunt, quæ ejus animum offendere valeant, ea indiſcuſſa non ſinat. Tunc enim verè Regi Regum, id eſt omnipotenti Domino ampliùs placebit, ſi poteſtatem ſuam reſtringens, minùs ſibi crediderit licere quàm poteſt*, &c.

Fredegundis audita morte Childeberti, non ampliùs ejus auctoritate de- VIII.
territa, illico Pariſios invadit, aliaſque civitates occupat; neque moras terens adversùs Theodobertum & Theodoricum, qui paterno regno ſucceſſerant, movet exercitum. In loco, cui nomen, Latofaum, acriter pugnatum eſt: cæſi Auſtraſiani, & Burgundiones; & Chlotarius inſigni victoria potitus eſt.

Sequenti anno, qui æræ Chriſtianæ fuit DXCVII. Fredegundis Regina IX.
Pariſiis vita defungitur. In baſilica ſuburbana S. Vincentii juxta Chilperici tumulum ſepelitur ad dexteram orientalis partis baſilicæ, ubi ejus illiuſque viri ſepulcra inventa ſunt, quæ noſtris diebus mota ſuo loco ſunt, & ad lævam partem baſilicæ ex adverſo pulpiti cantorum delata & compoſita ſunt: modò ea viſere licet, tanquam vetus hujus baſilicæ monumentum. Fuit ſanè Fredegundis in pluribus criminanda, nimium cædibus & ſanguini indulgens, ſævior in uxores Chilperici & in privignos; verùm tantò in filium proclivior, cujus ut regnum adversùs conatus Childeberti tueretur, nihil reliqui fecit; arte, dolis

 & armis non ſemel ejus exercitum profligavit. Imperii quidem ultra modum avida fuit, ſed & regno & dominationi ſupra ſexum idonea; ei nec ingenium ad excogitanda conſilia, nec induſtria & animus ad exequenda defuit. Fortunatus ejus virtutes his verſibus delineavit.

Lib. 9. car. 1.

Conjuge cum propria, quæ regnum moribus ornat,
Principis & culmen participata regit.
Provida conſiliis, ſolers, cauta, utilis aulæ,
Ingenio pollens, munere larga, placens,
Omnibus excellens meritis Fredegundis opima
Atque ſerena ſuo fulget ab ore dies.
Regia magna nimis curarum pondera portans;
Te bonitate colens, utilitate juvans.
Qua pariter tecum moderante palatia creſcunt,
Cujus & auxilio floret honore domus.
Quærens unde viro duplicentur vota ſalutis,
Et tibi mercedem de Radegunde facit.
Quæ meritis propriis effulget, gloria Regis,
Et Regina ſuo facta corona viro.
Tempore ſub longo hæc te fructu prolis honoret,
Surgat & inde nepos, ut renoveris avus.

CAPUT VI.

De Bertha filia Chariberti Pariſiorum Regis, Cantii Regina, quæ Anglorum gentem ad religionem Dei convertit. De S. Columbano. De bellis inter Theodobertum, & Theodoricum. De morte utriuſque, & cæde utriuſque filiorum, & Brunichildis Reginæ. De Simplicio Epiſcopo Pariſienſi. De S. Cerauno ejus ſucceſſore.

I. CUM Chlotarius Rex in Neuſtria, Theodobertus in Auſtria, & Theodoricus in Burgundia regnarent, S. Gregorius PP. de gente Anglorum ad Dei religionem traducenda cogitabat. Etſi hæc externa ſunt, non tamen à propoſito aliena; Bertha enim filia Chariberti Pariſiorum Regis, quæ Ethelberto Cantii Regi nupſerat, ſuam quoque operam tam ſancto propoſito opportunè præſtitit: rem paulò altiùs repetam. Res Chriſtiana jam multos progreſſus his in locis fecerat, quo tempore inſulam Romani tenebant: paulò poſt cum Maximus, uſurpata tyrannide, defeciſſet, præſidio Romano ſpoliat inſulam, quæ ſtatim Pictorum Scotorumque incurſionibus patuit. Inſulani impares hoſtibus auxilium à prædonibus Anglis & Saxonibus petierunt, quorum ope hoſtem facilè repulerunt. Angli potiti victoria, arma in ſocios vertunt, & trucidatis incolis, inſulam occupant. Tùm diviſis inter ſe provinciis, duces multa regna condere incipiunt. Inter Reges Anglorum, hi potentiores, qui Cantium moderabantur. Verùm cum filii Chlotarii, Francorum quadripartito imperio, regnarent; Ethelbertus Cantuariorum Rex Bertham, ſeu

Aldibergam filiam Chariberti ex Ingoberga uxorem duxit; ea tamen lege, ut religionem Chriſtianam coleret, & fidem inviolatè cuſtodiret. Hæc ſecum duxerat Epiſcopum Sylvanectenſem Lethardum nomine, cujus auxilio in defendenda fide uteretur. Tum S. Gregorius in cathedra Petri ſedebat, qui pro ſuo munere, & quâ erat pro Eccleſia ſollicitudine, gentem profanam melioribus documentis imbuere inſtituit; ob eamque cauſam Auguſtinum cum aliis monachis in Britanniam miſit, ſcriptis litteris ad Francorum Reges, & Epiſcopos Gallicanos, ut opem ſuam in propoſito perficiendo præſtarent. Auguſtinus primùm iter aggredi, tum mutatâ ſententiâ deſiſtere ab incœpto parat; demùm à ſanctiſſimo Pontifice excitatus cœpta perficere aggreſſus eſt. In Britanniam itaque trajecit, adjunctis expeditionis ſuæ comitibus Francis, iiſque inprimis, qui ſibi interpretum loco eſſent. Poſtquàm transfretavit, miſit Auguſtinus nuncios ad Ethelberrum Regem, qui dicerent Roma profectum huc veniſſe, ut grata Regi nunciaret; polliceri ſe regnum nuſquam periturum, immortalemque vitam iis, qui dicto audientes velint eſſe. Rex dixit opus eſſe conſulto, juſſitque commorari eos in inſula, & miniſtrari quæ ad vitam tolerandam neceſſaria ſunt. Beda auctor eſt ritus Chriſtianos haud ignotos Regi; qùippe qui Chriſtianam duxerat uxorem. Paulò poſt alloquio Regis honorati ſunt, ac juſſi in civitate Dorovernenſi commorari. Erat in civitate vetus baſilica extructa olim, cum inſula provincia Romana erat, ubi Bertha Regina Deum orare, & ritus celebrare Chriſtianos cum Epiſcopo Lethardo conſueverat. Hìc Auguſtinus ſynaxes facere cœpit, ſacra agere, & ſpargere ſemina Evangelii, inſtituere catechumenos; quæ non multò poſt magnis aucta ſunt incrementis, adeò ut Rex ipſe ſe baptiſmo ablutum vellet, cujus exemplo plebs ad fidem accedere catervatim, & repudiatis erroribus Chriſtum profiteri. Ita gens Anglica, etſi fidem acceptam Gregorio PP. & Auguſtino refert; *Beda hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 26.* his tamen fidei initiis fideli Reginæ plurimùm debet; quod nemo, puto, inficiabitur. In hunc modum Bertha, ſicut olim Chrotildis, & Ingunthis in Hiſpania egregium fidei teſtimonium ediderunt, ita & illa è Francorum pariter orta Regibus, prima cœpit fidei rudimenta illic ponere, & ſuperſtitioſam Anglorum gentem Chriſto ſubjicere. Aldiberga (ſic enim eam nominat ſanctus Gregorius) ab eo Pontifice laudatur, quod Anglorum gentem ad ſancta Evangelii inſtituta traduxerit; &, ſicut olim Helena mater Conſtantini Romanorum animos fidei lumine accenderit, ita ſtudia & voluntates Anglorum in amorem Dei excitet. *Et omnipotentem Deum benediximus, qui converſionem gentis Anglorum mercedi veſtræ dignatus eſt propitiùs reſervare. Nam ſicut per recordandæ memoriæ Helenam matrem piiſſimi Conſtantini Imperatoris ad Chriſtianam fidem corda Romanorum accendit, ita & per gloriæ veſtræ ſtudium in Anglorum gentem ejus miſericordiam confidimus operari.* *Regiſt. 9. Greg. lib. 9. Epiſt. 59.* Addit ejus olim ſermonibus victum ſui viri animum, ut ſequeretur fidem, quam ipſa coleret; illi deinde tribuit converſionem Anglicæ gentis, quam fecerit, quando Regi verum Dei cultum amplecti perſuaſit. *Et quidem jamdudum glorioſi filii noſtri, conjugis veſtri animos prudentiæ veſtræ bono, ſicut revera Chriſtianæ, debuiſtis inflectere, ut pro regni & animæ ſuæ ſalute fidem, quam colitis, ſequeretur, quatenus & de eo & per eum de totius gentis converſione digna vobis in cæleſtibus gaudiis retributio naſceretur.* *ibid.* Poſtquàm verò eam adhortatus eſt, ut augeat fidem & novis viribus confirmet animum Regis, ſubjungit hæc bona, quibus cumulatè gentem Deus affecerit, toto orbe celebrari, & nuncia Conſtantinopolim uſque ad ſereniſſimum Imperatorem perlata eſſe; ut ſicut ipſe S. Pontifex ex his haud mediocrem lætitiam percepit, ita ob eam pariter cauſam incredibili gaudio in cælis Angeli perfruantur; his aliiſque verbis Gregorius Reginæ fidem prædicat. Sanè ornanda laudibus Aldiberga, quæ junior egreſſa Pariſiis, & in externum ſolum profecta eſt, ut nuberet Regi quidem, ſed idolorum cultori, & viveret cum populo eadem inſanienti perfidia; illa tamen non modò in fide & cultu perſtitit Chriſtiano, ſed & ſenſim moribus ſuis imbuit animum conjugis, ita ut ipſe ſuam cœperit execrari impietatem, & ipſius Regis auſpiciis tota gens Chriſtianos mores cum fidè ſuſceperit. Neque

noſtrates ſua gloria fraudandi ſunt; nam & in ea expeditione Auguſtino tulerunt opem; cum eo preſbyteri è Gallia trajecerunt mare, & in partem victoriæ Chriſtianæ venerunt. Epiſcopi Gallicani Auguſtino ejuſque ſociis ſubſidia in itinere contulerunt, & Auguſtinum Dorovernenſem Epiſcopum Virgilius Arelatenſis ordinavit: & S. Gregorius poſtquàm audivit uberes fructus colligi in Britannia, alios operarios ad meſſem plurimam miſit Laurentium preſbyterum ſcilicet & Mellitum Abbatem, animo & virtute præſtantes, quos Epiſcopis Gallicanis pariter commendavit. Extat epiſtola ea de re in regiſtro ad Mennam Tholoſanum, Serenum Maſſiliæ, Lupum Cabilloni, Simplicium Pariſiorum, Melanium Rotomagenſem, & Licinium Epiſcopos Francorum; & ſi error eſt in nomine aliquot Epiſcoporum, certum eſt tamen, Simplicium id temporis Epiſcopum Pariſienſem fuiſſe; ejus enim nomen adhuc retinent indices Eccleſiæ Pariſienſis.

Regiſt. Greg. lib. 9. Epiſt. 52.

II. Eodem quoque calamo S. Gregorius ſcripſit ad Chlotarium Regem, qui tum Pariſios obtinebat; commendat illi, ſicut Epiſcopis, Laurentium & Mellitum euntes in Angliam, hortaturque inprimis Regem, ut avellat ex regni ſui Eccleſiis hæreſim Simoniacam, quam audierat his in locis enaſci; inveniri ſcilicet illic Epiſcopos, qui ordines conferrent ei, non qui plus virtutum ſed plus pecuniarum numeraret. Audierat fortè S. Gregorius ſacrilega mercimonia Euſebii Syri, qui ut mercatus fuerat epiſcopatum, ita fortè ordinationes pretio conficeret. *Præterea pervenit ad nos, quod ſacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur. Et vehementer affligimur ſi ad Dei dona, non meritis acceditur, ſed præmiis proſilitur, & quia hæc ſimoniaca hæreſis prima in Eccleſia ſurgens Apoſtolorum eſt auctoritate damnata, petimus, ut pro mercede veſtra congregari Synodum faciatis: quatenus omnium Sacerdotum definitione compreſſa, & radicitus amputata, nullas illic vires de cetero in periculum animarum inveniat, nec ulteriùs ſub qualibet excuſatione permittatur exurgere.*

Regiſt. Greg. lib. 9. Epiſt. 55.

III. Verùm, ut redeam ad Auguſtinum, tam utiliter laboravit, ut brevi totam gentem Chriſto aſſereret, & Anglicanam ex ſubactis Chriſto populis Eccleſiam conderet, cui leges morum non modò ex Evangelio ſcripſit, ſed etiam ex diſciplina quæ præſertim Eccleſiæ Romanæ in uſu erat. Sed cum quædam in eâ & religionis & inſtitutorum immutatione invenirentur, ſuper quæ ipſe pronunciare non auderet, quæſtiones aliquot ſancto Gregorio propoſuit; rogavit S. Pontificem, ut ſuper his mentem aperiret; quod graviſſimè S. Pontifex confecit. Leguntur illæ reſponſiones in Eccleſiaſtica hiſtoria venerabilis Bedæ: laudanda inprimis reſponſio ad II. interrogationem, cùm Auguſtinus ſciſcitaretur à S. Gregorio de conſuetudinibus & inſtitutis Eccleſiarum, cum Miſſarum celebratio aliter in Romana, atque aliter in Gallicana fieret; reſpondit ſapientiſſimus Pontifex, ut ſeligeret ſive ex Romanæ, ſive ex moribus Eccleſiæ Gallicanæ, quod plus Deo placeret. *Cum una ſit fides*, inquit Auguſtinus, *cur ſunt Eccleſiarum diverſæ conſuetudines, & altera conſuetudo Miſſarum in ſancta Romana Eccleſia, atque altera in Galliarum tenetur.* Reſpondit ſanctus Gregorius. *Novit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit nutritam. Sed mihi placet, ut ſive in Romana, ſive in Galliarum, ſeu in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicitè eligas, & in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc ad fidem nova eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſiis colligere potuiſti, infundas; non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.*

IV. His fermè temporibus celebris erat in Galliis S. Columbani ſanctitas, de quo hic paucis dicendum eſt. Nam & ille Pariſios venit, & monarchiam Francorum ſæpe Chlotario prædixit, & cum eo Rege ſermones habere Columbano contigit. Columbanus in Hibernia natus eſt, & in monaſterio Banchorenſi ſeverioris diſciplinæ ſub B. Commogello tyrocinium poſuit; ac deinde impellente Spiritu ſancto in Gallias cum ſociis trajecit, ubi à Childeberto Rege

ſuſceptus

ſuſceptus & rogatus, ut in Galliis ſedem figeret; in eremum primùm ſe recepit, tum Luxovienſe conſtruxit monaſterium, quod frequentiâ deinde & ſanctitate monachorum celebratiſſimum fuit. Id temporis regnabant filii Childeberti, Theodobertus & Theodoricus, cum avia Brunichilde: Theodobertus Auſtriam, Burgundiam verò Theodoricus moderabatur. Luxovium itaque regni erat Theodorici: is ſæpiùs ad Luxovium ventitabat; Columbanus datâ opportunitate ſolebat Regi ſaniora ſalubribus monitis perſuadere: hortabatur inprimis Regem, ut vitam ad honeſtatem morum componeret, & ejectis ex aula pellicibus, legitimam toro aſciſceret conſortem. Hæc aviæ Brunichildi haud grata, quæ tantum ſibi ereptum putabat, quantum honorum uxori ex regalibus nuptiis acceſcere potuiſſet. Aliàs S. Columbanus ad Regiam venit, ad quem cum filios Regis Theodorici Brunichildis accedere juſſiſſet, ut hujus ſancti benedictionem mererentur, Columbanus reſtitit, & bene his deprecari denegavit, addens eos nuſquam potituros imperio, quippe qui ex illicito toro procreati eſſent. Hæc & alia mirum in modum muliebrem animum accenderunt. Brunichildis itaque milites ad Luxovium mittit, qui Columbanum vel vi, vel voluntate ex monaſterio extraherent, & in Hiberniam redire cogerent. Veſuntionem primùm venit, tum Auguſtodunum, Avallonem, & Autiſſiodorum, ubi Ragamundum itineris ductorem admonuit Chlotarium Regem has provincias intra tres annos habiturum. Nivernum inde profectus eſt, & ſecundo Ligere Aurelianos advectus. Poſteà adnavigavit Turonos ubi invitatus eſt ad menſam à Leupario illius urbis Epiſcopo: accumbebat & menſæ Chrodovaldus vir illuſtris, qui affinitate Theodobertum attingebat, & nihilominus Theodorico fidem juraverat, quod audiens Columbanus denunciavit illi iterum intra triennium Theodoricum cum omni familia malè periturum. Tandem Namnetas appulit, inde navim onerariam, ut in Hiberniam tranſmearet, conſcendit, ſed rejectus eſt tempeſtate & vi ventorum; unde accidit ut poteſtas illi fieret, eundi quo libitum eſſet. Columbanus ad Regem Chlotarium proficiſci inſtituit. Chlotario nota erant, quæ Columbanus, Brunichilde imperante pertulerat. Hunc Rex bene excipere, & omnibus modis venerari, & rogare ut intra regni fines commorari velit, miniſtraturumque pollicetur quæ ad vitam tolerandam neceſſaria ſint. Columbanus conditionem non accepit, ne ob eam rem inter Reges cauſæ diſcordiarum naſcerentur. Seruntur intereà bella inter Theodobertum & Theodoricum, quorum occaſione Columbanus Regi auctor fuit, ut neutri ſe adjungeret, intra tres annos fore, ut omni Francorum imperio ſolus potiretur. Poſtquàm Columbanus ſalubribus præceptis Regem inſtruxiſſet, & is emendationem eſſet pollicitus, Lutetiam Pariſiorum venit; ad portam venerat, cùm ecce vir immundo ſpiritu vexatus, qui Columbanum allocutus, & cum virum Dei vocans, ſciſcitatur, quid hic rerum ageret. Columbanus eum intuitus, jubet ſpiritum impurum hinc diſcedere, ſimulque manum ori inſerit linguamque contrectat, & iteratò imperat inde abire. Dæmon voci ſancti obediens projicit hominem, qui cum fœdiſſimo vomitu ſpiritum immundum expuit, & ita energumenum purgavit. His actis Columbanus in regnum Theodoberti ſeceſſit; ſed poſt aliquod, tempus exciſis Theodoberti rebus in Italiam abiit, & à Rege Longobardorum Agilulfo bene acceptus, Bobienſe monaſterium condidit, quo eum Euſtaſius Luxovienſis monaſterii Abbas convenit, & nomine Regis Chlotarii hortatus eſt, ut ad Luxovium redire haud abnueret, cùm præſertim is, abolitâ Theodoberti & Theodorici familiâ ſolus ſummam rerum inter Francos obtineret; quod quemadmodum factum ſit breviter dicere operæ pretium eſt. Et ſi iſthæc commemoratio non ad res urbis, nedum ad res Eccleſiæ Pariſienſis videtur pertinere, utpote quæ continet longam geſtorum ſeriem, quæ in Auſtria & Burgundia acciderunt; memorare tamen ea oportet, ne variâ rerum noſtrarum viciſſitudine, ſi qua aliàs contigit, prætermiſſa, multa quæ deinde conſequuta ſunt, quæque ad noſtram hiſtoriam ſpectant, multum damni ex noſtro ſilentio patiantur.

LIB. III. CAP. VI.

LIB III. CAP VI.

V. Brunichildis cum nepote Theodoberto regnabat; verùm brevi odia procerum, & ipſius Theodoberti in ſe concitavit, adeò ut pelleretur ex aula, & tanquam ignota, egenſque rerum omnium ab omnibus deſereretur. Cum in eo ſtatu eſſet, Cabillonum confugit ad Theodoricum alterum nepotem, qui aviam bene exceptam fovet. Non diu Brunichildis quievit; brevi enim conſilia belli Theodorico ſuadet. Volvebat animo quas olim à Fredegunde injurias paſſa erat, quibus cladibus afflicti nepotes, tempus vindictæ opportunum rata, Theodoricum ad bellum Chlotario inferendum accendit. Theodoricus belli ſocietatem init cum fratre Theodoberto, & collecto ex utriuſque copiis exercitu valido adversùs Chlotarium proficiſcitur. Chlotarius aliunde comparato pariter exercitu, Auſtraſianis & Burgundionibus fit obviam. Ventum erat in agrum Senonicum, & in eo uterque exercitus conſederat, cum paulò poſt ad Aroannam fluviolum haud procul à Doromello vico acies conflixere; acerrimè pugnatum eſt, etſi utrimque cruentum certamen fuit, Neuſtraſii tamen, magnâ hominum internecione cæſi deletique ſunt; triginta hominum millia in acie cecidiſſe ferunt. Chlotarius victus primò Melodunum, tum Lutetiam Pariſiorum fugit: Burgundiones uſi victoria fugientem inſequuntur; Chlotarius in ſylva Arelaunenſi latebras petit; tum nullibi gentium ſe tutum ratus, de pace cum victore agere inſtituit, neque ullas, iniquas licet, pacis conditiones recuſare. Conventum eſt, ut ipſe contentus duodecim pagis, provincias, quæ inter Ligerim & Sequanam: Sequanam inter & Iſaram, ad Oceanum uſque loca ſcilicet Ducatus Denteleni Theodorico cederet. Ita Lutetia Pariſiorum in partem Theodorici venit. Cladem eam accidiſſe anno DXCIX. Valeſius ſcribit.

VI. Pax aliquot annos permanſit, verùm poſteà bellum hac occaſione renovatum. Theodoricus miſerat Bertoaldum Præfectum, ſeu Majorem-domus regiæ, ut per provincias nuper armis acquiſitas res fiſci ordinaret. Chlotarius ſeu tædio iniquæ pacis, ſeu ulciſcendi animo, adversùs Bertoaldum Landericum ſui palatii Præfectum cum valido exercitu mittit: & primùm opida, quæ Theodorico ceſſerat, facilè recepit, ſeu nemo ea defenderet, ſeu opidani eſſent pronis in Chlotarium animis. Hæc ubi allata ad Theodoricum ſunt, protinus collectis copiis adversùs Landericum movet exercitum, & juxta Stampas prælium committit. Landericus primùm victor; ſed poſtmodum ipſe victus eſt; qua clade Neuſtraſiani perculſi ad Theodoricum cum opidis, quæ Chlotarius receperat, redierunt. Chlotarius intereà adversùs Theodobertum cum alio exercitu profectus, citra pulverem cum eo pacis fœdera renovat, quæ & facilè cum Theodorico renovavit: adeò ut, poſt alterum tertiumve annum ipſe Chlotarius Theodorici filium Meroveum ex ſacro fonte levaret.

VII. Rebus ita reſtitutis bella fraterna exarſere, quæ accenſa memorant ab avia Brunichilde. Continuò agitabat ejus animum offenſa, quam illi Theodobertus intulerat; recogitabat ſe indignis modis pulſam ex aula, & jamdudum ulciſcendi locum & tempus mulier injuriæ impatiens quæritabat, Theodorico multa adverſus fratrem vera an falſa inſuſurrans; non eſſe Childeberti, ſed hortulani filium; indignum eſſe, hominem hac origine pari cum illo auctoritate regnare: accendebat præterea juvenis animum Protadius, qui operâ Brunichildis præfecturam domûs regiæ erat conſecutus, quique ad hunc honoris gradum moribus profligatis, & pravâ cum Brunichilde conſuetudine aſcendiſſe dicebatur. His conſiliis Theodoricus impulſus fratrem bello aggreditur, & ſimul cum exercitu in Auſtriam contendit: Theodobertus ipſi obviam fit cum copiis. Jam Theodoricus ad Cariatiacum caſtra locaverat; & ex adverſo conſederat exercitus Theodoberti, & quiſque ad pugnam capeſſendam ſe parabat; cum ecce Leudes ex parte Theodorici palam conqueri cœperunt, quòd unius Protadii conſiliis magna hominum cædes poſtera die fieret, & ad ejus libidinem cognatæ acies confligerent; iniquum eſſe unius ob noxam tantum ſanguinis effuſum iri. Miles his ſermonibus exacerbatus ad tentorium Regis cum telis proruit, & belli auctorem Protadium poſcit. Theodoricus Uncelenum unum ex proceribus mittit, qui ſuo nomine militem mitiget,

Google

& Protadium defendat. Unccelenus è tentorio egreſſus renunciavit, non quod Rex juſſerat, ſed quod placandæ multitudini utilius fore exiſtimabat, à Rege Protadium eorum arbitrio permitti, & per Regem licere, ut ei mortem inferant. Miles tabernaculum Regis diſcerpit, Protadiumque tanquam victimam ſuis gladiis ſacram illico mactat. Hujus morte pax inter Reges compoſita eſt, & utriuſque exercitus junctis fœderibus domum regreſſus eſt: atque ita uni conſultori noxium conſilium fuit. LIB. III. CAP. VI.

Quinto anno poſt reconciliatam inter fratres gratiam, novæ bellorum cauſæ exortæ ſunt; lis de pago Aleſatio fuit cum pagis Sugintenſi Turenſi ac Campanenſi, quos Childebertus Rex Auſtriæ adjunxerat, & tamen eos Theodorico Regi Burgundiæ conceſſerat, quod apud Aleſatios natus educatuſque fuiſſet. Theodobertus jure Regio hos repoſcebat; Theodoricus paternâ voluntate ſuâ jura defendebat; cùm neuter alteri cederet, Theodoberto placuit rem armis decernere. Regni proceribus, ne bellum inteſtinum tanquam incendium provincias vaſtaret, cauſam in conventu publico definiri viſum eſt; ſtatutumque ut Regum quiſque cum decem hominum millibus adeſſet; ſelectus locus Saliſſone prope Argentoratum ad litem ex judicio Francorum dirimendam. Ad condictum diem & locum Reges veniunt, ſed comitatu diſpare; Theodoricus quidem, ut conventum erat, cum decem hominum millibus; Theodobertus cum copioſo exercitu. Theodoricus loco & tempori cedens, pagos Theodoberto, de quibus lis erat, relinquit, & ſubſcripta de ea re pactione, domum reverſus eſt. Aliunde Auſtraſii in Tranſjuranos impetum faciunt, Burgundiones occurrerunt: verùm collatis ſignis ingenti affecti ſunt clade. Auſtraſii devaſtatâ provinciâ, ad penates onuſti prædа redierunt. Auctor vitæ ſancti Columbani ſcribit Theodoricum à Chlotario opem adversùs Theodoberti opes imploraſſe, pollicitumque ſe redditurum Comitatum Denteleni, ſed Chlotarium conſilio uſum Columbani abſtinuiſſe à bello. VIII.

Non multo interjecto tempore ruptum eſt vulnus quod Theodoricus alebat venis; dolebat malo ſibi dolo ereptas provincias à Theodoberto, & ſe per ſpeciem ſimulatæ pactionis peſſimis modis proditum. Accendebat Regem avia Brunichildis, quæ verſabat animo veterem injuriam, quâ inultâ, neque ipſa quieſcebat, neque Theodoricum quieſcere patiebatur. Querebatur, ut dictum eſt, Theodobertum per injuriam in Francos exercere imperium; filium quippe eſſe olitoris non Childeberti, qui intruſus per fraudem in domum Regis, falſo ejus filius creditus ad ſummos regni honores irrepſiſſet. His Theodoricus ſtimulatus bellum adversùs fratrem decrevit, & ne Chlotarius Theodoberto auxilio eſſet, finito bello, ei Denteleni Comitatum, id eſt loca, quæ Sequanam inter & Iſaram uſque ad Oceanum eſſent, promiſit, quam conventionem Chlotarius recepit. His ita comparatis ſe ad bellum accingit, & pariter Theodobertus, qui collectis ingentibus copiis Burgundiam verſus iter capit: Theodoricus in Auſtriam jam venerat cum copioſo exercitu. Occurrêre acies, in agro Tullenſi certamen datum, & acriter conflixere exercitus; par iræ & odiis impetus fuit. Auſtraſiorum acies inclinavit: Burgundiones inſtitere; Theodobertus ſuos premi cernens, neque adverſariorum ictus ſuſtinens, fugâ ſibi conſulendum ratus, Coloniam fugit. Haud incruentam victoriam retulit Theodoricus, ſed uſus tempore, brevi reparatis copiis, fratrem inſequitur. Theodobertus ex militibus Tranſrhenanis refecto exercitu Theodorico fit obviam; ad Tolbiacum, qui locus eſt, haud procul à Colonia Agrippina, victoria Chlodovei & ſtrage Alemannorum celebris, pugnatum eſt: Theodobertus iterum in acie victus, Coloniam fugit. Fredegarius ſcribit Theodobertum trans Rhenum fugiſſe, & à Bertario Regis cubiculario in fuga captum & adductum ad Theodoricum, qui verſabatur Coloniæ, quam continuò ceperat. Alii rem aliter narrant, & vulgaris eſt ſcriptorum ſententia Colonienſes ad Theodoricum veniſſe ſupplices, & rogaſſe, ne agrum direptioni militum daret, promiſiſſe veniam, ſi Theodobertum vivum adducerent, aut caput afferrent, qui confeſtim eum obtruncant, & victori caput abſciſſum deferunt. Theodoricus rebus IX.

pro temporis conditione ordinatis, Divodurum Mediomatricorum venit, adductis ſecum filiis Theodoberti cum filia virgine præſtantis formæ; eò pariter Brunichildis advolat, quæ Theodorico gratulata victoriam nimio plus furori indulſit: ipſa ſcilicet in modum belluæ ferocientis utrumque jugulavit. Aiunt juniorem ab ea crudeliter interemptum, & illiſo ad ſaxum capite, ejus cerebrum effuſum fuiſſe; adeò ſæviit furor iratæ mulieris in immeritam ætatem: virgini propter ſexus imbecillitatem parcitum eſt.

X. Confecto, ut memoratum eſt, bello; Chlotarius, qui quieverat, extemplo Comitatum Denteleni jure pactionis recepit. Theodoricus ægrè tulit provinciam ſibi victori eripi; denunciat illi bellum, niſi reddat Comitatum: Chlotarius nihil his territus negat redditurum. Theodoricus bello eum aggredi parat; jam exercitus in Neuſtriam ire cœperat, cùm nunciatur Theodoricum ex pròluvio ventris periiſſe. In libro de geſtis Francorum de morte Theodorici ita ſcriptum eſt, Theodoricum ſcilicet, dum Mettis agitat, amore filiæ Theodoberti ita exarſiſſe, ut hanc ſibi ſociare conjugem vellet; ſed Brunichildem, cujus inprimis intererat, ne uxorem toro aſciſceret, increpaſſe Regem, quòd fratris filiam uxorem ducere cogitaret; ſed illico excepiſſe; cur igitur mulier nefaria nuper gladium meum acuiſti, quo fratrem & filios ejus perimerem? cur diſſimulabas eſſe fratrem, & mentiebaris eſſe obſcuri generis hominem? & ſimul tentaſſe eam gladio transfodere; ſed prohibitum ab aulicis, qui aderant, Brunichildemque haud multò poſt ei propinaſſe venenum, quo hauſto, quaſi dyſenteria laboraſſet, extinctum auctor ſcribit.

XI. Brunichildis, mortuo, ut dictum eſt, Theodorico Sigibertum filium ejus majorem natu, ad regnum patris, ut Fredegarius memorat, Mettis evehere inſtituit. Auſtraſii pertæſi imperium muliebre ad Chlotarium Regem Neuſtriæ ducibus Arnulfo & Pippino legatos mittunt, rogantque ut regnum Auſtriæ occupet; quorum conſiliis excitatus, & fretus opibus in Auſtriam ingreditur, & loca armis occupat. Tum Brunichildis Vvormatiæ morabatur cum filiis, quæ audito adventu Chlotarii, Chadoindum & Herponem ad eum mittit, rogatque per legatos, ut ex finibus Auſtriæ diſcedat; eſſe regnum Theodorici, & hæreditatem ejus filiorum. Chlotarius nihil his motus reſpondit facturum ſe quicquid in publico Francorum Conventu ſtatutum eſſet, ſi ea velit ex eorum arbitrio rem definiri. Brunichildis exiſtimans nihil eorum judicio committendum, quorum fidei diffideret, ultra Rhenum Sigibertum cum Vvarnachario, Alboeno aliiſque proceribus mittit, ut Tranſrhenanorum animos in ſuas alliciat partes, & eorum armis utatur. Regina interim Vvarnacharii de medio tollendi conſilium capit, mittitque de ea re ad Alboenum litteras, quas cum legiſſet, lacerat, projicitque. Fortè aderat puer ex familia Vvarnacharii, qui collecta fragmenta ſuper tabulam cera illitam, ſingula in locum & ordinem ita componit, ut facilia lectu eſſent, quibus ad defectionem incitatus Vvarnacharius deinceps cogitare cœpit, quibus artibus Brunichildis partes deſereret, & Auſtraſiorum, Burgundionumque regnum Chlotarii poteſtati ſubjiceret. Quod facile fuit Vvarnachario, iis odiis, quibus in Brunichildem, & ejus pronepotes omnium animi deflagrabant. Optimates igitur ex Burgundia tam Epiſcopi, quam alii proceres in Reginæ ejuſque filiorum perniciem conjuravere. Regina intereà Sigibertum collecto exercitu in Catalaunicum agrum mittit, Chlotarius illi obviam fit. Exercitus Auſtraſiorum factione Vvarnacharii corruptus ex compoſito ſine pugna terga vertit, deſertoque Sigiberto domum repetit: Chlotarius ponè ſequens ad Ararim caſtra locat. Tres filii, quos ex concubinis Theodoricus ſuſceperat, capti ſunt, ex quibus Sigibertus & Corbus juſſu Chlotarii interfecti ſunt; Meroveus, quòd eum ex baptiſterio ſuſcepiſſet, commendatus eſt Ingobodi Comiti, & plures annos vixit: Childebertus fuga elapſus, nuſquam poſteà comparuit: cùmque ad Rionavam, qui vicus eſt ad Vicennam fluvium veniſſet Chlotarius, Brunichildis cum Theudelane ſorore Theodorici ad eum adducitur; hanc ceperat Herpo Comes-ſtabuli pagi Tranſjurani. Omnes ſtatim, ut fit adverſus miſeros, eam contumelia afficere, cau-

ſam malorum omnium appellare, & cædes multas, vel quarum innocens eſ- LIB. III. CAP. VI.
ſet, ei exprobrare; ejus improbitate, & impotentiâ concidiſſe decem Reges, totidem enim numerabant. Sigibertum ſcilicet ejus artibus interfectum, Meroveum filium Chilperici contractis cum ea inceſtis nuptiis periiſſe; quin & Chilperici cædes ei objicere, Theodoberti & Theodorici & utriuſque filiorum mortem in eam refundere haud dubitaverunt. Ob ea aliaque ejus flagitia Chlotarius eam per triduum pœna affici juſſit, primoque ſedentem camelo perduci per exercitum, ut ſpectaculo militibus fieret; deinde alligari per comam, brachium, pedemque alterum ad concitati equi caudam, ut calcibus & velocitate curſûs, ruptis laceratiſque membris, crudeliter occideret, & in eum modum Chlotarius, ſicut olim avus ejus, integrum Francorum obtinuit imperium Auſtriam nempe Neuſtriam & Burgundiam ad unius poteſtatem redegit. Dum ea gererentur pontificatum Pariſienſem Simplicius, de quo pauca ſuperiùs memorata ſunt, & Ceraunus tenuerunt.

XII. Leguntur geſta tergeminorum Lingonenſium in actis ſanctorum quæ Bollandus edidit ad XVII. menſis Januarii, eaque Vvarnaharius, ſeu Vvarhiarius clericus Lingonenſis Ceranno, ſeu Ceraunio Epiſcopo Pariſienſi nuncupavit, ut ex prologo auctoris manifeſtum eſt. Vvarnaharius Ceraunum laudat quòd ſanctiſſimos Epiſcopos probitate morum æmulari ſtuderet, & quod inprimis ſacrarum litterarum ſtudio appelleret animum, atque ita omnia dogmata menre percurriſſet. Addit deinde eumdem ſanctum Pontificem, exemplo Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi acta martyrum, quæ oblivio & incuria hominum propè aboleverat, multo labore Lutetiæ Pariſiorum collegiſſe, ſed totum prologum præſtat exſcribere, cum præſertim pauca de Ceraunio antiquitas nobis ſuppeditet, & teſtimonium ſit coætanei auctoris.

Sancto & à me Pontificali apice præferendo Domno Ceraunio Papæ Vvarnaharius ſalutem.

Bolland. act. SS. Januarii 17.

P*Ræcipuis Beatiſſimorum Epiſcoporum perſonis aſſiduè coæquari meritis non deſiſtens, in omni converſatione ſacerdotii, ſancta quotidie exornari religione feſtinans, divinarum litterarum ſtudio univerſa dogmata peragraſti, nunc ſanctorum martyrum geſta ad laudis tuæ cumulum pro amore religionis congregare in urbe Pariſiaca devotus intendis. Vnde S. Euſebio Cæſarienſi in æmulationis ſtudio coæquandus es, & pari gloriæ dono perpetualiter memorandus. Da veniam noſtræ imperitiæ, quoniam te tantum laudare non ſufficimus, quantum eſſes, cordi ſi facundia ſuccurreret, præferendus. Geſta ſanctorum Geminorum, qui in ſuburbio Lingonicæ civitatis pretioſum adepti ſunt conſummationem martyrii, vel beatiſſimi Deſiderii martyris, & Antiſtitis ipſius civitatis, ſicut devotionis ſtudio imperaſtis, ita deſiderantiſſimè me famulationis obedientiæ cognoſcatis.* Utinam acta, quæ Ceraunus collegerat, nobis ſupereſſent; multùm, puro, rem eccleſiaſticam adjuvarent, & lucis haud parum in locis obſcuris nobis miniſtrarent: & acta S. Dionyſii primi Pariſienſis Epiſcopi haud dubiè ipſe Pariſienſis Epiſcopus non omiſiſſet, quæ omnem ambigendi locum ſuſtuliſſent, niſi fortè Dionyſii vetera acta, quæ quidam Fortunato tribuunt, Ceranni ſint. Adfuit Synodo Pariſienſi, ut infra dicturi ſumus. Ceterùm Ceraunus ea ſanctitate mores & pontificatum decoravit, ut inter ſanctos faſtis Eccleſiæ Pariſienſis aſcriptus ſit, in breviario Pariſienſi ſit illius commemoratio cum elogio ad quintum Calend. Octobris. Sepultus eſt in crypta baſilicæ ſanctorum Apoſtolorum ad lævam S. Genovefæ. Huic ſucceſſit Leudebertus, de quo dicemus inferius.

XIII. Dictum eſt anteà S. Droctoveum fuiſſe primum Abbatem baſilicæ ſeu monaſterii S. Vincentii martyris ad prata ſuburbana Lutetiæ Pariſiorum. Quo anno mortuus ſit non dixerim, ſed complures annos vixiſſe exiſtimem.

CAPUT VII.

De Chlotario II. De Concilio Pariſienſi VI. De Conſtitutione Regis Chlotarii. De Bertetrude ejus uxore & de ejus virtutibus.

I. Regnum integrum Francorum Chlotarius II. exciſa Brunichildis progenie moderari cœpit, ac primùm ordinare provincias. Vvarnacharium, cujus præſertim induſtriâ Auſtria & Burgundia ſe ſe dediderant, Præfectum palatii, ſeu Majorem-domus, in Burgundia præpoſuir, pollicitus ſacramento, numquam, ſe vivo, abdicatum iri ab officio. Eumdem honorem Rodo in Auſtria aſſecutus eſt. Ipſe autem, ſicut olim major Chlotarius rotam Francorum gentem regere imperio per ſexdecim annos, pace per fines regni partâ, & fideliter cuſtoditâ. Scribit Fredegarius Chlotarium pluribus exornatum virtutibus, patientem fuiſſe & moderatum, litterarum ſtudioſum, in eccleſias & ſacerdotes beneficum, reverentem Deum, liberalem & miſericordem in pauperes, placidum omnibus, benevolum & pietate refulgentem, vehementiùs tamen deditum venationi, quem Leudes ſeu regni primates ob id reprehenderent, quodque puellarum, mulierumque petitionibus nimium ſe audientem præberet.

II. Starim atque Chlotarius rerum ſolus potitus eſt, & poſt tot motus inteſtinos, domeſticaque mala Gallia cœpit quieſcere; Sacerdotes diſciplinam eccleſiaſticam, quæ inter tempeſtates reipublicæ multùm concidiſſe videbatur, reſtituere aggreſſi ſunt. S. Gregorius expoſtulaverat ſæpius apud Chlotarium, Theodobertum, & Theodoricum, ipſamque Brunichildem, quòd ſimonia tanquam contagio per Gallias graſſaretur. Judices cauſas clericorum ad ſua trahebant tribunalia; ſæpe quoque Epiſcopi aut archidiaconi fraudabant loca facultatibus, quas clerici iis morientes addixerant; & teſtamenta clericorum irrita fiebant, ſub prætextu legum & formularum. Accedebat etiam ut viduæ immemores propoſiti, quod ediderant, domum, relicto monaſterio, redirent, ſæpè etiam ſacrilegas nuptias contraherent; quidam etiam inceſto ſe ſociarent conjugio. Contra hæc omnia aliaque mala, quæ vim & robur eccleſiaſticæ diſciplinæ infregerant, leges definire Epiſcopi ſtatuerunt, & ſuam adversùs ſerpens malum auctoritatem opponere. Quod ut conficerent, ad Chlotarium confugerunt, qui confeſtim Epiſcopos ſui regni Pariſios convocavit; adfuerunt ſeptuaginta novem Epiſcopi, quorum nomina interciderunt; ſed haud dubiè Ceraunus interfuit huic Synodo, & illi ſubſcripſit. Conſtat quoque celeberrimum fuiſſe Concilium, ad quod tot Pontifices convenerunt, quot anteà in nullo uſquam Francorum Concilio congregatos fuiſſe certum eſt; quam ob cauſam in canone tertio Remenſis Concilii, generalis Synodus appellatur. Aiunt SS. Pontifices in præfatione, ſe conveniſſe tam ad vetera ſtatuta renovanda, quàm ad ea definienda, quæ magis utilia Principi, & populo opportuna magis, & ſalubria eſſent.

III. Primo canone irrita ſtatuitur ordinatio illius Epiſcopi, quem metropolitanus cum Epiſcopis provincialibus, clerus & populus civitatis abſque pecunia aliove commodo non elegerint. Dictum eſt ſupra ſimoniæ malo afflictas Galliarum Eccleſias. Secundo cautum eſt, ne quis ſuperſtite Epiſcopo Epiſcopus ejuſdem civitatis ordinetur, niſi fortè is ſit, qui non ampliùs Eccleſiam regere poſſit, ſeu ſcilicet propter crimen ejectus ſit, ſeu ipſe alium ſe vivo petierit

ordinari. Tertius damnat clericos, qui ad alios potentiores, rejecto Epiſcopo confugiunt, & eos, qui admoniti, nihilominus eoſdem retinent. Quartus canon eliminat ab Eccleſia judices, qui clericos judicio condemnare præſumunt abſque ſcientia Pontificis. Quinto canone privantur communione, qui libertos denuo ad ſervitutem revocare moliuntur, & appellati ob eam cauſam ad audientiam Epiſcopi venire negligunt. Sextus canon ejicit ex Eccleſia eos, qui legata Eccleſiis attributa revocare ſtudent. Septimus prohibet, ne quis res eccleſiaſticas vel proprias poſt mortem Epiſcopi, preſbyteri, diaconi, vel cujuſcumque vis clerici contingat, quas vult ab archidiacono conſervari; ſi quis ſecus fecerit, arcetur à limine Eccleſiæ, tanquam necator pauperum. Octavus tribuit locis quæcumque Abbates, preſbyteri, aut qui in titulis miniſterium obeunt, morientes his reliquerint; Epiſcopoſque & archidiaconos, qui ea auferre volunt condemnat. Nonus canon eſt adverſus Epiſcopos, qui invadunt res cujuſcumque vel clerici, vel ſæcularis viri, neque ad communionem admitti cenſet, niſi rebus fructibuſque reſtitutis. Decimus vult valere teſtamenta Epiſcoporum, preſbyterorum, etſi quædam in iis diſſona reperiantur à legum civilium formulis. Contemptor non modo ab Eccleſia, ſed etiam à convivio fidelium habetur alienus. Placuit undecimo canone, ut Epiſcoporum cauſæ à metropolitanis judicentur, Epiſcopuſque, qui contra fecerit, ſit extraneus à conſortio metropolitani, donec Synodus negotium cognoverit. Duodecimus ab Euchariſtiæ ſacramento excludit monachum vel ſanctimonialem, qui è ſeptis mooaſterii ad vagandum exierit. Decimus tertius in perpetuum arcet à communione virgines & viduas, quæ habitum religionis exuerint, & ſe conjugio copularint, ſi præſertim reſipiſcere neglexerint. Quartus decimus eſt contra inceſtas nuptias. Cum verò in Galliis Judæi tunc temporis multi eſſent, & ſæpe ad munera publica pecuniâ & aliis artibus irreperent, Patribus id indignom viſum eſt Chriſtianos horum ſubire judicium: quamobrem canone quinto & decimo prohibuerunt Judæos muneribus publicis admiſceri; quod ſi nihilominus munera obierint, jubet eos cum omni familia baptiſmum recipere. Quæ diſciplina Francorum fuit, ut compellerent Judæos ad baptiſmum, ut ſupra de Priſco Judæo memoratum eſt.

IV. Chlotario ea omnia grata fuerunt; eaque ſtatuta ut cuſtodirentur, neque ullo modo violarentur ſacrâ conſtitutione confirmata & promulgata eſſe voluit, eam autem conſtitutionem non modò in conventu Epiſcoporum, ſed etiam Optimatum totius Regni actam fuiſſe ipſa conſtitutio aſſerit, quam Rex ita confirmari, & cuſtodiri voluit, ut in eum, qui eam temerare auſus fuerit, capitali ſententiâ animadverti juſſerit, ut habetur in edicto, quod, quoniam in eo multa reperiuntur, quæ Eccleſiis utilia & honorifica ſunt, & ea celeberrimo conventu Pariſiis peracta ſunt, placuit hoc Regum noſtrotum edictum integrum rememorare.

Edictum vel Conſtitutio inclyti Principis Chlotacharii Regis ſuper omnem plebem in conventu Epiſcoporum in Synodo Pariſius adunata ſub die quintodecimo Kalendas Novembris anno XXXI. *ſupraſcripti Regis imperii.*

Felicitatem regni noſtri in hoc magis magiſque divino intercedente ſuffragio, ſuccreſcere non dubium eſt, ſi quæ in regno, Deo propitio noſtro bene acta, ſtatuta atque decreta ſunt, inviolabiliter noſtro ſtuduerimus tempore cuſtodire, & quæ contra rationis ordinem acta vel ordinata ſunt, ne inanteà, quod avertat divinitas, contingant, diſpoſuerimus Chriſto præſule per hujus edicti noſtri tenorem generaliter emendare. Ideoque definitionis noſtræ eſt, ut canonum ſtatuta in omnibus conſerventur, & quod per tempora ex hoc prætermiſſum eſt, vel dehine perpetualiter obſervetur.

I. Ita ut, Epiſcopo decedente, in loco ipſius, qui à metropolitano ordinari debet cum provincialibus, à clero & populo eligatur, & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur, vel certè, ſi de palatio eligitur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur.

II. Ut nullus Epiſcoporum, ſe vivente eligat ſucceſſorem; ſed tunc alius ei ſubſtituatur, cum taliter afficeretur, ut Eccleſiam ſuam nec clerum regere poſſit. Itemque ut

nullus vivente Epiſcopo adoptare locum ejus præſumat. Quod ſi petierit, ei minimè tribuatur.

III. Si quis clericus, quolibet honore munitus, contempto Epiſcopo ſuo, vel prætermiſſo, ad Principem aut ad potentiores quaſque perſonas ambulare vel ſibi patrocinium elegerit expetendum, non recipiatur, præter ſi pro venia videtur expetere. Etſi pro qualibet cauſa Principem expetierit, & cum ipſius Principis epiſtola ad Epiſcopum ſuum fuerit reverſus, excuſatus recipiatur. Is, qui ipſum poſt admonitionem Pontificis ſui retinere præſumpſerit, ſancta communione privetur.

IV. Vt nullus judicum de quolibet ordine clericos de civilibus cauſis præter criminalia negotia, per ſe diſtringere aut damnare præſumat, niſi convincitur manifeſtus; excepto presbytero aut diacono. Qui verò convicti fuerint de crimine capitali, juxta canones diſtringantur, & cum Pontificibus examinentur.

V. Quod ſi cauſa inter perſonam publicam & homines Eccleſiæ ſteterit, pariter ab utraque parte præpoſiti eccleſiarum & judex publicus in audientia publica poſiti ea debeant judicare.

VI. Cuicunque defuncto, ſi inteſtatus deceſſerit, propinqui abſque contrarietate judicum in ejus facultate juxta legem ſuccedant.

VII. Libertos cujuſcumque ingenuorum à ſacerdotibus juxta textus Chartarum ingenuitatis ſuæ defenſandos, nec abſque præſentia Epiſcopi aut præpoſiti Eccleſiæ eſſe judicandos, vel ad publicum revocandos.

VIII. Vt ubicunque cenſus novus impiè additus eſt, & à populo reclamatur, juſtâ inquiſitione miſericorditer emendetur.

IX. De teloneo, ut per ea loca debeat exigi, vel de ſpeciebus ipſis, de quibus præcedentium Principum tempore, id eſt, uſque ad tranſitum bonæ memoriæ domnorum parentum noſtrorum Guntchramni, Chilperici, Sigeberti Regum eſt exactum.

X. Iudæi ſuper Chriſtianos actiones publicas agere non debeant. Quare qui ſe quæſtuoſo ordini ſociare præſumpſerit, ſeveriſſimam legem ex canonica incurrat ſententia.

XI. Vt pax & diſciplina in regno noſtro ſit Chriſto propitiante perpetua, rebellio vel inſolentia malorum hominum ſeveriſſimè reprimatur.

XII. Vt nullus Iudex de aliis provinciis aut regionibus in alia loca ordinetur; ut ſi aliquid mali de quibuſlibet conditionibus perpetraverit, de ſuis propriis rebus exinde, quod malè abſtulerit juxta legis ordinem debeat reſtituere.

XIII. Præceptiones noſtræ per omnia impleantur &c. Deſunt reliqua hujus capitis, cum duobus ſequentibus.

XIV.

XV.

XVI. Quicquid parentes noſtri anteriores Principes vel nos per juſtitiam viſi ſumus conceſſiſſe & confirmaſſe, in omnibus debeat confirmari.

XVII. Et quæ unus de fidelibus ac Leodibus, ſuam fidem ſervando domino legitimo, interregno faciente viſus eſt perdidiſſe, generaliter abſque aliquo incommodo de rebus ſibi juſtè debitis præcepimus reveſtiri.

XVIII. Puellas & viduas religioſas, aut ſanctimoniales, quæ ſe Deo voverunt, tam quæ in propriis domibus reſident, quàm quæ in monaſteriis poſitæ ſunt, nullus nec per præceptum noſtrum competat, nec trahere, nec ſibi in conjugio ſociare penitus præſumat. Et ſi quis exinde præceptum elicuerit, nullum ſortiatur effectum. Et ſi quicumque aut per virtutem aut per quemlibet ordinem ipſas detrahere, aut ſibi in conjugium præſumpſerit ſociare, capitali ſententia feriatur. Et ſi in Eccleſia conjugium fecerint, & illa rapta, aut rapienda in hoc conſentire videbitur, ſequeſtrati ab invicem in exilio deportentur, & facultates eorum propinquis hæredibus ſocientur.

XIX. Epiſcopi verò vel potentes, qui in aliis poſſident regionibus, judices vel miſſos diſcuſſores de aliis provinciis non inſtituant niſi de loco, qui juſtitiam percipiant & aliis reddant.

XX. Agentes igitur Epiſcoporum aut potentum per poteſtatem nullius rei collecta ſolatia, nec auferant, nec cujuſcumque contemptum per ſe facere non præſumant.

XXI. Porcarii fiſcales in ſilvas Eccleſiarum, aut privatorum abſque voluntate poſſeſſoris in ſilvas eorum ingredi non præſumant.

XXII.

XXII. Neque ingenuus, neque ſervus, qui cum furto non deprehenditur, ab LIB III. CAP. VII.
judicibus, aut ad quemcumque interfici non debeat inauditus.

XXIII. Et quandoquidem paſtio non fuerit, unde porci debeant ſaginari, cellarinſis in publico non exigatur.

XXIV. Quicunque verò hanc deliberationem, quam cum Pontificibus vel tam magnis viris optimatibus aut fidelibus noſtris in Synodali Concilio inſtituimus, temerare præſumpſerit, in ipſum capitali ſententia judicetur, qualiter alii non debeant ſimilia perpetrare.

Quam auctoritatem, vel edictum perpetuis temporibus valiturum, manûs noſtræ ſubſcriptionibus decrevimus roborandum. Hamingus, Chlotacharius in Chriſti nomine Rex hanc definitionem ſubſcripſi.

Data ſub die XV. *Kalendas Novembris anno* XXXI. *regni noſtri, Pariſius.*

Ex verbis & capitibus Conſtitutionis notum eſt quædam in canonibus omiſſa eſſe, quæ in edito Concilio non reperiuntur. Sirmondus ipſe annotat quædam deeſſe, & quaſdam eſſe lacunas, quas implere non potuit, quippe qui unum tantùm exemplar viderit ſitu & carie corruptum. Quanti autem momenti Concilium fuerit, vel ex hoc intellige, quod poſteà laudatum ſit in Concilio incerti loci his verbis, quæ in primo canone leguntur. *Vt conſtitutiones illæ, quæ Pariſius ſunt decretæ, hoc eſt tam à dominis Sacerdotibus, quàm à domno Chlotachario Rege juxta priſcas Patrum conſtitutiones, in omnibus conſerventur, quia in nullo fidei Catholicæ vel eccleſiaſticæ regulæ contrariæ ſunt inventæ.* Quemadmodum & in tertio canone Concilii Remenſis, ubi hæc verba legas. *Vt capitula canonum Pariſiis acta in generali Synodo, in baſilica ſancti Petri, Chlotarii Regis ſtudio congregata, omni firmitate cuſtodiantur.* Habita eſt illa Synodus in baſilica S. Petri, ſeu, ut modò loquimur, S. Genovefæ anno Chriſti DCXV. ut habet Sirmondus, vel potiùs anno DCXIV. qui fuit annus Regni Chlotarii XXXI. ut habent Annales Eccleſiaſtici Francorum, & Labbeana collectio. V.

Chlotarii regni annus ſextus & trigeſimus agebatur, cùm Bertetrudis ejus uxor diem obiit, ex qua morte multùm doloris Rex percepit; illam namque ſingulari amore proſequebatur. Grata quoque primatibus regni fuit, quæ ſcilicet viveret modeſtè, ut uxorem; & moderatè ut Reginam decet. Auctor vitæ S. Audoeni Rotomagi ſepultam narrat, juxta Haldetrudem ejuſdem Chlotarii uxorem, quæ in baſilica ſancti Petri, quam opere magnifico Chlotarius conſtruxerat, ſepulta eſt. Rex ſcilicet amiſſis anteà Pariſiis & vicinis urbibus in intimos Neuſtriæ receſſus ſe receperat, & cedens tempori, cùm in his tantummodo regnaret provinciis, Haldetrudem, Rotomagi ſepeliri juſſerat. Valeſius exiſtimat Bertetrudem ſepultam eſſe Lutetiæ in baſilica S. Vincentii, ubi ipſe ſe ſepeliri Rex ſtatuerat. Valeſius non malè ominatus eſt: anno enim MDCLVI. inventum eſt ejus ſepulcrum in baſilica S. Vincentii, ſeu S. Germani, ut fuſiùs infra docebimus. Quanto autem amore Regem amplecteretur pluribus in locis oſtendit, ſed maximè eo tempore quo in Aleſatiæ villa, Marilegio, cum Chlotario Rege verſabatur, ubi Aletheus Patritius ſuo periculo fidem ejus exploravit. Hic novitatis avidus Regem de medio tollere decrevit, & Reginam & regnum affectare cœpit: ut rem perficeret, Bertetrudem Reginam in ſuas partes allicere conatus eſt; miſit itaque ad illam Leudemundum Sedunenſem Epiſcopum, qui caſtiſſimæ Reginæ denunciaret Chlotarium brevi moriturum, auctorque illi eſſet ut Sedunos, tanquam in locum munitiſſimum, opes & theſauros deportari quamprimùm juberet, Aletheoque haud vereretur nubere; pronum illi eſſe & facile regnum occupare, ut pote qui ex Regio Burgundionum ſanguine ortus erat. Credula Regina vocem Sacerdotis tanquam vera vaticinantis Prophetæ excipiens, dolori muliebriter indulgere cœpit, & lachrymari, ſeque cubiculo continere, neminemque alloquio dignari. Hoc cùm advertiſſet Leudemundus ſuſpicatus, id quod erat, Regi facinora ſua brevi nota fore, Sedunos primùm, tum ad monaſterium Luxovienſe fugit, ut tutore Euſtaſio Abbate, S. Columbani ſucceſſore, iram Regis decli- VI.

T

naret. Sanè Euſtaſius pro Epiſcopo veniam & reditum Sedunos obtinuit: verùm Alethei diſpar exitus fuit; Chlotarius enim eum in conventum publicum Francorum ad cauſam dicendam vocavit; cùmque in conventu crimen diluere haud facilè poſſet, conſilio procerum damnatus, percuſſus gladio interiit. Quæ res tam illi, & Leudemundo inhoneſta turpiſque fuit, quàmglorioſa Reginæ, quæ quidem pro ſexûs imbecillitate territa, ſed ad fidem frangendam nullo periculorum metu concuſſa eſt.

VII. Poſt obitum Bertetrudis, Chlotarius adhuc annis florentibus Sichildem duxit uxorem. Auctores hîc vulgò immorantur, & inquirunt quas olim habuerit uxores, & quos quælibet pepererit filios. Chlotarius tres, aliam ex alia, habuit uxores, quarum apud auctores mentio eſt, Haldetrudem, Bertetrudem, & Sichildem, ex quibus tres quatuorve filios ſuſcepit, Meroveum, Dagobertum, Charibertumque, qui à veteribus ſcriptoribus commemorantur. Ac primùm conſtat Charibertum fuiſſe minorem natu, & Dagobertum majorem; neque minus certum eſt utrumque ex diverſa matre ortum eſſe; aiunt vulgò Charibertum ex Sichilde natum, ſed id quî fieri poteſt? Nam Sichildis cum Chlotario annos VIII. vixit; Charibertus anno tertio à patris obitu è vita deceſſit, relicto filio Chilperico. Quî, inquam, fieri poteſt ut undecimo anno poſt nuptias Chlotarii Patris, & Sichildis, jam ille contractis nuptiis, moriens reliquerit filium Chilpericum? Oportet igitur Charibertum alterius fuiſſe filium matrimonii. Valeſius, cujus ſententiam ſequor, exiſtimat Charibertum Bertetrudis fuiſſe filium, Dagobertum verò ex alia matre natum ex eo manifeſtum eſt, quòd Fredegarius memorat Brunulfum, quem poſteà Dagobertus ſummâ rerum potitus interfici juſſit, avunculum Chariberti dicat fuiſſe, cùm verò Dagoberti avunculum nullibi nominet, ex alia eum matre genitum fuiſſe haud dubium eſt. Ex Hildetrude igitur, de qua auctor vitæ S. Audoeni, ortum eſſe exiſtimamus. Hæc de matre Dagoberti, de quo deinceps in hoc opere multus ſermo erit, dicta eſſe oportuit.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De initiis Dagoberti Regis. De S. Arnulpho Mettenſi Epiſcopo. De Concilio Remenſi & de Leudeberto Epiſcopo Pariſienſi. De Conventu habito ad Clippiacum villam regiam. De morte Chlotarii II. Regis. Et de SS. Eligio & Dadone ſeu Audoeno.

CHLOTARIO res feliciter fluebant, pace toto Francorum Imperio compoſitâ, quiſque certabat illi obſequium & fidem teſtificari: huic erant duo filii, Dagobertus magnæ ſpei juvenis, & Charibertus, de quorum ŏrtu modò dictum eſt, qui & patri ſub onere trium regnorum fatiſcenti humeros ſupponere valerent. Sane cepit ipſe Dagoberto filio majori partem Imperii credere, & ad ſolium Auſtraſiæ extollere; ſed antequàm ad eum honorem evectus eſt, narrat monachus S. Dionyſii, qui Dagoberti geſta conſcripſit, quædam illi accidiſſe, quæ ædi San-dionyſianæ conſtruendæ canſam præbuiſſe memorat; quæ quoniam haud indubitatæ fidei ſunt, ad examen revocare haud piget. . I.

Scribit Dagobertum ex Chlotario & Bertetrude genitum, juvenemque datum Arnulfo Mettenſium Epiſcopo, ut ab eo morum & religionis inſtituta adiſceeret. Cum juvenis aliquando, ut moris eſt, venatione oblectaret animum, cervum inſequi inſtituit, quem cum canes premerent, & ille pedum velocitate ſibi conſulit, fortè ad Catulliacum vicum accedit. Vicum hunc tradit auctor quinque milliariis Lutetia Pariſiorum diſtare, ubi matrona, Catulla nomine, corpora SS. martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici & Eleutherii condiderat, & ſuper quorum tumulum beata olim Genovefa extruxerat eccleſiam. Addit auctor cervum ingreſſum eſſe ædem SS. martyrum, caneſque, qui ſequebantur, aſtitiſſe ante oſtium, & ab ingreſſu divinitùs prohibitos, Dagobertumque conſtitiſſe attonitum; quæ res illi honorem & venerationem adverſus ſanctos martyres, aliiſque conciliavit. II.

Chlotarius id temporis Sadregiſilum Aquitaniæ Dncem ſeu Præfectum fecerat, qui hoc munere elatus, & vanâ deluſus ſpe regni, Dagobertum ægrè III.

LIB IV. CAP. I.

patiebatur poteſtate accreſcere; cùmque palam ei obtrectare non auderet, clanculum & occultè eum contemnere cœpit; rei admonitus Dagobertus, quam & ipſe didicerat, ejus mentem explorare aggreſſus eſt; occaſio ita ſe præbuit. Chlotarius ad venandum profectus erat, tum Dagobertus Sadregiſilum ad menſam vocat. Dux convivio accumbere, non quaſi cum Regis filio & hærede regni, ſed quaſi cum æquali & ſocio ab eo accipere pocula, non eo honore & reverentiâ, qua tenebatur. Juvenis contemptum hominis amplius ferre non potuit: Ducem verberibus cædi jubet, ejus barbam radi, quod maximi opprobrii nota erat, & vanum futilemque bominem indecorè & turpiter tractari. Chlotario revertenti ex venatione Sadregiſilus fit obviam, illacrymanſque nudas oſtendebat genas, queriturque à filio peſſimis modis exceptum ſe: ille Dagobertum ad ſe advocat, qui patris iram metuens in baſilicam S. Dionyſii martyris ſe recepit, ſperans fore ſibi adjutores ſanctos martyres, qui cervo periclitanti auxilio fuiſſent. Rex ut audivit filium eò confugiſſe, vehementiùs ſuccenſere, continuòque mittere ſatellites, qui ex baſilica, vel invitum extraherent. Verùm cum propè vicum attigiſſent, occulta vi retenti, ulteriùs pedem efferre non potuerunt: re itaque infectâ redire coacti ſunt. Cùmque idem aliis, quos Rex miſerat, contigiſſet, Chlotarius ipſe rem explorare inſtituit. Intereà Dagobertum in ipſa martytum baſilica ſomno corripi contigit; ecce verò dum ſomno indulget, in ejus veniunt conſpectum tres viri decore & habitu corporis conſpicui, quorum alter canitie reverendus juvenem his verbis alloquitur: Scito juvenis, Dionyſium, Ruſticum, & Eleutherium nos hîc adeſſe, quos audiiſti pro fide defunctos martyrio, & noſtra hîc corpora jacere; vides quod baſilica famam non exæquet; ſi memoriam & tumulum noſtrum ornare ſtatueris, te ab hac, qua premeris, moleſtia levare integrum nobis eſt, & tibi in ærumnis præſto eſſe; utque hoc inane ſomnium eſſe non reputes, egere humum è tumulo; & qui fuerimus, exarati characteres indicabunt. Dagobertus è ſomno excitatus, ſcribit nomina martyrum, pollicetur factutum ſe, quod poſteà exolvit. Chlotarius intereà ad filium feſtinabat, ſed & ipſe dum accedere cogitat, immotus conſtitit, experitur virtutem martytum, qui filium defenderant, quibus rebus victus ipſe, iram frangere incipit, & in filium benevolo eſſe animo. Factâ demùm ulteriùs procedendi poteſtate, in ædem SS. martyrum ingreditur eoſque ſingulari veneratione proſequitur, magnifica eis offert munera, ad memoriam eorum exornandam, & pluribus prædiis locum amplificat. Hæc ex geſtis Dagoberti ſummatim excerpta pauló fuſiùs pertractata ſunt, quæ Valeſius ut fabulæ ſimillima rejicit, ſicut & Annaliſta Eccleſiarum Francicarum.

Valeſius lib. 12. rerum Francic. & Annal. Eccleſ. Franc. ad an 619.

IV. Hunc ſcriptorem non ſcripſiſſe teſtantur niſi poſt ducentos ferme annos, qui ſcilicet ſcripſerit Dionyſium Areopagitam primum Pariſienſem Epiſcopum fuiſſe; quod oſtendit vixiſſe eum poſt tempora Hilduini, qui de ea re litem primus movit. Hæc & alia probant non adeò veterem eſſe ſcriptorem, cui facile fuit poſt multum temporis fabulas comminiſci & ſcribere, quod nemo ea ætate reprehenderet. Sane inſtar figmenti eſt, quod de cervo, de canibus, de famulis, de Chlotario, de Dagoberto ipſe refert. Ea omnia, ut fidem faciant, majori egent teſtimonio; multa inſuper addit, quæ veritati hiſtoriæ adverſantur, Bertetrudem fuiſſe matrem Dagoberti, & Arnulfum Dagoberto juveni datum fuiſſe morum & vitæ rectorem; quod minimè verum eſſe declarant ea, quæ Fredegarius refert, Arnulphum ſcilicet Chlotario in tanto honore fuiſſe, ut cum Dagobertum ad Auſtriæ regnum extuliſſet, illi commendaret, ut ejus moderamine, ejuſque documentis uteretur in vitæ regnique adminiſtratione. *Ab initio, quo regnare cœperat, conſilio primitus beatiſſimi Arnulphi Mettenſis urbis Pontificis, & Pippini Majoris-domus uſus, tantà proſperitate regale regimen in Auſtro regebat, ut à cunctis gentibus immenſo ordine laudem haberet.* Quod & illorum temporum auctor vitæ S. Arnulphi ſcribit. *Arnulphum*, inquit, *Epiſcopum Chlotarius tantà fide, & amore dilexit, ut cum prolem ſuam Dagobertum in principatus culmine ſublimaſſet, eidem regnum ad guber-*

Fredegar. cap. 58

nandum, & filium erudiendum tradiderit. Ex quibus verbis manifeſtum eſt, non pueribus annis datum fuiſſe Arnulphum Dagoberto, ſed cùm res Auſtraſiani regni pater illi commiſit. Quid præterea commento ſimilius, quàm quod auctor ſcribit SS. martyres non priùs pollicitos eſſe Dagoberto ſecuritatem, quam promiſiſſet, ornaturum ſe eorum ſepulturam. *Sed quia*, inquit auctor geſtorum Dagoberti, *famam noſtram ſepulturæ, quam vides, & domus hujus vilitas obſcuravit, ſi memoriam noſtri te ornatum ire promittis, hac te poſſumus, quam pateris, liberare anguſtiâ. Præterea*, inquit Valeſius, *martyres gloriæ, quam vivi contempſerant, adeò poſt mortem cupidos, & de baſilica ſuæ, ſepulcrique ſtructura ac ornamento, adeò ſollicitos, ut Dagoberto in ſummo metu dormienti, non niſi ſub ea conditione opem polliceri voluerint.* Addit Valeſius multa in ea narratione inveniri ridicula, & longè à veri ſimilitudine abhorrentia. An Sadregiſilus in ſpem regni venire potuit, qui ſciret apud Francos ex hæreditate regnum poſſideri; an adeò temerarius ut filium Regis hæredemque regni contemptui haberet? An adeo audax juvenis, ut fidum patris conſiliarium cæderet virgis, & barbam radi juberet, nemine ne ipſo principis moderatore repugnante; an idem poſteà fugere, quærere latebras, & pueriliter facere, neque cauſam priùs apud patrem defendere. Cur non in moderatores primùm patris ira exarſerit? cur adversùs juvenem, tamquam adversùs furem aut homicidam miſerit ſatellites? cur ipſe pater ad baſilicæ immunitatem violandam accederet? His adde ſomniationem, quâ declaratum eſt Dagoberto corpora SS. martyrum hîc jacere, & eorum nomina ſtatim atque experrectus eſt, ne exciderent, exſcripſiſſe. De ſtructura verò majoris baſilicæ S. Dionyſii poſteà ſermo erit.

Lib 18.

V. Rex anno Chriſti DCXXII. regni Chlotarii XXXIX. filium Dagobertum Auſtriæ regno donare inſtituit; eâ tamen ratione, ut quædam loca ſibi retineret, quæ olim huic regno accenſebantur: quidquid ſcilicet Arduennâ & Voſago Auſtraſiorum continebatur, & quidquid olim poſt Chariberti mortem Sigibertus, Childebertus & Theodobertus Reges Auſtriæ in Aquitania, Provincia & trans Ligerim poſſederant; paulò poſt Mettis ipſe Rex ex more ab Auſtraſiis eſt ſalutatus, & in ſolio conſtitutus in eum modum. Chlotarius primus omnium regnum cum filio partitus eſt, honorificentiuſque eſſe duxit regna condere ex arbitrio, & Reges ſuo imperare beneficio, quàm potenti imperio latè dominari. Portio Dagoberti haud exigua, invalidaque fuit; Auſtriæ enim regnum complectebatur non modò provincias, quæ cis Rhenum erant, ſed eas quoque, quæ Tranſrhenanæ erant Alemanniam ſcilicet, Bajoariam, Turingiam, Saxoniæ partem, præter Cattos, Friſios, Bructeros, aliaſque Germaniæ nationes. Ut verò imperium ex æquo rectè juvenis ordinaret, conſilios illi adjunxit Arnulphum Mettenſem Epiſcopum, & Pippinum Præfectum palatii. Arnulphus ex claro ſanguine ortus erat: Dodam virginem genere & pietate inſignem, uxorem duxit. Is porrò adeò virtutibus & religione inclaruit, ut poſt mortem Pappoli Mettenſium Epiſcopi, populi Clerique acclamationibus Epiſcopus etiam maritus eligeretur. Chlotarius & Bertetrudis conſueverant ejus uti conſiliis, & publicam rem ex ejus prudentia moderari. Demùm apud Chlotarium tantæ exiſtimationis ac fidei fuit, ut Dagobertum Regem creatum ejus prudentiæ committeret, ſuumque filium vellet ex ejus diſciplina & inſtitutis regere Auſtraſiorum imperium, quæ præclara inſtitutio adeò Regi utilis & magnifica fuit, ut nemo anteriorum Regum eâ moderatione & ſapientiâ ſceptrum Francorum moverit. Ex Arnulphi porrò ſanguine Reges ſecundæ familiæ orti ſunt, ut infra memorabimus. Pippinus quoque ex nobiliſſima Auſtraſiorum familia ortus, datus eſt Dagoberto, ut præfecturam palatii gereret. Is non, ut ſæpe fit, cum Arnulpho Epiſcopo certare æmulatione potentiæ, ſed canam ejus prudentiam venerari, & ſanctiſſimi ſenis audire & ita exequi conſilia, ut regni adminiſtrationi domeſtica diſpenſatio congrueret.

Valeſ. lib. 18.

VI. Haud procul à Lutetia, eſt villa, quam vocant Clippiacum ad ripam Sequanæ ſita, ibi propter loci amœnitatem Chlotarius ſæpiùs commorari conſue-

LIB. IV. CAP. I. verat. Huc Dagobertus anno regni patris XLII. venit magno Auſtraſiorum comitatu, ut cum Gomatrude, ſorore Sichildis, nuptias celebraret; quarum ſollemnitatem excepit diſcordia inter Reges. Dolebat Dagobertus ſe imminutum maximâ Auſtriæ parte; optimates quoque id indignè ferebant, unde gravis contentio. Neque enim Chlotarius quicquam inſuper addi patiebatur, ratus filium ingratè agere, qui auctum vellet regnum, quod ultrò ceſſiſſet. Cùm hæc tempeſtas ingrueret, & omnes ne tandem aliquò erumperet formidarent, procerum judicio cauſa tractata atque finita eſt. Ex utraque parte duodecim, tam ex Epiſcopis quam ex optimatibus ſelecti judices, penes quorum arbitrium controverſia componeretur; inter quos numeratus eſt ſanctus ille Pontifex Arnulphus, quem neſcio, an patri vel filio gratior judex fuerit, certè utrique cariſſimus. Diſceptatione aliquandiu res protracta; tandem in eam ſententiam diſceſſum eſt, ut Dagobertus Auſtria quidem, ſed cum Arduenna & Voſago contentus quieſceret; Chlotarius retineret quæ trans Ligerim ſunt, & quæ in Provincia & Aquitania ad Auſtriæ regnum olim ſpectaverant. His conciliata eſt inter Reges gratia & depulſa, quæ regnis impendebat, tempeſtas.

VII. Cerauno Epiſcopo Pariſienſi ſucceſſit Leudebertus, qui Synodo Remenſi hoc eodem Regum anno Chriſti DCXXV. ſubſcripſit cum quadraginta & amplius Epiſcopis. Ea Synodus memoratur à Flodoardo preſbytero Remenſi. *Lib. 2 cap. 5.* Hanc ego puto collectam conſilio S. Arnulphi Mettenſis Epiſcopi, quem Flodoardus huic ſubſcripſiſſe refert, ad reformandos mores & diſciplinam inſtaurandam, ſicut nuper Pariſiis factum fuerat. Primus canon annotandus eſt de precariis aut potiùs de præſtariis. Olim loca, villas nempe & prædia ruſticana quidam ſupplicibus libellis, quos precarios vocabant, ab Eccleſiis poſcebant. Epiſcopus ſeu Eccleſia ea ad tempus datâ opportunitate, præſtare haud dubitabat per litteras, quæ præſtariæ dicebantur. Synodus decernit cavendum eſſe, *ne diuturnitate temporis ab aliquibus in jus proprium uſurpentur & Eccleſiæ defraudentur.* Secundus canon eſt contra clericos, qui adverſus Epiſcopos rebellaverint, ut gradu ſuo moverentur, niſi reſipuerint admoniti. Tertius eſt pro Synodo Pariſienſi, de qua ſupra, ut ejus ſtatuta non violentur. Quartus eſt contra hæreticos, ut rejecta hæreſi ad fidem revocentur. Quintus eſt, ut ad Synodum veniant, qui per injuriam ſe privatos communione exiſtimant. Sexto canone judex prohibetur cauſas clericorum cognoſcere abſque conſenſu Epiſcopi. Septimus privat communione eos qui criminis reos ab Eccleſia abſtraxerint, & baſilicarum violaverint privilegia. Octavus eſt contra illicitas nuptias. Nonus contra homicidas, ut ſi pœnitentiam egerint, viaticum in exitu recipiant. Decimus necatores pauperum eos appellat, eoque nomine excludendos jubet, qui donationes in gratiam Eccleſiarum ſcriptas auferunt. Undecimus canon prohibet ne quis Judæis ſervos vendat Chriſtianos; neque ipſi eos emant. Duodecimo cavetur ne clerici ſine litteris Pontificis ab Eccleſia diſcedant. Decimus tertius prohibet ne Epiſcopus vendat aut diſtrahat res Eccleſiæ. Decimus quartus pœnitentiæ ſubjicit eos qui auguria & ritus paganorum exercent, aut cum paganis immolant. Decimus quintus non vult ad accuſationem admitti ſerviles perſonas. Decimus ſextus privat eos communione, qui poſt mortem Epiſcopi res Eccleſiæ invadunt. Decimus ſeptimus contra eos eſt, qui ingenuos ad ſervitutem redigunt. Decimo octavo prohibetur ne quis clericus audeat adire forum, neque cauſas dicere niſi eo modo, & quas ei Epiſcopus permiſerit. Nonus & decimus vetat ne quis fiat ex laico archipreſbyter. Vigeſimus conſtituit ut bona, quæ Epiſcopo teſtamento aut donatione relicta ſunt inter facultates Epiſcopo proprias non deputentur, quia non pro commodo ejus, ſed pro remedio animæ offeruntur. Primus & vigeſimus jubet deponi Epiſcopum, qui res alterius Eccleſiæ invaſerit. Vigeſimus ſecundus vetat frangi vaſa eccleſiæ, niſi cauſa gravis acciderit pro redemptione captivorum. Vigeſimus tertius privat communione eos, qui vel auctoritate regia rapere audeant vel viduas vel virgines Deo devotas & conſecratas. Vigeſimus quartus eſt contra

Digitized by Google

eos, qui edictum Chlotarii Regis ſupra memoratum, quodque Pariſiis actum eſt, aut violare, aut contemnere audeant. Vigeſimus quintus vetat eligi in Epiſcopos, alios quàm indigenas, hoſque ex voto totius populi & aſſenſu provincialium Epiſcoporum. Nihil amplius extat ex ea Synodo. LIB. IV. CAP. I.

VIII. Anno ſequenti Chlotarius violatam canonum legumque ſanctitatem ſeverè ultus eſt. Sæpius inceſtas nuptias fieri prohibitum fuerat; & hanc legem Rex Childebertus, editâ publicatâque ſanctione confirmaverat. Accidit tamen ut Godinus filius Vvarnacharii Præfecti palatii Bertam novercam ſuam uxorem duceret, quod Chlotarius moleſtè adeò tulit, ut illico illum ob hoc facinus ab Arneberto ſororis Godini viro interfici juberet. Quod ubi intellexit Godinus, in Auſtriam ad Dagobertum confugit, & in baſilicam S. Apri Tullenſis Epiſcopi receſſit, ut ſe religione loci tueretur. Egit deinde per Dagobertum, ut relictâ Bertâ, quam contra canonum & legum inſtituta duxerat, facinus ſibi à Rege condonaretur, quâ relictâ in Burgundiam profectus eſt. Berta interim ad Chlotarium adiit, denunciavitque infandum parricidium, quod mente volvebat, eum nempe conſilium cepiſſe interficiendi Regis, ſi ad eum accederet. Rex confeſtim Chramnulfum unum ex optimatibus cum Valdeberto domeſtico ad Godinum mittit, qui eum circumducant ad præcipuas baſilicas, Sueſſionas ad ſancti Medardi baſilicam, Pariſios ad tumulum S. Dionyſii, ut Chlotario futurum ſe fidelem ſuper ſepulcra ſanctorum polliceatur. Petebat Chramnulfus, ut & idem ad memoriam ſancti Aniani Aurelianis, & Turonis ad Limina S. Martini idem Godinus profiteretur: ad Carnuti ſuburbana venerant & erat horâ prandii in villulaque verſabantur, ecce Chramnulfus & Valdebertus cum militibus, qui huc quoque acceſſerant eum interficiunt, ejuſque comites, qui ad reſiſtendum tela paraverant.

IX. Annus regni Chlotarii erat quadrageſimus quartus cùm Pontificum procerumque ad villam Clippiacum tam ex Neuſtria quàm ex Burgundia habitus eſt celebris Conventus, ut de regni & patriæ utilitatibus coram ſtatueretur, cùmque publica ſimul tractarent negotia, caſus improviſus aulam conventumque perturbavit. Erat Chariberto Chlotarii filio gubernator ſeu Præfectus palatii Ermeonarius, qui, neſcio ob quam cauſam, an ortâ cum Ægyna Saxone ſimultate, an ex odio, aut inopina rixa, à pueris Ægynæ interficitur. Unius hominis cædes multis interitum allatura erat, niſi tempeſtatem Chlotarii prudentia compoſuiſſet. Chlotarius jubet Æginam ſecedere ad montem, quem Fredegarius Mercurii vocat, alii montem Martis, nos martyrum appellamus, cum magna Paganorum, quam ſecum trahebat, multitudine. Brunulfus hîc aderat Chariberti avunculus, qui ſtatim milites colligere cœpit, ut in Ægynam unà cum Chariberto impetum faceret. Rex ne ea res exitio pluribus eſſet, negotium hoc à faronibus ſeu Burgundiæ proceribus tractari & definiri jubet, & utramque partem eorum acquieſcere judicio, & ſi quæ pars judicium recuſaret, eos adverſos experiretur. Neutra pars Chlotario edicente & ſententiam approbante conventis repugnare cogitavit; ita turbæ Chlotarii ſapientiâ ſedatæ ſunt. Quæ deinde ſecuta ſint Fredegarius non commemorat.

X. Anno Chriſti DCXXVIII. Chlotarius Rex è vita deceſſit anno regni XLV. & in baſilica ſuburbana ſancti Vincentii ſepultus eſt. Anno MDCLVI. cùm eccleſia repararetur, inventa ſunt ſepulcra Chlotarii & Bertetrudis ejus uxoris ad anteriorem partem baſilicæ verſus Meridiem; idque temporis tranſlata ſunt ex ſuis locis ad auſtralem regionem, paulò infra majus altare, ubi etiam nunc collocata jacent. Varia Chlotarius uſus eſt fortuna. Vix quatuor menſes natus erat, cum ejus pater parricidio ſublatus, & ipſe inter tumultus & turbas militum opera Guntchramni & Fredegundis multa evaſit pericula, ſed matris inprimis quæ ejus limites & regnum defendere femina audacior potuit. Tum ille matre orbatus aleam belli peſſimo eventu expertus eſt, adeò ut uno certamine pacis conditiones iniquas recipere coactus in angulo Galliarum ageret. Trium deinde regnorum princeps inopinatò factus eſt, & tot provincias per ſedecim annos ſine bello vel externo vel domeſtico, cum æqui-

LIB. IV. CAP. II. tate ſingulari & pari prudentia adminiſtravit. Filios habuit Meroveum, qui puer occubuit; Dagobertum Auſtriæ Regem; Aribertum, ſeu Charibertum, & Emmam, quæ Eudoaldo Regi Cantuariorum nupſit; filium, qui parvulus diem obiit & Enymiam, quæ Virginitatem Deo vovit, & cujus in martyrologio Sauſſaii memoria eſt pridie nonas Octobris. Dagobertus ejus filius tam in Neuſtria quàm in Burgundia & in Auſtria regnare poſt obitum patris cœpit. De eo ſequenti capite dicemus.

XI. Chlotario regnante permulti viri pietate & religione inſignes vixerunt, ex quibus Eligius & Audoenus cognomine Dado fuerunt, qui Pariſios venerunt, quos Chlotarius inprimis coluit. Eligius in villa Catulacenſi ad ſextum à Lemovicibus milliarium natus eſt, ex parentibus Chriſtianis, patre Eucherio, matre Terrigia. Pater, cum videret Eligium juvenem induſtriâ & dexteritate potiſſimùm valere, hunc tradidit Abboni aurifici illorum temporum præſtantiſſimo, cui publicæ monetæ cura erat, à quo brevi auri argentique cudendi artem edoctus eſt. Elapſis paucis annis in Neuſtriam venit, & paulò poſt amicitiæ vincula contraxit cum Bobbone regio quæſtore, ac demùm notus fieri cœpit Regi, hâc quàm paucis refero occaſione. Chlotarius ſellam ex auro & gemmis ſibi fabricari cupiebat, cùmque peritus artifex haud facilè inveniretur, Bobbo Eligium indicavit, qui ſellæ fabricandæ opus eleganter perfecit, & clanculum alteram, quam ex auri gemmarumque reſiduo pari arte & ſimili elegantiâ fabricaverat; quæ res non modò ob peritiam, ſed etiam ob artificis fidem Eligium apud Regem plurimùm commendavit. Ex eo tempore Chlotario non modò notus, ſed etiam cariſſimus fuit. Paulò poſt Eligius mentem & animum rebus divinis appellere cœpit, & duris operibus pœnitentiæ ſe exercere, inedia & jejuniis corpus atterere, pervigilia noctis agere ut Deo & orationi vacaret, virtutibus Chriſtianis exornare animum in caſtitate in patientia multa, in caritate non ficta. Erant id temporis in Aula Chlotarii Regis Audoeni duo fratres, alter cognomine Ado, Dado alter, filii Autharii unius ex optimatibus. Cum Dadone Eligius jungere amicitiam, hunc amore complecti, huicque intima pectoris arcana credere. Solebat ille pariter amicitiam arcto pietatis vinculo illigare, & Adonem fratrem ſibi ſociare, & quaſi triplici nexu amicitiam conſtringere, ut non facilè rumperetur. Hos verò præibat Eligius, & illi ejus virtutem æmulari ſtudebant: illius exemplo ſpretis honoribus & poſthabitis blanditiis ſæculi per duros aſperoſque virtutis Chriſtianæ calles ad cælum rectâ ire inſtituerunt. De his agemus infra, nam his ferme temporibus Chlotarius diem obiit, & Dagobertus in Neuſtria, Auſtria & Burgundia regnare cœpit: quo modo verò id contigerit paucis dicemus.

CAPUT II.

De Dagoberto Rege & de ejus fratre Chariberto. De baſilica ſancti Dionyſii & de ejus fundatione & primis monaſterii Dionyſiani Abbatibus.

I. REGES Francorum ſeu ex conſuetudine anteriorum Regum, ſeu ad exemplum Principum, qui Romanum rexerant Imperium, partiri regnum inter filios conſueverant, aut filii ipſi poſt mortem patrum æquis portionibus dividere. Etſi hæc conſuetudo apud Francos pro lege habebatur, tamen & Imperii & publico provinciarum bono plerùmque noxia; nam cùm diviſio regni inter plures fieret, neceſſe erat in plures eaſque modicas portiones diſtrahi,

&c

& quamlibet regni partem diminuta magnitudine externis hoſtibus objici, aut domeſticis laborare odiis, fratribus æmulatione potentiæ & ambitu regnandi ſecum invicem diſſidentibus. Quod ſæpius experti Franci, diviſo inter filios Chlodovei magni & Chlotarii Childebertique principatu. Sive ea res Chlotario in mentem venit, aut ipſe aliud agere meditatus, prius morte abſumptus, nullas ex regnis Chariberto filio juniori provincias attribuit. Neque Chariberto, nondum parta auctoritate, & Dagoberto viribus & potentia prævalente, occupare regnum integrum fuit. Hic audita morte patris, quomodo Neuſtriæ & Burgundiæ regnorum cum Auſtria potitus ſit, breviter libet commemorare.

II. Dagobertus poſt mortem Chlotarii Duces Comiteſque Auſtriæ armatos Mettas convenire jubet; mittit prætereà in Burgundiam & Neuſtriam viros fide & prudentiâ claros, qui circumeant utriuſque regni civitates, & populis perſuadeant, ut jurare in Dagoberti nomen haud abnuant: hanc fuiſſe Chlotario mentem, ut is ſolus Imperium Francorum caperet; illum moderando ingenti regno idoneum eſſe; ſcire omnes, quâ æquitate & ſapientiâ geſſerit principatum; addebant ad hæc hunc civitatibus cum ingenti exercitu imminere, rogant ut reipublicæ & privato bono conſulant, neque detrectent illum accipere principem, cui jus natalium, patris voluntas, & præclaræ animi dotes ſuffragabantur. Et ſi Dagoberto hæc utilia, nihil tamen illi magis profuit quàm feſtinata ad regnum capiendum expeditio; contracto enim ſtatim valido exercitu, Remos venit, tum Sueſſionas haud cunctatus accelerat: primates & Epiſcopi tam ex Neuſtria, quàm ex Burgundia ad eum accedere, ſe illius imperio ultro ſubjicere, Regem eum ſalutare & principatum Francorum illi gratulari, ac demùm fidem cum juramento illi polliceri. Non eadem Chariberto felicitas, neque par in eum animorum concurſus fuit. Brunulfus ejus avunculus in Burgundiam venerat ad conciliandos animos, & Burgundiam Chariberto aſſerendam; nec quicquam tamen profecit inclinatâ in Dagobertum omnium voluntate. In eum modum Dagobertus Rex Auſtriæ, Neuſtriæ, & Burgundiæ eſt ſalutatus. Chariberto nihil relictum eſt præter ſpem acquirendæ dominationis, quam illi ultrò Dagobertus cederet. Sane ſeu primores regni Chariberti ſortem miſerati, ſeu ipſe ingenti in fratrem affectu partem aliquam illi attribuere ſtatuit, habitoque de ea re conſilio, illi Tholoſates, utriuſque Aquitaniæ partem, Novempopulaniam, & quicquid à Garumna ad Pyreneos montes pertinet, conceſſit. His contentus Charibertus Tholoſam regni ſedem eſſe juſſit, & in his provinciis regnum hand ignobile domitis Vaſconibus inſtituere cœpit.

III. Dagoberto prima cura fuit obire Burgundiam, quam ingreſſus nihil antiquius habuit, quàm populis jus dicere, audire querelas inopum, ſuccurrere miſeris adverſus magnatum impotentiam, æqui juſtique ita omnem ſervare rationem, ut neque perſonarum acceptio, aut optimatum potentia uſquam eum in tranſverſum ageret; lites ipſe & controverſias audiebat, & ex legum pondere, & æquitatis judicio ſuum cuique tribuebat. Inter hæc tamen Brunulfum Chariberti avunculum, quod Burgundiam in partes Chariberti allicere tentaviſſet, interfici jubet. Mox in Neuſtriam contendit, per Auguſtodunum, Autiſſiodorum, Senonas, Lutetiam Pariſiorum ire perrexit, quò cum adventaſſet, in villam agri Pariſienſis, cui nomen Romiliacum, venit, ubi repudiata Gomatrude Sichildis ſorore propter ſterilitatem, Nanthildem, quam non de monaſterio, ut ſcribit Aimoinus, ſed de miniſterio, id eſt ex puellis Reginæ, ut habent ſinceriores antiquioreſque Fredegarii codices evocaverat, uxorem duxit.

IV. Huc uſque Dagobertus uſus conſiliis Arnulphi Mettenſis Epiſcopi & Pipini Præfecti palatii, & poſt ſeceſſum Arnulphi, Chuniberti Colonienſis Epiſcopi ita regnum adminiſtravit, ut ſapientiâ & judicio ſuperiores Principes longè anteiret, & æque ſuis ac exteris nationibus laudi eſſet & admirationi. Finitimi non modò ejus prædicare virtutem, ſed ſe illi dedere haud abnuebant.

LIB. IV. CAP. II. Verùm aucto imperio, cum nec ampliùs præſentiâ Chlotarii ſapientiſſimi Regis retineretur, neque ſineret graviſſimorum hominum ſe regi conſilio, omnia facere perperàm cœpit, laxare habenas cupiditatibus, & ire non quò æquum & jus vocarent, ſed quò mens malè ſana, quò avaritia & libido eum præcipitem agerent.

V. Dagobertus rebus Burgundiæ & Neuſtriæ ordinatis, in Auſtriam profectus, ut luſtraret provincias, & ordinaret civitates, in itinere Ragnetrudem nobilitate & decore inſignem toro aſcivit, ex qua eodem anno ſuſcepit filium Sigibertum. Ordinatâ Auſtriâ Pariſios reverſus eſt, hancque urbem more ſuperiorum Regum ſedem regni conſtituit. Fredegarius ſcribit id temporis Pipinum Majorem-domus miſſum Aurelianos à Dagoberto Rege, filiumque infantem huc deportatum, ut à Chariberto, qui & eò vocatus fuerat, è ſacro fonte exciperetur, & ab eo Sigibertum nominatum fuiſſe. Vetus auctor vitæ ſancti Amandi rem aliter narrat, nempe Amandum ad baptiſmum à Dagoberto advocatum. Amandus natione Aquitanus erat; is ab Achario Noviomenſi Epiſcopo ſine certa ſede Epiſcopus ordinatus fuerat, ut facilius idololâtras ad fidem adduceret, cùmque ille liberè Regi ſua vitia crimini daret, hæcque Rex ægrè ferret; ſcribit auctor ejus vitæ pulſum ex regno, ſed poſteà accitum veniſſe ad Regem, qui in villa Clippiaco verſabatur, quem Rex rogavit, ut ipſe filium recens natum baptiſmo ablueret; quod cùm facere Amandus abnueret, tandem perſuaſum ab Eligio & Dadone, qui in aula Dagoberti agebant. Amandum igitur primò eum feciſſe catechumenum, & cum finitâ oratione nemo eſſet, qui reſponſionem diceret, infantem cunctis admirantibus, reſpondiſſe, Amen, ac demùm ſacro baptiſmate initiatum. Alii memorant ab Amando quidem ablutum, ſed Aurelianis, non in villa Clippiaco, & à Chariberto patruo exceptum ex fonte.

VI. Scribit Fredegarius Dagobertum ex ſpoliis eccleſiarum & optimatum ærarium locupletaſſe, & nullum ſuæ libidini modum feciſſe, fuiſſe illi tres Reginas, Nanthildem, Vulfgundem & Berthildem, complures concubinas, quarum nomina commemorare & referre in chronica Fredegario non libuit. Eodem anno contigit Charibertum Regem mori in Aquitania; & paulo poſt Chilpericum ejus filium, quem ferunt artibus Dagoberti fuiſſe ſublatum; regnum ejus Dagobertus ſuis provinciis adjunxit, ejuſque theſauros ad ſe deportari juſſit.

VII. Et ſi mens Dagoberti in tranſverſum acta, & is nihil ad ſummam cupiditatem reliqui fecit; credo Regem bene eruditum ad meliora inſtituta rediiſſe, neque modò emendationem morum Deo pollicitum, &, ſicut priùs fecerat, vixiſſe honeſtè, ſed in noxarum & delictorum expiationem multa egregiè & piè præſtitiſſe. Nam certum eſt quod antiqui ſcriptores teſtantur eum erogandis larga manu eleemoſynis, & pauperum inopiæ ſublevandæ indulſiſſe, condendis baſilicis, & monaſteriis dotandis, ut hoc pretio peccata & anteactæ vitæ culpas redimeret. Sane affluenter & copioſè pauperibus & monachis largitus eſt, ſed multas inprimis impenſas ad conſtruendam ſanctorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii baſilicam fecit; neque minores, ut eam latifundiis & reditibus locupletaret, & alimoniam in perpetuum Deo miniſtrantibus monachis ſuggereret. De illius baſilicæ nova fundatione & dotatione mihi modò dicendum eſt.

VIII. Ab initio hujus hiſtoriæ memoratum eſt, quemadmodum S. Dionyſius primus Pariſienſis Epiſcopus, & cum eo SS. Ruſticus presbyter, & Eleutherius diaconus mortem acerbam ſub perſecutione Aureliani pertulerint; utque ſancta eorum corpora poſt martyrium ad vicum Catolacenſem tranſlata ſint, & in eo vico humi condita. Ex eo tempore ad ætatem ſanctæ Genovefæ locus ſanè ſacer religione fuerat, & Chriſtiani ſæpè ad tumulum ibant, ut vota Deo facerent, quæ ſanctiora fore, ſi ſolverentur coram ſanctorum reliquiis, haud falsò exiſtimabant. Verùm etſi martyrum memoria celebris, tamen ad eorum ſepulcrum exornandum modica eccleſia erat, quam potiùs oratorium appel-

lem, quàm baſilicam. Sancta Genovefa ſingulari honore locum colere ſolebat, & ſibi multis precibus SS. martyrum patrocinium procurare, & quâ pietate præſtabat, tumulum eorum honorare inſtituit, & novam ædificare baſilicam. Et ſi deerant quæ neceſſaria ad rem perficiendam viderentur, eccleſiam tamen pia virgo conſtruxit, ut ſuperiùs relatum eſt; & tunc temporis locus frequentior, & notior eſſe cœpit. Opus quidem piæ virginis baſilica fuit, haud tamen modica & ignobilis, quamGregorius ſcribit multa habuiſſe oſtia: & in ea tempore Chilperici & Sigiberti turritum fuiſſe tumulum, opertumque pallâ auro & gemmis adornatâ, appenſam & columbam auream ad tumulum; diximus & ſuprà Dagobertum unum ex filiis Chilperici in ea ſepultum fuiſſe. Quid quod ibatur ad S. Dionyſii ſepulcrum ad eluendam criminis ſuſpicionem, & ſacramento obligandam fidem, ut ſub Chilperico optimates & Godinus fecit ſub Chlotario juniore, uti mox memoratum eſt. Miror fuiſſe viros doctos, qui S. Dionyſium intra muros Lutetiæ tumulatum aſſerant, & ejus memoriam intra urbem exculram etiam poſt Dagoberti tempus, cum nullibi hujuſce tranſlationis fiat mentio; aliàs id tanquam inventum novum rejecimus; neque denuò eâ de re renovanda controverſia eſt. LIB. IV. CAP. II.

IX. De nova S. Dionyſii baſilica varia opinio. Vulgò narrant novam eccleſiam à Dagoberto ædificatam eſſe, quæ, & ſi non ambitu, tamen elegantiâ operis & pretio materiæ reliquas Galliarum baſilicas longè ſuperaret. Marmoreis ſcribunt fuiſſe fultam columnis, marmoreis quoque pavimentis ſtratam ſuſpenſas ex arcubus, columnis & parietibus veſtes auro textas & multiplici margaritarum ordine exornatas, ac demùm eam auro argentoque puriſſimo renitentem. Gazophylacium, inquit monachus ſancti Dionyſii, ex argento ad cornu altaris locari Rex juſſit, & quotannis ad Calend. Septembris centum ſolidos, ſeu centum aureos ei conferebat; editâque conſtitutione præcepit ut filii hæredeſque regni eam ſummam ſingulis annis eo die inferrent, prohibuitque ne aliò pecunia diſtraheretur, quàm in alimoniam pauperum & peregrinorum. Præterea crucem ex auro gemmiſque divitem eccleſiæ dedit. opus à ſancto Eligio affabre elaboratum. Sugerius memorat hanc crucem vulgò dici criſtam, quam olim retrò aureum altare ponere ſolebant, eaque inter antiqua baſilicæ cimelia etiam hodie viſitur. Huc adde tumulum ſancti Dionyſii, quem auro & gemmis ornaverat, & ſingulari induſtriâ decoraverat S. Eligius: hæc S. Audoënus in vita S. Eligii *Prætereà Eligius fabricavit & mauſoleum S. martyris Dionyſii Pariſius civitate, & tugurium ſuper ipſum marmoreum miro opere de auro & gemmis, criſtam quoque & ſpecies de fronte magnifice compoſuit, necnon & axes in circuitu altaris auro operuit, & poſuit in eis poma aurea rotundibilia atque gemmata, operuit quoque & lectorium & oſtia diligenter de metallo argenti, ſed & tectum throni altaris axibus operuit argenteis, fecit quoque & repam in loco anterioris tumuli, & altare extrinſecus ad pedes ſancti martyris fabricavit, tantùmque illic ſuppeditante Rege ſuâ exercuit induſtriâ, atque ità ſuum diffudit ſpecimen, ut penè ſingulare ſit in Galliis ornamentum, & in magna omnium admiratione uſque in hodiernum diem.* Neſcio an pluris æſtimem pietatem S. Eligii, an Chriſtiani Principis: quemadmodum enim ille omnem induſtriam adhibuit, nullumque recuſavit laborem; hic nullis ſumptibus pepercit, ſed regiâ liberalitate omnia contulit ut decoraret ſepulcrum S. Pontificis, qui pretio vitæ & ſanguinis fidem & religionem nobis tradiderat. Dagobertus prætereà, ut refert auctor ejus geſtorum, ſancti Dionyſii baſilicæ dedit areas intrà extráque civitatem, & portam ipſam urbis, quæ ad carcerem Glaucini pertinet, cum teloneis omnibus; poteſtatem quoque nundinas, ſeu ut vocant, faciendi mercatum quotannis poſt ſollemnem ſanctorum martyrum memoriam, & jura quæcumque ex regia auctoritate poſſet exigere, quandiu nundinæ agerentur. Villam quoque Stirpiniacum, quæ in agro Vulcaſſino eſt, eo tempore ſanctis martyribus conceſſit; cujus donationis in chartis Dubletianis, qualeſcumque fuerint, mentio eſt. Apud eumdem auctorem legas à Dagoberto eidem eccleſiæ indulta bona, facultateſque Sadregiſili, de quo anteà pluribus dictum eſt: ſed eam donationem majorem

non mereri fidem, quàm ſupra relatam hiſtoriam exiſtimamus. Ad hæc addit Sugerius datam à Dagoberto cathedram in qua Francorum Reges ſuſcepto regno ſedere conſueverant, eo præſertim tempore quo regni optimates ſacramento fidem obligabant, &, ut vocant, præſtabant hominium. Idem Abbas ſcribit à Nanthilde collatum monile, quod cruci adjectum eſt, ac deinde collocatum inter altare & tumulum Caroli Calvi. Hæc vulgò auctores antiqui memorant de baſilica ſancti Dionyſii & de Dagoberto.

X. Mabillonius tamen in docto opere de re diplomatica baſilicam ſancti Dionyſii non à Dagoberto extructam, ſed tantum ornatam dotatamque cenſet. Fredegarius ſcholaſticus, inquit, cum agit de eccleſia ſancti Dionyſii, ejus monaſterii originem Dagoberto non tribuit, ſed quatuor de ea memorat cap. LXXIX. nimirum in ea ſepultum Dagobertum, *ipſam ab eo condignè ex auro & gemmis & multis pretioſiſſimis ſpeciebus ornatam, & condignè in circuitu fabricatam, tantaſque opes & villas & poſſeſſiones* à Rege fuiſſe *conlatas*, ut ejus liberalitatem permulti admirarentur, denique *pſallentium ibidem ad inſtar monaſterii ſanctorum Agaunenſium inſtitutum, quod facilitas Abbatis Aigulfi abrogavit.* Addit deinde Mabillonius his verbis, *condignè in circuitu ejus eccleſiæ fabricare præcepit*, ſignificari circumpoſitas monachorum ædes, quas Dagobertus baſilicæ ab ſe magnificentiùs ornatæ adjecit. Novæ itaque baſilicæ, novique monaſterii auctorem non eſſe cenſendum, ſed merito primi conditoris nomen adeptum ob ampliſſimas villas & poſſeſſiones, quas eidem loco tribuit. Neque ille doctus aſceta vanam hanc opinionem eſſe exiſtimandam judicat, eo quod ante tempora Dagoberti Regis, Theodedrudis ſeu Theodiba multa prædia ſcriptâ donatione contulit Abbati & fratribus baſilicæ S. Dionyſii deſervientibus anno regni Chlotarii XLIV. Igitur, ut patet ex charta, quam Dubletus exſcripſit nondum Dagobertus in Neuſtria regnabat. Favet & huic ſententiæ id quod legitur in libro primo de miraculis ſancti Dionyſii, hanc ſcilicet S. Dionyſii baſilicam cœptam denuò ædificari à Pipino Rege, & abſolutam ſub principatu Caroli Magni, curâ maximè & labore Fulradi Abbatis. Sic auctor loquitur ad numerum XIV. *Cum baſilica ſanctorum, dirutâ priore, quæ cœpta à Pipino Rege, auguſtiùs à Carolo magno conſummata eſt, & ſequenti baſilicæ fabrica completa, impoſitâque turri, in qua, ut moris eſt, ſigna penderent. Fulradus venerandus Abbas, qui operi magnanimiter inſtiterat, dum diu deſideratum opus conſideraret* &c. Ex quibus clarum eſt baſilicam tempore Pipini deſtructam eſſe, & ſub Carolo Magno iterum ædificatam; quæ neſcio quomodo cohæreant cum his, quæ antea diximus ædificatam à fundamentis, & omnes alias baſilicas opere & ornatu ſuperaſſe, quam ſub principatu Pipini iterum refectam eſſe oportuit. Vetus tamen traditio huic ſententiæ omnino adverſatur; ſcriptor enim geſtorum Dagoberti Regis San-dionyſianus monachus, & qui ſub Ludovici Pii principatu vivebat, diſertis verbis dicebat Dagobertum corpora SS. martyrum Dionyſii Ruſtici & Eleutherii, & eorum nomina in Sarcophagis reperiſſe, & in alium ejus vici locum ſumma cum veneratione x. Calendas Maias tranſtuliſſe, eorumque memorias auro & gemmis ab eo exornatas, & eccleſiam, quam fundaverat intus & foris mirificè decoratam. Unde intelligis omnes monachos S. Dionyſii ſub Ludovico Pio in ea fuiſſe ſententia baſilicam illam fuiſſe à Dagoberto conditam, quod & Aimoinus monachus aſſerit. Sanè perpetua monaſterii Dionyſiani opinio fuit; nam & Sugerius Abbas hujus loci Dagoberti opus fuiſſe & ipſe confitetur, & ſecundùm illam traditionem memoria horum ſanctorum martyrum tranſlationis x. Calendas Maias in eccleſia Pariſienſi celebrata eſt. Quod verò Mabillonius opponit à Fredegario nihil eſſe dictum de baſilicæ ædificatione, ſed tantummodò exornatam intus, & circumpoſitas monachorum ædes: Fredegarii verba ſunt Dagobertum in baſilica ſepultum. *Ipſamque* ab eo *ex auro gemmis & multis pretioſiſſimis ſpeciebus ornatam, & condignè in circuitu fabricatam.* Duo, uti exiſtimo, Fredegarius refert, & eam baſilicam ab eo fabricatam & multis ab eo decoratam ornamentis: Fredegarii verba in eum ſenſum explicat ſcriptor rerum noſtrarum eruditiſſimus Valeſius.

Antiquitez de l'Abbaye S. Denis p. 653.

Aimoinus lib. 4. cap. 35.

Nemo itaque ſanus, inquit, *negare poſſit quod ſcriptor æqualis ejus ætatis affirmavit, Dagobertum baſilicam ſancti Dioniſii, quam ipſe extra Lutetiam propè Clippiacum & Spinogilum villas fuiſſe apertè docet ſuper tumulum martyris à fundamentis condidiſſe, auro & gemmis ac multis pretioſiſſimis rebus ornaſſe.* Et paulo poſt aſſerit nihil aliud eſſe in circuitu fabricare eccleſiam, quàm à fundamentis eccleſiam extruere, ac deinde longam auctorum ſeriem recenſet, qui omnes Dagobertum fundatorem, conſtructoremque baſilicæ ſancti Dionyſii unâ voce & uno conſenſu appellant; quorum teſtimonia, ne ſim longior, omitto. Quod verò pertinet ad chartam Theodilæ, nolim dicere eam eſſe dubiæ fidei, ſed magis dixerim in priore S. Dionyſii baſilicâ ante principatum Dagoberti monachos fuiſſe collocatos. Ex his fateatur oportet Mabillonius ſuam opinionem eſſe plenam perplexis difficultatibus, quas vellem explanatas, magis enim aperire mentem ſtuduit, quàm explicare: ſed & ego, ſicut & ille, ad alia pariter propero.

Lib. IV. Cap. II. Part. poſter. defenſ. cap. 7.

X I.

In ea porro baſilica à Rege Dagoberto extructa ait Fredegarius pſallentium inſtitutum ad inſtar Agaunenſis monaſterii: laudem perennem intellexit auctor, quæ tempore Dagoberti Regis in baſilica ſancti Dionyſii fieri cœpta eſt. In quibuſdam monaſteriis, ubi multitudo aſcetarum erat, ità inſtituta pſallendi fuerat ratio, ut ii per turmas diviſi, ſibi invicem ad pſallendum perenniter ſuccederent, ita ut nocte & die non interrupto tenore Dei laudes canerent. Hunc pſallendi morem olim in aliquot monaſteriis obſervatum eſſe conſtat, in Agaunenſi inprimis monaſterio. Sane hanc inſtitutionem fuiſſe in illo monaſterio ex actis S. Salabergæ manifeſtum eſt. Illa enim cum Lugduni Clavati, conſilio Vvalberti Abbatis, monaſterium condidiſſet, in eo, inquiunt acta, *trecentas adunavit famulas Chriſti, choriſque diſpoſitis per turmas ad inſtar monachorum Agaunenſium canendi normam diſpoſuit.* Quod ita tempore Dagoberti Regis in Dionyſiano monaſterio ordinatum eſt, ſicut monachus auctor geſtorum Dagoberti Fredegarii interpres memorat à Dagoberto monachos diſpoſitos fuiſſe, qui turmatim ad inſtar monaſterii Agaunenſium ſive ſancti Martini Turonis pſallerent; quam explicationem Aimoinus in hiſtoria Francorum ſecutus eſt. Hujus perennis laudis memoria eſt in charta Chlodovei Filii Dagoberti, Rex in ea conſtituit, ut *ſicut tempore Domni genitoris noſtri ibidem pſallentius per turmas fuit inſtitutus, vel ſicut ad monaſtbirium ſancti Mauricii Agaunis die nocteque tenetur, ità in ipſo loco celebretur.* Hæc charta data eſt *Clippiaco* x. Calendas Julias anno XVI. regni Chlodovei, hanc chartam, quam Dubletus & Sirmondus retulerunt, ex autographo corticeo exſcripſit nuper Mabillonius in opere de re diplomatica cum ſuis mendis, quæ vitia temporis erant, quam tamen alii emendatam evulgaverant. Ita Theodoricus Rex in præcepto, quo confirmavit San-dionyſianis monachis ſua privilegia, hæc addit, *Ve ſicut temporibus anteriorum Regum parentum noſtrorum ibidem in ſancta baſilica pſallentius per turmas fuit inſtitutus, ſicut ſanctus ordo edocet, die nocteque perenniter in ipſo loco ſancto celebratur* &c. Miror ego poſthæc, ſi tamen haud dubia ſunt teſtimonia, aliquot fuiſſe, qui negaverint olim celebratam in eccleſia ſancti Dionyſii jugem perennemque precationem, & in alium ſenſum converterint verba Fredegarii, qui, ſi aliter ejus verba interpreteris, nihil novi, nihil inſoliti tribuit huic eccleſiæ, quam tamen laudatam velit, & ſingulari precatione ſuper alias inſignem fuiſſe prædicet; & id magnificum illi contigiſſe teſtetur, ob donationes, quas illi Dagobertus copioſè contulit.

De re diplomat. p. 489.

Præfatio ad 2. part. ſecul. 4. act. SS. Ord. S. Bened.

X I I.

Multa ſanè prædia, amplaſque poſſeſſiones Rex Dagobertus eccleſiæ ſancti Dionyſii contulit; eâ beneficentiâ uſus eſt, ut permulti admirarentur ejus liberalitatem. Quæ autem hæ donationes fuerint haud facile memoratu eſt, cum chartæ ſeptemdecim extent in antiquitatibus eccleſiæ ſancti Diouyſii, quas Cointius falſas & ſuppoſititias eſſe cenſeat, aut certè quarum alias ſuſpectas alias interpolatas, alias genuinas exiſtimet Mabillonius; nec liquidò conſtet quæ adulteratæ, quæ genuinæ ſint, & quid in unaquaque ſuppoſitum genuinumque ſit. Difficile, inquam, dictu eſt, quæ prædia, & quas præciſè

Lib. IV. Cap. II. donationes Dagobertus largitus ſit eccleſiæ ſancti Dionyſii, cum memoria earum donationum harum ferme chartarum fide ſubnixa ſit. Auctor geſtorum Dagoberti Regis ſcribit donatos ſingulis annis huic eccleſiæ centum ſolidos ex Maſſilia, unde regii actores oleum emerent ad luminaria ejuſdem eccleſiæ, quod omnibus in locis, per quæ tranſitus eſſet uſque ad eam baſilicam, ſex plauſtris devectum, immune ab omni teloneo eſſet. Prima charta de nundinis eſt, ſeu de mercato ſancti Dionyſii. Cointius hanc falſam eſſe judicat ex anno ſecundo regni Dagoberti, quo data legitur, quia ſecundo ſui regni anno nondum Dagobertus Neuſtriam obtinebat. Qui fit enim, ut in hac Dagoberti charta computentur anni Dagoberti à Neuſtriæ regno, & obitu patris Chlotarii, cum in aliis chartis conſignetur annus modò decimus, undecimus, decimus tertius, decimus-quartus, vel decimus-quintus, qui anni non poſſunt congruere cum annis Neuſtraſiani regni, quando quidem Dagobertus decem annos haud integros in Neuſtria regnavit. Reſpondet Mabillonius nihil prohibere quominus duplex calculus fuerit in uſu Dagoberto; alterque incipiat ab annis Auſtraſiani regni; alterius verò initium fuerit à regno Neuſtriæ, quod ab aliis etiam Regibus uſurpatum eſſe comperimus; quod ipſe Cointius confitetur aliàs accidiſſe occaſione cujuſdam chartæ Childerici Regis, ubi primus hujus Regis annus à Neuſtriæ regno exordium ſumit: ita de ſinceritate hujus chartæ viri docti litigant. Ut ut ſit nundinas in vico S. Dionyſii probat & charta Childeberti III. quam Mabillonius ex autographo Dionyſiano exſcripſit; ubi hoc notandum in eadem charta fieri mentionem nundinarum ſancti Laurentii, quæ ad eum locum è vico Catolacenſi tranſlatæ fuerint aliquando, propter cladem, quæ fortè in eo vico advenerat, ſicut in diplomate regio legitur. *Et quatenus retroactis temporibus clade interveniente de ipſo vigo S. Dionyſii, ipſe mercadus fuit emutatus, & ad Pariſius civitate inter ſancti Martini & ſancti Laurentii baſilicis, ipſe mercadus fuit factus* &c. Pipini diploma nundinas S. Dionyſii confirmat. Secunda charta quam ex Dagoberto profert Dubletus; ubi cervi fit mentio, quem Rex proſequutus ſit, & de quo anteà memoratum eſt, & ubi fit mentio donationis Conſtantini, manifeſtæ eſt ſuppoſitionis; nondum enim ſub principatu Dagoberti donatio Conſtantini ſuppoſita fuerat, & narrationem ab auctore de geſtis Dagoberti memoratam fabulæ ſimilem docti reputant, ut ſupra oſtendimus. Ex donatione inquam, manifeſtiſſima fraus, eam enim non niſi inclinante nono vel decimo ſæculo confictam docti clarè probant; unde colligere licet eam chartam poſt hæc tempora compoſitam; eam ex corticea papyro exſcriptam à ſe Dubletus affirmat: adde & in charta affectatas neſcio quas, in ſcribendo mendas, ut falſator fraudem ſuam faciliùs diſſimularet, & veterem eſſe chartam mentiretur. Sunt in ſubſcriptionibus aliæ falſitatis notæ; nam præter Epiſcopos, de quibus in antiquis indicibus, nulla memoria eſt, Eligius & Dado ſubſcribunt, ut Epiſcopi, qui nondum hunc honorem conſequuti fuerant. Non poſſum hîc non criminari iſtud genus hominum, qui hæc pro nutu & arbitrio confingunt, & hanc veritati injuriam inferunt. Inde enim accidit, ut cum ſemel veritas in una charta fuco deformata ſit, vix agnoſcatur in aliis, vel ſi liberali & nativâ facie prodeat. Tertia haud caret ſuſpicione, in qua agitur de quinque villarum donatione, Tauriaci, Tybernionis, Rubridi, Monarvillæ, Vaſconis vallis, quarum tres in pago Aurelianenſi, aliæ duæ in Stampenſi ſitæ ſunt. In quarta, quæ Aigulfo Abbati data eſt, eccleſia S. Dionyſii ab omni poteſtate tam Eccleſiaſtica quàm civili immunis efficitur: verùm & hanc chartam dubiam ſuſpectamque reddunt multa, quæ in charta continentur, ubi fit mentio univerſalis Synodi Pariſienſis congregatæ per regiam auctoritatem. Illius Synodi non aliàs memoria eſt, & ſi univerſalis fuit, ſi tamen in Conciliis Gallicanis ea vox erat in uſu: namque Synodus Pariſienſis ſub Chlotario habita ex omnis Galliæ Sacerdotibus, non utique univerſalis ſed generalis dicta eſt; hujus Synodi Sirmondus non meminit. In ea quoque charta Epiſcopi metropolitani Archiepiſcopi vocantur, quod nondum hiſce in locis in uſu erat. Baſilica

Cointius ad ann. 630.

De re diplomat. pag. 482.

S. Dionyſii mater eccleſia dicitur, quæ recens extructa à Dagoberto vixdum pueritiam attigerat. Sane poſtquàm multas filias peperit, & è ſinu eduxit propagines, eccleſias ſcilicet & prioratus, tum mater dici potuit, quod accidit cùm poſt aliquot annos adulta cœpit eſſe, & viriles annos attingere. Sed quod caput eſt, chartæ ſubſcripſerunt ſanctus Eligius & ſanctus Audoënus ut Epiſcopi, qui nondum fuerant Pontifices ordinati; nuſquam gentium nomina aliorum Pontificum, qui ſubſcripſerunt, id temporis inveniuntur. Quinta charta hoc quoque nomine ſuſpicionis arguitur, quod non opus fuerit privilegio & regia ordinatione ad mancipia ſubjicienda, & eorum prolem in ſervitute retinendam; cum ea tunc temporis conſuetudo & lex communis exiſteret, ut ſervi dominorum, ſeu herorum poteſtati ſubjacerent; eaque præceptio conficta videtur ſub principatu Caperiorum, cum ſervi excutere jugum ſervitutis annitebantur, & eo præſertim tempore, quo opidani ſancti Dionyſii vetabantur contrahere nuptias, niſi ex aſſenſu Abbatis & capituli ſancti Dionyſii: aliàs originem & abrogationem hujus ſervitutis referemus. Haud dubium eſt ſextam chartam ſpuriam ſuppoſititiamque eſſe, ubi memoria eſt donationis Conſtantini: neque puto, ut eſt in charta, Dagobertus ſolebat in monaſterio ſancti Dionyſii diverſari. Eam itaque fabricatam cenſemus, poſtquàm quibuſdam è Regibus noſtris in eo commorari conſuetum eſt, ut inferiùs memorabitur. Nomine Dagoberti Regis alias chartas, quas in librum de antiquitatibus baſilicæ ſancti Dionyſii Dubletus retulit, omnes & ſingulas ad examen revocare non lubet, cùm præſertim in iis plerúmque fit mentio donationum aliquot, quas aiunt à Dagoberto factas in provinciis, quæ longè à Pariſiis remotæ ſunt, & ex iis, quæ modò attulimus, conſtet, earum fidem ſuſpectam videri.

XIII. Monaſterii ſancti Dionyſii Abbatem primum fuiſſe Dubletus Aigulphum aſſerit, cui ait ſucceſſiſſe Chunaldum, atque Dodonem, deinde Leobaſarium, Aigulfum II. & Aigulfum III. Godobaldum, Chainonem &c. Verùm indicem mendoſum fuiſſe Cointius affirmat, quod & Mabillonius ultrò fatetur. *Ad an. 630. Coint.* Hunc igitur in eum ferme modum emendatum eſſe vult Mabillonius. Dodonem præponit omnibus, & hunc primum hujus monaſterii Abbatem fuiſſe aſſerit, huic Aigulfum ſuffectum ſcribit. Malè igitur tres pro uno collocatos à Dubleto affirmat, Aigulfo ſucceſſiſſe Chunaldum, Leobaſarium, Chardericum, Chainonen, & alios, de quibus dicetur, in eum modum Abbatum ſancti Dionyſii ab eo digeſtus index, donec, inquit, certiora ſuppetant argumenta.

CAPUT III.

De ſancto Eligio & ejus virtutibus. De monaſterio virginum quod Pariſiis extruxit. De Iudicaile Rege Britonum, & Iudoco ejus fratre. De conventu Bigargienſi. De morte Dagoberti Regis & de annis ejus regni.

I. VENERAT, ut ſuprà memoratum eſt, Eligius Pariſios, ubi à Chlotario inter aulicos receptus eſt; mortuo pauló poſt Chlotario, cum Dagoberto Rege manſit, cui non minus carus fuit ob ſingularem pietatem, quàm ob admirandam ejus in elaborando auro argentoque induſtriam. Audoënus auctor ejus vitæ ſcribit adeò familiariter uſum conſuetudine Regis, ut ideo permulto-

LIB. IV. CAP. III. rum odium incurreret: bonorum tamen omnium amorem ſibi conciliaverat; ipſum enim deſpicere, proinde id eis erat ac ſi virtutem ipſam odio & contemptui habuiſſent. Totis viſceribus Deum colere, fide, charitate aliiſque refulgere virtutibus, tranquillis eſſe moribus, pacem & ſerenitatem animi placido vultu præferre ſtudebat; moderatio oculis inerat, & mixta humilitate ſapientia, ſemper bona opera factis potiùs quàm verbis approbans, inediâ ſæpius corpus macerabat, orationi frequens mentem intendebat, continuò mandata Dei & ejus præcepta revolvens animo, & ſupremos vitæ dies ſæpiùs rememorans, & piâ æmulatione incitatus ambiebat ceteris præferre facem, & ſingulos virtutibus anteire; cum aliorum malis ingemiſceret, adverſa, quæ ſibi acciderant, forti moderatoque tolerabat animo, loquebatur parcè, & id ſolummodo quod aliis proficeret, largus erga pauperes erat. Ex ejus virtutibus cuique uberem fructum percipere promptum erat: nemo ejus humilitatem reſpiciens, efferre ſe altiùs audebat; & complures ejus parcimoniam admirati, luxum & divitias contemnere affectabant. Sed quod magis libet admirari, nullis negotiis, nullis operibus à ſancto vitæ propoſito vel latum unguem diſcedere viſus eſt, imò in dies virtutibus & meritis augebatur. Et ſi his detinebatur, fabricæ tamen & operi indefeſſus manum & induſtriam collocabat: cùm vacaret operi, ſolebat librum objicere oculis, quem conſueverat identidem legere. His & aliis Eligius in aula Dagoberti omnium in ſe admirationem concitabat, neque modò Francis, ſed exteris quoque notus. Omnibus qui vel ob legationem vel ob alia negotia ad Regem ex provinciis externis accederent, in pretio erat, ii vel nondum ſalutato Rege, Eligium inviſere, & illius virtutem illiuſque induſtriam magnis proſequi honoribus, ab eo in rebus difficillimis poſcere conſilium. Advenæ monachi, qui ſæpius Pariſios adventabant, ad illum confluebant, quibuſcum liberaliter communicabat ea quibus opus habebant. Tantus illi amor redimendi à ſervitute mancipia, & eximendi è vinculis captivos, ut ſæpè centenos uno die exoluto pretio liberaverit: nullis ſumptibus, nulliſque impenſis parcebat, & ut eorum inopiæ ſuccurreret ſæpè veſtes & ipſa calceamenta exuiſſe ſanctus Audoënus memorat; ſuas facultates eſſe patrimonium pauperum exiſtimabat, & ſuas ædes publicam mendicantium domum. Si quis fortè ejus ædes peteret, hoc indicio edocebatur, ut ad domum conſiſteret, quam caterva pauperum inſidebat; illos plerùmque ad menſam vocabat; illum obeuntem vicos urbis circumſiſtebant, & nemo ab eo abibat indonatus: eum vivendi tenorem ſervavit penè quamdiù vixit. Audoënus ſcribit Eligium fuiſſe prolixâ ſtaturâ, decoro vultu, ſparſo per faciem rubore, ſimplicitatem cum ſingulari prudentia in ejus enituiſſe oculis, pulchram formoſamque cæſariem cincinnatis crinibus ex ejus defluxiſſe capite. Primùm quidem ſplendidè ornatum geſſiſſe veſtes holoſericas, gemmis & auro pretioſas, quibus tegebat intrinſecus latens cilicium. Ità quidem primò; ſed cum virtutibus & religione increviſſet, hæc omnia ornamenta in alimoniam pauperum impendit; in locum aureæ zonæ funiculo utebatur, & panno vili indutus incedebat. Sæpè Rex jubebat illi auferri pannoſas veſtes, & pretioſis indui, addens indecorum videri hominem, qui inter aulicos degeret, conſpici inornatum, neque qui Chriſti causâ ſe rebus omnibus ſpoliaret, debere eſſe inglorium.

II. Anno XV. regni Dagoberti Vaſcones, quos Charibertus frater Dagoberti ſuo imperio parere armis compulerat, rebellare cœperunt. Rex collecto in Burgundia exercitu Chadoindum Ducem & ſtrenuum virum rerum experientiâ olim ſub Theodorici principatu notum copiis præficit; illi noſtris obviam ire haud dubitant, ſed acie victi ad fauces vallium Pyrenei montis fugiunt, & inter rupes latebras petunt. Noſtri eorum veſtigiis inſiſtentes plurimos perimunt, eorum domos diripiunt & incendunt, hoſteſque petere pacem cogunt. Imperata facturos ſe pollicentur, & ad Regem ſe ultrò venturos ad obtinendam veniam. Sanè ad villam Clippiacum, ubi Rex commorari ſolebat, anno ſequenti venerunt, aderant ſeniores, ſeu Provinciæ principes Duce Amando.

Verùm

Verùm cum Rex ob rebellionem eis iratior videretur, cœperunt timere ne quid mali ſibi contingeret; territi ad ſacras S. Dionyſii ædes confugiunt, neque inde diſcedere auſi ſunt, niſi impetratâ veniâ, quæ illis conceſſa eſt, accepto ab iis ſacramento, ſe deinceps fidem Regi, & ejus hæredibus inviolatè ſervaturos.

Intereà Princeps ſeu Rex Britannorum Judicaile Francorum detrectat ſe imperio ſubjicere, & fines noſtros invadere aggreditur. Dagobertus jubet copias Burgundiæ eò proficiſci, dúmque eò ire pergunt, legationem mittit in Aremoricam cujus princeps Eligius, ut ejus prudentiâ provinciam cum regulo ſuo ſubjiceret imperio. Eligius huc abiit, Principem adivit, eâque prudentiâ, eoque judicio negotium perfecit, ut Judicaile non reſpueret dare obſidem, & pollicitus emendationem, non modo ſe ſubjiceret ditioni Francorum, ſed ipſe etiam ire ad Regem haud abnueret, ut fidem & obſequium illi ſignificaret. Judicaile itaque cum magno comitatu ad Regem profectus eſt. Verſabatur tum Rex in villâ Crioilo, ſeu, ut quibuſdam placet, Clippiaco, ubi Regem præſente Eligio honorificè ſalutavit, rebuſque inter ſe compoſitis, & datis ſibi invicem muneribus, in Aremoricam reverſus eſt. Fredegarius ſcribit Judicailem invitatum ad menſam Regis, ex pietate abnuiſſe, contentumque Audoëni referendarii cœnâ, quem ſumma religio commendabat. Ipſe Audoënus memorat in ea legatione Eligium magnas opes diſtribuiſſe pauperibus, & ipſam zonam auream impertitum. Judicaile reverſus in Aremoricam res mundanas pertæſus, & accenſus amore cæleſtium ſe ſponte principatu abdicare ſtatuit, & locum fratri ſuo Judoco concedere. Tum, quod raro fit, fratres non de obtinendo, ſed abnuendo regno certare cœperunt. Judocus primùm octo dierum petere inducias, tum offendens viros undecim, qui Romam ibant, ſe iis ſocium adjunxit. Venerunt ſimul Pariſios, ubi mutato itinere ſeceſſerunt in Pontivum pagum, ubi preſbyter factus, ſolitariam agere vitam inſtituit, quam rationem toto vitæ tramite ſequutus eſt, & demùm ſanctiſſimè obiit Idibus Decembris. Aiunt ædificatam baſilicam, quæ modo parochialis Eccleſia eſt ſancti Judoci nomine, in loco ubi habitaverat, cum Pariſios venit. Judicaile nihilominùs ſe regno abdicavit, ſeque recepit in monaſterium ſancti Johannis de Gaelo, nunc S. Mevennii, ubi modò collegium eſt canonicorum. III.

Rex ob egregias dotes ſummo Eligium complectebatur affectu, conſueverat ſe ſubducere ſæpiùs ex conſortio Epiſcoporum, & optimatum, ut frueretur ipſius colloquio: nihil illi Rex denegare ſolebat, certus non id uni ſed pluribus profuturum: nam continuò Eligius dona omnia in alimoniam pauperum, & pretium captivorum impendebat. Solemniacum villam agri Lemovicenſis Rex illi contulit, ubi Eligius monaſterium condidit, quod poſteà numero & aſcetarum religione floruit. Deinde venit illi in mentem extruendi & dotandi Pariſiis xenodochium, ſed mutavit ſententiam, fecitque ex propriis ædibus, quas à Rege acceperat, virginum monaſterium, illique inprimis curæ fuit hoc ſeverioris vitæ diſciplinâ inſtituere. Tantâ deindè inclaruit pietate, ut ipſe Eligius videret huc accedere ex omnibus provinciis puellas, tam ex ancillis, quàm ex nobiliſſimis matronis, quarum ea multitudo fuit, ut trecentarum numerum adæquaret. Monaſterio præfecit Auream virginem pietate & religione celebratam: ea non ex Syria, ut falsò memoravit Breulius, ſed ex noſtra gente orta eſt, patre Maurino, & Quiria matre, quæ deinde virtutibus & miraculis inclyta fuit. Inſuper Eligius dotavit monaſterium, copioſoſque redditus ei attribuit, omnem demùm puellis Deo devotis ſupellectilem ſuffecit, & ut eſt ſagax cura patrum in filias, nihil fecit reliqui, quo domum omnibus rebus inſtrueret. Neque illud ſilendum puto, quod ſanctus Audoënus memorat. Monaſterio deerat aliquod, modicum quidem, ſed neceſſarium ædificium; undequaque monaſterium cingebatur ædibus, nec ſuppetebat locus niſi terra fiſcalis, quæ monaſterio adjacebat; petivit à Rege quod ſibi ſufficere putabat, obtinuit. Paulò poſt dimenſus aream, invenit hanc uno pede ampliùs excedere, quam quod Regi renunciaverat; relicto protinus IV.

LIB IV. CAP. IV. opere Regem adiit, & ad ejus pedes procidit, confeſſuſque mendacium, aut mortem aut veniam ipſe depoſcebat: Rex rei modicitate attonitus, ad circumſtantes converſus, dixit præclaram eſſe ac penitus reverendam fidem Chriſti. *Duces mei & Domeſtici ſpacioſas ſurripiunt villas, & Chriſti famulus propter fidem, quam habet in Domino, non palmam quidem paſſus eſt celare de humo.* Rex deinde eum verbis ſolari cœpit, & duplum quàm quod dederat, illi conceſſit, in quo neſcio plus admirer conſcientiam Eligii, an Regii animi magnitudinem.

V. Perfecto tam grandi opere, extra urbem ædificavit Eligius baſilicam in honorem ſancti Pauli Apoſtoli, quæ modò intrà pomœrium urbis eſt; ſed anteà baſilica ſancti Pauli de campis vulgò dicebatur; Audoënus ſcribit Quintilianum Abbatem in illa ſepultum fuiſſe. Eam verò Eligius baſilicam extruxit, ut in ea virginum ſacrarum, de quibus mox ſermo fuit, corpora ſepelirentur; tecta baſilicæ operuit plumbo: nunc baptiſmalis eſt baſilica, auctâ urbe adjacentium ædium numero & magnificentiâ, & habitantium opibus celebris. Ædificavit præterea, aut potiùs, ut loquitur Audoënus, renovavit baſilicam in honorem ſancti Martialis primi Lemovicenſium Epiſcopi, quam utique plumbo texit, cujus reliquias in ſacras ædes attulit. Refert Audoënus, cum deferrentur, vinctos ruptis divinitus catenis fuiſſe liberatos. Poſt aliquod tempus incendium devaſtare urbem cœpit, vis flammæ ædes pene totius urbis conſumpſerat, imminebatque ignis monaſterio quod conſtruxerat, & ſancti Martialis baſilicæ; aderat Eligius, & dolore maximo afficiebatur: flammam accendebat ventus, jactabatque ignitos globulos, & candentes favillas; propè erat ut tectum incenderetur. Tum ecce Eligius cœpit illacrymari, & hæc verba effundere. *O! ſancte Martialis cur domus tuæ modò non ſuccurris? certè enim noveris, quod ſi, te hodie non curante, crematur, nunquam ab Eligio in ævum reſtaurabitur.* Tum dicto citiùs ventus aliò vertitur, minacemque flammam in aliam partem impellit, eccleſiaque & monaſterium incolume ſtetit.

VI. Ex eo tempore multa alia ſigna edidit. Narrat Audoënus virum contractis membris, ejus virtute fuiſſe ſanatum, quando anniverſaria dies ſancti Dionyſii agebatur: cum enim Eligius ægrum illum in ejus baſilica conſpexiſſet, & eum fide valere advertiſſet, & fideliter crederet ſe poſſe ſanitatem recipere beneficio ſancti martyris: *ecce illi Eligius, ſi indubitanter credis, ſicut promittis, in nomine Ieſu Chriſti ſurge & ſta ſuper pedes tuos:* quæ cum dixiſſet, attraxit eum ad ſe, & reſolutis articulis ſtetit ille, factâ ſibi poteſtate ambulandi; cui Eligius præcepit ne quicquam de ſe loqueretur, ſed diceret à Chriſto ſe ſanatum per S. Dionyſium. Ita paulò poſt pauperi contractâ manu ſanitatem contactu reſtituit. Singula referre haud inſtitui, non tamen omittam claudum quemdam ab eo ſanatum in baſilica S. Germani, poſtquam aliquandiu Eligius oraſſet. Eodem modo ad pontem urbis cæcum ſigno crucis illuminavit. Aliàs fures, qui baſilicam ſanctæ Columbæ Pariſiis ſpoliaverant, referre omnia ad locum ſacrum oratione compulit. Multa ſancta opificia vir ſanctus ſuâ manu confecit, ſepulcrum ſcilicet ſancti Germani, S. Genovefæ, S. Columbæ, & ut ſuprà relatum eſt, mauſoleum ſancti Dionyſii martyris extruxit, auro argentoque exornavit.

VII. Eo tempore infeſtabat orbem Chriſtianum hæreſis Monothelitarum, aliquis ex ea ſecta, trajecto mari, in Gallias perrexit, & Auguſtodunum venit; illic ſtatim virus cœpit ſpargere, & inficere incautas mentes; id ad aures Eligii pervenit. Ille cum Audoëno, quo diximus familiariſſimè uſum, rem communicare & capere conſilium ab Epiſcopis & optimatibus, quâ ratione malum retegere poſſet & depellere: rem in ſynodo pertractare viſum eſt; indicta eſt Aurelianis, hæreticus adeſſe cogitur; quiſque primùm ab eo doctrinam & ſuam fidem ſciſcitari, cùmque malè de fide ſentire cognoſcerent, diſputatione cum eo agere, & controverſia certare. Verùm ille vim argumentorum reſponſionum cavillis, ut fit, eludere; dùmque velut laqueis captus, & irretitus crederetur, ille cui ingenium multiplex & tortuoſum, ſtatim ſinuoſis voluminibus

LIB IV. CAP. III.

evadere & velut anguis lubricus elabi è manibus: cumque nullo modo concludi & capi poſſet, Salvius Epiſcopus Valentinenſis vir doctrinâ & fide clarus, ita ejus artes detegere cœpit, ita illum argumentis premere, ut ne hiſcere quidem poſſet. Patres continuò adversùs eum tulere ſententiam, ſcriptoque decreto eum condemnatum ex Galliæ finibus cum probro & dedecore eliminarunt. Quo anno habita ſit illa Synodus, nullâ certâ notâ id Audoënus Indicat; certum eſt ex eo auctore, congregatam Synodum poſt mortem Dagoberti, ſub Chlodoveo minore, & antequam Eligius fuerit Epiſcopus, id eſt antè annum DCXL. & poſt annum DCXXXVIII. Neque dubito quin inter plures Epiſcopos, qui huic Synodo adfuerunt, etiam Epiſcopus Pariſienſis ei adfuerit. Non poſſum hic non prædicare curam & diligentiam noſtrorum Epiſcoporum, qui ob unum vel extraneum hominem, quem ſine injuria ex regno expellere poterant, ut novitatis auctorem, noluerunt niſi congregati, & auditâ causâ.

VIII. Eligius alterum, quem ſanctus Audoënus apoſtatam vocat, Pariſiis loquentem perversè, & ſuâ inſaniâ populum traducentem in errorem, malè affectum expulit ex urbe. Oderat Eligius hujuſmodi homines, neque quemquam patiebatur extrà limites doctrinæ Catholicæ evagari: ubi aderant quorum ſuſpecta fides, Eligius confeſtim ſe vindicem oſtendebat; eodem modo eos proſequi inſtituerat, qui religionem lucro & quæſtui habebant, & ſub ea ſpecie plebeculæ imponebant. Quidam Epiſcopum ſe falſo habitu ſimulabat, atque ita vicos & opida circumibat, imprudenteſque ruſticanos facilè decipiebat, hunc Eligius in carcerem conjecit, diuque maceratum expulit ex regni finibus. Etſi enim Eligius aurificium à juventute didicerat, & in hac arte ſe poſteà exercuerat, tamen lectione rerum ſacrarum imbuere ſtuduerat animum, & in his verſatiſſimus erat; eratque illi non tam quæſita arte, quàm nativa eloquentia, quâ promptum illi docere publicè populum, quod utique ſolebat facere, cavebatque inprimis, ut populus fidei integritatem ſervaret, neque externis doctrinis & fraudibus hæreticorum ſe corrumpi ſineret.

IX. Jam è vita deceſſerat Dagobertus, ſucceſſeratque ei filius Chlodoveus. Tùm Eligius Audoënuſque electi in Epiſcopos ſunt; id ita accidiſſe Audoënus ipſe memorat. Temporibus Brunichildis, quod à nobis annotatum eſt, graſſabatur per Eccleſias Galliarum ſimonia, eamque labem ſtuduerant ſanare Sacerdotes, habitis Conciliis ſub principatu Chlotarii; neque tamen penitùs malum curari potuit, adeo provincias infecerat. Demùm ſub Dagoberto malum profligare omnino decretum eſt, huicque perimendo præſertim incubuerunt viri ſancti Eligius & Audoënus, auctoreſque fuerunt Regi, ut ipſe hanc perniciem è regni finibus ejiceret, quod & optimatibus ſignificaverunt. Habito Concilio Regis auctoritate excidere hanc peſtem decretum eſt, ſtatutumque, ut nullus dato pretio reciperet ſacerdotium, neque hi admitterentur, qui ſancti Spiritûs dona ambitu & pecuniâ acquiſiviſſent; immò potius ad epiſcopatum eveherentur viri incorruptæ vitæ & integræ fidei, qui regere populum Dei virtutibus meruiſſent. Cum res in eo ſtatu eſſent, mortuo Achario Noviomenſi Epiſcopo, electus eſt Eligius in ejus locum, quo tempore & Audoënus, qui vocabatur Dado, ad Rotomagenſem Eccleſiam evocatus eſt. Quàm fortiter, quàm ſanctè S. Eligius egerit in epiſcopatu, hîc commemorare non eſt propoſitum mihi res Eccleſiæ Pariſienſis enarranti; ſufficit ea dixiſſe, quæ Eligius fecerit, dum Pariſiis verſaretur, aut in villis regiis agri Pariſienſis; ea verò, quæ retulimus, ex ejus vita deſcripſimus. Sanctus Audoënus collegit miracula aliquot quæ vel Epiſcopus, vel poſt mortem ipſe Pariſiis fecerit, quæ ſi referam, longior ſim, & quæ quivis in ejus vita legat. Noviomi mortuus eſt ſeptuagenarius, & in baſilica majore hujus urbis ſepultus eſt; caput ejus Calam allatum eſt, quod fideliter & religioſè ſacræ Deo virgines cuſtodiunt; os unum ex brachio Epiſcopus & capitulum Noviomenſe eccleſiæ Pariſienſi donaverunt. Cum ſancto Eligio ſanctus Audoënus conjunctiſſimè vixerat: Audoënus Dagoberto carus pariter erat, regii erat ſigilli cuſtos, & referendarii munus obibat,

LIB. IV. CAP. III. ſed nihilominus vitæ ſeverioris inſtituta, ſicut Eligius, ſequebatur. Paribus ſtudiis uterque Deum colere, paribus conſiliis rem Chriſtianam promovere curabant, & cum ii non modò arctiſſimo amicitiæ vinculo, ſed etiam ſocietate virtutum conjuncti colligatique eſſent, & quærerentur ad epiſcopatum, qui ſanctitate vitæ & morum innocentiâ hunc honorem meruiſſent, uterque ſimul epiſcopatum inierunt; Audoënus enim in locum Romani Rotomagenſis Epiſcopi adſcitus eſt Epiſcopus, quo tempore Eligius Noviomenſis. Eodem die ambo Epiſcopi ordinati ſunt, ſed ante epiſcopatum hoc par ſanctorum hominum Eccleſiam inprimis Pariſienſem exornarunt. Utinam & antiqua Audoëni acta nobis ſuppeterent, ſicut Eligii: Fridegodus enim ſcriptor ejus vitæ ea poſt multos annos deſcripſit, decimo ſcilicet ſæculo; neque aliud ferme deſcribit ab eo geſtum in palatio, quàm quod ipſe Audoënus retulit in vita ſancti Eligii.

X. Dum ea, quæ narravimus, ab Eligio gerebantur, anno Chriſti DCXXXIV. Dagoberto natus eſt ex Nanthilde filius qui Chlodoveus dictus eſt. Tum optimates ex Neuſtria ad Regem acceſſerunt, ut ex pactione editâ Chlodoveus regno Neuſtriæ & Burgundiæ ſuccederet, ſicut Sigibertus regno Auſtriæ à patre anteà donatus fuerat. Rex eorum petitioni ultrò annuit, ſuamque ordinationem ab Auſtraſiis tam Epiſcopis quàm optimatibus facto ſacramento confirmatam eſſe voluit. Auctor geſtorum Dagoberti Regis anno ejus regni decimo quarto narrat, quæ in Bigargio palatio geſta ſunt à Dagoberto Rege in conventu publico, ubi Regem in aurea cathedra coronatum ſediſſe dicit, & in eum fermè modum locutum eſſe coram filiis ac proceribus regni. Priuſquam moriar, filii dulciſſimi omneſque proceres mei regni, hoc mihi inprimis curandum eſt, ut piis operibus ſalutem conſequar, & pretio periturarum rerum immortale regnum poſſim negotiari. Quapropter excuſſis conſcientiæ meæ latebris, & factis anteactæ vitæ ad examen revocatis, cœpi æterni judicis ſententiam metuere & reformidare, ne mea bona conſilia dies ſupremus præverteret. Dum itaque mihi vita ſuppetit incolumis, & integra mihi mens eſt, viſum eſt mihi ordinare ultimam voluntatem, & ſcribere teſtamentum quo baſilicas penè omnes regni facere hæredes inſtitui: quæ ut omnia rata & firma ſint, vobis teſtibus & conſciis quatuor ſimul teſtamenti exemplaria ſcripta eſſe juſſi, quæ eadem complecterentur, quorum unum Lugdunum mittere decretum eſt, alterum in archivo Eccleſiæ Pariſienſis cuſtodiri jubemus, tertium Mettis Abboni Epiſcopo cuſtodiendum tradimus, & quartum in regio noſtro tabulario aſſervabitur. Certa enim fiducia nobis eſt, id ad vitam æternam profuturum nobis, quod locis ſanctis, quod ſacerdotibus, quod pauperibus & egenis in alimoniam conferimus, miſereri pauperum nihil aliud eſſe reputantes, quàm quod ſcriptura dicit, eſſe fœnerari Domino. Quando igitur mihi ex hac vita diſcedere contigerit, volumus ut ſacerdotes, qui his in locis fuerint, illis quæ ſcripſimus, continuò perfruantur, & habeant quæ contulimus, & ea cum immunitate integra inpoſterum poſſideant. Volumus præterea, ut, cum humanitus aliquid nobis acciderit, & quiſque quod collatum eſt receperit, diebus Dominicis & præcipuis ſollemnitatibus noſtrum nomen in dyptichis recitetur, & quod noſtro maximo commodo futurum eſſe confidimus, per has noſtras ultimæ noſtræ voluntatis tabulas exhortamur ſacerdotes, ut tribus annis inſequentibus in remedium animæ & veniam peccatorum ſacris ritè perſolutis Deum ſupplices exorent. Hoc noſtrum teſtamentum valere jubemus & filiis meis dulciſſimis Sigiberto & Chlodoveo Regibus, & eis, quos pariter è noſtro ſanguine procreatos eſſe contigerit, commiſſum eſſe volumus, obteſtamurque, ut huic noſtræ voluntati vim præſtent & auctoritatem. Noſque idcirco teſtamentum hoc roborare ſigillo & ſubſcriptione curavimus, jubemuſque, ut omnium veſtrum Epiſcoporum, Abbatum & procerum ſubſcriptionibus confirmetur. Quæ cum Rex peroraſſet, ſubſcripſere omnes, ac deinde vitæ longioris dies & regni pacem apprecati ſunt, rebuſque regni ordinatis, ſolutus eſt conventus, & in ſuas quique provincias regreſſi ſunt. Auctor addit baſilicæ S. Dionyſii villam Braunadum attributam eſſe, & exemplar, quod ſibi Dagobertus ſepo-

fuerat, etiam dùm hæc ſcriberet, in archivo eccleſiæ ſancti Dionyſii aſſervatum. Valeſius hunc conventum falſi arguit, atque adeò quæcumque in eo acta eſſe referuntur: ab antiquis ſcriptoribus de eo nihil ſcriptum eſſe dicit; vix exiſtimat potuiſſe fieri, ut ad conventum Sigibertus veniret è regno Auſtriæ, quo à patre paulò ante donatus fuerat, cùm eo tempore annum ſextum ageret: neque id temporis Francorum Reges uſos coronâ, ſed redimitos aureo circulo triplici gemmarum ordine exornato, quod ex antiquis Regum noſtrorum numiſmatis approbat. Adde quod tempus huic Concilio celebrando vix hoc anno reperias, quo Judicaile Clippiacum ad Regem venit, & juratâ fide pactionem cum eo edidit. Ea ſanè omnia ſuſpicionem creant, & de eo ambigendi locum præſtant. Sed quod magis eſt, de Bigargio palatio nihil aliàs legitur, neque video à quoquam locum hujus villæ regiæ certò indicatum.

XI. Dagobertus paulo poſt moritur, anno ſcilicet regni ſui XVI. ad Spinogilum, quæ villa regia erat, & ſita eſt ad Sequanam haud procul ab opido S. Dionyſii, venerat; ibi ex proluvio ventris vexari cœpit, & cùm ægrum eſſe ſui eum cernerent, deferunt ad monaſterium ſancti Dionyſii; cúmque morbi vis ingraveſceret, & ſe moriturum brevi intelligeret, Ægam, cujus potiſſimùm conſiliis poſt mortem patris uti ſolebat, ad ſe advocat, ejuſque fidei Nanthildem & filium Chlodoveum commendavit; paucos poſt dies è vitâ deceſſit, & in baſilica ſancti Dionyſii, quam magnificè extruxerat, ſepultus eſt. Monachus, qui ejus geſta deſcripſit, memorat Dagobertum paulò ante obitum miniſtros, qui in palatio officia gererent, palatinoſque Comites appellaſſe, filiumque & uxorem, accepto à ſingulis ſacramento, commendaſſe, & cum omnes dolori & mœſtitiæ indulgerent, ipſum eos omnes ſermone & verbis eſſe conſolatum. Matricularius baſilicæ S. Dionyſii villas aliquot legaviſſe. Dubletus ſcribit ſuâ ætate, quatuor monachos matricularios extitiſſe, quibus cuſtodia cimeliorum, aureæ argenteæque ſupellectilis commiſſa erat, & munus per vices res ſacras præparandi. Obût Rex XIV. Calend. Febr. anno DCXXXVIII. Mors ejus familiam, civitates & provincias luctu implevit. Vetus monumentum Dagoberti ad dexteram majoris altaris viſitur, quod tamen refectum fuiſſe inſculpta tumulo lilia haud dubiè oſtendunt. Poſt ejus obitum de eo hanc fabulam commenti ſunt. Aiunt igitur eo tempore, quo Dagobertum mori contigit, Anſoaldum Epiſcopum Pictavenſem legatum iviſſe in Italiam, & trajeciſſe in Sciciliam, in eaque inſula extitiſſe ſenem annis & religione reverendum, quem, qui ad inſulam appellebant, ſolebant inviſere, & ab eo viro qui anachoreticam vitam ducebat, rogatum, ut ſibi de moribus & ingenio Dagoberti Regis loqueretur; quod cùm Anſoaldus præſtitiſſet, addidiſſe ſenem aliquando ſibi fortè dormienti virum canitie venerandum appatuiſſe, & admonuiſſe, ut protinùs ſurgeret, & pro ſalute Dagoberti Regis, qui eo die obierat, Deum deprecaretur, cùm verò id facere maturaret, in mari advertiſſe lembum, in quo neſarii ſpiritus vehebantur, qui Dagobertum vinctum & colligatum, *Auctor. de geſt. Dagoberti.* vulneribus & plagis crudeliter afficiebant, & in locum ſuppliciotum vel invitum traducebant, beatos Dionyſium, Mauritium martyres, & Martinum Pontificem ab eo in auxilium vocatos, continuò cælum emicuiſſe fulguribus, cum tonitru & fulminibus, ſanctoſque inter hæc roganti adfuiſſe, & eum exemiſſe ex vinculis & pœnis, atque ad cælum ſuſtuliſſe, & tùm ceciniſſe hæc verba, Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti Domine, inhabitabit in atriis tuis &c. Etſi hujus fabulæ meminit epiſtola Ludovici pii ad Hilduinum, Aimoinus, Sigibertus & aliquot ſcriptores Chronicorum hujuſquoque meminerunt, nemo tamen puto, hanc fabulam recipiet, quam recitare, refellere eſt. Sane Fredegarius ſcriptor vicinus illorum temporum non illius meminit, & Conſtat Anſoaldum Dagoberto annos quinque & quinquaginta ſupervixiſſe, ſed etiam ſi fabula eſt, & falſi notam hiſtoria præ ſe fert, tamen inſtaurantibus ſepulcrum Dagoberti adeò grata fuit, ut hanc tumulo inſculptam eſſe voluerint, licet enim & hodie cernere in eo cymbam, ubi Dæmones vexant Dagobertum, ſanctoſque è nubibus delapſos, qui eum ex Dæmonum poteſtate

LIB. IV. CAP. III.

eripiunt. Fuere ſanè Dagoberto quidam nævi, quibus ejus vita maculata eſt, quos tamen pius Rex emendatione morum & pœnitentiâ ita abluit, ut ex iis majora de ſalute Dagoberti ſperem, quam ex his fabuloſis commentitiiſque narrationibus, quarum ætas illa ferax fuit, & quas hodie refellere tàm promptum eſt, quàm olim his facile fuit credulas hominum mentes deludere. Bollandus dicit ad diem XIX. Jan. Dagobertum in MSS. ſanctum & beatum appellari: quot annis monachi Dionyſiani memoriam ejus celebrant, & preces pro ejus ſalute fundere non ceſſant, quod teſtimonium eſt nondum Dagoberti vindicatam ſanctitatem videri. Auctorum prope omnium laudibus celebratur. S. Audoënus in vita S. Eligii ſcribit Dagobertum Regem *pulchrum* & *inclytum* fuiſſe, nec quemquam ſuperiorum principum ei ſimilem extitiſſe, ab auctore vitæ S. Vandregiſili Abbatis *eccleſiarum & monaſteriorum fautor* dicitur & *fundator, regnique defenſor fortiſſimus & invictus propugnator* appellatur. In vita S. Salabergæ vocatur Dagobertus *vir acer ingenio* & *principatu clarus, & non ſolum ob fidei jura ſibi ſubjectis, verum etiam exterorum vicinarumque gentium famâ metuendus*. In libro de geſtis Francorum prædicatur, *ut Rex fortiſſimus in bellis, enutritor Francorum, ſeveriſſimus in judiciis*, & *eccleſiarum largitor. Ipſe enim*, inquit, *eleemoſynarum copiâ de fiſco palatii per eccleſias ſanctorum primus diſtribuere cenſum juſſit, pacem in toto regno ſuo ſtatuit, in multis gentibus rumor ejus perſonuit, timorem & metum in univerſis regnis per circuitum incuſſit. Ipſe pacificus ſicut Salomon quietus obtinuit Regnum Francorum. Fuit*, inquit Aimoinus, *Rex Dagobertus admodum cautus, ingenio aſtutus, circa benevolos & ſibi fideles manſuetus, rebellibus autem ac perfidis valde terribilis, exercitiis corporis, maximéque venationibus deditus, atque in omni agilitate corporea ſtrenuus, peritiâ quoque ac virtute in bello prævalidus.* Etſi Dagobertus Rex voce omnium veterum commendatur, recentiores tamen quaſi agmine facto, eum carpere & ejus reprehendere facta auſi ſunt, eumque in primis calumniantur, quod ſacras ædes regni & præcipuas baſilicas ſpoliaverit, ut baſilicam ſancti Dionyſii, quam conſtruxerat, locupletaret. *Nam*, ut ait Aimoinus, *inter alia eccleſiarum Galliæ ſpolia ex occaſione Domni Dionyſii baſilicæ exornandæ direptas valvas fuiſſe fuſili ære fabrefactas à templo Hilarii Pictavenſis fertur abſtuliſſe, quas dùm per Oceanum in Sequanam devehi juſſiſſet, ut per eam Pariſius uſque ducerentur, unâ earum fluvio abſorpta, nec poſt modum dicitur fuiſſe reperta.* Fredegarius tamen de ea re nihil ſcripſit, neque monachus Dionyſianus, neque quiſquam alius, qui Aimoinum præceſſit. Næ inficetus eſt Sigebertus, qui aſſerit animam Dagoberti ad judicium raptam, multis ſanctis contra eam reclamantibus pro exſpoliatione eccleſiarum, cúmque mali angeli jam eam capere adpararent, patrocinio ſancti Martini & ſancti Dionyſii, cujus ſanctitatem inprimis reveritus fuerat, ab impendentibus malis liberatam, quaſi tantæ ſint iræ animis cæleſtibus. Alia ejuſmodi ſomnia recenſere & refellere otio & litteris abuti eſt. Sed ad commendationem Dagoberti pertinet quod leges Francorum, Alemannorum, & Baiuvariorum emendari juſſit per viros juriſprudentiæ peritos, hoc olim aggreſſi fuerant Reges Theodoricus, Childebertus, & Chlotarius, ſed ipſe rem perfecit.

Aimoinus lib. 4. cap. 33.

Lib. 4. cap. 20.

XII. Vixit Dagobertus annos circicer triginta quinque, duoſque moriens reliquit filios Sigibertum, quem ex Ragnetrude ſuſcepit, & Chlodoveum, quem habuit ex Nanthilde. De annis verò principatûs Dagoberti controverſia eſt. Conſtans eſt opinio Dagobertum XVI. annos regnaviſſe, ſed de initio ejus principatûs lis eſt, aliis exiſtimantibus ab obitu Chlodovei initium eſſe, aliis vero aſſerentibus repetendum exordium à principatu Dagoberti in Auſtraſianos, id eſt ab eo tempore, quo à patre Chlotario Auſtriæ regno donatus, permultorum ſententia fuit XVI. annos numerandos eſſe ab obitu Chlotarii, qui contigit anno DCXXVIII. cui numero ſi XVI. annos addideris, oportet Dagobertum è vita deceſſiſſe anno DCXLIV. Ea ſententia fuit Bucherii, Petavii, Sirmondi, & noviſſimè pertinaciùs eam defendit Chifletius è Societate Jeſu, & ſuper eam cauſam Cointio preſbytero Congregationis Oratorii diem dixit, & re pertractatâ coram Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Pariſienſi Franciſco

de Harlay, cum canſa excidiſſet, poſt mortem Cointii de eo argumento prolixam diſſertationem exaravit. Altera ſententia eſt eorum; qui quidem aſſerunt Chlotarium è vita deceſſiſſe, anno DCXXVIII. ſed Dagobertum fato functum anno DCXXXVIII. & ejus principatûs annos à regno Auſtraſiano computandos cenſent. Hanc opinionem contra turbam recentiorum defendit Valeſius, eam poſtea Cointius novis argumentis propugnare cœpit in Annalibus eccleſiaſticis Francorum, hancque deinceps docti ſequuti ſunt Dacherius & Mabillonius eruditi ordinis S. Benedicti aſcetæ, & è Societate Jeſu viri utique docti Henſchenius, & Papebrochius, qui ab altera defecerunt, ut in hanc transfugerent. His verò argumentis eam defendunt. Fredegarius auctor antiquiſſimus eorum, qui geſta Dagoberti memoriâ tradiderunt; narrat Dagobertum mortuo Chlotario, in Burgundiam profectum, hancque profectionem aſſignat anno ſeptimo regni ejus; idque commemorat ſtatim poſt mortem patris ejus, nullâ aliâ interpoſitâ narratione, oportet igitur annos ejus computari ab initio principatûs ejus in Auſtria, non ab obitu Chlotarii. Quî enim Dagobertus ita ſegniter rem geſſiſſet, ut totis ſex annis nihil memoratu dignum feciſſet, neque ſex annorum ſpatio de regno Burgundiæ recipiendo cogitaviſſet: ac deinde quaſi excitus è veterno in Burgundiam iter feciſſet, ad hoc etiam regnum ſuæ poteſtati aſſerendum. Hermannus Contractus, qui longè ante natam de ea re controverſiam ſcribebat, his verbis apertè Fredegarii mentem exprimit. *Lotharius*, inquit, *Rex Francorum, fortis, pius, & religioſus anno regni* XLV. *defunctus, & Pariſiis in baſilica S. Vincentii ſepultus eſt. Ejus regnum Dagobertus accipiens, cum jam ſex annis regnaret, decem annis poſtea rexit.* Adde quod idem Fredegarius hanc computandi rationem ſervavit in annis Sigiberti Regis, quos non enumerat à morte Dagoberti patris, ſed ab initio ejus in Auſtraſianos principatus: annum itaque decimum regni ejus cum quarto anno Chlodovei fratris ejus componit. Uode manifeſtum eſt eam eſſe computi Fredegariani rationem, quam & in annis Dagoberti & Sigiberti ſecutus eſt. Quapropter ipſe Fredegarius caput XLVII. inſcribit *de initio regni Dagoberti* & cap. LXXV. *de initio regni Sigiberti in auſtro*, par utriuſque inſcriptionis ratio eſt, quoniam utrique in eundem modum Reges Auſtriæ quiſque à ſuo patre Dagobertus à Chlotario, Sigibertus à Dagoberto conſtituti ſunt. De ea diſputatione in eum fermè modum Valeſius diſſerit, alia nobis Cointius ſuppeditat argumenta, ſed ecce hoc inexplicabile nobis ſuggerit ex Jona monacho Bobienſi. Eligius ſub principatu Chlodovei junioris ad cathedram Veromadenſem evocatus eſt, hujus verò mentionem facit Jonas monachus in vita S. Euſtaſii his verbis. *Inter quos inluſter tunc vir Eligius nomine, qui modo Viromandenſis Eccleſiæ Pontifex præeſt, juxta Lemovicenſem urbem monaſterium nobile Solemniacum conſtruxit.* Ante annum ſexcenteſimum quadrageſimum quartum Jonas Euſtaſii vitam edidit; in quem annum aiunt illi deceſſiſſe Dagobertum, ea enim ſcripta eſt intra triennium, quod mortem Bertulphi Abbatis conſequutum eſt. Bertulphi autem mors incidit in annum DCXL. Hæc chronologia ita ordinanda eſt ex indice Abbatum Bobienſis Monaſterii, cujus hi quatuor primi Abbates fuerunt. S. Columbanus, S. Attalas, S. Bertulphus; S. Bobulenus. Certum eſt objiſſe ſanctum Attalam ſexto Idus Martias anni DCXXVII. vivebat enim adhuc anno DCXXVI. ut Sigonius & Baronius ex Jona & Paulo Diacono docent, huc accedit quòd S. Blitmundus in vita S. Valerici ſcribit eum poſt mortem Attalæ in Galliam, ſuperſtite Chlotario Rege, qui anno DCXXVIII. è vita deceſſit, veniſſe. Attalæ Bertulphus ſuffectus eſt, qui Monaſterium Bobienſe XIII. annos adminiſtravit, & obiit XIIII. Calend. Septemb. anno DCXL. ut Jonas ſcribit. Quo tempore Jonas ſcripſerit vitam ſancti Euſtaſii ex prologo ſatis liquet.

LIB. IV. Cap. III.

In vita S. Euſtaſii in act. 2. ſæcul ord. S. Benedict.

LIB. IV. CAP. III. XIII.

Dominis eximiis & ſacri culminis regimine decoratis, religioniſque copia fultis Boboleno & Valdeberto patribus Jonas peccator.

Ex vita S. Columbani in ſæcul. 2. act. SS. ordin. S. Bened.

Memini me ante hoc ferme triennium fratrum conniventiâ flagitante, vel B. Bertulphi Abbatis imperio jubente, cum apud eos Apenninis ruribus vacans in Ebobienſi cœnobio morarer, fuiſſe pollicitum, ut almi patris Columbani meo ſtinderem ſtylo texere geſta: præſertim cùm hi, qui eo fuerunt in tempore, & penes ipſum patrata viderunt, quamplurimi penes vos ſuperſtites ſint, qui nobis non audita, ſed viſa narrarent, vel quæ etiam nos per venerabiles viros Attalum & Euſtaſium didicimus, quorum primus Ebobienſis, ſecundus Luxovienſis cœnobii præſules exiſtitis, ejus ſucceſſores fuerunt, qui magiſtri inſtituta ſuis plebibus ſervanda tradiderunt &c. Et paulò poſt. *Quæ ſunt ergo poſita duobus libellis interſcidi, ut uno volumine legentibus faſtidium amputarem, primus B. Columbæ geſta perſtringit, ſecundus diſcipulorum ejus Attali & Euſtaſii, vel ceterorum, quos meminimus, vitam ediſſerit.* Ex his utique manifeſtum eſt à Jona ſcriptam vitam S. Euſtaſii, cùm nondum triennium poſt mortem Bertulphi effluxiſſet, id eſt ante annum DCXLIV. quo tempore Chlodoveus Junior regnabat, cùm S. Eligius Noviomenſem cathedram non ſuſceperit niſi anno Chlodovei tertio, & ejus meminerit Jonas in vita S. Enſtaſii, oportet Chlodoveum ante annum DCXLIV. regnare cœpiſſe, quo uno argumento confodias ſententiam eorum, qui annos Dagoberti ab anno DCXXVIII. computant, id eſt ab obitu Chlotarii, non verò ab ortu ejus regni, apud Auſtraſios, qui mortem Chlotarii ſex annos præceſſit, anno ſcilicet DCXXII. ſed ne in longum traham hanc diſputationem, Mabillonius hanc noſtram opinionem novis probationibus in præfatione ad ſæculum II. ſæculum IV. actorum ordinis S. Bened. & in tertio Analectorum, volumine fulcit, quæ cuivis conſulere integrum eſt. Sed ipſe Valeſius eruditiſſimam pro hac opinione tuenda diſſertationem ſcripſit adverſus Chiffletium, & omnem dubitandi locum tollit. Chiffletius multa contra opponit, ſed nullum validius telum eſt, quàm illud, quod ex vita S. Eligii ab Audoëno conſcripta, tamquam ex pharetra educit. S. Audoënus, inquit, in vita S. Eligii lib. 2. cap. obitum Dagoberti præclaro charactere deſignat. *Convenientes igitur ſimul in civitatem Rotomagenſem, quarto-decimo die menſis tertii, tertio anno Chlodovei juvenculi adhuc Regis, die dominico ante Litanias inter catervas populi, inter agmina Clericorum, inter choros pſallentium conſecrati ſumus ab Epiſcopis pariter Epiſcopi, ego Rotomago, ille Noviomo.* Qui character chronologicus omnino convenit anno Chriſti DCXLIV. quo fuit littera dominicalis A. paſcha IX. Aprilis, Chriſti aſcenſio XVIII. Maii, Dominica ante Litanias ſeu rogationes XIV. Maii. Valeſius locum corruptum aſſerit, ſed cum id ſine teſte aſſeveret, hunc nodum ſolvendi ratio Cointii expeditior eſt. Secat ille totam periodum in duas partes. Pars prior annotat diem, quo Audoënus & Eligius ſimul Rotomagum venerunt, poſterior diem annotat, quo Epiſcopi ordinati ſunt. Rotomagum ingreſſi ſunt qnarto-decimo die menſis tertii, & ordinati ſunt Epiſcopi die dominico ante Litanias. Dies ille dominicus ante Litanias fuit viceſimus primus menſis tertii, ſeu Maii, quia hoc anno, qui Chlodovei Regis tertius erat, die XVI. April. paſcha celebratum eſt. Cùm verò poſt multos annos fieri cœpta eſt memoria ſollemnis & dies anniverſarius ordinationis ſanctorum Pontificum Audoëni & Eligii, proclive fuit incautis commiſcere duo tempora, & diem ingreſſûs eorum pro die eorum conſecrationis ſubrogare, ſed hæc ſatis de Spinoſis chronologiæ quæſtionibus, quæ faſtidium lectori facilè pariant, parum afferant utilitatis.

CAPUT

CAPUT IV.

De Chlodoveo juniore Rege Francorum. De Audoberto Pariſienſi Epiſcopo. De Monaſterio Foſſatenſi, & de Concilio Cabillonenſi.

CHLODOVEUS junior anno DCXXXVIII. vix dum quintum annum I.
agens Rex proclamatus eſt, cum enim poſt mortem Dagoberti ex Neu-
ſtria & Burgundia Epiſcopi & optimates, ad Maſolacum, quæ villa erat regia
conveniſſent, eum procurante Æga præfecto palatii Regem renunciarunt, &
pro more Francorum evexerunt ad ſolium, fidemque & obſequium ſacramen-
ro omnes obligaverunt. Ægæ multum auctoritatis erat, illi Dagobertus Rex
Nanthildem uxorem & filium Chlodoveum commendaverat. Fredegarius ſcri-
bit eum è Neuſtria ortum, natalibus & genere nobilem, opibus & potentiâ
clarum, peritum rei gerendæ, juſti æquique amantem, cui expedita dicendi
facundia, præfecturam palatii, ſeu domûs regiæ majoratum gerebat, quod
munus primùm ad palatium ſolummodò pertinebat, ſed ſub pupillis Regibus
adeò poteſtate auctum, ut rempublicam & Reges ipſos pro arbitrio Præfecti
palatii regerent, & gubernarent. Initio principatûs Chlodovei inſigne argu-
mentum æquitatis edidit, ſub Dagoberto res magnæ & poſſeſſiones vario præ-
textu ereptæ fuerant, & fiſco addictæ. Æga rem eſſe iniquam ratus omnia re-
ſtitui juſſit.

Sigibertus major Dagoberti filius in Auſtria regnabat, domuſque regiæ Præ- II.
fectus erat Pipinus, is ex optimatum conſilio ad Chlodoveum & Nanthildem
legatos miſit, qui nomine Sigiberti Regis poſcerent partem theſaurorum,
quos pater reliquerat, æqua petitio viſa eſt, conſtitutumque ut Compendii
partitio fieret. Ad diem dictum Compendium venerunt, ex parte Sigiberti
Chunibertus Epiſcopus Colonienſis, & Pipinus majordomus cum aliis ex op-
timatibus. Æga ex parte Chlodovei & Nanthildis adfuit, prolatæ opes regiæ,
& ex æquo diviſæ inter fratres, pars tamen tertia ceſſit Nanthildi ex jure
Francorum.

Anno ſequenti Æga Clippiaco, quæ villa regia eſt, moritur ex febre, ante III.
paucos dies quàm moreretur Ermenfredus Ægæ gener ſoceri potentiâ elatus
Ainulfum Comitem interficit. Ejus propinqui poſt mortem Ægæ cædem Ai-
nulfi vi ſumma ulciſci parant. Coacta igitur magna hominum manu, ejus do-
mos & villas vaſtare & diripere incipiunt. Ille interim Remos fugit, in Baſili-
cam S. Remedii ſe recipit, ut vitam loci ſanctitate defenderet, cúmque ibi
multos dies tranſegiſſet pro more illorum temporum pecuniâ ſe redemit.

Dum ea gererentur Pontificatum Pariſienſem gerebat Audobertus qui Leu- IV.
deberto ſucceſſerat. Quo die hic obierit, & quo tempore ille Pontificatum ſit
exorſus, neque ego, neque alius, opinor, dicturus eſt. De Audoberto mentio eſt in
vita S. Baboleni, & in Synodo Cabillonenſi, cui Germoaldus Abbas ejus nomine
ſubſcripſit, ut ſtatim memorabimus. Auctor vitæ ſancti Baboleni ſcribit Audo-
bertum Anglum fuiſſe natione, & in Anglia geſſiſſe Pontificatum, ſed cum
Choinvalæ Regis perſecutionem fugeret, seceſſiſſe in Gallias, ubi primùm à
Chlodoveo Rege ſuſceptus, tùm ad Pontificatum Pariſienſem evectus eſt. Sub
Audoberto Foſſatenſe monaſterium conditum eſt à Bildegiſilo Pariſienſis Ec-
cleſiæ archidiacono, in loco, cui nomen Foſſatum, ſeu caſtrum Bagaudarum,
cujus primus Abbas Babolenus fuit vir eximiæ ſanctitatis, quem auctor ejus

vitæ ſcribit primùm Abbatem Bobienſem fuiſſe, tum Foſſatenſem, rem in eum modum narrat. Cùm Audobertus, inquit, Pariſienſis Epiſcopus orandi gratia eccleſiam eſſet ingreſſus, & oratoria baſilicæ circumiret, ecce offendit Babolenum fundentem ad Deum preces, quem ex vultu & habitu monachum virumque eſſe optimum conjecit, multa ſciſcitatus Pontifex, demùm rogavit virum ſanctum, ut reciperet provinciam adminiſtrandi monaſterii, quod Blidegiſilus archidiaconus condere meditabatur in caſtello Bagaudarum, quod à Rege Chlodoveo obtinuerat. Babolenus Audoberti & poſtea Blidegiſili precibus victus, cepit regimen monaſterii. Exſtructa Eccleſia eſt ſub nomine B. Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Tum Rex, ut huic operi manum & operam adhiberet, fiſcum regium nomine Britanicum monaſterio contulit, cui donationi auctor geſtorum S. Baboleni aſſerit ſubſcripſiſſe Annobertum Senonenſem Archiepiſcopum, Audobertum Pariſienſem Epiſcopum, Marinum Epiſcopum Belvacenſem, Argundum & Agomarum reverendos Præſules, huicque donationi adfuiſſe permultos Abbates Caroandum, Hildoardum & Cartericum. Addit idem Auctor monaſterium Foſſatenſe donatum privilegio ab Audoberto Pariſienſi Epiſcopo, quod privilegium ſcribit in Synodo confirmatum, primùm ab ipſo Audoberto, tùm ab Archiepiſcopo Lugdunenſi Gauderico, Annoberto Senonenſi, Preſtelendo Bituricenſi & Donato Veſontionenſi, & à ſeptem Epiſcopis, cui non modò illi ſubſcripſerunt: ſed Rex ipſe, quod monogrammate & ſigillo muniri juſſit, ea autem acta eſſe Pariſiis anno quinto regni Chlodovei, indictione quinta, die menſis Maii xv. ſub die Iduum Maiarum. Scribit præterea Babolenum monaſterio S. Vincentii Pariſienſis præfuiſſe hac occaſione. Accidit, inquit, ut Sigefridus Abbas hujus monaſterii in Hiſpaniam obeundæ legationis gratia à Chlodoveo mitteretur, & Cæſarauguſtæ contra jus gentium carcere compactus detineretur. Tum Rex Baboleno monaſterium Vincentianum commiſit, quod per octo annos & ſex menſes ſtrenuè adminiſtravit, quo tempore cæcum à Baboleno ſanatum auctor aſſerit, quo audito donatum à Rege fiſco Regio cui nomen Volentonium eſt. His ita conſtitutis Blidegiſilus petiit à Rege, ut ipſe donationem, quam fecerat, & quam Epiſcopi in gratiam Foſſatenſis monaſterii decreverant, chartâ regiâ confirmaret, cui petitioni cum acquieviſſet, & his donationibus Buxiacum villam addidiſſet, archidiaconus factâ ſibi à Rege poteſtate Romam profectus eſt, ut omnia ea inſtrumenta ſummi Pontificis auctoritate firma & rata haberentur, quod à ſummo Pontifice facilè eſt conſequutus; tùm demùm Blidegiſilus hæc omnia in monaſterium Foſſatenſe detulit, quæ etiam ſuo tempore auctor tradit fuiſſe diligenter cuſtodita, & eidem monaſterio datum Savegium cum omnibus appenditiis à Chlotario tertio. Denique mortem S. Baboleni accidiſſe memorat vi. Calendas Junii ſub Principatu Theodorici, hæc paucis, quæ prolixius deſcribit auctor vitæ S. Baboleni, & demum eum ſanctum in ſaxeo ſarcophago conditum, ſepultum in latere ſeptemtrionali eccleſiæ ſanctæ Mariæ Dei genitricis, ubi multos annos jacuit.

V. Verum in ea narratione multa examine opus habent, quæ more noſtro breviter perſtringemus. Vitam Baboleni ſcripſit monachus Foſſatenſis rogatus ab ipſis monachis Foſſatenſibus, quo autem ſæculo ſcripſerit, ex eo clarum eſt, quod ſe æqualem prodat eſſe Adeleno Abbati Melidunenſi, ut primo capite miraculorum ejuſdem ſancti licet legere, & ex cap. vi. indicat ſe juniorem extitiſſe Odone monacho Foſſatenſi, qui anno MLVIII. Henrici Regis anno xxviii. conſcripſit vitam Burchardi Comitis. Cùm igitur ille monachus poſt quadringentos ferme annos vitam ſancti Baboleni ſcripſerit, non adeo mirum eſt, cur in plures errores incautus inciderit, & multa de Audoberto Pariſienſi Epiſcopo, & de S. Baboleno perperam tradiderit. Ea enim Audoberto tribuit, quæ Agilberto Epiſcopo Pariſienſi ex venerabilis Bedæ hiſtoria accidiſſe accepimus. Scribit ſcilicet Audobertum ex Anglia in Galliam veniſſe, & profectum Pariſios relicto epiſcopatu, ut iram Choinvalæ Regis Angliæ effugeret, eumque Dei providentiâ à Chlodoveo Rege ſuſceptum beni-

gnè, & ad Pariſienſis Eccleſiæ cathedram evocatum, quæ pæne omnia Aglberto conveniunt, qui, ut ait Beda, cum eſſet Gallus rogatus à Coinvvalch occidentalium Saxonum Rege in Britannia, his in locis epiſcopatum accepit, tum diviſo ſui loci territorio, conſortem non ferens, in Galliam remeavit, ubi Epiſcopus Pariſienſis factus, ſenex obiit; quod poſteà fuſius memorabitur. Idem auctor ſcribit Babolenum primùm fuiſſe monachum, & poſteà tertium Abbatem Bobienſem, quæ quàm confuſa & ſine diſcrimine poſita ſint, paucis accipe. Bobium monaſterium Columbanus inſtituit, huic ſucceſſit Attalas, in ejus locum Bertulphus ſuffectus eſt, horum trium Abbatum memoria celebris apud Jonam, qui eorum geſta ſcripſit, quæque leguntur in actis SS. ordinis S. Benedicti, hujus auctoris teſtimonium haud dubium eſt, qui ſcilicet eo vivebat tempore, his Bobulenus ſucceſſit eo ipſo anno, quo Babolenus Foſſatenſi monaſterio præpoſitus eſt, anno ſcilicet DCXL. quin etiam Ughellus in indice Abbatum monaſterii Bobienſis refert privilegium à Theodoro Papa illi conceſſum, datumque quarto Nonas Maii, imperii Domini piiſſimi Auguſti Conſtantini Anno ſecundo, conſulatûs primo, indictione primâ, qui characteres cadunt in annum DCXLIII. Idem Ughellus aſſerit corpora ſanctorum Columbani, Attalæ, Bertulphi, & Bobuleni in monaſterio Bobienſi eſſe, quorum tranſlatio in martyrologio Benedictino annotatur pridie Calend. Septemb. *Bobio monaſterio Tranſlatio SS. Abbatum ejuſdem loci, Columbani primi, Attalæ ſecundi, Bertulphi tertii, Bobuleni & Camugelli.* Ex quibus certò intelligas Bobulenum Bobienſem, alium eſſe à Baboleno, qui Foſſatenſi monaſterio præerat, & cujus corpus in eodem monaſterio aſſervatum eſt. Alii itidem aſſerunt, Babolenum poſtquam in Gallias venit, ad B. Remaclum Stabulenſis monaſterii Abbatem veniſſe, à quo Abbas monaſterio Malmundarii inſtitutus fuiſſe dicitur, & poſt Remacli mortem utrique monaſterio præpoſitum eſſe, & abdicatis his muneribus veniſſe Pariſios narrant, quæ quomodo cohæreant vide, aiunt Remaclum mortuum anno DCLXIV. ut computat Mabillonius, & Chlodoveum Dagoberti filium anno DCLV. è vita deceſſiſſe certum eſt. Adde quod non Babolenus, ſed Papolenus Remaclo ſucceſſit, ut habet Harigerus in ejus geſtis, *ſucceſſit illi*, Remaclo ſcilicet, *Papolenus vir Apoſtolicus, deinde Sigolinus &c.* His eo modo elucidatis facile eſt concludere Babolenum Foſſatenſem, alium eſſe à Bobuleno Bobienſi, & Papoleno Stabulenſi, ſed eum ex Luxovienſi monaſterio ad monaſterium Foſſatenſe evocatum, & in primum Abbatem Foſſatenſem adſcitum eſſe, ut ex chartis ſequentibus licet colligere. Neque præterea admittit Mabillonius, quod auctor vitæ ſancti Baboleni ſcribit, hunc in locum Sigofridi Abbatis S. Vincentii ad tempus ſubrogatum: Bobonem enim, qui Sigofrido ſucceſſit, cum Baboleno Foſſatenſi auctor ejus vitæ confundit. Ceterùm certum eſſe exiſtimant quod id temporis cœptum ſit monaſterium Foſſatenſe, & à Blidegiſilo archidiacono Pariſienſi fundatum dotatumque, cùm Audobertus Epiſcopus Pariſienſem Eccleſiam regeret. Chlodovei Regis chartam & Blidegiſili donationem hîc inſerimus, quales reperiuntur in codice Foſſatenſi.

Tomo 5 Italia ſacra.

Annales Eccleſ. Francorum ad an. 640.

In 2. ſecul. act. Bened. ord.

Tom. 5. 1. die Septemb.

Ad vitam S. Remacli ſecul. 2. ord. S. Bened.

VI. Præceptio Chlodovei Regis de Foſſatenſi monaſterio. *Clodoveus Rex Francorum, Vir inluſter, Duci Archenaldo, vel omnibus præſentibus ac futuris fidelibus. Quicquid ſacerdotibus ac religioſis eccleſiaſticis viris ad opus Dei conſtruendum concedimus; hoc & ad regni noſtri ſtabilitatem, & ad animæ ſalutem pertinere non diffidimus. Proinde omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ tam præſentibus, quam & futuris, utriuſque ſexûs fidelibus, notum fieri cupimus, quemdam virum diaconum carnis generoſitate pollentem, ac in Chriſto venerabilem, valdéque à nobis per omnia dilectum, nomine Blidegiſilum, ad noſtræ ſublimitatis præſentiam adveniſſe, & humiliter deprecaſſe, quatenus ad Eccleſiam Dei funditus ædificandam, in honore ſcilicet S. Dei genitricis Mariæ, ac ſanctorum Petri & Pauli principum Apoſtolorum, & monachos ſub regula S. Benedicti pro Chriſti amore in illo ibi congregandos, quamdam terram ex jure noſtræ proprietatis in Pariſienſi pago conſiſtentem, illum videlicet caſtellionem, qui Foſſatus dicitur, & quem vulgaris lingua caſtrum Bagaudarum appellat, ſuper fluvium Ma-*

ternæ ſitum, habentem ab introitu ſuo uſque in alveum ipſius Maternæ, buinaria duodecim, cum tota terra vocabulo Varenna, quæ eſt in circuitu ipſius caſtellionis, & quam Maternæ fluvius girat, & foſſatus aquæ concludit, ſibimet concederemus. Cujus ſacræ petitionis, ob id quia pro æternæ vitæ compendio tali accenſus ardore libenter aſſenſum præbuimus. Quapropter per præſentem anctoritatem atque præceptionem jubemus, ut hanc prædictam terram, quam ei tali firmitate ex jure noſtræ proprietatis in ſuum jus, ad opus Dei perficiendum tranſponimus, per noſtram tranſignationem & reveſtionem firmiter recipiat. Ita ut quod poſt modum jam dictus vir præclariſſimus ac nobis cariſſimus Blidegiſilus diaconus ipſum caſtellionem, cum prædicta Varenna, quam fluvius Maternæ circumdat, (ſicut jam dictum eſt,) & foſſatus caſtellionis in introitu ſuo ab aqua in aquam, totam terram concludit, ad integrum, quod fiſcus noſter ibidem ad præſens tenere vel dominare videtur: unà cum manentibus illis, qui ibidem ſuper terram fiſci noſtri commanent, & ad fiſcum noſtrum uſque nunc aſpexerunt, totum & ad integrum cum pratis & paſcuis, garricis & ulmis, cum aqua & omni piſcatione fiſci noſtri, inſulis quoque ac molendinis, ſeu piſcatoriis, cum portis etiam & cunctis etiam ipſius aquæ tranſitoriis, vel cum omnibus adjacentiis cultis & incultis, ex noſtra munificentia, ad locum ſanctum, (ut dictum eſt) regulariter conſtruendam, ac funditus ædificandum, pleniſſimè ac firmiſſimè habeat conceſſum. Et ibidem juxta hoc quod ſua devotio locum ſanctum, vel cellulam ad ſervos Dei ſub ſancti Benedicti exemplo, inhabitando, Deo adjuvante, ædificet. Et ſicut ex fiſco noſtro proceſſit, ita ipſum locum cum præfatis rebus, & ceteris omnibus ad ſe pertinentibus, atque cum omni ædificio, quod abhinc facere poterit, firmiter abſque ulla redibitione fiſci noſtri, vel Iudicis publici requiſitione ſæpe dictus Blidegiſilus, & qui ab illo conſtituendi ſunt, in perpetuum valeant poſſidere. Denique etiam & jam regio jure decernimus, quod jubendo multum obſervare præcipimus, ut nullus Iudex publicus, neque Epiſcopus, neque quælibet judiciariæ poteſtatis perſona in eumdem locum, aut infra prædictam terram, quam ſæpe fatus circumdat fluvius, & foſſatus aquæ concludit, ad cauſas audiendas, vel injuſta freda tollenda, aut tranſitum publicum faciendum, aut manſionaticos, vel paratas faciendas, aut fide juſſores tollendos, aut telonea exigenda, aut homines ejus tam ingenuos quam ſervos ſuper ipſam terram commanentes diſtringendos, nec ullas redibitiones, vel inlicitas occaſiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, aut exactare præſumat. Sed ipſi ſervi Dei præſentes ac futuri nullam ibidem à quacumque occaſione patiantur inquietudinem, ut ſemper ſub ſancto propoſito ibidem Deo ſerviant, & pro nobis ac genitrice noſtra, vel conjuge, ſive prolis, necnon, & totius regni ſtatu, Domini miſericordiam devotiùs exorare delectet. Vt autem hæc præceptio noſtræ conceſſionis firmior habeatur, vel per futura tempora, Deo propicio inviolabilis conſervetur, nos & præcelſa genitrix noſtra Nandechildis manuum noſtrarum ſignaculis adumbravimus. Data anno primo regni noſtri.

Donatio Blidegiſili Diaconi Pariſienſis ad fundationem monaſterii Foſſatenſis.

IN nomine ſanctæ Trinitatis, Blidegiſilus diaconus ſervus ſervorum Dei, omnibus ordinibus, clericis quoque, necnon & laicis, cunctiſque ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, tam præſentibus, quam futuris cognitum fieri volumus, quia quandam terram in pago Pariſiaco ſitam, quam Domnus Rex Clodoveus glorioſiſſimus ac præcelſa genitrix ejus Nandechildis Regina per præceptum illorum, pro mercede ſua ad eccleſiam Dei inibi ædificandam quondam nobis conceſſerunt: illum videlicet caſtellionem, qui Foſſatus dicitur, & quem vulgaris lingua caſtrum vocat Bagaudarum, ſuper fluvium Maternæ ſitum, habentem ab introitu ſuo uſque in alveum ipſius Maternæ buinaria decem, cum tota terra vocabulo Varenna, quæ eſt in circuitu caſtellionis, & quam Maternæ fluvius girat, ac foſſatus aquæ concludit, ipſi ſancto loco in honore Domini at ſacræ genitricis ejus Mariæ, necnon & principum Apoſtolorum Petri & Pauli à nobis conſtructo. In quo egregium virum nomine Babolenum ſub ſancti patris Benedicti exemplo nuper conſtituimus Abbatem, propter abluenda delictorum meorum

facinora, vel Chriſti gratiam conquirendam complacuit, dediſſe volumus. Præterea ut prædictus vir ſanctiſſimus Babolenus (quem pro amore Dei in eodem, ſicut diximus, loco Abbatem conſtituimus) ſuique monachi, ſeu ſucceſſores eorum ſæpe fatum caſtellionem cum jam dicta Varenna, quam fluvius Maternæ circumdat, & Foſſatus caſtellionis, ut dictum eſt, in introitu ſuo ab aqua in aquam, totam terram concludit, unà cum manentibus illis, qui ibi appendunt, cum pratis ac paſcuis, garriciis, & ulmis, cum aqua vero ſeu omni piſcatione, inſulis quoque ac molendinis, necnon & piſcatoriis, cum portis etiam, cunctiſque ipſius aquæ tranſitoriis, vel cum omnibus adjacentiis cultis & incultis, ab hodierna die, uſque ad ultimam hujus ſæculi horam teneant ac perpetualiter poſſideant. Et ſicut de regali munere hoc promeruimus, ita de jure noſtræ proprietatis, cum præcepto & omni inſtrumento ſive omni donatione quam ſupra memoratus Rex Domnus Clodoveus & inclyta ejus genitrix Nandechildis fecerunt, & nobis, Deo inſpirante, placabiliter dederunt, in eorum ejus poteſtatem, ad ipſum locum ſuſtinendum, atque ad eorum corpora in Dei ſervitio ibi ſuſtinenda, Deo auxiliante tranſponimus, ac firmiter transfundimus; quatenus ipſi ſervi Dei, omneſque ſucceſſores eorum (ut prædiximus) ibidem ſub regula ſancti Benedicti, ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis monaſterii, Domino Chriſto valeant devotiſſimè famulari, & in omnibus eam ſectentur normam, ut omnibus poſtpoſitis peculiaribus, juxta Apoſtolicam traditionem, cuncta poſſint poſſidere communia, ut & ſibi ſalutem acquirant, ac pro anima præſcripti Regis Domni Clodovei, ac matris ejus Nandechildis, qui mihi hoc, ut præfatum eſt, contulerunt: necnon & pro me indigno ac miſerrimo Blidegiſilo peccatore, Dominum toto corde fideliùs exorare delectet. Si quis verò, quod nunquam futurum credimus, contra hanc traditionem & noſtræ delegationis decretum inſurrexerit, aut eam infringere præſumpſerit, vel abſtrahere ab ipſo loco ſancto, ſeu de poteſtate eorum inibi Deo ſervientium, iram Dei omnipotentis ſe incurrere pertimeſcat, & in cælis ſanctorum ſocietatem perdere per omnia formidet: & inſuper juxta ſæculi pœnam, auri libras quinque, argenti pondera partibus ipſius loci, vel jamdictis ſervis Dei, cogente fiſco exſolvat, & nullo modo, nulloque ingenio, quod adverſatur, evindicare valeat. Vt autem hæc epiſtola noſtræ donationis per cuncta ſæcula teneat vigorem & ſtabilitatem, manu propria ſubſcripſimus, ſtipulatione ſubnixa, & tam Pontifices quàm & Abbates, ceteroſque magnificos viros præſentes, in præſenti rogavimus, ut eam ſuis roborationibus adfirmarent, quod & multi opitulante Deo, libenter fecerunt. Actum Pariſius ſub die Nonarum Maiarum, anno tertio, regnante Clodoveo glorioſiſſimo Rege. Signum Blidegiſili Diaconi, qui hanc epiſtolam donationis fieri rogavit & ſubſcripſit. Signum Audoberti Pariſiacæ urbis Epiſcopi, qui huic Epiſtolæ, rogante Blidegiſilo, ſubſcripſit. S. Annoberti, Senonicæ Eccleſiæ Epiſcopi, qui & hanc conſcriptionem confirmavit. S. Agomari Epiſcopi, qui ſimiliter eam ſignavit. S. Argundi Epiſcopi, qui hoc ſimiliter ſignavit. S. Audonis, qui adfirmavit, Vvaudeberti adſignantis, Randegramni conſcribentis, Theoberti, Charoandi Abbatis, Hildoardi Abbatis, Catherini Abbatis. S. illuſtris viri Valdeberti Comitis.

Agomarus Epiſcopus erat Sylvanectenſis, & Argundum fuiſſe Epiſcopum Aurelianenſem autumat Cointius, noti alii Epiſcopi ex provincia Senonenſi, Abbates verò qui & huic chartæ ſubſcripſerunt, ignoti. Auctor vitæ ſancti Baboleni ſcribit ab Audoberto Pariſienſi Epiſcopo conceſſum Baboleno privilegium in gratiam monaſterii Foſſatenſis. *Idem Præſul*, inquit, *ſancto Baboleno privilegium ſuæ auctoritatis, ut tam ipſe, quàm ſucceſſores liberi & ſecuri ab omni inquietudine, tam eccleſiaſticorum, quàm laicorum ibidem manere poſſint.* Illudque privilegium ab eo confirmatum, & ab Epiſcopis, quos anteà memoravimus. Verùm hoc privilegium nuſquam gentium viſum eſt, neque in publicis Francorum inſtrumentis indictio ſcribebatur, neque indictio quinta incidit in annum quintum Chlodovei Regis, neque privilegium ſuam habere auctoritatem poteſt ab auctore tam remoto à temporibus Audoberti, qui tot commentis, quæ retulit, quæque modò reprehendimus, omni fide excidit in pleriſque rebus, quas ſuis tantùm modo verbis teſtatas reliquit. Monaſterium porrò Foſſatenſe ſic inceptum; ſequentibus ſæculis celebre fuit, poſtquam verò ſub principatu Caroli calvi reliquiæ ſancti Mauri in hujus monaſterii eccleſiam allatæ VII.

LIB. IV. CAP. IV. ſunt, tum cœpit dici monaſterium ſeu Abbatia ſancti Mauri Foſſatenſis. Sæculo proximè elapſo, cum diſciplina monaſtica propè eo in locu corruiſſet, reditus Abbatis addicti Epiſcopo Pariſienſi, & in locum monachorum ſubrogati canonici, atque ita monaſterium in collegium canonicorum traductum eſt, de eo negotio ſuo loco fusè diſſeremus.

VIII. Poſt mortem Ægæ, de qua memoratum eſt ſuperius, Erchinoaldus in ejus locum Major-domus ſubſtitutus eſt, hunc conſanguinitate matrem Dagoberti contigiſſe Fredegarius refert, & ob multas præclaraſque, quibus ornatus erat, virtutes maximè eum commendat, huncque inprimis ob patientiam & morum bonitatem laudat: adversùs ſacerdotes benevolè & reverenter agebat: comem ſe & affabilem omnibus ſine diſcrimine præbebat, neque ſe inter honores efferebat impotentiùs, & memor mediocritatis, congerendis divitiis non adjungebat animum, ſed manſuetudine & ſapientiâ ſibi devincire omnium animos, ſectari pacem, & ſe Deo gratum modis omnibus facere. Ille autem cum Major-domus in Neuſtria eſſet, anno quarto regni Chlodoveus cum matre Nantbilde Aurelianos venit, indictoque generali Burgundiæ conventu, huc omnes Pontifices, Duces & optimates ex Burgundia acceſſerunt, tum Epiſcoporum & Ducum omnium calculo Floacatus Præfectus palatii, ſeu Major-domus in regno Burgundiæ eligitur, & à Nanthilde Regina conſtituitur, quæ etiam Flaocato neptem Ragnobergam deſpondit, ſed nuſquam celebratæ nuptiæ. Nanthildis poſteà rediit Pariſios, ibique moritur, atque in baſilica SS. martyrum Dionyſii & ſociorum juxta Dagobertum Regem ſepulta eſt. Auctor geſtorum Dagoberti tradit, ab ea ante mortem conditum teſtamentum, compluresque villas, quas à Dagoberto & Chlodoveo filio receperat, ſupremâ voluntate baſilicæ S. Dionyſii legaſſe, inter quas Latiniacum erat, quod in Briegio ſitum eſt, triaque exſcripta teſtamenti exemplaria, quorum unum in archivo eccleſiæ ſancti Dionyſii auctor ipſe hujus loci monachus ſuo tempore, id eſt ſub principatu Ludovici pii, cuſtoditum aſſerit. Hæc olim è miniſterio ad ſolium evocata, poſt mortem Dagoberti Regis tutelam filii Chlodovei ſuſcepit, adminiſtravitque & Neuſtriam & Burgundiam, pace toto imperio fideliter cuſtoditâ, neutrum enim regnum eâ tutrice aut inteſtinis odiis, aut bellis externis laboravit. Hîc ferme chronicon Fredegarii deſinit, antiquus ſcriptor, non indiligens, qui quidem brevitate ſuâ multa ſcitu digna reliquit, multa quoque, eaque præclara, ſervato temporum ordine memoriæ commendavit. Ejus chronicon nemo continuavit, quæ enim ſequuntur non tam chronicon eſt, aut hiſtoria, quàm cento malè conſutarum rerum, & incompoſita farrago, collecta præſertim ex libro de geſtis Francorum; atque ita vacillat anceps & dubia rerum noſtrarum narratio ab anno DCXL. ad annum DCLXXX. quo incipit auctor, qui Childebrandi, ac deinde Nibelungi juſſu ſcripſit res magis familiæ Pipini, quàm res Francorum. Hanc noſtrarum rerum penuriam etiam deflere cogimur, nam & continuata ſeries hiſtoriæ Francorum res noſtras Pariſienſes multùm adjuvare poterat. Cùm enim Lutetia Pariſiorum caput regni & ſedes Regum fuerit, inter geſta Francorum multa reperiri neceſſe erat, quæ & ad hanc regiam urbem pertinerent. In hac tamen rerum noſtrarum paucitate, damna noſtra ex ſparſis monumentis, ex Conciliis, ex actis ſanctorum, ex veteribus chartis Regum noſtrorum, quantum fieri poterit, reſarcire conabimur.

Fredegar. cap. 89.

IX. Anno Chriſti DCXLIX. habitum eſt Romæ à Martino ſummo Pontifice Concilium adversùs Monothelitas, totam rem breviter commemorare licet. Poſt Chalcedonenſem Synodum, ubi fides aſſerta contra Dioſcorum & Eutychem, & in Chriſto duas eſſe naturas ſollemniter definitum: heretici non quieſcere, Acephali præſertim & Severiani perturbare Eccleſiam, & quæ acta ſunt Chalcedone profligare novis artibus; adversùs eos diu pugnatum eſt. Tum poſt multas victorias non ampliùs de una natura, aut de duabus naturis pugna fuit. Theodorus Pharanitanus, & poſteà Cyrus Alexandrinus Epiſcopus ſerere novitatem in Eccleſia cœperunt, & unam in Chriſto aſſerere operationem & unam

Lib. IV. Cap. IV.

voluntatem, hic de ea inſania novem impia conflavit capitula, quæ ex ambone ipſe promulgare, & hac corruptelâ inficere animos fidelium, & percutere eos anathemate, qui aliud ſentirent. Hæc deinde impietas vires acquiſivit auctoritate Sergii Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui eumdem errorem profiteri cœpit, ſcriptâ eâ de re ad Cyrum Alexandrinum epiſtolâ, & editâ Ecthesi ſub nomine Heraclii Imperatoris, eamque ad baſilicæ fores affigere, coactiſque aliquot Epiſcopis, quos in eumdem induxerat errorem, profligatam illam flagitioſamque expoſitionem confirmare. Pyrrhus deinde ac Paulus Sergii ſucceſſores omnes conatus ad impietatem hanc progagandam adhibuerunt. Pyrrhus celebratâ Synodo Epiſcoporum, quos aut metu aut blanditiis ſibi conciliaverat peſtem hanc ſpargere ſtuduit. Verùm is oblato ad Apoſtolicam ſedem libello, impietatem ſuam & acta deceſſorum condemnare non erubuit, ſed paulò poſt ad vomitum rediens, fidem catholicam iterum labefactare, quapropter in eum canonicè animadverſum eſt; & ſic loco pulſus eſt. Paulus verò impietatem impietati addens, & Ecthesim improbare, & ſanæ pariter doctrinæ adverſari cœpit, & Typum impiæ ſuæ novitatis cudere & publicare, ubi promiſcuè ſanctorum patrum ſententias, ſicut hæreticorum voces depravare conatus eſt, neque unam operationem aut voluntatem, neque duas operationes & voluntates in Chriſto aſſerens, atque ita Chriſtum affirmans ſine operatione & ſine voluntate eſſe. Dum illi nefarii Pontifices pervertere fidem omnibus modis tentarent: tùm contra inſurgere egregii bellatores, & fidem armis ſanæ doctrinæ tueri & defendere. Sed cùm Imperatoris etiam animus eâ labe imbutus eſſet, hæretici audaciores auctoritate principis abuſi, & vexare variis modis qui fidem propugnarent, & veritatem pravis artibus obſcurare. Plures intereà, qui catholicè ſentiebant & dolebant opprimi fidem, ſupplices libellos Romano Pontifici offerre, ut graſſantem labem profligaret. Summi Pontifices eorum vocibus excitati haud deſtiterant conſulere Eccleſiæ, & ſerpenti malo obviam ire, modò verbis hæreticorum audaciam frangere, modò precibus meliora ſuadere, & per Apocriſarios admonere ut ſalubria caperent conſilia. Verùm cùm nihil proficerent, Martinus Summus Pontifex Synodum congregare ſtatuit, ut facto agmine Epiſcoporum hæreſim condemnaret. Convocavit itaque Epiſcopos ex univerſa Eccleſia, proſcripſitque hæreſim, & hæreticos percuſſit anathemate. Acta deinde in provincias ſummus Pontifex miſit, ſed præſertim in Gallias ad Reges Francorum Sigibertum & Chlodoveum, ut fidem his conſtitutam ſuo calculo confirmarent, ſcribebatque Regi Chlodoveo, ut ſi viri in Gallia, doctrina & fide clari exiſterent, eos Romam mitteret, ut ſibi in tuenda fide adversùs hæreſim opem & auxilium ferrent. Eò ſanè Eligius cum amico Audoëno erat profecturus, niſi improviſa negotia utrumque aliò diſtraxiſſent. Tum Eligium Audoënumque fuiſſe Epiſcopos conſtat, cùm enim epiſtola Martini Papæ ad Chlodoveum ſcripta ſit ſolutâ Synodo Lateranenſi, cujus acta miſſa ſunt, neceſſe eſt quoque ambos fuiſſe Epiſcopos, cùm Concilium Lateranenſe habitum ſit anno Chriſti DCXLIX. & ipſi tertio anno Chlodouei Epiſcopatum adierint.

Audoenus in vita S. Eligii

X. Anno ſequenti Cabilloni Synodus ex indictione Chlodovei Regis habita eſt, anno DCL. id eſt ſtatim poſt Concilium Lateranenſe, ut cenſet Sirmondus, verùm Cointius ad annum Chriſti DCXLIV. hoc collocat. Lector Cointium ſuper eam rem conſulere poteſt. Adfuerunt triginta novem Epiſcopi, & quinque alii, inter quos unus erat archidiaconus, & quatuor Abbates, in vicem & locum Epiſcoporum, Germoaldus Abbas in vicem Audoberti Pariſiacæ Eccleſiæ Epiſcopi ſubſcripſit, qui omnes, ut in præfatione patres loquuntur, *pro zelo religionis, vel orthodoxæ fidei delectione in Cabillonenſi urbe, in eccleſia S. Vincentii pariter conglobati ſunt.* Canon. I. de fide eſt, ut ea conſervetur quæ Nicæni Concilii profeſſione definita eſt, & poſteà à Synodo Chalcedonenſi firmata. Exiſtimo Concilii Chalcedonenſis inprimis factam mentionem contra Monothelitas, qui his præcipuè temporibus vexabant Eccleſiam, & fidem Chalcedone profeſſam de duabus naturis offendere & infirmare omnibus artibus eni-

LIB. IV. CAP. IV. tebantur. II. Canon eſt pro tuendis decretis & canonibus antiquis. III. Jubet moveri loco Epiſcopos presbyteros vel diaconos & ab ordine dejici, qui cùm extranea muliere habuerint familiaritatem. IV. cautum eſt, ne in una eademque Eccleſia duo ſint Epiſcopi, qui canon editus eſt occaſione Agapii, & Bobonis, qui ambo ad Dinienſis Eccleſiæ epiſcopatum contra canones irrepſerant, ut infra relatum eſt. V. prohibet, ne quis ante clericatum res parochiæ, aut ipſam parochiam regere præſumat. VI. eſt contra invaſores rerum eccleſiaſticarum. VII. ut coerceantur Epiſcopi archidiaconi, & quicumque defuncto presbytero vel Abbate res parochiæ, monaſterii, vel xenodochii minuere audent. VIII. approbant patres, ut datâ peccatorum confeſſione, injungatur à ſacerdotibus pœnitentia. IX. primò cenſent patres eſſe maximæ pietatis & ſingularis religionis, ut nemo Chriſtianus captivitatis ſeu ſervitutis vinculo illigaretur. Sed maximè prohibet ne quis Chriſtianus ſervituti ſubjectus, extra fines regni venundetur, ne fortè Judæorum ſervituti ſubjaceat, quod indignum nomine Chriſtiano. Illa diſciplina vere Chriſtiana, quâ omnes in Chriſti libertatem aſſerti etiam in libertatem corporum vindicaremur, non niſi poſt longam annorum ſeriem in Galliis vim & auctoritatem habuit, ut poſt modum dicturi ſumus. X. ut electio Epiſcoporum à comprovincialibus, à clero & civibus fiat. XI. Canon prohibet ne judices more Epiſcoporum circumeant monaſteria & parochias, & clericos & Abbates jubeant ſibi exhiberi, eoſque, qui hæc fecerint, arcet à communione. XII. vetat, ne duo ſint Abbates in uno monaſterio, & ſi quis Abbas eligeret ſucceſſorem, electus nullam in res & facultates monaſterii poteſtatem habeat. XIII. de clericis, ut nullus alterius clericum retineat, aut ad ſacrum ordinem promoveat. XIV. ſegregat à communione potentes, qui cum in villis habeant oratoria, non ſinunt clericos, qui his miniſtrant, ab archidiacono coerceri, vultque ordinationem illorum clericorum, & facultates ibidem collatas in poteſtate eſſe Epiſcopi. XV. prohibet ne Abbates & monachi aut agentes monaſteriorum, ſæcularium poteſtate utantur, aut adeant principem, ſine licentia ſui Epiſcopi. XVI. ſuo honore & gradu abdicat Epiſcopum, presbyterum, Abbatem & diaconum, qui pretio ad ſacrum ordinem acceſſerit. XVII. excommunicat eos, qui in eccleſia, aut in atrio ipſius eccleſiæ jurgia ferunt, & tela gladioſque exerunt ad nocendum. XVIII. ruralia opera die Dominico fieri prohibentur, non arare, non ſecaca meſſes, & quidquid aliud ad culturam pertinet. XIX. ſubjicit diſciplinæ eccleſiaſticæ feminas, quæ, cum in dedicationibus aut feſtivitatibus martyrum, orare deberent, & audire pſallentes circum ſepta baſilicarum, aut in earum porticibus & atriis cantare audent & plerumque obſcena cantica audiunt. XX. Demùm redigit in ordinem duos Eccleſiæ Dinienſis Epiſcopos Agapium & Bobonem, quod uterque contra canones ad Epiſcopatum irrepſiſſet. Sed inprimis notanda eſt hujus Concilii Synodica epiſtola ad Theodoſium Epiſcopum Arelatenſem. Delatum fuerat ad Synodum, quod ab eo multa facta eſſent contra bonos mores & contra leges Eccleſiæ. Neque ille id abnuebat, immò miſerat ad Synodum litteras comprovincialium manibus ſcriptas, quibus conſtabat ipſum eſſe profeſſum pœnitentiam. Patres antiquæ tenaces diſciplinæ, quâ cautum erat, ne quis publicè profeſſus pœnitentiam, teneret aut regeret Epiſcopalem cathedram, cenſuerunt ut omnino à regimine Eccleſiæ abſtineret, neque quicquam de facultatibus Eccleſiæ ſibi tribueret, donec ad audientiam Epiſcoporum in Synodo conveniret. Illa Epiſtola canonibus Synodi Cabillonenſis ſubjecta eſt.

CAPUT

CAPUT V.

De Regina Bathilde & de ejus virtutibus. De ſancto Furſeo, & de monaſterio Latiniacenſi. De ſancto Landerico Epiſcopo Pariſienſi. De privilegio baſilicæ ſancti Dionyſii. Et de præcepto Chlodovei Regis.

I. ANNUM agebat ſextum & decimum Chlodoveus Rex, cum de nuptiis cogitare cœpit. Erat tunc temporis in familia Erchinoaldi, qui ſub nomine Præfecti palatii regnum Francorum adminiſtrabat, puella quædam, quam Deus circumduxit per varios caſus ad ſolium. Huic nomen Bathildis, alii Badechildem vocanr. Ex Saxonibus, qui Britanniam invaſerant orta, à prædonibus forte capta, & viliùs venundata in manus Erchinoaldi venerat. Auctor illius ætatis æqualis ſcribit eam fuiſſe præditam egregiis tum animi tum corporis ornamentis, illam nobili loco natam aliqui narrant. Sane nobilitatem moribus, vitæ conſuetudine, & tota corporis conformatione præferebat. Forma illi elegans, & ſparſus per faciem decor ingenuus, honeſtas vitam ejus commendabat, & mixta hilaritate gravitas, pietatem, quod verecundam virginem decet, inprimis colebat. His dotibus amorem Erchinoaldi ſibi conciliaverat, ſolebat huic poculum in cubiculo miniſtrare, cúmque is, ablatâ uxore, hanc ſibi copulare vellet, puella fugam & latebras periit, neque inventa eſt, niſi celebratis cum alia nuptiis. Paulo poſt Præfectus palatii non dubitavit puellam regii tori facere conſortem, ſeu puellam his dignam honoribus crederet, ſeu, quod credibilius eſt, exiſtimaret puellam ex ſuo miniſterio ad ſolium traductam, & nullâ cognatione cum Francis conjunctam, nunquam fore ſuæ poteſtati contrariam, ſciebatque nuptias Francis haud ingratas fore, quorum animis hærebat odium recens Brunichildis, quæ à Gothis Regibus orta, impotenter rexerat imperium, accedebat exemplum Dagoberti, qui nuper matrem Chlodovei Nanthildem è miniſterio ad regnum evocaverat. Bathildis in hoc honorum faſtigio modeſtè ſe gerere cœpit, ſtudebat obtemperare Regi, revereri ſacerdotes, & eos loco patrum habere, & monachos tanquam fratres diligere, huicque inprimis curæ erat alere pauperes, eorumque inopiam eleemoſynis levare, pia ſanctaque in Eccleſiam & egenos Regi ſuadere. Suffragabatur Rex ejus pietati, adjutoremque illi adjunxit Geneſium, qui poſteà Lugdunenſis Epiſcopus fuit. Hujus operâ Regina uſa eſt, ut pecunias ſacerdotibus & egenis diſtribueret, per ejus manus nuditari pauperum conſulebat, & mortuos ſepeliri curabat, & copioſa tum virorum tum virginum cœnobiis munera largiebatur. Nondum Rex annum XVII. abſolverat, cum Bathildi uterus increvit, dubitabat Regina quam prolem editura eſſet, anxiaque maximè videbatur, ne potiùs puellam, quàm puerum regnique hæredem pareret. Eligius Noviomenſis Epiſcopus ancipiti addidit animos, pavidamque confirmavit parituram ſcilicet filium, quem ex ſacro fonte educerer, & vocitaret Chlotarium, & ne hæſitaret, crepundia ut puero fierent curavit, quæ illi poſt partuitionem ſervarentur, quæ omnia, ut Eligius fore prædixerat contigerunt. Regina, namque filium edidit, & ipſum ex lavacro ſuſcepit Eligius, Chlotarium ſicut atavum vocitavit; Audoënus hæc in vita ſancti Eligii memorat, unde non

Auctor vitæ S. Bathild. ſæcul. 2. ord. Bened.

Z

audiendi ſunt, qui ſanctum Annemundum Lugdunenſem Epiſcopum parrinum Chlotarii fuiſſe falſo aſſerunt. Nolim hic omittere quod & in Aooalibus eccleſiaſticis Francorum ſcriptum legimus, quod olim ad ortum filii Regis in teſtimonium publicæ lætitiæ fieri conſueverat, ſcilicet ex regio maodato in ſingulis villis fiſcalibus tres ſervos totidemque ſervas in libertatem aſſertos, manumiſſoſque, idque ſolitum fuiſſe demaodari Comitibus aut Domeſticis, quibus eorum locorum cura erat. Certè hujuſce rei formula legitur apud Marculfum,

Marculf. formul. lib. 1. cap. 19.

quam hîc exſcribam. *Ille Rex Francorum viro inluſtri illo Comiti. Dùm & nobis divina pietas, juxta votum fidelium & procerum noſtrorum, de nativitate filii noſtri magnum gaudium habere conceſſit, ut miſericordia Dei vitam ei concedere dignetur, jubemus ut per omnes villas noſtras, quæ in veſtra', vel in cuncto regno noſtro aliorum Domeſticorum ſunt actionibus, tres homines ſervientes in utroque ſexu in una quaque villa ex noſtra indulgentia per veſtras epiſtolas ingenuos relaxare faciatis.* Extat quoque epiſtolæ formula quâ Comes vel Domeſticus manumittit ſervos, eximitque à ſervitutis vinculo, jubetque deinceps ſuæ eſſe poteſtatis, & liberè manere tanquam ſi ipſi ab ingeouis parentibus orti ſint, atque eos mulctari pecuniâ, qui eorum ingeouitatem pulſare audeant. Qui legere voluerit litteras ingenuitatis, adeat Marculfum.

II. Erchinoaldus, ut memoratum eſt, id temporis Præfectus palatii ſummam rerum obtinebat ſub juniore Principe, etſi in ſancti Eligii vita Erchinoaldus notatus eſt, tamen haud virtutibus caruit, ut ex Fredegario antea dictum eſt, ea quoque oſtendunt quæ præclarè geſſit erga Furſeum Hibernum monacbum ſanctimooiâ & ſeveritate vitæ conſpicuum, cuique Latiniacum ad conſtruendum monaſterium conceſſit, ſed quoniam ea res ad nos ſpectat, de initiis hujus monaſterii & de Furſeo primo Abbate oobis dicendum eſt. Furſeus in Scotia, ſic Hiberniam vocabant, natus eſt ex nobili ſanguine, à pueris ſe pietati

Vita S. Furſ. in Act. ſacul. 2. ord. Bened.

addixit, creſcentibus annis augeri virtutibus maximè ſtudebat, & quo ſollicitiùs ſanctitatem exerceret, mooaſterium ipſe condidit, congregatiſque aliquot viris, qui ſecum in pia vitæ exercitia conſpiraverant, auſteriorem diſciplinam inſtituit. Plures ibi annos egit, ſuos non modò frarres, ſed & populàres verbo

Beda. l. 3. cap 19 hiſt. Eccleſiaſt.

& exemplo melioribus inſtitutis erudiens. Tum Scotiæ res turbulentiſſimæ erant, quod ſuis moribus adverſum exiſtimans, extra ſolum patrium quærere quietem ſtatuit. In Britanniam itaque trajecit, veoitque in partes, quas Angli orientales incolebant, fortè his in locis regnabat Rex Anglorum Sigibertus, quem quidam perperam cum Sigiberto Cblodovei fratre Rege Auſtraſiorum confundunt. Hic olim exul in Galliis, noſtris myſteriis initiarus, pietatis iter arduum ſectabatur. Furſeum ob ſummam ejus religionem colere plurimùm cœpit, rogantique locum conceſſit, ubi Furſeus monaſterium extruxit, adſcitis viris aliquot piis cum monacbis quos adduxerat. Commoratus eſt in ea inſula aliquot annos, deinde cùm & Britannicam inſulam gentilium incurſionibus vaſtari ceroeret, & mooaſteriis impendere tempeſtates præviderer, fratribus ſuis Foillano & Ultano relictâ monaſterii curâ, ipſe in Gallias profectus eſt, ubi à Cblodoveo Rege, ſed maximè ab Erchinoaldo benè exceptus eſt, fama enim ejus ſanctitaris confeſtim ad eorum aures pervenerat. Inprimis Erchinoaldus ei obviam ire & in villam ſuam Peronam deducere, ubi Furſeus ejus filium è fonte ſacro ſuſcepit. Sanctum poſtea Abbatem circumduci juſſit per varia loca, ut locum monaſterio ædificando idoneum ſeligeret, ille Latiniacum optavit. Locum illum diverſum fuiſſe ſcribit Valeſius à Latiniaco ſicco, quod non multò ante Nanthildis teſtamento legaverat Dionyſianis monachis; locus ille modò in opidum excrevit ad Matrooam ſitum, & ponte junctum, ibi modò præter prioratum Villæ novæ ſunt tres Eccleſiæ baptiſmales ſancti Furſei, S. Pauli, & S. Salvatoris. In eo porrò loco monaſterium Furſeus fecit, fama novi monaſterii illico ad Britannos tranſut, unde factum eſt, ut plures monachi ex eo, quod priùs condiderat monaſterio ad eum accederent, inter quos erat S. Emmianus. Aliqoot annos poſt Furſeo in mentem venit redeundi in Aogliam, & viſendi fratres Foillanum & Ultanum, quos in ea inſula ad regimen mona-

ſterii reliquerat. S. Emmianum ſeu Emilianum interim monaſterio Latiniacenſi præpoſuit. Jam iter erat ingreſſus, veneratque ad locum cui nomen Maceriæ in Pontivo ex ditione Ducis Aimonis, hic Furſeum morbo corripi contigit, & paulo poſt mori. Aiunt illius Ducis filium virtute illius ſancti vitam denuò recepiſſe. Erchinoaldus ut diem obiiſſe audivit, ſanctum ejus corpus ad Peronam villam deportari juſſit, & ritè juſta perſolvit, magna populi multitudine funus proſequente, ibi poſitum eſt & poſt triginta dies in eccleſia, cura & impenſis Erchinoaldi ædificata & in honorem ſanctorum Apoſtolorum dedicata, reconditum eſt, & poſt quatuor annos tranſlatum, ſeu elevatum eſt ab Eligio Noviomenſi Epiſcopo & Autberto Cameracenſi. XVII. Calend. Febr. obiiſſe tabulæ eccleſiaſticæ martyrologiaque teſtantur; è vita migraſſe anno Chriſti DCL. Mabillonius exiſtimat. Tribus diebus Peronenſes quot annis memoriam ejus celebrant XVII. Calend. Febr. qui dies fuit ejus obitus. V. Idus Feb. qui primæ tranſlationis dies fuit, & XV. Calend. Octob. qui tranſlationis ſecundæ fuit, cùm in theca collocatæ ſunt ejus reliquiæ anno MCCLVI. Dominica poſt octavam B. Virginis Mariæ. Aderant huic tranſlationi Ludovicus IX. qui propter ſanctitatem ſanctorum numero aſcriptus eſt, & Epiſcopi Vermandus Noviomenſis, Guilelmus Belvacenſis, Valterus Tornacenſis, & Rodulfus Morinenſis. Latiniacenſes Monachi hunc diem celebrant. Modò reliquiæ ſancti Furſei in eccleſia illius nominis collegiata, aſſervantur; caſula vero & ſtola, quibus uſus eſſe dicitur, in Latiniacenſi monaſterio cum honore cuſtodiuntur; manipulum ejus Peronenſibus tradiderunt, & illi pariter Latiniacenſibus os capitis, quod petroſum vocant pia commutatione retribuerunt. Miraculis & virtutibus poſt obitum maximè claruit, præſens ejus auxilium ſæpe Peronenſes experti, & anniuerſarium diem celebrant, quo Carolus V. Imperator ſolvit obſidionem Peronæ III. Idus Septemb. anno MDXXXVII. quo urbs ope S. Furſei liberata eſt. Plures auctores vitam Furſei ſcripſerunt ex antiquiore, ex quo & Beda hauſit, quæ in hiſtoriam eccleſiaſticam retulit, nos quoque, hæc, quæ à nobis commemorata ſunt, pleraque exſcripſimus. Latiniacenſi monaſterio præfuit poſt ejus mortem Emmianus, de quo ſuo loco dicemus. Monaſterium Latiniacenſe diu floruit ſanctitate monachorum, immo etiam nunc, exquo reſtitui cœpta eſt diſciplina à monachis Congregationis S. Mauri. Anno XIV. regni ſui Chlodoveus, cùm fames per Galliam graſſaretur, & ob caritatem annonæ pauperes premerentur, Rex ut publicæ inopiæ ſuccurreret, detrahi juſſit argentum, quo Rex Dagobertus abſidem baſilicæ ſancti Dionyſii foris operuerat, & pauperibus erogari, & anno ſequenti filius alter Chlodoveo naſcitur, qui Childericus appellatus eſt.

III. His temporibus pontificatum Pariſienſem gerebat Landericus, cujus ob ſanctitatem ſollemnis eſt in Eccleſia Pariſienſi memoria ad IV. Idus Junias. Illius meminerunt tabularia ejuſdem Eccleſiæ, & antiqui Epiſcoporum Pariſienſium indices. Aliqui ejus memoriam obſcurare moliti ſunt, & eum perperam commiſcere cum Meldenſi Epiſcopo ejuſdem nominis, fruſtra tamen, nam conſtat Landericum fuiſſe Epiſcopum Pariſienſem, & ſub principatu Chlodovei junioris geſſiſſe epiſcopatum, & Audoberto ſucceſſiſſe, Faronemque id temporis Meldenſibus præpoſitum. Magnis, dum Pontifex fuit, inclaruit virtutibus, & ſingulari inprimis fuit in pauperes caritate, adeo ut graſſante fame etiam domeſticam ſupellectilem venderet, ut populo ſubſidio eſſet, dicitur & ſacra eccleſiæ vaſa diſtraxiſſe, ut egenis pararet alimoniam, ferunt & ab eo primùm ad limina matris eccleſiæ extructum dotatumque noſocomium, quod adeò donationibus fidelium, & loci amplitudine excrevit, ut modò potentiſſimæ urbis publicum ſit valetudinarium. Marculſus monachus antiquus ſcriptor formularum, ejus juſſu formulas exaravit, & opus, quod ejus mandatis obtemperans ſcripſerat, illi nuncupavit, ſic enim ejus nuncupatoria epiſtola incipit. *Domino ſancto, meritis beatiſſimo & apoſtolico ſemper honore ſuſcipiendo, omnique præconio laudis celebrando domno ac reverentiſſimo Papæ Landerico Marculfus ultimus ac viliſſimus omnium monachorum. Vtinam, ſancte pater juſſionem ve-*

ſtram tam efficaciter, quàm ſpontaneè obtemperare valuiſſem qui.ı jam ſuprà vires meæ poſſibilitatis conatus ſum injunctum à vobis ſubire negotium, cùm ferè ſeptuaginta aut amplius annos expleam vivendi, & nec jam tremula ad ſcribendum manus eſt apta, nec ad videndum oculi mihi ſufficiunt caligantes, nec ad cogitandum ſufficit hebetudo mentis. Vir clariſſimus Hieronymus Bignonius ſenatûs Pariſienſis ornamentum, qui hunc auctorem edidit & doctiſſimis notis locupletavit, teſtatur in præfatione Landericum Pariſiorum Epiſcopum fuiſſe, cui opus inſcriptum, & hunc ſub principatu Chlodovei floruiſſe. *Deinde*, inquit Bignonius, *cum Landerico Papæ opus inſcribit, facilè apparet Landericum illum Pariſiorum* Epiſco*pum fuiſſe, qui Chlodoveo Dagoberti filio Rege claruit circa annum Æræ Chriſtianæ DCLX. Nulli quippe alii Galliarum Epiſcopi hoc nomine reperiuntur Landerici Pariſienſis tempore, neque multis poſt annis* &c. Idem Landericus privilegium Dionyſiano monaſterio conceſſit, & conſtitutioni Chlodovei Regis ſuper eam rem ſcriptæ ipſe Landericus ſubſcripſit, de quo privilegio modo pluribus nobis dicendum erit. Demùm Landericus diem obiit & in baſilica S. Vincentii, ſeu, ut modo vocant, S. Germani Autiſſiodorenſis, aut, ut olim dicebant, S. Germani teretis ſepultus eſt. In ejus locum poſtea ſubrogatus eſt Chrodobertus, de quo ſuo loco dicemus. Poſt longam annorum ſeriem, ſæculo ſcilicet XII. Mauricius de Soliaco & ipſe Pariſienſis Epiſcopus ſancti Landerici corpus in capſa lignea collocavit, quam deinde ſenio & vetuſtate attritam Petrus de Ordeimonte itidem Pariſienſis Epiſcopus, anno Chriſti MCDVIII. XVIII. Calend. Octob. reſeravit, reperitque cum oſſibus, veſtimentis & linteaminibus obſitam pulvere ſchedam his verbis conſcriptam. *Hæc ſunt oſſa beatiſſimi Lauderici Pariſienſis Epiſcopi, ſic repoſita à venerabili Mauritio Pariſienſi Epiſcopo, & Remigio hujus eccleſiæ Decano. Anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo, regnante Ludovico, qui duxit exercitum iu Ieruſalem, ſummo Pontifice Alexandro.* Sed & duas alias ſchedulas, quarum quæ vetuſtior & pæne corroſa, hæc tria tantummodo verba exhibebat, *ſancti Landeriei Epiſcopi*. Petrus de Ordeimonte ex capſa duo oſſa ſuſtulit, quæ ad eccleſiam parochialem ſancti Landerici deferenda & religiosè conſervanda tradidit, cetera verò ex capſa extraxit, & in argenteam ritè & ſolleinniter repoſuit. Aderat Ludovicus Dux Borbonius, Epiſcoporum, clericorum ac militum ingens numerus, & populi innumerabilis multitudo, acta deinde ſollemni ſupplicatione, capſam ſecus majus altare collocavit. Et ſi hæc probata ſunt veterum teſtimonia, tamen ſunt nonnulli, qui ſanctum Landericum ex indice Pontificum Pariſienſium expungere auſi ſunt, abrepti ſcilicet æſtu diſputationis, extra limites veritaris excurrerunt, ſed quæ cauſa eos egerit, modo exponendum eſt, & ſimul examinandum privilegium S. Landerici, quo Dionyſiani maximè gloriantur. Aiunt igitur illi privilegium ſeu immunitatem ſibi à Landerico Pariſienſi Epiſcopo conceſſam anno Chlodovei Regis XV. Hoc privilegium Dubletus primùm edidit, tum Sirmondus ac demùm Cointius ad annum DCLII. quod quoniam ad noſtras res maximè pertinet, integrum exſcripſimus.

Privilegium libertatis monaſterio ſancti Dionyſii conceſſum à Landerico Epiſcopo Pariſiacenſi.

Divina largiente gratia Landericus Pariſiorum Eccleſiæ Epiſcopus.

QVoniam quidem inter ea, quæ Dei diſponente providentiâ curſu temporis agimus, ſi quid rectè actum eſt, ad illius, qui & dando præmonuit, & poſſe contulit, gloriam & noſtram proſperitatem non eſt dubium attinere; decet & præſertim eos, qui in ſacris ordinibus eminere videntur, privatæ & publicæ rei ita curam agere, ut & ſua peccamina annullare, & ſi quid eſt virtutis, hoc ſemper ad altiora ſtudeant

provehere, & aliorum vel benefacta commendare, vel vitia invigilent corrigere. Debet etiam eſſe grata omnium Dei fidelium inter ſe familiaritas, & in expetendis dandiſque beneficiis adeo opportuna propinquitas, ut nulli prorsùs digna petenti non modò non abnuat, verùm etiam ut amplius, quod dignum eſt ab altero petere poſtuletur. Quapropter noverit omnium catholicæ Eccleſiæ cultorum generalis univerſitas, quod domnus glorioſiſſimus Cludovicus Francorum Rex, divino irradiatus lumine, religioſa petitione humilitatis noſtræ extremitatem popoſcit, ut & nos, & canonicorum noſtrorum communis fraternitas, ſecuritatis & incommutabilitatis privilegium ederemus, pro reverentia ſancti Dionyſii, ſociorumque ejus Ruſtici & Eleutherii, qui cum eo laurea martyrii ſunt redimiti, ad baſilicam ipſorum, ubi ipſi corpore requieſcunt, & in virtutum miraculis coruſcant, & ubi Dagobertus genitor ſuus quondam Rex, vel genitrix ſua Nanthildis Regina ſepulturas habere videntur. Quamquam ſancta Carthaginenſis Synodus facta à beatæ memoriæ domno Bonifacio ejuſque Coepiſcopis, non prohibeat monachos ſub privilegio proprio reſidere, vel ſancti Auguſtini libri de eccleſiaſticis gradibus doceant monachos ſub quiete regulariter viventes, ſua ſingulari lege debere quieſcere, & ab omni infeſtatione clericorum intrepidos permanere, ne ſæcularis ſtrepitus eos lædat, quos diſtricta regula ſervitutis Domini moderatur. Quod nos conſiderantes, dùm & canonica inſtitutio nos hac de re non præjudicat, vel ideo quia ſupradicti domni Cludovici regis petitio quaſi nobis juſſio eſt, cui difficillimum eſt reſiſti, vel pro reverentia tantorum martyrum, quorum patrocinio ſe ipſe commiſit, ut ipſis monachis ſecundum ſanctum ordinem vivere liceat, & ut tam pro nobis, quam pro omnibus noſtræ Eccleſiæ fratribus Deum orent, ipſum privilegium plenà voluntate, unà cum conſenſu fratrum meorum, ipſis conceſſiſſe viſus ſum. Per quod decerno, atque ob teſtificationem divini nominis interdico, ut nec ego deinceps, nec ullus ſucceſſorum meorum hoc audeat infringere, vel temerario auſu aliquatenus violare. Videlicet ut omnis presbyter vel clericus ex his, quæ in ipſo loco beatiſſimi Dionyſii martyris, vel extra, ex loco, qui dicitur fons. S. Remigii, ſicut via diſtinguit, quæ præbet iter juxta pratum quod dicitur Formoſum, uſque ad eccleſiam ſancti Quintini martyris, & illinc per regalem ſtratam, donec veniatur ad vivarium in capite Triceni pontis, ſicut prata fratrum diſtingunt, uſque ad præfatum locum fontis beati Remigii, omnes illi, qui in hoc circumſcripto ſpatio Eccleſiis ſerviunt, ſint liberi & abſoluti ab omni debito, & redditione circadarum, & Synodorum. Tamen volumus & pro reverentia ſancti martyris Dionyſii concedimus, ut ſi neceſſitas eis fuerit, ex noſtro & ſucceſſorum noſtrorum epiſcopatu ſine pretio chriſma & oleum ſuſcipiant. Et ſi quis eorum presbyterorum vel clericorum fortè aut occiſus, quod abſit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicujus injuriæ acclamatio ſurrexerit, quicquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abbati, qui in ipſo ſancto loco præfuerit, ceteriſque fratribus habendum & diſponendum concedimus. Quod ſi aliquis calliditate, aut cupiditate præventus fuerit, & ea, quæ ſunt ſuperiùs comprehenſa temerario ſpiritu violaverit, tribus annis pœnitentiam agat, à communione fratrum ſequeſtratus, & nihilominus hoc privilegium Chriſto protegente, qui & adjuvet illud conſervantes, & diſſipet illud deſtruere cupientes, perpetuò maneat incorruptum. Quam definitionem conſtitutionis noſtræ, ut noſtris & futuris temporibus valitura ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roboravimus, & coepiſcopos, domnos & fratres noſtros rogavimus, ut ipſam inſuper firmare debeant.

LIB. IV. CAP. V.

SUBSCRIPTIONES.

IN Chriſti nomine Landericus, ac ſi peccator, Epiſcopus urbis Pariſiacæ hoc privilegium conſenſi & ſubſcripſi.

Munemundus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Gouvaldus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Vulfolenus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Armentarius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Rauracus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Malehardus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Eligius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Gratus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Joannes Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Burgundofar Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Richoaldus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Baldomerus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Audoënus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Taurinus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Euſtorgius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Karioendus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Berthefridus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Audobertus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Clarus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Caſtadius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Litterius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Palladius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ætherius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ingildus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Facto privilegio ſub die Iulii in anno XV. *regnante Cludovico glorioſiſſimo Rege, Auſtrolenus lector, jubente domno Landerico Epiſcopo, hoc privilegium ſcripſi & ſubſcripſi.*

IV. De hoc privilegio varia exiſtimatio eſt. Valeſius hoc omnino tanquam commentitium rejicit, etſi enim profitetur ſe nolle immorari elevandæ hujus privilegii fidei, tamen cùm probare nititur, nullum ex Epiſcopis Pariſienſibus Landericum ne Chlodovei quidem tempore, fuiſſe, & neminem Pariſienſem epiſcopatum geſſiſſe inter Audobertum & Chrodobertum, quid aliud tùm agit, quàm quod teſtificatur apertè ſubdititium eſſe privilegium, ubi Landerici Epiſcopi nomen legitur, & ſub cujus nomine conceſſum eſt, cùm ex ejus ſententia nullus hoc nomine fuerit. Launoius aut ſuppoſitum omnino, aut magna ex parte interpolatum exiſtimat. Cointius haud quidem diffitetur ſuppoſitum adulterinumque eſſe privilegium, ſed opinatur hocce vitiatum, corruptumque pro genuino eſſe ſubſtitutum, cùm germanum ſincerumque non ampliùs haberetur. Quod reipſa Landericus ſcripſerit chartam immunitatis in gratiam monaſterii Dionyſiani, hinc approbat, quod illius ſit mentio in præceptione Chlodovei junioris, aliiſque regiis chartis, quæ ſincerioris notæ ſunt, & quod apud permultos auctores, ſed inprimis apud auctorem geſtorum Dagoberti, & Aimoinum de eo ſcriptum ſit, non igitur litigandum cenſet de privilegio, quod olim Landericus conceſſit, ſed de hoc, quod modò deſcripſimus. Cointius vulgatum hoc privilegium à formula Marculfi omnino differre oſtendit, has enim continet libertates, primùm vult ut monachi ſint *liberi & abſoluti ab omni debito & redditione circadarum & Synodorum.* Secundò ut *pro reverentia ſancti martyris Dionyſii, ſi neceſſitas eis fuerit, ex noſtro & ſucceſſorum noſtrorum epiſcopatu ſine pretio chriſma & oleum ſuſcipiant*, & tertiùm ut *ſi quis eorum presbyterorum vel clericorum, fortè aut occiſus, quod abſit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicujus injuriæ acclamatio ſurrexerit, quicquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abbati, qui in ipſo loco ſancto præfuerit, ceteriſque fratribus habendum & diſponendum concedimus.* Ea pænè omnia abhorrent ab his, quæ in Marculfi formulis leguntur. De circadis & de Synodis ſilentium in his; ſanè nomen circadarum nondum tempore Chlodovei junioris uſitatum erat, neque proxima poſt Chlodoveum ætate, ſed poſt multos annos, & longa temporis intervalla in privilegiis conſuetum.

V. Non utique ſolebant his temporibus Epiſcopi eximere presbyteros aut monachos à circada & Synodo, id eſt à pretio, quod ætate poſteriore Epiſcopo perſolutum eſt pro jure Synodi & viſitationis: cùm præſertim eo maximè tempore bona eccleſiaſtica in poteſtate Epiſcopi ſita eſſent, & ipſe facultates Eccleſiæ pro nutu adminiſtraret. Id nempe non accidit, niſi poſtquam Epiſcopus bona ſuæ Eccleſiæ in plures partita portiones canonicis & aliis clericis

diſtribuit. Epiſcopus enim tum ab iis quaſi aliquod vectigal repoſcere, idque annuatim in Synodis parochiæ, & ſi quando eam circumire illi contingeret; LIB. IV. CAP. V. quod quomodo factum ſit libet paucis inveſtigare. Synodos fieri bis ſingulis annis Nicæni patres jubent, hocque in Synodis Antiochena & Chalcedonenſi confirmatum eſt: quod & priora Galliæ Concilia conſtituunt: tamdem placuit in Galliis Synodos provinciales ſemel quotannis celebrari; hocque ſæpiùs in Synodis inculcatum; ſed inprimis in Conciliis Aurelianis habitis. Ea ſtatuta ad provinciam ſpectabant, non ad parochiam. Primis enim Eccleſiæ temporibus cogendi diœceſanas Synodos conſuetudo non erat. Etſi Epiſcopus ſæpiùs preſbyterium congregabat, id tamen pro Synodo non habebatur. Demùm cùm parochiæ numero clericorum & multitudine baſilicarum longiſſimè auctæ eſſent; neque tam pronum eſſet cogere preſbyterium & accire undequaque preſbyteros, placuit Epiſcopis ut bis aliquando, aut ſaltem ſemel quotannis Synodum ſuæ parochiæ celebrarent; túmque diœceſanæ Synodi in uſu eſſe cœperunt. Accidit autem ut preſbyteri ex agris ſæpiùs honoris gratiâ & reverentiæ ſuis Epiſcopis tempore Synodi munuſcula deferrent, eaque vulgò eulogias vocitabant; hoc vero ſpontè, neque id ullo decreto inſtitutum erat. Poſtea tamen ſub principatu ſcilicet Caroli Calvi cum preſbyteri Epiſcopo deferendi munera conſuetudinem omitterent: anno DCCCXLV. Concilium Meldenſe preſbyteros hortari cœpit, ut cùm ſpontaneis eulogiis Epiſcopos adirent & eis exhiberent reverentiam. *Decet tamen presbyteros cum voluntariis eulogiis congruo tempore viſitare & venerari ſuos Epiſcopos.* Can. 45. Neque ſolâ hortatione contenti fuerunt: ſed eulogias demùm exigere & imperare cœperunt. Quod Leo P. P. IV. fieri prohibet ad Epiſcopos Britanniæ ſcribens. *De eulogiis*, inquit, *ad ſacra Concilia deferendis, nihil invenimus à majoribus terminatum, ſed ſicut unicuique presbytero placuerit.* Non propterea conſuetudo illa abolita eſt: immo uſu confirmata & facilè in legem traducta eſt, unde jus Synodi aſſertum Epiſcopis eſt: neque preſbyteri ampliùs refragari, ſed ultro perſolvere & pro munuſculis & eulogiis pretium aliquod, & pecuniam deinceps appendere ſingulis annis, vel ſi non haberetur Synodus. Ultra excurrere liceret ſi ratio hiſtoriæ pateretur. Poſt quam jus Synodi ita Epiſcopis acquiſitum eſt; preſbyteri & monachi, ut plus vel minus gratiâ & auctoritate apud Epiſcopos valebant; huic juri titulos & ſacerdotia ſubjiciebant, aut ab eo immunitatem conſequebantur; hocque, puto, non accidit ante decimum, vel undecimum ſæculum; id ut aſſeverem faciunt veteres illorum temporum chartæ, in quibus aut jus illud expreſſum eſt, aut immunitas ab illo jure primùm ſcripta reperitur, ut modo pluribus exemplis oſtendemus. His ita expoſitis de ratione, jure, & nomine circadæ breviter quoque diſſerendum eſt.

V. Ex quo parochiæ dilatatæ ſunt, & in agris inſtituti preſbyteri ad ruſticanos fide & moribus imbuendos: Epiſcopus inſpicere quæ domi & quæcumque foris agerentur, an omnes in unam fidem, unamque doctrinam convenirent? an quiſque in parochia Chriſtianos mores ſequeretur? an clerici rebus eccleſiaſticis pro munere vacarent? an fidei morumque documenta benè & ritè traderent? an populi dicto clericorum audientes eſſent? Cúmque in hanc operam maximè Epiſcopus incumberet; ille ſingulis annis circumeundæ parochiæ provinciam ſumere, & ſedulò inquirere quicquid ad fidem diſciplinamque retinendam magis conduceret, pagos propterea vicos, opidaque ſuæ civitatis obire, ut omnia ordinaret. Cùm tam utile opus ſæpiùs Epiſcopi omitterent, id ut fieret frequenter in Synodis cautum eſt. Quemadmodum in Concilio Arelatenſi ſub Carolo magno anno DCCCXIII. præceptum fuit. *Ut unuſquiſque Epiſcopus ſemel in anno circumeat parochiam ſuam.* Quod & in aliis Synodis ſtatutum eſſe legimus. Iis verò inquiſitionibus faciendis, ipſe Epiſcopus impenſas ex ſuæ eccleſiæ facultatibus ſuppeditabat, ſuiſque ſumptibus peragrabat parochiam: preſbyteri tamen & populi ſponte ſubminiſtrare Epiſcopis quæ ad victum neceſſaria erant, & id honori & pietati ducere. Poſtea Epiſcopi data opportunitate à plebe & preſbyteris in circuitione ſtipendia

exigere & ſumptibus immodicis illis oneri eſſe, quod vetat fieri Concilium Cabillonenſe anno DCCCXIII. Vult ut ſi proprii ſumptus deſint accipiant à preſbyteris, ſed moderatè meminerintque Apoſtoli, qui ne quem gravaret arte & manibus victum quærebat, hoc decrerum anno DCCCLV. Valentinum Concilium renovavit. *Vt ipſa viſitatio plebium & parochialium ſacerdotum, tam moderatè & in quantum fieri poteſt, juxta canonicam inſtitutionem fiat: ut manifeſtum ſit, ſive per nos, ſive per noſtros ſola ibi animarum lucra perquiri, nec aliquem importunitate & nimietate gravari & contriſtari ne verbum Domini & doctrina blaſphemetur.*

VI. Neque modo Epiſcopi à preſbyteris ſtipendia & pecunias exigere cœperunt, quando parochiam circumibant: verum etiam id velut debitum & jus aliquod repoſcere, etſi parochiam non ipſi peragrabant; quod ſub Caroli calvi principatu Tholoſæ anno DCCCXLIII. prohibitum eſt. *Quod ſi circumitionem in ſalutem & neceſſitatem populi quacumque de cauſa dimiſerint, à preſbyteris nec hanc diſpenſam, neque pretium illius exigant, neque aliis aut ſuis domeſticis aut amicis exigendam concedant.* Valentinum Concilium prohibet pariter quominus id fiat anno DCCCLV. *Vt de ſervitio presbyterorum erga Epiſcopos ſuos conſuetudo, ut nobis videtur, valde reprehenſibilis amputetur: ut ſcilicet quoties Epiſcopus ſtatuto tempore viſitationem & prædicationem per eoſdem ſacerdotes & populos non exercet, nequaquam ab eis pro ſolito ſervitio pecunias exigat.* &c. Senſim igitur mos ille prævalebat, ut preſbyteri aliquid pro viſitatione & circumitione darent, etſi Epiſcopus parochiam non inviſebat. Certè Hincmarus à preſbyteris extra circumitionem nihil expoſcebat: ſed in ipſa circumitione parochiæ cavebat inprimis ne oneri eſſet preſbyteris; quod & circumeuntibus eccleſias archidiaconis valde commendabat. *Nec diu*, inquit, *in manſionibus presbyterorum immoremini. Et ſi neceſſitas evenerit, ut in aliquo loco immorari debeatis, ſic diſponite victualia per circummanentes presbyteros, ut nemini graves ſitis, & non otioſi & infructuoſi ſtipendia eccleſiaſtica inſumatis. Sicut nec ego gravis ſum presbyteris per quos parochias circumeo.* Cùm hoc capitulum ſcriptum ſit anno DCCCLXXVII. ex eo perſpicuum eſt hoc jus circumitionis, ſeu circadæ nondum eo tempore vim & auctoritatem habuiſſe. Sed hinc quoque patet, jus illud ex conſuetudine & moribus aliquot eccleſiarum ortum eſſe, & eundo ſenſim vires acquiſiviſſe; verum ſtabiliri & confirmari non cœptum eſſe ante decimum ſæculum: cùm inclinante nono ſæculo Synodi condemnaverint quoſdam Epiſcopos qui jus illud circumitionis exegerant. Qui res Gallicas norunr, ſciunt decimo ſæculo Gallias diſcordiis & factionibus plurimùm laboraſſe; dùm hoſtis externus provincias vaſtaret, & optimatum quiſque diſcerperet regnum, civitateſque non ad Regis arbitrium, ſed pro libidine regeret, & hæredibus eas tanquam patrimonium aſſereret. Tùm facile fuir Epiſcopis quibus in Eccleſia pariter & in republica multum erat poteſtatis, jus Synodi, etſi non habebatur Synodus, & jus circumitionis, etſi non circumibatur parochia ſibi tribuere. Ea igitur ex conſuetudine, tamquam ex lege lata tamdem jus illud invaluit, neque quiſquam contra hiſcere auſus eſt. Tùm monachi & clerici, ſi quo novo titulo inſtruerentur ab iis juribus immunitatem poſcebant: aut ipſi Pontifices ne jus aboleretur in ipſis chartis id deſcribebant, ut poſtea exemplis allatis probabimus. Neque modo illa Synodi & circumitionis jura in uſu fuerunt: ſed hoc ipſo tempore novum circadæ vocabulum circumitioni & inquiſitioni Epiſcoporum tributum eſt.

VII. Circadæ nomen ſæculo nono uſurpatum eſſe invenio. Hincmarus in inſtitutione Regis ad Ludovicum balbum ſcribens hujus meminit; ipſum inprimis hortatur ne Eccleſias circadis & exactionibus premat; haſque circadas nonniſi ante viginti annos quàm hæc ſcribit impoſitas fuiſſe memorat. Sub principatu ſcilicer Caroli calvi. Reges ſæpiùs monaſteria & eccleſias obibant, & loca quædam ad diverſandum ſeligere ſolebanr, jubebantque eccleſias vicinas, ſumptus ſibi & comitatui ſuppeditare, tùm eaſdem eccleſias, ſibi ſolvere jus circuitionis ſeu circadarum, non ex lege aut ex legitima conſuetudine, quæ ſtatis

temporibus

temporibus pretium appendi juberet, ſed quoties opportunitas & occaſio ſe LIB IV. CAP. V.
ſe daret, etſi reipſa provincias non peragrabant; hanc exactionem circadam vulgò vocirabant: hocque jus nonniſi viginti annos antequàm ſcriberet exactum à Regibus Hincmarus aſſerit. *Vt Eccleſiæ*, inquit, *in iſto regno per occaſionabiles circadas, & per indebitas conſuetudinarias exactiones, quæ tempore Pipini, Caroli, Hludovici non fuerunt, ante viginti annos impoſitas non affligantur.* Verùm cùm Epiſcopi poſtea eamdem exactionem à presbyteris occaſione circumitionis expoſcerent, nomine circadæ quod in republica paucos ante annos uſitatum erat, eam appellaverunt, quod demùm in eccleſia uſitatiſſimum fuit. Eo modo jus circadæ in eccleſiam inductum eſt, & à presbyteris, vel ſi Epiſcopus circuitionem non faceret perſolutum, neque hanc exactionem niſi undecimo ſæculo omnino & ubique in Galliis receptam fuiſſe exiſtimo. Undecimo ſæculo in Pariſienſi Eccleſia in uſu fuiſſe chartæ veteres probant. Gaufredus Epiſcopus Pariſienſis, ut habet chartularium Longipontis huic monaſterio tradidit altare villæ, quæ Orceocus dicitur, *ſalvà tamen in omnibus eccleſiaſticæ ſubjectionis, nobis debità reverentià, Synodum vero, & circadam, nobis retinemus, ne res eccleſiaſtica omnino à manu noſtra removeri videatur.* Ea vero charta eſt anni MXCII. Eodemque anno idem Gaufredus eidem Longipontis monaſterio concedit altare, quod ſitum eſt in villa quæ dicitur Bondaflum, cum iis quæ ad altare pertinent. *Synodum vero & circadas cum debita ſubjectione & curam animarum, parochiam presbytero à nobis commiſſam, & eccleſiæ reconciliationem, imò debitæ ſubjectionis & juſtitiæ obedientiam in eo retinemus.* Eugenius III. P. P. anno MCXLVI. eximit eccleſiam S. Joannis quæ canonicorum eſt S. Genovefæ à circada & Synodo. *Qui tamen*, inquit Eugenius, *presbyter tibi non circatam, non Synodaticum ſolvet.* Hoc ex minori chartulario. Mauritius Epiſcopus Pariſienſis confirmat donationem ab Hugone Capetio factam monaſterio Foſſatenſi eccleſiamque de Varennis immunem & liberam reddit *à Synodo & circata* quæ confirmatio acta eſt anno MCLXIV. ut habet chartularium Foſſatenſe. Anno MCXCIV. Idem Mauritius Epiſcopus Pariſienſis, ut habet chartularium Dionyſianum, in Villa B. Dionyſii quæ dicitur nova, eccleſiam baptiſmalem inſtituit, ita tamen ut circatas & ſynodalia & parochialia debita, ſibi & ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis & archidiacono ſimiliter perſolvat; ſi omnia quæ inter manus ſunt; quæque ex variis locis ejuſmodi collegi aliquando, velim ſtylo perſequi, nauſeam lectori pariam, & librum in hiſtoria conficiam. Hæc modo ſufficiant, ut oſtendam his temporibus pro lege & jure habitum, ut presbyteri circadam & Synodum Epiſcopo quotannis perſolverent, niſi conceptis verbis Epiſcopus immunitatem ab iis conceſſiſſet; neque antè undecimum ſæculum aut pauló antè id in more poſitum & pro jure habitum ex his quæ ſuperiùs memoravi, manifeſtum eſt. Nemo haud dubiè ex ſeptimi ſæculi chartis probabit hoc, quod ex undecimi inſtrumentis oſtendimus. Unum ex illius ætatis chartis reperitur privilegium Landerici ubi circadæ & Synodi mentio eſt, quod quo in loco haberi debeat, quiſque ex his vocabulis æſtimet: cùm hoc tempore hujuſce juris, aut potiùs conſuetudinis nullam alibi mentionem reperias, & certum indubitatumque ſit fuiſſe poſterioris ætatis inſtitutum: neque ex ullo veteri inſtrumento nullaque charta probes ſeptimo ſæculo fuiſſe morem in Galliis, ut Epiſcopi à presbyteris pro jure Synodi & circadæ quicquam exigerent.

Alia quoque omnino diſſimilia ſunt, ſi excipias, quæ de oleo & chriſmate pro- VIII.
videntur. Privilegium Marculfi vult, ut Abbas cum monachis recipiat eccleſiaſticos gradus, cùm popoſcerit ab Epiſcopo, neque ob eam cauſam ullum præmium recipiat, ut Epiſcopus ad petitionem Abbatis benedicat altare, & ſine pretio ſingulis annis concedat chriſma. Ut poſſit monachorum congregatio Abbatem poſt mortem alterius ſibi ſubrogare, quem ſine præmio promoveat Epiſcopus, ut deinceps nullam habeat poteſtatem in monaſteriis, ſeu in perſonis, ſeu in villis & aliis facultatibus monaſterii, ut neque quicquam audeat auferre de his, quæ antè altare monaſterio quocumque modo oblata ſunt:

 ut ſi vel poſtulatus Epiſcopus ad monaſterium acceſſerit, celebrato & peracto divino myſterio, non ingrediatur ſepta aut ſecreta monaſterii, ſed domum redeat: ut ſi qui reperiantur in obſervatione legum tepidi & inertes ab Abbate corrigantur, aut ſi Abbas haud corrigendo idoneus ſit, contumacia eorum ab ipſo Epiſcopo coerceatur; *quia*, inquit Marculfus, *nihil de canonica auctoritate convellitur, quidquid domeſticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur.* Sed opportunè de origine privilegiorum paucis diſſeramus.

IX. Primis Eccleſiæ temporibus aſcetæ fuerunt, qui ſeveriorem vitæ diſciplinam aggreſſi, ſe à turba hominum & tumultu civitatum ſubducebant, ut ſoli Deo vacarent, illis hoc inprimis inſtitutum erat, ut cælibem vitam agerent, ut magiſtratus alioſque urbium & reipublicæ honores fugerent, & Chriſti causâ ſe ſuis exſpoliarent facultatibus, neque aliis vellent abundare divitiis, quàm ſpiritalibus, atque ita Chriſtianam quodammodò exercerent philoſophiam. Progreſſu temporis mutata illa vivendi ratio, nam ſeu æmulatione boni perficiendi, aut excolendæ virtutis, aliqui ad hæc vitæ ſanctioris inſtituta addidere aliam duriorem tolerandæ vitæ conſuetudinem; hujuſque inſtituti, opinor, S. Antonium ducem & auctorem fuiſſe, is non modò, ut conſuetum erat, ſe à cœtu hominum ſubtrahere cœpit, ſed in deſertas aviaſque ſolitudines ſe recipere, nihil de victu & aliis rebus cogitans, ſe ſpeluncâ includere & diu noctuque cogitare vias Domini, & in ejus juſtificationibus meditari; cœperunt Chriſtiani novum hoc vitæ genus admirari, potiùs quàm imitari, complures ad ſpeluncam accedere, & vitæ ſanctioris præcepta à ſancto Antonio edoceri, nonnulli perſeverantiùs ea audire, & omnibus viribus eniti, non ut ſeveritatem adæquarent, ſed longo ad eam accederent intervallo. Demùm ii evicerunt, ut Antonius è latebris excederet, & ſe iis auſpicem & ducem præfici pateretur ad vitam auſterius exercendam; hæc longiùs deſcribendi non eſt locus: ſed aliàs, ſi Deus adjuverit, hanc materiam datâ opportunitate ad longum retractabimus. Ex hoc ſancti Antonii inſtituto duo vitæ excolendæ genera extiterunt, alii enim ſeorſim à cœtu aliorum in ſolitudine & deſertis locis agere: alii vitam quidem ſeveriorem excolere, ſed cum aliis hominibus, qui eadem inſtituta profiterentur; hinc anachoretarum & cœnobitarum origo, qui paucis annis, Ægypti, Thebaidis, Orientis & Paleſtinæ regiones impleverunt. Cùm illi honores & voluptates fugerent, & ſe penitus durioribus vitæ Chriſtianæ inſtitutis exercerent, multùm in Eccleſia nominis & exiſtimationis conſequuti ſunt, quiſque eos colere, quiſque eos revereri cœpit, & illi numero & multitudine creſcere, ſed inprimis in Ægypto & Oriente, ubi primæ monachorum origines: ſed in Occidentem non tam citò ſe ſe monachorum diffudêre examina. Aiunt vulgò cum ſancto Athanaſio monachos veniſſe Romam, qui hanc vitæ diſciplinam tradidere. Non multò poſt viſi ſunt in Galliis ſub auſpiciis, ut puto ſancti Hilarii, qui hanc philoſophiam ex Oriente in Gallias advexerat; ejus documentis inſtitutus ſanctus poſteà Martinus numeroſum cœnobium Turonis Epiſcopus congregavit, cujus vivendi normam Sulpitius gravis auctor illorum temporum deſcribit. Alii deinde in aliis locis condidere monaſteria, Caſſianus apud Maſſiliam, & ſanctus Honoratus in inſula Lerinenſi, unde poſt modum magni antiſtites & viri ob doctrinam & ſanctimoniam vitæ celebrati prodierunt. Ita extructa ſubinde in Italia & Galliis monaſteria ſub variis auſpiciis; donec ſanctus Benedictus in monte Caſſino monaſterium condidit, & novam vitæ diſciplinam ſcriptis de ea re præceptis inſtituit: hic paulò poſt B. Maurum unum ex diſcipulis ad ordinandam ejuſmodi inſtitutionem in Gallias miſit. Is Glannafolienſe monaſterium primò fecit. Neque multò poſt ſanctus Columbanus ex celebri Bennachorenſi monaſterio in Gallias, ut aliàs memoratum eſt, venit, & Luxovienſe condidit monaſterium, ex quibus innumerabilia propemodùm exierunt monaſteria, quæ tanquam nova examina in omnes Galliæ provincias proruperunt: ſed ea præſertim, quæ ex S. Benedicti inſtitutione erant, quorum tanta fama fuit, & adeo celebre nomen, ut alia etiam alterius antiquioriſque diſciplinæ monaſteria, decretis Conciliorum & Regum

placitis ad eorum normam ſe componere imperata ſint, ut poſtea memorabimus. Verùm etſi ſub principatu anteriorum Regum baud pauca monaſteria condita ſunt, certum eſt tamen his in locis, nullam hac ætate feraciorem monaſteriorum fuiſſe. Florebat S. Benedicti regula: monachi pietate & duris pœnitentiæ legibus ſe ultrò exercebant: nihil magis cordi erat Regibus & Principibus, quàm extruere baſilicas, dotare monaſteria, & ſua prædia, ſuaſque vel amplas poſſeſſiones alimoniæ monachorum impendere; ea tunc temporis erat Chriſtianæ virtutis & monaſticæ inſtitutionis æſtimatio: monachi ſub poteſtate Epiſcoporum erant, & Synodi de eorum moribus, & de eorum diſciplina decernebant: decreta in Synodis noſtris de monachorum rebns ſcripta ſunt; in Synodo II. Turonica de Pictavenſi monaſterio actum eſt, & in Matiſconenſi de Luxovienſi; eaque erat Eccleſiæ conſuetudo, ut Epiſcoporum juriſdictioni, monachi ſicut clerici ſubjicerentur. Verùm tamen, cum quodlibet monaſterium tanquam aliqua familia ſub patris, aut ſub Abbatis arbitrio ſubjaceret, & Abbas ſub ordinatione alicujus regulæ, ſeu diſciplinæ illud regeret, neceſſe erat hanc œconomiam omnino ex Abbatis judicio pendere. Cúmque aliquando conflictus accideret inter œconomicam illam adminiſtrationem, & juriſdictionem epiſcopalem, placuit etiam Synodis quibuſdam legibus & regulis utramque poteſtatem temperare, & utramque ſic ordinare, ut Abbates & monachi non ſe ſubtraherent juriſdictioni Epiſcoporum, ſed Epiſcopi etiam monaſticam œconomiam non perturbarent. Id verò ita ordinatum eſt in Concilio Arelatenſi ſub Ravennio in controverſia, quæ accidit inter Theodorum Antipolitanum, & Fauſtum Abbatem Lirinenſem; controverſia in eum modum finita eſt, ut clerici non ab alio, quam ab Antipolitano Epiſcopo, vel cui injunxiſſet, ordinarentur: nec niſi ab ipſo cbriſma peteretur: ut non niſi ab eo neophyti confirmarentur: ut clerici extranei, ſeu peregrini non admitterentur ad communionem, aut ad miniſterium ſine illius præcepto: ut monaſterii laica multitudo ad curam Abbatis pertineret, neque Epiſcopus quemquam ex ea ad clericatum promoveret, niſi petente Abbate. *Hoc enim*, inquiunt patres, *& rationis & religionis plenum eſt, ut clerici ad ordinationem Epiſcopi, laica verò omnis monaſterii congregatio ad ſolam ac liberam Abbatis proprii, quem ſibi ipſa elegerit, ordinationem diſpoſitionemque pertineat: regulà, quæ à fundatore ipſius monaſterii dudum conſtituta eſt, in omnibus cuſtoditâ.* Epiſcopi igitur baud ægrè patiebantur quibuſdam privilegiis monacbos ad fovendam ſuæ familiæ diſciplinam perfrui, ita tamen, ut alieni ab eorum poteſtate non eſſent. Ita congregationi monachorum licebat ſuum cuique Abbatem conſtituere, æquum ſcilicet erat, ut eorum calculis præponeretur, cui oportebat eos obtemperare: ut Abbas ipſe de iis judicium ferret, quos clericos fieri oportebat: ut etiam monachi ſua poſſiderent prædia, quæ illis data fuiſſent in alimoniam monaſterii, & ea non ex arbitrio Epiſcopi penderent, etſi illi in bona ſuæ Eccleſiæ poteſtas erat; neque ipſe Epiſcopus poſſet immutare pro voluntate antiquam rei monaſticæ inſtitutionem. Ea quidem rationi congruebant, & his ultrò acquieſcebant: neque propterea monachi aut Abbates à poteſtate epiſcopali penitus diſcedebant; ab Epiſcopo loci, in quo erant, gradus eccleſiaſticos, non ab alio, recipiebant, neque chriſma, neque oleum ab alio: ad eum ſolum benedictio altarium & dedicatio baſilicarum pertinebat: illius erat Abbatem poſt electionem benedicere: ſi Abbatis oſcitantiâ monachi non bonis moribus eſſent, Epiſcopus uti ſuâ auctoritate poterat ad comprimendam eorum audaciam, & illi integrum erat pro arbitrio celebrare myſteria in baſilicis monachorum, tanquam in aliis ſuæ Eccleſiæ locis. Non invidioſa erant illa privilegia, ubi temperata, non abolita primaria Pontificum poteſtas erat, & juxta illam formam antiquiſſima monaſteriorum privilegia fuerant. Sæpè Pontifices illis ultrò ea concedebant, & Reges ea in eum modum conſcripta ſuâ fulciebant auctoritate, & regiis præceptionibus ea ſolebanr confirmare; hæc voluimus ſcripta ſemel eſſe de privilegiis, ut eorum originem primaque initia, qualia fuerunt, breviter exponeremus.

Lib. IV. Cap. V. X.

Ut verò revertamur ad privilegium Dionyſianum, non ſolùm illa circadarum mentio, quarum nondum in uſu ratio nec nomen erat, fecit ut mihi ſuſpectum videretur: ſed & poteſtas decernendi de homicidiis, cædibus & aliis facinoribus nondum Abbatibus concedebatur, & de ea re aliàs & ſuo loco dicemus, neque ea, quæ ſuperiùs Marculfianâ formulâ, neque quæ Lirinenſi continentur privilegio, hujus auctoritatis meminerunt. Et certè etſi hæc ad regiam maximè poteſtatem pertinent, in præceptione Chlodovei, quæ Landerici confirmat privilegium, nulla eorum memoria eſt, ſed poſſeſſionum monaſterii tantummodò, aut ſuppellectilis eccleſiaſticæ, quæ omnia Epiſcopis diſtrahere, aut vendere, aut quomodocunque commutare vetitum eſt. Accedit huc, quod Mabillonius hoc ipſum Landerici privilegium in re diplomatica non exſcripſit, qui diligenter curavit, ut præceptio Regis Chlodovei non modò ex autographo typis excuderetur, ſed etiam iiſdem formis & characteribus, quibus deſcripta eſt in autographo, tanquam ſollemne monaſterii Dionyſiani monumentum ære inſcriberetur, quæ certa ſigna ſunt ab ipſomet non admitti hoc quod vulgò legitur Landericianum privilegium, quamvis exiſtimet aliquod à Landerico ſcriptum eſſe. Neque alienus ſum à ſententia Launoii, qui in eo privilegio falſi accerſit hanc locutionem. *Francorum Rex popoſcit, ut & nos & canonicorum noſtrorum communis fraternitas ſecuritatis & incommutabilitatis privilegium ederemus.* Quaſi eo tempore ita comparatum erat, ut canonicorum & eorum fraternitatis ſermo haberetur. Infra oſtendemus, quo tempore capitula ſeu collegia canonicorum cœperint. Hæc ad ſuppoſitionem illius privilegii approbandam ſufficiunt. Addunt & in ſubſcriptione fieri mentionem Epiſcoporum, qui neque in tabulariis Eccleſiarum, neque in Epiſcoporum indicibus inveniuntur. Ut ut ea ſunt, extat præceptio Regis Chlodovei, qua Landerici privilegium confirmatur, hanc Dublerus primùm edidit, tùm Sirmondus, ac demùm Mabillonius, & ære inciſam eſſe curavit, quam, ut excuſa eſt, referemus ex Mabillonii libro de re diplomatica, & ſimul è regione eamdem exſcribimus ex Sirmondi editione, ut utramque quiſque valeat ſimul componere.

Mabillonii editio

Ex autographo corticeo.

Chlodovei junioris diploma, quo monaſterii S. Dionyſii libertatem confirmat.

CHlodovius Rex Franc. . . . . v. inl. Oportit climenciæ princepali inter ceteras peticiones illud quae pro ſalute adſcribetur, vel pro timore divini nomenis poſtolatur, placabeli audito ſuſcipere, & ad effectum perducere, ut fiat in mercide conjunccio, dum pro quiete ſervorum Dei vel congruencia locis venerabilebus impertitur peticio. Igetur dum & omnipotens pater, qui dixit de tenebris lumen ſplendiſcere, per incarnacionis miſtirium unigeniti filii ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel inluſtrationem ſpiritus-ſancti inluxit in corda ſanctorum, pro cujus amore & deſiderio inter citeros glorioſos triumphos marterum beatus Dioniſius Leutherius, & Ruſtecus meruerunt palmam victuriae, & corouam percipere glorioſam, ubi per multa tempora eorum baſileca, in

Sirmondi editio

Præceptum Clodovei II. Regis de libertate monaſterii ſancti Dionyſii.

CHludovius rex Francorum vir illuſter. Oportet clementia principali inter ceteras petitiones illud quod pro ſalute adſcribitur, & pro tenore divini nominis poſtulatur, placabili auditu ſuſcipere, & ad effectum perducere, ut fiat in mercede convictio, dum pro quiete ſervorum Dei, vel congruentia, locis venerabilibus impertitur petitio. Igitur dum & omnipotens pater, qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, per incarnationis myſterium unigeniti filii ſui domini noſtri Ieſu Chriſti, vel illuſtrationem ſpiritus ſancti, illuxit in corda ſanctorum Chriſtianorum, pro cujus amore & deſiderio inser ceteros glorioſos triumphos martyrum, beatus Dionyſius, Ruſticus & Eleutherius meruerunt palmam victoriæ, & coronam percipere glorioſam: ubi per multa tempora in eorum baſilica, in

Mabillonii editio

qua requieſcere videntur, non minema miracola Chriſtus per ipſos videtur operare, in quo eciam loco genetores noſtri Domnus Dagoberthus & Domna Nanthechildis videntur requieſcere, ut per interceſſionem ſanctorum illorum in caeleſti regno cum omnibus ſanctis mereant particepari, & vitam æternam percipere. Et quia ab ipſis principebus, vel à titeris priſcis regebus vel aeciam à Deo timentebus Chriſtianis hominebus ipſe ſanctus locus in rebus propter amorem Dei & vita aeterna videtur eſſe ditatus, & noſtra integra devocio & peticio fuit, ut apoſtolicus vir Landericus Pariſiaci aecleſiæ Epiſcopus privilegio ad ipſum ſanctum locum Abbati, vel fratribus ibidem conſiſtentebus facere vel confirmare pro quiite futura deberit, quo facilius congregationi ipſi licerit pro ſtabilitate regni noſtri ad limena Marterum ipſorum jugeter exorare; hoc ipſe Pontefex cum ſuis quoepiſcopis juxta peticionem devocionis noſtræ pleniſſemam voluntatem præſtitiſſe vel confirmaſſe dignuſcetur. Nos ergo per hanc ſeriem autoretatis noſtræ, juxta quod per ſupradictum privilegium à pontefecebus factum & preſtetum eſt, pro reverencia ipſorum marterum, vel noſtra confirmanda mercide, per hanc autoretatem jobemus, ut ſi qua ad ipſum locum ſanctum in villabus, mancipiis, vel quibuſcunque rebus adque corporebus, à priſcis principebus ſeo genetorebus noſtris, vel à Deum timentebus hominebus propter amorem Dei ibidem delegatum, aut deinceps fuerit addetum, dum ex munificentia parentum noſtrorum (ut dixemus) ipſe ſanctus locus videtur eſſe ditatus, nullus Epiſcoporum, nec praeſentes, nequi futuri fuerint ſucceſſores, aut eorum ordenatores, vel qualibet perſona, poſſit quoquo ordene de loco ipſo alequid auferre, aut alequa poteſtate ſibi in ipſo monaſth.... vel alequid quaſe per commutacionis titolum, abſque volontate ipſius congregacionis vel noſtrum permiſſum minoere, aut calices vel croces, ſeo indumenta altaris vel ſacros codeces, argentum aurumve, vel qualemcumque ſpeciem de quod ibidem conlatum fuit aut exit, auferre aut menoare, vel ad civetate deferre non debeat nec praeſumat: ſed liciat ipſi ſanctæ congreg.... per rectam delegationem conlatum eſt, perpetem poſſedere, & pro ſtabi-

Sirmondi editio

qua requieſcere videntur, non minima miracula Chriſtus videtur per ipſos operari. In quo etiam loco genitores noſtri domnus Dagobertus & domna Nantildis videntur requieſcere, ut per interceſſionem ſanctorum illorum in cæleſti regno cum omnibus mereantur participari, & vitam æternam percipere. Et quia ab ipſis principibus, à ceteris priſcis regibus, vel à Deum timentibus Chriſtianis hominibus ipſe ſanctus locus in rebus propter amorem Dei, & adipiſcendam vitam æternam, cernitur eſſe ditatus; noſtra integra devotio & petitio fuit, ut apoſtolicus vir Landericus Pariſiacæ urbis Epiſcopus privilegium ad ipſum ſanctum locum Abbati, vel fratribus ibidem conſiſtentibus facere & confirmare pro quiete futura deberet, quo faciliùs ipſi congregationi liceret pro ſtabilitate regni noſtri ad limina Martyrum ipſorum jugiter exorare. Hoc ipſe Pontifex cum ſuis coepiſcopis juxta devotionis noſtræ petitionem pleniſſima voluntate præſtitiſſe vel confirmaſſe dignoſcitur. Nos igitur per hanc ſeriem auctoritatis noſtræ juxta quod ſupra dictum privilegium à Pontificibus factum vel præſtitum eſt, pro reverentia ipſorum martyrum, vel noſtra confirmanda mercede, per hanc auctoritatem jubemus, ut ſi quid ad ipſum ſanctum locum in villabus, mancipiis, vel quibuſcumque rebus atque corporibus, à priſcis principibus ſeu genitoribus noſtris, vel Deum timentibus hominibus propter amorem Dei ibidem delegatum, aut deinceps fuerit additum, dum ex munificentia parentum noſtrorum, ut diximus, ipſe ſanctus locus videtur eſſe ditatus, nullus Epiſcoporum, neque præſentes, nec qui futuri erunt ſucceſſores, aut eorum ordinatores, vel qualibet perſona, poſſit quoquo ordine de ipſo loco aliquid auferre, aut aliquam poteſtatem ſibi in ipſo monaſterio uſurpare, vel aliquid quaſi per commutationis titulum abſque voluntate ipſius congregationis, vel noſtro permiſſu minuere; aut calices, vel cruces, ſeu indumenta altarium, vel ſacros codices, argentum, aurum, vel qualemcunque ſpeciem, quidquid ibidem collatum fuit, aut erit, auferre aut minuere, vel ad civitatem deferre præſumat: ſed liceat ipſi ſanctæ congregationi, quod eis per rectam delegationem collatum eſt, perpetim poſſidere, quatenus eandem pro ani-

Mabillonii editio

letate regni noſtri jugeter exorare, quia nos pro Dei amore vel pro reverencia ipſorum ſanctorum marterum, & adhepiſcenda vita aeterna hunc beneficium ad locum ipſum ſanctum cum conſilio pontefecum & inluſtrium virorum noſtrorum procerum gratiſſemo anemo & integra voluntate viſe fuemus præſtetiſſe, eo ſcilecit ordene, ut ſicut tempore domni genetoris noſtri ibidem pſallencius per turmas fuit inſtitetus, vel ſicut ad Monaſthirium ſancti Manricii Agaunis die noctoque tenetur, ita in loco ipſo celebretur. Quam virò autoretate decrivemus Chriſtum in omnebus nobis ſubfragantem, ut firmior habeatur, & per tempora conſervitur, ſubſcripcionebus manus noſtrae infra roborare.

Chlodovius Rex ſubſcripſi Beroaldus obtul.
Aunemandus peccator conſentiens ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Chaoaldus conſenciens ſubſcripſi.
Rauracus peccator conſenciens ſubſcripſi.
Laudomerus conſenciens ſubſcripſi.
Aectherius peccator conſenciens ſubſcripſi.
† In Chriſti nomine Eligius Epiſcopus ſubſcripſi.
Ricoaldus peccator conſenciens ſubſcripſi.
Ricoberctlhus peccator Epiſcopus ſubſcripſi.
† In Chriſti nomine Landericus ac ſi peccator epiſcopus ſubſcripſi.
Vulfoleudus peccator ſubſcripſi.
Palladius peccator conſenciens ſubſcriſi.
Clarus in Dei nomine Epiſcopus conſinſi & ſubſcripſi..... encta.... peccator conſenciens ſubſcripſi.....

...acor peccator conſenciens ſubſcripſi.
Amalberctlhus conſinſi & ſubſcripſi.

Vvandalmarus conſinſi & ſubſcripſi.

Athildus conſinſi & ſubſcripſi.
Sighighelmus conſinſi & ſubſcripſi.
Chadbedo conſinſi & ſubſcripſi.
Vvarnacharius conſinſi & ſubſcripſi.
Vulderadus conſinſi & ſubſcripſi.
Ganctulfus conſinſi & ſubſcripſi.
Bobo conſinſi & ſubſcripſi.
Deſideratus conſinſi & ſubſcripſi.

Sirmondi editio

mabus parentum noſtrarum, & pro ſtabilitate regni noſtri dominum attentiùs delectet, jugiter exorare. Nos enim pro Dei amore, vel reverentia ipſorum ſanctorum Martyrum & adipiſcenda vita æterna, hoc beneficium ad ipſum ſanctum locum, cum conſilio Pontificum & illuſtrium virorum noſtrorum ac procerum gratiſſimo animo & integra voluntate viſi ſumus præſtitiſſe. Eo videlicet ordine, ut ſicut tempore Domni & genitoris noſtri ibidem chorus pſallentium per turmas fuit inſtitutus, vel ſicut ad Monaſterium ſancti Mauricii Agaunis, & ſancti Martini Turonis die noctuque tenetur, ita in loco ipſo per omnia futura tempora celebretur. Quam auctoritatem decrevimus Chriſto in omnibus nobis ſuffragante, ut firmior habeatur, & per omnia tempora conſervetur, ſubſcriptionibus manûs noſtræ infra roborari.

Chludovius Rex ſignavi.
Ego Geroaldus obtuli & ſignavi.
Munemundus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Choaldus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Rauracus Epiſcopus conſentiens ſignavi.
Audemarus Epiſcopus conſenſient ſubſcripſi.
Ætherius Epiſcopus conſenſiens ſubſcripſi.
Eligius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Richoaldus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Rigobertus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Landericus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Droglendus Epiſcopus conſenſiens ſubſcripſi.
Palladius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Clarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Armentarius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Malehardus Epiſcopus conſenſi.
Rado Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Amalbertus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Vvaldelmarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Sichelmus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Chiloaldus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Sanderadus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Tanculfus Epiſcopus conſontiens ſubſcripſi.
Guinemarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Bobo Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Deſideratus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Ex Mabillonii editione.	Ex Sirmondi editione.
	Hathodo Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Gautiobertus Diaconus hunc privilegium ſubſcripſi.	*Gautiobertus diaconus hoc privilegium conſenſit & ſubſcripſit.*
† *In Chriſti nomine Gaerechramnus. Diaconus ſubſcripſi.*	*Gerecrannus diaconus ſubſcripſit.*
Bodolevus ſubſcripſi.	*Bodolenus ſubſcripſit.*
Ebroinus ſubſcripſi.	*Ebroinus ſubſcripſit.*
Ragenobertus ſubſcripſi.	*Raimbertus ſubſcripſit.*
Arneberthus ſubſcripſi. Signum † vir inluſt.	*Arnebertus ſubſcripſit.*
Radoberto Maj. dom. Aegynarus ſubſcripſi. Signum † vir inluſt.	*Radobertus major-domus ſubſcripſit.*
Merulfo. Signum † vir inluſt.	*Merulfus ſignavit.*
Bertecari.... Signum † vir inluſt.	*Bertolando ſignavit.*
Aigulfo. Com. palat. Signum †	*Aigulfus Comes palatii ſubſcripſit.*
Chradobertus ſubſcripſi.	
Ochelpincus ſubſcripſit. Signum † vir inluſt.	*Tilpingus Comes ſubſcripſit.*
Auſtroberto. Signum † Gaerinus juſſus ſubſcripſi.	*Auſtrebertus ſubſcripſit.*
Ebrulfus ſubſcripſi.	*Terlinus juſſus ſignavit.*
Incrinus ſubſcripſi. Signum † vir inluſt.	*Incrinus ſubſcripſit.*
Probato. Signum † Gundoberto. Signum † vir inluſt.	*Probatus ſignavit.*
	Gaulfridus ſubſcripſit.
	Gundebodo ſignavit.
Ermenrico Dom. Signum † vir inluſt.	*Hermenericus ſignavit.*
Madalfrido.	*Gadefredus ſubſcripſit.*
Chaldo † ſubſcripſi.	*Chaldo ſubſcripſit.*
Rado ſubſcripſi.	
Auderdus vir inluſt. atque Patricius ſubſcripſi.	
Datum ſub dii x. *Kal. Iulias an.* xvi. *regni noſtri Clipiaco in Dei nomine fel.*	*Data ſub die* x. *Kalendas Iulii anno* xvi. *regni noſtri, Clipiaco, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Monachus Dionyſianus ſcribit anno xvi. Chlodoveum Regem in villa Clippiaco conventum publicum habuiſſe, in quo ait adfuiſſe tùm Pontifices tùm regni primores, & Regem regio ſtemmate *ex more comptum*, qui inter alia negotia, de quibus actum eſt, etiam hanc præceptionem conventui obtulit, ut omnium ſubſcriprione firmaretur. *Itaque*, inquit ille auctor, *dùm Regem omnes regni Principes hæc concionantem, attonitis auribus intenderent, Pontifices, qui aderant, optimam devotionem Regis approbantes, præceptum ab ipſo Rege modo ſupraſcripto factum, tam Rex quam Pontifices & Principes, qui præſentes aderant firmaverunt, inter quos nonnulli Pontifices extiterunt, quos hodie ſancta Eccleſia ſanctiſſimos eſſe non dubitat, eo quod ad eorum venerabilia ſepulcra virtutes non modicas uſque in præſens Dominus operetur, ſcilicet beatus Audoënus & ſanctus Rado frater ipſius, nec non beatus Palladius, & ſanctus Clarus, atque domnus Eligius, vel ſanctus Sulpitius, beatus quoque Aubertus, & domnus Caſtadius, ſanctuſque Etherius aliique quamplures, & venerabilis Landericus Pariſiorum Epiſcopus, qui prædictum privilegium ſuâ ſponte conſenſit & confirmavit.* Valeſius hunc Clippiacenſem conventum non admittit, neque regiam præceptionem, quam tamen Cointius haud rejicit, quia conſonam videt eſſe formulæ, quæ apud Marculfum legitur, certè non diſſona eſt à ratione illorum temporum, neque quæ in ea continentur, aliena ſunt ab inſtitutis illius ætatis, ut ex iis, quæ modò memorata ſunt de privilegiis monachorum approbatur. In partitione bonorum monaſterii S. Dionyſii facta XI.

Digitized by Google

ab Hilduino Abbate, cujus antographum vel mutilatum exſcripſit Mabillonius libro 6. de re diplomatica, fit mentio privilegii ſancti Landerici & chartæ Chlodovei, quâ privilegio monaſterium Dionyſianum donatur. Huc accedit, quod ipſum autographum edidit Mabillonius, ut dictum eſt, quæ omnia magnam vim, & magnam auctoritatem regio præcepto tribuunt, ſed tamen mihi ſcrupulum ingerunt orationis & ſcriptionis crebra vitia, quæ quamdam affectati vitii ſuſpicionem creant, & ſi enim & apud Marculfum ſunt & mendæ & vitia locutionum, non tamen ita crebra, ut in eo autographo ſunt, & Conſtitutiones Childeberti, Chlotarii majoris, Guncthramni, & Chlotarii junioris latinitate & ſcriptione ab hac præceptione longè diſtant, neque mendis erratiſque ita ſcatent, neque me afficit quod id cortice deſcriptum ſit. Nam & Dubletus protulit quædam diplomata ſub nomine Dagoberti, quæ ex corticeis ſe exſcripſiſſe autographis profitetur, quæ tamen non ante ſæculum decimum vel undecimum ſcripta eſſe conſtat, ut ſuperiùs relatum eſt. Jam verò quanta variatio in ſubſcriptionibus, Monachus Dionyſianus Audoënum & Radonem nominat, Palladium, Clarum, Eligium, Sulpitium, Aubertum, Caſtadium, Ætherium, & Landericum Epiſcopos. Aimoinus pauciores recenſet, omittit enim Palladium, Clarum, Aubertum, Caſtadium & Landericum. Dubletus quoque de ſubſcriptionibus cum Sirmondo non convenit, neque Mabillonius cum utroque, ut ex editionibus cernere licet. Certè editio Mabillonii emendatior eſt, neque ii vocantur Epiſcopi qui nuſquam fuerunt, neque ii ſubſcripſerunt, qui eo tempore jam vitâ defuncti fuerant; ſunt tamen in ſubſcriptionibus, quas Mabillonius edidit, quidam Epiſcopi, quorum ſedes neſciuntur. Neque Radoberto, qui huic præcepto ſubſcripſit, ut Major-domus regiæ inter Præfectos palatii locum habet, & tunc Erchinoaldus hoc munus gerebat. Cointius addit præceptis regiis neminem ſolitum ſubſcribere præter Regem & ejus referendarium, ut ex Marculfi formula liquet. *Quod præceptum decreti noſtri, Chriſto in omnibus ſuffragante, ut firmior habeatur, & perenniter confirmetur, ſubſcriptione manûs noſtræ infra ſtuduimus confirmari.* Sunt & alia quædam, quæ annotare poſſem, quæ prætermitto, ne velle lædere præceptum potiùs videar, quàm æſtimare.

XII. Poſtquam Chlodoveus baſilicam S. Dionyſii hac immunitate donavit, aiunt tres auctores, & qui geſta Francorum ſcripſit, & qui geſta Dagoberti Regis memoriæ tradidit, & qui Fredegarium aliquot capitibus auxit, Regem mente & ratione excidiſſe, ob eam quam expono cauſam. Memorant illi Chlodoveum ad baſilicam ſancti Dionyſii ad precandum veniſſe, cúmque ex reliquiis ſancti Dionyſii partem aliquam habere vellet, aperiri ſepulcrum juſſiſſe, túmque habuiſſe corpus ſancti martyris haud reverenter, & fregiſſe os brachii, quo facto conterritum in amentiam cecidiſſe, & omnes, qui aſtabant, tantâ formidine perculſos, ut quiſque fugâ ſibi conſuleret. Chlodoveum verò villas ſancto obtuliſſe loco, ut ſanitatem reciperet, quæ tamen non illi uſquequaque reſtituta eſt, ſed tantummodò ex aliqua parte, & poſt duos annos vitam cum regno reliquiſſe, relictis tribus ex Bathilde Regina filiis, Chlotario, Childerico, & Theodorico. Hanc fabulam ſcriptores ex geſtis Francorum hauſerunt, qui quis ſit homo ex pluribus aliis ejuſmodi commentis clarè oſtendit. Quis enim non potiùs commendet, quàm damnet Regem, qui pietatis ergo portionem reliquiarum ſancti martyris ſecum portare inſtituit, quæ Eccleſiæ Chriſtianæ antiqua eſt religio. Neque verum eſt Regem propterea captum mente, qui pauló poſt bellè & fortiter rem geſſit, mortuo in Auſtria Sigiberto ejus fratre.

De geſtis Francorum & Monachus Sandionyſianus.

CAPUT

CAPUT VI.

De Chrodoberto Pariſienſi Epiſcopo. De morte Sigiberti Regis. De Chlodoveo Rege & ejus morte. De monaſterio Calenſi & de ſancta Bathilde Regina. De ſancta Bertila Calenſis monaſterii prima Abbatiſſa. De morte ſancti Eligii & ſanctæ Aureæ.

LANDERICUS Epiſcopus Pariſienſis paulò poſt datum Dionyſiano monaſterio privilegium moritur, quot annos geſſerit pontificatum, & quo præcisè anno obierit dictu haud facile eſt, neque enim vetera monumenta id tradunt, neque id ex aliqua alia nota ſciri poteſt. Chrodobertus poſteà Pariſienſem epiſcopatum adeptus eſt, virtute & meritis ad hunc honoris gradum adſcendiſſe probant amicitiæ, quibus conjunctus erat cum Regina Bathilde, & cum S. Audoëno: & is poſt mortem Chlodovei Regis Reginæ Bathildi, quæ Chlotarii filii tutelam habebat à conſiliis fuit, quod auctor vitæ ſanctæ Bathildis commemorat. *Deo jubente*, inquit, *Rex Chlodoveus vir egregius migravit à corpore, relicta ſobole filiorum cum matre, ſuſcepit illico poſt eum filius ejus Chlotarius quondam Francorum regnum. Tunc etenim præcellentibus Principibus Chrodoberto Epiſcopo Pariſiaco & domno Audoëno, ſeu & Ebroino Majore-domus cum reliquis ſenioribus, vel ceteris quampluribus, & regno quidem Francorum in pace conſiſtenti.* Vulgò exiſtimant ad hunc Chrodobertum ſeu Rodobertum miſſam à ſancto Audoëno vitam ſancti Eligii, ut eam emendaret. Extat Audoëni epiſtola cum reſponſione Rodoberti primùm à Surio, deinde à Dacherio edita ad finem vitæ S. Eligii. I.

EPISTOLA AUDOENI AD RODOBERTUM.

DOmino ſancto, & à nobis in caritatis vinculo jugiter amplectendo, Rodoberto Papæ, Dado ſalutem. Vitam beati Eligii, quam nuper, frater cariſſime, deſcripſimus, per præſentem latorem ſtrenuitati, argutiæque veſtræ concertandam direximus. Quæſumus ergo ut ſepoſitis paululùm curis exterioribus, ſtudium illic adhibeas quantociùs, etſi quid fortè aut meâ, aut notariorum incuriâ in verbis, vel ſyllabis incompoſitum, aut minùs aptum deprehenderis, juxtà prudentiam tibi collatam ſtudioſè emendes, nobiſque demùm emendata reſtaures. Vale in Domino, & noli, frater, differre quod quæſo.

EPISTOLA RODOBERTI AD EUMDEM AUDOENUM.

DOmino verè ſancto, culmine Apoſtolico ſublimato, mihique modis omnibus venerabiliter præferendo domino & patri Dadoni Papæ, Rodobertus peccator. Decreveram quidem gratificæ juſſioni veſtræ, venerabilis pater, obtemperare niſi imperitiæ meæ, prudentia veſtra in dictandi ſtudio tantopere obviaſſet, totum itaque volumen, quo vita ſancti continetur Eligii à ſummis ad ima uſque ſolerti, ut juſſeras, curâ quidem percurrens, nihil omnino quod adjicere, emendareque deberem uſquam potui reperire, ſed magis potiùs quod admirarer, venerarer, præferrem & prædicarem. Et, ut verè fatear, pinxiſſe mihi illic videris ſanctitatis tuæ, immòque beatiſſimi

 antiſtitis Eligii, integerrimam formam, ita ut nihil prorſus defuerit ex cunctis ſancti virtutibus, quod non potentatu verborum per ſingula inveſtigaveris, ventilaveris, celſoque in ſublime faro ſuſtuleris. Vnde equidem animo jam meo ex ejus ubertate refoto, exemplaria etiam integerrimi voluminis fratribus mihique confecto, totumque demùm volumen illibatum ſanctitati veſtræ remiſſum, orationum veſtrarum ſupplex ſuffragium domne ſemper Dado.

II. Multi, puto, decepti ſimilitudine nominis in ea fuerunt opinione Rodobertum hunc, qui ad ſanctum Audoënum ſcripſit, Chrodobertum Pariſienſem Epiſcopum fuiſſe, quoniam erant inter ſe amicitiæ vinculo colligati; fateor, & ego in eam facile irem ſententiam, niſi me ratio temporum prohiberet, quominus id cum aliis pænè omnibus cogitarem. Quæ vero me prohibeant, paucis aperio. Scripta eſt vita ſancti Eligii ab Audoëno, poſtquàm ſancta Bathildis, abdicatâ rerum adminiſtratione, in Calenſe monaſterium ſe recepit, immo poſt mortem Chlotarii, cùm ejus fratres Childericus & Theodoricus regnarent; eo vero tempore Chrodobertus jam mortem oppetierat Sigoberrandus ejus ſucceſſor, cujus memoria eſt in tabularis Eccleſiæ Pariſienſis, ante ſeceſſum B. Bathildis occiſus eſt, cui ſucceſſerunt, ut habent antiqui indices Importunus & Agilbertus, nondum è vivis erepto Chlotario tertio. Quod vero ſanctus Audoënus poſt Chlotarii mortem vitam Eligii ſcripſit, ex illa viſione celebri, quam habuit Eligius, & quam auctor memorat facile probatu eſt. Eligius ſcilicet uti ſibi ſub ſymbolica imagine oſtenſum fuerat, prædixerat Chlodoveum brevi moriturum, relictamque Bathildem aliquamdiu cum tribus filiis regnaturam: ſed poſteà à regni adminiſtratione abdicandam, ejuſque filium majorem Chlotarium obiturum, ac deinde ejus fratres regnaturos, ſed Theodoricum potentiâ & magnitudine aliis fore ſuperiorem. Adjicit Audoënus eo tempore, quo ſcriberet, jam ex parte vaticinium eveniſſe. *Nam ſecundum ejus ſententiam,* inquit, *& Rex Chlodoveus infra paucum tempus, hoc eſt anticipans triginta dies in pace obiit, ejuſque domum relicta Regina cum parvulis paucis annis regnum obtinens, poſt modum jure regio exempta filios in principatum reliquit, ac non poſt multos annos major natu ex ipſis, qui potiſſimum jus tenere videbatur, dum quietè tranquillèque regnaret, diem obiens, duos fratres ſuperſtites reliquit. De viſis quid agatur ſolius Dei judicio definiri convenit.* Ex his ſole clarius eſt ſanctum Audoënum vitam ſancti Eligii ſcripſiſſe poſt mortem Chlotarii tertii, cùm ejus fratres Childericus & Theodoricus regnarent. Quod verò Sigoberrandus, Importunus & Agilbertus ſucceſſores fuerint Chrodoberti, & ante ſeceſſionem Bathildis, duo primi Pontifices Pariſienſes vita defuncti ſint, & tertius Agilbertus jam ante Chlotarii mortem cœperit Epiſcopatum Pariſienſem gerere, infra oſtendemus, cùm de eo fiet mentio. Ex his omnibus conſtat ab Audoëno non miſſam beati Eligii vitam Chrodoberto, qui priùs è vita deceſſit, quàm Audoënus acta illius beati Epiſcopi ſcriptis mandaviſſet, atque hunc Rodobertum, ad quem ſanctus Audoënus ſcribit, alium fuiſſe à Pariſienſi Epiſcopo. Cointius hunc Chrobertum Turonenſem Epiſcopum eſſe exiſtimat, qui Robertus & Rodobertus appellatur, non modo nomen convenit, ſed & ratio temporis.

III. Quo tempore in Neuſtria regnabat Chlodoveus, Sigibertus ejus frater Auſtriæ regnum gubernabat, ille verò obiit anno Chriſti DCLIV. Calendis Februarii, & ſepultus eſt Mettis, quæ urbs erat Auſtriæ caput in baſilica ſancti Martini, quam magnificè extruxerat; unum & viginti annos regnavit. Poſt Sigiberti mortem Grimoaldus ſumptâ ex auctoritate audaciâ, ut pote qui Major erat domus, Dagobertum hæredem regni ſpoliare ſceptro aggreſſus eſt. Eum primùm ad clericatum per tonſuram Dido Pictavenſis conſilius Grimoaldi allegit, ut illi ſpem potiundi regni auferret; deinde ne ejus præſentia ſubditos ad vindictam excitaret, in Scotiam ſeu Hiberniam miſit, adjunxitque ſocium Didonem Epiſcopum, qui puerum in externo ſolo relinqueret, ablatâ ſpe omni reditus. Grimoaldus prætereà filium Childebertum regno præficit. Auſtraſii indignè id tulerunt, ægrè patiebantur Dagobertum per proditionem Præfecti domus pulſum regno, & nefarium juvenem ſibi imperare. Arma capiunt in

ultionem perfidiæ, Grimoaldumque apprehendunt, & captum ad Chlodoveum Regem Pariſios adducunt, rogantque, ut meritas de profligatiſſimo tyranno pœnas exigat. Rex eum compactum carcere multis affecit ſuppliciis, & vi tormentorum perfidum hominem necavit: Childebertum pariter cruciatum interiiſſe credibile eſt. Sigibertus Gemblacenſis qui ſcripſit vitam Sigiberti Regis, memorat Childebertum filium Grimoaldi à Sigiberto primùm adoptatum, & inſtitutum hæredem regni, ſi abſque hærede ipſum mori contingeret: ſed illi poſteà natum Dagobertum, quem Grimoaldus per Didonem clericum factum poſt mortem patris in Hiberniam relegavit, ut extorris & egenus moreretur. Verùm de illa adoptione apud veteres nulla mentio, neque ea Regum gum Francorum erat conſuetudo, ut in ſolatium orbitatis ſibi ex ſubditorum familia quemquam adſciſcerent. Quidquid ſit Chlodoveus vacuum Auſtriæ regnum occupavit, & tria ſimul regna Neuſtriæ, Auſtriæ & Burgundiæ adminiſtrare cœpit, & ſecundo poſt receptum Auſtriæ regnum anno Chlodoveus Rex obiit, cum regnum annos XVIII. adminiſtraſſet, ex Bathilde, tres ſuſcepit filios, Chlotarium, Childericum & Theodoricum. Ejus mortem ſanctus Eligius prædixerat, uti narrat ſanctus Audoënus. *Aſpiciebam*, inquit, *in viſione nocturna ceu ſolem circa tertiam diei horam properantem claréque prælucentem, ſubitò nuſquam comparuiſſe, cúmque adhuc informe prodigium ſolerter intenderem, conſpexi illico, & ecce quaſi media oborta luna tres circumquaque vallata ſtellas eò teneri tramite viſebatur, quò ſol recurrens quotidiè vertitur. Itaque, cùm & hoc portentum attonitus expectarem, mox intra mirantis obtutum ſtellis permanentibus, Luna fortuitu exempta eſt. Poſt hæc verò cùm enixius tres illas conſiderarem ſtellas ad horam penè meridianam accedere, ac viciſſim ſuis radiis ſe ſe repercutere, ea, quæ eximior ex tribus videbatur, ex improviſo ſublata, duas tantum reliquit in propatulo; deinde cùm ſimul duæ illæ comitari viderentur, dicto citius una earum obſcurata atque ſubtractà, una tantummodò remanſit in palam, quæ ſola recto tramite ſolis curſum imitans, magno demum fulgore rutilabat, quantòque ampliùs ad Occidentem declinabat, tantò uberius claritas ejus latè propagabatur; at ubi ad ultimum occidui locum pervenit, tantam claritatem ſuarum lampadarum profudit, ut potiſſimam ſolis claritatem ſuperare videretur. Hic eſt itaque ordo viſionis. Poſt mortem Chlodovei Regis (nam abſque dubio citò defungetur) aliquanto tempore obtinebit hoc Francorum regnum relictà ejus Reginà cum tribus parvulis; poſtquam verò & ipſa fuerit regno exempta, tribus filiis in regno relictis, unus demùm ex ipſis cadet, & poſt hoc haud longo ſpatio ex duobus quoque regno unus privabitur, tertius verò ſolus monarchiam adeptus, dilatabitur ſuper omnes affines ſuos, atque magnificabitur, & obtinebit ſub ditione ſua tria hæc regna, & ſic viſio hæc conſummabitur. Huc uſque Eligius, ſed nos minimè diffidere convenit, cum verba ejus conſequantur effectum, præſertim cùm hæc jam aliqua ex parte completa cernamus: cetera vero, quæ nondum impleta ſunt, ex conſideratione præcedentium impleri è proximo non dubitamus. Nam ſecundùm ejus ſententiam & Rex Chlodoveus infra paucum tempus, hoc eſt anticipans triginta dies in pace obiit, ejuſque demùm relicta Regina cum parvulis paucis annis regnum obtinens, poſtmodum jure regio exempta filios in principatum reliquit, ac non poſt multos annos major natu ex ipſis, qui potiſſimum jus tenere videbatur, dum quietè tranquillèque regnaret, diem obiens, duos ſuperſtites fratres reliquit. De viſis jam quid agatur, ſolius Dei judicio definiri convenit.* Hanc prædictionem ſancti Eligii integram ex ſancto Audoëno exſcribere placuit, tum ut regiæ familiæ ſortem à ſancto Eligio prædictam, tum ut ſancti Audoëni fiduciam intelligeremus, quippe qui res futuras, quaſi jam accidiſſent confidenter ſcriberet. Quemadmodum igitur primùm Eligius divinitus admonitus fuerat, Chlodoveus Rex mortuus eſt anno ſui Regni decimo octavo. Paternum regnum excepit, Neuſtriamque, Burgundiam & Auſtriam ſolus cum Bathilde regere inſtituit Chlotarius filius, qui evectus ad regnum privilegia Foſſatenſis monaſterii ſtatim confirmavit, & novis donationibus monaſterium auxit.

Interea Bathildis Regina, cui tutela Regis commiſſa erat, negotia regni IV.
prudenter ordinabat, adeò ut etiam viris admirationi eſſet, ſimoniam, cujus

LIB IV. CAP VI.

quaſi hydræ abſciſſa renaſcebantur capita, profligare etiam aggreſſa eſt, edixitque, ne quis ad ſacerdotium pecuniâ irreperet. Galli capitatim tributa ſolvebant, etſi antiqua erat conſuetudo, noxia ramen patribus-familias, qui quo plures filios numerabant, pluribus etiam vectigalibus oneratos ſe querebantur: unde aut filiis mortem ſæpiùs imprecabantur, aut eos exponebant tanquam ſervos, ſæpè etiam inferebant mortem. Regina eam pravam exigendi tributi conſuetudinem tanquam regno noxiam ſuſtulit, vetuitque quod aliàs prohibitum annotant, ne quis ex Judæis Chriſtiana mancipia emeret, & ea extra regni fines vènderet; tum rebus piis adjicere mentem, cœpitque optimates ad Concilium advocare, ut his conſciis & auctoribus Calenſe monaſterium extrueret, quò ipſa relictis palatii & aulæ honoribus, cùm adoleviſſet Chlotarius & tractando ſceptro idoneus videretur, ſe reciperet. Primates approbavere conſilium. Soluto conventu Regina deinceps de condendo monaſterio cogitavit. Cala villa erar regia in agro Pariſienſi, centum circiter ab urbe Lutetia ſtadiis ſita ad Marronam fluvium, nota Francis jam à tempore Chlodovei magni, ubi & Chrotildis Regina olim otatorium extruxerat in honorem ſancti Georgii, & ibi aliquot virgines ad Deum orandum & exercendam pietatem congregaverat; famoſa quoque Chilperici Regis cæde, ut ſupra memoratum eſt. Regina in eo loco condere monaſterium ſtatuit, & ſicut olim beata Radegundis ſe cum ſacris virginibus includere monaſterio, & poteſtati antiſtitæ ſe ſubjicere. Reginæ curæ fuit ſtatim ædificare baſilicam priore everſâ, quod magis oratorium eſſe quàm eccleſia videbatur, alia igitur ædificata eſt, & ſtructurâ & amplitudine magnificentior, ubi tria primùm altaria extructa, quorum primarium in honorem S. Crucis dedicatum, conſecratumque eſt, alterum ad dextetam in honorem S. Georgii, tertium demùm ad lævam ſub nomine & titulo ſancti Stephani protomattyris. Monaſtetium pluribus fundis & prædiis dotavit, & abunde redditibus & poſſeſſionibus locupletavit. Aiunt in hocce monaſterium Heteſuidam matrem Adulphi Regis orientalium Anglorum veniſſe, ibique inter virgines propoſitum religionis edidiſſe, atque multis pie & ſanctè factis celebratam. Cointii ſententia eſt hanc jam ante conditum monaſterium huc profectam, quod ex Bedæ hiſtoria probare nititur: verùm vix credam hujus nominis mulierem ex Britannica inſula in Galliam veniſſe, ut ſe hunc in angulùm conderet, ſed magis exiſtimem id accidiſſe poſtquam Bathildis monaſterium inſtaurauit, & auctum numero virginum, & donationibus Reginæ pietate & religione florere cœpit ſub regimine Bertilæ Abbatiſſæ, quam Bathildis Regina ex Jotrenſi monaſterio in Calenſe traduxerat. Bertila ex nobili loco orta eſt in agro Sueſſionico, puella in domo patris erat, cùm Audoënus ab illa ſciſcitatus eſt, numquid ipſa vellet Chriſtum ſibi ſponſum allegere? illa ſe id percupere vehemenrer, jamque à pueritia ſe eo teneri deſiderio, ſed prohibitam à parentibus, rogare ut ejus precibus ſuis votis potiatur; parentes poſt modum eidem aſſenſi in Jotrenſe eam monaſterium perduxerunt, ubi cum recepta eſſet, tyrocinium virtutis Chriſtianæ poſuit ſub S. Theodlechilde Abbatiſſa, ſub cujus felicibus auſpiciis, adeo pietate, humilirate & religione profecit, ut non modo domi, ſed foris quoque ejus nomen venerationi eſſet. Id verò temporis Bathildis Calenſe monaſterium condiderat, & inſtruxerat bene multis facultatibus, ſed deerant hoſpites & antiſtita, quæ ad certandum pro Chriſti cauſa vexillum explicaret. Regina auditâ, quàm rumor ſparſerat, famâ, Bertilam in Jotrenſi monaſterio virtute ceteras virgiues præire, eam præficere Calenſi monaſterio decrevit. Theodlechildem igitur rogavit, ut ſanctas virgines, quaſi tot propagines ſibi traderet, quas ad Calæ monaſterium transferret, illiſque præponeret Bertilam, quæ quidem annis & ætate infetiot erat, ſed prudentiâ & pietate ſenioribus anteibat. Theodlechildis haud abnuit Reginæ obtemperare; ita Bertila cum ſororibus Geneſio Sacerdoti, de quo ſupra memoratum eſt, tradita perductaque eſt ad Calam. Hæc Calenſis monaſterii exordia fuerunt, quæ ex actis ſanctæ Bertilæ & ſanctæ Bathildis inptimis excerpta ſunt.

Bed lib 4. cap 23.

V.

Memorare longum eſſet quæ ampliùs pia Regina præſtitit. Corbeienſe monaſterium ipſa quoque extruxit dotavitque in parochia Ambianenſi, eique Theudofredum Abbatem accitum ex Luxovio præfecit: Gemeticenſi quoque monaſterio haud parum contulit, nam ſylvam de fiſco, ubi conditum eſt, dedit cum aliis muneribus. Curbionenſe monaſterium multis pariter donis cumulavit, nam præter villam Nogaretum nomine, multam auri argentique ſummam regiâ magnificentiâ diſtribuit. Quin & regalem divitemque zonam, quâ ipſa cincta erat, abſtulit, ut eidem monaſterio in eleemoſynam offerret. Longior ſim, ſi enumerem quæ ſancta Bathildis liberali manu tradidit aliis è Burgundia monaſteriis, Luxovienſi inprimis, & quæ Jotrenſi, unde Bertilam extraxerat, & quæcumque munera monaſterio S. Faræ contulit; ſed nobis res Eccleſiæ Pariſienſis ſcribentibus præterire non licet ejus beneficentiâ quoque auctas & locupletatas præcipuas hujuſce Eccleſiæ baſilicas, atque inprimis ſancti Germani & ſancti Dionyſii, ſingula monaſteria ipſorumque præſules & Abbates admonens etiam per litteras, ut monaſticæ inſtitutioni fideliter inſiſterent, nec ſinerent regularem labi diſciplinam, ſed perſeveranter orationi & piis aſceticæ vitæ exercitationibus adjungerent animum; ſcriptis præceptionibus prohibuit, ne quis captivum Chriſtianum extra regni fines emitteret, & ipſa plures è ſervitutis jugo exemit pretio perſoluto, compluribus quoque tam è regia ſua familia, quàm ex aliis locis monaſticam vitam perſuaſit, idque lucro ſibi reputabat, quippe quæ puellas & viros è periculis ſæculi tanquam ad portum adduxiſſet, rata etiam ſe cum hoc numeroſo exercitu vel vi rapturam cælos. Neque regia ejus beneficentia ſe regni finibus continuit, hanc Roma & B. Petri & B. Pauli baſilicæ expertæ ſunt, quin & Romanis pauperibus fuit, cur ejus liberalitatem prædicarent.

VI.

Dum Regina piis ſe exercet operibus, mors Erchinoaldi ſancta ejus facta interpellavit, Præfectus erat palatii virtutibus clarus, ſanctus Eligius ejus morti adfuit, & Audoënus in vita ſancti Eligii eum vituperat, quod cùm ab Eligio ſuaderetur, ut theſauros, quos ſecum vehebat, continuò diſtribueret, ut hoc pretio cælum compararet, Erchinoaldus abnuerit, & confeſtim è vita exceſſerit: cujus tamen corpus ſanctus Eligius humi ipſe mandavit. Etſi Erchinoaldum non exiſtimo à culpa vacuum, à multis tamen laudari certum eſt, & ſuprà diximus magnis laudibus fuiſſe celebratum à Fredegario, & ab auctore vitæ ſancti Furſei *Electus Domini & beatus* prædicatur. Mors quidem Erchinualdi Chlotario, Bathildi & regno ipſi detrimento fuit: majorem tamen dolorem Regina percepit ex ſancti Eligii morte, qui paulò poſt diem obiit Noviomi. Statim atque ſanctus Pontifex mortuus eſt, quiſque eum luctu proſequi, quiſque gemitibus & dolori indulgere, tamquam communem patrem amiſiſſent. Noviomum omnes undequaque accurrere, ut juſta ſanctiſſimo Pontifici perſolverent, aderat ingens virorum mulierumque multitudo. Bathildis ipſa, quæ ad nuncium ejus morbi iter verſus Noviomum facere inſtituerat, advenit cùm jam feretro compoſitum erat ſanctum corpus: pia Regina ſtatim illacrymari, & ultra modum ejulare, deoſculari feretrum, & ſuper illud lamentari, neque meminiſſe ampliùs ſuæ dignitatis, immò revelatum corpus oſculis lambere, & rigare lacrymis. Ipſa ad Calam monaſterium corpus transferre parabat, ſed cùm feretrum è loco moveri nequiret, indictum eſt jejunium triduanum, ut ex oſtento aliquo perdiſceret, quæ voluntas Dei, illiuſque ſancti ſuper eam rem eſſet. Exoluto jejunio conabatur inprimis Regina transferre Calam ſanctum corpus, ut ſaltem ibi corporis præſentiâ ſuum ſolaretur dolorem, pars tamen alia transferre corpus Pariſios volebat ad monaſterium, quod ipſe fundaverat; magna de ſancto feretro decertatio erat. Nam & cives Noviomenſes patris corpus poſcebant, & hoc tanquam jure hæreditatis ſibi vindicabant. Epiſcopi permulti aderant, qui proclives erga Reginam corpus illi addicebant, tum ingens & magna populi conclamatio facta eſt. Regina ſuper hæc, ſciſcitemur, inquit, quæ ſit voluntas Dei, juſſitque illico corpus levari, & aliò transferri, verùm nulla vi moveri loco potuit, cùm vanos ſuorum conatus cerneret, decretum eſt id opido ſepelire, ita elatum eſt S. Pontificis corpus,

Audoënus in vita S. Eligii.

ad funus tota ruit civitas, & Regina ipſa, etſi aſpera hiemis tempeſtas erat, & propter paludem viarum iniquitas, tamen ipſa pedibus feretrum proſequuta eſt. Depoſitum eſt corpus Calendis Decembribus & ſepultum in baſilica S. Lupi, cui modo S. Eligii nomen eſt, poſteà tamen ad Calam caput ejus allatum eſt, & alterum ex oſſibus brachii ab Epiſcopo Noviomenſi & capitulo matri eccleſiæ Pariſienſi conceſſum eſt anno Chriſti MCCXII. In monaſterio habetur vetus calix opus ſancti Eligii ex auro puriſſimo foris decoratus gemmis, hunc Bathildis Regina olim Calenſi baſilicæ tradidit.

VII. Anno ſequenti admonita eſt Regina ab uno ex aulicis cui nocte viſus fuerat beatus Eligius, ut ipſa deponeret ob Chriſti reverentiam auri inſignia, pretioſaque lapidum & gemmarum ornamenta. Regina haud dubia viſionis confeſtim omnia exuit, nihilque præter aurea brachilia retinuit, aliaque diſtribui pauperibus juſſit, ſervatis tamen aliquot, quæ majoris pretii erant & æſtimationis, ex quibus crucem ornari juſſit, quam ad caput S. Eligii locari poſtea præcepit: capſam quoque corpori ſancti Pontificis ex auro & argento affabrè fieri curavit, hæc addens inſuper. *Hic beatiſſimus multorum ſanctorum fabricavit ſepulcra, & ego, ut dignum eſt, ſi quivero, fabricabo ei memoriam.* Hanc regiam munificentiam complures imitati, magnam auri copiam, innumerabileſque gemmas ſuper ejus ſepulcrum contulerunt. Paulò poſt de tranſlatione hujus corporis actum eſt, Mommoleno Epiſcopo ejus ſucceſſore procurante, idque cum conſilio Bathildis Reginæ; corpus ſepultum fuerat ad latus altaris, & ædificata eſt ultra altare camera, quam volutionem Audoënus vocat. Cùm igitur dies anniverſarius ejus obitus adveniſſet, magna in urbem ſe ſe effudit hominum multitudo, ablatus lapis, qui ſepulcrum tegebat, retectumque ipſum ſepulcrum, continuò fragrans odor baſilicam perfudit, inventum eſt corpus incorruptum, ut vivum crederes, ſuccreverant tamen capilli & barba; tum Epiſcopi ſublatis veſtibus, alias pretioſiſſimas, quas Regina paraverat, ſubſtituerunt: tumque iterum ſancti Pontificis corpus cum honore tumulatum eſt, ita Regina Bathildis ejus exequias iterum executa eſt. Hæc de ſancto Eligio inſerere noſtræ hiſtoriæ viſum eſt, tam ut memoriam ejus Pariſienſi Eccleſiæ, in qua tamdiu vixerat, venerabilem redderemus, tum etiam ut ſanctæ Bathildis ſanctitas à nobis, ut decet, celebraretur. Interea propè fuit ut turbæ in regno acciderent, ſed omnia cum ſingulari prudentia Regina compoſuit. Erchinoaldus proba ejus conſilia ſuâ fulcire ſolebat auctoritate, ita pax toto regno cuſtodita. Verum è vivis ſublato Præfecto palatii, Ebroinus à Francis in ejus locum ſubrogatus eſt moribus haud ſimilis. Tria regna Neuſtriæ, Auſtriæ & Burgundiæ Chlotarius ſub tutela Bathildis regebat. Tum Auſtraſii, qui antea ultrò ſe illi dediderant, ut ſe à tyrannide Grimoaldi aſſererent, tumultus agere cœperunt, & tempeſtatem excitare, quæ longiùs eruptura videbatur, niſi motos fluctus ſuâ prudentiâ compoſuiſſet Regina. Dolebant Auſtraſii, qui antea ſub ſui Regis imperio regebantur, regnum ſuum in provinciam redactum videri, quod aliis duobus regnis permixtum. Regina ne malum inteſtinum vires acquireret, in eum modum huic mederi cœpit. Perſuaſit Auſtraſiis, ut Childericum alterum ex filiis ſibi Regem ſtatuerent; hi conſilium Reginæ approbaverunt, & ſimul eum ſolio impoſuerunt, ita Childericus Rex Auſtriæ renunciatus eſt, & ita initia turbarum unius Bathildis induſtriâ ſedata ſunt. Burgundiones remanſerunt cum Neuſtraſiis, quos auctor vitæ S. Bathildis Francos vocat, iiſdem partibus ſtudiiſque conjuncti, ita ut à ſe invicem non diſcederent.

VIII. Dum in eum modum res fluerent feliciter, & Bathildis Regina rebus regni prudenter providet, cædes Sigoberrandi Epiſcopi ejus conſilia interturbat. Is erat Pariſienſis Epiſcopus, &, ut puto, apud Bathildem auctoritate valebat, ſeu ob eam rem, ſeu ob ſuperbiam, & animi impotentiam odium optimatum incurrit, adeóque invidia increvit, ut atrox illius interficiendi caperent conſilium perficerentque; ita infelix Epiſcopus manibus & gladiis nefariorum hominum interfectus eſt. Nonnulli etiam viri doctrinâ conſpicui

exiſtimant Sigoberrandum ſeu Sigobrandum, ut habet index Mabillonianus, (Breulius Sigobaudum nominat,) eumdem eſſe atque Annemundum Lugdunenſem Epiſcopum, à quorum tamen ſententia penitus diſcedo: tum quoniam veteres Epiſcoporum Pariſienſium indices bunc eorum numero adſctibunt, & Chrodoberto ſucceſſiſſe notant; adde quod auctor vitæ ſanctæ Batbildis ſcriptor illius ætatis, ait ejus ſuperbiam meruiſſe mortis ruinam, quod de Annemundo Lugdunenſi non fuiſſet dicturus, cujus memotia celebris in Eccleſia Lugdunenſi, quemque inter ſanctos martyres computat, & Annemundum ſcribunt in Burgundia cæſum à Burgundionibus ſcilicet, Sigoberrandum verò à Francis & Neuſtraſiis, ut habet auctor vitæ S. Bathildis. Certè varia de utriuſque cæde ſcribunt, Beda quidem mortem Annemundi ſeu Dalphini, falsò quidem, ſed tamen Bathildi adſctibit, & auctor vitæ S. Bathildis eam innuit compulſam ſe ad Calam recipere, quod nempe metuerent optimates, ne vindictam de cæde Sigoberrandi ſumeret. An verò adeo aberraſſe à ſcopo crediderim Bedam, ut quem ſalvum, & cujus cædem vindicatam vellet, ipſum ab ea & ejus juſſu trucidatum commemoraret, cum luce clarius fuerit Sigoberrandi cædem indignè Reginam tuliſſe. Demùm Annemundum nemo antiquorum Sigoberrandum dicit, neque, puto, ex levi conjectura, pervertendus eſt ordo Epiſcoporum, qui in antiquiſſimis catalogis legitur, qualis eſt index, quem Mabillonius deſcripſit in opere de re diplomatica, quemque ante annos circiter ſeptingentos exaratum aſſerit. Importunum huic ſucceſſiſſe & indices notant, ſed de eo nuſquam alias mentio eſt, paucos menſes aut fortè paucos dies pontificatum Pariſienſem geſſit. Importuno Agilbertus ſucceſſit, de eo mox dicemus, ad Bathildem redeo. Hæc jam dudum ſecedere in monaſterium cogitabat, & ea mente extruxerat dotaveratque Calenſe monaſterium, hocque ſanctum propoſitum exequi non potuerat ob ætatem filii nondum rebus agendis idonei, & propter procerum in ſe propenſas voluntates, qui illam jam eò currentem ſæpe retinuerant, neque ejus ſapienti adminiſtratione imperium Francorum carere facilè patiebantur. Verùm ſeu rerum noxâ aut negotiorum improbitate; ſeu quod magis crediderim, id artibus Ebroini Majoris-domus accident mutatæ procerum ſunt voluntates. Poſt mortem etenim Sigoberrandi, cùm utique auctores illius necis timerent, ne Pontificis cædem metitò ulciſceretur, ſeceſſum illi perſuaſerunt. Neque illa cunctata in Calenſe monaſterium ſe recepit. Auctor illorum temporum, & ſctiptor ejus vitæ boc his verbis deſcribit. *Erat*, inquit, *ejus tanta devotio ut in monaſterio religioſarum fæminarum in Kalâ, quod ipſa ædificavit, converſari deberet. Nam & Franci pro ejus amore hoc maximè dilatabant, nec fieri permittebant, niſi commotio illa fuiſſet per miſerum Sigoberrandum Epiſcopum, cujus ſuperbia inter Francos meruit mortis ruinam, & exinde ortâ intentione, dum ipſum contra ejus voluntatem interfecerunt, metuentes ne hoc ipſa domna contra eos graviter ferret, & vindicare ipſam cauſam vellet, permiſerunt eam pergere ad ipſum monaſterium.* Huc verò profecta eſt comitantibus eam quibuſdam ex optimatibus. Virgines Reginam honorificè, ut decet, exceperunt, eique omnia amoris officia exhibuerunt. In eo ſeceſſu Regina procul à publicis negotiis Chriſtianam virtutem excolere cœpit, multi ex optimatibus, quos in familia aluerat, quique ejus beneficio & operâ opibus & potentiâ accreverant: poſteà immemores eam contumeliâ afficere haud veriti ſunt. Bathildis, re cum Sacerdotibus communicatâ, omnem illis ex eorum conſilio offenſam condonavit, paceinque ultro & concordiam cum illis pia Regina oblita injuriæ conſervavit. Scio id à quibuſdam ita accipi, quaſi Regina malè accepta à puellis fuerit, ſed textus antiqui ſcriptoris hoc de optimatibus, non de puellis intelligit. In monaſterio omnia pietatis officia exercebat, nullumque vel vilius miniſterium faſtidiebat. Cùm antea in palatio degeret, ſolebat aliquot dies in monaſterio traducere, jamque ab eo tempore ſe tanquam ancillam oſtendere, ſuis ipſa manibus cibos miniſtrans ad menſam, quod miniſterium deinceps exhibere non deſtitit; orationi utique intendebat animum, & ſacrarum rerum lectione reficiebat, ægris omnia præſtans ſolatia, ſicut famula Chriſti,

 prompta erat Abbatiſſæ obtemperare; hæc pia Regina, quæ auctor ejus vitæ deſcribit. Solebat ſæpiùs eulogias ad Regem filium & ſuam nurum mittere, ſicut & ad regni optimates, ut his piis artibus caritatem inter omnes tectam ſartamque cuſtodiret. Demùm ſancta Bathildis ex hac vita exempta eſt, & in baſilica ſanctæ Crucis ſepulta. Poſt ejus mortem Deus pluribus ſignis ejus ſanctitatem palam fecit, complures namque ad illius ſepulcrum ex variis morbis ſtatim convaluerunt. Obiit III. Calendas Februarii, & eo die anniverſaria ejus commemoratio in faſtis Eccleſiæ Pariſienſis celebris eſt, ſicut & in monaſterio Calenſi. Sincerum Uſuardi martyrologium illius hac die meminit. *In territorio Pariſienſi Balthildis Reginæ*, etſi in edito Uſuardo & in aliis locis VII. Calend. Feb. memoria celebratur. Ad annum ferme quintum regni Theodorici tertii perveniſſe Cointius & Mabillonius ſcribunt, verùm in eo diſcrepant, quod Theodorici annum quintum anno Chriſti DCLXXVIII. aſſignat Cointius, & Mabillonius anno DCLXXX. Corpus ſanctæ Bathildis thecâ & argento poſt modum compoſitum eſt, ſi tamen caput excipias, quod propriâ thecâ receptum eſt, quod & hodie reverenter & religioſè habetur in monaſterio Calenſi. Anno Chriſti MDCXLVII. monachi Corbeienſes portionem ex ſanctis reliquiis, partem ſcilicet ſuperioris maxillæ ab Abbatiſſa Magdalena obtinuerunt, quam cum ejus velo & calceo argenteâ effigie incluſerunt. Duplex celebratur ejus tranſlatio, altera XVI. Calend. April. apud Calenſes & Corbeienſes ſollemnis ob ejus elevationem, *quæ fuit facta anno ab incarnatione Domini DCCCXXXIII. anno vigeſimo imperante Hludovico sereniſſimo Auguſto*. Ut habetur in vetere manuſcripto codice Corbeienſi. Altera verò agitur pridiè Calend. Januarii in monaſterio Calenſi. Antequàm res ſanctæ Bathildis abſolvam, paucis hæc adjungam de puella Radegunde, quam ſancta Bathildis è ſacro fonte ſuſceperat, quæque alebatur in monaſterio, & pro cujus ſalute ipſa Deum deprecata eſt, ut ex hac vita teneris annis eam tolleret, magis quàm ſæculi illecebris permitteret; quod illi conceſſum eſt: ut auctor ejus vitæ ſcribit. *Et erat aliqua quædam tunc infantula ſua filiola, quam præcepit ut ſecum iret, quæ & ipſa ſubitò è corpore exiit, & eam ad tumulum præceſſit.* Cùm ſanctæ Bathildis corpus ex humo ſub Ludovico pio elevatum eſt, & Abbatiſſa Hegilvvich anceps dubiaque eſſet ecquid de loco, ubi ſancta Bathildis condita fuerat, ageretur? Erchanradus Epiſcopus Pariſienſis auctor fuit, ut eò inferret corpus puellæ Radegundis, de qua & aliàs ſermo erit, quod continuò peractum eſt; hæc de ſancta Bathilde, quæ olim ex ſervitute & miniſterio ad ſolium evecta eſt, & in hoc bonorum culmine ſemper humanæ ſortis memor non mentem altiùs extulit, ſed ſe ipſam Chriſti cauſâ obnoxiam Abbatiſſæ imperio præſtitit, ut & regnum non periturum acquireret. Etſi ſancta Bathildis eâ vitæ ſanctitate vixit: Beda tamen haud ſatis cautè ejus memoriam temeravit. Cùm enim de Vilfrido loquitur, hunc ait Romam profectum, & in itinere retentum fuiſſe à Dalphino Epiſcopo Lugdunenſi, qui ejus dotibus captus, illi filiam fratris in uxorem dare voluit, quod juvenis ſanctiora volvens animo conſilia, facere abnuit, Romamque ire perrexit, ſed in reditu, ut ait, eumdum Dalphinum inviſit, immóque ſex annos cum eo permanſit *donec Baldis Regina*, ſunt verba Bedæ, *miſſis militibus Epiſcopum juſſit interfici. Quem ad locum quidem, quo decollandus erat, ſecutus eſt Vilfridus clericus illius deſiderans, cum eo, tametſi ipſo plurimùm prohibente, pariter occumbere.* Haud dubiè hîc de Bathilde ſermonem eſſe fateor: in quibuſdam Bedæ exemplaribus Brunichildis, loco Bathildis nomen legitur, ſed in ſincerioribus reperitur nomen Bathildis, & ea lectio verior eſt, & magis conſona tempori, licet aliena à veritate ſit, ut modo paucis memnrandum eſt. Iniquior adhuc Vvillelmus Malmeſburiæ, qui actam infernalibus furiis Bathildem necem Dalphino ait intuliſſe. Dalphinum porrò eumdem eſſe cum ſancto Annemundo Epiſcopo conſtat, quem Lugdunenſis Eccleſia ſub nomine martyris veneratur. Certè apud noſtrates non invenimus eum conſiliis Bathildis interfectum, ſicuti Beda ex falſa relatione, homo noſtrarum rerum haud benè peritus æſtimat: hujus

quidem

quidem cædem vulgò docti Ebroino tribuunt, qui haud mitior in Ragneber- LIB. IV.
tum, Guarinum, Leodegarium alioſque regni proceres fuit. Reginæ animus CAP. VI.
adeo ab hac immanitate abhorrebat, ut ejus vitæ auctor ſcribat ab ea loco
patrum habitos Sacerdotes, & perſuaſam à proceribus ad Calam ſe recipere.
Cùm metuerent *ne hoc ipſa Domna contra eos graviter ferret, ac vindicare mor-
tem Sigoberrandi Epiſcopi vellet*, qui ſcilicet, ut paulò ante memoratum eſt,
eorum inſidiis fuerat interfectus. Huc accedit quod ſancta apud omnes me-
moria beatæ Bathildis fuit, quam nemo præter externum auctorem eâ aſperſit
maculâ, immò quam Eccleſia celebrare inſtituit, quod utique non inſtituiſſet,
cùm nulla hujuſce facinoris vel immanis, actæ pœnitentiæ nota appareat. Ex
his facile eſt concludere, falsò Bedam attribuiſſe Reginæ cædem, quæ ſub
principatu filii Chlotarii ab Ebroino, vel ab alio temerè & crudeliter perpe-
trata eſt.

Luxit beatam Bathildem Calenſe monaſterium, ſed Bertila inprimis Abba- IX.
tiſſa, quæ ſingulari amore illam complectebatur, hanc, ut memoratum eſt:
Regina ad hoc culmen honoris ex Jotrenſi monaſterio ad Calam evocaverat,
quibus autem Bertila virtutibus enituerit, quàm egregiè votis ſanctæ Reginæ
reſponderit, breviter adjiciendum eſſe exiſtimo. Legitur in actis ordinis S.
Benedicti ejus vita, ex quibus ea decerpta, quæ paucis commemoro. Poſtquàm
Bertila Calenſi monaſterio præpoſita eſt, ſtuduit inprimis moribus & exem-
plo regere familiam: excolere itaque cœpit Chriſtianas virtutes eò ardentiùs,
quòd ſibi non modò, ſed omni etiam cœnobio proficerent. In hoc honoris
culmine obſervantior erat humilitatis, arctiorque cultrix pietatis videbatur,
modeſtiâ & caritate magis, quàm imperio præerat, relucebat in ea integra in
Deum fides: etſi prudentiâ præſtabat, tantum abeſt ut ſibi fideret, quin magis
conſueſceret ſingula ordinare ex judicio Sacerdotum, quorum maximè conſi-
liis utebatur. His artibus ſanctis incredibile dictu eſt, quantum hoc monaſte-
rium famâ pietatis & religionis accreverit. Huc non modò ex Galliis ſed
etiam ex tranſmarinis partibus viri & mulieres advolabant, ut ſub ejus regi-
mine ad præcepta vitæ ſanctioris inſtituerentur. Ita erudita erat mentes ad
Deum allicere, ut complures ipſâ hortante & peccata confeſſione & pœni-
tentiâ expiarent. Anglorum Regibus fratres ex ſuo monaſterio petentibus
miſit, qui diſciplinam monaſteriorum his in locis reſtituerent; Calenſe enim ita
primis temporibus conditum erat, ut non modò monaſterium illic virginum,
ſed alterum etiam virorum haberetur, cùm ſancta Bathildis eò ſeceſſiſſet. *Cœno-
bium*, inquit vita S. Bertilæ, *pariter communi conſilio tam in ædificiis & officiis,
quàm & ſanctitatis exemplo mirificè exornaverunt, in quo quaſi ſuper candelabrum duæ
optimæ lucernæ poſitæ ad ædificationem multorum clariſſimè refulgebant, ac more apo-
ſtolico per gratiam ſpiritus ſancti erat cor & anima una, & mentes earum ad benè
agendum ſemper erant paratæ: mira inter ipſas dilectio & caritas omnibus diebus
extitit, & hoc ipſum ad peragendum invicem ſe exhortabantur, ut copioſiùs earum
præmium accreſceret.* His vitæ monaſticæ exercitationibus hoc in monaſterio
quadraginta & ſex annos perfuncta eſt, Noniſque Novembribus diem obiit
clara ſignis & virtutibus, anno ut computat Cointius DCCIV. Tranſlatio ſeu
elevatio ejus corporis celebratur VII. Calend. Novemb. Reliquiæ S. Bertilæ
argento incluſæ venerationi fidelium ſuper majus altare expoſitæ ſunt. In mo-
naſterio Calenſi primùm regula S. Columbani obſervata eſt, neque eam vitæ
agendæ diſciplinam mutatam putant, niſi his proximè elapſis temporibus.

S. Aureæ Abbatiſſæ & mortem huc referam, etſi longè antè obitum Ber- X.
tilæ è vita deceſſit, hujus memoriam referre diſtuli, ne res ſanctæ Bathildis
alia narratione interpellarem. Illa regnante adhuc Chlotario III. vitâ Pari-
ſiis defuncta eſt anno DCLXVI. cùm lues nefanda urbem affligeret, &
mortales permultos malum perimeret. In monaſterium, quod ſanctus Eligius
Pariſiis fecerat, irrupit, virgineſque haud paucas ſuſtulit. Narrat Audoënus
Abbatiſſam eo quoque malo interemptam cùm centum & ſexaginta virgini-
bus, quæ eo pariter morbo interierunt, obitumque S. Aureæ illi à ſancto Eligio

LIB IV CAP VII — *Audoënus in vita S. Eligii lib. 2.*

prænunciatum, quod memorat his verbis. *Factum eſt igitur, cùm nefanda clades depopularetur urbem Pariſiacam, & nonnullæ jam virgines ex monaſterio S. viri, ubi Aurea præerat Abbatiſſa, ad Dominum præceſſiſſent, apparuit quadam die beatus Eligius cuidam adoleſcenti in baſilica puellarum veſte candida amictus, togarum velamine comptus. Cùmque is, qui aderat, nimio pavore perterritus, latibulum quæreret, blandè eum, leniterque compellans vir beatus præcepit, ut iens citò diceret matri virginum, quòd ad ſe quantociùs cum deputatis properaret virginibus. Currens autem is, qui audierat, & citiùs Auream præveniens, ſurge, inquit, velociter, quia Dominus Eligius in eccleſiam te vocat. Quod cùm illa audiiſſet, gaudio magno repleta, ſine mora properavit, ſed tamen cùm veniſſet, viſio beati viri jam abolita erat, eccleſia verò ad firmitatis indicium, quod illic eſſet viſus, nebulâ quâdam repleta monſtrabatur, in tantum ut candelabra quoque & vela ſubita roris inundantiâ diſtillare viderentur. Tunc ergo prædicta Aurea in ſe ſe reverſa, intellexit ſe ex hoc mundo vocari, & protinus convocans omnes ſorores, cœpit vale dicere ſingulis, ſequeſtrans ex eis nonnullas, quæ eam comitarentur inter ceteras. Deinde jam ipſa migrante ad Dominum, & reliquæ nihilominus ſubſequutæ ſunt demum, adeò ut eâ tempeſtate ex eo monaſterio uſque ad numerum centum ſexaginta monachæ morerentur.* Breulius ſcribit ſanctam Auream ſepultam in eccleſia S. Pauli juxta muros urbis, de qua antea dictum eſt, ſed tranſlatam quinquennio poſt in eccleſiam monaſterii, ubi præfuerat, quodque ſanctus Eligius extruxerat. Breulius prædicat Auream fuiſſe Syriam ſed falsò, eamque deceptus ſimilitudine nominis cum altera Aurea virgine & martyre, quæ ad oſtia Tyberinâ colitur, temerè confundit, Auream enim noſtram ex Galliis ortam fuiſſe, ex his, quæ retulimus liquet, neque nomina ejus patris & matris quicquam Syriacè ſonant. Audoënus enim ſcribit eam fuiſſe filiam Marini & Quiriæ, quæ vocabula Romana ſunt, ſeu ex his Gallicanis quæ adhuc Romanam ſonabant originem, neque quicquam apud Audoënum legas quod ejus peregrinitatem oſtendat. Forte hanc Syriam dixerunt, quòd è Quiria matre nata eſt, mutato nomine quaſi è Syria nata eſſet. Huic monaſterio deinde reliquiæ habitæ ſunt in honore, & thecâ collocatæ venerationi fidelium exhibitæ ſunt, ejuſque præſens auxilium urbs ſæpiùs experta eſt, ſeu exundante Sequanâ, ſeu igne urbem devaſtante, quas autem iſtud monaſterium viciſſitudines habuerit ſuis locis referemus, & antiqua de iis nondum evulgata monumenta proferemus.

CAPUT VII.

De Agilberto Pariſienſi Epiſcopo. De celebratione Paſchatis apud Scotos. De morte & ſepultura Agilberti. De morte Chlotarii tertii & variis caſibus qui poſteà acciderunt. De Childerico Rege & de Ebroino Præfecto palatii & de ſancto Leodegario.

I. AGILBERTUS, ut anteà memoratum eſt, Importuno Epiſcopo Pariſienſi ſucceſſit, idque ex tabulis Eccleſiaſticis manifeſtum eſt, de eo pluribus modò dicendum eſt. Hunc in Galliis non modò, ſed etiam Lutetiæ Pariſiorum natum eſſe ex Beda colligere licet. Is aliquando in Hiberniam profectus eſt,

ibique non paucos annos permanſit, explicandis legendiſque ſcipturis appellens animum: inde migravit in Saxonum occidentalium regionem, ubi regnabat Rex Coinvalch, qui quidem fidem haud ſuſcipiens regnum amiſerat, ſed poſteà receptâ fide in regnum reſtitutus fuerat, quo tempore ad prædicandam fidem in ejus provincias ire Agilberro contigit: utque eruditione & induſtriâ eum valere Rex intellexit, rogavit eum, ut acceptâ his in locis epiſcopali cathedrâ manere ibi, & in ſuo regno Pontificem agere haud abnueret. Ex eo tempore Agilbertus Saxonum occidentalium Epiſcopus fuit, multúmque pro propagatione Evangelii laboraſſe baud dubium eſt, de eo ſermo eſt in hiſtoria Bedæ. *Cum verò reſtitutus eſſet in regnum Coinvalch, venit in provinciam de Hibernia Pontifex quidam nomine Agilbertus natione quidem Gallus, ſed tamen legendarum gratiâ ſcripturarum in Hibernia non parvo tempore demoratus, conjunxitque ſe Regi, ſponte miniſterium prædicandi adſumens, cujus eruditionem atque induſtriam videns Rex rogavit eum, acceptâ ibi ſede epiſcopali ſuæ genti manere Pontificem. Qui precibus ejus annuens multis annis eidem genti ſacerdotali jure præfuit.* Quo in bonore fuerit in hac inſula, ex ea diſputatione, quæ de celebrando paſchate acta eſt, poſſis intelligere, ut hoc negotium proferam breviter, rem à principio repeto. Non hodie, aut nudius-tertius, ſed à prioribus Eccleſiæ temporibus, de die Paſchatis controverſia fuit, primùm inter Aſiaticos & Romanos inprimis acta eſt. Victor ſummus Pontifex cum aliis pænè omnibus Eccleſiis Paſcha, non ut Judæi, quarta & decima Luna primi menſis, ſed die Dominico poſt quartam & decimam magnam hanc ſollemnitatem ex antiqua ſuæ Eccleſiæ conſuetudine agere conſueverat. Res ea id temporis magnos in Eccleſia motus excitavit, prope fuit, ut ob eam cauſam romperetur communionis vinculum, ea tamen conſuetudo in aliquot Eccleſiis permanſit uſque ad tempora Nicænæ Synodi, ubi finita tandem eſt illa controverſia, decretumque ut omnes omnino Eccleſiæ, uno eodemque die, id eſt die Dominico poſt quartam & decimam Lunam, quæ proximè æquinoctium ſequitur feſtus ille dies ageretur, conſtitutionemque eo de negotio Conſtantinus promulgavit: cui obtemperare Eccleſiæ omnes haud dubitaverunt, actumque Paſcha ubique gentium uno eodemque die. Ratio celabrandi Paſchatis per univerſam Eccleſiam in eo ſtatu erat, cum poſt longa ſpatia temporum cognoſci cœptum eſt Britannos, ſeu potiùs Scotos ab hac etiam diſciplina diſcrepare, hi ſcilicet paſcha cum reliquis Eccleſiis Dominico tantum die celebrabant, ſed ſi fortè in quartam & decimam Lunam dies Dominicus incideret, non utique illis religio erat Paſcha vel eo die cum Judæis agere; hunc itaque ſollemnem diem à decima quarta Luna ad viceſimam illis celebrare conſuetum, quod à moribus univerſæ Eccleſiæ alienum erat; Romæ enim & alibi gentium à quinta & decima Luna ad primam & viceſimam die Dominico agebatur, ne vel cum Judæis eo die Paſchatis celebratio accideret. Auguſtinus primus Cantuariæ Epiſcopus ad Anglos miſſus, ut aliàs dictum eſt, à ſancto Gregorio, errorem animadverterat, & hunc emendare inſtituerat, verùm frangere contumaciam veterum Epiſcoporum non potuerat, fruſtra quoque ſudaverat Laurentius ejus ſucceſſor in eo errore corrigendo. Quin etiam ſummi Pontifices Honorius primus & Johannes IV. per litteras eos ab hac ſententia avocare conati ſunt, ſed ea fuit Scotorum contumacia, ut operam ipſi perdiderint. Eò tandem res proceſſit, ut non modò inter clericos in celebrando Paſchate diſſentio eſſet: ſed etiam inter aulicos. Oſvvinus Rex Nordamhumbrorum errorem Scotorum in ea celebratione ſectabatur, & Regina ex conſuetudine Eccleſiæ diem Paſchæ peragebat, unde aliquando factum eſt, ut Regina jejunaret, cùm Rex Paſcha celebraret. Ea in cauſa fuerunt, ut Rex ipſe ad unitatem & concordiam omnes revocare vellet, & negotium iſtud in conventu, ſeu in Synodo definire, cujus in hiſtoria eccleſiaſtica Bedæ mentio eſt; habita eſt illa collatio in monaſterio quod Beda Strenesbalch vocat, aderat Rex Oſvvinus, qui à Scotis edoctus in eorum errorem inductus fuerat, & ejus filius Alchfridus, qui eruditus à Vilfrido, qui Romam ierat, & à Dalphino Lugdunenſi Epiſcopo ad clerica-

Bed. lib. 3. cap. 7.

Lib. 3. cap. 25.

tum adſcitus more Romano Paſcha celebrabat. Aderant & huic controverſiæ aliquot ex utraque parte Epiſcopi; partes Catbolicæ Eccleſiæ tuebatur Agilbertus Epiſcopus Saxonum occidentalium, qui fortè ut amicus Regis, in regionem Nordamhumbrorum venerat, & Vilfridum huic monaſterio preſbyterum ordinaverat, ſecumque habebat Agathonem preſbyterum ſuum. Jacobus Diaconus Paſcbatis Catholici obſervantiſſimus ab eo ſtabat, & Romanus, qui ex Cantio cum Regina venerat, & diſciplinam Eccleſiæ præclarè illam edocuerat: partes Scotorum defendebat Colmannus Epiſcopus hujus loci cum ſuis clericis, Ceddo quoque Epiſcopus à Scotis & inſtitutus & ordinatus. Hidda etiam Abbatiſſa cum ſuis & pro parte Scotorum huic collationi adeſſe haud dubitavit. Oſvvinus verba facere cœpit & dicere ab omnibus tenendam unam diſciplinæ Chriſtianæ regulam, haud congruum videri, ut qui unam mercedem expectarent, in celebratione myſteriorum à ſe invicem diſſiderent, inquirendum itaque, quæ regula magis veritati Chriſtianæ conſentanea, & hanc ſequendam eſſe, juſſitque Colmannum Epiſcopum ſuum de ea re mentem ſuam coràm aperire, paucis Colmannus dixit ſuum hunc morem antiquum eſſe, quippe quem hauſerat à majoribus ſuis, & Jobannem quem Cbriſtus præ ceteris dilexerat, banc conſuetudinem induxiſſe in ſuas Eccleſias. Tum Agilbertus juſſus loqui, cùm neſciret Anglicè, rogavit ut ſuus diſcipulus Vilfridus, qui ſecum eadem ſenriebat, patrio ſermone ſuam cauſam defenderet; ille exorſus dixit hunc, quem obſervabat morem, Romæ eſſe cuſtoditum, habitumque à B. Petro & Paulo, qui Romæ vixerant, Romæ martyrio affecti & ſepulti fuerant: hanc eſſe omnium gentium diſciplinam, quam retentam in Galliis viderat, & in ejus obſervatione omnes orbis Chriſtiani nationes congruere, ſolos diſſidere Pictos & Britannos, qui pugnare cum toto terrarum orbe fruſtra audeant: plurimaque locutus de lege, de Evangelio & de Nicæna Synodo, quæ hanc regulam præceperat ubique obſervari, Regi perſuaſit hanc celebrandi Paſchatis habendam rationem, quam ille per imperium & ditionem ſuam retineri juſſit. Colmannus nihilominus à contumacia haud deſtitit, ſed in Scotiam ingreſſus, ut conſuleret, quid facto opus eſſet. Ceddo verò rationibus Vvilfridi acquievit, ac deinceps more Romano Paſcba celebrare inſtituit; Agilbertus domum rediit. Hæc diſputatio apud Bedam fuſius pertractata eſt, ex ea autem manifeſtum eſt Agilbertum & famâ eruditionis, & exiſtimatione virtutis notum & celebratum in ea inſula fuiſſe. Acta eſt illa collatio anno Cbriſti, ut ſcribit Beda, ſexcenteſimo ſexageſimo quarto.

II. Agilbertus non multò poſt in Gallias venit, & ad Pariſienſem cathedram elatus eſt, quomodo id contigerit mihi nunc dicendum eſt. Cboinvalch Rex Saxonum occidentalium cœpit moleſtè ferre, quod Agilbertus homo extraneus, ac penitùs linguæ Saxonum rudis & ignarus, Epiſcopum in ſua regione ageret. Vinium igitur popularem ſuum, qui & in Galliis ordinatus fuerat Epiſcopus, diviſâ in duas partes provinciâ in civitate Venta epiſcopatûs munia exercere juſſit. Ea autem graviſſimè Agilbertum offenderunt, iniquè ferebat ſocium ſibi dari, & ſe haud conſulto ſectam provinciam. Impatiens injuriæ ſe ab adminiſtratione epiſcopatûs ultrò abdicavit, & in Gallias reverſus eſt. Tum fortè Pariſiis ſedes vacua Pontifice erat, utque pietate & doctrina inprimis pollebat, facilè illi fuit adipiſci epiſcopatum, de eo bis verbis Beda loquitur lib. III. cap. VII. *Offenſus graviter Agilbertus, quod boc ipſo inconſulto ageret Rex, rediit in Galliam, & accepto epiſcopatu Pariſiacæ civitatis, ibidem ſenex & plenus* * *dierum obiit.* Vixdum Agilbertus Pontificatum Pariſienſem inierat, cùm Rex Alcfridus Vilfridum Preſbyterum ad Regem Galliarum miſit, rogavitque, ut ab Epiſcopis ſuis Epiſcopus ordinaretur. Eam provinciam Rex Francorum Agilberto dedit, qui nuper relictâ Britanniâ factus fuerat Pariſienſis Epiſcopus, ut modò memoratum eſt. Is Vilfridum notum ſibi ob pietatem & doctrinam, & quem nuper viderat, pro diſciplina eccleſiaſtica ſub ſuis auſpiciis egregiè decertantem, & quem ipſe fecerat preſbyterum, haud dubitavit Epiſcopum ordinare, quam conſecrationem ſcribit Beda ab eo cum undecim Epiſcopis

* *bonorum operum*

Beda lib. 3. cap. 27.

factam fuiſſe ad Compendium, quæ villa erat Regia. Ex his colligere licet Agilbertum ſtatim poſt collationem cum Scotis exceſſiſſe ex Britannia, veniſſe in Gallias & continuò renunciatum fuiſſe Epiſcopum Pariſienſem. Beda namque non modò ſcribit collationem cum Scotis habitam anno DCLXIV. ſed ſequens caput eidem anno attribuit, quo peſtilentiâ afflictas Britauniæ auſtrales partes narrat, neque interruptâ ſerie rerum, nec aliâ temporum notâ ordinationem Vilfridi ab Agilberto factam memorat, undè facilè intelligas anno DCLXIV. Agilbertum ad Pariſienſem cathedram evocatum fuiſſe. Vilfridum porrò Epiſcopum factum anno memorato, hinc liquet quod Vilfridus mortuus ſit anno DCCIX. poſtquàm epiſcopatum geſſit annos quinque & quadraginta, ut Beda diſertis verbis aſſerit, ejus enim obitum annotat *poſt quadraginta & quinque annos accepti epiſcopatûs, anno imperii Horeſdi quarto*, qui annus incidit in annum DCCIX. cum Horeſdus, ut ſcribit Beda, patri ſucceſſerit *anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto*. Ex his ſanè clarum eſt Agilbertum Epiſcopum Pariſienſem factum eo anno quo diximus DCLXIV. ſed his difficultatibus chronologicis omiſſis ad alia, quæ Beda de Agilberto refert, ſermonem convertamus.

Lib. IV. Cap. VII.

Beda lib. 5. cap. 20. Annal. Franc ad an. 664.

III. Poſt aliquot annos Theodorus monachus à Vitaliano PP. ordinatus eſt Epiſcopus, miſſuſque in Britanniam cum Adriano Abbate, is poſteà Cantuarienſis Epiſcopus fuit. Primùm in Gallias venit, Maſſiliam appulit, tum Arelatem pervenit, ubi à Joanne hujus urbis Epiſcopo retentus, donec aliò proficiſcendi Ebroinus tum Major ſeu Præfectus domûs regiæ copiam faceret. Deinde factâ ſibi poteſtate Pariſios ad Agilbertum acceſſit, à quo bonorificè ſuſceptus eſt, & multo tempore cum eo permanſit, bumanitate ſcilicet & doctrinâ ſancti Pontificis delectatus, & quod credibile eſt, ut mores Britannorum ab eo doceretur. Anno ſequenti Rex occidentalium Saxonum, de quo mox ſermo fuit, ad Agilbertum Pariſienſem legatos miſit ob eam cauſam. Poſtquàm Agilbertus ex ejus regno diſceſſit, Vinius, cui partem ſui pontificatûs Rex tribuerat, ipſe ex eadem provincia à Rege pulſus eſt, eâque ratione provincia omnino Pontifice viduata eſt. Eoque tempore multa damna graviſſimaſque clades pertulit, recogitans olim ſe ſuâ perfidiâ regno ſpoliatum, & ſuâ ſe fide revocatum ad ſolium intellexit, ſe ſuâ culpâ plecti, deſtitutamque provinciam præſidio, quæ Pontifice carebat; miſit illico in Gallias legatos ad Agilbertum, qui ſuo nomine deprecarentur injuriam, & rogarent ut redire dignaretur ad ſedem, quam reliquerat. Agilbertus eò redire neglexit, *quia*, inquit Beda, *Epiſcopatu propriæ civitatis ac parochiæ teneretur aſtrictus*. Ne tamen illi deeſſe videretur Eleutherium Preſbyterum nepotem ſuum ad eum miſit, quem ſi Epiſcopum ordinari vellet, exiſtimabat hoc munere dignum. Rex & populus honorificè Eleutherium ſuſceperunt, qui paulò poſt à Theodoro Cantuarienſi Epiſcopo ordinatus eſt Epiſcopus. Multis ille annis *Geviſſarum*, ſic appellabant populum, *Epiſcopatum ex Synodica ſanctione ſolus ſedulo moderamine geſſit*. Ex his omnibus licet cognoſcere quo in pretio, & in qua exiſtimatione Agilbertus fuerit, qui collationi Scotorum pro parte Catbolica præfuerit, qui ex cathedra Geviſſarum excedens, ſtatim ad Pariſienſem tranſlatus eſt, quem Theodorus Cantuarienſis Epiſcopus ordinatus à ſummo Pontifice honoris cauſâ inviſit, quem Rex Coinvalch celebri legatione ad ſedem revocare dignatus eſt. Sanctitate inprimis clarum fuiſſe conſtat, obiit v. Idus Octobris, & in Jotrenſi monaſterio ſepultus eſt. Aiunt fratrem fuiſſe Theodlechildis Abbatiſſæ Jotrenſis; cùm aliquando inviſeret ſororem, correptum morbo, quo paulò poſt mortuus eſt, ſepultum deinde in crypta ſancti Pauli eremitæ, ubi eſt oratorium, quod Agilbertus extruxerat, & quod hodie etiam viſitur in cœmeterio eccleſiæ baptiſmalis ejuſdem loci, in eo autem viſuntur ſex tumuli ex humo prodeuntes, in quibus tumuli S. Agilberti & S. Theodlechildis inventi ſunt. Scribit Andreas Sauſſaius anno Chriſti MDCXXXI. repertum ejus corpus apud Jotrum in ea crypta ſepultum cum Pontificiis indumentis textis ex ſerico, ubi fimbriæ aureæ, quæ ipſe viderat & tetigerat, ubi & annulus au-

Beda lib. 3. cap. 7.

LIB. IV. CAP. VII. reus, cui agathe lapis, in quo eſt inſculpta effigies S. Hieronymi pectus ſilice percutientis ante Chriſtum cruci affixum: ait elegantis artificii fuiſſe, additque circulum annuli adeo latum, ut utrumque pollicem in eum facile induceres. Idem auctor S. Agilberti meminit ad v. Idus Octobris. Annales eccleſiaſtici ad annum DCLXXX. ejus obitum annotant. Verùm hæc quæ ſequuntur, ex chartario monaſterii Jotrenſis exſcripta ſunt, quæ non omnino cum iis quæ Sauſſaius ſcripſit conſona ſunt. ſanctus Agilbertus cùm ſororem ſuam Theodlechildem inviſeret, correptus morbo eſt, quo paulò poſt moritur, ſepultus deinde eſt in crypta oratorii S. Pauli eremitæ, quod ipſe conſtruxerat, poſt aliquod tempus civitas Pariſienſis corpus S. Agilberti ſui Pontificis repoſcebat. Verùm ne auferretur, tranſlatum eſt è tumulo corpus, collocatumque in ſuperna parte ejuſdem oratorii ſubter altare S. Martini; ſparſus deinde rumor eſt clam & furtim ſublatum. Cùm fides tranſlationis penes aliquot eſſet, & vacuus cerneretur ſepulcri locus, facile id creditum eſt, & credulitate poſteriorum temporum confirmatum, omneſque erant in ea opinione. Cùm poſt longa annorum intervalla noſtris ferme temporibus, anno ſcilicet MDCXXXII. corpus hujus ſancti Pontificis fortuitò inventum eſt. Illuſtriſſima Abbatiſſa Joanna à Lotharingia novam baſilicam in monaſterio Jotrenſi extruere cœpit, & eàdem operâ pro ſua ſingulari pietate, reficere oratorium S. Pauli eremitæ, quod ex ſenio & vetuſtate pænè collapſum erat. Fortè accidit, ut, dum operæ ſummæ cameræ reſtituendæ manum & induſtriam adhibent, oſſa in oratorium ſancti Pauli caderent, quæ opifices nihil de reliquiarum ſanctitate cogitantes ſuper lapideam cœmeterii menſam depoſuerunt: ſuper hæc ecce æditiuus Eccleſiæ, qui & erat canonicus, admiratus eſt ſub altari poſita oſſa, reputanſque non eſſe conſuetudinem Eccleſiæ his in locis quorumlibet hominum oſſa deponi, cœpit de oſſium inventione ſanctius aliquid cogitare. Joannam Abbatiſſam hujus rei admonet, illa, quæ tam exquiſiti judicii fuit, quàm magnæ nobilitatis erat, jubet illico fieri inquiſitionem, ecquid fortè eo in loco reperiatur, quod oſtendat cujus oſſa fuerint inventa? Demum ecce vetus inſcriptio ex plumbo, ubi litteræ quidem abraſæ, ſed tamen nomen Agilberti Epiſcopi integrum remanſerat, unde facilè cognitum eſt eas eſſe ſancti Agilberti reliquias, quas è tumulo furtim ſublatas hactenus exiſtimatum fuerat; allatæ ſunt ſanctæ reliquiæ in ſalutatorium Abbatiſſæ, ubi virgines totius monaſterii venerari eas cœperunt; incluſæ deinde thecâ venerationi fidelium expoſitæ ſunt. Inventio hæc facta eſt Nonis April. feriâ ſecundâ majoris hebdomadæ anno Chriſti MDCXXXII. Poſtea Deus pluribus ſignis & multis virtutibus Agilberti ſanctitatem approbavit, & ut alia ſileam, die ſequente paſchatis puella, quæ etiamnum hoc anno MDCLXXXIV. vivit, febre continuatâ ad mortem uſque vexata, & dolore faucium, adeo ut ſorbere quicquam non valeret, ad præſentiam & oſculum ſanctarum reliquiarum, ſubitò quaſi rediviva convaluit, parata illico ad miniſterium cœnobii; & quotidie ibidem illius ſancti ſancti Pontificis virtutem experiuntur. In ea narratione quæ ſcripta eſt id temporis, in chartario monaſterii Jotrenſis, nihil de annulo, de indumentis Pontificiis legitur; credibile eſt hallucinatum eſſe Sauſſaium, & S. Agilbertum pro S. Ebregiſilo Epiſcopo Meldenſi, qui in eadem Crypta ſepultus eſt, & cujus corpus inventum cum iis indumentis & cum annulo, incautiùs aſſumptum. Inventus antea tumulus ſanctæ Theodlechildis quæ in inſcriptione laudata eſt ob generis nobilitatem, & ſanctos mores & præclaram fidem, hanc fuiſſe natam Pariſiis ex verbis ejus fratris facilè intelligas, nam ſuum epiſcopatum, Pariſienſem vocat epiſcopatum propriæ civitatis & parochiæ, quibus oſtendit ſe aut Pariſus aut in agro Pariſienſi natum ex nobili nempe familia, ut in Theodlechildis epitaphio legitur, hanc in Eboriacenſi monaſterio tyrocinium monaſticæ vitæ feciſſe putat Mabillonius, deinde tranſlatam in Jotrenſe, ubi Abbatiſſam multos annos cum magna ſanctitate egit. Colitur ſexto Idus Octobris.

IV. Poſtquàm Bathildis ſe ſuo condidit monaſterio, reſpublica graviſſima damna

experiri cœpit, & auctoritas Regum, Præfectorum palatii ſuperbiâ opprimi, LIB. IV. CAP. VII. & regnum multis malis ſub eorum impotentia vexari, quæ omnia commemorare noſtri non eſt inſtituti, ea tamen ſummatim delibare operæ pretium eſt, ne rerum noſtrarum interrupta ſeries noſtræ hiſtoriæ tenebras offundat, cùm præſertim in his baud pauca ſint, quæ ad res Pariſienſes attinent. Chlotarius tertius XIV. regni annum agebat, cùm præmatura mors eum rapuit. Valeſius tradit eum in monaſterio Calenſi ſub fornice baſilicæ, quidam aiunt in baſilica ſancti Dionyſii ſepultum. Fœdè hallucinantur, qui ſcribunt annos quatuor tantum regnaſſe, cùm enim quatuor tantum haberet, quando regnare cœpit: quâ fronte poſtea Ebroinus illi filium Chlodoveum ſuppoſuiſſet, ſi illi poſt octo annos mortem oppetere contigiſſet, quomodo multos bac arte in errorem inducere, adde quòd ex ſcriptoribus antiquis longè plures annos vixiſſe certum ſit auctor vitæ ſancti Vandregiſili anno regni decimo quarto obiiſſe aſſerit. Poſt ejus mortem Ebroïnus Præfectus palatii ſine optimatum conſilio Theodoricum fratrem Chlotarii Regem renunciat. Haud approbavere Burgundiæ proceres electionem Ebroïni, cujus ſuperbos mores & ferox ingenium reformidabant, & cujus nota erat impotentia. Edixerat enim ſub Chlotario contra mores Francorum, ne quis ex optimatibus ad Regem ſine mandatis accederet. Non ferebant omnes aditus ſibi ad aulam intercluſos, & uni ſibi præſentiam Regis permitti, querebantur id ita fieri, ut omnia ſolus ſuo arbitratu ordinaret, huc accedebat haud levis querelarum cauſa, ſolus ſine optimatum conſilio Theodoricum evexerat ad ſolium, quod & à noſtris erat alienum moribus, palam enim & in conventu publico optimates Regem appellare ſolebant, impoſitoque in regali ſolio fidem & obſequium ſacramento obligare, quod in renunciatione Theodorici haud factum, imò repulſi, qui ex Burgundia ad Regem conſtituendum ſe accinxerant. Illi igitur non tam odio in Theodoricum, quàm in Ebroïnum rebellare cœperunt, & Childericum Regem Auſtraſiæ, ut majorem natu, & cujus Auſtraſii jam experti imperium, ad hæreditatem regni advocare; ſed quoniam bujus inprimis conſilii auctorem ſeu inventorem Leodegarium ferunt, & hunc infenſiſſimo odio poſtea Ebtoïnus perſequutus eſt, de eo paucis mihi memorandum eſt.

V. Leodegarius ex nobili ortus eſt genere, ab avunculo Didone Pictavenſi Epiſcopo educatus, & liberalioribus diſciplinis bene inſtitutus eſt, cúmque etiam rebus eccleſiaſticis adjunxiſſet animum, archidiaconus Eccleſiæ Pictavenſis crearus eſt. Implere hoc officium omni curâ & diligentiâ ſtuduit, & Chriſtianis exornare virtutibus. His temporibus Eccleſia Auguſtodunenſis diro ſchiſmate laborabat: duo nempe non tanquam pro ſacerdotio, ſed tanquam pro imperio decertabant, cædibus & ſanguine quiſque ſibi iter ad Epiſcopatum faciebat, inter hæc certamina alter cæſus fuerat, alter in exilium miſſus. Jam biennium vacua Pontifice ſedes erat, cùm Bathildis pia prudenſque Regina, ut jurgiis poneret modum, Leodegarium virum notæ pietatis Epiſcopum Auguſtodunenſis Eccleſiæ nominat, & hunc Auguſtodunum mittit, qui ſtatim diviſos in varia partium ſtudia animos prudentiâ & eloquentiâ revocat: nemo ſub ejus auſpiciis Chriſto militare detrectavit: facultates eccleſiaſticas patrimonium pauperum eſſe reputans, eas in eorum alimoniam impendebat; huic inprimis curæ fuit Eccleſiarum decor, quibus exornandis nullis laboribus, nulliſque pepercit ſumptibus, gregem utique continuis ſermonibus velut ſanctiori pabulo alere ſolebat, & clericos morum honeſtate & vitæ arctioris diſciplinâ ad virtutem accendere. Inter hæc accidit, ut Bathildis ſe ſe Calenſi includeret monaſterio repudiatis ſæculi honoribus, & ſub juvene adbuc Chlotario Ebroïnus Præfecturam palatii gereret, & poſt annos aliquot Chlotarius mortem oppeteret. Ebroïnus Theodoricum Regem Neuſtriæ & Burgundiæ renunciat, Burgundiæ proceribus haud grata novi Regis renunciatio, Childericum igitur ejus fratrem Regem Auſtriæ ipſi advocant in regni utriuſque hæreditatem, Leodegariuſque inprimis eorum partibus odio & metu Ebroïni ſe adjunxerat. Childericus etſi primùm reſtagari, tum procerum precibus ſollici-

LIB IV Cap VII.

tatus nullâ morâ in Neuſtriam advolavit, & Ebroïnum nihil tale opinantem oppreſſit; hic inſperatâ rerum mutatione attonitus in eccleſiam fugit, ut ante aras vitæ conſuleret. Aderant Burgundiæ optimates, quorum pleriſque ſententia fuit, ut necaretur; evicit tamen aliorum ac præcipuè Leodegarii conſilium, qui vitâ donandum & relegandum in Luxovienſe monaſterium cenſuerunt, ut ante-actæ vitæ crimina pœnitentiâ elueret. Theodorico haud æquior ſors fuit, non modò enim privatus eſt regno, ſed crinibus præciſis adductus eſt ad fratrem Childericum, & rogatus eſt quid de ſe agi vellet, reſpondit ſe quidem de ſolio dejectum, ſed à ſe Deum judicem expectari; ac demùm in monaſterium ſancti Dionyſii detruſus eſt, & datus cuſtodiæ Abbatis, donec illi crines ſuecreſcerent. Poſteà facilè fuit Childerico tria regna moderari. Primùm ille ſeniorum uti conſiliis, ac præſertim Leodegarii Pontificis, tum protervè & juveniliter agere, quæ res Leodegario invidioſa fuit. Cùm enim poteſtate apud Regem valere crederetur, hunc omnium malorum auctorem plerique vocitabant, hoc quidem odium multorum in ſanctum Pontificem concitavit: ſed ex eo quoque in odium Regis incurrit, quòd ſalubria illi ſuadere haud deſiſteret, modò illum redarguens, quòd contra Eccleſiæ decreta uxorem duxiſſet avunculi filiam, & quòd multa contra leges patriaſque conſuetudines perperam faceret. Hæc Rex à principio haud ægrè audire, verùm poſtea vocibus juvenum excitatus rejicere Leodegarii conſilia. Hæc quidem prima labes malorum fuit. Acceſſit huc odium procerum, quod, ut fere fit, æmulatio potentiæ & gratia principis accenderant: dignitatem hujus Pontificis evertere illis decretum eſt. Rex celebrandi Paſchatis cauſâ Auguſtodunum venerat, & pro more plerique Duces & Comites huc acceſſerant. Venerat quoque huc vir quidam nobilitate clarus patritius Maſſilienſis Hector nomine, ut bona quæ ſocrus ſua Arvernenſi Eccleſiæ legaverat, à Rege poſceret, & irritum teſtamentum faceret, hunc Leodegarius hoſpitio exceperat: ſanctum Pontificem hinc anſam calumniandi cœperunt, coquere Leodegarium prava adverſus Regem conſilia, nova ſimul utrumque moliri; in ſuas partes Vvolfaldum majorem-domus traxerant, ut Leodegarium opprimerent. Aiunt, quod vix crediderim, Regem ipſo die Paſchatis vocibus calumniatorum irritatum in eccleſiam veniſſe clamitantem, ut eum in fugam verteret, ſed tùm ſanctus Pontifex in baptiſterio erat, neque ille agnitus eſt; Pontifex tamen nihil his territus ad Regem adiit, quem blando ſermone allocutus eſt, interrogavit cur ſecum non egiſſet vigilias, Rex, ut erat ſuſpicione & odio plenus, reſpondit eum eſſe ſibi ſuſpectum. Intellexit Leodegarius periculum, Hectori ſecum periclitanti auctor fuit, ut fugâ ſibi conſuleret, conſulere & ipſe ſibi cogitavit. Verùm fruſtra id uterque, Hector namque ſatellitum multitudine, cùm ſe defenderet, interfectus eſt, & Leodegarius detentus; Rex ex optimatum & Epiſcoporum conſilio duci eum juſſit in Luxovienſe monaſterium, donec de eo aliter ipſe ſtatueret. Ebroïnus, ut dictum eſt, in eodem monaſterio agebat habitu monachi, utinam & moribus. Præclaro ſibi invicem documento fuerunt Leodegarius & Ebroïnus, quos fluxa rerum fortuna ex edito loco in eum angulum dejecerat. Childerici mores expulſo Leodegario haud mutati: immò quo ſemel actus eſt in tranſverſum, quotidie in pejora ruere cœpit, nihil ex judicio, aut ex legum patriarum æquitate agere, ſed eò ire, quò mens veſana, aut maleſanorum juvenum impetus ferebat; ita brevi omnium in ſe odia convertit; Neuſtraſii inprimis conqueri quòd omnia perverteret. Demùm Rex infelix præmaturam infandamque necem hoc facinore ſibi procuravit. Quemdam è nobilibus, cui nomen Bodilo nihil tale merentem ad palum affigi juſſit, & palam virgis cædi; atrox id viſum nobilibus, in nobilem virum, ſicut in vernam & in mancipium animadverti, ii fremere primùm, tum ſe ſe invicem ad vindictam adhortari, non unius Bodilonis, ſed omnium nobilium eſſe injuriam, & ſic in Regis caput omnes conjurare. Solebant Reges in ſylvis palatia extruere, & illuc ſæpe cum familia ad venandum commeare. Childericus eo modo in Luconiam ſilvam diverterat. Conjurati in eo loco facinus aggredi & exequi cogitant, Bodilo, quem ea res præcipuè

attingebat,

attingebat, ſe ducem parricidii profitetur, Regem inopinatò adoritur & gladio interimit, & pariter Reginam prægnantem, Vulfoaldus Præfectus palatii mortem fugâ evaſit, & in Auſtriam reverſus eſt. Ita optimates non tam ſibi ſuoque ordini illatam injuriam eluere parricidio, quàm fœdiſſimam maculam aſpergere aggreſſi ſunt. Fragmentum vitæ ſancti Lamberti Epiſcopi Lugdunenſis inter conjuratos Amalbertum, Ingolbertum, & Lupum nominat. *Rex Hildericus*, inquit, *inſidiis ſatellitum ſuorum, Amalberti videlicet & Ingolberti ſimulque Bodilonis, necnon & Lupi, aliorumque unà cum conjuge ſua vocabulo Bithilde, filioque nomine Dagoberto, vitâ & regno privatus eſt*; ex quibus clarum eſt Dagobertum filium Childerici cum patre confoſſum fuiſſe. De ſepultura Childerici olim dubitatum eſt, ſed anno MDCLVI. cùm monachi ſancti Germani Pratenſis baſilicam reparari ſtuderent, & terram opifices effoderent, retrò locum, ubi modò viſitur majus altare, è regione Septemtrionis inventi ſunt tumuli lapidei, Childerici ſcilicet Regis & Bilihildis Reginæ. *Iacebant* inquit Valeſius, *in ſepulcris corpora Regis & Reginæ veſtibus etiam tum incorruptis tecta; infantulus clauſus erat arculâ Reginæ matris ſuæ ſepulcro impoſitâ. Operæ noctu monachis abſentibus occaſione uſæ pretioſiſſima quæque ornamenta ex argento & auro furto ſubduxiſſe creduntur, uti anno ſuperiore MDCLVI. certiſſimis indiciis cognitum eſt. Cùm enim monachi loci hæc ſepulcra iterum aperuiſſent ac diligenter inſpicerent, cuncta ſus-dèque everſa, veſtimenta omni ex parte corrupta, nihil denique ibi præter oſſa cadaverum invenerunt. Tantum in ſepulcro Regis vitrea ampulla ſupererat, ſiccum odoramentum, necdum vetuſtate planè hebetatum continens: ſupererant & gladii ac pugionis rubigine conſumptorum particulæ; necnon fibula aurea pendens uncias circiter octo ac ſemiunciam, bullæ præterea ex argento quadratæ, quarum ſingulis lateribus clavi argentei infixi erant, in medio ſerpens biceps Amphiſbæna cælata. Hæc fibula & hæ bullæ lamellæve baltei Regis fuiſſe videbantur. Tandem poſt aliquot dies, cùm utrumque ſepulcrum, eum in baſilicæ locum, ubi nunc eſt, transferri oporteret, egeſtâ inde humo apparuit in ima interioris ſarcophagi Regis parte, ſuper quam corpus jacuerat, inſcriptio majoribus litteris Romanis, quales vulgò unciales vocant, totam tumuli latitudinem occupans, quæ talis eſt, CHILDR. REX. Hæc verba præter ceteros monaſterii Prior & Bibliothecarius Lucas Acherius vir doctus & candidus legère. Sepulcro Reginæ nihil inſcriptum nihil adnotatum eſt viſum: quod juxta viri monumentum placuit collocari. Vtraque arca è lapide ſcabro ac malè cavato: Regis quidem alta admodum & longa ſex pedes ac dimidium, ex duobus lapidibus conſtat, quorum alter Principis reliquias continet, alter pro opertorio eſt, ac in acumen deſinit. Ceterùm operæ ad rerum ablatarum reſtitutionem, ac ne ad confeſſionem quidem furti ullâ ratione compelli potuerunt. Tantummodò Regem diademate ex auro textili, cujus partem & monachis reddidere, caput cinctum habuiſſe confitebantur, cui faſciæ aureæ margaritas ex more inſutas veriſimile eſt. Hoc autem ſepulcrum, cùm nec Chlodovei magni patris, qui idola coluit, & Turnaci ſepultus fuiſſe dicitur, nec ultimi Merovingorum Regum, qui cælebs fuit & regno dejectus atque tonſus in monaſterio Sithiu obiit, eſſe monumentum poſſit: dubitandum non eſt quin Childerici noſtri Chlodovei junioris filii tumulus ſit, quando quidem alii convenire non poteſt.* Childericus occiſus eſt anno regni Auſtraſiani quarto & decimo poſt quartum inchoatum in Neuſtria & Burgundia: vixit annos unum & viginti, Dagobertum ex Bilihilde ſuſcepit, huncque Mabillonius putat repertum in loculo Reginæ, alii infantulum eſſe exiſtimant, quem utero gerebat.

LIB. IV. CAP. VII.

Valeſius rerum Franc. lib. 21.

VI.

Cædes Childerici multorum malorum cauſa extitit: ſtatim enim atque fama percrebuit Childericum interfectum, qui Theodorico faverant, quaſi immanes feræ ex cavernis erupere, ingenteſque moverunt turbas. Interim Theodoricus frater Childerici è monaſterio S. Dionyſii egreditur. Pariter Leodegarius & Ebroïnus abjecto cucullo è Luxovio exeunt. Rex in villam Novigentum ſe recepit, brevique recuperato regno ritè ſalutatus eſt, & impoſitus ſolio; Leudeſiuſque præfectus domûs regiæ creatur. Hæc quidem ex conſilio optimatum, ſed inprimis Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis, & Gairini Comitis Pictavenſis ejus fratris. Ea haud grata Ebroïno fuerunt, cùm quiſque

Dd

auditâ morte Childerici tumultus ageret, facilè ei fuit, qua audacia erat, colligere exercitum ex bis omnibus. Etſi Regem magnus numerus militum comitabatur, tamen omnes adverſariorum conatus celeritare prævertere Ebroïnus ſtatuit. Iſaram fluvium interfectis cuſtodibus trajicit, & Regem Leudeſiumque Præfectum inſequitur, theſauros quidem arripit, ſed cùm Leudeſium haud facilè ſe aſſecututum intelligeret, dolis eum circumvenire aggreditur: ſimulat animum proclivem ad concordiam, invitatque Leudeſium ad colloquium. Leudeſius neſcius doli haud abnuit, venit ad eum datâ fide publicâ, ſed à perfido homine miſer interficitur; evaſit tamen ejus manus Theodoricus. His maximè angebatur Ebroïnus, exercitum ſine auctoritate & ſine prætextu alere difficile erat, his anguſtiis vexatus ad alias artes confugit; cum Auſtraſiis amicitiam & ſocietatem init, horum copiis auctus, ſpargit rumorem de morte Theodorici, puerumque Regem ſalurat, quem filium Chlotarii tertii falsò dictirat, & Chlodoveum vocat reverendo apud Francos nomine; rebus ità callidè compoſitis, vel vi vel voluntate ſibi ſubjicir provinciam, edicta ſcribit, ad Comites & Duces provinciarum litteras mittit, & quod maximum eſſe reputat, ſuas injurias ulciſci parat. His artibus plerique decepti ſe illi adjunxere, paucique inventi, qui aut mendacium detegere, aut fidem Theodorico ſervare poſſent. Ebroïnus Leodegarium oderat, eo auctore accitum ex Auſtraſia Childericum credebat, & poſt mortem Childerici Leudeſium ejus quoque conſiliis Præfectum palatii creatum eſſe noverat, accendebat odium æmulatio potentiæ; Ebroïnus iraque eum ejuſque ſortunam evertere decrevit: rem profligatis hominibus committit, Deſiderato nomine Didoni quondam Cabillonenſi Epiſcopo, & Vaimeri Duci Campaniæ, qui collecto ex Auſtraſiis exercitu Auguſtodunum contendunt, urbemque oppugnant. Ut rem paucis abſolvam, Leodegarius ſe dedidit, cui continuo juſſu Vaimeris effoſſi avulſique oculi. Ebroïnus his actis, Theodoricum ejecto Chlodoveo umbratili Rege reſtituit, & ſe iterum palatio præficit, immò omnia pro nutu adminiſtrat, & ſicut immitis bellua adversùs optimates furere cœpit, aliis vitam, aliis facultates rapuit: multi, ut ſe ex ejus manibus eriperent, ſolum vertere, plerique aut Aquitaniam, aut Auſtriam petere. Gairinum ſeu Gerinum fratrem Leodegarii morte afficere, & in Leodegarium multis modis ſævire: labia ejus & faciem ferro incidi juſſit, abſcindi linguam & cuſtodiæ Varingi tradi, qui eum ad Fiſcamnenſe monaſterium virginum duxit, ibique cuſtodiri curavit: illic divinitus Leodegario ſuccreverunt labia & lingua, adeò ut & orare Deum & confabulari more ſolito poſſet. Theodoricus in villam regiam, quam auctor non nominat, auctore Ebroïno Synodum indicit, ubi Dido, de quo mox dictum, ejectus è Synodo eſt, & per decalvationem exauctoratus, quem deinde Ebroïnus plecti capite juſſit; ſimili prope pœnâ Vaimerus affectus eſt. Is poſt captum excæcatumque Leodegarium, neſcio quibus artibus ad epiſcopatum Trecenſem irrepſerat: ſed deinde Deo ulciſcente flagitioſorum hominum peccata, in odium Ebroïni incurrit, qui fauces illi ſtrangulari juſſit; plures alii Epiſcopi in exilium pulſi ſunt. Ad Synodum vocatus eſt quoque Leodegarius, accuſatuſque, quaſi conſcius mortis Childerici fuiſſet. S. Pontifex ſe teſte Deo innoxium eſſe aſſeruit: tum extra Concilium juſſus ſeorſum ſe ad judicium ſiſtere, ejus tunicam in exauctorationem conſciderunt, ut hoc facto illum ex ſacerdotio pulſum & exauctoratum decernerent: hunc tradiderunt Chrodoberto Comiti palatii, qui gladio eum perimeret; ille domum Leodegarium deduxit, quatuorque ſatellitibus necandum rradidit, qui ei in ſilva caput ferro abſtulerunt. Sanctum ejus corpus cum veſtibus, quas, cum percuſſus eſt, babebar, in villa, cui Sarchinium nomen, ſepultum eſt, curâ inprimis uxoris Chrodoberti Comitis. Locus ſitus eſt inter confinia Cameracenſis, Morinenſis, & Atrebatenſis agri, ubi pluribus ſignis & miraculis inclaruit. v. nonas Octobris anno DCLXXVIII. & ita, ut ea vocabant tempora, martyrium conſummavit; poſt mortem ejus corpus tranſlatum eſt ad opidum S. Maxentii in Pictonibus, hæc paucis de ſancto Leodegario, quæ fusè ab auctore illorum temporum referuntur.

LIB. IV. CAP. VII.

VII.

Dum hæc in Burgundia & Neuſtria geruntur, Dagobertus, quem antea in Hiberniam à Grimoaldo miſſum diximus, in Auſtriam redüt & ab Auſtraſiis in ſolio paterno collocatus regnare cœpit, paucis poſt annis cum Theodorico de finibus regni contendit, pugnatum eſt in agro Lingonenſi, & clade affectus eſt, eoque tempore vel paulò poſt diem obiiſſe conſtat. Quidam aiunt ſuorum conjuratione quam Ebroïnus concitaverat, ſublatum. Pippinus & Martinus patrueles fratres adminiſtrationem Auſtriæ ceperunt, tum illi movere bellum adverſus Theodoricum & Ebroïnum; occurrerunt acies circa fines utriuſque regni, commiſſumque eſt prælium in loco, cui nomen Lucofaum, ſeu Locoficum, Theodoricus aciem Auſtraſiorum vicit, Martinus & Pippinus in fugam verſi, Martinus Lugdunum Clavatum, ſeu ut modò vocant Laudunum ſe recepit, ut ſe urbis propugnaculis tueretur, hunc continuò inſecutus eſt Ebroïnus, & per Aigilbertum ac Regulum Remorum Epiſcopum tantùm effecit, ut data fide ſe Ebroïno dederet cum ſociis, quos perfidus homo trucidari juſſit. Addit auctor hiſtoriæ juſſu Childebrandi conſcriptæ Aigilbertum, quem Valeſius Pariſiorum antiſtitem vòcat, & Regulum Remorum ad Martinum nuncios miſſos fuiſſe, & ut fidem Martino facerent, ſuper capſas vacuas feciſſe ſacramentum, & ſic fallaci juramento deceptum Martinum ſe ultrò fidei Ebroïni commiſiſſe. Puto falſam eſſe hanc hiſtoriam, neque facilè credam viros hujus auctoritatis, & tantæ ſanctitatis, Regulum nempe, ſeu, ut Flodoardus vocat, Reolum, cujus Eccleſia Remenſis anniverſarium diem celebrat, & Agilbertum, cujus vel noſtra ætas virtutes experta ſit, hanc admiſiſſe perfidiam: quid enim ſimilius fabulæ, quàm iſthæc de vacua capſa commemoratio, quaſi vel ſupra vacuam capſam juramentum irritum & inane ſit; deinde quâ quæſo Valeſius auctoritate aliâ, quàm ſua Agilbertum Pariſienſem Epiſcopum fuiſſe ſcribit, de qua re auctor, qui hanc refert hiſtoriam, nihil memorat, neque licet ſine teſtimonio vel labeculam aſpergere viro ſanctiſſimo, qualem fuiſſe Agilbertum antea oſtendimus, qui ſi hâc culpâ teneretur, etiam graviſſimâ aſtrictum fuiſſe ultrò fateremur. Ita Martinus dolo & malis artibus Ebroïni ſublatus eſt, Pippinus fugerat in Auſtriam, & ſuæ vitæ cautiùs conſuluerat. Verum haud multò poſt ſuæ crudelitatis ſuæque perfidiæ Ebroïnus pœnas dedit. Erat quidam ex optimatibus, qui fiſcale munus adminiſtrabat, & pecuniam publicam interceperat, hunc primùm Ebroïnus ſpoliare poſſeſſionibus cœpit, tum illi vitam adimere ſtatuit. Ille Ebroïnum prævertere, & nihil tale cogitantem opprimere, & ex impendenti periculo audaciam ſumere. Sciebat morem eſſe Ebroïno, ut pleriſque aliis, procedere ſingulis diebus Dominicis ad preces matutinas, quæ in baſilicis agebantur: hoc tempus perficiendi flagitii capit Ermenfridus, ſic eum multi vocant. Euntem igitur ad baſilicam Ebroïnum gladio aggreditur confoditque. Is exitus Ebroïni fuit viri audaciſſimi, qui nihil reliqui fecit, ut ſummam ſibi in regno poteſtatem faceret, quique magnas virtutes plurimis graviſſimiſque vitiis obſcuravit: primus omnium Præfectorum palatii regiam deſpiciens auctoritatem ſuo nutu omnia regere cœpit; etſi enim antea magna jam Præfectis auctoritas, non ea tamen, ut ſub ea gemeret abolita poteſtas Regum, quorum magis ſe crederent conſiliarios, quàm moderatores. In locum Ebroïni Vvaratto à Francis ſubrogatus, quo tempore Pippinus Auſtriam non ſub nomine regio, regiâ tamen poteſtate gubernabat: ita Theodoricus Rex ab anteriorum Regum auctoritate deſciverat. Giſlemarus filius Vvarattonis, patris contemptâ ſenectute præfecturam palatii ſuo modulo agere inſtituit, & arma adverſùs Pippinum concitare, omnia facere nequiter, ſed miſer hanc dignitatem non diu retinuit, nam paulò poſt obiit, & Vvaratto priſtinum honorem recepit. Studuit ille inprimis bella componere, quæ filius excitaverat. Ad pacem cum Auſtraſiis agendam miſſus Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus, qui rem eâ, quâ valebat prudentiâ, perfecit, lætaque pacis nuncia ad Theodoricum Regem retulit, qui eo tempore in villa Clippiaco morabatur; grata nuncia Audoënus morte ſuâ perturbavit: repente enim, cùm in ea villa verſaretur, febre corripitur, quâ paulò poſt vir

 ſanctus moritur nono Calendas Septembris. Rex & Regina ex ejus morte haud mediocrem dolorem perceperunt, ejuſque funus cum regni optimatibus proſecuti ſunt uſque ad Pontem Iſaræ: quiſque ſeni ſanctiſſimo juſta perſolvere ſtuduit: aderant haud pauci Pontifices, clericorum innumerabilis multitudo, quiſque ſuis humeris ſanctum corpus efferre piâ æmulatione certabat: ac demùm elatum eſt Rotomagum, & in eccleſia ſancti Pauli ſepultum eſt. Huic ſucceſſit Auſbertus Abbas Fontanellenſis, is ſanctitate clarus cleri & populi ſuffragio electus eſt, petituſque à Rege, qui in villa Clippiaco verſabatur, habebatque celebrem ex Epiſcopis & regni optimatibus conventum. Auſbertus reluctabatur, ſed juſſus ad comitatum venire, totius conventûs ſuffragatione ab Archiepiſcopo Lugdunenſi, aliiſque qui aderant Epiſcopis in eadem villa Epiſcopus Rotomagenſis ordinatus eſt.

VIII. Mortem Audoëni excepit mors Vvarattonis Præfecti palatii, in ejus locum ſucceſſit Bertarius Vvarattonis, vel, ut alii malunt, Ansfledis Vvarattonis uxoris gener, ad hoc faſtigium honorum nullis virtutibus nulliſque meritis conſcendiſſe certum eſt, erat enim puſillæ ſtaturæ, tenuioriſque ingenii, inſolitæ levitatis & inconſultæ audaciæ, qui ex hoc edito loco Francos deſpicere cœpit, eorumque amicitias conſiliaque flocci reputare, ſibi odium Neuſtriæ optimatum inprimis immodica ſuperbia allicere; quidam ex his moliri nova cœperunt, odia & diſcordias ſerere inter Bertarium & Pippinum, qui etſi nomen Regis non ſumpſerat, ad nutum tamen & arbitrium Auſtriam ordinabat. Inter eos, quorum odia in Bertarium exarſere, Audrannum & Reolum vulgò nominant, quibus amicitias, datis obſidibus cum Pippino contrahere promptum fuit, & Francos ad rebellandum excitare; his accenſus Pippinus nova moliendi cauſam vel nanciſcitur vel prætexit. Nonnulli Pontifices querebantur Eccleſiarum facultates, patrimonium nempe pauperum in Neuſtria diſſipari, poſcebantque adverſus invaſores auxilium; confugerant jam à temporibus Ebroïni haud pauci ex Neuſtria & Burgundia in Auſtriam, qui à Pippino impetrari ſibi reditum in patriam petebant. His ſollicitatus Pippinus legatos ad Theodoricum mittit, qui hæc Regi denuncient. Rex, ſeu ipſe hæc ab eo peti indignè ferret, ſeu Bertarius ejus animum adverſus Pippinum accenderet, reſpondit Pippinum agere contra jus & legem, qui regni transfugas reciperet, foveretque: & ſic legatos dimiſit, pollicitus antea eos à ſe aliquando repetendos. Pippinus, non tanquam Rex, ſed Bertarius reſpondiſſet convocato conventu optimatum bellum decernit, facit delectum, copioſumque cogit exercitum, quem in Neuſtriam ducit: haud procul ab oppido Veromanduorum juxta villam, cui nomen Textricium caſtra locat. Theodoricus pariter coacto ex Neuſtria & Burgundia exercitu, huic occurrit, & haud procul conſederat, ſtabant acies, quas fluviolus nomine Dalmannio à ſe invicem ſeparabat. Hic conflixere exercitus, pugnatumque eſt acerrimè, verùm acies Theodorici inclinavit, & fuſus eſt ejus exercitus, Theodoricuſque cœpit fugâ ſibi conſulere, & Bertarius inprimis, quos victor inſequi haud deſtitit: ſed miſer exterritus, à ſuis, quibus & odioſus erat, interfectus eſt, aiunt inſidiis ſocrus ſuæ Ansfledis occiſum, adeò in ſe omnium odia concitaverat. Theodoricus fugiens ſe Pariſios receperat, ratus inſulâ ſe tanquam valido propugnaculo tutum fore, huc advolat Pippinus cum exercitu, & facilè urbem in poteſtatem redigit, & pariter Regem ad deditionem cogit. Pippinus ne tyrannum agere videretur, nomen Regis Theodorico reliquit, ſed ipſe munia ſibi regni retinuit, ſummum jus in copias & exercitus, ſummam in ærarium & fiſcum regiam cepit poteſtatem, & in omnem regni adminiſtrationem, unde vetus ſcriptor dicebat Pippinum mortuo Bertario adeptum regiæ domûs-majoratum, ſeu, ut vocat, principatum; exinde Reges nomen non honorem habere cœpiſſe, his tamen datum victum exuberantem, cuſtodiamque jugem circa illos habitam eſſe, ne quid jure poteſtatis regiæ agere poſſent.

IX. Temporibus Theodorici regis gerebat Pontificatum Pariſienſem Sigofridus, qui Agilberto ſucceſſerat, hujus mentio eſt in charta Vandemitis viri illuſtris,

LIB. IV. CAP. VII.

& Ercambertæ ejus uxoris, ubi agitur de donationibus factis *in complura monaſteria* & eccleſias, illa quidem charta vetuſtiſſima eſt, ſed ſenio attrita & pluribus in locis exeſa, ex ea multa utilia noſtræ hiſtoriæ excerpere poſſumus. In ea primo aſpectu ſe ſe offert donatio facta eccleſiæ S. Stephani cui præerat Epiſcopus Sigofridus. *Donamus donatumque in perpetuò eſſe volomus*, inquit charta, *ad baſilica ſanctæ Stephanæ*, ſeu potiùs ſancti Stephani, *in Pariſius, ubi Domnus Sigofridus Pontefex præeſſe veditur, villa cognomenante in pago Camliacenſi cum omne merito, vel agecientias & foledetates ſuas, ſicut à nobis præſente tempore eſt poſſeſſum.* Mendæ, quibus totum inſtrumentum ſcatet, tribuendæ ſunt vitio temporum, quas quivis emendare poſſit. Puto eccleſiam illam ſancti Stephani fuiſſe prope eccleſiam matrem, quod alias oſtendemus. In eadem charta fit mentio baſilicæ ſancti Germani teretis ſcilicet, ſeu Autiſſiodorenſis, cui Abbas Landebertus præerat. *Pare modo donamus ad baſilica domnæ Germanæ*, ſeu domni Germani, *ubi vir venerabilis Landobertus Abba præeſſe veditur, villam cognomenante Fraxineto.* Ex eo loco intelligimus ab initio in baſilica S. Germani Autiſſiodorenſis fuiſſe Abbatem & monachos, quorum locum tenent modò decanus & canonici, ut ſuis locis dicemus. Ibidem mentio eſt Autharii Abbatis ſancti Vincentii ſeu monaſterii ſancti Germani à pratis. *Simile modo donamus ad baſilica domnæ Vincente, vel domni Germani, ubi vir venerabilis Audcharius Abba præeſſe veditur villas cognomenantis Oxma in pago Dorcaſſino* &c. Autharium Abbatem ſancti Germani à pratis tum fuiſſe hæc charta probat, hunc non præceſſiſſe Droctoveum, ſed huic neque proximè ſucceſſiſſe ex veteribus chartis. Mabillonius hujus loci aſceta doctiſſimus aſſerit, qui verò fuerint inter utrumque Abbates Mabillonius non memorat, vulgò ſcribunt Scubilionem, & huic Deſiderium, Gauſcionem Deſiderio, Germanum, deinde Sigonem ſub Chlodoveo II. Childerannum, & Humfridum, his demùm ſucceſſiſſe Autharium, de quo ſermo eſt in hac Vandemiris charta. De Authario Abbate memoria eſt in litteris Theodorici Regis, quibus confirmat donationem *Eccleſiæ ſanctæ Crucis & S. Vincentii* factam à Galterio & ejus conjuge Goda de rebus ſuis in pago Bituricenſi ſitis. In eadem charta fit donatio S. Chriſtivilo monaſterio puellarum, ubi Landetrudis Abbatiſſa præerat. *Simile modo donamus ad domno Chriſtivilo Moniſthirio puellarum in Pariſiis ubi Landetrudis Abbatiſſa præeſſe veditur* &c. quidnam ſit D. Chriſtivili monaſterium haud dicam, quidam Chriſtivili idem ac Chriſtophori nomen eſſe dicunt, Mabillonius ſuſpicatur eſſe monaſterium S. Aureæ de quo dictum eſt, ſed nullâ hæc conjectura ratione fulcitur, aliàs idem auctor vult eſſe Chriſtolium, ſed & hæc ſine auctoritate, neque aliàs legas ibi fuiſſe monaſterium. In eodem inſtrumento fit donatio in gratiam monaſterii S. Dionyſii martyris, ubi præerat Chaino Abbas, hujus Abbatis meminit charta Theodorici relata à Mabillonio in opere de re diplomatica. Num. IX. appellaturque vir venerabilis & Diaconus Chaino ſub Charderico Abbate cui ſucceſſit. In præcepto altero ejuſdem Regis de Latiniaco fit mentio Chainonis Abbatis, & in aliis chartis, de quibus conſule Mabillonium. Demùm ad finem illius inſtrumenti memoratur iterum Sigofridus Pariſienſis Epiſcopus. Actum eſt in Camiliaco vico publico anno XVII. regni Theodorici Regis. Sigofridi quoque Epiſcopi meminit placitum Chlodovei tertii, ubi de lite agitur Chainonis Abbatis Dionyſiani cum Abbate Ermenoaldo, ex quo intelligimus negotium, de quo agebatur, jam tractatum coram Sigofrido, antequàm ad regium tribunal deferretur. *Vnde & ante dies per eorum notitias paricolas ante Domno Sigofrido Pontifici placita inter ſe habuerunt* &c. Sigofridi quoque Epiſcopi meminit placitum Chlodovei III. de Nocivo, quod legitur in actis SS. ordin. S. Benedicti. Et illius meminerunt tabularia, & indices Eccleſiæ Pariſienſis. Quo anno obierit aliàs dicam, certum eſt eum anno ſecundo Chlodovei tertii, id eſt ſecundùm Annales eccleſiaſticos Francorum anno Chriſti DCXCIV. vixiſſe ſed de anno ejus obitûs inferiùs certiora referemus.

2. Parte 3. ſæculi act. Benedict.

De re diplomat. lib. 6. Coroll. 3.

2. Parte 3. ſæculi pag. 617.

CAPUT VIII.

De Pippino Heriſtallio Majore-domus. De Sigofrido, Turnoaldo, & aliis Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis. De Abbatibus S. Dionyſii, S. Germani, Latiniacenſibus & Foſſatenſibus. De ſancto Mederico, de Regibus Francorum Childeberto, Dagoberto, & aliis. De Carolo Martello & de ejus ſepultura. De S. Eucherii commentitia viſione. De Pippino & Carolomano ejus filiis.

I. POST Textricianam pugnam fortuna Merovingorum Regum peſſum ire-ſeu, ut aſſerunt, in cauſa fuit inertia & ſocordia poſteriorum Regum, ſeu imbecilla ætas, quâ ſolium conſcenderant, ſeu impotentiâ præfectorum aulæ. Ea certè inclinantis familiæ initia fuerunt. Pippinus enim partâ de Theodorico & Bertario inſigni victoriâ, Auſtriam non modò, ſed Neuſtriam & Burgundiam ſuo nutu regere cœpit, & latè toto Francorum imperio dominari. Theodoricum tamen retinere nomen Regis paſſus eſt, ut memoratum eſt, & omnia acta regio nomine conſignari: an moderatio animi fuit, an opportuna id temporis prudentia, ne tyrannidem affectare videretur, & à ſe animos Francorum longè alienaret. Pippino magna tum naturæ tum fortunæ adjumenta erant, ex illuſtri Auſtraſiorum gente editus erat, patrem habebat Anſigiſilum, & avum ſanctum Arnulfum, cujus olim in aula ſpectata prudentia, qui deinde abdicatis honoribus ſæculi ad ſedem Mettenſem virtutum ſuffragio evectus fuerat. Ingentes animos gerebat, nam ſuo Martinique fratris nomine cum Theodorico confligere auſus fuerat, neque fractus ceciderat animo, ſed ſuâ clade major, demùm victor evaſit, & moderatè vel prudenter uti victoriâ didicit. Pippinus rebus in Neuſtria ordinatis Regis Theodorici theſauros capit, & Norbertum, ſeu Nodobertum Regis cuſtodiæ commiſit, ne ſe abſente quicquam Rex moliretur, ac deinde ſe in Neuſtriam contulit. Provinciæ & rectores provinciarum audito ſummam rerum ad Pippinum veniſſe, dicto huic eſſe audientes neglexerunt, ii maximè qui majeſtate Regum Francorum deterriti, his parere coacti fuerant, inter eos Saxones, Friſii, Alemanni, Baiovarii, Aquitani, Vaſcones, atque Britones, quos auctor chronici Mettenſis enumerat. Inter hæc Pippinus uxorem Plectrudem mulierem & honeſtate morum, & generis nobilitate illuſtrem ex toro ejecit, reſque ſuas ſecum habere juſſit: etſi duorum filiorum mater erat, quorum alter Drocus ſeu Drogo, Grimoaldus alter vocabatur, novaſque nuptias contraxit cum Alpaide puella elegantis formæ. Hoc quidem matrimonium lege Chriſtianâ prohibitum eſt, tamen pravâ conſuetudine aliquando in uſu apud Francos, idque manifeſtum ex Marculfi & aliorum formulis, ubi de libello repudii agitur, ex his porrò nuptiis Pippino natus eſt Carolus, de quo poſteà nobis ſermo erit, ex iiſdem Childebrandum ortum eſſe aſſerunt. Poſt aliquot annos moritur Theodoricus Rex anno regni XIX. in ejus locum ſucceſſit Chlodoveus III. puer ejus filius, cumque & ille

Marculf. form. lib. 2.

tertio regni ſui anno ex morbo interiiſſet, Childebertus ejus frater regnare Lib. IV. Cap. VIII. cœpit. Extat apud Mabillonium placitum Chlodovei tertii de lite Chainonis Abbatis ſancti Dionyſii contra Ermenoaldum Abbatem datum *Noviento* anno *De re diplomat. lib. 6.* ſecundo ejus regni; extat & præceptum ejuſdem Regis, quo monaſterium ſancti Dionyſii à teloneis, & aliis vectigalibus eximit, datum in eodem loco, & eodem anno ejus regni. Extat prætcrea placitum ejuſdem Regis Chlodovei tertii de Nocido ſito ad Iſaram in pago Camiliacenſi datum Luſarchæ anno itidem ſecundo regni; in eo placito fit memoria Sigofridi Pariſienſis Epiſcopi & Chainonis Abbatis ſancti Dionyſii; legitur demùm aliud Chlodovei tertii præceptum de Baldanacurte in pago Belvacenſi datum Valencianis anno regni tertio pridie Calendas Martias, in eo fit mentio Turnoaldi Epiſcopi Pariſienſis, de quo nobis modò dicendum eſt.

Sigofrido Pariſienſi Epiſcopo, de quo antea memoratum eſt, ſucceſſit Turnoaldus. II. Sigofridum fato functum eſſe ad finem anni D C X C I V. vel initio ſequentis anni ex eo conſtat, quod ipſe adfuit cum aliis Epiſcopis & multis proceribus placito, quod Chlodoveus tertius dedit Luſarchæ in gratiam monaſterii ſancti Dionyſii de Nocido, de quo modò dictum eſt Calend. Novembris, ſecundo regni ſui anno; & Turnoaldus Pariſienſis Epiſcopus interfuit cum aliis Epiſcopis & magno procerum numero placito de Baldanacurte, quod datum in gratiam ejuſdem monaſterii à Chlodoveo III. Valencianis pridiè Calendas Martias anno regni ejus tertio, ex quo manifeſtum eſt Sigofridum deceſſiſſe vel initio illius anni, vel ſub finem præcedentis. Subſcripſit Turnoaldus ſeu Turnochaldus privilegio Agirardi Epiſcopi Carnutenſis pro monaſterio ſanctæ Mariæ cujuſdam urbis ad Ligerim, quam Mabillonius, qui hoc privilegium exſcripſit libro VI. de re diplomatica Bleſas eſſe conjicit, & Abbatiam eſſe ſanctæ Mariæ de Burgi-medio, quæ à Pontificatu Callixti II. eſt ordinis ſancti Auguſtini. Datum eſt hoc privilegium anno ſecundo regni Childeberti tertii. Extat & præceptum Childeberti tertii de Nocito villa, ubi Turnoaldi, ſeu Turnochaldi Epiſcopi Pariſienſis fit mentio his verbis. *Childebertus Rex Francorum vir inluſter. Cùm nus in Dei nomine Compendio in palatio noſtro, unà cum apoſtholecis viris in Chriſto patribus noſtris Anſoaldo, Savarico, Turnochaldo &c. Epiſcopis.* *De re diplomatica lib. 6. 24.* Datum hoc privilegium anno regni Childeberti tertio Compendio. Scribit Mabillonius Turnoaldum abdicato Epiſcopatu Pariſienſi ſeceſſiſſe in monaſterium ſancti Dionyſii, & monachi habitum & inſtitutionem eſſe profeſſum, ac deinde ipſum, qui fugerat honores Eccleſiæ, non potuiſſe ſe à monaſterii honoribus ſubtrahere, in Abbatem ſcilicet Dionyſiani monaſterii electum. In eum igitur modum inſtituit ſeriem Abbatum ſancti Dionyſii. Chainoni, de quo eſt ſermo in pluribus chartis, & de quo ſupra memoratum eſt, ſucceſſit Dalphinus, cujus memoria eſt in præcepto Childeberti tertii, ubi de mercato ſancti Dionyſii mentio, & jura & privilegia nundinarum eidem monaſterio aſſeruntur contra conatus Sigofridi Comitis Pariſienſis, qui eorum partem ſibi tribuebat. Dalphini quoque meminit ejuſdem Childeberti tertii *De re diplomatica lib. 6. 28.* placitum de Farinario Cadolaici in villa Latiniaco propè Vernum datum anno regni XVI. Chillardus ſeu Hellardus Dalphino ſubrogatus eſt regnantibus Dagoberto tertio & Chilperico ſecundo, uti probant veteres chartæ, extat Pip- *Ibid. 18.* pini Majoris-domûs placitum datum anno VIII. Childerici Regis, ubi Chillardus Abbas ſancti Dionyſii memoratur, ſicut & in præcepto Chilperici tertii, quo ſuas monaſterio Dionyſiano immunitates confirmat, ubi legitur Chil- *Ibid. 30.* lardus Abbas baſilicæ S. Dionyſii martyris, datum eſt hoc præceptum Compendio pridiè Calendas Martias anno regni primo. Ibidem legitur alterum ejuſdem Regis præceptum de centum vaccis monaſterio Dionyſiano conferendis, in quo Chillardi Abbatis hujus monaſterii memoria eſt. Chillardum anno D C C X V I. deceſſiſſe opinatur Mabillonius. Huic ſucceſſit Turnoaldus, quem diximus antea in monaſterium Dionyſianum ſeceſſiſſe. Eſt memoria Turnoaldi Epiſcopi & Abbatis S. Dionyſii in charta Chilperici Regis, quæ legitur apud Dubletum pag. 689. ubi legitur Turnoaldus Epiſcopus cuſtos præ-

eſſe monaſterio ſancti Dionyſii. Verùm ex bis verbis baud aſſeram Turnoaldum ſe abdicaſſe à pontificatu, ut ſe bujus monaſterii aſcetam profiteretur, neque enim ex charta regia alioque inſtrumento id conjicias, quin immo cuſtos monaſterii ſancti Dionyſii dicitur, non Abbas, quidni cuſtodiam habuerit hujus monaſterii, ſicut paulò poſt Hugo Rotomagenſis adminiſtrationem ſuſcepie monaſteriorum Fontanellæ & Gemetici, ut aliàs referemus. Vellem non toe obſitam tenebris biſtoriam illorum temporum, quas nemo, puto, diſcutiat. Non immoror his refutandis, qui Turnoaldum volunt primùm fuiſſe Abbatem S. Dionyſii, tum ex Abbate ad Pariſienſem cathedram evocatum, id non ita factum fuiſſe liquidò conſtat ex his quæ antea memorata ſunt.

III. His temporibus, ſub principatu nempe Childeberti tertii, ſancti Germani Pratenſis Abbas erat Thedelmarus cujus mentio fit in placito Childeberti tertii, quo Cœnobium Lemauſum monaſterio ſancti Germani Pratenſis vindicatur. Thedelmarus autem ſucceſſerat Vvaldromero Abbati, qui Autharii, de quo antea memoratum eſt, ſucceſſor fuerat, Vvaldromerum Authario ſucceſſiſſe clarum eſt ex litteris commutationis factæ cum Adalrico de quibuſdam rebus in villa Mauriliaco ſitis anno tertio regni domni Childeberti Regis. Vvaldromeri fit mentio in necrologio S. Germani his verbis. x. *Calend. Maii depoſitio Vandremari Abbatis, qui dedit Cellam ſuper Sequanam S. Germano.* Seriem Abbatum S. Germani ſuis referemus temporibus.

De re diplomat. lib. 6. 25.

IV. Sed quoniam de Abbatibus inſtituta oratio & de Latiniacenſibus dicendum, antea de Furſeo bujus monaſterii conditore pluribus dictum eſt, modò de ejus ſucceſſoribus paucis dicendum, vulgò Mumbolum huic ſucceſſiſſe narrant; verùm acta S. Furſei, de quibus ſuprà, innuunt Emmianum ſeu Æmilianum huic ſucceſſiſſe. *S. Furſeus*, inquit ſcriptor antiquus, *Latiniacum ſuis manibus conſtruxit, ac non multò poſt audientes hæc ultra-marini cognati atque amici ſimul cum B. Emmiano acceleraverunt venire ad ſanctiſſimum virum Furſeum, qui eos honorificè ſuſcipiens, & ſimul cum eis manibus operans, magnopere conſtruxit illum locum, & poſt ſpatium aliquot annorum, contigit ei ut reverteretur in Saxoniam*, ſeu in Britanniam, *inſulam, viſitare proprios germanos ſuos, id eſt Foillanum & Vltanum, quos dimiſit ad ſuum regendum monaſterium. Qui in ſua relinquens ſede Emmianum virum ſanctum curam gregis agere, iter accelerabat.* Ex quibus verbis certò intelligas Emmianum, quem vulgò Æmilianum vocant Furſeo ſucceſſiſſe; ejus memoria quotannis celebratur in Latiniacenſi monaſterio ſexto Idûs Martii. Æmiliano ſucceſſit Mumbolus, vel ut alii volunt Eloquius. Mumboli acta & Eloquii adeò confuſa ſunt, ut dubites quid cui tribuas? legimus apud Surium III. Nonas Decembris vitam ſancti Eloquii: eadem omnino, quæ de eo ſcribuntur, & in breviario Latiniacenſi, & in antiquo codice Corbeienſi de ſancto Mumbolo memorata fuiſſe legimus. Scribunt acta Mumbolum ſub principatu Chlodovei Regis ex Hibernia in Galliam veniſſe *cum venerabilibus viris Furſeo, Vltano, Foïllano, Boëtiano, Elogio, Adadgiſo atque Cobano*, quæ & de Eloquio apud Surium legas. De ſancto Mumbolo ſcribunt excitatos adverſus eum diſcipulos, eumque propterea relictis omnibus cum paucis fratribus ſupra Iſaram conſediſſe, & in loco, cui Gundarinus nomen eſt, vitam eremiticam duxiſſe: ubi à viris piis & religioſis benignè ſuſceptus eſt, & à ſancto Eligio Epiſcopo presbyter conſecratus: addunt deinde ipſi factam prædicandi verbi divini poteſtatem: quæ ferme omnia de Eloquio enarrantur in ejus vita, quæ apud Surium legitur; de eorum morte varia ſcribuntur. Namque Mumbolum XIV. Calend. Decemb. Eloquium verò III. Nonas diem obiiſſe memorant. Mumboli reliquiæ in cœnobio Fontis ſancti Eligii propè Calniacum, quod canonicorum regularium eſt, & in agro Noviomagenſi ſitum eſt, aſſervantur. Eloquii tranſlatæ reliquiæ in Vvalcidiorenſe cœnobium, quod ad Moſam in comitatu Namurcenſi ſitum eſt. De Foſſatenſibus Abbatibus nonnihil quoque adjiciendum eſt. Aliàs dictum eſt Babolenum primum fuiſſe Foſſatenſis monaſterii Abbatem, huic verò ſucceſſiſſe Ambroſium auctor vitæ ſancti Baboleni ſcribit, Ambroſiumque à Baboleno electum fuiſſe paulò ante obitum. *Dùm ſciret*, inquit,

Act. SS. ord. S. Bened. 2. ſecul.

inquit, *ſui obitûs diem imminere, ſucceſſorem ſibi elegit virum reverentiſſimum Ambroſium nomine* &c. Alii vero Abbates, qui Foſſarenſi cœnobio poſt Ambroſium præfuerunt, ſolis nominibus noti ſunt, Ambroſio Auſtroaldum ſucceſſiſſe ferunt, & huic Valderanum, cui poſteà Madobodum, Odonem, Gunteranum, Gogonem, Arveranum, Erlafredum ſibi non interruptâ ſerie ſucceſſiſſe narrant. LIB. II. CAP. VIII.

V. His floruiſſe temporibus ſanctum Medericum ſcribit Stephanus Ladoneus de antiquit. Æduorum, cui aſſentitur vir doctus Mabillonius, etſi hæc ſententia non omnibus probatur, huic tamen & nos accedimus, donec certis rationibus aliò rapiamur: de eo agemus non modò, quia ſanctum Medericum vita defunctum Pariſiis conſtat, ſed & quoniam baſilica ſub ejus nomine ædificata eſt, quæ & titulo parœciæ & collegii maximè illuſtrata eſt, ejus acta eruit Mabillonius ex bibliotheca ſancti Germani & ſancti Victoris, ex quibus hæc fermè, quæ hîc ſubjicimus. Medericus apud Æduos ex nobilibus parentibus natus, puer quatuordecim annorum monaſterio Auguſtodunenſi nomen dedit: in ea urbe tum erant duo monaſteria, quæ diſciplinâ monaſticâ florebant, monaſterium ſancti Symphoriani, cui olim ſanctus Germanus Pariſienſis præfuerat, & monaſterium ſancti Martini, in hoc ſeceſſiſſe Medericum vulgò exiſtimant. Cùm in eo monaſterio egregia auſterioris vitæ monimenta edidiſſet, Abbas hujus loci omnium conſenſu electus eſt. Ea autem prudentiâ eâque ſanctitate in hocce honorum faſtigio ſe geſſit, ut multi illius perciti admiratione ad eum turmatim accederent. Haud grata fuit ſancto Mederico frequens illa multitudo, celebriſque hominum concurſus: tantúmque detractum Deo reputabat, quantùm hominibus datum fuerat. Seceſſum igitur meditari cœpit & ſe latebris tegere; tertio igitur ab urbe lapide in ſolitudinem abiit, ſoluſque cellam habitare; loco cellæ S. Mederici nomen remanſit, ibi hodie parœcia eſt, cui Martiniani monachi preſbyterum ex antiquo inſtituto ſufficiunt. Tandem vir ſanctus precibus ſuorum interpellatus, & Epiſcopi ipſius minis provocatus ad monaſterium rediit. Poſt aliquod tempus auctore Frodulfo viro admirandæ ſanctitatis Pariſios ire orationis ergo inſtituit, ſeu ſanctorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii limina, ſeu ſancti Germani ſepulcrum expetere cogitaret. Medericus in itinere morbo affectus eſt, coactuſque eſt Campellis immorari in monaſterio hujus loci, reparatis illic quomodócunque viribus, Lutetiam demùm venit. Erat id temporis cellula quædam ſub ſancti Petri nomine dedicata: hæc autem ſita erat in ſuburbanis urbis ad Septemtrionem, ubi tum unum aut alterum monachum habitaſſe credibile eſt; hic Medericus diverſari cœpit, annoſque duos & menſes novem permanſit, malâ ſemper uſus valetudine, demùm morbo ingraveſcente deceſſit è vita quarto Calend. Septemb. quo die martyrologia ejus memoriam recolunt; illa deinde cellula, quæ unius aut alterius monachi ſedes erat, unius deinde preſbyteri titulus fuit, tum tranſlato ſancti Mederici corpore ſub Gozlino Pontifice Pariſienſi, dilatatoque extra inſulæ ambitum urbis pomœrio baſilica baptiſmalis fuit, & collegium canonicorum, quod & hodie permanet. De ejus tranſlatione ſuo dicemus loco, ſunt & aliæ eccleſiæ ſub ejus ejus nomine Deo dedicatæ, Campellis in Briegio inprimis erectæ & Linariis. Ejus reliquiæ primùm in crypta ſubterranea eccleſiæ recentioris cum honore tumulatæ ſunt, tum eductæ, partim argenteâ capſâ altari hujus baſilicæ impoſitæ ſunt, mandibula thecâ peculiari incluſa, pars Campellos tranſlata, cranii nimirum pars maxima cum duabis coſtis, & oſſe quod ſacrum vocant, & pars aliquantula Linariis in eccleſia cum honore cuſtodiuntur. Pariſiis in eadem ſancti Mederici baſilica anniverſarius dies S. Frodulfi, de quo mox dictum eſt, celebris habetur x. Calend. Maias, in eadem ſancti Mederici baſilica cranium ejus cum duobus vertebris & coſta religiosè habetur.

Act. SS. ord. S. Bened. ſæcul. 3. part. 1.

Acta SS. ord. S. Bened. 3. ſæcul. part. 1.

VI. Id temporis penes Pippinum ſumma rerum auctoritas. Hic ex Plectrude, ut dictum eſt, duos ſuſceperat filios Drocum ſeu Drogonem & Grimoaldum. Drocus Ducatum Campanienſem, ſeu hujus provinciæ præfecturam acceperat.

LIB IV. CAP. VIII. Nortbertus, cui vices præfecturæ domûs regiæ Pippinus commiſerat, quique
datus cuſtos Childeberto fuerat, mortem oppetiit, in ejus locum ſuffectus al-
ter è filiis Pippini & Præfectus domûs regiæ in aula Childeberti Regis conſti-
tutus eſt. Antiqui ſcriptores Grimoaldum inprimis laudant ob animi manſue-
tudinem & ſingularem in hoc honorum culmine modeſtiam, ob ſummam in
rebus tractandis juſtitiam, & quod raró in hac felicitate reperias, propter inſi-
gnem pietatem & magnam in erogandis eleemoſynis liberalitatem. Drogo
filius Pippini anno XIV. Childeberti Regis moritur. Hic Auſtrudem filiam
Vvarattonis Majoris-domus duxerat uxorem, quæ priùs nupſerat Bertario Præ-
fecto quoque domûs ſub Theodorico Rege, quique ex pugna Textriciana fu-
giens à ſuis interemptus fuerat. Ex his Pippini & Auſtrudis nuptiis Arnoldum
& Hugonem filios natos fuiſſe Annales Mettenſes narrant. Hugonis educatio-
nem avia Auſtrudis Vvarattonis uxor ſuſcepit, pietatem inprimis puerum do-
ceri & diſciplinis non modò liberalibus, ſed ſacris etiam litteris ejus animum
imbui curavit, quas juvenis adeò excolere ſtuduit, ut omnes ſapientiâ & reli-
gione anteiret; de Hugone inferius plura dicemus. Childebertus Rex interim
è vita decedit anno regni ſui XVII. quod Annales Mettenſes aliaque chroni-
ca memorant. Multas donationes eccleſiis contulit, Solemiumque inprimis
Lib. 6. villam ad Sabim in pago Fanomartenſi monaſterio Dionyſiano tradidit, extat
charta in opere de re diplomatica, huic monaſterio præerat tùm Chillardus
Abbas, de ea donatione lis poſtea orta eſt, hancque diremit Pippinus Ma-
jor-domus; extant & in eodem loco Childeberti placita, ſed illud præcipuè,
quo confirmat privilegia monaſterii ejuſdem de nundinis & mercato ſancti Dio-
nyſii, quæ olim Chlodoveus ejus avus conceſſerat, quæque ejuſdem avunculus
ſeu magis ejus patruus Childericus & pater Theodoricus, & ejus frater Chlo-
doveus confirmaverant: in eo placito fit mentio Grimoaldi Majoris-domûs, ec-
cleſiarum S. Martini & S. Laurentii in ſuburbanis urbis Pariſiorum, & Dal-
phini Abbatis hujus cœnobii. Unum eſt quod viros doctos remoratur, hoc ſci-
licet quod Chlodocharius ſeu Chlotarius germanus Childeberti nominatur,
cùm utique non Chlotarius, ſed Chlodoveus tertius fuerit, quod notatu dignum:
nam ſi ita eſt, ut ex autographo ipſo placitum deſcriptum ſit, quis ſibi perſua-
deat erratum fuiſſe in nomine Chlodovei, & ſub principatu Childeberti Re-
gis, jam Chlodovei ejus fratris abolitam memoriam. Placitum datum legitur
anno Childeberti Regis XVI. Extat demùm alterum placitum Childeberti
Regis. De farinario Cadolaici in villa Latiniaco propè Vernum in quo & Gri-
moaldi Majoris-domûs & Dalphini Abbatis S. Dionyſii mentio eſt, ut antea
memoratum eſt, datum eſt hoc anno XVI. regni Childeberti, hocque pro
monaſterio S. Dionyſii eſt.

VII. Dagobertus in locum patris ſuccedit, Rexque Francorum renunciatus eſt, quo
anno Grimoaldus Pippini filius & Præfectus palatii Theutſindam filiam Radbodi
Ducis Friſiorum duxit uxorem, ipſe verò poſt duos annos interfectus eſt. Pippinus
ejus pater ægrotare cœperat, tum Grimoaldus ad eum acceſſerat, utque pietate
& religione inprimis præditus erat, ad baſilicam S. Lamberti precandi Dei gratiâ
iverat, cúmque orationi ſe dederet à Ragnario crudeliter occiſus eſt. Fama fuit
auctorem ejus necis Radbodum Ducem Friſiorum ejus ſocerum fuiſſe. Paulò poſt
Pippinus ex morbo convaluit; conſcioſque necis Grimoaldi ſæviſſime ultus eſt:
tum Theodaldum filium Grimoaldi quem ex priori matrimonio ſuſceperat pue-
rum adhuc, Majorem-domûs Dagoberti Regis conſtituit. Nec multò poſt ipſe
Pippinus iterum affectus morbo interiit. De Pippini felicitate ad longum diſſe-
rere non inſtitui, per ſeptem & viginti annos ſummâ auctoritate apud Francos va-
luit, regnumque ſub Regibus Theodorico tertio, Chlodoveo tertio, Childeberto
tertio, & Dagoberto tertio pro libidine moderatus eſt, Regibus ſub cuſtodia
conſtitutis. Heriſtallium vulgò eum vocant, ab Heriſtallo palatio haud procul
à Leodienſi opido. Non dubito haud paucos fore qui me arguant, quòd aliud
ſcribam, quàm hiſtoriam Pariſienſem. Verùm cùm ad clariorem rerum ordi-
nem texere Regum noſtrorum ſeriem neceſſe ſit, operæ pretium fuit & Pip-

pini facta paucis delibare, cùm is Caroli martelli patet ſit & avus Pippini, unde origines ſecundæ ſtirpis Regum Francorum. Mors Pippini res Francicas valdè perturbavit. Plectrudem uxorem ejecerat ex toro, induxeratque Alpaïdem, ex qua filios Carolum & Childebrandum ſuſcepit. Tum mutatâ voluntate iterum Plectrudem toro adſciverat, & conſilio, ut puto, Sacerdotum expulerat è domo Alpaïdem, quæ & ipſa melioribus uſa conſiliis, ad emendationem pœnitentiamque ante actæ vitæ ſe in monaſterium ſubduxit, & ſanctioris diſciplinæ inſtituta ultrò amplexa eſt. Plectrudi duo filii fuerant ex Pippino, quorum funera ipſa ploraverat. Ex Drogone nati ſunt duo filii, Hugo, de quo à nobis antea memoratum eſt, & plura inſuper memorabuntur, & Arnoldus: Grimoaldi unicus erat filius Theudoaldus, quem avus Pippinus in ſolatium orbitatis Majorem-domûs regiæ etiam puerum fecerat. Plectrudis ſublato Pippino nepotis Theudoaldi tutelam capit, & in ſpem ſummæ auctoritatis educari juſſit, ipſaque ultra ſexum audacior regimen rei Francicæ capere inſtituit; ne quid verò Carolus filius Alpaïdis novi moliretur, eum arctè cuſtodiri juſſit. Anno ſequenti Franci ſeu Neuſtraſii haud ampliùs Pippini potentiâ deterriti, aſſerere in libertatem ſe & regnum adoriuntur, & muliebre imperium detrectare, armaque capere pro libertate. Plectrudis haud territa retinere ſummam rerum ſtatuit, Auſtraſios ad arma convocat. Franci magno numero ad bellum profecti ſunt, pugnatum eſt ad Cotiam ſilvam, Francorum victoria fuit, cæſi Auſtraſii, Theudoaldus fugâ ſibi conſulere. Franci eâ victoriâ elati Ragenfredum Majorem-domûs regiæ conſtituunt, & cum Dagoberto Rege ultra Carbonariam ſilvam profecti, Moſæ vicina loca populant, & cum Radbodo Friſiorum Duce fœdus percutiunt. Carolus filius Pippini ex Alpaïde, Plectrudis odio in cuſtodia detentus in ea rerum perturbatione evaſit, qui labentem ſtatum Auſtraſiorum in novas ſpes erexit, ut poſteà memorabimus. Hunc armorum ſucceſſum interrupit mors Dagoberti anno regni quinto, vixit annos XX. filium reliquit Theodoricum in cunis jacentem, qui ob ætatem haud idoneus regno viſus eſt, quo tempore Franci cum Auſtraſiis bellum acerrimè gererent. Danielem igitur filium Childerici Regis, quem clericum fecerant, Regem ſtatuunt, & Chilpericum nuncupant. Chilpericus haud contentus ſua ſorte, Neuſtria nempe & Burgundia, Auſtriam quoque armis occupare ſtatuit, addebat animos Ragenfredus ſuperiore victoria ad benè gerendum incitatus. Carolus aliundè paternam hæreditatem Auſtriam eſſe ratus, eam ſub præfectura regii palatii ambiebat: cúmque neuter alteri cederet, ad arma itum eſt. Chilpericus & Ragenfredus cum ingentibus copiis in Auſtriam profecti ſunt; occurrit his Carolus ad Vinciacum, qui locus in pago Cameracenſi ſitus eſt: pugnatum utrimque, magna cædes facta eſt. Demùm Chilpericus cum Ragenfredo in fugam verſus eſt, & Carolus victor evaſit. Rex Pariſios advolavit, ut ſe objectu fluminis tueretur. Sanè Carolus Chilpericum fugientem fruſtra inſecutus Coloniam Agrippinæ reverſus eſt, pugnaque à loco, ubi pugnatum eſt, Vinciacenſis dicta eſt; commiſſa eſt anno Domini DCCXVII. XII. Calend. April. Carolus receptis patris ſui theſauris, ne in ſe ex occupato per injuriam imperio odium Francorum accerſeret, Chlotarium, quem aiunt Theodorici filium fuiſſe, Chlodovei & nuper mortui Childeberti fratrem ad ſolium evocat, regioque nomine inſignit, an verè è regio ſanguine is ortus fuerit, an ſicut olim Ebroïnus, ita Carolus hunc perſonatum Regem fecerit, ut hac ſpecioſâ Regis imagine deluderet vanam plebeculam, varia fama eſt. Chilperico poſt acceptam cladem animus non defuit, in ſuas partes Eudonem Aquitaniæ Ducem vocat; ille pollicetur auxilium, cujus ſubſidio aliiſque ſupplementis auctus Rex, iterum aleam belli experiri decrevit, denuóque confligere cum Carolo auſus eſt, acies conflixere in agro Sueſſionenſi: Chilpericus cæſus eſt, iterumque fugâ ſibi conſuluit. Primum Pariſios, tum Aurelianos venit, Ligerimque trajiciens in Aquitaniam profugus fugit cum gaza regia; inſequebatur Regem Carolus, verùm Ligerim prætergredi, & in alienas terras iter facere non eſt auſus, fortè & morte Chlotarii, quem Regem fecerat, quæ hoc tempore accidit, aliò evocatus eſt.

LIB. IV. CAP VIII

VIII. Sequenti anno Carolus legatos ad Eudonem miſit amicitiam ejus precatus. Eudo è re ſua ratus pacem cum Carolo agere, non modò paciſci fœdus inſtituit: ſed ad illum quoque Chilpericum Regem remiſit cum militibus. Carolus ita Chilpericum admiſit, ut eum precariò & nomine tenus regnare pateretur; omnem verò regni poteſtatem retineret; neque diu Rex his ſupervixit, mortuus eſt anno Chriſti DCCXXI. in villa Attiniaco, & Noviomi ſepultus, regnavit quinque annos cum dimidio, ut legitur in geſtis Regum Francorum. Extat hujus Regis præceptum in opere de re diplomatica Chillardo Abbati conceſſum, quo immunitates à Regibus Dionyſiano monaſterio traditas confirmat, datum legitur pridie Calend. Martias anno primo ejus regni; legitur & alterum præceptum eidem Abbati datum de immunitate à teloneis, eodem anno primo ſcribitur conceſſum; extat & tertium ejuſdem Chilperici Regis præceptum de centum vaccis Dionyſiano cœnobio è fiſco perſolvendis datum Compendio primo ejus regni anno; habetur & in eodem loco Chilperici quartum præceptum ſeu privilegium pro monaſterio Foſſatenſi, ubi præſertim monaſterio datur poteſtas eligendi Abbatem, quem maluerit melior pars monachorum ex ipſo monaſterio, vel, ſi neceſſitas exegerit, ex alio quocumque lubitum ſit &c. Hoc privilegium Vvaldomaro Abbati Foſſatenſi conceditur, idque cum conſenſu Ragenfredi Majoris-domûs regiæ, in eo diplomate nihil reperio, quod huic ætati & formulæ privilegiorum non fuerit congruum; vixit Chilpericus annos XLIX. nullos reliquit filios. Næ inepti ſunt, qui illum ignaviæ & ſocordiæ arguunt, cum ipſe bis committere prælium, & conſerere manus cum hoſte haud detrectaverit, qui ſi infelici uſus eſt fortunâ, haud tamen per ejus animum ſtetit, quin pro retinendo imperio & vindicanda libertate audaciùs dimicaret.

IX. Chilperico ſucceſſit Theodoricus IV. quem vulgò Calenſem vocant, quoniam in Calenſi monaſterio educatus eſt, filius erat Dagoberti tertii, quem pater infantem moriens reliquerat; antiqui ſcriptores narrant à Francis renunciatum Regem, quaſi inconſulto Carolo appellatum dicerent: quidquid fuerit, Carolus omnem in ſe regiam poteſtatem tranſtulerat, belli paciſque vices pro libidine obibat, neque mei inſtituti eſt ſingula referre, quæ feliciter geſſit adverſus vicinas nationes, quàm præclarè bellum fecerit adverſus Friſios Saxones, Bajovarios, Alemannos, Aquitanos & Sarracenos ipſos, quorum magnam ſtragem apud Pictavos vir bellicoſus edidit, adverſus quos eâdem felicitate in ſeptimania dimicavit. Carolus ex ſeptimania Pariſios feſtinanter venit, quo tempore obiit Theodoricus Rex, regnavit annos XVII. id eſt ſeptimo & decimo regni ſui anno mortuus eſt. Poſt mortem Theodorici Regis interregnum fuit ad annum ſeptimum, id eſt ad annum Chriſti DCCXLIII. quo anno Childericus Theodorici Regis filius Rex renunciatus eſt, & nono regni ſui anno regnare deſtitit, Pippino Caroli filio ad regnum evocato. Extat lib. 6. de re diplomatica privilegium in gratiam monaſterii Dionyſiani conceſſum ex illius monaſterii archivo erutum, quo ſuperiora Regum privilegia confirmantur, vetantur ſcilicet Epiſcopi Pariſienſes de bonis & facultatibus hujus monaſterii quidquam minuere, aut ſibi tribuere quidquam ex donationibus monaſterio collatis. Eo quoque ptivilegio datur poteſtas monachis eligendi ſibi Abbatem poſt mortem alterius. Ea vero antiqua ſunt monaſteriorum jura ſeu potiùs privilegia, quibus communi Epiſcoporum juri in hac parte derogatum eſt. In eo præcepto fit mentio ſancti Clementis ſucceſſoris ſancti Petri Apoſtoli, qui ſanctum Dionyſium ejuſque ſocios Ruſticum & Eleutherium in Gallias ad fidem annunciandam miſerit. Jam vel hoc tempore hæc opinio invaluerat: in hoc quoque privilegio fit mentio Berthoaldi Abbatis ſancti Dionyſii, & datum legitur anno III. regni Theodorici. Cùm interregnum eſſet, Carolus ſummam rerum obtinebat ſub nomine principatûs, cùm nomen Regis non ſibi tribueret, qui honos habebatur regiæ familiæ, quod quidem Majores palatii, etſi auctoritate regiâ pollebant, ſibi arrogare auſi non fuerant. Dum hæc ita in Galliis ſe habebant, Luitprandus Rex oppugnare Romanos

cœpit, & aliquot opida Romanorum invadere: tum ſummus Pontifex ad Carolum ſcribere & conqueri apud eum injuriam Longobardorum, & ejus opem adverſus eos poſcere; haud dubito, quin Carolus ei opem fuerit præſtiturus, niſi mors ejus conſilia interrupiſſet. Ægrotare cœpit in villa Vermeria, ſeu Verimbrea, quæ ad Iſaram ſita eſt, inde, ut ait Annaliſta Mettenſis, ad baſilicam ſancti Dionyſii venit, ubi ad ſepulcrum ſancti Dionyſii martyris orationem fecit, multaque munera contulit, tum ſe ad Cariſiacum villam transferri juſſit, ubi graviſſimâ oppreſſus febre animam exhalavit anno Chriſti DCCXLI. anno ſui principatûs XXVI. ut Cointius computat, de die pugna eſt, alii Idib. Octob. alii XI. Calend. Novemb. mortuum narrant. *Ad Pariſiacam civitatem properans ad ſepulcrum beatiſſimi martyris orationis causâ pervenit, cui multa munera poſt actam orationem devoto animo contulit. Inde verò veniens ad Cariſiacum villam ſuper fluvium Iſara ſitam perrexit, in qua validâ febre correptus in pace obiit.* Sepultus eſt Carolus in baſilica ſancti Dionyſii. Extat apud Dublerum charta ſeu præceptum Caroli, quo villam Clippiacum donat monaſterio Dionyſiano cum omnibus ſuis appenditiis, aliamque auri & argenti ſummam monaſterio juſſit expendi. Datum eſt præceptum anno quinto poſt defunctum Theodoricum Regem, ex quo cernere licet & tunc interregnum fuiſſe & Carolum nomen quidem Regis non habuiſſe, omnia tamen, quæ Regum erant, pro arbitrio ordinaſſe, qui villas regias monaſteriis concederet. Charta ſic incipit. *Ego Inluſter vir Karlus Majorum domûs filius Pippini.* Nihilominus ejus ſepulcro, hæc inſcripta leguntur. *Carolus Martellus Rex.* Sed hæc recentiora eſſe ex hoc collige. Namque Valeſius tradit neminem ſe reperiſſe vetuſtiorem Hepidanno & Odoranno monachis, qui regnante apud Francos Henrico Roberti filio floruerunt, qui Carolum mattellum dixerit. Illos deinde Lambertum, Leonem Marſicanum, Sigebertum alioſque eſſe imitatos: Tuditem tamen, quod idem ſonat, jam à tempore Caroli calvi appellatum eſſe conſtat. Mortuus eſt Carolus quinquagenario major, Rotrudem duxit uxorem, tum Sonechildem, ex priori conjugio filios habuit Carolomannum & Pippinum, quibus annumerant Bernardum, Hieronymum & Remigium. Ex altero matrimonio Grifo, ſeu Grippo natus eſt.. Pippinus Neuſtriam ex teſtamento patris ſortitus eſt, Carolomannus Auſtriam. Sonechildis ægrè tulit Grifoni nihil relictum, cœpit itaque in regno movere turbas. Pippinus Carolomannuſque motus inteſtinos ſtatim ſedare ſtatuerunt, colliguntque exercitum. Grifo cum matre ſe Lugduno Clavato includere, ſed obſeſſi ſe ſe dediderunt, Sonechildis monaſterio Calenſi incluſa eſt, & Griffo novo caſtello in Arduenna ſilva cuſtodiæ datus, ubi permanſit quamdiu Carolomannus rerum potitus eſt, fuerant & filiæ Carolo, ex quibus Chiltrudis nota quæ contra fratrum voluntatem Odiloni Duci Baioariæ nupſit.

Poſt mortem Caroli varia de ejus ſalute fama fuit, ſcribunt eum æternis addictum pœnis, quoniam bona & facultates eccleſiaſticas laicis diſtribuerat; X.
neque ego miror hoc legi in prologo vitæ ſancti Remigii ab Hincmaro compoſitæ: ſed id ipſum etiam deſcriptum in epiſtola Cariſiacenſis Synodi ad Ludovicum Germaniæ Regem filium Ludovici pii: ea autem fabula in eum fermè modum ſcripta eſt. Carolus princeps Pippini Regis pater primus extitit inter Reges Francorum, qui res Eccleſiæ aliò diverteret, in cujus pœnam æternis ſupplicius addictus eſt. Sanctus namque Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus, cujus corpus in monaſterio S. Trudonis tumulatum eſt, antequam moreretur, ſpiritu aliquando raptus ad cælum, vidit eum æternis condemnatum ſuppliciis, & inferni cruciaribus ſubjectum; quærenti quid rerum eſſet, reſpondit Angelus Carolum his addictum pœnis ex judicio ſanctorum, quorum res abſtulerat, & in uſum aliorum diſtribuerat, & illi inflictam pœnam non modò propter propria, quæ admiſerat, peccata: ſed etiam pro culpis eorum omnium, qui ſe ſuis exuerant facultatibus in alimoniam pauperum, ut hoc pretio ſuas animas redimerent. Receptis animis Eucherius adiit ſanctum Bonifacium, & Fulradum Abbatem monaſterii ſancti Dionyſii, & ſummum Regis Pippini capel-

Ex Synodo Cariſiacenſ. 858.

lanum, nunciavitque quæ viderat, rogavitque, ut ad ſepulcrum Caroli pergerent, idque ſui oſtenti haud vanum teſtimonium fore, ſi corpus Caroli non ampliùs in tumulo reperirent. Illi ad monaſterium ſancti Dionyſii perrexerunt, & aperuerunt ſepulcrum, illico inde exiliit immanis draco, & nigrâ fuligine obſitum ſepulcrum inventum eſt. *Nos autem*, inquiunt Patres Cariſiacenſes, *illos vidimus, qui uſque ad noſtram ætatem duraverunt, & qui huic rei interfuerunt, & nobis viva voce veraciter ſunt teſtati, quæ audierunt & viderunt.* Cùm id poſteà Pippino renunciatum eſſet; Synodum Liptinis babuit, cui præfuit cum ſancto Bonifacio Gregorius id temporis legatus Apoſtolicæ ſedis, & omnia quæ pater ejus Eccleſiis abſtulerat, quantùm in ſe fuit, curavit reſtitui; ſed cùm propter bellum, quod cum Vvaifario Aquitanorum principe habebat, haud eſſet facile reddi omnia, precarias ab Epiſcopis fieri petiit. Hæc vulgò narrant de Carolo martello, eadem in vita ſancti Eucherii, quam Surius publicavit, reperiuntur, & in aliis locis, quæ, ne ſim longior, referre ſuperſedeo. Docti hanc narrationem ut falſam inanemque explodunt; nonnulli iique doctiſſimi viri, hoc uno telo banc fabulam perimunt; quod Eucherium ante Carolum mortem obiiſſe aſſerant. Baronius decem annos mortem Eucherii præceſſiſſe memorat, Valeſius duobus, & libèns eo in ejus ſententiam, eam verò præſertim ob cauſam. Carolus ſcilicet primam expeditionem fecit adverſus Sarracenos in Aquitania anno Chriſti DCCXXXII. & inſigni potitus victoriâ Aurelianos venit, Eucherium abduxit ſecum Pariſios, quem Sarcbinium ire exulatum juſſit, cum autem auctor ejus vitæ ſcribat eum ſexennio poſt oppetiiſſe mortem, oportet Eucherium è vita deceſſiſſe anno Chriſti DCCXXXVIII. Illius porrò expedirionis mentionem factam in ejus vita id manifeſtum eſt, ubi hæc verba leguntur. *Interea*, inquit auctor ejus vitæ, *gens nefanda Iſmaelitarum ex propriis cubiculis egreſſa, ad depopulandam provinciam Aquitaniam ingreſſa, imminenti periculo ſui exercitûs cunctam vaſtans ſupellectilem, civitates vel caſtella nititur expugnare. Audiens hæc Carolus princeps, collectis gentibus Burgundionum Francorumque obviam illis cum magno pergit exercitu; illoſque cum ſuo vaſtans exercitu, obtentâque victoriâ, cum magnis ad propria eſt reverſus ſpoliis. Cum autem ad civitatem adveniſſet Aurelianis, Ligeris alveum tranſiens prandia parata relinquens, & ad urbem Pariſius tendens, beatum Eucherium poſt ſe ire præcepit* &c. Ex his verbis clarum eſt fieri ſermonem primæ expeditionis, nam de Sarracenis quaſi non antea cognitis, de Aquitanico autem bello & de Aquitanica victoria, quâ relatâ rectâ Aurelianos perrexit, ex quibus & ſimilibus verbis facilè intelligas ſermonem eſſe non de expeditione poſteriore, quæ in Septimania acta eſt, ex qua provincia non adeo expeditum iter eſt Aurelianos ad eundum Pariſios. Sane ſi Carolo ſuperſtes fuiſſet Eucherius, & Pippinus facta patris emendare inſtituiſſet, ſicut in Synodo Cariſiacenſi legitur; primùm Pippino ſeu Carolomanno veniſſet in mentem de reſtituendo in ſedem Eucberio. Scio ea haud omnino congruere cum iis, quæ in iiſdem actis continentur, quæ ſcilicet narrant de initio Epiſcopatûs Eucherii, quòd plebs Aurelianenſis ad Carolum acceſſerit ſede vacante, & Eucherium ſibi dari Epiſcopum petierit, & poſt ſedecim annos in exilium miſſus ſit, quæ ſi ſic ſe habent, non primâ ſed ſecundâ adverſus Sarracenos expeditione exulare cœpit, niſi loco Chilperici Caroli nomen irrepſerit; hæc poſteriora in cauſa fuerunt cur eccleſiaſtici Annales Francorum, ſicut antea Henſchenius, Eucherium ſecundo poſt obitum Caroli anno deceſſiſſe memorent; quidquid fuerit, qui hanc ſententiam amplectuntur, non utique credunt eam, quam ſupra retulimus, relationem certiorem eſſe. In ea profectò multa reperiuntur quæ haud congruunt cum veritate, memorant Eucberium poſt viſionem adiiſſe Fulradum Abbatem monaſterii ſancti Dionyſii, & ſummum Regis Pippini capellanum. Quî conſona hæc eſſe poſſunt veritati? ſi quidem Eucherius obiit anno DCCXLIII. neque Fulradus ante annum DCCL. Abbas ſancti Dionyſii cœpit eſſe, ſeptem ſcilicet annis poſt mortem Eucherii, qui, ut babent ejus acta ſexto exilii ſui anno, id eſt ſex annos poſt partam de Sarracenis victoriam mortuus eſt. Neque verum

eſt Bonifacium in Neuſtriam, nedum in monaſterium ſancti Dionyſii veniſſe
niſi poſt obitum ſancti Eucherii: ſed, quod maximi momenti eſt, viſio illa toto integroque ſæculo non nota fuit; de ea ſilentium eſt ab obitu Eucherii ad Caroli calvi ætatem, quâ primùm in vulgus cœpit fabula ſpargi, neque eſt cur mihi acta Eucherii opponantur, quæ ſtatim poſt ejus obitum exarata ſunt, nam quæ de hac viſione in iis ſcripta ſunt, mera interpolatio eſt. Henſchenius enim in tribus codicibus germanis & ſinceris hanc viſionem non legit, neque Mabillonius in quarto codice ad quem acta ſancti Eucherii recognovit, & Ludovicus Pius in epiſtola ad Hilduïnum de Carolo martello hunc habet ſermonem. *Proavus noſter Carolus Princeps Francorum inclytus, per orationes ipſius excellentiſſimi martyris, ſancti ſcilicet Dionyſii, adeptum ſe fuiſſe gratulatus eſt apicem principatûs, eidemque decurſo mortalitatis tempore, quod carius habere potuit depoſitum, corpus ſcilicet proprium in magni die judicii ſuſcitandum, & animam Deo præſentandam fideliter commendavit, ac per hòc maximè devotionem atque fiduciam cordis erga peculiarem patronum patenter oſtendit.* Enim verò Ludovicus hæc de proavo locutus fuiſſet, quem addictum eſſe æternis ſuppliciis haud ignoraſſet, cujus ſepulcrum ſciviſſet eſſe vacuum. His adde quod habet breve chronicon ſancti Dionyſii, ubi de tranſlatione corporis Caroli martelli agitur. *Anno DCCLXIV. tranſlati ſunt Reges in dextro choro, ſcilicet Ludovicus Rex filius Dagoberti, Carolus martellus Rex*, quæ quomodo viſioni Eucherianæ congruant quiſque facile intelligere poteſt. Sed, quod mirum eſt, Patres Cariſiacenſis Synodi aſſerunt à ſe viſos & auditos viros, qui huic rei interfuerant; cùm verò centum & plures anni elapſi ſint à morte Eucherii ad Cariſiacenſem Synodum, & Hincmarus, qui huic Synodo interfuit, & quem ſcripſiſſe epiſtolam haud vanis argumentis exiſtimo, & viginti adhuc annos huic ſupervixiſſe certum eſt: quomodo hic ea audire, ea reſcire à teſtibus oculatis potuit, id eſt à viris, qui Eucherium viderint, qui rem inſpicere & de ea teſtimonium ferre potuerint; huc accedit quòd Leptinenſe Concilium ad emendationem rerum, quas Carolus malè geſſerat, à Pippino coactum ſcribunt, conſtat autem non ab eo, ſed à Carolomanno & in ejus ditione habitum eſſe. Ceterùm hujus narrationis auctorem Hincmarum eſſe puto, nullum enim ante hunc ſcriptorem reperias, qui hanc memoret, & adeò illius commenti amans fuit, ut illius etiam fabulæ in prologo vitæ ſancti Remigii meminerit; ex his aliiſque, quæ referre longum eſt, clarum eſt hanc viſionem numero fabularum computandam eſſe.

Pippinus & Carolomannus mortuo patre Carolo rem agere ſimul cœperunt, XI.
multaque bella adverſus Aquitanos, Bajoarios & Saxones feliciter geſſerunt, quæ quoniam ad inſtitutum non attinent, libens prætereo. Jam vero ſeptimus annus erat ex quo cœperat eſſe interregnum. Demùm Carolomannus & Pippinus optimatum populique invidiæ à ſe depellendæ causâ, Childericum ſalutant Regem. Vulgò hunc Theodorici quarti filium fuiſſe exiſtimant, de ejus enim patre, ætate & natalibus longa apud ſcriptores noſtros diſceptatio eſt: ſed ea ad noſtras res non pertinet. Anno ſequenti habitum eſt à Pippino Sueſſionis Concilium, ſubſcriptiones pænè omnes deſunt, haud dubito, quin & Epiſcopus Pariſienſis ei adfuerit. Dùm hæc agerentur Carolomannus tædio rerum humanarum & amore cæleſtium ſeceſſum meditari cœpit; regno itaque filiiſque fratri Pippino commendatis Romam proficiſcitur, ibique tonſuram accepit; ædificavitque in monte Soracte monaſterium, & deinde ad montem Caſſinum ſeceſſit, & ibi monachum induit. Tum Pippinus ſolus rerum Francicarum arbiter, ſeriò de occupando regno cogitare cœpit, omneſque deinceps conatus adhibere, ut non ſolum regiam auctoritatem ſibi per provincias, ſed regium etiam nomen, quod ſuæ magnitudini deerat, aſſumeret, hæc conſilia eò audaciùs cepit, quod eodem anno natus eſt illi filius Carolus, cujus poſteà clarum nomen fuit. Biennio poſt pax toto Francorum regno fuit, quod maximè conſilia Regis Pippini promovit. Extant placita Pippini Majoris-domûs apud Dubletum in antiquitatibus monaſterii Dionyſiani, & in opere de re diplomatica lib. 6. Cùm his temporibus turbidis multi res Dionyſianas invaſi-

LIB. IV. CAP. VIII.

ſent, juſſit ea omnia reddi huic monaſterio, uti legitur in placito, quod Dubletus publicavit. Pippinus Major-domûs *cum reſediſſet Verno in palatio publico ad univerſorum cauſas audiendas, vel recta judicia terminanda, in menſe Februario die viceſimo quinto anno quinto Childerici Regis*; paulò ante ab eodem Pippino eodem anno quinto Childerici Regis XI. Februarii datum fuerat placitum, quod Mabillonius edidit, quo manſus apud Marolium Dionyſiano monaſterio vindicatur. Extat & tertium placitum apud eumdem auctorem, quo crux, oratorium, aliaque prædia à fiſco ſolemio pendentia, eidem aſſeruntur monaſterio. Sic placitum incipit. *Inluſter vir Pippinus Major-domûs, cui Dominus regendi curam dimittit. Cunctorum jurgia examinatione diligenti rimari oportet.* Datum legitur menſe Auguſto die XVII. anno octavo regni glorioſiſſimi Childerici Regis. Extat & quartum placitum Pippini Majoris-domûs datum in palatio Attiniaco anno nono Childerici Regis, qui fuit ultimus illius regni in gratiam Fulradi Abbatis de vico Curborio evindicato adverſus Ragananam Abbatiſſam ſeptemolæ. Ex hoc præcepto liquet Fulradum jam inde à tempore Pippini Majoris-domûs ſancti Dionyſii Abbatem fuiſſe, hujus occaſione ſeries horum Abbatum nobis texenda eſt, aut potiùs ex Mabillonio proſequenda.

XII. *De re Diplom. charta 40.* De Chillardo ſeu Hellardo Abbate & Turnoaldo Epiſcopo Pariſienſi & Abbate ſancti Dionyſii antea dictum eſt. Hugonem deinde huic Mabillonius ſubjicit, quod ex charta Pippini Regis probat, in ea Hugo anteceſſor Fulradi Abbatis nominatur, huic ſubrogatur Bertoaldus, cujus meminit charta Theodorici Calenſis, quam Dubletus exſcripſit pag. 686. & 687. & huic Godobaldus cujus meminit libellus de miraculis ſancti Dionyſii, qui ſervatur in majore baſilica urbis Remenſis, ex quo hæc Mabillonius exſcripſit. *Sub Carolo Francorum Principe & Majore-Domûs, ut tunc moris erat, vocato, quidam nomine Godobaldus, ortus provincia Albanienſi, villa, quæ dicitur Artrido cùm in necem beatiſſimi viri Lantberti Epiſcopi cuidam Comiti Dodoni nomine, ſe conſortem & conſcium præbuiſſet, Deo pœnam exigente claudus effectus eſt. Itaque divini flagelli admonitu reatum ſuum agnoſcens diu ſanctorum loca circumiens, & admiſſis veniam & membris incolumitatem reſtitui flagitabat; tandemque ad beatiſſimi Petri limina Romam veniens, divinà revelatione cognovit ſanitatis recuperandæ locum in Galliis ſibi apud ſanctorum martyrum Dionyſii Ruſtici & Eleutherii memorias eſſe conceſſum. Regreſſus igitur ab urbe deſignatum cælitus locum expetit, ibique optatam, diuque quæſitam ſanitatem recuperat.* Erat tunc *Abba loci Helardus, qui divino miraculo congratulans, locum ei & alimenta communia conceſſit. Sicque in eodem loco vitam degens, cùm in multis probus omnibus appareret, præcipiente Carolo Principe Abbatis inibi officium ſuſcepit, ac per viginti quinque annos ſtrenuiſſimè adminiſtravit.* Monaſterium ſancti Dionyſii adminiſtraſſe Bertoaldum XXV. annos ex hoc loco manifeſtiſſimum eſt ab anno ſcilicet, ut Mabillonius computat, DCCXXIII. quo Bertoaldus deceſſit ad annum DCCXLVIII. quo ipſe obiit Godobaldus, & ei Amalbertus ſucceſſit. Cùm Godobaldus perſonam Abbatis gereret, Sigobertus in monaſterio Dionyſiano recluſus à Carolo Principe Francorum Romam delegatus eſt ad Gregorium tertium cum Grimone Abbate Corbeienſi, quod habent antiqui Francorum annales, malè indices eum numero Abbatum aſcribunt. Amalbertus Godobaldo ſubrogatus eſt, hujus mentio eſt in placito Pippini Majoris-domûs, quod datum eſt anno quinto regni Childerici Regis, quo manſus apud Marolium cœnobio Dionyſiano aſſeritur. Amalberto ſucceſſit Fulradus, de quo aliàs longior ſermo erit.

XIII. Non potui aliquando non ſatis mirari, quod cùm ſub Carolo Principe & Pippino ejus filio Majore-domûs res Francorum florentiſſimæ eſſent, Eccleſia Pariſienſis in obſcuro jaceret; adeò ut poſt evolutas etiam antiquas monaſteriorum chartas & antiqua Francorum acta, nihil tamen occurreret, quod hiſtoriam Epiſcoporum hujus Eccleſiæ illuſtraret. De Turnoaldo Epiſcopo Pariſienſi antea relatum eſt, huic ſucceſſiſſe Adulphum indices Pariſienſium Epiſcoporum tradunt, nobis ſolo nomine notus eſt: ſicut Bernecharius, qui illi ſubrogatus eſt. Bernechario Hugo ſuffectus eſt, de quo plura referemus ex

chronico

chronico Fontanellenſi, de eo à nobis memoratum eſt hunc fuiſſe Drogonis filium & Pippini Heriſtallii nepotem. Hunc quoque diximus ab avia Ansflede piè & liberaliter educatum, jactaque pietatis ſemina uberrimos fructus edidiſſe. Quare ille provectiorem cùm attigiſſer ætatem, ſanctioribus imbutus documentis, cœpit opes, honores, aliaſque ſæculi illecebras contemptui habere, & omnia rebus cæleſtibus poſthabere, ſacra loca multis locupletare donationibus. Ad Rotomagenſem carhedram evocatus eſt, poſtea quoque Pontificatum Eccleſiæ Pariſienſis & Baiocaſſinæ geſſit, & eodem rempore habuit adminiſtrationem Fontanellenſis monaſterii, & Gemmeticenſis quod chronicon Fontanellenſe deſcribit cap. VIII. his verbis. *Hugo filius Drogonis vir venerabilis à matre nomine Adaltrude progenitus, Nepos Caroli ſagaciſſimi principis, Archiepiſcopus Rotomagenſis Eccleſiæ, poſt præfatum Benignum regimen hujus cœnobii ſuſcepit ab anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo-tertio Indictione* VI. *qui erat annus principatûs Caroli nonus, Gregorii verò ſecundi Papæ, qui loco nonageſimo à ſancto Petro Romanæ præfuit Eccleſiæ, annus ſeptimus inſtabat, rexitque iſtud cœnobium per annos novem, menſes duos, & dies tredecim, id eſt uſque ad annum decimum-ſextum principatûs antefati Caroli, Gregorii verò præfati Papæ decimum-ſeptimum, Dominicæ quoque Incarnationis ſeptingenteſimo & trigeſimo Indictione decimâ-tertiâ. Hic etiam præſulatum Eccleſiæ Pariſiacæ ſimulque Baiocaſſinæ cum Rotomagenſi tenuit, factione ſcilicet patrui ſui Caroli Principis, extra decreta tamen canonum, cœnobia verò nobiliora Fontanellum & Gemmeticum. Prædia verò regia, quæ ejus inſederunt animo: non enim causâ perverſæ cupiditatis, aut aliquo ſæculari faſtu à patruo ſuo Carolo Principe, ſive à Regibus Francorum, qui ejus tempore ſceptra regni hujus tenuerunt, id eſt Hildeberto, Dagoberto, Hilperico, Chlotario, nec non & Theoderico ea impetrabat, ſed ut ſtatim Eccleſiis Chriſti contraderet.* Magnas ſanè amplaſque facultates contuliſſe ſingulis ſuis Eccleſiis & monaſteriis narrat idem chronicon. *Quæ cuncta*, inquit, *ſi qui pleniùs ſcire cupiunt, ſcrinia civitatum Rotomagenſis, Pariſiacæ & Baiocaſſinæ, & hujus cœnobii Fontanellenſis, ſimulque Gemmeticenſis revolvant, illicque invenient quantam ſollicitudinem ac pervigilem curam, de conſtructione, propagatione & adminiſtratione ac exaltatione Eccleſiarum habuerit.* Addit idem chronicon rectorem ſeu procuratorem fuiſſe Eccleſiæ Pariſiacæ trigeſimum-quintum à Bearo Dionyſio conſtitutum fuiſſe. *Rector quoque ſive procurator urbis Pariſiacæ trigeſimus-quintus à beato Dionyſio conſtituitur.* Quibus verbis innuit auctor chronici non tam fuiſſe Epiſcopum Eccleſiæ Pariſienſis, quàm faculratum & bonorum illius Eccleſiæ adminiſtratorem procuraroremque. In antiquis indicibus trigeſimus-ſeptimus Eccleſiæ Pariſienſis Epiſcopus vulgò legitur. Demùm chronicon diem ejus obitûs his verbis annotar, & ejus acta ira concludit. *Expletis namque laudabilis curſûs ſui annis migravit ad Dominum ſexto Idûs Aprilis, qui erat annus Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimus-trigeſimus Indictione decimâ-tertiâ. Corpus ejus Gemmetico cœnobio, quo etiam vitâ deceſſit, in eccleſia ſanctæ matris ac perpetuæ virginis Mariæ venerabiliter ſepulturæ eſt traditum: conditaque eſt à fratribus illinc habitantibus ſupra tumbam illius repa diverſis metallis decorata, ob amorem videlicet, ſanctitatem, ac reverentiam illius. Nullus enim ante eum ejuſdem cœnobii rector, nec poſt eum tot prædia ac poſſeſſiones in jure ipſius venerabilis loci contulit ac impetravit, ſicut ipſe facere curavit, veluti teſtamento ipſius cœnobii cunctis legentibus liquidò patet. Hic dimiſit in hoc cœnobio Fontanellenſi calicem aureum, & patenam auream penſantem libras quatuor, uncias duas, turriculam auream penſantem libras ſex, capſam auro & gemmis decoratam continentem pignora diverſorum ſanctorum. Plurima enim bonitatis geſſit opera, quæ dinumerare laborioſiſſimum eſſet; nobilis enim extitit genere, ſed non inferior religione.* Hæc de ſancto Hugone chronicon Fontanellenſe. Quinto Idûs Aprilis fit ejus memoria in martyrologio Romano, *Rotomagi ſancti Hugonis Epiſcopi*, & eodem die in martyrologio Benedictino. Merſeidus huic in epiſcopatu Pariſienſi ſucceſſit, cujus in antiquis tabulariis Eccleſiæ Pariſienſis, & indicibus memoria eſt. Fedolus ſeu Fedolius huic ſucceſſit. Vetus index Epiſcoporum Pariſienſium è bibliotheca Colbertina Fedolio

LIB IV. CAP. VIII.

Ff

LIB IV. CAP. VIII. Ratbertum ſubrogat, ſed nulla hujus in aliis indicibus memoria eſt. Ragne captum his omnes catalogi ſubſtituunt, de eo inferiùs dicemus. Illi verò Epiſcopi quos modo commemoravimus in ſolis indicibus celebrati ſunt, neque aliàs illorum ulla eſt memoria.

XIV. Hiſtoria Eccleſiæ Pariſienſis ad ſecundam Regum Francorum familiam perducta eſt, hæc auctorem habuit ſanctum Dionyſium, qui ejus incunabula ſuo tinxit ſanguine; crevit deinde ſub ſanctis Pontificibus qui ſequuti ſunt, & fide, & morum integritate, & credentium multitudine. Cùm Arrianum virus inficeret orbem, cavit Victorinus Epiſcopus, ne vis veneni, quod partes ſinceras corruperat, in Pariſienſem Eccleſiam ſerperet. Immò & ille cum ſanctiſſimis Epiſcopis providit, ne labes hæc in alias graſſaretur provincias. Jam verò ſub SS. Marcello & Germano adulta & viribus aucta, pietate & morum ſanctitate claruit, & frequenti clero celebris fuit, ut Fortunatus verſibus cecinit. Tum religione monachorum floruit, cœnobia & baſilicæ à Regibus Francorum extructæ, & regia beneficentiâ dotatæ ſunt, Chlodoveus poſtquàm religionem Chriſtianam ſuſcepit, baſilicam ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli extruxit, Childebertus baſilicam & monaſterium ſancti Vincentii; Dagobertus non modò ædificavit eccleſiam in honorem ſanctorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii: ſed præterea eam prædiis, latifundiis ampliſſimiſque dotavit redditibus. Ad Regum exemplum Erchinoaldus deinde Major-domûs Latiniacenſe condidit monaſterium; & archidiaconus Eccleſiæ Pariſienſis Bledigiſilus Foſſatenſe; neque ſilentio prætereundus ſanctus Chlodoaldus è Regibus Francorum ortus, qui majorem Eccleſiam pluribus auxit donationibus, quibus etiamnum perfruitur. Floruere etiam his temporibus virginum cœnobia. Sanctus Eligius, cujus etiam in Eccleſia Pariſienſi celebre nomen, fundavit S. Martialis monaſterium, & Regina Bathildis haud minùs pietate, quàm dignitate celebrata Calenſe monaſterium extruxit, pluribuſque bonis cumulavit. Jam verò in eadem Eccleſia haud pauca Concilia celebrata, quibus & fides & diſciplina Eccleſiæ aſſerta eſt, haud pauci extiterunt Pontifices, quorum veneranda apud poſteros ob vitæ ſanctitatem memoria, Reges Regumque filii & Reginæ aſcripti ſanctorum catalogo ob vitam piè & ſanctè peractam; mulieres quoque ex auguſto Regum Francorum ſanguine ortæ, natæ & inſtitutæ Pariſiis præclarum apud exteras gentes ſuæ fidei ediderunt teſtimonium, ut antea memoratum eſt. Quid multos dicam Abbates, & virgines, quorum in faſtis eccleſiaſticis honorifica mentio, & qui in Eccleſia Pariſienſi floruerunt. Quis verò non miretur, quòd hæc Eccleſia ne vel latum unguem, ut aiunt, à recto fidei tramite tot annos deflexit, neque modò, ut inferiùs oſtendemus, uſque ad principatum Pippini: ſed ad noſtra uſque tempora hauſtam à primis temporibus doctrinam illibatè cuſtodivit. Quin & Pontifices, qui hanc Eccleſiam per tot annorum curricula haud interruptâ ſucceſſione rexerunt, fidem primitus traditam aliquâ aſpergi maculâ, vel ullâ veneni contagione corrumpi nuſquam permiſerunt. Eam convellere Patrum noſtrorum memoriâ hæreſis conata eſt; dicemus aliquando quibus viribus reſtiterit ejus conatibus Pariſienſis Eccleſia, & quomodò debellata impietate victrix ſemper extiterit, & quas palmas ſub felice Ludovici magni principatu, & fauſtis Franciſci Harlæi Archiepiſcopi Pariſienſis auſpiciis collegerit.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Pippini electione in Regem Francorum, & de ejus ſacra inunctione. De Stephani P. P. III. profectione in Gallias, & de ejus in monaſterio S. Dionyſii commoratione.

PIPPINO omnia ex animo cedebant, ſummum apud Francos ex avi patriſque hæreditate gerebat magiſtratum, florenribus erat annis, nondum enim octavum & trigeſimum aonum exceſſerat; amplificandæ familiæ ſpem fovebant duo filii, Carolus & Carolomannus, in quorum ore futuræ magnitudinis haud vana enitebant indicia: præter ſpleodorem & gloriam, quibus pater & avus eum cumulatiſſimè ornaverant, bellis pluribus feliciter coofectis magnam ſui oominis æſtimationem apud Francos acquiſiverat, ad ſummam amplitudinem nihil reliqui videbatur, præter Regis nomen, quod in ea poteſtate, qua potiebatur paratu haud difficile erat, jam diu aſſuetis ſervituti Regibus, & uno ex familia Chlodovei ſuperſtite Childerico adoleſcente, cujus abdicationem, ut erant ea tempora, nemo conqueri, nemo repoſcere armis hæreditarem poſſer. Cùm in eo ſtatu rerum Francicarum imperium eſſer, Pippious de removendo Childerico, regnoque penitus occupando cogitare cœpit: primùm ſpargere in vulgus rumores de abdicatione Regis, tum ſibi optimatum cnnciliare voluntates, ac demum cùm res in proclivi eſſent, ad regium nomen aſſumendum, quod unum ſuis votis ſupererat, omnia comparare. Rem eo modo peractam eſſe haud incerta memoria eſt. Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo Sueſſionis Calendis Martiis ex genris noſtræ conſuetudioe habitus eſt generalis Francorum convenrus: cùm omnium eſſent propenſi in Pippinum animi, & eſſet adoleſcentia Childerici omnibus contemptui, omnium ore Rex Francorum ſalutatus eſt. Vulgò narrant miſſos à Pippino ad Zachariam ſummum Pontificem legatos Burchardum Vvitzeburgeoſem Epiſcopum & Fulradum monaſterii Dionyſiani Abbatem, qui ſciſcitarentur de Regibus Francorum, an æquum eſſe exiſtimaret eum vocitari Regem, qui oullam in regno poteſtatem haberet, nullam reipublicæ curam gereret, an potius qui omnia ex ſumma poreſtate adminiſtraret? Reſpondiſſe ſatius eſſe, eum eſſe & vocari Regem qui rem gereret; addunt deinde Pippinum ex reſponſione ſummi Ponrificis unctum in Regem per manus Bonifacii Archiepiſcopi, & à Francis publicè ſalutatum. Hæc ferme veterum auctorum ſcriptis celebrata ſunt, quæ nihilominus viri aliquot docti in dubium revocare veriti non ſunt, neque veram neque æquam I.

Fulradus & Cedericus ad hunc annum.

LIB. V. CAP. I. Zachariæ P. P. reſponſionem reputantes; indignum enim eſſe judicabant Principem immeritum ſpoliari regno, quod à majoribus acceperat, & jure natalium fuerat conſecutus: affictum verò id crediderunt Caroli magni ætate, ut facinus ambitione quæſitum, religione defenderent. Mihi verò rem ſeriò expendenti, & moleſtè ferenti eâ narratione inferri injuriam ſummo Pontifici eam depellere decretum eſt, & notas falſi & ſuppoſitionis ante omnium oculos proponere. Quæ quoniam magni momenti ſunt ex ipſis auctoribus ſingula commemorare operæ pretium eſſe exiſtimo. Narrationem banc à duobus tribuſve antiquiſſimis ſcriptoribus relatam eſſe invenio, unde alii hauſerunt. Primus ille eſt qui juſſu Cbildebrandi, & deinde Nibelungi ejus filii auctoritate geſta Francorum ſcripſit: Is de electione Pippini in hæc verba ſcripſit. *Quievit terra à præliis annis duobus, quo tempore unà cum conſilio & conſenſu omnium Francorum miſſa relatione à ſede Apoſtolica, auctoritate perceptâ præcelſus Pippinus electione totius Franciæ in ſedem regni cum conſecratione Epiſcoporum & ſubjectione Principum, unà cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo depoſcit, in regnum ſublimatur.* In quibus verbis ſubeſſe interpolationem baud vana opinio eſt. Quæ enim iſtæ repetitiones malè conſutæ quas textus babet? *Cum conſilio & conſenſu omnium Francorum*, & ſtatim *electione totius Franciæ cum conſecratione Epiſcoporum & ſubjectione Principum*, & deinde *in ſedem regni* & paulò poſt non interruptâ aut finitâ periodo, non additâ conjunctione *in regnum ſublimatur*. Quæ malè ſartæ baud dubiè interpolationis ſuſpicionem ingerunt. *Cum conſecratione Epiſcoporum*, quæ receptæ à Francis conſuetudini adverſantur; ex antiquo enim more Reges Francorum non inunctione, aut conſecratione renuntiabantur, ſed ſcuto impoſiti ſurſum levabantur, & mos iſte diu permanſit, aut babito ſollemni ex Epiſcopis optimatibuſque conventu collocabantur in ſolio; atque adeo hæc verba, *ut antiquus ordo depoſcit in regnum ſublimatur*: nibil aliud ſonant, niſi eum aut vibratum ſcuto, aut impoſitum ſolio, non verò ab Epiſcopis conſecratum: cùm certum exploratumque ſit neminem ante Pippinum fuiſſe inunctum. Quomodò vero ſacra inunctione conſecratus ſit, poſtea memorabimus. Sed quid hæc verba? *Miſſa relatione à ſede Apoſtolica auctoritate perceptâ.* Per miſſam relationem puto intelligit legationem veram an fictam ad ſummum Pontificem de qua inferius erit ſermo. Quæ verò auctoritas miſſa babetur à ſummo Pontifice, cujus ne vel minimum extat veſtigium, nullum illius auctoritatis decretum fuit, nullum judicium. Nam ſi vera illa legatio eſt; an id ſummi Pontificis auctoritatem appellabis, quod ſine ſcripto ſciſcitantibus legatis voce tenùs inter colloquendum reſponſum fuerit. Sed quod maximum cauſæ momentum eſt. Quæ cauſa abdicationis fuit? quodnam Cbilderici meritum fuit, ut dejiceretur? An ſummus Pontifex ex ſola relatione legatorum de re illius momenti decerneret? & optimates ex hac ſola reſponſione regnum Regi adimerent? Ex illo itaque hujus auctoris textu, ubi omnia perplexis difficultatibus obſita ſunt, ubi circumfuſa omnia tenebris, & rebus invicem pugnantibus, in negotio hujus momenti, vix quicquam certi aut veri ſtatuere ac definire poſſis.

II. Eſt alter rerum noſtrarum ſcriptor, qui ſub principatu Caroli magni vixit, & annales digeſſit ab anno DCCXLI. ad annum DCCCXIV. ad annum verò DCCXLIX. bis verbis res Pippini deſcribit. *Burgardus Vvirſeburgenſis Epiſcopus & Fulradus Capellanus miſſi fuerunt ad Zachariam P. P. interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regalem poteſtatem, ſi bene fuiſſet an non? Et Zacharias Papa mandavit Pippino, ut melius eſſet illum Regem vocari, qui poteſtatem haberet, quàm illum, qui ſine poteſtate manebat, ut non conturbaretur ordo. Per auctoritatem ergo apoſtolicam juſſit Pippinum Regem fieri. Ad annum verò DCCL. Pippinus ſecundùm morem Francorum electus eſt ad Regem & unctus per manum ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi, & elevatus à Francis in regno ſuo in Sueſſionis civitate. Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur tonſoratus eſt, & in monaſterium miſſus.* Hæc ille: quæ verò an bene cohæreant & veritati ſint conſentanea, expendendum eſt. Scribit auctor miſſum Burchardum Vvitzeburgenſem Epiſcopum, & Fulradum Abbatem ad Zachariam P. P. etſi

LIB. V. CAP. I.

hæc annales illi conſtanter aſſerunt, & permulti auctores eadem poſtea exſcribere non dubitarunt; Eginhardus tamen, qui ætate Caroli magni floruit, ejus notarius fuit, & ſub imperio Ludovici pii res geſtas Caroli magni memoriæ tradidit, ſcribit ex auctoritate Stephani Pontificis Pippinum Regem conſtitutum eſſe, & Childericum ejus juſſu tonſo capillitio in monaſterium conjectum eſſe; neque is aliquid de legatione Burchardi Epiſcopi, & Fulradi Abbatis commemorat. *Gens Merovingorum*, inquit, *de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant, uſque in Childericum Regem qui juſſu Stephani Romani Pontificis depoſitus ac detonſus atque in monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur.* Vides magnum eſſe diſcrimen inter hujus & illius auctoris narrationem, ille rem peractam ait à Zacharia P. P. hic à Stephano P. P. neque hic legationis mentionem facit. Hæc diverſitas auctorum ejuſdem ætatis in hoc graviſſimo negotio, probat hanc commemorationem, non tam ex veritate facti, quam ex vagis incertiſque rumoribus eſſe profectam. Sane Anaſtaſius qui Zachariæ P. P. vitam & res geſtas ſcripſit, de legatione illa, & de reſponſione ne verbum quidem memorat; quemadmodum in litteris Zachariæ ſummi Pontificis, aut ad Bonifacium Archiepiſcopum, aut ad Epiſcopos Galliarum, aut ad Pippinum ipſum ea de re ſilentium eſt. Burchardum quidem veniſſe Romam anno DCCXLVIII. ex litteris Zachariæ comperio. Sed & rediiſſe ſtatim in Gallias conſtat. At verò in litteris Zachariæ non legimus anno DCCXLIX. eum iterum Romam profectum fuiſſe. Idem Anaſtaſius in vita Stephani P. P. multa de Pippino memorat, Fulradi legationes ad Stephanum refert, illius tamen quæ graviſſima erat, non meminit. Stephanus quidem venit in Gallias poſtquàm Pippinus Sueſſionis Rex Francorum proclamatus eſt: neque id ex ejus reſponſione, aut ejus conſilio peractum uſquam Anaſtaſius dicit, qui rem hujus momenti non omiſiſſet. Locum huic fabellæ dediſſe exiſtimo unctionem Pippini Regis in monaſterio S. Dionyſii à Stephano P. P. celebratam. Sed validiſſimum eſt ad perimendam hanc fabulam teſtimonium Theophanis antiqui auctoris: ſcribit enim per Stephanum P. P. Pippinum à perjurio abſolutum. Sic enim de Pippino ſcribit. *Primus extitit qui regio non oriundus ſanguine imperium in gentem illam obtinuit, cùm interim ipſe Stephanus à perjurio in Regem admiſſo eum abſolviſſet.* Λύσαντος αὐτὸν τῆς ἐπιορκίας τῆς πρὸς τὸν ῥῆγα τοῦ αὐτοῦ Στεφάνου. Quæ olim Anaſtaſius ipſe ſummorum Pontificum bibliothecarius latinè ad verbum reddidit. *Solvente ſcilicet eum à perjurio in Regem commiſſo eodem Stephano*; quæ & eadem retulit Otbo Friſingenſis ad annum DCCLIV. *Pippinus à Stephano P.P. primò à fidelitatis juramento quod Helderico promiſerat abſolvitur.* Ex quihus verbis perſpicuum eſt, non ex legatione, aut reſponſione ſummi Pontificis: ſed ex regnandi cupiditate regium nomen à Pippino aſſumptum, adeo ut neceſſe fuerit eum, à perjurio per ſummum Pontificem abſolvi, quod perfecit Stephanus, cùm dejecto & mortuo Childerico jam Pippinus Regem ageret. Certè cùm conſtet Pippinum paulò anre mortem Zachariæ Sueſſionis in ſollemni Francorum conventu Regem appellatum eſſe, atque adeo ante Stephani adventum in Gallias: certum eſt non Stephani auctoritate Regem cœpiſſe fieri: neque Zachariæ auctoritate quoque ad regnum evocatum eſſe haud dubium eſt, quem neceſſe fuerit, poſtea à perjurio in Regem commiſſo à Stepbano P. P. abſolutum eſſe, & hoc cum Nazarianis annalibus conſonat, ubi hæc verba ad annum DCCLII. *Domnus Pippinus elevatus eſt ad Regem in Sueſſionis civitate.* In his nibil de legatione ad ſummum Pontificem legas. Annaliſta ſupra recitatus alterum nobis commentum ſuggerit; ait enim non modò Pippinum ſecundùm morem Francorum electum in Regem: ſed etiam unctum per manus Bonifacii Archiepiſcopi, de illa unctione nullum eſt verbum in vita S. Bonifacii à Vvillibaldo ejus diſcipulo perſcripta, etſi Pippini ad regnum evocati meminit, quod non prætermiſiſſet vir illorum temporum, & Bonifacii ſtudioſiſſimus, & hoc ad ejus laudem traduxiſſet, neque Bonifacium Sueſſionas his temporibus acceſſiſſe accepimus. Huc piget referre quæ ſcriptores ſtirpis Carolinæ gentis confinxerunt in contemptum & deriſionem Regum prioris familiæ, cùm

LIB V. CAP. I. *Annales Eccleſ. Franc. ad annum 756.*

eos ſocordiæ & puſillanimitatis incuſant, eos nempe ſemel in anno viſos carpento aſſidentes à bobus tracto, quod in eorum dorſo criſta è pilis in morem porcorum excreſceret. Quidam viri docti jam dudum eos à ſocordia feliciter vindicarunt, aliaſque, quas illis falsò & immeritò maculas aſperſerunt poſteri, eluerunt. Sane hæc quæ modo dicebamus referre, refellere eſt.

III. Quæ cùm ita ſe habeant. Quæ illius narrationis fides erit? Auctor qui juſſu Childebrandi, & deinde Nibelungi res Francicas ſcripſit, pugnantia eo in loco memorat, & multis impedita difficultatibus; cùm ſcribit ex antiquo Francorum ordine Pippinum cum conſecratione Epiſcoporum elevatum in Regem: cùm ante Pippinum conſecratio non fieret, quando Reges adibant regnum, & ab eo inunctionis initium ſit. Neque plus fidei auctori eſt, qui tempore Caroli magni res Pippini & ſui temporis ſummatim per annos diſtribuit: cùm Eginhardus ſcriptor ejuſdem ætatis alia narret, & diverſâ commemoratione rem dubiam præſtet. Denique ex aliis antiquis auctoribus, contrarium penitus colligas; Nazariani enim annales, de hac legatione, aut reſponſione ſummi Pontificis ne verbum quidem proferunt. Theophanes verò, & Anaſtaſius vicini illorum temporum ſcriptores aliquid omnino alieni ab hac narratione memorant, quando de abſolutione à ſacramento Pippini per ſummum Pontificem Stephanum data opera ſcribunt: & eadem Otho Friſingenſis rememorat. Adde quod actio illa nullo probato inſtrumento; nullo veteri documento fulciarur. Quid aliud, amabo, ſentire debemus in negotio hujuſce momenti; niſi quod id inventum ſit in gratiam Regum ſecundæ ſtirpis, poſtquàm Pippini elevario ad regnum in conventu publico Sueſſionis habito ſollemniter per proceres facta eſt, tum ſummi Pontificis inunctione conſecrata. Cùm itaque ſcriptores ſecundæ familiæ æquo & lege non poſſent, religionis & ſummi Pontificis reverentia invidiam depellere conati ſunt.

IV. Hoc eodem anno Zacharias ſummus Pontifex vita defungitur, huic Stephanus ſubrogatus eſt, quem, quoniam tertio die repentinâ morte ſublatus eſt, Anaſtaſius numero ſummorum Pontificum non aſcribit, & idcirco ejus ſucceſſor Stephanus ſecundus ab Anaſtaſio dicitur, à Baronio Stephanus tertius appellatur, hic cùm armis Aiſtulphi Regis Longobardorum premeretur, & odia exarderent inter ſummum Pontificem & Imperatorem Occidentis, ut modò memorabimus, à Francis quorum res florentiſſimæ erant petere auxilium decrevit, & ipſe in Gallias venit, ut opem adverſus Longobardorum arma peteret, & in monaſterio ſancti Dionyſii hiemem tranſegit. Quod quoniam ad res noſtras pertinet, cauſas hujus itineris paucis referam, & ut res clarior ſit, negotium à prima origine repetam.

V. Exciſis rebus Occidentis, Gothi primùm Italiam invaſerunt, his poſtea per Beliſarium profligatis. Longobardi ex Pannoniâ per Narſetem in Italiam acciti complures provincias Alboïno duce occupant, ſtabilitoque in Liguria regno, Ticini ſedem & domicilium Regum fecerunt, deinde creſcente ex felicibus initiis dominandi libidine reliquas Italiæ provincias armis acquirere parant. Id temporis Italiam nomine Imperatoris adminiſtrabat Exarchus, cui ſedes Ravenna. Ex quo enim Honorius Ravennæ poſthabita Roma, eaque à barbaris direpta regiam poſuerat, ac deinde Gothi Italia potiti, ac demùm ad eorum exemplum Exarchi hanc ſedem & caput Italicæ diœceſeos, ſeu exarchatûs Italiæ conſtituerant; tumque Præfectus, quem Imperator Orientis juſſerat, Romam reſque Romanas adminiſtrabat. Roma itaque, Romanique Pontifices Orientis Imperatori ſubjacebant, tamdiuque id permanſit, quamdiu Imperatoribus fidem Chriſtianoſque mores defendere contigit. Verùm poſtquàm Leo Iſauricus bellum adverſus ſanctas imagines indixit, & apertè Iconomachiam profeſſus eſt: Romanus Pontifex non modò adverſari Imperatori cœpit, ſed & eum parere Eccleſiæ, & Patrum doctrinam ſectari repugnantem à communione fidelium abſcindere non dubitavit, Romanique ob eam cauſam alienato in Leonem eſſe animo, & abnuere obſequium, ex quibus cauſis orta ſunt inter Auguſtos & ſummos Pontifices graviſſima diſſidia. Reges Lon-

gobardi captâ occaſione ſæpè provincias Romanas ſuo ſubjicere imperio aggreſſi ſunt. Rex inprimis Luitprandus qui exarchatum armis capere inſtituerat, ſed rogatus à Carolo martello, cui potentia & nomen juxta celebre apud Francos exteraſque nationes erat, ab incœpto deſtitit. Romani quippe Pontifices Romanis civibus & ſibi eſſe conſultum volebant, cavebantque ne turbatis Imperii & Eccleſiæ rebus, Longobardi Reges uterentur tempore & tota potirentur Italia, & Roma Romanaque Eccleſia ſub eorum gemeret imperio. Gregorius igitur tertius miſerat ad Carolum litteras, quibus Francorum opes adverſus potentiam Longobardorum poſcebat. His acceptis Carolus Luitprandum Regem amicum facile à propoſito deterruit. Zacharias quoque qui Gregorio ſucceſſit, auxilium à Pippino adverſus Longobardos rogavit. Luitprandus interim moritur. Rachis Dux Forojulienſis ejecto Hildebrando Luitprandi nepote ad ſolium Longobardorum evectus eſt. Verùm ille poſtquàm aliquandiu regnavit, res humanas pertæſus ad Caſſinenſe monaſterium vitæ ſeverioris exercendæ deſiderio seceſſit. Aiſtulphus ejus frater omnium Longobardorum calculis ei ſubrogatus eſt. Hic inopino rerum caſu ad ſolium elatus, cœpit altiùs tollere animos, & mente jam imperium Italiæ invadere, dum res Orientis perturbant peſtilentia, & peſte nocentior hæreſis Iconomachorum, diſſidiaque deflagrant inter Romanum Pontificem, & Leonem Conſtantinumque Copronymum, quorum animum ea labes corruperat. Aiſtulphus itaque tempus opportunum ratus occupandæ Italiæ, exarchatum primùm invadere, tum in fines Romanorum infeſto exercitu irrumpere, populare agros, & Romanis minitari perniciem, niſi ſe ſuo ſubjiciant imperio, & petere à Romanis, ut quot annis aureos per capita ſibi pendant, ſin detrectent, acerbiora quæque paſſuros. Summus Pontifex his vehementer commotus, Regem primùm per legatos enixè rogare, ut mitiora ineat conſilia, & Deum impensè precari, ut pervicacem Regis animum inflectat. Dum verò intelligit nullis artibus ad pacem adduci Longobardum poſſe, Pontifici venit in mentem eò confugere quò olim paribus objecti periculis Gregorius & Zacharias ſummi Pontifices, qui Francorum ope ſe à malis impendentibus exemerant. Stephanus itaque clam ad Pippinum Regem mittit litteras, narrat impendentia Romanis mala, pluribuſque rogat, ut Longobardum à propoſito vel precibus, vel, ſi neceſſe ſit, viribus amoveat. Sed inprimis Regem Francorum monet, ut ad ſe legatos feſtinanter mittat, qui ipſum in Galliam ducant, ut ſimul conſulant quid optimum factu ſit ad commodum reipublicæ Romanæ. Pippinus exiſtimans haud parùm ſibi acceſſurum felicitatis, ſi ſummo Pontifici & civitati Romanæ periclitanti opem ferat, mittit illi Rodigandum, ſeu, ut alii ſcribunt, Droctegandum Abbatem Gorzienſem, qui Stephano omnia ſuis verbis polliceatur. Accidit his temporibus, ut exercitus Longobardorum agros urbi vicinos vaſtaret & caſtella vi & deditione caperet. Stephano P. P. in his anguſtiis viſum eſt Aiſtulphum adire & coràm pacem Italiæ deprecari. Egreſſus eſt Roma Stephanus P. P. pridie Idûs Octobris Indictione ſeptimâ, ut Anaſtaſius annotat, anno ſcilicet Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-tertio, comitabatur ſummum Pontificem ingens ſacerdotum procerumque numerus. Inter eos aderat Joannes ſilentiarius Copronymi legatus. Acceſſerunt & legati alii à Rege Pippino miſſi Chrodegandus Epiſcopus Mettenſis, quem aliqui cum Abbate Droctegando falſâ nominis ſimilitudine decepti confundunt, & Autcharius Dux qui eo conſilio ad Stephanum venerant, ut eum in Gallias adducerent & communicatis cum Rege Pippino negotiis inter ſe conſulerent quid facto eſſet opus. Jam Papiam prope attigerat ſummus Pontifex, cùm ab Aiſtulpho legati ei occurrunt per ſpeciem honoris, ſed revera ut ei nomine Regis denuncient, ne is accedat ad repetendam Ravennam, aut exarchatum aut alium quemvis locum, quem ipſe vel Reges Longobardorum armis cepiſſent. His ita comparatis Papiam ingreditur; admittitur ad Regem. Tum ſummus Pontifex muneribus primùm, deinde lacrymis fruſtra ferociam Regis tentat frangere, nihil precibus, nihil ſollicitis verbis obtinere potuit, nihil legatus Copro-

 nymi Imperatoris, nihil Francorum Regis oratores. Hi repulſâ indignati Stephano P. P. iter in Gallias perſuadent, ad quod ſummus Pontifex ſe protinus accinxit; etſi Aiſtulphus renitebatur, & alia ſuadere cupiebat. Stephanus nihil cunctatus ad fauces Alpium pervenit, & continuò ad celebre Agaunenſium monaſterium ſe recepit, cujus regimen habebat Abbas Adraſtus; huc novi legati à Rege venerunt Fulradus Abbas S. Dionyſii & Dux Rotardus, qui ſermonibus honorificis ſummum Pontificem adventantem exceperunt, rogaveruntque ut ad Regem accederet. Ipſe Rex unà cum uxore & filiis illi obviam ire; & filium juſſit præcedere, qui ſummo Pontifici cum optimatibus occurreret. *Ipſeque*, inquit Anaſtaſius, *In palatio ſuo in loco, qui vocatur Ponticone ad fere trium millium ſpatium, deſcendens de equo ſuo cum magna humilitate, terræ proſtratus unà cum ſuâ conjuge, filiis & optimatibus eumdem ſanctiſſimum Papam ſuſcepit, cui & vice ſtratoris in aliquantum locum juxta ejus ſellarem properavit.* Tum ſanctus Pontifex Deo laudes canere, & cælum hymnis pulſare, atque in eum modum ad regale palatium pervenire. Sextus Januarii dies agebatur, quo ſancta Eccleſia Chriſti Epiphaniam celebrat, veneruntque ſimul in oratorium ſummus Pontifex, & Rex Pippinus. Tum Stephanus datâ diei & loci opportunitate Pippinum ſummis precibus rogare, & per ſancta pacis fœdera enixè deprecari, ut beati Petri cauſam defenderet, & jacenti reipublicæ Romanæ opem ferre non differret, inter hæc ſummo Pontifici obortiuntur lacrymæ, quibus Rex motus ultrò auxilium pollicitus eſt, & jurejurando aſſeveravit ejus ſe monitis pariturum, daturumque operam ut omnia illi ex voto cedant, neque deſtiturum ab incœpto, niſi recepto exarchatu, & redditis Romanæ Eccleſiæ ſuis juribus. Verùm cùm hiems aſpera ſæviret non diutius in eo loco permanſerunt. Itum eſt Pariſios, & ſummus Pontifex in monaſterium S. Dionyſii ſe recepit & ibi hiemem tranſegit. Quid in honorem ſummi Pontificis Lutetiæ actum ſit, auctores non tradunt: haud dubium tamen eſt, quin Ragnecaptus qui tunc temporis epiſcopatum Pariſienſem gerebat ei ſummi honoris & ſingularis obſervantiæ exhibuerit officia: clerus pariter & cives ſummum Pontificem, ſicut decet venerati ſint, memores ſcilicet eum non modò caput eſſe univerſæ Eccleſiæ, ſed etiam Romanæ ſedis beneficium eſſe, quòd fidem abjectâ impietate à ſancto Dionyſio accepiſſent. Non poſſum hîc mihi temperare, & non reprehendere projectam illius temporis inertiam, qua ſcriptores quaſi ſomno ſepulti vix graviſſimarum rerum ſumma capita eaque curſim delibarunt; etſi his temporibus haud pauca digna memoratu reperiuntur. Quid verò honorificentius Eccleſiæ Pariſienſi accidere potuit quàm Stephanum P. P. oculis intueri, hunc coràm venerari, huic aſylum, huic hoſpitium commodare, huic & Eccleſiæ Romanæ laboranti opitulari, quod nulli genti, nullique nationi contigerat.

VI. Interea Pippinus legatos ad Regem Longobardorum miſit, qui eum rogarent, ut exarchatum, & quæ Romanæ civitatis loca erant, redderet, ipſeque poſtea ad villam Brennacum venit, & Calendis Martiis habitus eſt eo in loco conventus procerum & Epiſcoporum, actumque publicè eſt de expeditione adverſus Longobardum; jam enim re infectâ legati redierant, retulerantque frangi animum Aiſtulphi niſi armis & bello poſſe. Longobardo tamen haud tantùm animorum fuit, quin Francorum opes reformidaret, verebatur enim Regem bello inclytum, annis florentem, & auſis felicibus ſuperbum: ut igitur impendentem tempeſtatem averteret, conſilio & induſtriâ rem agere cœpit. Erant in Caſſinenſi monaſterio duo Principes Carolomannus frater Pippini Regis, & Rachis frater Aiſtulphi itidem Regis, ambo, ut memoratum eſt, repudiatis ſæculi honoribus in hoc ſeceſſerant monaſterium. Aiſtulphus egit per Rachim fratrem, ut Donarus tunc Caſſinenſis Abbas mitteret Carolomannum in Franciam, ut ſummi Pontificis conſilia everteret; jubente itaque Abbate Caſſinenſi Cariſiacum venit, ubi Pippinus Paſcha celebraverat, & quò Stephanus ſe contulerat. Carolomannus legatione defungi, & pro viribus animum fratris Aiſtulpho conciliare molitus eſt, nihilominus decreta adverſus Longobardum expeditio. Jam omnia ad bellum erant parata cùm caſus inopinus pœne omnia conſilia

ſilia diſturbavit. Stephanus P. P. morbo affligi cœpit, ſeu cæli intemperies, ſeu itinerum aut negotiorum tædia ægrum feciſſent, adeo vero vis mali invaluit, ut Stephanus P. P. periclitaretur & deplorata ejus ſanitas eſſet. Verùm poſtero die, quo omnia conclamata crederentur, inſperatò ei ſanitas cælitus reddita eſt, quod Anaſtaſius deſcribit. *Beatiſſimus Papa præ nimio labore itineris, atque temporis inæqualitate fortiter infirmatus eſt, ut etiam omnes tam ſui, quámque etiam Franci ibidem exiſtentes, de ejus vita deſperarent, ſed Domini Dei noſtri ineffabilis clementia, qui non deſerit ſperantes in ſe, ſalvum cupiens omnem fieri hominem, dum eum mortuum invenire ſperabant: ſubitò alio die ſalvus repertus eſt.* Extat in collectione Sirmondi epiſtola Stephani P. P. de recepta divinitus ſanitate. Scribit ſibi morti proximo ſanctos Petrum & Paulum cum S. Dionyſio opem tuliſſe. Sic autem ſe habet. LIB. V. CAP. I.

REVELATIO STEPHANI PAPÆ III.

STEPHANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. VII.

*Sicut nemo ſe debet jactare de ſuis meritis, ſic non debet opera Dei, quæ in illo per ſuos ſanctos fiunt, ſine ſuis meritis ſilentiare, ſed prædicare: quia ſic angelus admonet Tobiam. Vnde ego pro oppreſſione ſanctæ Eccleſiæ à Rege atrociſſimo & blaſphemo, nec dicendo Aiſtulfo, ad optimum & S. Petri fidelem dominum Pippinum Chriſtianiſſimum Regem in Franciam veni, ubi ægrotavi uſque ad mortem, & manſi aliquod tempus apud pagum Pariſiacum in venerabili monaſterio beati martyris Chriſti Dionyſii. Quò cùm jam me medici deſperarent fui in oratione in Eccleſia ejuſdem beati martyris ſubtus campanas, & vidi ante altare bonum paſtorem dominum Petrum, & magiſtrum gentium dominum Paulum, & nota mente illos recognovi de illorum ſurtariis, & ter beatum dominum Dionyſium ad dexteram domini Petri, ſubtilem & longiorem, pulcrà facie, capillis candidis, colobio indutum candidiſſimo purpura clavato, pallio toto purpureo, auro interſtellato, & ſermocinabantur inter ſe lætantes. Dixitque bonus paſtor dominus Petrus: hic frater noſter poſtulat ſanitatem, & dixit beatus dominus Paulus: modò ſanabitur, & appropinquans miſit manum ſuam ad pectus domini Dionyſii amicabiliter, reſpexitque ad dominum Petrum, & dixit dominus Petrus ad dominum Dionyſium hilariter: tua gratia ſanitas eſt ejus, & ſtatim beatus Dionyſius thuribulum incenſi & palmam in manu tenens, cum presbytero & diacono, qui in parte ſtabant, venit ad me, & dixit mihi: pax tecum, frater, noli timere, non morieris, donec ad ſedem tuam proſperè revertaris. Surge ſanus, & hoc altare in honorem Dei & Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, quos vides, dedica, miſſas gratiarum agens. Erat enim ibi ineſtimabilis claritas & ſuavitas. Moxque ſanus gratià Dei factus, volebam implere quod mihi præceptum erat. Et dicebant, qui ibi aderant, quod dementabar. Quapropter retuli * illis, & Regi, ſuiſque optimatibus quæ videram & quomodo ſanus fuerim, & implevi quæ juſſa ſunt mihi. * Benedictus Deus.*

* ex ordine

* omnia

Poſtea ſummus Pontifex nihil antiquius habuit, quam Pippinum cum Bertrada uxore & liberis inungere in Reges, id verò in morem Regum Judæorum, quos iniungi mos erat, quod deſcribitur in narratione, quæ poſt epiſtolam Stephani legitur. *Geſta ſunt autem hæc in beato Stephano P. P. divinà clementià, adjuvantibus ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, per beatiſſimum martyrem Dionyſium hoc anno, qui eſt ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeptingenteſimus quinquageſimus quartus, quinto Calendas Auguſti, quoniam Chriſti roboratus virtute inter celebrationem conſecrationis præfati altaris, & oblationem ſacratiſſimi ſacrificii unxit in Reges Francorum florentiſſimum Regem Francorum Pippinum, & duos filios ejus Carolum & Carlomannum, ſed & Bertradam ipſius inclyti Regis conjugem indutam cycladibus regiis, gratià ſeptiformis Spiritus ſancti in Dei nomine conſignavit, atque Francorum proceres Apoſtolica benedictione auctoritate beati Petri ſibi à Domino Ieſu Chriſto vero Deo tradita obligavit & obteſtatus eſt, ut numquam de altera ſtirpe per ſuccedentium temporum curricula, ipſi, vel quique ex eorum progenie* VIII.

Ex Codicibus Eccleſiæ Senonenſis & ſancti Germani Pratenſis.

orti, Regem ſuper ſe præſumant aliquo modo conſtituere, niſi de eorum propagine, quos & divina providentia ad ſanctiſſimam Apoſtolicam ſedem tuendam eligere, & per eum videlicet vicarium ſancti Petri, imò Domini noſtri Ieſu Chriſti in poteſtatem regiam dignata eſt ſublimare, & unctione ſanctiſſimâ conſecrare. Id verò & noſtri annaliſtæ teſtantur. Ex quibus notum eſt Stephanum Papam conſecraſſe altare in baſilica ſancti Dionyſii in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & inter ipſa ſacra inunctos Pippinum, ejus filios & ejus uxorem. *Sanctæ nihilominùs reordationis avus noſter Pippinus*, inquit Ludovicus pius ad Hilduïnum, *propter altare, quod ante ſepulcrum ſæpefati, ſæpiuſque dicendi domni Dionyſii per divinam & memorabilem revelationem juſſu ipſius ſanctiſſimi martyris in honore Dei & Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, qui præſentes oſtendebantur, à beato & Angelico viro Stephano ſummo Pontifice dedicatum eſt inter ſacra miſſarum ſollemnia unà cum duobus filiis, Carolomanno videlicet & divæ memoriæ domino ac genitore noſtro jure pernominato magno ab eodem Apoſtolico Papa in Regem Francorum unctus ſuperni muneris benedictionem percepit.* Ex ſuperiore narratione haud dubium eſt, & dedicationem altaris, & inunctionem Pippini celebratam à Stephano Papa quinto Calendas Auguſti ſtatim poſt receptam valetudinem, hocque ipſum noſtri annales teſtantur, unde corrigas Anaſtaſium, qui Stephanum memorat incidiſſe in morbum hiberno tempore, cùm ante Cariſiacenſem conventum ageret in monaſterio ſancti Dionyſii; his actis Hilduïnus ſcribit monaſterium multis muneribus ex beneficentia ſummi Pontificis cumulatum, & locum illum, ubi manſerat, pluribus ab eo munitum privilegiis, & relictum ab eo ſuper altare, quod conſecraverat, pro benedictione pallium Apoſtolicæ dignitatis, & dimiſſas claves in venerationem pontificiæ dignitatis, & prærogativæ, qua claves regni cœlorum & ligandi ſolvendique poteſtatem acceperat. Ecce tibi ipſa Hilduïni verba. *Hunc locum ſacratiſſimum privilegiis magnæ auctoritatis ſublimavit, & ſuper altare, quod conſecravit, pallium Apoſtolicæ dignitatis pro benedictione ſancti Petri reliquit, & claves ob venerationem prærogativæ ejus, qui in ligandi & ſolvendi pontificio claves regni cœlorum à Domino Ieſu Chriſto accepit, hic in memoria & honore atque reverentia principis Apoſtolorum dimiſit, ut quia ejus ceterorumque Apoſtolorum, ſimul & ſancti ac pretioſiſſimi Dionyſii merita ſunt juncta in cælis, eorum memoriæ pariter venerarentur in terris.*

IX. His peractis Pippinus Aiſtulfi animum omnibus modis vincere ſtuduit, multotieſque iteratis precibus eum ad pacem impellere; quin & ſummus Pontifex eum adhortari per legatos non deſtitit, ne ſe per imminentia bella Chriſtiani ſanguinis reum faceret, ſed potiùs ſine pulvere & ſanguine exarchatu & opidis Romanorum cederet. Cum verò nullis precibus nulliſque modis vinceretur, Pippinus copias trans Alpes ducere decrevit, ſed ne Aiſtulfus aditum in Italiam occluderet, fauces Alpium, quas Cluſas vocabant, à militibus ſuis primùm occupari juſſit, pauci ad Cluſarum cuſtodiam miſſi fuerant, Aiſtulfus ratus rem agi ſuam eos hinc pellere, dum eos ab hac ſtatione admoto exercitu dejicere nititur, victus eſt, Longobardorum maxima pars cæſa, alii in fugam verſi, Rex ipſe vix fuga elapſus mœnibus Papiæ ſe includere, potiti Franci caſtris hoſtium, & Pippinus junctis copiis Papiam obſidione cingere & oppugnare cœpit. Pontifex, ne quid iniquius Longobardo accideret, & gentem miſeratus Chriſtianam Aiſtulfum iterum precibus ſollicitat, & eum ad extrema redactum ad pacem cogit, quæ his conditionibus acta eſt, ut cederet Ravenna & opidis Ravennatium, id verò brevi ſe facturum jurejurando pollicitus eſt. Pippinus perſolutis ſummo Pontifici promiſſis victor in Galliam rediit, eaque prior Pippini in Italiam expeditio fuit. Summus Pontifex re feliciter geſtâ Romam rediit cum Fulrado Abbate ſancti Dionyſii. Longobardus non diù in fide ſtetit, poſt diſceſſum enim Fulradi & ejus ſociorum, agros Romanorum iterum vaſtare inſtituit, & ipſam Romam premere obſidione. Tum ſummus Pontifex iterum confugere ad Pippinum, & ſignificare perfidiam Longobardi, qui contra pacta ira & vindicta frendens premat urbem, ferro & igne agris inferat vaſtitatem. Admonitus per litteras Stephani Pippinus, nihil mo-

ratus in Italiam cum exercitu proficiſcitur; Longobardoſque ad Cluſas Alpium vincit, & Aiſtulfum iterum Papiæ mœnibus incluſum obſidet, arctius premit, cogitque pacem iterum rogare, data eſt illi pollicenti iterum ſe imperata facturum, pactioque iterum acta, & obſides dati, civitateſque exarchatûs Pippinus non Imperatori, qui eas repoſcebat, ſed ſcripta donatione Eccleſiæ Romanæ, & ſummis Pontificibus tradidit. His rebus proſperè geſtis in Franciam cum exercitu remeavit. *Ad recipiendas vero civitates*, inquit Anaſtaſius, *miſit ipſe Chriſtianiſſimus Rex Francorum conſiliarium ſuum Fulradum venerabilem Abbatem & presbyterum, & continuò ipſe Rex feliciter cum ſuis exercitibus in Franciam repedavit. Prænominatus autem Fulradus venerabilis Abbas & presbyter Ravennatium partes cum miſſis jam fati Aiſtulfi Regis conjungens, & per ſingulas ingrediens civitates tam Pantapoleos, quàm & Æmiliæ, eaſque recipiens, & obſides per unamquamque auferens, atque primates ſecum unà cum clavibus portarum civitatum deferens Romam conjunxit, & ipſas claves tam Ravennatium urbis, quàmque diverſarum civitatum ipſius Ravennatium exarchatûs, unà cum ſuprà ſcripta donatione de eis à ſuo Rege emiſſa in confeſſione beati Petri ponens, eidem Apoſtolo, & ejus vicario ſanctiſſimo Papæ, atque omnibus ejus ſucceſſoribus Pontificibus perenniter poſſidendas atque diſponendas tradidit. Id eſt Ravennam, Ariminum, Piſaurum, atque Fanum, Ceſenas, Senogallias, Eſium, Forum Pompilii, Forum Livii cum caſtro Suſſubio, montem Feretri, Aceragio, montem Lucari, Serram, caſtellum ſancti Mariani, Bobrum, Vrbinum, Callium, Lucolos, Eugubium, ſeu Comiaclum, necnon & civitatem Narnienſem, quæ à Duce Spoletano à parte Romanorum per evoluta annorum ſpatia fuerat invaſa.* Hæc Anaſtaſius, quæ oſtendunt in quas anguſtias Aiſtulfus redactus ſit, qui has civitates & provincias ex pactione reddiderit, & quæ vires Francorum fuerint, quæ Longobardum opibus & armis potentem ad has pacis duras conditiones impulerint. Verùm unà admirari licet pietatem religionemque Pippini, qui armis partam victoriam, & acquiſitas bello provincias omnes, non in dilatandos fines, neque in amplificandam potentiam, ſed in proventus Eccleſiæ & ſummorum Pontificum augendam poteſtatem impenderit. Sed quantùm ea Francorum Regi fuerunt magnifica, tantùm hæc honorifica fuerunt Fulrado Abbati Dionyſiano, quem Rex procuratorem & legatum ad implenda conventa, pactaque exequenda in Italia reliquerit, & in cujus manus receptæ civitates exarchatûs, aliæque urbes, quas Longobardi bello ceperant. Sanè quid glorioſius accidere potuit, quàm circuire urbes, fidem civitatum recipere, claveſque urbium ad confeſſionem beati Petri deferre, & Eccleſiam ſummoſque Pontifices inducere in poſſeſſionem ſummi principatûs, nec quicquam reclamante Orientis Imperatore, qui eas provincias, quas à Longobardorum invaſione tueri, nec armis recipere poterat, ex munere Regis Francorum recuperare cogitabat. Aiſtulfi animum interea angebat dolor ob reſtitutum exarchatum, prava igitur pectore coquere conſilia cœpit, & de violanda iterum pactorum fide cogitare. Verùm Deus concepti criminis vindex, ejus conatus inexpectatâ morte abrupit; dùm enim venatione oblectat animum equo lapſus ex caſu mortem oppetiit; aiunt alii ictum ab apro, poſt aliquot dies exanimatum. Deſiderius, quem Aiſtulfus Tuſciæ præfecerat, audita illius morte illicò ex Tuſcis exercitum contrahit, regnum Rege vacuum occupare parat. Ea res Rachim è monaſterio eduxit. Is ſcilicet ſeu ex vitæ monaſticæ tædio, ſeu ex contemptu Deſiderii, quem ſceptro haud idoneum reputabat, adjunctis ſibi pleriſque ex optimatibus cœptis Deſiderii adverſari inſtituit. Deſiderius has metuens procellas ad Stephanum ſummum Pontificem confugit, poſcitque opem, jurejurando ſpondet amicitiam, & pollicetur rata ſe habiturum, quæ pactus ſit Aiſtulfus, daturumque Eccleſiæ civitates, quas nondum receperat. Pontifex re communicatâ cum Fulrado Abbate legato Regis Francorum, Deſiderium re & operâ juvare conſtituit. Fulradus cùm Paulò fratre Stephani Papæ in Tuſciam venit, pactionemque cum Deſiderio ſcribit, quam impleturum ſe jurejurando affirmat. His ita compoſitis ſummus Pontifex litteras pro Deſiderio ad Rachim & Longobardos mittit, Fulradus ipſe Deſide-

Anaſt. in vita Stephani II.

LIB. V. CAP. I.

LIB V. CAP. II. rio opem ſe laturum promittit, & re vera Francos, qui in Italia remanſerant, ad eum mittit, Stephanus auxilia ſummiſſurum ſpondet, quibus commotus Rachis repetere monaſterium properavit, & Longobardi non abnuerunt Deſiderium Regem ſalutare: ita auctoritate Stephani ſummi Pontificis, & conſiliis Fulradi Abbatis Dionyſiani aſſertum eſt Deſiderio ſceptrum Longobardorum, Stephanus de his honorificè ſcripſit ad Regem Francorum, ac præſertim de Fulrado Abbate. *Nunc autem*, inquit, *Dei providentia, per manus ſui Principis Apoſtolorum beati Petri ſimul per tuum fortiſſimum brachium, præcurrente induſtriâ Deo amabilis viri Fulradi, tui fidelis, noſtri dilecti filii, ordinatus eſt Rex ſuper gentem Longobardorum Deſiderius vir mitiſſimus, & in præſentia ipſius Fulradi ſub jurejurando pollicitus eſt reſtituendum B. Petro civitates reliquas, Faventiam, Imolam, & Ferrariam cum earum finibus* &c. His feliciter geſtis Fulradus in Franciam reverſus eſt. *Ipſe verò*, inquit Stephanus, *dilectus filius noſter Fulradus in omnibus cauſis juxta tuam præceptionem peregit, & maximas gratias illi egimus pro ſuo certamine, qui videlicet ad vos revertens, omnia qualiter acta ſunt bonitati veſtræ intimabit.* De Fulrado portò ſequenti capite dicemus, & de privilegiis, quibus Stephanus Papa monaſterium ſancti Dionyſii muniiſſe dicitur.

CAPUT II.

De Fulrado Abbate S. Dionyſii. De privilegiis monaſterio Dionyſiano à Stephano P. P. III. conceſſis, & de tranſlatione corporis S. Germani Pariſienſis Epiſcopi à Lantfredo Abbate.

I. CUM de Fulrado Abbate ſæpius dictum ſit, & is ſub Pippini principatu honorifica geſſerit munera, & certum ſit inter clariſſimos monaſterii Dionyſiani Abbates eum annumerari, operæ pretium eſſe exiſtimo de eo paucis loqui, cum præſertim Bollandus ad XVII. Februarii plura de eo memoret, ac deinde Mabillonius quædam addiderit haud prætermittenda, Fulradum ait natum in Aleſatia ex nobiliſſimis parentibus, patre Riculfo & matre Ermengarde, quos ipſe in teſtamento nominat, plurimùm valuiſſe auctoritate apud Pippinum Regem probant, & munera, quæ geſſit, & laudes, quibus ornare Stephanus Papa, & Bonifacius Archiepiſcopus eum ſtuduerunt. Conſtat eum archicapellanum, ſeu capellanum in palatio Pippini fuiſſe, qui honor poſtea iis delatus eſt, qui tam moribus, quàm genere clari eſſent. Hincmarus ſcribit capellanum apocriſarium vocatum eſſe, & cuſtodem palatii Regis cui in aula cura erat rerum Eccleſiaſticarum. Suprà dictum eſt eum præclaris legationibus defunctum eſſe, cùm Aiſtulfus provincias Italiæ caperet & Romæ ipſi cum exercitu incumberet. Jam tum Abbatem fuiſſe ex Anaſtaſio & litteris Stephani Papæ haud dubium eſt, an verò jam ab eo tempore cœperit regere monaſterium S. Dionyſii controverſia eſt: negat Cointius, id verò multis probat Mabillonius, & ſcribit Fulradum jam anno Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo Abbatem ſancti Dionyſii fuiſſe, negat Cointius ante ſeptingenteſimum quinquageſimum ſeptimum fuiſſe. Cointii rationes ſunt Bonifacium Archiepiſcopum, cùm ad eum ſcripſit, non utique eum Abbatem nominat, & tamen in aliis ad alios litteris eos Abbates nominat, Optatum ſcilicet, Hucbertum, Duddum, Adalherium & Cuthbertum, quos in Epiſtolarum inſcriptionibus Abbates appellat, quodque notatu dignum exiſtimat, quid eſt quod

[Margin notes: 3 Secul. 2. parte alt SS. ordinis Benedict. — De re diplomat. — Annales Franc ad an. 749.]

Pippinus anno Regni ſui ſexto in litteris ſuis, quas in Dionyſianis antiquitatibus poſſis legere, Conſtramnum Abbatem S. Dionyſii nominat non Fulradum, immò ex his Fulradum Conſtramno ſucceſſiſſe facilè licet colligere. Cur apud Anaſtaſium, ubi in vita Stephani III. Papæ ſæpiùs memoria fit monaſterii ſancti Dionyſii, & ubi Fulradum ſæpius Abbatem vocatum legas, non legis tamen eum ſancti Dionyſii Abbatem, immò in litteris ejuſdem Pontificis ad ipſum Fulradum ea legitur inſcriptio. *Fulrado Deo amabili Archipresbytero & Abbati venerabilium monaſteriorum ab eodem auſpice fundatorum, & per ſeriem omnibus ſucceſſoribus viciſſim Abbatibus in perpetuum.* Hæ verò litteræ datæ ſunt IV. Calend. Martii Indictione X. anno ſcilicet Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo, inter monaſteria, quæ Fulradus fundaverat, monaſterium ſancti Dionyſii cenſeri non poteſt, cùm ſole clarius ſit non ab eo conditum dotatumque, quod à nobis antea memoratum eſt: neque, inquit, quis ſibi in animum inducat Abbatem fuiſſe Fulradum ſancti Dionyſii, quòd eum vocet Anaſtaſius Abbatem, quando Stephano Papæ obviam venit ad monaſterium Agaunenſe, ideò enim Abbas dictus eſt, quòd revera eſſet Abbas, & præpoſitus monaſteriorum, quæ fundaverat, ejuſmodi fuit Leheracenſe monaſterium, quod poſteà dictum eſt ſancti Alexandri, quod ſitum eſt in Argentoratenſi territorio, & monaſterium Fuladovilare, ſeu, ut poſteà vocatum S. Hipolyti, quæ ipſe Fulradus in paterno fundo inſtituit, & ex propriis prædiis & poſſeſſionibus dotavit. In chartas verò regias, quas Mabillonius refert, quæque ante annum DCCLVII. datæ ſunt, Cointius nomen Fulradi irrepſiſſe putat, hæc annaliſta Francorum de Fulrado, quem non ante annum DCCLVII. nec niſi poſt obitum Conſtramni Abbatis monaſterii Dionyſii fuiſſe aſſerit.

II. Mabillonius veterum chartarum innixus auctoritate, aſſeveranter ſcribit ſuſceptum à Fulrado regimen Dionyſiani monaſterii jam anno DCCL. extat in ejus opere de re diplomatica charta Pippini Majoris-domûs, qua Dionyſiano monaſterio prædia & res aliæ aſſeruntur, dataque legitur anno VIII. Childerici Regis, in qua ſæpiùs Fulradi Abbatis ſancti Dionyſii memoria eſt. Extat & altera ejuſdem Pippini Majoris-domûs de vico Curborio Fulrado Abbati ſancti Dionyſii evindicato data legitur IX. anno Childerici Regis. Extat tertia charta Pippini Regis, qua Abaciacum villa pagi Cenomanici monaſterio ſancti Dionyſii vindicatur, quæ data eſt anno primo ejus regni, in ea autem non ſemel Fulradi Abbatis ſancti Dionyſii mentio eſt, in ea & memoratur Hugo unus ex anteceſſoribus Fulradi cujus tamen non aliàs memoria reperitur. Extat demùm quarta Pippini Regis pro Taberniacu villa agri Pariſienſis, quæ data ſcribitur anno tertio ejus regni in palatio Vermeria, in ea itidem fit mentio Fulradi Abbatis Baſilicæ S. Dionyſii, hæ autem numeris XXXVIII. XXXIX. XL. & XLIII. conſignantur. Extant præterea aliæ tres apud Dubletum, ex quibus prima data eſt à Pippino Majore-domûs, ſecunda ſecundo anno, tertia tertio anno Pippini Regis. Omnes verò in gratiam Fulradi Abbatis, his addit auctoritatem Anaſtaſii, qui Fulradum Abbatem vocat jam ab anno DCCLIII. argumenta verò Cointii ſuperiùs allata ſic diluit, Fulradum presbyterum non Abbatem à Bonifacio vocitari. Id ſcilicet in more eſſe poſitum his temporibus, ut Abbates, qui in presbyteratûs ordine conſtituti eſſent, ſæpiùs dicerentur presbyteri omiſſo nomine Abbatis. Conſtramni Abbatis ſancti Dionyſii quidem nomen legi in diplomate Pippini Regis anno ſexto, verùm hujus diplomatis autographum, etiam maximâ inquiſitum curâ non inveniri potuiſſe, etiam ex confeſſione Cointii errorem eſſe in Indictione, cùm Indictio nona, non quarta, quæ notata eſt, cadat in ſextum annum Pippini Regis, ut aliunde patet. Ceterùm unicam Pippini chartam non ejuſdem eſſe ponderis, & momenti, cum ſeptem aliis, quæ ſuperiùs memoratæ ſunt, quarum haud ſuſpecta habentur autographa. Quòd verò inſcriptio ſit litterarum Stephani Papæ ad Fulradum. *Presbytero Fulrado amabili & Abbati venerabilium diverſorum monaſteriorum fundatori*, reſpondet in his etiam litteris mentionem fieri Fulradi, ut Abbatis monaſterii ſanctorum martyrum Dionyſii, Ru-

ſtici & Eleutherii, ſed eam reſponſionem haud valere docebimus, cùm has Stephani Papæ litteras ad examen revocabimus, & ſincerum de iis feremus judicium. Ex his porrò patet veritatem nimiùm altercando ſæpiùs deperdi: nemo enim non pluris æſtimabit momenta, quæ Cointius retulit, ſed ex chartis tamen, quarum autographa bonæ & probatæ fidei, ut puto, allegavit Mabillonius, ſi neque ſuppoſita, neque falſata, aut depravata ſint, non parum auctoritatis ſententiæ Mabillonii accedit, non tamen ejus eſſe roboris ultrò confiteor, ut adverſam Cointii ſententiæ opinionem omninò defendam, quamquam eam amplecti videar. Quidquid de initiis Fulradi fuerit, certum eſt eum, poſt evectum ad ſolium Longobardorum Deſiderium, rediiſſe in Franciam. Scribunt poſt reditum Epiſtolas accepiſſe à Stephano Papa, ſed alteram inprimis, qua monaſterium ſancti Dionyſii compluribus decoravit privilegiis; hanc primùm Dubletus, deinde Sirmondus in collectione Conciliorum, ac demùm Mabillonius tertio ſæculo Benedictini ordinis retulit, utramque hîc editionem exhibemus.

III.

Epiſtola Stephani P. P. ad Fulradum Abbatem.

Editio Sirmondi.

STephanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Fulrado Deo amabili, Archipresbytero, & Abbati venerabilium monaſteriorum ab eodem auſpice fundatorum & per ſeriem omnibus ſucceſſoribus viciſſim Abbatibus in perpetuum.

Quoniam ſemper ſunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt deſideriis, oportet ut devotio conditoris piæ conſtructionis oraculi in privilegiis præſtandis minimè denegetur. Igitur, quia poſtulaſti à nobis dilectiſſime noſter fili, quatenus in provincia Franciæ, ubi & ubi tibi placitum fuerit in diverſis locis, ſive in his, quæ proprietatis tuæ juri pertinent, ſive etiam iis, quæ per emptionis paginam tibi advenerunt, quamque etiam in rebus parentum tuorum, vel unde unde tibi contingat, monaſteria conſtruendi licentiam tribueremus, ipſaque monaſteria à te fundata privilegiis ſedis Apoſtolicæ munirentur, ut ſub juriſdictione ſanctæ, cui, Deo auctore, deſervimus, Eccleſiæ conſtituta nullius alterius Eccleſiæ juriſdictionibus ſubmittatur. Pro qua re piis deſideriis faventes, hac noſtra auctoritate, id, quod expoſcitur, effectui mancipamus, & ideò per hanc Apoſtolicam auctoritatem tibi, cui ſuprà dilecto filio noſtro Fulrado, vel ceteris tuis ſucceſſoribus Abbatibus, licentiam & poteſtatem largientes concedimus ædificandi monaſteria, ubicumque in Franciæ provincia volueritis, ſive in locis proprietatis veſtræ, ſive etiam in his, quæ per comparationis ſeriem tibi

Epiſtola Stephani P. P. ad Fulradum Abbatem.

Editio Mabillonii.

STephanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Fulrado Deo amabili, presbytero & Abbati venerabilium diverſorum monaſteriorum, Deo auſpice, fundatori, & per ſeriem omnibus ſucceſſoribus ejus viciſſim Abbatibus in perpetuum.

Quoniam ſemper ſunt concedenda, quæ rationibus optantur congruis, oportet ut devotio conditoris ſancti Oraculi in præſtandis privilegiis à nobis augeatur. Igitur, quia poſtulaſti à nobis, dilectiſſime noſter fili, quatinus in regno Franciæ, ubi & ubi tibi placitum fuerit in ruris atque mœniis diverſorum locorum, ſive in his, quæ tuæ proprietatis ſunt, in his etiam, quæ per emptionis paginam tibi advenerunt, ſive in rebus parentum tuorum, vel undecumque tibi advenerint, monaſteria conſtruendi licentiam tribueremus, ipſaque monaſteria, ſicut à te ſive refragatione de aliquo judice vel reclamatore conſtructa ſunt, ita libera ſub jure ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui, Deo auctore, deſervimus, à nobis firmata privilegiorum in futuro permaneant. His igitur quàm piis deſideriis faventes, ac noſtra benedictione id, quod petis, effectui mancipantes, per hanc Apoſtolicam aucteritatem tibi, ceteriſque ſucceſſoribus tuis Abbatibus cœnobii ſanctorum martyrum, Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, licentiam & poteſtatem concedimus ædificandi monaſteria ubicumque in Franciæ regno volueritis, ſive in locis proprietatis veſtræ, ſive in his, quæ per comparationis ſeriem, vel conceſſionem

Sirmondi Editio.

prædicto filio noſtro obvenerunt, aut obvenerint, vel unde unde ad te pervenerunt, vel pervenerint.

Et omnem cujuſlibet Eccleſiæ Epiſcopum, aut alium quempiam ſacerdotem, in præfatis monaſteriis ditionem quamlibet habere, præter ſedem Apoſtolicam, hac auctoritate prohibemus. Ita ut nullus Epiſcopus, aut alius ſacerdos, vel etiam quiſpiam è laicis, in quoquam contrarietatem eiſdem monaſteriis inferre præſumant, niſi tu, Deo amabilis vir, vel ſucceſſores tui Abbates, quempiam forſitan ſacerdotum permiſeris ad quodlibet opus peragendum, quando ipſa venerabilia loca ædificaveris. Sed & hoc omninò interdicimus, ut nullus Epiſcoporum præſumat presbyterum, aut diaconem, vel reliquos ordines eccleſiaſticos in prædictis monaſteriis ordinare, vel miſſas ibidem celebrare, niſi ille, qui ab Abbate in tempore exiſtente fuerit invitatus. Epiſcopum illum, qui hujuſmodi conſecrationem ſacri ordinis in ipſis cœnobiis conſtituerit, nullo modo alius cujuſlibet Eccleſiæ Epiſcopus pro eadem cauſa condemnare audeat. Sed & tabulas & chriſma ſimiliter conſecrandi vobis licentiam tribuimus. Et hoc B. Petri Principis Apoſtolorum auctoritate promulgantes ſancimus, ut nullo modo Concilium Epiſcoporum & laicorum abſque voluntate excellentiſſimi filii noſtri Pippini Regis, vel tuæ dilectionis, Deo amabilis vir, te audeat quoquo modo Epiſcopum conſecrare.

Mabillonii Editio.

Regum, vel parentum veſtrorum dono, vel undecumque, vel ubicumque vobis quolibet juſto modo obvenerint.

Et quoniam ad preces Chludovii, filii Dagoberti Regis, domnus Landericus Pariſiacæ urbis Epiſcopus à ſua & omnium ſucceſſorum poteſtate deinceps, cum conſilio ſuorum canonicorum, & fratrum ſuorum Coepiſcoporum regionis illius cœnobium veſtrum, & omnes ad eum ſervientes clericos, quorumcumque ordinum in procinctu veſtri monaſterii abſolvit, nos etiam idem, & habere vobis Epiſcopum, per ſingulare privilegium, concedimus, qui de vobis ab Abbate, vel à fratribus, in monaſterio veſtro electus, & à fratribus noſtris Epiſcopis de illa regione conſecratus, illa veſtra monaſteria à vobis ædificata provideat, & vice noſtri nominis ubi & ubi fuerint, regat, & prædicationi tam in ipſo veſtro monaſterio, quàm in ſibi ſubjacentibus deſerviat.

Ut autem alicujus Eccleſiæ Epiſcopus vel ſacerdos illa monaſteria à vobis ædificata aliquo cupiditatis vinculo deceptus invadat, & illi Epiſcopo, quem tu vel ſucceſſores tui elegerint & ordinare fecerint, per invidiam, aut per quamlibet occaſionem, aliquam contradictionem inferat, prohibemus, ſed ſint reliqua veſtra monaſteria ſub Apoſtolica ditione, ſicut & ipſe ſanctus locus conſtitutus eſt, ad quem ipſa omnia prædicta monaſteria pertinere videntur. Hoc autem Chriſti Dei & Domini noſtri, & beati Petri Apoſtolorum principis, & noſtra auctoritate promulgantes ſancimus, ut iſta, quæ dictavimus, ita roborata permaneant, & nemo Epiſcoporum de quacumque Eccleſia, Presbyterum vel Diaconum ordinare, vel aliquod Eccleſiaſticum miniſterium celebrare, vel Concilium convocare, in prædictis monaſteriis audeat, niſi ille, quem Abbas illo in tempore exiſtens, ad hæc officia peragenda invitaverit.

Sirmondi Editio.	Mabillonii Editio.
Et omnes cauſas tuae, vel cœnobii tui, per ſedem ſacratiſſimam Apoſtolicam reclamare licentiam habeas, & proprietate tuâ in omnibus fruaris, dum rationes deducere malueris, unà cum Miſſo Francorum, ad ſedem Apoſtolicam; & interim nullus te condemnet: potiùs autem, ſicut verè ſacratiſſimæ ſedis Apoſtolicæ proprius familiaris, ab omnibus optimi vigoris honorem percipias, ipſaque venerabilia ædificata à te monaſteria, ſub ditione ſacratiſſimæ ſedis beati Petri Apoſtolorum Principis confirmata, protectione Apoſtolicâ in omnibus ut tueantur promulgamus: qualiter profectò, juxtà id quòd ſtabilita Apoſtolicis privilegiis conſiſtunt, inconcuſſè dotanda permaneant.	*Tuas autem & tuorum monaſteriorum cauſas, tu, atque tui ſucceſſores per tempora, quæ ventura ſunt, ad noſtram & Apoſtolicam audientiam reportare & reclamare per noſtram præceptionem licentiam habeas, & cùm veneris ad nos, vel legatos tuos miſeris, nullus interea te, vel illos videlicet tuos ſucceſſores condemnare valeat, vel res tuas quoquo modo invadere præſumat.*
Conſtituentes per hujus decreti noſtri paginam, atque interdicentes omnibus cujuslibet Eccleſiæ Præſulibus, vel cujuſcumque dignitatis præditis poteſtate, ſub anathematis interpoſitione qui eis præſumpſerit præſentis conſtituti, à nobis præfatis monaſteriis indulti, quolibet modo exiſtere temerator.	*Si quis autem Rex, vel Epiſcopus, vel aliquis de poteſtatibus hujus ſæculi, contra iſtam noſtram auctoritatem facere voluerit, & de noſtra Apoſtolica auctoritate aliquid fraudare temptaverit, habeatur ſicut ſacrilegus, nec habeat partem neque ſocietatem in regno Chriſti & Dei, ſed ſit anathema Maranatha in perpetuum.*
	Qui autem noſtram hanc & Apoſtolicam auctoritatem conſervaverint, benedictione cœleſti repleantur à Domino Iheſu Chriſto in ſæcula ſeculorum.
Bene valete, IV. Kalendas Martias, Imperante Domno piiſſimo Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore, anno XXXVIII. poſt ejus Conſulatum anno XVIII. ſed Leone majore Imperatore ejus filio, anno IV. Indictione X.	*Bene valete. Datum IIII. Kal. Martias, imperante domno piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore, anno decimo octavo Imperii ejus, ſed & Leone majore Imperatore ejus filio, anno quarto, Indictione decima.*

IV. Editionem Sirmondi Benedictinæ præferendam eſſe haud dubito, leguntur quippe in Mabilloniana quædam additiones ſeu interpolationes, quas defendere non poſſis. In ea inprimis fit mentio privilegii Landerici Pariſienſis Epiſcopi, & quædam verba ex eo excerpta referuntur, ex quibus manifeſtam interpolationem eſſe conſtat, ut antea comprobatum eſt, cum de eo fuit ſermo: & epiſtolam Sirmondi, ubi hæc non reperiuntur, ſi tamen vera eſt, in hoc ſaltem ſinceriorem eſſe exiſtimo, quod hæc non habeat. Jam verò quis privilegium non auditum in hanc epiſtolam irrepſiſſe ferat; quo ſcilicet permittitur monaſterio Dionyſiano ſuum habere Epiſcopum, quem Abbas & monachi elegerint, cui Epiſcopi hujus regionis imponant manus, cujus curâ & poteſtas in monaſteria à Dionyſianis ædificata, qui vacet miniſterio tam in baſilica Dionyſiana, quàm in aliis ſubjacentibus locis, ea Sirmondus non reperit in manuſcriptis ſchedis, etſi in Dubletiana editione habebantur, ea tamen non eſſe in epiſtola, quam edidit, exſcribenda, immò vir optimi palati ſupprimenda eſſe, tanquam ſpuria, judicavit. Tempus teram, ſi hæc contra canones, ſi contra regulam, & omnem Eccleſiæ conſuetudinem eſſe oſtendero, ſi contra ſacerdotalem dignitatem, & ſanctam miniſterii inſtitutionem eſſe pluribus probavero. Scilicet Stephanus Papa hæc ſcripſit. *Nos etiam idem & habere vobis Epiſcopum per ſingulare privilegium, concedimus, qui de vobis ab Abbate, vel à fratribus in monaſterio veſtro*

veſtro electus, & à fratribus noſtris epiſcopis de illa regione conſecratus, illa veſtra monaſteria, à vobis ædificata provideat, & vice noſtri nominis, ubi & ubi fuerint, regat, & prædicationi tam in ipſo veſtro monaſterio quàm in ſibi ſubjacentibus deſerviat. Id ſcilicet credibile cuipiam videbitur, quod ſummus Pontifex ſummos Sacerdotes, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, ſubjecerit Abbati, qui ipſis obnoxius eſt, & poſt habitâ Pontificum dignitate, incluſerit in monaſterio; quæ iſthæc ordinatio Epiſcopi? non quem clerus, aut populus, ſed quem Abbas & monachi voluerint eſſe Pontificem, cujus ordinationem non metropolitanus, aut provinciales Epiſcopi perfecerint, ſed quos Abbas optaverit, cujus poteſtas & juriſdictio ſit non in Eccleſiam Dei, aut portionem aliquam, in civitatem nempe aliquam, cui jus habendi Epiſcopos concilia fecerint, ſed in monaſterium, ſi tamen in monaſterium, cum omne regimen & omnis adminiſtratio non ex epiſcopi, ſed ex Abbatis nutu & arbitrio omninò pendeat, & Epiſcopi poteſtas & omnis inſtitutio ſit ad ordinandos aliquot monachos, ad altarium monaſterii conſecrationem, & chriſma in monaſterio faciendum. *Nulla ratio ſinit*, inquit ſanctus Leo, *ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus ſunt expetiti, nec à provincialibus Epiſcopis cum metropolitani judicio conſecrati, unde cum ſæpè quæſtio de malè accepto honore naſcatur, quis ambiget, nequaquam eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum.* Anno D C L. Cabillonenſe Concilium conſentanea decretis S. Leonis definit. *Siquis Epiſcopus de quacumque fuerit civitate defunctus, non ab alio niſi à comprovincialibus, clero & civibus ſuis, alterius habeatur electio: ſin aliter, hujuſmodi ordinatio irrita habeatur.* Ad rem Chriſtianam promovendam, fuiſſe ſæpiùs ordinatos Epiſcopos, nulli loco, nulli parochiæ addictos reperimus: mittebantur ſcilicet in nationes exteras, ut Chriſto eas acquirerent: cumque ſub eo nomine vagi quidam Epiſcopi per regiones diſcurrerent, & inordinatè facerent ordinationes; placuit Epiſcopis eorum reprimere audaciam, horumque in Synodis frequens mentio; at de Epiſcopis monaſteriorum ne verbum quidem reperias.

LIB V. CAP. II.

Epiſt. ad Ruſticum Narb. Epiſc.

V. Verum operæ pretium me facturum eſſe exiſtimo ſi paulò diligentiùs inquiſivero, an id temporis monachi Dionyſiani, alium à Pariſienſi Epiſcopum agnoverint, itque ab ejus juriſdictione amoti ſuas ipſi res ſecum habuerint; id vero quibuſdam exemplis quæ ad Dionyſianos pertinent mihi utique explorandum eſt. Occurrit ſtatim Hincmarus, qui monachus Dionyſianus, ac poſtea Remenſis Archiepiſcopus fuit, vir doctrina clarus, ut illa erant tempora; callebat ille res Dionyſiani monaſterii: neque tamen in ejus operibus, quæ tomis duobus olim à Sirmondo edita ſunt, quidquam omnino reperias, quo probes ſuo tempore, neque dum monaſterii alumnus fuit: neque dum Archiepiſcopus, fuiſſe Dionyſianum aliquem Epiſcopum; neque Dionyſianos monachos à juriſdictione Epiſcopi Pariſienſis diſceſſiſſe. Immo contrarium penitus colligas, ex ipſius geſtis ſcriptiſque. Ea vero quæ aliquando legendo reperi paucis referam. Hilduinus olim rebus turbidis Lothario contra Ludovicum pium Imperatorem faviſſe dicebatur. Hilduinus propterea juſſus eſt ire exulatum in Saxoniam ad novam Corbeiam. Hincmarus, qui illum plurimo amore proſequebatur, ſe illi comitem adjungere, eumque vel in exilium ſequi ſtatuit, quod tamen exequi non exorſus eſt, niſi imperatâ prius veniâ à proprio ſuo Epiſcopo Inchado Pariſienſi antiſtite: unde certò aſſeras haud dubiè monachos Dionyſianos ab Epiſcopi poteſtate, ne tum quidem ſemotos fuiſſe, quibus è monaſterii ſeptis ſine Epiſcopi Pariſienſis licentia egredi nefas fuit. *Proceſſu verò temporis*, inquit Flodoardus, *cum præmemoratus Hilduinus Abbas Imperatoris Ludovici archicapellanus, offenſam ipſius Auguſti, adeo cum aliis regni primoribus incurriſſet, ut ablatis ſibi abbatiis in Saxoniam fuerit exilio relegatus: iſte per licentiam proprii Epiſcopi, cum benedictione fratrum illum ſecutus eſt in exilium* &c. Vides hîc Inchadum Pariſienſem Epiſcopum appellari proprium Epiſcopum, quo inconſulto, ne quidem Abbati ſe comitem præſtare Hincmarus Dionyſianus monachus ſibi licitum eſſe credidit. Sed ne diverſum aliquem ab Epiſcopo Pa-

Lib. 3. c. 1.

LIB V. CAP. II rifienſi tibi falsò perſuadeas, audi quæ his adjecturus ſum. Hincmarus dejecto canonicè Eboni Archiepiſcopo Remenſi, in Bellovacenſi Synodo ſubrogatus eſt. Accidit tamen, ut Ebo auctoritate qua valebat apud Lotharium inter fratrum diſcordias reſtitutus in ſedem ſit, & ſtatim ordinationes fecerit: neque multò poſt loco iterum pulſus ſit; quæ res poſtea multarum turbarum cauſa extitit, nam & Ebo ſæpius repetere cathedram, & prope fuit, ut Nicolaus P. P. litem ea de re Hincmaro inferret; quin etiam multi ordinationem ejus occultè carpere audebant. Hæc tum ille reſpondere. *Nam cum Remenſem Eccleſiam Folco* Hincm. Opuſcu. 19. *fere per novem annos ſine ulla regulari Ebonis reclamatione tenuiſſet, ſub Sergio P. P. in Synodo plurimorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum apud Bellovacum diœceſeos Remorum habita, à clero & plebe ipſius metropolis, ſed & ab Epiſcopis ejuſdem provinciæ petitus, & ab Archiepiſcopo tunc meo, & proprio Epiſcopo, necnon & à Coepiſcopis ipſius provinciæ, ſecundum Laodicenſe Concilium, cum conſenſu Abbatis mei, & fratrum monaſterii in quo degebam, Epiſcopis Remenſis provinciæ, & clero ac plebi ipſius metropolis per canonicas litteras traditus, & cum decreto canonico, præſentia vel conſenſu omnium ſuffraganeorum ipſius metropolis, & à metropolitano meo, qui me illis tradiderat; ſum in eadem eccleſia omnibus acclamantibus, abſque ullius contradictione vel repetitione canonicè, & ſecundum decreta ſedis Romanæ Pontificum ordinatus* &c. Jam perſpicis, ut in eo loco Hincmarus Senonenſem Pontificem ſuum vocat Archiepiſcopum & Pariſienſem proprium appellat Epiſcopum. Sed Flod. lib. 3. cap. 1. ecce tibi verba ſcriptoris Remenſis qui rem apertiùs commemorat. *Anno denique incarnationis* DCCCXLV. *Carolus Synodum Epiſcoporum regni ſui apud Bellovacum civitatem Remenſis provinciæ convocavit: ubi inter cetera Eccleſiæ, regnique neceſſaria, de Remenſis Eccleſiæ deſolatione, quæ Fulcone presbytero illam diu tenente, & Nothone in ea ſibi ſuccedente, tanto vacare paſtore videbatur tempore, cum eiſdem Epiſcopis cœpit tractare. Qui, ſicuti viderant, vel audierant, depoſitionem narrantes Ebonis, & auctoritatem ſanctorum patrum, pro hujuſmodi negotiis ad memoriam revocantes, cogente neceſſitate, atque ſuadente auctoritate, communi decrevere conſenſu, quo tandem poſt decennium depoſitionis Ebonis in Eccleſia eadem ordinaretur Epiſcopus. Igitur à clero & à plebe ipſius metropolis, necnon ab Epiſcopis ejuſdem provinciæ, Archiepiſcopo Senonenſis Eccleſiæ Vvenilone, atque Ercamrado Pariſiorum Epiſcopo annuente, cum conſenſu Abbatis ſui, & fratrum monaſterii ſancti Dionyſii, in quo degebat, favente quoque Carolo Rege, Hincmarus electus eſt. Sicque decreto peracto, eligentiumque manibus roborato Eccleſiæ Remenſi ordinatur Epiſcopus.* His ita expoſitis nemo, puto dubitabit, quin ſuus propriuſque Hincmari Dionyſiani monachi Epiſcopus Pariſienſis fuerit, ſine cujus nutu & voluntate: neque exire è monaſterio, neque ſe creatum Pontificem voluit; ea tunc temporis Pontificum Pariſienſium in monachos Dionyſianos poteſtas erat, eaque monachorum in Epiſcopos Pariſienſes reverentia obedientiaque, ut nefas eſſe ducerent quidquam agere ſine ejus conſenſu & arbitriu. Quid verò cauſæ eſt, quòd nulla his in locis Dionyſiani Epiſcopi memoria eſt? Non alia profectò, niſi quod nondum conficta illa diplomata de illo Dionyſiano Epiſcopo: neque tum Dionyſiani monachi à juriſdictione Epiſcopi Pariſienſis ſe ſubtraxerant.

VI. Sed ecce tibi alia, ex quibus auctoritatem Epiſcoporum Pariſienſium in Dionyſianos æſtimes. Monachi à priſtina monachorum inſtitutione & diſciplina longe deſciverant: túmque poſito proprio habitu, dejectoque cucullo in canonicorum ordinem infidi deſertores transfugerant. Non tulit Inchadus Pariſienſis Epiſcopus monachos temere à propoſito diſceſſiſſe. Anno itaque DCCCXXIX. cum opportunè Pariſienſis fieret Synodus temerariam monachorum contumaciam apud patres, qui eò venerant, publicè conqueſtus eſt, retulitque quemadmodum complures monachi in errorem fuerant delapſi, dum tamen pauci ex his priora vitæ monaſticæ inſtituta ſequerentur. Viſum eſt patribus uti quidem ſua auctoritate, ſed & Imperatoris quoque poteſtatem advocare ad coercendam monachorum contumaciam. Favebat votis Pontificum Hilduïnus monaſterii ſancti Dionyſii Abbas. *Quam cauſam*, inquit, præ-

ceptio Imperatoris, *tam per ſe ſacerdotes Domini, quàmque & per venerabilem prudentemque virum Hilduinum memorati monaſterii religioſum Abbatem noſtræ ſerenitatis auribus intimaverunt, uti noſtra piiſſima imperiali poteſtate per eorum auctoritatem corrigeretur.* Annuit Auguſtus Epiſcoporum rogationi: demandavit provinciam diſciplinæ in hoc monaſterio reſtituendæ Aldrico metropolitæ Senonico & ejus provincialibus Epiſcopis, & Eboni Remenſi Archiepiſcopo & Epiſcopis ejuſdem provinciæ, habitoque conventu Epiſcopi agnoſcunt, *primùm quod idem monaſterium ordini monaſtico conſtructum, dedicatum, & rebus ditatum fuit, & in eo ipſe ordo, uſque ad tempus quo ſceptra imperialia supernâ largiente gratiâ clementia noſtra ſuſcepit, & ſupra memorati Hilduini Abbatis prælationem, ibidem utcumque viguerit manifeſtis indiciis, Regumque antiquis & modernis præceptis, & Epiſcoporum privilegiis, ac fidelium donationibus, palam cunctis eſt factum.* LIB. V. CAP. II. Inquiſitio deinde de perſonis acta eſt. *Quidam etiam*, inquit conſtitutio, *non eamdem profeſſionem ſe feciſſe mentiti ſunt, ſed teſtibus patentibus convicti pro ſua contumacia canonicæ pœnitentiæ ſunt ſubacti.* Quidam iique plures numero culpam deprecati receperunt habitum coram cœtu Sacerdotum, iterataque promiſſione ultrò regularem vitam profeſſi ſunt, hæc deinde in acta relata ſunt. Neque multò poſt quidam à ſancto ſuo propoſito rurſum diſcedere conati ſunt, mulris conviciis Sacerdotes, qui ſe à recto vitæ tramite deflectentes emendaverant, onerare & impetere cœperunt. Quin & auſi ſunt, offerre Ludovico ſchedulam ubi multa contra Epiſcopos, eaque adeo fæda dictu, ut Imperialibus ſcriptis inſerta Auguſtus noluerit. Judicium tamen retractari Imperator cenſuit, & querimonias rebellium examinari ab iiſdem aliiſque Epiſcopis adjunctis in quos accuſatio non erat. Facto Epiſcoporum conventu de accuſationibus actum eſt; aſſerta Epiſcoporum innocentia, & monachi calumniarum comperti ſunt; quod pariter relatum eſt in acta, ac demùm conſtitutione imperiali confirmatum. Jam vero ex his intelligis Epiſcopos de reſtituenda monaſterii diſciplina in Synodo pertractaſſe, & ut negotium perficeretur, advocaſſe poteſtatem Imperatoris, ut, quod habet conſtitutio, per auctoritatem Epiſcoporum Dionyſiani emendarentur, & corrigerentur. Quid quòd, cùm de rebus monaſterii facta eſt inquiſitio allata tantummodo ſunt, antiqua & moderna Regum præcepta, & Epiſcoporum privilegia, donationeſque fidelium, nullæ Pontificiæ litteræ, nullaque ſummorum Pontificum aut decreta aut diplomata in auctoritatem adducta ſunt. Sed quod epiſcopalis auctoritatis validum eſt argumentum, monachi Epiſcopis judicibus pœnitentiæ ſeveritati in ipſo monaſterio intercedente nemine ſubjecti ſunt. Demùm quid cauſæ eſt? quod nonnulli poſt emendationem contumaciter agere inſtituerunt, libelloſque Imperatori porrigere conviciorum calumniarumque refertos, quibus judicium Pontificum eludere conarentur; quin magis aggrederentur ad ſua confugere privilegia, & negotium Romam evocare, ut ſuas immunitates contra Epiſcoporum auctoritatem defenderent. Quid inquam eſt, quod ne quidem contra obloqui auſi ſunt. At enim ſi Dionyſiani id temporis, ut ex privilegio conceſſum erat Epiſcopum ſuum habuerunt; ubinam gentium erat, quando cauſa hæc pertractata eſt: neque enim is Synodo Pariſienſi interfuit nedum ſubſcripſit, ut palam eſt ex ſubſcriptionibus; neque in conventu Dionyſiano extitiſſe nedum aſſediſſe illum legimus: neque toto illo judicio ullam illius commemorationem factam eſſe intelligimus. Ex quibus apertè ſe ſe prodit Pontificiarum litterarum aut depravatio, aut falſatio.

VII. Jam vero quæ acciderunt poſt mortem Erchanradi junioris Epiſcopi Pariſienſis in electione Æneæ clarè oſtendunt, neque tunc temporis baſilicam Dionyſianam ea habuiſſe privilegia, quæ diplomate Stephani III. P. P. continentur, neque monachos ſubtractos à juriſdictione epiſcopali, neque Epiſcopum alium ab Epiſcopo Pariſienſi habuiſſe: cùm enim de ſubrogando Epiſcopo Pariſienſi ageretur; clerus Pariſienſis, ut alterum ſufficeret Epiſcopum; conventum habuit, accenſitique ſunt clero Pariſienſi Dionyſiani monachi, iique electioni Æneæ etiam calculum dederunt cum aliis clericis & monachis, qui ſi jam tum à poteſtate Epiſcopi ſummoti fuiſſent, ſi ſuum intra ſepta mo-

LIB. V. CAP. II. naſterii habuiſſent Epiſcopum, non alterum ſimul cum aliis ſubrogaſſent, neque illi cum clero Pariſienſi in conſortium & ſocietatem veniſſent; non enim æquum fuiſſet, ut factâ ſeceſſione jus eligendi Epiſcopum retinuiſſent, cujus mandata facere negligerent, & cujus obtemperare monitis detrectarent, & à cujus imperio defeciſſent, ut ſuis uterentur legibus, ſuoque viverent arbitrio. Sed ne me temerè loqui exiſtimes, ecce tibi titulum qui præfixus eſt epiſtolæ cleri Pariſienſis ad Vvenilonem Archiepiſcopum Senonenſem, & ad alios Senonenſis provinciæ Epiſcopos. *Religioſiſſimis patribus & fratribus Gueniloni metropolitano Senonicæ ſedis antiſtiti, & univerſo clero ejus & ceterarum eccleſiarum præſulibus, quæ diœceſi memoratæ ſedis cenſentur cunctiſque in eis Deo famulantibus, clerus matris eccleſiæ Pariſiorum, & fratres cœnobii ſancti Dionyſii, & ſancti Germani, & beatæ Genovefæ, ac Foſſatenſis, diverſorumque monaſteriorum unanimitas, præſentem & futuram ſalutem. Venerabilem paſtorem noſtrum Ercanradum nuper deceſſiſſe cùm longè latéque vulgatum ſit: tum ſanctitatem veſtram latere non potuit &c.* Extat reſponſio, cui hic titulus præfixus eſt. *Guenilo ſanctæ Senonicæ ſedis metropolitanus Epiſcopus, Heriboldus Autiſſiodori Epiſcopus, Agius Aurelianorum, Prudentius Tricaſſinorum, Herimannus Nivernenſium, Frotbertus Carnutum, Hildegarius Meldorum, clero matris eccleſiæ Pariſiorum, & cunctis ex diverſis cœnobiis ſub ea Deo militantibus, ſalutem. De exceſſu reverentiſſimi Coepiſcopi noſtri Ercanradi non mediocriter anxii, veſtrique mœroris participes, tamdem juſtiſſimæ diſpoſitionis Dei memores, conſolationem recipimus* &c. Ex titulo harum litterarum haud dubiè concludas Dionyſianos monachos, id temporis, fuiſſe ex parte cleri Pariſienſis, eoſque nullo privilegio diviſos fuiſſe ab epiſcopali juriſdictione: Sed clericos promiſcue, & monachos, Dionyſianoſque inprimis, ſub iiſdem antiſtitis Pariſienſis vexillis Deo militaſſe, qui ſcilicet paribus votis, paribuſque ſuffragiis eligerent Epiſcopum, qui ab iis omnibus electus, omnibus pariter clericis & monachis præeſſet. Nemini veniet in mentem, tunc ædi Dionyſianæ ſuum ſeorſim fuiſſe Epiſcopum, qui omiſſo Pariſienſi Epiſcopo in eo loco munia obiret Epiſcopi, ordinaret monachos, baſilicas & altaria dedicaret, & quæcumque Epiſcoporum ſunt illic perageret, & monachos eodem tempore jus & prærogativam eligendi Ducis ſibi aſſumpſiſſe, cujus illico ſigna deſererent, & cujus abnuerent imperium. Neque puto quiſquam ſinceritatem litterarum revocabit in dubium, quarum manuſcriptum codicem exſcripſit eruditiſſimus Baluzius, & quarum fidem rerum ipſarum ſeries facilè demonſtrat. Sed vide, amabo, ex actis Benedictinis, quæ fuerit, vel poſteriore tempore Dionyſianorum cum Epiſcopo Pariſienſi in rebus eccleſiaſticis communicatio: hocque habe ex geſtis Gerardi Bronienſis Abbatis, qui, ut alia prætercam monachus Dionyſianus primùm fuit, hæc de eo memorat illius vitæ ſcriptor. *Anno*, inquit, *ſuæ converſionis ſecundo Pariſius ordinatur acolythus ab Epiſcopo illius urbis Theodulfo, à quo etiam hypodiaconus conſecratur ſubſequente tertio: ſub ejus verò ſucceſſore aſcendit gradum diaconis quarto; anno autem nono ſublimatur & ſacerdotio ab illius Fulradi ſucceſſore Adelelmo.* Spatio igitur octo annorum, ab anno ſcilicet DCCCCXIX. ad annum DCCCCXXVII. Gerardus ſacris ordinibus initiatus eſt à tribus Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis, ubinam terrarum erat Dionyſianus ille Epiſcopus, qui octo annorum ſpatio illo nuſquam viſus eſt, qui ne vel acolytatum, nedum ordines ſacros, Gerardo monacho Dionyſiano contulit; ita ut opus illi fuerit miniſterio Epiſcoporum Pariſienſium? Pref. 3 ſæc. Bened. p. 1. Dicet aliquis jam tum ſuppreſſum Dionyſianum Epiſcopatum. Quid? ſi reſpondero tempore Ludovici Pii Inchadum ab Hincmaro monacho S. Dionyſii ſuum Epiſcopum proprium Epiſcopum, Erchenradum ſub Caroli calvi principatu Pariſienſem Epiſcopum proprium pariter appellatum: Quid ſi reponam non accitum alium quemvis Epiſcopum ad ejus ordinationes. Demum illos Epiſcopos defendes ampliùs, quorum nulla acta, immò ne nomina quidem reperiuntur, ut mox approbabimus: quorum in actis publicis nulla mentio eſt, quorum in antiquis auctoribus, veteribus probatiſque ſcriptis nulla memoria eſt, quorum nec in Conciliis, nec in ſubſcriptionibus, Conciliorum ulla uſquam recordatio eſt, quorum denique nulla Eccleſiarum, ne ipſa quidem Eccleſiæ Dionyſianæ tabularia meminerunt.

Aiunt illi confirmatum boc privilegium litteris Hadriani Papæ I. de quibus inferiùs erit ſermo. Addunt & in Chilperici diplomate factam mentionem Turnoaldi Epiſcopi & cuſtodis baſilicæ ſancti Dionyſii. Dictum eſt antea de Turnoaldo, & eum quidem fuiſſe Epiſcopum Pariſienſem, poſteáque in Abbatem ſeu potius in cuſtodem monaſterii ſancti Dionyſii electum fuiſſe. *Turnoaldus*, inquit Mabillonius ad corollarium III. de re diplomatica, *ex Epiſcopo Pariſienſi monachus deinde fuit Dionyſianus.* Ex quibus apparet Turnoaldum apud Dionyſianos non fuiſſe Epiſcopum ex privilegio, ſed in monaſterium ſeceſſiſſe, atque adeo bunc fruſtra in argumentum aſſumptum eſſe. Ecce tamen Mabillonius eum numero Epiſcoporum baſilicæ Dionyſianæ adſcribit, qui antéquam monacbus fieret, ſi tamen fuerit, fuerat Epiſcopus Pariſienſis ordinatus, ut ipſe ultro nobis confitetur. Herbertum deinde ſubjiciunt Epiſcopum baſilicæ ſancti Dionyſii, idque aſſeverant ex libro I. de miraculis ſancti Dionyſii cap. 6. ubi de quodam incola fit mentio, qui ad Herbertum Epiſcopum acceſſit. *Poſtera die*, inquit auctor, *acceſſit ad Herbertum Epiſcopum, (moris quippe ei fuit eccleſiæ aliquandiu Epiſcopos habere) eique peccata ſua confeſſus eſt.* Illa igitur parentbeſi, quam ex margine & gloſſa in textum irrepſiſſe haud vana opinio eſt, ordinatio borum Epiſcoporum innititur, & rem hujus momenti neſcio qua locutione aſſerunt, quam ſi auferas ex textu, ſenſum non pervertas. Demùm Godofredum proferunt Epiſcopum annotatum in indice monacborum ſancti Dionyſii, quem ſpicilegiorum tomo 4. Dacherius publicavit, ubi is inter monachos recenſetur. Sed neque ex Herberto, neque ex Godofredo quiſquam concludat fuiſſe ex privilegio Epiſcopos in Dionyſiano monaſterio, ſed Epiſcopos huc ſeceſſiſſe, ut liberiùs Deo vacarent, abdicato munere, qui tamen nomen Epiſcopi retinuerint. Certè in ſubſcriptionibus Attiniacenſis conventûs nomina ſunt aliquot Epiſcoporum, qui degebant in monaſteriis, quos tamen ex tabulariis Eccleſiarum patet, relicto Epiſcopatu, eò ſeceſſiſſe. Sanè ſi in monaſterio ſancti Dionyſii fuiſſent ſui Epiſcopi, hoc, quod graviſſimum eſt, non dubiis chartis, ambiguíſque argumentis, ſed certis indubitatíſque probationibus boc defendere oporteret, & rem adeò contrariam eccleſiaſticæ diſciplinæ apertis invictíſque inſtrumentis approbare. LIB. V. CAP. II. VIII.

In ea quoque Stephani epiſtola alia reperiuntur, quæ huic ætati non congruunt, in ea enim Abbatum monaſteriorumque cauſæ ad audientiam apoſtolicam revocantur. *Tuas autem & tuorum monaſteriorum cauſas, tu atque tui ſucceſſores per tempora, quæ ventura ſunt, ad noſtram & apoſtolicam audientiam reportare, & reclamare per noſtram præceptionem licentiam habeas, & cùm veneris ad nos, vel legatos tuos miſeris, nullus interea te, vel illos videlicet tuos ſucceſſores condemnare valeat, vel res tuas quoquo modo invadere præſumat.* His temporibus non conſuetum erat in Galliis res & cauſas monacborum ad ſummum evocare Pontificem; adeò ut, ſi lis eſſet de poſſeſſione aliqua hujus monaſterii, integrum eſſet Abbati & monachis bujus monaſterii negotium ad judicium ſummi Pontificis deferre, neque quiſquam latum hac ætate judicium proferat, immò res omnes ex judicio Principis, vel Epiſcoporum definitas eſſe vel ex actis, quæ Mabillonius edidit, certiſſimum eſt. Demùm error in annis Conſtantini deprehenditur à Cointio, non enim in annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum ſeptimum, quo litteras Stephani ſcriptas eſſe oporteret, cadit annus ejus imperii XVIII. quomodocúmque annos hujus Imperatoris numeres. Si enim initium hujus imperii ſumas ab anno ſeptingenteſimo viceſimo, quo adſcitus in conſortium imperii eſt, & die Paſchæ ſollemni ritu coronatus, XXXVII. annus ejus imperii cadit in annum DCCLVII. ſi verò annos ejus imperii computes à morte ejus patris Leonis, cùm is obierit anno Cbriſti DCCXLI. XIV. Calendas Julias Indictione IX. annus ejus imperii XVI. non XVIII. cadit in annum Chriſti DCCLVII. Alter deinde error reperitur in annis ejus filii Leonis, cujus annus quartus dicitur cadere in annum DCCLVII. quod utique fieri non poteſt, ut ex Theophane clarum eſt, qui Leonem juniorem à Patre Copronymo factum fuiſſe imperii conſortem anno Chriſti DCCLI. IX.

LIB. V. CAP. II. Indictione quarta dicit. Annus igitur ſextus, non quartus, incidit in annum DCCLVII. & eodem anno Indictio decima erat, quod & Theophanes ſcribit, neque Mabillonius diffitetur in Indictione mendum irrepſiſſe, neque propterea vult rejectam eſſe epiſtolam Stephani Papæ, quod mirum mihi videtur, eòque magis, quòd ille rejiciat chartam Pippini Regis, in qua Conſtramni Abbatis ſancti Dionyſii mentio fit, quia mendoſa eſt Indictio. *Verùm*, inquit, *ad fidem ejus elevandam ſufficit non modò Indictio appoſita præter morem Pippini, ſed etiam erratum in ipſa Indictione commiſſum, comparatâ Indictione quartâ cum anno Pippini ſeptimo, qui indictione decima præditus erat.* Et tamen idem auctor in eodem capite, cum de Indictione ad calcem epiſtolæ Stephani Papæ quæſtio, & in ea mendum eſſe Cointius oſtendit. *Fortaſſe*, inquit, *mendum incidit in Indictionem, quod non rarò accidit, etiam in autographis, uti oſtendemus in Corollario I.* Hæc quomodo inter ſe cohæreant non intelligo. Ex his porrò omnibus patet, vel epiſtolam Stephani Papæ ſuppoſitam eſſe, vel certè in pluribus locis interpolatam, in eaque maximè parte, ubi de Epiſcopis Dionyſianis mentio eſt. In collectione Sirmondi extant aliæ litteræ, Stephanus Papa Fulrado *concedit hoſpitale poſitum infrà baſilicam B. Petri, quod tenuit Rochus monachus, necnon & domum ſitam juxtà monaſterium B. Martini, quam tenuit Nazarius monachus.* Obiit anno Chriſti DCCLXXXIV. XVII. Calend. Auguſti. Synodus Vermerienſis Fulradi meminit, eumque vocat piæ & ſanctæ recordationis Abbatem, ejus epitaphium ſcripſit Alcvinus his verbis.

Preſbyter egregius valde, & venerabilis Abba
Strenuus actu; opere, pectore, mente pius
Corpore Fulradus tumulo requieſcit in iſto,
Notus in urbe procul, noſter in orbe pater.
Inclytus iſte ſacræ fuerat paſtorque capellæ,
Hic decus Eccleſiæ promptus in omne bonum;
Hæc domus alma Dei magno eſt renovata decore.
Vt cernis lector, tempore quippe ſuo
Iſte pios Patres magno dilexit amore,
Relliquias quorum hæc domus illa tenet.
Credimus idcirco cælo ſocietur ut illis,
In terris quoniam ſemper amavit eos.

Exiſtimat Mabillonius, idque ex his verſibus colligit Fulradum in baſilica Dionyſiana ſepultum fuiſſe, ſed corpus ejus tranſlatum fuiſſe in monaſterium Lebrahenſe die 17. Februarii. Ex illis quoque verſibus id colligitur, quod auctor miraculorum ſancti Dionyſii ſcribit, baſilicam ſancti Dionyſii, vetere dirutâ, denuò ſub ejus regimine refectam, & magnificentiùs reſtitutam, aut, ut innuunt verſus Alcuini, ejus cura & labore novis operibus decoratam fuiſſe. Extat Fulradi teſtamentum in ſecunda parte ſæculi tertii Benedictini, quod Mabillonius eruit ex archivo monaſterii ſancti Dionyſii, quod ſuo loco deſcribemus. Hæc de Fulrado Abbate ſancti Dionyſii.

X. Anno Chriſti DCCLIV. quo tempore Stephanus Papa adhuc in cœnobio Dionyſiano morabatur VIII. Calend. Auguſti facta eſt tranſlatio corporis ſancti Germani ex oratorio ſancti Symphoriani in ipſam ſancti Vincentii baſilicam ad orientalem partem. Hujus meminit Uſuardus ad eum, quem diximus, diem; hujus tranſlationis narratio eſt apud Aimoinum lib. 4. cap. 61. editionis Vechelianæ his verbis. *Sequenti anno venerabilis Lanfredus Abbas ſancti Germani Pariſienſis, glorioſiſſimum Regem Pippinum adiit, ſignificans ſibi per revelationem oſtenſum, & commonitum ab ipſo ſancto Pontifice Germano, quatenus ſacratiſſima ejus membra de oratorio ſancti Symphoriani, in quo duentis circiter, vel eo ampliùs annis jacuerat, intrà majoris eccleſiæ aulam transferri deberent. Audiens glorioſiſſimus, Deique cultor Rex Pippinus, gaudio gavisus eſt magno. Convocatiſque univerſis regni ſui præſulibus, eis myſterium ſibi revelatum declaravit: qualiterque tantum perficere negotium deberet, ſolerti ab eis indagine perquiſivit, atque tractavit. Omnibus verò id collaudantibus, die conſtituta glorioſiſſimus Rex præfatus unà*

cum multitudine antiſtitum, ac procerum turba, aſſiſtentibus filiis ſuis Regibus, Carlomanno videlicet atque Carolo, qui poſteà magnus dictus eſt, tunc ſeptenni puerulo, ſacratiſſima membra reverendiſſimi Antiſtitis Germani, intrà majorem baſilicam cum digno honore tranſpoſuerunt. Prædictus autem glorioſiſſimus Pippinus pro oſtenſis in tranſpoſitione ſanctiſſimi Pontificis cælitus gaviſus miraculis, ipſa die quamdam villam nuncupatam Palatiolum, ſitam in pago Pariſiaco, ſancto Pontifici perpetuò habendam regali præcepto contradidit. Etſi hæc non reperiuntur in editione Ducheniana, tamen ſinceriora cuique videbuntur, quàm ea, quæ monachus Pratenſis ſcripſit, quamvis ea aſſerat ſe à Carolo magno accepiſſe. Ejus narrationem paucis refero, ne videar quidquam prætermiſiſſe. Tranſlationem in eum modum commemorat. Anno, inquit, viceſimo tertio Caroli, quem poſteà martellum vocitare conſuetum eſt, Lantfredus Abbas monaſterii ſancti levitæ Vincentii cogitare cœpit quomodo corpus B. Germani Epiſcopi, quod ducentis plùs annis ad porticum eccleſiæ ſepultum jacuerat, in ipſam baſilicam transferret. Verùm ille aliò à Principe evocatus, & legationis ergò miſſus in Aquitaniam, differre conſilium coactus eſt, ibi ab Hunoldo Aquitaniæ Duce, detentus eſt quaſi, non legatus, ſed explorator adveniſſet: donec mortuo Carolo, & ad regni adminiſtrationem Pippino ſuccedente, pax firmata eſt, & Lantfredo redeundi Pariſios poteſtas facta eſt. Demùm duodecim pòſt annis, quos reſtituendæ diſciplinæ, & damnis monaſterii reſarciendis Abbas impendit, dè tranſlatione ſancti Germani feriò agere inſtituit, eóque impenſiùs in hoc incumbere, quod à muliere quadam, quæ cælitus monita fuerat, ad rem perficiendam excitatus eſt. Adiit igitur Pippinum Regem, egitque cum illo de transferendo corpore, & quibus ad eam rem adductus ſit rationibus, eum pluribus edocet. Rex conſilium approbat, utque ſollemnior tranſlatio ſit, præſules, regnique optimates Pariſios advocat, quorum operâ celebrata tranſlatio, quam refert ex verbis Caroli magni, quem interfuiſſe celebritati dicit, cùm adhuc ſeptennis eſſet. Auctor ſic rem aggreditur. Cùm aliquando Imperator ſtaret ante altare baſilicæ ſancti Germani, quam ſanctæ Crucis & ſancti Stephani vocat; mihi, inquit, venit in memoriam tempus, quo hæc baſilica nondum auri argentique decorata ornamentis, quibus nunc refulget, ſi hanc crucem, quam indicabat, excipias: tum corpus ſancti Germani in crypta ſepultum jacebat, unde procurante inprimis genitore meo, elevatum, in orientali parte baſilicæ ſepultum eſt. Cùm Pippinus pater meus veniſſet ad baſilicam, complureſque antiſtites, & bene multi optimates adeſſent, elevatum eſt ex humo, ſepulcro incluſum, elatumque atque depoſitum in aula, quæ ad Occidentem vergit, tranſacto die, totaque nocte, hymnis & pſalmis ritè concinendis, poſtridiè ſummo manè, ecce iterum Rex cum filiis & regni proceribus adeſt, & ipſe ſanctum corpus vectibus impoſitum ferre humeris parat: verùm cùm nulla vi levari, nullis conatibus poſſe moveri è loco adverteret, pudore & verecundia ſuffuſus Rex ſciſcitatur ab Epiſcopis, quidnam ſit, quod ſepulcrum contra omnium niſus immotum maneat? Reſpondent Epiſcopi ſanctum Pontificem ab Epiſcopis levandum, Rex eorum conſiliis annuit, accingunt ſe Gallicani Pontifices ad ferendum ſepulcrum, vectibus humeros humiliter ſupponunt, nituntúrque corpus tollere, ſed fruſtrà, & ſicut antea, immotum ſtetit & inconcuſſum. Iterum quæſitum eſt ab ipſis Epiſcopis, quid facto ſit opus? Reſponſum eſt imponendum onus ſuper humeros monachorum; annituntur illi, ſed fruſtrà. Demùm omnibus anxiis, & Rege ipſo dubio quid rerum eſſet? Ecce quidam è turba datâ loquendi copiâ, cauſam immobilis ſepulcri aperuit, renunciavitque Regi in pago Pariſiaco eſſe villam Palatiolum nomine, juxta quam villulæ aliquot hujus monaſterii conſtitutæ ſunt, quas ſervi fiſcales omnibus modis vexare ſtuderent: colonos & ſervos peſſimè tractari, rapi res Eccleſiæ, & nihil ad ſummam injuriam reliqui fieri; expoſcere B. Germanum hanc villam à Rege, neque ſe facilem præbiturum niſi hac lege, quod cùm Rex intellexiſſet, pollicitatione factâ, faventem & mobilem factum eſſe, tum ille. *Accipe*, inquit Rex, *ò beatiſſime Germane villam noſtram Palatiolum, cum*

omnibus appendiciis ſuis, tibi, familiæque tuæ hactenus inimicam, amodò enim & deinceps perpetualiter profuturam, tantùm ut ſacri corporis tui portitor exiſtam. Simulque cum hoc mittentes tam ipſe, quàm optimates ab ipſo electi manus ad feretrum tanta cum celeritate ac facultate levaverunt, ac ſi nihil in ſe ponderis haberet &c. Auctor proſequirur, ioducitque Carolum Imperatorem aliud miraculum enarrantem, vectes ſcilicet præ longitudine fuiſſe impedimento, quominus ſepulcrum mitteretur in cryptam breviorem, cúmque omnes præcidi vectes vellent, Pippinum prohibuiſſe, ne forte læderetur ſepulcrum, ſed impulſu inſperato, incognitaque virtute ſarcophagum in foſſam relictis vectibus exiluiſſe, & nemine manus admovente, ut par erat, cuoctis ſtupentibus adaprarum, idque tam decenter, ut oemini dubium fieret, quin id miniſterio Angelorum præſtitum ſit. Narrat demùm plura miracula, quæ poſt tranſlationem ad memoriam hujus ſancti Pootificis acciderunt. Ut dicam ingenuè quod ſentio, verior mihi videtur prior narratio, erſi apud Aimoïoum interpolatum tantummodò reperitur, quam non ideò minoris æſtimo, quia adjecta hiſtoriæ Aimoïoi, cùm præſertim illa interpolario ſit monachi Pratenſis, ut antea annotatum eſt. Ille igitur texens hiſtoriam tranſlationis, cùm nihil de Caroli Imperatoris narratiooe dixerit, ſatis oſtendit, ſe incidiſſe in meliora, atque ſinceriora acta, oeque ullo habita pretio, quæ alius ſe ab Imperatore Carolo magno accepiſſe fuſiùs commemorat; & ſanè illa immoti ſepulcri deſcriprio, & immobilitaris cauſa rem plaoè ſuſpectam reddunr, faciunrque ut hanc hiſtoriam numero aſcribam fabularum, quas aliàs de Dagoberto, de Chlodoveo juniore, & Carolo tudite ſcribere & explodere nobis licuir: quod tamen ita dictum velim, ut nihil de ſignis, quibus Deus traoſlatiooem ſancti Pontificis hoorare voluit, nihil de munificentia & liberalitate Pippini Regis derractum ſit, & facilè aſſenrimur Mabillonio, qui ex codice cenſuali codicis Irminonis Abbatis Palatiolum bonis monaſterii Pratenſis accenſet, etſi modò ab eodem monaſterio diſtractum eſt, quod quomodò & quandò contigerit noo memorar. Ceterùm certis monimeotis conſtar, eam ſancti Germani tranſlationem factam anno & die ſuperiùs allatis ſub Lantfredo Abbate, & ejus præſertim curâ & diligentiâ hujus ſancti Ponrificis corpus in orientali parte eccleſiæ collocatum. Ex eo accidiſſe puto, ut ea baſilica, quæ vulgò ſancti Vincentii & ſanctæ Crucis dicta eſt, poſt tranſlationem ſæpiùs dicta ſit ſancti Germani. Lantfredus Abbas Baboni ſucceſſerat, fit memoria Babonis Abbatis in vetere charta, quâ Chulberta fœmina anno v. Chilperici teſtatur ſe, *per venditionis titolum monaſterio ſanctæ Crucis & domni Germani res ſuas in villa Bodaſio, & in villa Mantla:* eaſque *tempore famis* precariò recepiſſe. Hæ litteræ inſcriptæ ſunt *domno & in Chriſto venerabile patri Babone Abbati, vel omni congregatione monaſterii noſtri ſancti Vincentii, vel ſanctæ Crucis, & domni Germani, ubi ipſe pretioſus domnus in corpore requieſcit.* Hæc ex 2. parte 3. ſæculi Benedict. Lantfredus huic ſucceſſerat ante annum DCCXL. dictum eſt hunc à Carolo tudite delegatum in Aquitaniam, & ab Hunoldo ex ſuſpicione detentum in ea proviocia, donec mortuo Carolo ſucceſſit Pippinus, & permultò incubuiſſe reſtaurando monaſterio, de eo iterum dicemus ſub Carolo magno. In vetuſto codice, annus ejus obirûs conſignatur anno Domini DCCLXXV. & vetus Necrologium diem ejus mortis aſſignat pridie Idûs Februarii.

2. part. ſecul. 3. Bened.

CAPUT

CAPUT III.

De Synodo Gentiliacenſi ubi de proceſſione Spiritus S. à Patre Filioque, & de cultu ſanctarum imaginum. De Pippino Rege, ejuſque obitu, ſepultura, variiſque præceptis & placitis.

FRANCORUM ea erat conſuetudo, ut quot annis publicus & ſollemnis I.
ex præſulibus & optimatibus fieret conventus, ſtato quidem die Martiis ſcilicet Calendis, locus verò pro nutu Regis mutabatur, in villis regiis plerúmque agi conſuetum erat, placitum Franci hunc cœtum vocitabant, permanſit ille dies ad tempora Regis Pippini, qui quarto principatûs anno diem permutavit. Namque ille commodo Francorum conſulens quibus moleſtum erat id temporis iter agere, diem Conciliorum ad Calendas Maias diſtulit, diemque publici conventûs eſſe in poſterum edicto ſancivit. Anno itaque DCCLVII. indicta habitaque Calendis Maiis Compendii Francorum comitia ſunt. Celebris cœtus fuit, adfuerunt Neuſtriæ, Auſtriæ & Burgundiæ antiſtites optimateſque regni, huc quoque Taſſilo profectus eſt, præſenſque Pippino Regi tanquam Domino, filiiſque ejus Carolo & Carolomanno fidem ſacramento obligavit, & *in Vaſſatico*, ut antiqui ſcriprores loquuntur, *commendavit;* quin etiam impoſitis manibus ſuper ſanctas reliquias, juramenti teſtes vadeſque ſanctos martyres adhibuit, utque ſollemnior ſponſio fieret, primùm ad baſilicam ſanctorum martyrum, Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, tum ad baſilicas ſancti Germani Pariſienſis Epiſcopi, & ſancti Martini perductus eſt, ut ſuper corpora ſanctorum, iteratis ſacramentis, fidem confirmaret, quod itidem Baioariæ optimates præſtiterunt.

Illis conventibus, ſeu placitis, ut dictum eſt, aderant maximè antiſtites, II.
qui cum Rege & ceteris optimatibus de publicis rebus in commune tractabant, verùm & illi ſæpiùs ſeorſum congregati Eccleſiæ commodis providebant, ſtatutaque & canones, ſi res poſtularet edebant, habebaturque conventus pro Synodo, & decreta pro lege Eccleſiæ cenſebantur, plures ejuſmodi Synodi habitæ reperiuntur, pluraque his conventibus acta decreta habentur. Ita anno Chriſti DCCLXV. apud Attiniacum villam regiam celebratus ſollemnis Francorum conventus, quod Abbas Rhegino memorat. *DCCLXV. Rex*, inquit, *placitum ſuum habuit apud Attiniacum, & eodem anno, ſicut ſuperiore, nuſquam profectus eſt.* Huic Synodo ſeu placito interfuit & ſubſcripſit *Fulradus Abbas de monaſterio ſancti Dionyſii*, & *Lantfredus Abbas de ſancto Germano*, de quo mox ſermo fuit, hujus conventûs nihil propè nobis reliquum eſt præter unum decretum, & nomina Epiſcoporum Abbatumque. Biennio poſt Concilium Gentiliacenſe celebratum, cujus meminit Eginardus in chronico ad annum DCCLXVII. *Ortâ*, inquit, *quæſtione de ſancta Trinitate, & de ſanctorum imaginibus inter occidentalem & orientalem Eccleſiam, ideſt Romanos & Græcos, Rex Pippinus conventu in Gentiliaco villa congregato Synodum de ipſa quæſtione habuit.* Sed quoniam hæ quæſtiones magnis animis his temporibus agitatæ ſunt, & tunc primùm in Galliis de iis actum eſſe reperio, de utriuſque origine & progreſſu mihi agendum eſt, quod ut clariùs perficiam, mihi res paulò altiùs repetenda eſt. Primùm erit mihi ſermo de controverſia, quæ hac ætate de Spiritu ſancto acerrimè decertata eſt, quæque Græcorum ſchiſmati vel cau-

 ſam, vel prætextum fecit, quæque poſtea multos annos, immò plura ſæcula diſputandi materiam paravit, adeò ut noſtrâ ætate nondum ſedata contentio ſit.

III. Semper in Eccleſia creditum eſt Spiritum ſanctum eſſe unius ejuſdemque ſubſtantiæ cum Patre & Filio. Arriani quidem, cum fidem Eccleſiæ labefactare aggreſſi eſſent, & rectam de Chriſti divinitate doctrinam evertere, ita quoque perversè ſentire & docere de ſancto Spiritu cœperunt, eumque cum aliis rebus creatis temerè admiſcere. Nicæni patres de Chriſto magnificè loqui, & ejus conſubſtantialitatem & æqualitatem cum Deo Patre prædicare inſtituerunt, ſatiſque habuerunt pauca adjicere de Spiritu ſancto, quoniam de eo non vertebatur controverſia. Sed cùm poſtea & divinitas Spiritus ſancti ſeorſum à Macedonianis oppugnata ſit, tum patres Conſtantinopoli congregati, ejus divinitatem in ſymbolo exponere inſtituerunt. *Adjicientes*, inquit Synodus Chalcedonenſis, *ſuum de ſancto Spiritu intellectum, contra illos, qui dominationem ejus reſpuere tentaverunt.* Et ſi in ſymbolo explanata eſt ſancti Spiritus divinitas, non tamen proceſſionis ratio expoſita eſt. Nam cùm in ſcripturis legeretur, eum à Patre procedere, neque expreſſis verbis à Filio procedere diceretur, non id adjectum ſymbolo fuit, quamvis ea fides à Patribus teneretur, ut Theologi pluribus oſtendunt & id ſanctis ſcripturis contineri. Symboli itaque Nicæni & poſtea Conſtantinopolitani ea profeſſio fidei erat, ut Spiritus ſanctus à Patre procederet. *Et in Spiritum ſanctum, qui ex Patre procedit*, non verebantur tamen ſancti Patres palam docere Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere. In eo ſtatu res aliquamdiu permanſit, in ſymbolo nihil additum eſt, retentâ nihilominus doctrinâ, quod Spiritus ſanctus ex Patre Filioque procederet: neque propterea contra Patres de proceſſione Spiritus ſancti diſputatum eſt, neque adversùs eos aſſertum eſt eum à patre ſolummodò procedere. Immò in ipſo tandem ſymbolo adjici cœptum eſt, eum à Patre Filioque procedere. Id primùm adjectum eſſe memorant in ſymbolo à Luſitanis & aliis Epiſcopis in Concilio in Gallicia habito ſub Pontificatu ſancti Leonis anno CDXLVII. adversùs Priſcillianiſtas, cujus Synodi confeſſio fidei ſola nobis ſupereſt, eaque legitur in actis Braccarenſis Synodi, quæ anno DLXIII. habita eſt, hanc primam hujus additionis originem vulgò annotant Baronius in annalibus, Petrus Pithœus in erudita de proceſſione Spiritus ſancti diſſertatione, Voſſius, Uſſeriuſque, ubi de induſtria de ſymbolis diſſerunt. Illi itaque aliique docti docent in ea Synodo primùm adjectas in ſymbolo voces, *Filioque*; profitentur namque illi Patres etiam editâ confeſſione ſe credere in Spiritum ſanctum, qui ex Patre Filioque procedit. *Spiritum quoque paracletum eſſe, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre Filioque procedens. Eſt ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, ſed à Patre Filioque procedens.* Additionem hanc factam contra Priſcilliani hæreſim Baronius memorat, cujus impietas per Hiſpaniæ provincias ſerpebat. Enim verò ille ejuſque ſectæ impii defenſores peſſimè inprimis de ſancta Trinitate ſentiebant; quamobrem in hoc ſanctos antiſtites præcipuè incubuiſſe, ut catholicam de ſancta Trinitate doctrinam in confeſſione fidei exprimerent: diſertis itaque verbis profeſſos eſſe Patrem eſſe ingenitum, genitum Filium, & ex utroque Spiritum ſanctum procedentem. Doctiſſimus annaliſta hæc ex verbis ſancti Leonis confirmat, qui in epiſtola ad Thuribium Aſturicenſem Epiſcopum, cùm de Priſcillianiſtis loquitur, eos docet pravè ſentire de Trinitate, quòd nempe ſicut olim Sabellius, confundant perſonas exiſtimantes Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum unam eamdemque eſſe perſonam titulis nominibuſque ſolis diſtinctam. *Unam eamdemque aſſerunt eſſe perſonam, tanquam idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus ſanctus nominetur.* Ea opinio prope apud omnes invaluit, eam adjectionem ex hoc pravo Priſcilliani dogmate ortam eſſe, quâ ſemel inductâ in fidei confeſſionem, haud ampliùs apud Hiſpanos religio fuit, vel in ſymbolo eam profiteri. Eam ejuſmodi confeſſionem profeſſi ſunt Epiſcopi Synodi Braccarenſis ſecundæ anno DLXIII. in tertia quoque Synodo Toletana, ubi expoſita eſt fides Ni-

cæna & Conſtantinopolitana, cum hac additione, *Filioque. Credimus & in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem.* Eamdem pariter confeſſionem ediderunt quartæ Synodi Toletanæ antiſtites. *Spiritum verò ſanctum*, inquiunt, *nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur.* Eadem in ſexta Toletana Synodo renovata eſt anno DCXXXVIII. *Credimus & profitemur* .... *Spiritum ſanctum neque genitum, neque creatum, ſed de Patre & Filio procedentem, utriuſque eſſe Spiritum, ac per hoc ſubſtantialiter unum ſunt, quia & unus ab utroque procedit.* Ampliùs fuit, non modò in confeſſionibus fidei uſurpata hæc additio fuit, ſed etiam in liturgiis, miſſiſque ſollemnibus palam decantata eſt, quod teſtatur octava Synodus Toletana, hujus enim Synodi patres reprobatis Arii, Macedonii, Neſtorii & Eutychetis erroribus ſuam fidem profitentur, qualem Apoſtoli docuerunt, qualem approbaverunt orthodoxi Patres, qualem Synodi confirmarunt, *ſicut denique in ſacris miſſarum ſollemnitatibus concordi voce* profitentur ac dicunt. Deinde ſymbolum Conſtantinopolitanum refertur, ubi de S. Spiritu ea eſt confeſſio. *Credimus in Spiritum Dominum vivificatorem ex Patre & Filio procedentem.* Ea additio deinceps auctoritatem habuit in omnibus Hiſpaniæ Synodis. Emeritenſe Concilium anno DCLXVI. *Et in Spiritum ſanctum Dominum & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem.* Sed inprimis Patres Toletanæ Synodi XI. anno DCLXXV. eamdem de proceſſione Spiritus ſancti doctrinam egregiè exponunt. *Nec enim de ſancto Spiritu locuti, de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul ab utriſque proceſſiſſe monſtratur.* Demùm Concilium Braccarenſe IV. anno DCLXXV. Concilium Toletanum XII. anno DCLXXXI. & XIII. ejuſdem civitatis anno DCLXXXIII. & XV. anno DCLXXXVIII. & XVI. anno DCXCIII. editâ fidei confeſſione teſtantur apertè Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere. Quid quòd etiam in legibus Vviſigothorum ſymbolum eſt cum illa additione *Filioque*, & in confeſſione fidei, quæ apud Iſidorum legitur, quamque edere conſueverant Judæi, qui ad Eccleſiam tranſibant, habentur hæc verba. *Credo in Spiritum Dominum & vivificantem ex Patre & Filio procedentem.* Ex his omnibus palam eſt in Hiſpania editam primùm confeſſionem cum hac additione, quæ deinde antiquis Nicææ & Conſtantinopolis ſymbolis adjecta eſt. LIB. V. CAP. III.

In Galliis major cautio adhibita eſt, credebatur quidem doctrina de Spiritu ſancto ex Patre & Filio procedente, ſed Gallicanis Epiſcopis ſemper religio fuerat has voces, *Filioque*, aut Nicæno ſymbolo, aut Conſtantinopolitano admiſcere, nefas eſſe ducebant quidquam ex his ſymbolis minuere, aut quidquam alieni ad hæc adjungere, adeò ſancta apud eos habebantur. Huc accedit, quod in Synodis Epheſina, & Chalcedonenſi cautum maximè fuerat, ne quid in his confeſſionibus ſollemniter Nicææ & Conſtantinopoli profeſſis adderetur tollereturve, ſed ſinceræ ſemper, & intemeratæ ſervarentur; ea noſtratibus ſcrupulum haud mediocrem injiciebant, prohibebantque ne hæc additio ſymbolis his in provinciis fieret. His rebus ita conſtitutis, ſuper eam materiam gravior diſputatio mota eſt, à Græcis habuiſſe initium facilè in animum induco. Romani jampridem de cultu ſanctarum imaginum cum Græcis diſſentiebant, & cùm intelligerent ob eam cauſam abruptum communionis vinculum, neque amplius Italos dicto audientes eſſe, ex quo præſertim Pippinus Rex Francorum Ravennatium exarchatum, Romanamque provinciam Eccleſiæ Romanæ, & ſummis Pontificibus aſſeruerat, Latinis cauſam rixæ inferre cœperunt, & cum eis de proceſſione Spiritus ſancti litigare. Ideò ad Pippinum legatos miſerunt, qui ab eo repoſcerent provincias Romanis Pontificibus traditas, & cauſam tum ſacrarum imaginum, tum proceſſionis Spiritus ſancti ad Gallicanorum antiſtitum judicium referrent. Hæc Paulus ſummus Pontifex Pippino Regi ſignificat in epiſtola, quæ inter Carolinas XXVI. legitur. *Direxit*, inquit, *nobis excellentiæ veſtræ Chriſtianitas, ſignificans de miſſis noſtris, veſtriſque atque Græcorum, qui à regia urbe reverſi ſunt, eos apud vos eſſe detentos, interim quod aggregatis veſtris Sacerdotibus atque optimatibus conjicere ſeu* IV.

perpetrare valeatis, quid de his, quæ vobis directa ſunt reſpondendum. Et quidem nobis de hac re aliter confidendum non eſt à vobis reſponderi, niſi quæ ad exaltationem ſacro-ſanctæ ſpiritalis matris veſtræ Romanæ Eccleſiæ, atque orthodoxæ fidei pertinere noſcuntur. Quibus verbis ea continentur capita, quæ modò memorata ſunt, tam de regionibus ſcilicet Romanæ Eccleſiæ conceſſis, quam de proceſſione Spiritus ſancti, & de cultu imaginum. Ut igitur Rex Pippinus de his cauſis Epiſcopos conſuleret, congregavit Synodum in Gentiliaco, quæ villa eſt in agro Pariſienſi ad Beveram fluviolum ſita, ubi veteres annales ſcribunt Pippinum anno DCCLXII. hiemaſſe, Natalemque Domini & Paſcha celebraſſe. Hujus Synodi meminit Ado Viennenſis. *Facta eſt*, inquit, *Synodus anno Incarnationis Dominicæ DCCLXVII. & quæſtio ventilata inter Græcos & Romanos de Trinitate, & utrum Spiritus ſanctus, ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio, & de ſanctorum imaginibus, utrumne fingendæ vel pingendæ erant in eccleſiis.* Neque acta hujus Synodi, neque decreta nobis ſuperſunt, neque ea commendare poſteritati ſtuduerunt antiqui rerum noſtrarum ſcriptores. Si quid tamen conjecturâ aſſequi licet, dicam quod ſentio, tractatam receptamque à Synodo doctrinam de proceſſione Spiritus ſancti ex Patre Filioque, ſed nihil in ea de additione ad ſymbolum pronunciatum, & ut id mihi perſuadeam, multa me impellunt. Certum eſt in Galliis retentam doctrinam de proceſſione Spiritus ſancti ex Patre Filioque, verùm aliquid addere ad ſymbolum, haud ita promptum fuit, nondum enim anno DCCCIX. in Galliis ex auctoritate publica additæ hæ voces ſymbolo reperiebantur; in Aquiſgranenſi enim Synodo de eo negotio tractatum eſt, remque adeo arduam, atque difficilem eſſe exiſtimarunt, ut conſulto opus eſſe cenſerent, & propterea Romam miſerint ad Leonem III. P. P. legatos Bernarium Epiſcopum Vvormacienſem, & Adalardum Corbeienſem Abbatem: qui ſummi Pontificis judicium exquirerent, ille quidem doctrinam de Spiritu ſancto approbavit, verùm additionem in ſymbolo fieri prohibuit, immò, ut ſcribit Anaſtaſius, in ſcutis duobus argenteis ſymbolum Græcè & Latinè inſcribi juſſit ſine additione *Filioque*, etſi aliàs doceri & cantari permitteret, ex quibus verbis conſtat, quæſtionem de additione *Filioque* nondum in Gentiliacenſi Synodo fuiſſe definitam. Deinde legi aliquando, & deſcripſi vetus ſymbolum, ſcriptum Græcè, ſed litteris Latinis exaratum, quod aſſervatur, in Gazophilacio Dionyſiano, & octingentis annis vetuſtius eſſe arbitror, in quo voces *Filioque*, non reperiuntur καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ex quo colligo non niſi poſt aliquot annos additionem invaluiſſe. Quomodo verò Romæ ſymbolo adjectio recepta ſit, & quas propterea Græci lites & controverſias moverint, hîc memorare non eſt mei inſtituti, ſufficit dixiſſe Patres Gentiliacenſis Synodi doctrinam de Spiritus ſancti proceſſione ex Patre & Filio approbaſſe, ſed nihil definitum ab iis de additione ad ſymbolum Conſtantinopolitanum. de his aliàs.

V. Neque ſolùm de proceſſione Spiritus ſancti in Synodo Gentiliacenſi actum eſt, ſed præterea de cultu ſanctarum imaginum, quas coli Græci prohibuerant. Leo, quem Iſauricum vocabant, quique ex infimo ignobilique loco ad imperium irrepſerat, pravâ Judæorum perſuaſione inductus, adversùs ſanctas imagines, tanquam adversùs idola bellum excitavit, iconeſque Jeſu Chriſti, beatæ virginis, & ſanctorum omnium projici ex baſilicis, & in plateis lociſque publicis frangi juſſit, variiſque ſuppliciis affici, qui eas, earumque cultum defenderent. Summi Pontifices ob eam cauſam hunc propſcriptum & à ſacris ſummotum, congregatis Synodis declaraverunt. Copronymus, ut ſolio, ita paterno ſceleri ſucceſſerat: verùm, cùm propter turbas, quas ea labes commoverat, plures provinciæ, atque inprimis Italia defeciſſet, & devictis Longobardis, in hac provincia latè paterent arma Francorum; Copronymus Latinis cauſam diſſidii intulit de proceſſione Spiritus ſancti, & Iconomachiam, vel judicibus Gallicanis Epiſcopis defendere inſtituit. Varia ſanè hujus controverſiæ iis ſententia erat, omnes quidem in baſilicis publicis, privatiſque locis ſtatui haud prohibebant, ſed tanquam memoriale aliquod ante oculos proponi, quo fide-

lium mentes ad pietatem & morum honeſtatem excitarentur, & quarum aſpe- LIB. V.
ctu corda hominum ad virtutum æmulationem inflammarentur: quædam etiam CAP. III.
illis præſtari debere, quæ ad nitorem & operis elegantiam ſpectarent, verùm
quidam non religioſum cultum eis deferri, vel in morem eorum, qui inter
Græcos eas honore proſequebantur, uſquequaque approbabant, neque eodem
modo quilibet inter noſtrates, imagines recipiebant, alii quidem imagines pi-
ctas & fictas ſine diſcrimine admittebant, aliis fictas admittere religio erat. Id
verò patet ex his, quæ inferiùs de Epiſcopis noſtris, eorumque ſententia, ſcrip-
tis, & Synodis aliàs memorabimus. Quod ad Gentiliacenſem Synodum perti-
net, antiqui auctores de ſanctorum imaginibus in ea habitum ſermonem nar-
rant, & tractatum eſſe, de controverſia quæ tum inter Græcos Latinoſque de
imaginum cultu habebatur; ſed quid conſtitutum ſit non memorant. Ado de
pictis fictiſque imaginibus quæſtionem agitatam refert, ſed neque quid defini-
tum in ea fuerit, litteris prodidit. Exiſtimo ego admiſſas non modò ſanctas ima-
gines, quæ quaſi characteres & litteræ imperitis ſanctitatem Chriſtianorum
hominum deſcriberent, & eorum repræſentatione nos ad vitam ſanctè lauda-
biliterque agendam inſtituerent, ſed pleriſque etiam cultum venerationemque
placuiſſe, & id ut credam perſuadent, quæ poſtea de ſanctis imaginibus noſtrates
inſtituerunt. Romæ enim biennio poſt habita eſt Synodus, ubi plures Gallicani
antiſtites interfuerunt, etiam ex his qui Gentiliacenſi Synodo aderant quique
de earum veneratione cum Stephano IV. PP. conſtituerunt. Juvat & hoc loco
redarguere oſcitantiam veterum ſcriptorum, qui hujuſmodi Synodum duobus
tribuſve verbis conficiunt, prætermiſſis aliis rebus, quæ ad ejus pertinent no-
titiam: nihil curæ fuit ea commemorate, quæ de duobus celeberrimis capiti-
bus ſtatuta in frequenti Synodo, atque definita ſunt, quaſi ea, quæ tum pa-
lam fuerant, etiam poſteris poſt longa annorum ſpatia ſine commentariis no-
tum poſſet fieri, neque memoria rei recens & palam geſtæ ullâ unquam abo-
leri poſſet oblivione. Qui Epiſcopi huic Synodo adfuerint dicere haud promp-
tum eſt, cùm nullâ veterum memoriâ, aut actorum celebrati ſint teſtimonio.
Deodefridum Epiſcopum Pariſienſem qui Ragnecapto ſucceſſerat, Synodo ad-
fuiſſe haud dubium eſt, cùm in ejus patochia celebtata Synodus ſit. Hæc de
Gentiliacenſi Synodo, ubi primùm de proceſſione Spiritus ſancti actum eſſe
conſtat, & primùm in Gallus de cultu SS. imaginum, quæ duo capita graves
turbas magnoſque tumultus ediderunt. Haud dubito, quin Pippinus ſummo
Pontifici rationem eorum reddiderit, quæ in Synodo præclarè pro doctrina
Eccleſiæ geſta eſſent, ſæpiùs enim in litteris Pippinum Regem prædicat, tum
ob Eccleſiam Romanam aſſertam à Longobardorum armis, tum ob defenſam
rectæ fidei doctrinam, unde haud dubiè colligendum puto, & de proceſſione
Spiritus ſancti, & de imaginum veneratione nihil alieni à Patrum ſententia
ſtatutum eſſe & definitum; ſed ea injuriâ temporum, ut permulta alia inter-
ciderunt, de cultu imaginum plura dicemus aliàs.

Eodem anno Paulus PP. Romæ mortuus eſt, Conſtantinus ejus ſedem in- VI.
vaſit. Dux Nepeſinæ civitatis Toto nomine ingreſſus cum militibus Romam,
fratrem Conſtantinum in cathedram apoſtolicam intruſit. Statim ille litteras
ad Pippinum miſit, quibus eum laudibus plurimis cumulat, & ejus auxilium
rogat, alias quoque per nuncios ſeu per legatos ad eumdem Regem miſit,
quibus ſignificat ſe invitum evocatum ad pontificatum, appellatum ſe à mul-
titudine, & pertractum ad cathedram vel renitentem, ſed collocaſſe in Deo
ſpem, & ejus fretum ope caput oneri ſuppoſuiſſe; quanta deinde à Pippino
ſperet pluribus ſcribit, eamque inprimis defenſionem expectare, quam Ponti-
fices anteriores feliciter experti ſunt. Mittit deinde illi epiſtolam ſynodicam,
quam Theodorus Hieroſolymitanus Patriatcha ad Paulum PP. miſerat, &
quam, eo mortuo receperat, qua fidei ſuæ integritatem teſtabatur, conſo-
nantiam cum aliis Patriarchis, Alexandrino, Antiocheno, & pluribus metro-
politanis, qui omnes contra Iconomachos vexilla erexerant, & ſanctarum ima-
ginum ſuſceperant defenſionem; hæc ſedis Romanæ invaſor Conſtantinus;

LIB. V. CAP. III.

quibus Pippinum haud reſpondiſſe apparet, retectis ſcilicet artibus pſeudo-epiſcopi. Anno uno & menſe uno Pontificatum geſſiſſe ferunt, quo tempore ſedem vacuam fuiſſe Anaſtaſius narrat, quo elapſo Stephanus quartus Pontificatum gerere cœpit, ſed hoc ad noſtras res non attinet. Pippinus inrerea in Aquitania bellum gerebat adversùs Vvaifarium Aquitaniæ Ducem, opida aliquot, variaque loca munitiſſima cepit, cúmque hiems adventaret, Bituricas venit; quo tempore Remiſtanus Vvaifarii patruus, qui triennio ante fidem Pippino Regi juraverat, ab eo ad Vvaifarium defecit, civitateſque quas Pippinus præſidiis firmaverat, & quas armis ceperat, infeſtis copiis aggredi inſtituit, populare agros, & omnibus in locis inferre vaſtitatem. Verùm Pippinus dimiſſo in hiberna exercitu, Natalem Domini & Epiphaniam Bituricis celebravit. Sed nulla mora menſe Februario reducto ex hibernis exercitu, miſſis Comitibus adversùs Remiſtanum, ipſe contra Vvaifarium duxit exercitum. Remiſtanum captum cum uxore ſuſpendi, & ſtrangulari juſſit, ea verò adeò feſtinanter geſta ſunt, ut ad caſtrum Sellam nomine, quod ad Ligerim ſitum eſt, Paſcha cum Bertrada Regina, quæ ibi manſerat, celebraverit: iterumque ad inſequendum Vvaifarium profectus eſt, eaque felicitas Pippini fuit, ut Vvaifarius ipſum fugiens, dùm vagus, & extorris latibula quærit, in agro Petracoricenſi à ſuis interfectus ſit, cujus morte parta Regi Aquitania, quæ ultrò ſe ejus imperio ſummiſit. De ſublato Principe Rex ſpolia abſtulit, armillaſque inprimis auro gemmiſque divites, quas deinde in æde Dionyſiana juxta Pariſios ad majus altare appendi juſſit, velut trophæum & monimentum aliquod relatæ, Deo adjuvante, victoriæ. Confecto feliciter bello, venit Sanctones, quò ſe Bertrada Regina contulerat, publiciſque negotiis pertractatis, Rex hoſtium victor & domitor provinciarum, febre vexari cœpit, æger nihilominùs Turonos venit, & in monaſterio beati Martini commoratus eſt, tum ibi eleemoſynis placare Deum, & precibus cælos pulſare, atque inprimis in auxilium ſanctum Pontificem ſollicitare, quo ejus beneficio Deus ante-actæ vitæ culpas dignaretur condonare. Quibus piè ſanctéque peractis, Pariſios cum Bertrada uxore, filiiſque Carolo & Carolomanno proficiſcitur, & in monaſterio ſancti Dionyſii cœpit æger commorari, cúmque in dies vis morbi invaleſceret, neque ullis remediis leniretur, cœpit ipſe proceres regni, Epiſcopos ſcilicet, Duces, Comiteſque convocare, & eorum conſilio & conſenſu inter filios Carolum & Carolomannum regni provincias ex æquo dividere, paucos deinde poſt dies aquâ intercute vexatus interiit. De ea re auctor, quem Caniſius edidit, poſtquàm Turonos Pippinum veniſſe ſcripſit. *Inde*, inquit, *promovens ſe cum prædicta Regina Bertradane & filiis Carolo & Carolomanno uſque ad Pariſios ad monaſterium beati Dionyſii martyris veniens, ibique moratus eſt aliquamdiu, cernenſque quòd vitæ periculum evadere non poſſet, omnes proceres ſuos, Duces & Comites Francorum, tam Epiſcopos, quàm ſacerdotes ad ſe venire præcepit; ibique unà cum conſenſu Francorum, & procerum ſuorum, ſeu & Epiſcoporum regnum Francorum, quod ipſe tenuerat, æquali ſorte inter prædictos filios ſuos Carolum & Carolomannum, dum adhuc ipſe viveret, inter eos diviſit, id eſt Auſtraſiorum regnum Carolo ſeniori filio regnum inſtituit, Carolomanno verò juniori filio regnum Burgundiæ & Provinciæ, Aleſans & Alamaniam tradidit. Aquitaniam, quam ipſe Rex acquiſierat, inter eos diviſit*, quod Annales Mettenſes breviùs recitant. *Inde cùm ad ſanctum Dionyſium perveniſſet, cernens quòd de illa infirmitate evadere non poſſet, omnes optimates ſuos Duces & Comites Francorum Epiſcopos quoque ac ſacerdotes, ad ſe venire præcepit, ibique unà cum conſenſu procerum ſuorum æquali ſorte inter duos filios Carolum & Carolomannum regnum Francorum paterno jure diviſit.* Diem obiiſſe plerique ſcribunt VIII. Calendas Octobris anno DCCLXVIII. Sepultus eſt honorificè in baſilica ſancti Dionyſii martyris. Juſtis à Regibus filiis Carolo & Carolomanno ritè perſolutis. *Sepelierunt eum*, inquit auctor ejus geſtorum, *prædicti Reges Carolus & Carlomannus, filii ipſius Regis in monaſterio S. Dionyſii martyris, ut ipſe voluit, cum magno honore.* Breve hoc epitaphium illi poſtmodum appoſuerunt, recentius enim eſt, cujus Malletus in theſauro ſancti Dionyſii meminit. *Pippinus*

Rex pater Caroli Magni. Hoc certè illi magnificum fuit, ſed & quòd Caroli martelli Filius, & Pippini Heriſtallii Nepos extiterit, hæcque præclara familiæ decora plurimis virtutibus, & rebus præclarè geſtis ornaverit. Avo Pippino & patre Carolo in boc felicior, quod in conventu publico Rex uno omnium ore proclamatus ſit, & primus inter Reges Francorum inunctus, idque manibus Stephani ſummi Pontificis, unde deinceps inaugurario ſollemnis Regum noſtrorum, quod deinde ſtabilitum armis & potentiâ regnum familiæ aſſertum ſit. Sed illi inprimis id fuit glorioſum, quòd Romanam eccleſiam ſummoſque Pontifices adverſus arma Longobardorum defenderit, quod victorias ſuas, & res annis belloque partas, Francorum & ſuis acquiſitas periculis, ſummis Pontificibus donaverit, neque modò, ut alii Principes, prædia aut poſſeſſiones aliquot, ſed nobiliſſimas civitates, magnaſque provincias Romanæ Eccleſiæ in poſterum ſubjectas eſſe voluerit. Unde initia ſummæ illius magnitudinis atque ſupremæ poteſtatis, qua ſummi Pontifices in Italia perfrui cœperunt. Cum magnitudine rerum geſtarum clarus eſſet, Orientis Imperatores ejus amicitiam omnibus modis ſibi conciliare ſtuduerunt, legatos illi mittere, & honorificas litteras ſcribere, & eum ſibi muneribus devincire conati ſunt. Aiunt ſcriptores illius ætatis tum primùm viſa in Galliis organa, ſeu fiſtulatas illas machinulas, quarum hodie creber uſus in baſilicis ad concinendas Dei laudes, quod annaliſta Mettenſis ad annum DCCLVII. *Conſtantinus Imperator miſit Regi Pippino inter cetera dona organum, quod antea non viſum fuerat in Francia.* Eum porrò & pietate & religione valuiſſe oſtendunt, quæ pro Eccleſia & ſummis Pontificibus geſſit, quæ æger præſtitit, jubens ſe deferri ad ſepulcrum ſancti Martini, ut coram ſanctiſſimo confeſſore Deum oraret, veniamque hoc auſpice peccatorum impetraret, quæque moriturus fieri imperavit, jubens ſe ad monaſterium ſancti Dionyſii deportari, ut coram B. Dionyſio aliiſque martyribus, quaſi propior Deo, ſanctius exhalaret animam. Plura habentur ejus præcepta. Dubletus in antiquitaribus Dionyſianis & Mabillonius haud pauca ediderunt. Superiùs quædam memorata ſunt, quæ fecit, cùm nondum aſſumpto Regis nomine, majoratum-domus regiæ, ideſt præfecturam totius regni ſumma auctoritate adminiſtraret. Extat inprimis apud Mabillonium Pippini Regis placitum, quo villa Abaciacus in agro Cenomanenſi vindicatur Fulrado Abbati, qui eam ſub nomine monaſterii Dionyſiani repetebat, data eſt Calendis Martiis anno primo regni ejus in palatio Vermeria, refert & præceptum ab eodem Rege Pippino editum pro villa quæ Taberniacus dicitur, quam illuſtris vir Guntaldus olim donaverat monaſterio ſancti Dionyſii, quam deinde Joannes auctoritate Ebroïni Majoris-domus, & ſimiliter Frodoïnus & Geruntus per precariam ſancti Dionyſii tenuerant, eidem monaſterio aſſeritur, datum eſt III. anno regni ejus in Vermeria palatio. Eſt tertium ejuſdem Regis placitum, pro mercato & teloneo ſancti Dionyſii contra Gerardum Comitem Pariſienſem. Is jure comitatûs ſui ea retinere & poſſidere contendebat, aſſerebatque anteriores Comites ea obtinuiſſe: ſed cùm advocati ſancti Dionyſii id negarent, & poſſeſſionem per teſtes approbarent, in gratiam monaſterii pronunciatum eſt, datum legitur x. Calendas Novembris anno octavo regni ejus, legitur & in eodem loco cbarta venditionis factæ Fulrado Abbati Dionyſiano per Cbrodardum Comitem data XVI. Calendas Auguſti anno XIII. regni Pippini Regis, habetur & cbarta donationis Adhalardi factæ Fulrado Abbati data XV. regni ejuſdem Regis. Demùm Pippini Regis præceptum ibidem legitur, quo Fulrado Abbati commiſſa ſibi bona, dùm gravi morbo premeretur, reſtituit, datum eſt IX. Calendas Octobris anno XVII. regni illius Regis, & actum in ipſo monaſterio ſancti Dionyſii. In eo inſtrumento Fulradus capellanus Regis & arcbipreſbyter appellatur. Ex his chartis unam tantummodò ſeligere placuit, quam hîc exſcriberem, cujus ſuprà mentio facta, ubi de cauſa Gerardi Comitis Pariſienſis agitur cum Fulrado Abbate, quam eò libentiùs referendam cenſeo, quòd in ea reperiuntur quædam, quæ ad res noſtras pertinent.

Lib. V. Cap. III.

Placitum Pippini Regis de teloneis omnibus in mercato ſancti Dionyſii ad ipſum monaſterium evindicatis, adversùs Gerardum Comitem Pariſienſem.

Pippinus Rex Francorum vir inluſter. Venientes agentes ſancti Dionyſio & Follerado Abbate Aderulfus & Rodegarius Conpendio palacio ſub die decimo Kalendas Novembris, anno octavo regni noſtri, ubi nos ad univerſorum cauſas audiendas, & recta judicia determinandum reſederemus, ubi viſi ſunt interpellaſſe Gerardum Comitem, eo quòd malo ordine recontendebat & retinebat teloneo infra Pariſiis ex navibus, & pontis volutaticos ac rotaticos, quem ab ipſa die miſſa ſancto Dionyſio ſemper ab antiquo accipiebant agentes ſancti domni Dionyſio. Vnde prædictus Gerardus Comes dedit in reſponſis, quòd ipſum teloneum aliter non contendebat, niſi quomodò anteceſſores illius, qui Comites fuerant ante illum, id ipſum ad ſuam partem retinebat. Supradicti autem agentes ſancti Dionyſii ita contra eum intendebant, & oſtendebant præceptum Dagoberti Regis, qualiter ipſum mercatum ſtabiliſſet in ipſo pago, & poſtea ipſum cum omnes teloneos ad partem ſancti Dionyſii delegaſſet ac firmaſſet. Et ipſe Domnus Rex Pippinus adſirmabat, quòd ſemper à ſua infantia ipſos teloneos partibus ſancti Dionyſii habere & colligere vidiſſet. Sed Gerardus Comes hoc nullo modo conſentiebat, & tunc talem placitum ſtatuerunt, ut iterum ſimul ad noctes legitimas occurrerent in eodem palatio, & ante jam dictum domnum Pippinum ipſam intentionem definire debuiſſent, ſicut lex edicebat. Denique venientes jam dicti miſſi & advocati ſancti Dionyſii Adrulfus & Rotgarius ad condictum placitum quarto Kalendas Novembris; tales teſtes ibi præſentaverunt, qui ipſos teloneos in Pariſius acceperunt cum omni eorum integritate ad partem ſancti Dionyſii. Tunc illis judicatum fuit à Vvidone, Raulcone, Milone; Helmengaudo, Rothardo, Giſlehario vel reliquis quamplures, ſeu & Vvicberto Comite palatii noſtro, ut pars ſancti Dionyſii, vel ſuſupradicti advocati hoc comprobare debuiſſent, quod & de præſente viſi ſunt feciſſe. Prædictus namque Gerardus Comes ita dedit in reſponſis, quòd aliter non volebat facere, niſi quomodo lex erat & domno Rege placebat, ac ſuis fidelibus, qui ibi reſidebant. Vnde & ipſe Gerardus ex prædictos teloneos ſe exitum dixit coram eis. Quapropter tunc illis oportunum fuit & neceſſarium talem notitiam ex hoc facto accipere debuiſſent, ut ab hodierno tempore & die pars ſancti Dionyſii vel agentes ipſius de ipſos teloneos ſecuri & quieti reſidere valerent, ut ſit inter ipſos in ſignum † glorioſiſſimo Domno Pippino Rege.

Erus juſſus recognovit & ſubſcripſit.

Datum tertio Kalendas Novembris anno ſupra ſcripto in Dei nomine feliciter.

Hoc præceptum obſervatione dignum eſt. Ex eo patet lites & cauſas monaſterii ſancti Dionyſii ad judicium Regis non aliò deferri ſolitas, quas Rex ipſe cum optimatibus ex jure ſupremo definiebat, quod perſpicuum eſt ex aliis placitis, & aliis locis, de quibus antea actum eſt; hoc munus aſſumpſerant Præfecti palatii cum reliqua regni adminiſtratione, ſed Pippinus Rex renunciatus abrogato majoris-domus munere, juris dicundi ſummam poteſtatem poſtea retinuit. Cùm igitur de teloneis & de nundinis Dionyſianis inter Gerardum Pariſienſem Comitem & monaſterium Dionyſianum controverſia orta eſſet, Fulradus Abbas, cujus præcipuè intererat, in jus Gerardum Comitem vocavit, per advocatos, ſeu miſſos ſancti Dionyſii. Cùm ſuum quiſque jus defendiſſet, Rex ad cauſam agendam judicium diſtulit, datis temporum induciis: judicavit, ut in eodem palatio *ad noctes legitimas concurrerent.* Illa ſcilicet ætate noctes vocare ſolebant induciarum dies; hic igitur noctes dicuntur pro diebus ex antiqua Gallorum & Germanorum conſuetudine: Nam, ut refert Cæſar, Galli ſe omnes ab Dite patre prognatos prædicant, idque à Druidibus proditum dicunt, ob eam cauſam ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt, & Tacitus de Germanis. *Non dierum numero, ut nos, ſed noctium computant, ſic conſtituunt, ſic condicunt, ut nox ducere diem videatur*, quo factum

Tacit. de morib. German.

eſt

eſt ut Franci in Gallia ex utriſque orti, & eorum inſtituti moribus ſæpiùs noctium nomine dies ſignificent, quod poſtea in capitulis Regum, rebus hiſto- LIB V. CAP. III.
ricis, & antiquis formulis, veteribuſque inſtrumentis uſitatiſſimum fuit, alia ejuſmodi notanda ſunt, ut ea, quæ ad mercatum & nundinas Dionyſianas ſpectant, ſed de his dictum eſt antea. Quod verò ad Gerardum Comitem Pariſienſem, illius fit mentio in codice Remenſi de miraculis ſancti Dionyſii, ut habetur in libro de re diplomatica his verbis. *Prætereà illud non negligenter ſtatuimus eſſe omittendum, quod ſui ad laudem omnipotens fieri ab eodem voluit martyre, tempore igitur* Lib. 6. Coroll. 3.
ſupradicti Regis Pippini quidam erat Comes nomine Gerardus Pariſienſis, cujus uxor Rotrudis nuncupabatur, hæc in fiſco haud procul Pariſii Riogilo habitans ſub beati Dionyſii natalis diem, cernit ſuas otioſas eſſe puellas, quæ cùm ad ſe vocatæ fuiſſent, quamobrem otio torperent, auſterè eas invexit, quarum una, quæ ſupra ceteras erat, ſollemnitas, inquit beati eſt Dionyſii, & ob id ratum eam eſſe duximus ſollemniter celebrandam. Et mater-familias, vade, ait, & inſtanter operare. Nos verò, qui extra dominium ejus ſumus, eam à nobis minimè coli oportet. Verùm cùm imperio ejus parere vellent, favente Domino, & meritis Chriſti martyris obtinentibus, ſubitò tanta coruſcatio, atque aquarùm venit inundatio, ut domus omni cum ſuppellectile uno rapta impetu in ſequanæ fluvium dimergeretur, & quæ unum noluit diem ducere feſtum, factum eſt, ut totum perderet anni ſubſidium: ſed homines per Dei providentiam ab illa liberati ſunt tempeſtate. Quod ideò credimus geſtum, quòd dies ille jugiter ſollemnis obſervaretur. Præter illa præcepta Pippini Regis, quæ libet de re diplomatica refert: alia in libro de antiquitatibus Dionyſianis tria edita ſunt, quæ Pippinus ſtatuit morti proximus. In primo præcepto donat baſilicæ S. Dionyſii *propter locum ſepulturæ corporis ſui* ſylvam Aquilinam, non tamen integram, partem Eccleſiis majoribus Carnotenſi, & Pictavenſi, partem monaſteriis ſancti Germani, Foſſatenſi, Floriacenſi, & Argentoligenſi monaſterio de quo aliàs dicendi locus erit, datum legitur in monaſterio ſancti Dionyſii menſe Septembri anno XVII. regni. Ibidem deſcribitur alterum præceptum, in quo baſilicæ Dionyſianæ præcepta confirmantur, datum legitur in eodem ſancti Dionyſii monaſterio, ad petitionem Fulradi Abbatis IX. Octobris anno XVII. regni ejus. Eodem anno & die datum legitur præceptum, quo etiam ſua monaſterio retinentur privilegia, ut à Pontificibus Pariſiorum, & ab anterioribus Regibus olim conceſſa, alia aliis temporibus data à Regibus, quorum, ut puto, exemplaria prima, ſeu prototypa, ſicut & horum, quæ modò expoſuimus, Mabillonius non reperit, atque adeò non ejuſdem auctoritatis atque ea, quæ ipſe ex ipſa origine primariſque, ut exiſtimat, chartis, quas ipſe deſcribi juſſit.

CAPUT IV.

De Carolo & Carolomanno Regibus. De Synodo Romana. De expeditione Caroli in Aquitaniam. De Bertrada Regum matre, & morte Carolomanni. De privilegio monaſterii ſancti Germani. De fine regni Longobardorum. De Deodefrido, & Erchenrado ſeniore Epiſcopis Pariſienſibus. De placito Caroli Regis & probatione per crucem.

I. JUSTIS Pippino Regi perſolutis, Carolus & Carolomannus in ſuam quiſque portionem, quam pater pauló ante mortem utrique attribuerat, ire cœpit. Carolus Noviomum perrexit, convocatiſque proceribus ſuis conventum habuit. Carolomannus pariter Sueſſionis cœtum, ſeu, ut vocabant, placitum ex optimatibus congregavit, uterque autem ex conſecratione Sacerdotum & procerum acclamatione Rex renunciatus eſt, haud facilè dixerim, quæ fuerit regni bifariam partiti diviſio, & quas cuique filiorum provincias Pippinus contulerit, cùm de ea re varia ſit veterum ſcriptorum ſententia. Vetus geſtorum Pippini ſcriptor tradit Auſtraſiorum regnum in partem Caroli Regis ceſſiſſe, Auſtraſiorum regni nobiliſſimas provincias hic auctor intelligit Auſtriæ & Neuſtriæ regiones, quibus addere oportet Thuringiam & Bajoariam. In ſortem ſeu portionem Carolomanni ceciderant Burgundia, Provincia, Gotbia, Alſatia, Suevia: Aquitaniam verò ex æquo diviſerunt: hæc ille. Verùm aliter rem ſcribit Eginhardus poſt Pippini mortem Francos ſollemnem conventum feciſſe, conſtitutumque fuiſſe, ut ambo bifariam diviſo Pippini regno regnarent, & partitas provincias eodem penitùs modo dividerent, quo olim inter Pippinum & Carolomannum, ſortemque Pippini Carolo attributam, & Carolomannum in Carolomanni partem veniſſe; quod certè congruere cum hac, quam exponimus diviſione nequaquam poteſt. Etenim in priori diviſione inter Pippinum anteà & Carolomannum peracta, Pippinus ſortitus fuerat Neuſtriam quidem, ſed & Burgundiam & Provinciam, quæ duæ poſtremæ provinciæ portionis Carolomanni fuerant, non Caroli. Auſtriam verò Carolomannus major obtinuerat, quàm Carolini regni fuiſſe ex hac diviſione haud dubium eſt, idque probatur ex locis, ubi morari ſolitus erat, etiam adhuc regnante & ſuperſtite Carolomanno fratre. Uterque ætatis flore fruebatur, nondum enim Carolus ſecundum & viceſimum annum exceſſerat, & Carolomannus octavum & decimum annum agebat, & uterque jam vivo patre nuptias contraxerat, Carolus quidem cùm Hilmitrude; & Carolomannus cum Girberga. Is erat Francicarum rerum ſtatus, cum Stephanus IV. PP. pontificatum Romanæ Eccleſiæ gerere cœpit, & Eccleſiam Románam factionibus Conſtantini & Philippi perturbatam pacare inſtituit, quod quomodó acciderit paucis mihi dicendum eſt. Antea memoratum eſt quibus artibus Conſtantinus ſe in Romanæ Eccleſiæ cathedram intruſerat. Omnes quidem hoc facinus deteſtabantur, ſed inprimis Chriſtophorus primicerius & Sergius ejus filius, qui Roma egreſſi à Deſiderio Rege Longobardorum, tum à Duce Spoletano opem

petierunt : hujus præcipuè auxilio Chriſtophorus, Sergius & Valdebertus preſ- LIB. V. CAP. IV.
byter Romam ingreſſi ſunt, nec quicquam renitente Totone fratre Conſtan-
tini, qui ipſe, dum fortiter reſiſtit, interfectus eſt, poſtero die Valdebertus
preſbyter inſcius Chriſtophoro & Sergio aliquâ ſtipatus turbâ ex monaſterio
ſancti Viti Philippum preſbyterum educit, ſummumque Pontificem, cunctis qui
aderant acclamantibus, renunciat, quo audito Chriſtophorus primicetius ju-
bet eum in monaſterium retrudi. Tum auctore inprimis Chriſtophoro, ex vo-
luntate unanimi ſacerdotum & cleri, ex conſenſu militiæ & exercitûs, nobi-
lium, & omnis populi Stephanus preſbyter tituli ſanctæ Cæciliæ, ſummus
Pontifex electus, & proclamatus eſt. Poſt electionem conſecrationemque nihil
ſummo Pontifici antiquius fuit, quàm ſcribere ad Pippinum, & illi renunciare
quæ Romæ geſta fuerant. Ad eum idcircò miſit Sergium ſecundicerium, ob-
teſtatus Regem, ut doctos & rerum eccleſiaſticarum gnaros Romam mitteret
ad Synodum celebrandam adversùs auſus ſacrilegos Conſtantini, qui per vim
ſedem Petri invaſerat. Sergius Galliam ingreſſus accepit deceſſiſſe Regem Pip-
pinum, ejuſque filios Carolum & Carolomannum, diviſo inter ſe imperio, re-
gnare. Ille nihilominùs ultrà pergere non deſtitit, & ad utrumque adiens,
Romani Pontificis reddidit litteras, gratæ fuerunt Regibus, lætuſque adven-
tus Sergii fuit. Continuò advocarunt Epiſcopos divinis eruditos litteris, & in
diſciplina eccleſiaſtica, ſanctorumque Patrum decretis verſatiſſimos. Celebrata
Romæ Synodus anno ſequenti. Cùm ex actis pauca ſuperſint, quæ Holſtenius
edidit, neque apud eum, neque apud Anaſtaſium nomina Gallicanorum Ponti-
ficum ſint, Sirmondus è ſchedis Panvinianis ea ſubdidit, inter eos Vvilicharius
Senonenſis Archiepiſcopus primus annumeratur. Poſtquàm noſtri Pontifices
Romam advenerunt, Stephanus PP. Synodum egit, adductus ad Synodum eſt
Conſtantinus, quem Romani tumultuariò excæcaverant, qui veniam à Patri-
bus deprecatus eſt, quemque paucis rogatum Pontifices extrà eccleſiam, ubi
habebatur Synodus, ejecerunt : cautum deinde, ne quis deinceps ex laicis, niſi
per gradus exactiſque temporibus, ad ſummum Pontificatûs honorem aſcen-
deret, & ne quis vi & ferro ſibi viam ad Pontificatum faceret. Decretum eſt
pariter, ut Epiſcopi, quos Conſtantinus ordinaverat, ſi grati fuiſſent ſuæ Ec-
cleſiæ, iteratâ electione, & novâ conſecratione à Stephano PP. peractâ, de-
nuò ordinarentur. Preſbyteri verò & diaconi ab eodem ordinati, in eumdem,
in quo priùs erant, gradum reverterentur. Quod verò ad hos pertinet, qui ex
laicis ſubitò ad diaconatum & preſbyteratum evolaverant, ex Patrum judicio
ſtatutum eſt, ut reliquum vitæ ſpatium in habitu religioſo tranſigerent : ſed
quod antea à nobis annotatum eſt, & iterùm annotatum eſſe volumus in ea-
dem Synodo de ſanctarum imaginum veneratione edita ſanctio eſt, proſcrip-
taque Synodus, & decreta impia, quæ Græci contra earum cultum tulerant,
aliis decretis condemnata ſunt.

Eodem anno, quo hæc Romæ agebantur, in Galliis Carolus Paſcha Roto- II.
magi celebravit. Sæpiùs in antiquis annalibus Paſcha & Natalem Domini à
Regibus celebratum legimus, id verò ideò annotatum velim, quod mos erat
apud Francos, ut his ſollemnibus diebus optimates ad comitatum, ſeu ad Re-
gem, ubicumque verſaretur, venirent, aderantque ſocii & comites Regum ſeu in
ſactis percipiendis, ſeu in frequentandis baſilicis, & rebus religionis non mo-
dò ſanctè, ſed etiam magnificè peragendis. Scilicet id ita fieri conſuetum erat,
ut Francorum Reges pio regioque apparatu ſummum honorem ſollemniter
Deo redderent, & hac celebri obſervatione populis reverentiam religionis im-
primerent : immò ut & hac ſollemni ſacramentorum communione proceres
Regi, tamquam teſte Deo, fidem & obſequium obligarent. Propter ſacrum illum
conventum ſcriptores horum temporum plerúmque obſervant locum in quo
quotannis Natalem Domini & Paſcha Reges celebraſſent. Eo anno Deſide-
rius iniqua adversùs ſummum Pontificem volvens animo conſilia, Chriſtopho-
rum primicerium, & Sergium ejus filium, quorum operâ ad ſummum Pontifi-
catum aſcenderat, quorumque impulſu à Longobardo Stephanus PP. res

Romanas, juſtitiaſque, quas beati Petri vocitabant, repetere itemtidem ſolebat, quaſi hujus conſilii auctores, de medio tollere ſtatuit. Quod cùm apertè & palam agere timet, clanculum & doloſè rem exequi aggreditur, ire Romam parat orationis cauſâ, exercitumque eo prætextu ad urbis muros adducit, de locis ſeu juſtitiis cum Stephano colloqui poſtulat, & interim Chriſtophorum & Sergium per factionem Pauli Aſfialtæ opprimi ſtudet, tum utriſque dolo malo comprehenſis, erui oculos jubet, & detrudi in monaſterium, ſed Chriſtophorus paulò poſt ex dolore exanimatus; Sergio plus animi ad tolerandam injuriam fuit, namque his malis diu ſupervixit. Hæc fuſiùs Anaſtaſius narrat, aliter eamdem rem Stephanus Reginæ Bertradæ, & Carolo Regi per litteras ſignificat, quas credibile eſt à ſummo Pontifice ſcriptas, dùm à Deſiderio extra urbem detineretur.

III. Carolus interea bellum in Aquitania gerebat, Hunaldus Vaifarii pater relicto ducatu Aquitaniæ monachum induerat. Verùm interfecto, ut antea memoratum eſt, filio, poſt mortem Pippini abjectâ veſte monachi, iterum Ducem ſe prodit, ratus tempus opportunum rebus perturbandis, dùm juvenes regnare incipiunt, & fratres ob potentiam alter alterius mutua æmulatione contendunt. Carolo non modò vires ad vindicandas provincias ſuppetebant, ſed neque deerat animus ad depellendam injuriam. Cùm igitur bellum Hunaldus in Aquitania moviſſet, ecce Carolus in Aquitaniam ducit exercitum, cogitque Hunaldum ad Vaſcones confugere. Hoc audito Carolus trajicit Garumnam, & Lupo Vaſconum Duci per legatos ſignificat, aut tradat ſibi Hunaldum, aut ſe premi mole bellorum expectet. Extimuit Lupus minas Regis, neque primos juvenis impetus experiri voluit: Hunaldum itaque ſuamque provinciam ejus poteſtati permiſit. Hæc prima Caroli initia fuerunt. Poſtea propè fuit, ut fraternis odiis Gallia æſtuaret, multis proceribus ex parte Carolomanni prava, ut fit, ſuadentibus conſilia. Jam propè inteſtini motus erupe rant, cùm mater Berta ſeu Bertrada, attenta paci provinciarum & fratrum concordiæ, animos filiorum reconciliare ſtuduit. Reges pacatis animis ad Stephanum PP. ſcripſerunt. Ille viciſſim læta reſcribere, illis gratulari concordiam, & pluribus utrumque hortari adversùs Deſiderii molitiones, qui promiſſa non exolveret, & ſummo Pontifici continuò minaretur. His geſtis Bertrada in Boiariam, tùm in Italiam, ac demùm Romam venit. Salutatis deinde ſanctorum Apoſtolorum liminibus, in Gallias iter inſtituit. In reditu Deſiderium Longobardorum Regem inviſit: ille cujus magni intererat Francorum amicitiam ſibi conciliare, uſus tempore, hanc ſibi nuptiis ſororis, & Giſilæ filiæ Bertradæ parat connectere, ratus pacem haud facilè rumpi affinitatis nexu gemino colligatam. Agit igitur cum ea de Giſila Regum Francorum ſorore cum filio matrimonio conjungenda, & filia cum alterutro è Regibus copulanda, complures urbes ſummo Pontifici redditurum ſe pollicitus eſt. Tùm Berta in Galliam remeavit, filiam Deſiderii ſecum ducens, quam alteri filiorum uxorem daret. Carolomannus reſpuit affinitatem Longobardi; verùm Carolus matris ſermonibus & puellæ illecebris irretitus, haud veritus eſt Hilmitrudem ejicere ex toro & filiam Deſiderii in ejus locum inducere, ſed anno ſequenti cum ea divortium fecit; cauſam repudii non memorant ſcriptores, an hortatu Stephani PP. cui illæ nuptiæ haud gratæ fuerant, an conſilio ſacerdotum, qui repudium contra leges Eccleſiæ celebratum haud approbabant, an ex invaletudine mulieris, quæ haud idonea procreandis liberis erat? Ceterùm Himiltrudem iterum toro adſcivit, ſub finem anni Carolomannus vita defungitur, II. Non. Decembris; ſepultuſque eſt Remis in baſilica ſancti Remigii. Carolus auditâ morte fratris, principatum omnem Francorum occupare cœpit, & ob eam cauſam ad villam Carbonacum venit, adfuerunt illic Vvilicharius Archiepiſcopus Senonenſis, Fulradus capellanus & Abbas ſancti Dionyſii, complureſque Epiſcopi & ſacerdotes, & procerum magnus numerus, præcipuè ex his, qui Carolomannici regni erant, in hoc celebri conventu Carolus deſpectâ ætate nepotum ex fratre, invaſit ejus regnum, Rexque univerſi regni

Francorum acclamatus & inunctus eſt. Girbergæ præter dolorem amiſſi conjugis novus acceſſit dolor ex jactura regni, & ſublata filiorum hæreditate, neſcia quid in illa rerum acerbitate gereret, ex conſilio aliquot procerum ad Deſiderium confugit, & ab hoſte opem & hoſpitium petit; quod ægrè tulit Carolus, indignum reputans uxorem filioſque fratris ab hoſtibus magis, quàm abs ſe auxilium ſperare, his Carolus iter ad ſummam magnitudinem fecit; nam quò ſemel ſolus rerum potitus eſt, adeò viribus & potentia excrevit, adeò victoriis & rebus præclarè geſtis inclaruit, ut antiquos heroës armorum gloriâ, & factorum ſplendore vel exæquant, vel antreiverit, pauciores verò poſteriorum Principum reperias, quibus eum felicitate exæquare contigerit. Cùm ille variis expeditionibus ætatem impenderit, modò in Italia, modò adversùs Saxones perpetuum hoſtem, aut etiam in Hiſpania, non mirum videri debet, quid ſit, quòd non Lutetiam venerit, nedum in ea urbe commoratus ſit. Etſi ea, quæ Rex magnus geſſit, non ad res Pariſienſes pertinent, ea tamen paucis tractare, & ſummatim delibare oportet, ne ſeriem rerum non continuatâ narratione abrumpam, & noſtræ res aliarum oblivione jacturam & damnum patiantur. LIB. V. CAP. IV.

Annus agebatur DCCLXXII. cùm Carolus Francicarum rerum ſolus arbiter, ad Heriſtallium pro more Paſcha celebravit; Concilium deinde publicum Francorum Vormaciæ habuit, decretumque adversùs Saxones bellum, cum quibus primùm geſtum eſt. Saxones perruptis ſuæ provinciæ limitibus, noſtrorum agros invaſerant, factâque irruptione infeſtaverant latrociniis & populationibus loca Francorum. Rex injuriam ulciſci parat, adducto exercitu, Saxoniam ingreditur, regionemque barbarorum vi & armis capit, caſtrumque inprimis Heriſburgum, & ad Hermenſul uſque victor procedit, utque barbara gens ſuperſtitionibus idololatriæ dedita erat, fanum impietati ſacrum deſtruxit, demùm datâ barbaris pace, receptiſque obſidibus in Franciam remeavit, & in Heriſtallio palatio commorari cœpit. Cùm illic verſaretur, & ageretur initium anni quinti ejus regni, præceptum edidit pro monaſterio ſancti Germani, confirmavit omnes illi collatas donationes, immunitateſque. Mabillonius hujus meminit, verùm non edidit, quamobrem modò illud hîc exſcribere non pigebit, datum eſt dum Lantfredus hoc monaſterium regeret, hoc exhibemus quale legitur in chartulario ſancti Germani. IV. *Sæcul. 3. Bened. part. 2.*

Privilegium Caroli magni de libertate Eccleſiæ & hominum terræ tam Capitalium, quàm aliorum ſuper terram manentium ubicumque ſint tempore Lanfredi Abbatis factum.

Karolus gratiâ Dei Rex Francorum, vir illuſter. Regalis ſerenitas ſemper ea conſtituere debet, quæ ad multimoda æterna conferunt lucra, ut de præſenti regimine ad cæleſtem vitam conſcendere valeat, quare nobis oportet & condecet cuncta ſalubri conſilio peragere, præcipuè petitiones ſacerdotum, in quo noſtris auribus fuerint perlatæ, ad effectum in Dei nomine mancipare, adeòque nobis & pluribus habeatur percognitum qualiter baſilica ſancti Vincentii & ſancti Germani ſub opidum Pariſius conſtructa, ubi ipſe pretioſus domnus in corpore requieſcit, à parentibus noſtris, anterioribus Regibus, vel à nobis integra emunitate omnes villas, agros vel terras, videtur, quas poſſidet habere conceſſas, ſed nos pro mercedis noſtræ compendio ad petitionem venerabilis viri Lanfredi Abbatis, qui ibidem cuſtos præeſſe videtur, pro reverentia ipſius ſancti loci villas cum agris, terris tàm ultra ligerim, quàm citra habere, vel ubi ubi in regno, Deo propitio noſtro eorum poſſeſſiones eſſe noſcuntur tàm emunitates, quàm reliqua omnia inſtrumenta ipſius baſilicæ ſancti Vincentii, vel ſancti Germani, vel quidquid undique ibidem delegatum habent, aut adhuc à Deum timentibus hominibus additum vel collatum fuerit, per noſtram præceptionem confirmamus, & integrâ emunitate à novo concedimus, & quidquid fiſcus noſter quolibet modo ab omnibus, qui ſuper terras baſilicæ ſancti Vincentii, vel ſancti Germani commanere noſcuntur, habere

poterat, & omnes redhibitiones abſque ullius judicis introitu, aut repetitione habeant conceſſa, præcipientes enim jubemus, ut neque nos, neque juniores ſeu ſucceſſores noſtri, nec ullus quilibet judiciariâ poteſtate accinctus, pro quocumque modo ullis ingeniis in cunctis terris præfatæ baſilicæ, vel in eo, quod præſenti tempore poſſidere videtur, aut quod in antea ibidem additum à Dominum timentibus, vel collatum, nec ad cauſas audiendum, nec ad recta exigendum, nec diſtructiones aut manſiones faciendum, nec ullas parvas res requirendum, aut homines de capite in judicio reprobare ullatenus præſumat, & prætermiſſis repetitionibus, quas aut noſtris temporibus, aut anteceſſorum noſtrorum repetere conſueverant, omnia ſuperiùs ſcripta perpetuis, Deo auxiliante, temporibus maneant inconvulſa. Ita igitur, ut dictum eſt, de omnibus hominibus, qui ſuper terras præſcriptæ baſilicæ ſancti Vincentii & domni Germani commanere noſcuntur, & de capite eorum, quos contra homines liberos in placito teſtimonium ferre concedimus, & quod vos exinde exigere aut ſperare poteratis, nos omnimodis præſentialiter removere & ſequeſtrare ſtudemus. Et fortaſſe quod calliditate judicum faciente, ipſæ emunitates ubi ubi fuerant interruptæ, à novo decernimus, ut nullus à novo decernere præſumat, qui non vult rerum amiſſionem ſuſtinere multarum, ſed quod à priſcis parentibus noſtris anterioribus Regibus ipſi ſanctæ eccleſiæ domni Vincentii, & ſancti Germani noſcitur fuiſſe conceſſum. Inſpectis eorum præceptionibus, nos à novo noſtrâ indulgentiâ roboramus, atque pleniſſimâ & promptiſſimâ voluntate pro reſpectu fidei jam dicto Lanfredo Abbati ſuiſque ſucceſſoribus concedimus, quod nullus pro qualibet occaſione refragare, aut minuere aut convellere præſumat, ſed etſi, quod fiſcus noſter de ante dictis villis ſuprà ſcripti ſancti Vincentii vel domni Germani, ubicumque regno Deo propitio noſtro habere videtur, vel de rebus ad eas pertinentibus potuerit augmentari ipſi baſilicæ temporibus perennibus proficiat in augmentis, hanc quoque auctoritatem, ut perenniter noſtris & futuris temporibus, Deo auxiliante à nobis, noſtriſque ſucceſſoribus inviolabiliter æternam perduret in firmitatem manu noſtræ ſubſcriptionis decrevimus roborare, & de annulo noſtro ſubter ſigillare. Signum Caroli glorioſiſſimi Regis data XIII. Kalend. Novemb. Anno quinto regni noſtri, actum Heriſtalio palatio publico in Dei nomine feliciter.

V. Inrerea jactabantur in Italia ſemina belli aſperi, Stephanus IV. PP. morte vacuum Pontificatum reliquerat, in ejus locum ſuffectus fuerat Hadrianus. Initio illius Pontificatûs, legatos Deſiderius ad eum miſit, amicitiam ſummi Pontificis ſollicitans. Legati Hadrianum ancipitem confirmant, aſſetuntque inſediſſe animo Regis pacem tueri, & reſtitutione eorum, quæ Romanæ Eccleſiæ erant, eam approbaturum, idque, addito inſuper ſacramento, ſummo Pontifici pollicentur. Hadrianus, auditâ legarione, legatos ipſe ad Longobardum mittit, tùm honoris causâ, tùm confirmandæ amicitiæ, quam Rex petierat. Vix ex urbe egreſſi ſunt, cùm audiunt à Deſiderio jam occupatas civitates exarchatûs, quas Pippinus Eccleſiæ Romanæ obtulerat, & Ravennam ipſam obſidione cinctam eſſe. His mirum in modum Hadrianus exacerbatus, ei per legatos ſignificat, ut civitates occupatas reddat, & pacem cum Romanis, ſicut teſtatus fuerat, cuſtodiat, reſpondet Longobardus redditurum omnia, ſi colloqui ſecum velit. Id temporis Girberga uxor Carolomanni cum filiis ad Deſiderium confugerat. Deſiderius, cui potentia Caroli formidini erat, omnem lapidem movere cœpit, quò inteſtinis motibus belliſque civilibus eum impediret, & ſummi Pontificis animum ab ejus amicitia alienaret, & his artibus reciperet provincias & civirates, quas Pippinus Eccleſiæ Romanæ attribuerat. Rogat itaque ſummum Pontificem, ut filios Carolomanni inungere Reges haud abnuat. Hadrianus, cùm artes Longobardi intelligeret, & quò ejus doli tenderent, ejus exequi conſilia recuſat. Actæ ea de cauſa ultrò citróque legationes, quibus fruſtra frangere ferociam Regis Hadrianus conatus eſt. Namque repulſâ exacerbatus, illicò ſummum Pontificem armis cogere cœpit, & exercitum in Romanorum agros adducere. Hadrianus quidem reipublicæ conſulere, & præſidiis firmare urbem, & ne quid reliqui faceret ad depellendum imminens malum, tres Epiſcopos ad eum mittit, qui diriſſima quæque illi ubnuntient, niſi ab incœpto deſiſtat, & ſimul itinete maris ad Carolum

legatum mittit, qui ſuppetias ab eo adversùs Longobardum petat. Carolus admonitus non modò per legatum Hadriani PP. ſed etiam per eos, quos miſerat, quo in ſtatu res Italiæ eſſent, quas in anguſtias redactus ſummus Pontifex, quæ prava Longobardi forent conſilia, bellum pro defenſione eccleſiæ ſuſcipere, & Longobardum ad ſaniora ineunda conſilia, vi & ferro compellere ſtatuit, collecto itaque copioſo exercitu, Gebennam venit, ubi diviſo exercitu Bernardum patruum parti copiarum præficit, cumque per montem Jovis proficiſci jubet, ipſe reliquas copias per montem Ceniſum traducit, munierat Longobardus fauces Alpium, & inſtruxerat militibus. Verùm ad conſpectum Francorum pavidi citra pulverem terga verterunt, neque reſiſtere auſi, quoquoverſus fugiunt exterriti. Rex ipſe terrefactus mœnibus ſe Papiæ tueri, & opes regni urbis munimentis defendere. Carolus interea ſuperato montium jugo victor ſine ſanguine ultra premere Deſiderium pergit, Ticinoque incluſum ad deditionem cogere. Oppugnatio urbis moleſta & difficilis erat, quam Aiſtulphus & Deſiderius adversùs arma Francorum molibus & propugnaculis inſtruxerant: Carolo tamen urgere quoquo modo oppugnationem ſtatutum eſt, neque modò hoſtes, ſed etiam hiemis tempeſtates conſtantia & animo vincere. Perſtat igitur aſſiduus in oppugnatione, nullis moleſtiis nulliſque difficultatibus ab incœpto deterritus. Adalgiſus Deſiderii filius ſe mœnibus Veronæ cùm Girberga & Carolomanni filiis incluſerat. Carolus, dum reliquus exercitus Papiæ oppugnandæ inſiſtit, cum parte copiarum Veronam obſidet. Girberga & filii ſe ultrò dediderunt, quos Rex honorificè habuit, & Adalgiſus clanculum elapſus in Orientem ad Auguſtum fugit. Quibus feliciter confectis, Rex ad Ticini oppugnationem reverſus eſt. Jam ſextus oppugnationis agebatur menſis, & ſollemnitas Paſchatis inſtabat. Carolus, relictis ſuis ad obſidionem Romam iter inſtituit, ut diem feſtum ad limina Apoſtolorum ageret. Quibus honoribus cum ſit proſecutus Stephanus Papa Anaſtaſius dicit, limina Apoſtolorum ſalutavit cum regio, quo ſtipatus erat, comitatu, & pronus ad confeſſionem beati Petri Deum enixè precatus eſt, memorque acceptas illi retulit victorias; peractis verò, quæ religionis erant, non modò donationem Pippini confirmavit, ſed ipſe ſcribi aliam juſſit ampliorem, in cujus fidem eam ſuper corpus beati Petri propriis manibus poſuit, deinde ad caſtra reverſus eſt. Urbs arctè premebatur armis Francorum, oppidani fame & morbo enecti deditionem paciſci ſtatuerunt, & ipſe Deſiderius rebus profligatis nullam ſperare ſalutem cœpit, & ſe victoris arbitrio permittere. Carolus victor hunc in Gallias adduci cum uxore & cuſtodiri juſſit. Tùm ei facile fuit reliquas Longobardiæ civitates ſuo ſubjicere imperio, quibus receptis, nihil magis ei cordi fuit, quàm promiſſa exolvere & parte ſpoliorum Romanam Eccleſiam, ſummoſque Pontifices locupletare, his Carolus decoratus victoriis in Galliam redit, eodem anno paulò poſt adversùs Saxones feliciter expeditionem fecit. LIB. V. CAP. IV.

Jam dudum obſervatum eſt de Epiſcopis Pariſienſibus ſilentium, quod deſint nobis acta, quæ nobis argumentum de iis loquendi ſuppeditent, adeò ut nulla eorum, ſi nomen excipias, hac aureâ Pippini & Caroli magni ætate memoria ſit. Supra de Ragnecapto ſermo fuit, ejus nomen in antiquis Eccleſiæ Pariſienſis tabulariis, & indice antiquo, qui habetur in bibliotheca Colbertina, Ragnecapdus dicitur, huic ſucceſſiſſe Madalbertum idem codex refert, cujus nulla mentio eſt in Gallia Chriſtiana, neque apud Breulium in antiquitatibus Pariſienſibus, Deodefridum poſtea omnes indices annotant tam Eccleſiæ Pariſienſis, quàm Colbertinus, anno VI. regni Pippini Gorzienſis monaſterii privilegio ſubſcripſit anno DCCLVII. nihil aliàs de eo reperi. In ejus locum ſubrogatus Erchenradus ſenior, nam duos fuiſſe, veteres chartæ tradunt, etſi Gallia Chriſtiana fuſior unum tantummodò refert. Senior quidem ſub principatu Caroli magni pontificatum geſſit, alter verò ſub Ludovico Pio & Carolo Calvo, ut ex antiquis actis declarabimus. Erchenradum anno ſeptimo Caroli magni Epiſcopum fuiſſe teſtatur charta, quam Mabillonius in libro ſexto de re diplomatica deſcribit. Cùm hoc inſtrumentum magni ſit momenti, VI.

 & rebus noſtris explicandis utiliſſimum, placet hoc integrum noſtræ hiſtoriæ inſerere. Sic ſe habet.

Caroli Magni Placitum, quod adversùs Herchenradum Seniorem Epiſcopum Pariſienſem Placicium monaſterium in pago Pinciacenſe monaſterio ſancti Dionyſii adſcribitur.

VII. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, vir inluſter. Tunc regalis celſitudo ſuis culminis ſublimatur, quando cunctorum jurgia juxta propoſitionis vel reſponſionis eloquia inter alterutrum ſalubre deliberat ſentencia: quatenùs ſub Deo in Rege manet poteſtas, quomodò cuncta terrebilia debeant ordenare. (Igitur) cùm nos in Dei nomene Duria villa in palatio noſtro ad univerſorum cauſas audiendum, vel recta judicia termenandum reſederimus, ibique veniens apoſtolicus in Chriſto pater Herchenradus Epiſcopus urbis Pariſius civitate Pontifex Folrado Abbate interpellabat; repetibat ei eo quòd ipſi Placitio monaſthirio, qui eſt conſtructus in honore ſanctæ Mariæ & ſancti Petri, in pago Pinciatenſe, quem Francus homo nomine Aderaldus ad caſa ſancti Mariæ & ſancti Stephani & ſancti Germani per ſuum ſtrumentum condonavit, ipſe Folradus Abba ad parte ſancti Dionyſii poſt ſe teniat malo ordine injuſtè: ſed ipſe Folradus Abba de præſente adſtabat, & taliter dedit in reſpunſis, quod ipſo Placitio monaſthirio poſt ſe ad parte ſancti Dionyſii numquam reteniat malo ordine injuſtè, pro eo quod dixit, quòd Francus homo, nomine Hagadeus ipſo monaſthirio Platicio ad monaſthirio ſancti Dionyſii manus poteſtativas per ſuum ſtrumentum condonaſſet; & per ipſa traditione plus obtingit ipſæ monaſthirius Placicius ad caſa ſancti Dionyſii adhærere, quàm ipſius Hercheurado Epiſcopo ad parte ſanctæ Mariæ & ſancti Stephani & ſancti Germani adreddere. Unde & ipſa eſtrumenta præ manibus ſe habire adfirmant, & ipſas in præſencia noſtra protulerunt recenſendas etiam & de hac cauſa ab utraſque partes ibi certa cognovimus, & ad divina myſteria Chriſti miſericordiâ conſpirante (ſicut longa conſuetudo expoſcit & ipſe volumptariè conſenſerunt) jobemus emanare judicium, ut dùm per ipſis ſtrumentis de utraſque partis certamen non declaratur, ut recto thramite ad Dei juditium ad crucem eorum homenes his nominibus Aderamno de parte ſancti Dionyſii vel Folrado Abbate, & Corello de parte ſanctæ Mariæ vel ſancti Stephani, & ſancti Germani, vel Herchenrado Epiſcopo exire atque ſtare deberint. Quod ita & in capella noſtra, recenſenda miſſa Harnaldo presbitero, viſi fuerunt ſtetiſſe, & ea hora protegente divinâ dexterâ Dei, Deus omnipotens ſuum juſtum judicium declaravit, ut homo memorato Herchenrado Epiſcopo, nomine Corellus ad ipſo Dei juditium ad ipſa crucem trephidus & convictus aparuit: & tunc ipſe Herchenradus Epiſcopus in præſentia noſtra vel procerum noſtrorum ſibi recognovit vel reſededit, quod nec ipſe, nec pars ecleſiæ ſuæ ſanctæ Mariæ vel ſancti Stephani ſeu ſancti Germani nullum drictum habebant, per quod ipſo Platicio monaſthyrio habere potuiſſent. Proinde nos taliter unà cum fidelibus noſtris, id ſunt Ghærardo, Bernardo, Radulfo, Hilderado, Hermenaldo, Hebrolno, Theudoaldo, Agmone, comitibus; Halcberto, Laumberto, Hærterico, & Anſelmo Comite palacio noſtro, vel reliquis quamplurimis viſi fuimus judicaſſe, ut dùm ipſe memoratus homo ſancti Dionyſii vel Folrado Abbate, nomine Adelrannus, jam dicto homine ſancti Mariæ vel ſancti Stephani ſeo ſancti Germani, necnon & Herchenrado Epiſcopo nomine Corello, ad ipſo Dei juditio ad crucem ibidem convicuit; & ipſe Corellus ibidem ad ipſo Dei Iudicio trepidus & convictus apparuit: propterea jobemus, ut dum hac cauſa ſit acta vel perpetrata eſſe cognovimus, ut memoratus Fulradus Abba memorato Plaeicio monaſthyrio, unà cum ſuis apendiciis, vel quicquid ibidem pertenere videtur; in contrà ſæpe dicto Herchenrado Epiſcopo, vel eccleſiæ ſuæ ſancti Mariæ, vel ſancti Stephani & ſancti Germani ſuiſque ſucceſſoribus ad parte ſancti Dionyſii monaſtyriæ ſuæ jure firmiſſemum habiat evinditatum, adque elidiatum, & ſit inter ipſis in poſt modum abſque ulla repeticione Herchenrado Epiſcopo vel ſucceſſoribus ſuis omneque tempore ſubita adque definita, ſeu & indulta cauſatio.*

Theudegarius recognovit & ſubſcripſit.

Datum

Datum quinto Kalendas Auguſtas in anno ſeptimo regni noſtri Duria Villa in pa-
lacio publico in Dei nomine feliciter. Amen.

Neque modò in hoc loco hujus Erchenradi memoria eſt, habetur & in in- VIII.
dice Colbertino, de quo antea memoratum eſt, hoc enim ordine enumeran-
tur Epiſcopi Pariſienſes, Ragnecapdus, Madalbertus, Deodefridus, Erchan-
radus, Ermenfredus, Inchadus, item Erchanradus, Æneas &c. eumdem or-
dinem ſequuntur tabularia Eccleſiæ Pariſienſis, & in præcepto Ludovici pii
dato ad petitionem Inchadi Pariſiacæ urbis Eccleſiæ Epiſcopi actum legitur
in Cariſiaco palatio anno VII. ejus imperii; in eo ſermo eſt Erchanradi Epiſ-
copi & prædeceſſoris Inchadi, ut ampliùs infrà referemus. Aliis actis oſten-
demus Inchadum anteceſſorem appellari Erchanradi ſecundi, adeò ut de duo-
bus Erchanradis Epiſcopis Pariſienſibus nulla dubitatio ſit, quorum alter In-
chadum Pariſienſem Epiſcopum præceſſerit, alter verò Inchado ſucceſſerit;
primus Caroli magni ætate, ſecundus verò Ludovici pii, & Caroli calvi tem-
poribus fuerit Epiſcopus. De poſteriore plura inſuper memorabuntur, nam
de eo memoria eſt variis in locis. Fulradi præterea Abbatis ſancti Dionyſii
meminit hoc placitum, agebaturque controverſia inter eum & Erchenradum
Epiſcopum Pariſienſem de Placicio monaſterio, quod quiſque allatis inſtru-
mentis repoſcebat; ambiguum jus videbatur, neque facilè decerni poterat.
Tùm placuit pro conſuetudine illorum temporum per Crucem probationem
fieri, ut Deus judicium ferret, quod homines ex rei ambiguitate reddere ne-
quirent, res autem ejuſmodi erat. Cùm judicium dubium eſſet in cauſis, ne- *Gretſerus de*
que judex quidquam ex jure pronunciare vellet, tùm judex pronunciabat ut *Cruce &*
per Crucem cauſa decerneretur, eligebantur ex utraque parte homines, ſta- *Baluz. in*
bantque manibus expanſis ante Crucem immoti, & qui prior deficeret viribus, *Notis ad*
ſuâ cauſâ cecidiſſe credebatur, ſcilicet exiſtimabant non poſſe quemquam im- *Capitul.*
motum diutiùs permanere, niſi divino adjutum auxilio. Superſtitio hæc eorum
temporum erat, quæ inter probationes uſitatas habebatur. Verùm poſteà
prohibita eſt, ut ex capitulario Ludovici pii notum eſt. *Sancitum eſt, ut nullus* *Capitul. lib.*
deinceps quamlibet examinationem Crucis facere præſumat; ne Chriſti paſſio, quæ eſt *1. cap. 102.*
glorificatio, cujuſlibet temeritate contemptui habeatur. Non aliæ tamen probationes
ideò abolitæ ſunt, quæ pluribus annis, immò pluribus ſæculis in uſu fuerunt,
ſed præſertim illæ, quæ campo fierent, quod aliàs explicabimus. Demùm in
hoc placito hoc quoque annotandum eſt, quòd major baſilica Eccleſiæ Pari-
ſienſis appelletur, caſa ſanctæ Mariæ, ſancti Stephani & ſancti Germani; im-
mo intra eadem ſepta tres erant his nominibus baſilicæ, quarum major baſili-
ca beatæ virginis Mariæ dicebatur. Sunt in antiquitatibus Dionyſianis aliæ
chartæ à Carolo magno eidem monaſterio hoc eodem anno datæ, quæ cuili-
bet obviæ ſunt, quas ideò omitto ne longior ſim, haud tamen prætereibo me-
moriam chartæ, quæ data legitur quinto Calend. Martias anno VII. regni
Caroli magni, & primo regni Longobardorum, in qua Rex magnus teſtatur
à ſe baſilicam ſancti Dionyſii novo opere ædificatam & novo decore inſtru-
ctam dedicatamque, quod congruit cum iis quæ in libro primo miraculorum
ſancti Dionyſii referuntur. *Cùm baſilicam ſanctorum martyrum ſcilicet Dionyſii,* *Num. 14.*
Ruſtici & Eleutherii, diruta priore, quæ cœpta à Pippino Rege, auguſtiùs à Carolo
regni ſucceſſore conſummata eſt, opifices architectarentur; unus clavorum, quibus te-
cto tabulæ adfigebantur, cecidit. Et ſequenti capite ejuſdem inſtaurationis men-
tio eſt, & hinc apparet Fulradum Abbatem operi ſedulò inſtitiſſe. Ex his
porrò certum eſt baſilicam ſancti Dionyſii, quam antea diximus conſtructam
à Dagoberto, ſub adminiſtratione Fulradi Abbatis à Pippino Rege disjectam
fuiſſe, alteramque ab eodem cœptam, ſed à Carolo perfectam omninò, atque
abſolutam fuiſſe, hancque præcelſa turri, ubi ſigna penderent, communitam.
Propter novam illam conſtructionem Carolus Rex Luzarcham, quæ in agro
Pariſienſi, eccleſiæ ſancti Dionyſii donavit, ut habet charta, quam memora-
mus. *Idcircò donamus*, inquit charta donationis, *pro animæ noſtræ remedio ad ec-*
cleſiam ſancti Dionyſii, ubi ipſe pretioſus domnus cum ſuis ſociis corpore quieſcunt, &

LI

venerabilis vir Fulradus Abba præeſſe videtur, & nos, Chriſto propitio, à novo ædificavimus opere, & modò, cum magno decore juſſimus dedicare, donatumque in perpetuo ad ipſum ſanctum locum eſſe volumus, hoc eſt villas noſtras in loca nuncupantes Luzarcha, quo ponitur in pago Pariſiaco &c. Non inſtitui recenſere chartas omnes, quas Dubletus & Mabillonius, ille in antiquitatibus Dionyſianis, hic in opere de re diplomatica, magno numero retulerunt, referemus tantùm aliquot, quæ magis ad res noſtras & hiſtoriam illuſtrandam conducunt.

CAPUT V.

De bello Saxonico & Hiſpanico. De teſtamento Fulradi Abbatis. De Caroli profectione in Italiam, & de ejus filiis Pippino & Ludovico Regibus. De morte Hildegardis uxoris Caroli & Bertradæ ejus matris. De Fulradi Abbatis ſancti Dionyſii obitu, & de Apocriſariiis & eorum munere.

I. QUA animi fortitudine valeret Carolus, & qua præditus felicitate eſſet, ex ſuprà memoratis manifeſtum eſt, ſed & ex his, quæ modò referemus, conſtabit, eaque enarrare hîc non pigebit, eo præſertim tempore, quo res Eccleſiæ Pariſienſis in obſcuro ſunt, neque ullis propè inſtrumentis publicis privatiſve celebratæ. Saxonibus, ut ad libertatem retinendam parata conſtantia, ita ad frangendam fidem ſemper promptus animus fuit. Jam ſemel iterumque violaverant pactorum fidem, & dùm aliò Rex arma converterat, incautis Francis bellum intulerant. Carolus itaque ad opprimendam gentem, aut Chriſti & ſuo ſimul jugo ſubjiciendam animum adjicere cœpit; ratus infidam ſemper fore, quamdiù falſâ vanâque teneretur religione; ſtatutum itaque illi eſt eos bello premere. In tres ferme populos diviſi erant Saxones, in Oſtphalos, Angarios, & Vveſtphalos. Ad Viſurgim Rex caſtra locavit; dùm ibi in ſtatione eſſet exercitus, propè fuit, ut dolo Saxonum penitùs deleretur: milites enim magno numero pabulatum extra caſtra profecti, dum ſub veſperam dubia jam luce redeunt, Saxonum multitudo ſe pabulatoribus, tanquam Franci adjungunt, ingrediunturque caſtra, & nocte intempeſta milites jacentes ſepultoſque ſomno ferro perimunt; verùm noſtrates & barbarorum ſtrepitu & excubitorum clamoribus exciti, reſiſtere parant, & multitudine ſuâ hoſtem repellere. Saxones cadere animo, & tumultuariò edita pactione diſceſſerunt; hæc verò Rege inſcio, quæ ubi illi allata ſunt, ſuas copias è caſtris educit, inſequiturque hoſtem, & temerarios barbarorum auſus multorum ſtrage contudit; paulò poſt debellatis hoſtibus in Franciam triumphans rediit, eoque anno Scheleſtadii in Alſatia Natalem Domini celebravit. Nec morâ, in Longobardiam iter accinxit, illuc accitus litteris Hadriani PP. ſed inprimis rebellione Rotgandi Ducis Forojulienſis; hunc Rex Carolus, afflictis rebus Longobardorum, dejectoque è ſolio Deſiderio, provinciæ Forojulienſi & Marchiæ Tarviſianæ Ducem præfecerat. Verùm ille gratiæ immemor, occupato bellis Carolo nova moliri & turbare Italiam cœpit. Carolus ejus inſaniam celeritate antevertit, imparatumque occidit, Stabilinumque ſocerum ejus mœnibus Tarviſii incluſum cœpit, deinde ordinatâ provinciâ feſtinanter in Franciam

reverſus eſt. Eodem itinere trajecto Rheno adverſùs Saxones movit arma, juratus antea non rediturum, niſi extinctâ ferro gente Saxonum, aut coactâ fidem ſuſcipere, confeſtimque agros Saxonum cum copiis ingreſſus eſt, perrupitque munitiones & ſepta propugnaculis loca, territi hoſtes illicò ſe dedere, vel vi vel ſponte religionem Chriſtianam profiteri, ac demùm accepto baptiſmate, & datis obſidibus, ſe ejus ſubjicere imperio, & ne aliàs gens impatiens jugi turbas agitaret, Rex caſtella per Saxoniam extruxit, eaque validiſſimis Francorum præſidiis communivit. Quibus peractis, de Italia & Saxonia triumphans in Galliam invectus eſt, diemque Natalem Domini in Heriſtallio celebravit.

II. Sequenti anno cùm Hadrianus multa apud Carolum Regem conquereretur de Leone Ravennatium Epiſcopo, Rex legatos Romam miſit, Vvilicharium Archiepiſcopum Senonenſem, & Dodonem Abbatem. Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Rex acta in villa Heriſtallio hieme, Noviomagum venit, & celebrato pro more Paſchate, in Saxoniam expeditionem parat. Saxones gens infida, ſueta violare pactiones, & frangere fœdera, Duce Vitichindo aſſerere ſe in libertatem immemor cladium molitur. Rex verò ad ulciſcendam perfidiam, innumerabiles copias collegerat: terrefacti hoſtes, ſtatim cadere animo, ad Carolum accurrere ſupplices, precari ut ſibi parcat, & in ſponſionum promiſſorumque fidem baptiſmum poſcere. Ii Padiburnam turmatim advenerunt, ubi publicus Francorum agebatur conventus. Plura illicò millia hominum ſalutari lavacro abluti ſunt, & Chriſtianorum ſacramentis initiati, & hac novâ religionis profeſſione fidem & obſequium Carolo polliciti ſunt. Ibi, ut refert auctor antiquus, per multi Saxones baptizati ſunt, & ſecundum morem illorum, *omnem ingenuitatem, & alodium manibus dultum fecerunt, ſi ampliùs mutaſſent, ſecundùm malam conſuetudinem eorum, niſi conſervaſſent in omnibus Chriſtianitatem, vel fidelitatem domni Caroli Regis & filiorum ejus, vel Francorum.* Vitichindus Dux Saxonum interim ex Saxonia fugerat, acerbum illi videbatur religionem aliam quàm majorum profiteri, & caput Francorum jugo ſummittere, in Daniam itaque profectus erat, alia moliturus pro rerum & temporum opportunitate. Duces Sarraceni Ibinalarabius, Dejuzefius, & Alarvaſeus eò quoque ex Hiſpania convenerunt, & rogaverunt Regem, ut in Hiſpaniam expeditionem faceret, daturos ſe civitates, ſi veniat. Rex nactus occaſionem amplificandi Eccleſiam & dilatandi fines, huc ire non diſtulit, per omnes provincias imperii delectum facit, & anno ſequenti vere apperente ad Pyreneos montes jubet copias convenire, celebratoque Paſchate apud Caſſinogilum, eò tendere haud cunctatus eſt. Numeroſus erat exercitus, quem Rex bifariam diviſit, partem per agrum Narbonenſem ingredi in Hiſpaniam juſſit, partem ipſe aliam Pompeiopolim duxit, quam brevi tempore cepit. Tum Cæſarauguſtam versùs iter tendere, duos exercitus ſimul jungere. Abitaurus præfectus ei in itinere obviam fit, neque detrectavit illi filios fratremque dare obſides & civitates, quibus præerat, ejus poteſtati ſubjicere. Ibinalarabius, ut pactus fuerat, cum obſidibus ſe quoque illi tradidit. Demùm Cæſarauguſtam uſque, neque ultra, proficiſci inſtituit. Tum re præclarè geſtâ, occupatiſque Gerundâ, Barcinone, Oſcâ aliiſque civitatibus, redire in Galliam cœpit. Jam primum agmen Pyreneos feliciter tranſierat, ſequebaturque agmen poſtremum, impedimentis & militari ſuppellectile grave. Vaſcones gens barbara, montibus & rupibus aſſueta, ſumma montium juga facto agmine invaſerat, tam inferendæ injuriæ, quàm prædæ avida: ii igitur infernè dilapſi per avios calles Francos inopinatò adoriuntur, tum tecti occultis rupium anfractibus, tela injiciunt, agmenque itinerum iniquitate impeditum, & locorum anguſtiis diſtractum, omni ex parte invadunt, illi confodere obvios quoſque, & diripere impedimenta, & ſe per nota ſurripere diverticula, cædes ingens noſtrorum facta eſt, quin & nobilium virorum internecione famoſum prælium fuit. Eghartus regiæ menſæ præpoſitus, Anshelmus Comes palatii, & Rotlandus Britannici limitis præpoſitus, aliique complures & nobilitate generis & armo-

LIB V. CAP. V. rum gloriâ clari cecidere. His rebus geſtis, hoſtis per rupium inacceſſa loca evaſit, & latibula inter abditiſſimos cautium receſſus quæſivit, ita ut ſtrages quidem cruenta oculis cerneretur, non appareret qui cædem intuliſſet, nihilque loci vindictæ relinqueretur. Hæc celebrata Hiſpaniæ hiſtoriis clades Francorum ad Roſcidam vallem fuit, quæ poſt longa temporum curricula, Tilpini Archiepiſcopi Remenſis commentitias hiſtorias, & fabuloſa Romanciorum commenta ſcribendi vel anſam vel argumentum paravit. Hac clade acceptâ, Carolus in Aquitaniam venit, & provinciam ordinavit. Dum ultrà ire pergeret, advenaſſetque Autiſſiodorum, accepit Saxones auctore & duce Vitichindo rebellaſſe, ſumptiſque armis, violata pace, in Francorum agros irruptionem facere, cremare opida, igne & ferro omnia vaſtare, nulli ætati, nullique ſexui parcere, omnia exequi quæ ira & furor ſuadebant, ut omnes intelligerent, non tam ſe prædæ avidos eſſe, quàm iræ & vindictæ indulgere: hæc verò omnia ex occaſione belli Hiſpanici, quod Carolus ſuſceperat. Rex his auditis nunciis, copias in Germaniam proficiſci jubet. Cùm noſtri ad Rhenum venerunt, Saxones jam ſe receperant, relictoque Rheno, quo uſque prædabundi acceſſerant, remeare in patriam præda onuſti properabant. Noſtri illicò iis inſiſtere, & adhibita celeritate eos aſſequi, ac demùm cum iis manus conſerere, tantamque in eos impreſſionem facere, ut non tam pugna crederetur, quàm cædes barbarorum: certè eam fuiſſe ferunt, ut vix ſuperſtites eſſent, qui & ſuæ irruptionis & ſuæ cladis nuncium ad ſuos referrent. Aimoini hiſtoriæ continuator, ſcribit Carolum Autiſſiodoro Pariſios veniſſe, & ab ipſo confirmatum privilegium, quod antea Roberto Abbati ſancti Germani apud Heriſtallium conceſſerat, ſed hoc utique adverſatur antiquis auctoribus, qui conceptis verbis ſcribunt Carolum ad Heriſtallium continuò veniſſe, ut Saxonico bello commodiùs provideret. Ibi Rex Natalem Domini & Paſcha anno ſequenti celebravit. Nihil deinde niſi de bello Saxonico cogitare, parare demùm omnia ad frangendum hoſtem toties rebellem. Rhenum itaque trajicit, ad Lippiam ducit exercitum, hoſtis occurrere Francis auſus eſt, & confligere cum noſtris. Verùm barbari non ſuſtinentes impetum, in fugam verſi ſunt: permulti in hoc conflictu cecidere. Ad opidum nomine Bucholt Saxonum cladem accidiſſe narrant. Rex hac victoriâ inſignis, Veſtphalorum regionem ingreditur, tantus terror Francorum, & tanta Saxonum trepidatio fuit, ut ſtatim omnes, poſitis armis ad Carolum ſupplices accederent, fidemque & obſequium promitterent. Rex pro ſua clementia omnes in deditionem accipere, & iis pacem dare non detrectavit. Cùm Oſtfali eidem fidem juraſſent, Rex traducto Rheno in hiberna ad Vvormaciam profectus eſt.

III. Dùm hæc præclarè gererentur à Carolo Fulradus Abbas monaſterii ſancti Dionyſii, cùm formidaret ne ſibi dies ſupremus immineret, bona facultateſque, quas monachus & Abbas benè multas poſſidebat, baſilicæ inprimis ſancti Dionyſii in alimoniam monachorum, in hoſpitum ſuſceptionem, in eleemoſynam pauperum, in levamen viduarum orphanorumque, & demùm in lumen eccleſiarum conferre ſtatuit, idque teſtamento conſtituere, quo ſibi Deum faceret propitium. Tabellas igitur ipſe ſcripſit, & ſupremo teſtamento ratas eſſe voluit anno IX. regni Caroli, quod incidit in annum Chriſti DCCLXXVII. De eo ante dictum eſt, & à Mabillonio editum retulimus, quod & hîc referre, quoniam ad noſtras res pertinet, non pigebit.

Teſtamentum Fulradi Abbatis Dionyſiani.

IV. *Terminum vitæ pertimeſco, quando de hunc ſæculum ero migraturus, ut aliquid de peccatis meis per confeſſionem & largitatem de proprias pecunias meas, quæ ad Eccleſiarum & ad loca ſanctorum beatorum martyrum Dionyſio, Ruſtico, & Eleuthero, ubi ipſi domni corpore requieſcunt, in loco qui dicitur Cadolago, ubi plurima ſervorum Dei turma laudes Chriſti die noctuque adeſſe videntur, ut in alimonia eorum, & ſuſceptionem hoſpidum, vel in elemoſina ſenodicorum pauperum, viduarum,*

orfanorum, & in lumen Eccleſiarum conferre debeam, ut Dominus per ſuam miſericordiam, & interceſſionem ſanctorum, & orationes, & pauperum mihi in pace & miſericordia debeat recipere, qualiter portionem merear habere in vita beatorum. Ego Fulradus, ac ſi indignus ſacerdos vocatus, filius Riculfo & Ermengarde quondam, dono donatumque in perpetuum eſſe volo omnes res proprietatis meæ, quicquid de ſucceſſione parentum meorum mihi obvenit, vel de dationibus Regum, ſeu de comparato, vel commutationes, vel traditiones, quantumcumque mihi & germano meo Gauſtberto traditum fuit, & quicquid ipſe germanus meus Gauſtbertus mihi tradidit, & villas denominatas, quæ Theudericus mihi tradidit. Id ſunt, Blitthario-villa cum appendiciis ſuis; Auricas, Machera cum appendiciis earum; Gamundiis cum appendiciis ſuis, ſimiliter quantumcumque Hartbertus in ipſa loca habuit: & Cocalingas, villare, & quæ Hermenlindis mihi tradidit ſimiliter Sechingaſt, Faginulvincas cum integritate. Similiter Fredishaim, ſimiliter Hundinishaim, & Mauchinhaim, & Beniſthaim, quæ Chrodhardus mihi tradidit cum appendiciis earum, ſimiliter villas & loca, quæ Vvido mihi tradidit, Guirmari, Audaldo-villare, Radberto-villare, Grutſinhaim, Anſulfeshaim, Scaſerishaim, & reliquas res per loca diverſa, tam in Aliſacius, quàm quæ in Mordinnavia, quæ mihi Vvido tradidit, & per mea præſtaria modò, ſeu uſufructuario aliquas habet, Vvaltario-villare, Tornugo-villare, Victornigas, Adimartia villa, Deſtrago, Hagraddo-villare, Vvarnugo-curte, Filicione-curte, Sicramno-curte, quantumcùmque in Aliſacius & Mordenavia, & Briſgavia, quicquid mihi traditum fuit, & datum per ſtrumenta cartarum, ſimiliter in Saloninſe & Scarponinſe, & Calmontinſe, & Bleſinſe, & Roſalinſe, quicquid in ipſos pagos viſus ſum habere, tam terris, manſis, campis, pratis, ſilvis, vineis cultis & incultis, aquis, aquarumve decurſibus, mancipiis, ſervis, ancillis, litis, undecumque moderno tempore veſtitus ſum, totum & ad integrum greges cum paſtoribus, & omne ſubpelectile ad partes ſancti Dionyſii à die præſente pro animæ meæ, & genitore meo Riculfo & genitrice mea Ermengarde, & germano meo Gauſtberto, & Bonefacio, & ſorore mea Vvaldradane, & pro genealogia mea: ut per interceſſione ſancti Dionyſii cum ſociis ſuis mereamur adipiſci vitam æternam. Similiter Salona, ubi ædificavi Eccleſiam in honore ſanctæ Mariæ, ubi requieſcunt ſanctus Privatus martyr, ſanctus Ilarus confeſſor, quicquid ibidem datum fuit de conlata populi, & ipſe populus mihi tradidie; omnia ex omnibus, ſicut per teſtamentum meum confirmavi à partibus ſancti Dionyſii ipſa cella debeat aſpicere, eam illas commutationes, quæ cum Angalramno Epiſcopo feci, quámque & reliquas commueationes. Similiter & alia cella, quæ dicitur Audaldo-villare, ubi ſanctus Ipolytus requieſcit: & tertiam cellam infrà vaſta Voſgo ædificavi, ubi ſanctus Cocovatus requieſcit ſuper fluvium Laima, quæ dicitur Fulrado-cella. Similiter quarta cella infrà Alamania, quæ dicitur Arbertingas, ubi ſanctus Veranus requieſcit. Similiter quinta cella, quam Adalongus mihi tradidit, quæ dicitur Adalongo-cella, ubi ſanctus Iorgius requieſcit. Similiter ſexta cella, ubi ſanctus Vitalis requieſcit, ſuper fluvium Netra, qua Haſti mihi tradidit, quantumcùmque ad ipſas aſpicere videntur, & conlata populi ibidem delegavit, tam terris, manſis, campis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, vineis, farinariis, greges cum paſtoribus, ſervis, ancillis, litis, aurum, argentum, codices, eramen, ornamenta Eccleſiarum, patellas ad Salo faciendum, in vico Bodatio ſeu Marſallo unà cum ſeſſis eorum, ſicut dixi, & omne ſubpellectile, quantumcùmque ad ipſas cellas repertum fuerit, totum & ad integrum à die præſente ad partes ſancti Dionyſii delegavi; & dum ego vixero ipſas res in mea poteſtate habere debeam, poſt meum quoque diſceſſum abſque ullius judicis contradictione à partibus ſancti Dionyſii debeant revertere, & nullus, heredeſque meorum poteſtatem habeant contrà hanc traditione mea agere. Eeſi conaverit, inferat unà cum ſociante fiſco auro libros L, argento pondus. C. coactus exolvat, & quod repetit evendicare non valeat cum ſtipulatione connexa. Actum publicè Hariſtalio, anno nono & quarto regnante Carolo glorioſiſſimo Rege Francorum, & Longobardorum, atque Patricio Romanorum. Ego Folradus Capalanus S. In Dei nomine Maginarius conſenſi & S. Signum † Teudrico. Hamerado † conſenſi. Signum † Vulfardo. Signum † Hadratto Signum † Giſlamaro. Signum † Hildrado Comite. Signum † Baldulfo. Signum † Ebrodone. Signum † Hain-

rico. Signum † Anſelmo Comite Palatii. Signum † Folrado. Signum † Hartgero. Signum † Haribardo Comite. Signum † Ricgavio. Signum † Teudulfo. Signum † Hildrado. Signum † Erleberto. Signum † Gundaccro.

Anno nono & quarto regnante domno Carolo glorioſiſſimo Rege Francorum, & Patricio Romanorum. Actum publicè Hariſtalio. Ego Adarulfus rogitus & ordinatus à domno Fulrado ſcripſi & ſubſcripſi.

V. Biennio poſt idem Fulradus ad Carolum adiit, ſupplicirerque eum rogavit, ut omnes immuoitates hujuſce monaſterii confirmaret, quam ob cauſam Carolus præcepto edito illi conceſſit, quidquid Reges antecedentes illi conceſſerant, & quidquid poſt modùm collatum fuerit à ſe, *vel, à quibuſcumque juſtè & rationabiliter, cum omne ſubſtantia ſua ad ipſo monaſterio ſe tradiderit, & res ſuas per legitima ſtrumenta ibidem delegaverit, vel firmaverit* &c. Datum eſt in Goddinga-villa anno XI. regni Francorum & quinto regni Longobardorum: hæc charta deſcripta eſt lib. ſexto de re diplomatica.

VI. Hic pauca adjicere licet de Abbatibus monaſteri ſancti Vincentii, ſeu ſancti Germaoi. De Lantfredo ſuprà memoratum eſt, hic verò diem ſupremum obiit pridie Idûs Februarii aono DCCLXXV. quem annum ejus mortis Mabillonius conſignatum reperit in vetuſto codice de cyclis paſchalibus, diem verò ejus obitûs necrologium hujus baſilicæ annotavit. Huic ſucceſſiſſe Vvichadum idem auctor tradit, & ejus fieri memoriam anno VII. regni Caroli in litteris primariis Frodoïoi Abbatis, *Falcherolas ſuper fluvium Roſdon concedentis baſilicæ ſancti Vincentii & ſancti Germani, ubi præeſt venerabilis vir Vvychadus Abba unà cum norma plurima monachorum.* Vvichadi Abbatis obitus legitur in vetuſtiſſimo necrologio Calend. Novemb. Robertum huic ſnbrogatum ex antiquis chartis conſtat. Hnnc antea magnum fuiſſe priorem Breulius memorat, & præceptorem Pippini Regis, ideoque à Carolo in honore habitum, & ob eam cauſam in Abbatem electum, ut gratum Regi Carolo facerent, unde verò hæc habuerit Breulius non ſcribit. Obrinuit præceptum immunitatis à reloneis, quod datum legitur VI. Calend. April. XI. regni Caroli magni, & patririatûs ejus quarto, anno ſcilicet Domini DCCLXXIX. referturque in annalibus eccleſiaſticis Francorum, ex editione Jacobi Breulii, & Guilelmi Parvi, & quædam ex comparatione utriuſque emendare aut illuſtrare auctor inſtituit, quæ omnibus obvia ſunt. Aliud præterea præceptum conceſſit eidem Abbati Carolus Rex, quo *Madriolas* ei tribuit *in pago Milidunenſi anno nono decimo, & tertio decimo regni Vormatia palatio.* Aliis deinde litteris, ut Mabillonius ſcribit (ſ. Sæcul. Bened. 2. part. pag. 94.) Carolus compoſuit litem inter HRobertum Abbatem & Autbertum Comitem, controverſia erat de ſilva, quæ mons Adraldi dicitur in pago Milidunenſi anno XXIII. regni ſui, annum, quo deceſſerit, conſignatum litteris non reperimus, diem verò vetus necrologium anootat ad VIII. Calend. Martii.

VII. Quando quidem antiqua nobis deficiunt monumenta, neque alia ſuppetunt acta, quibus his temporibus res Pariſienſes proſequamur, ad res Regis Caroli brevirer deſcribendas ſtylum converto, ne interruptâ rerum ſerie, ſi quando ad res Pariſienſes redire oportet, hæreamus tenebris obſiti, & ignoratione rerum præteritarum narratio noſtra cæca ſit involuta caligine, quam deinde vix diſcutias. Carolus Vvormatiæ Paſcha celebravit, continuóque expeditionem in Saxoniam parat, comparatoque valido exercitu, profectionem inſtituit, ad fontes Lippiæ caſtra locat, verſoque ad Orientem itinere, ad Obacrum fluvium movet exercitum. Tum ecce orientales Saxones, pro ut ipſe juſſerat, ad eum accedunt, polliciti imperata ſe facturos, complures vel verè, vel diſſimulanter baptiſmo abluti religionem Dei ſuſceperunt. Rex rebus pro conditione temporum his in locis ordinatis, in Franciam rediit. Inrerea Romæ jactabantur ſemina turbarum, Hadrianus PP. repoſcebat à Neapolitanis patrimonium beati Petri; ii non modò id facere denegabant, ſed adjuti Græcorum armis, Terracinam, quæ in ſummi Pontificis jus poteſtatemque venerat, invaſerant. Hadrianus Adalgiſum Beneventanum Ducem turbarum incentorem exiſtimabat, timebatque, ne cum Præfecto Scicilıæ invadendæ Italiæ conſilia

LIB. V. CAP. V.

caperet ; ſcribit itaque ad Carolum, eumque enixè rogat, ut Vulfrinum ad ſe mittat cum copiis, quibus Terracinam capiat, Caëtam & Neapolim armis occupet, & impendentem depellat tempeſtatem. Rex his aliiſque permotus cauſis, Romam proficiſci inſtituit, adſcitiſque ſui itineris comitibus uxore & duobus filiis Ticinum venit, Natalemque Domini ibi celebravit, & in ea urbe hiemem tranſegit ; adventante Paſchatis ſollemnitate Rex Romam profectus eſt, iter adventu Epiſcoporum & Ducum, qui illi obviam ibant, celebratum fuit. Hadrianus haud immemor, quibus beneficiis amplificaverat Romanam Eccleſiam, eum, ut decebat, honorificentiſſimè excepit, aderat Hildegardis Regina uxor Caroli cum duobus filiis Carolomanno & Ludovico, Carolomannum Hadrianus ſacro baptiſmo tinxit, & mutato nomine Pippinum appellavit, & quoniam Carolus Pippino regnum Italiæ, & Ludovico Aquitaniam dederat, ſummus Pontifex Reges eos inunxit. Irene Auguſta tunc temporis ad Carolum miſerat legatos, pro ſanciendo fœdere, & de ineundo matrimonio inter Conſtantinum Imperatorem & Rotrudem filiam Caroli, cujus ſponſalia Romæ celebrata, darique puellæ viri, qui eam Græcè edocerent, & ad mores Græcorum inſtituerent. His aliiſque rebus peractis, Carolus Mediolanum venit, è Longobardia Vvormatiam cum Hildegarde rediit ; cùm verò nullis bellis ditio Francorum perſtreperet, Rex ordinando regno appellere animum cœpit, conventumque generalem ideò convocare, ut conſilio antiſtitum & optimatum omnia inſtitueret, habebatur conventus, cùm ecce populi totius regni ſupplicatio in gratiam Epiſcoporum ad Regem defertur : mala conſuetudo invaluerat apud Francos, ut Pontifices, ſeu ex nutu Principum, ſeu ex corruptela temporum, arma tractarent, irent ad bellum, & quemadmodum Duces & Comites præliari & dimicare haud abnuerent : ea quidem adversùs antiquos Eccleſiæ mores & decreta Patrum, ſed inprimis noxia Eccleſiis erant, deſerebantur ab Epiſcopis Eccleſiæ. Tum greges latè vagari & errare ſine paſtore, tum depravatio clerum perdere, & nequitia corrumpere populum, & nullum modum nullamque in moribus Chriſtianis legem retinere. Hæc ſæpiùs boni conquerebantur, & plebs reputans majorum virtutes, huic adhibere medicinam cupiebat. Eo igitur tempore, quo res publicæ quietæ apud Francos erant, populus ad Regem adire conſtituit, & edita rogatione, ſuppliciter exorare, ut Pontifices à quocumque militari munere, & pariter à quacumque bellica exercitatione vacuos ſolutoſque redderet ; habetur in capitulariis Regum ea ſupplicatio, cujus hæc ſumma eſt. Suppliciter *Lib. 6. cap. 170.*
populus rogat Regem Carolum, ut dum ipſe bellum gerit, Epiſcopi maneant in parochiis, ubi ſacra peragant myſteria, liturgiam celebrent, & pro ratione ſui muneris & Deo preces, & pauperibus eleemoſynas exerceant. Vidimus, inquiunt, aliquos ex iis vulneribus affectos, alios occiſos gladio, & noſtros plerúmque, his cæſis, in fugam verſos. Addunt eorum eſſe officii dùm bellum geritur, dùm pugnatur, ſuis precibus præliantibus auxiliari, & ad victoriam tollere in cælum manus. Moyſe olim levante manus ad cælum, Iſraëlitas extitiſſe victores, victos verò & in fugam verſos, demittente. Duos quidem treſve ex Epiſcopis ex electione aliorum poſſe ad exercitum accedere, non ut bellum gerant, ſed *ad benedictionem dandam, & periclitantium reconciliationem faciendam*, quod & idem velint fieri de preſbyteris, qui ad bellum non proficiſcantur, niſi ſibi ab Epiſcopis poteſtate factâ, & de quorum ſcientia & vita ac converſatione omnes ſecuri ſint ; neque precari ſe, ut Epiſcopi pretio bonorum Eccleſiæ à bello ſe redimant, ſcire eſſe oblationes fidelium & pretia peccatorum, quæ ſine ſacrilegio nemo ab Eccleſiis auferat. Ea omnia Deo ſacra eſſe, quæ quiſquis obtulerit Eccleſiæ, in charta donationem ſcribit, quam teſtibus ſacerdotibus altari imponit, dicens ; *offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in charta tenentur inſertæ pro remiſſione peccatorum meorum ac parentum & filiorum, aut pro quocumque illas Deo deliberare voluerit ad ſerviendum ex his Deo in ſacrificiis, Miſſarumque ſollemniis, orationibus, luminariis, pauperum & clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius Eccleſiæ utilitatibus. Si quis autem eos inde,*

 quod fieri nullatenus credo, abſtulerit, ſub pœna ſacrilegii ex hoc, Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, diſtrictiſſimas reddat rationes &c. Multa deinde ſequuntur contra raptores bonorum eccleſiaſticorum, in quos editi canones, & quos antiqui Patres anathemate percuſſos eſſe ſanxerunt. Obteſtantur etiam atque etiam Regem, his medeatur, & auctoritate ſuâ raptorum audaciam comprimat, quæ rogatio æqua viſa eſt, & cui Rex benignè annuit, neque modò ſubſcribere populi poſtulatis voluit, ſed ea ſe facturum omnia, quæ commodo Eccleſiæ verterent, eaque in proximo generali conventu, ubi plures Pontifices, Duces, & Comites adfuturi ſint, ſacra conſtitutione firmaturum. Reperitur conſtitutio Regis in capitulariis de eo argumento. Verùm tamen non abolita prava illa conſuetudo, certum eſt enim ſub aliis Regibus Epiſcopos ſæpiùs ad bellum profectos eſſe. Certè popularibus noſtris digna poſtulatio, plenaque religionis erat, neque dubito quin civitas Pariſienſis, quæ ſub imperio antecedentium Regum urbs regia fuit, huic inprimis rogationi ſubſcripſerit, immò & ad ſupplicationem ſcribendam ceteras civitates impulerit.

VIII. Sequenti anno Carolus, celebrato Paſchate in villa Cariſiaco, trajecit Rhenum cum exercitu, audierat turbas in Saxonia auctore Vitichindo moveri, & gentem ad rebellandum proclivem ad defectionem incitari, caſtra ad Lippiæ fontes poſuit, cúmque illic aliquot dies moratus eſſet, legatos Sigefridi Regis Danorum excepit, legatos quoque Principum Hunnorum. Inter hæc audivit Sclavos infeſtis copiis Thuringorum & Saxonum fines ingreſſos; jubet illicò Adalgiſum cubicularium, Geilonem Comitem ſtabuli & Vvoradum Comitem palatii, collecto ex Francis & Saxonibus exercitu adversùs eos proficiſci. Iter ſuſceperant, cùm nunciatum eſt ipſos Saxones, Duce Vitichindo, collectis copiis meditari bellum: omiſſâ ob eam cauſam in Sclavos expeditione, adversùs eos ire inſtituunt. Euntibus obviam fit Thedericus Comes Regis propinquus, qui defectione auditâ, raptim comparatis copiis, adversùs eos profectus erat. Legati Regis, cùm propius ad hoſtem veniſſent, ne ſibi gloriam certaminis Comes præriperet, inconſultò Saxones adoriuntur, & tanquam adversùs inermes in ipſos ruunt, & ſuâ fiduciâ locum injuriæ faciunt, Saxones enim ſtare pro caſtris, dimicare fortiter, & Francos haud tale opinantes opprimere, ſtrages noſtrorum multa, etiam Duces cæſi, & multi nobilitate & fama virtutis conſpicui interfecti ſunt. Ex legatis duo cæſi Adalgiſus & Geilo, Comites quatuor, & ex nobilibus viris viginti, præter eos, quos dolor amiſſorum Ducum, aut pudor cladis acceptæ in confertam aciem projecit; & jugulandos hoſtibus proſtituit. Ea clades nomini Francico dedecoris & infamiæ haud parum attulit. Carolus audita noſtrorum clade, confeſtim refecto exercitu, Saxoniam ira vindictaque impotens pervadit. Verùm ad Regis adventum Virichindus impar Francorum copiis, ſibi fugâ conſulit, Rex inquiſitione habitâ, defectionis artificem quemque comprehendi jubet, & cæde quatuor millium quingentorumque hominum cladem Francorum ulciſcitur; hæc ad Verdam geſta ſunt. Rex deinde exercitum ad hiberna deduxit, & ipſe ad Theodonis villam ſe recepit, ibique Natalem Domini & Paſcha celebravit. Saxones ex ſeveritate non emendati ſunt, immò ferociores facti, extrema quæque perpeti, quàm jugum Francorum ferre malunt. Se invicem igitur hortati ad vindictam ſociorum, & defectionem uſquequaque prorunnt. Carolus nihil cunctatus proficiſci cum copiis adversùs eos parat. Verùm hæc conſilia retardavit luctus domeſticus, Hildegardis enim ejus uxor pridiè Calendas Maii præcoci fato ſublata eſt viceſimo octavo ætatis anno. Rex juſtis Reginæ perſolutis, in Saxoniam cum copiis proficiſcitur; regiæ familiæ interea novus luctus acceſſit ex morte filiæ Hildegardis, quæ matri vix quadraginta dies ſuperſtes extitit: ſed Rex haud minorem dolorem cepit ex morte Bertradæ matris, quam ſemper reverenter habuerat, quamque toto vitæ curſu mirum in modum coluerat; adeò ut cum ea ſemper eadem vellet & eadem nollet, ſi tamen excipias repudium filiæ Deſiderii, quam quidem impellente matre toro adſciverat, quamque ejecerat Bertrada improbante divortium. Felix Regina, quæ uxor Pippini fuit & genitrix

genitrix Caroli magni diem obiit iv. Idûs Julii; ſepulta eſt primùm in Caucia- LIB V.
co, hanc poſtea Carolus Pariſios transferri juſſit, & ſepeliri in baſilica ſancti CAP. V.
Dionyſii juxta Pippinum Regem virum ſuum. Carolus foris felicior fuit, bis enim acie cum Saxonibus conflixit, & bis innumerabilem multitudinem gladio confecit: reverſus deinde in Franciam Vvormatiæ commoratus eſt, Fraſtradam Radulfi Comitis filiam uxorem duxit. Sequenti anno latè vaſtavit agros Saxonum, & filius ejus Carolus commiſſo cum his prælio magnam hoſtium ſtragem edidit. Eo tempore Fulradus Abbas ſancti Dionyſii martyris mortuus eſt, quod refert appendix ad Nibelungi chronicon, ubi mors trium illuſtrium virorum hoc anno annotatur. *Helmericus*, inquit, *Abba, & Folradus Abba, & Albricus Epiſcopus obierunt.* De eo antea pluribus dictum eſt, monaſteriorum & cellarum multarum auctor fuit & conditor, in Alſatia, Germania & agro Mettenſi, quæ Dionyſiano monaſterio ſubjecta eſſe voluit, quod Epiſcopi congregati ad Vvormaciam anno Chriſti DCCCLIII. Indictione 1. menſe Auguſto teſtati ſunt, quorum quædam verba hîc ſubjicere licet. *Cùm inter cetera eccleſiaſtica negotia, de ordinabili diſpoſitione monaſterii ſancti Dionyſii diſponeremus, venerunt monachi hujus ſacri cœnobii, in præſentia venerandæ Synodi, deferentes auctoritates, videlicet teſtamentum, quod ſanctæ recordationis Abba Fulradus, de monaſterio Libratis, ubi ſanctus Alexander martyr quieſcit humatus, & de cella, quæ ad ſanctum Hyppolitum nominatur, ſeu de aliis rebus, quas per idem teſtamentum iſdem venerabilis Abbas ſancto Dionyſio contulerat.* Hocce teſtamentum paulò antea deſcriptum eſt. Fulradus apud Reges Pippinum & Carolum magnâ auctoritate valuit, & à Stephano III. magno habitus eſt in honore. Regum Francorum Archicapellanus, & apud eos ſummorum Pontificum apocriſarius fuit, ex quo, uti exiſtimo, honorificâ perfunctus legatione in Italia multùm Eccleſiam Romanam adversùs opes Longobardorum adjuvit, & Romanos Pontifices multis maximiſque poſſeſſionibus & provinciis nomine Regum Francorum amplificavit. Ex eo inquam tempore munus apocriſarii geſſit. Quod nam autem munus fuerit, & quando ex comitatu Imperatorum orientis ad Regum Francorum aulam traductum ſit? paucis expediam.

Poſtquam Conſtantinus Byzantium regiam urbem fecit, Romani Pontifi- IX.
ces Conſtantinopolim viros fide & prudentia claros mittere cœperunt, qui res univerſæ Eccleſiæ, ſuaque & Romanæ Eccleſiæ commoda in comitatu agerent, & ſe de omnibus negotiis per litteras certiores facerent, eoſque apocriſarios ſeu reſponſales dixerunt, quoniam ſummis Pontificibus à reſponſis erant. Ejuſmodi munus geſſit Julianus Coënſis Epiſcopus tempore Leonis magni apud Martianum Imperatorem & Pulcheriam, neminemque antea hoc honore perfunctum in eccleſiaſticis actis reperi. Cùm enim peſſumdatâ Chalcedone Eutychianâ hæreſi S. Leo PP. timeret ne hæretici nova molirentur, & nova illi capita amputatis aliis pullularent, huic malo ut provideret, Juliano Coënſi Epiſcopo ſanctus Leo ſuas commiſit vices; idque ipſe in litteris ad Martianum ſignificat. *Nam & de fide Iuliani*, inquit, *& ſinceritate confidens,* Epiſt. 70.
vicem ipſi meam contra temporis noſtri hæreticos delegavi, ab eoque propter Eccleſiarum novæ edit.
paciſque cuſtodiam, ut à comitatu veſtro non abeſſet exegi. Quod ipſi Juliano ſignificat. *Vt divino fultus auxilio ſpeculari de CP. urbis opportunitate non deſinas, ne prædictorum dogmatum impius uſquam turbo conſurgat, & quia tanta eſt glorioſorum Principum fides, ut confidenter eis poſſis, quæ ſunt inſinuanda ſuggerere, pietate ipſorum ad utilitatem Eccleſiæ univerſalis utaris.* Unde liquidò manifeſtum eſt, ejus inprimis officium fuiſſe, ut pro fide vice ſummi Pontificis excubaret, & attentè adverteret, ne quid hæreſis moliretur, & hæc ſummo Pontifici, cui cura & ſollicitudo univerſæ Eccleſiæ eſt, renunciaret. Verùm nihil propterea in cauſas eccleſiaſticas, aut in Epiſcopos juris Juliano accedebat, id quod ipſe ſanctus Leo Juliano ſignificat, *ut ſequeſtratâ earum actione cauſarum, quæ in quibuſque Eccleſiis Præſulum ſuorum debent cognitione firmari, hanc ſpecialem curam aſſumas ne hæreſis Eutychiana revireſcat.* Poſtea ſummis Pontificibus mos invaluit, ut ſummi Pontifices ſemper apocriſarios Conſtantinopoli haberent, qui res

LIB V. CAP. V. ſuas procurarent, & continuò omnibus de rebus ſe certiores facerent. Ita Pelagius Romanæ Eccleſiæ diaconus ſub Pontificibus Agapeto, Sylverio & Vigilio apocriſarii munus geſſit. Sanctus Gregorius pariter, quando diaconus erat, hoc idem præſtitit officium, quod ipſe confitetur, *tempore*, inquit, *quo exhibendis reſponſis ad Principem ipſe tranſmiſſus ſum* &c. iterùm *dum juſſione Pontificis mei CP. urbis palatio reſponſis Eccleſiæ deſervirem.* Et Gregorius ipſe Sabinianum diaconum reſponſalem Conſtantinopoli habuit, ut ex pluribus locis epiſtolarum ſancti Gregorii conſtat. Ad Joannem CP. Patriarcham ſcribens ſic loquitur. Lib. 1. Epiſt. 91. *Sed de his multa in epiſtolis loqui non debeo, quia dilectiſſimum meum Sabinianum diaconum pro reſponſis eccleſiaſticis faciendis ad Dominorum veſtigia tranſmiſi, qui vobiſcum cuncta ſubtiliùs loquetur.* Alios memorare ſummorum Pontificum apocriſarios longum eſt, Theodorus PP. Martinum diaconum Conſtantinopoli habuit, & Martinus ipſe PP. ſuos apocriſarios in regiam urbem miſit, qui Paulum CP. Patriarcham admonerent, ne hæreſim Monothelitarum defenderet, & legimus Conſtantinum, quem Pogonatum dixerunt, ſolutâ Synodo ſextâ, petiiſſe à Leone PP. II. ut ad ſe apocriſarios mitteret. Ex his omnibus facilè intelligas originem & munus apocriſariorum, quos ideò inſtitutos eſſe à ſummis Pontificibus videmus, ut in regia urbe, & in comitatu res Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum procurarent; neque ratione hujus muneris ulla judiciaria poteſtate præditos eſſe. Si verò aliquandò factum eſt, ut ipſi judicia & munia poteſtatis eccleſiaſticæ exercerent, tum oportebat eos delegatione extraordinaria inſtructos eſſe. Theodorus PP. cùm Pyrrhus Patriarcha defenderet Monothelitarum inſaniam, ſuos apocriſarios novis mandatis & nova poteſtate adversùs eum inſtruxit. *Vt ergo fraternitatis veſtræ ſacerdotalis robuſtior ordo permaneat, oportet debitum adversùs eum colligi Epiſcoporum ex propinquioribus locis conventum: præcepimus enim ſuper hoc etiam cariſſimis filiis noſtris, Serico archidiacono, & Martino diacono & apocriſario quibus & locum noſtrum ad hujus rei deliberationem credimus, quatenus cum fraternitate veſtra prædicti Pyrrhi culpa regulariter exquiratur.* Sed noſtri inſtituti non eſt de his ad longum diſſerere. apocriſiariorum officium ad tempora Iconomachorum permanſit: debacchante enim eorum furore in Oriente, tum ſummi Pontifices rupto cum Imperatoribus communionis vinculo, ad Reges Francorum confugere, eorum amicitiam ſibi devincire, à quibus viciſſim pluribus cumulati beneficiis, eorumque auxilium promptum paratumque ſæpiùs experti, ſuos reſponſales ad eorum comitatum habere cœperunt, de his quoque quædam adjicere libet, quod maximè ad res noſtras attinet. Fulradum Abbatem ſancti Dionyſii primum hoc geſſiſſe officium apud Reges Francorum invenio. Opinor à Stephano PP. hoc honeſtatum munere, poſtquam in Italia perfunctus honorificâ legatione, plurima beneficia Eccleſiæ Romanæ nomine Pippini Regis contulit; Hincmarus ſcribit hunc ſub principatu Pippini & Caroli magni hoc munus geſſiſſe. Engelramnum deinde & Hildiboldum Epiſcopos ſub eodem Carolo apocriſarios fuiſſe, Hilduïnum deinde Preſbyterum, Fulconem Preſbyterum, ac demùm Drogonem Epiſcopum appellat, qui ſub imperio Ludovici pii idem munus obierunt. Sed quoniam de apocriſariis occaſione Fulradi Abbatis incidit ſermo, addam poſt Carolum-calvum vix ampliùs eorum fieri memoriam ſub reliquis Principibus familiæ Carolinæ. Demùm ſub tertiæ ſtirpis Regibus celebrata Legatorum à latere auctoritas, creberque eorum in Gallias adventus fuit. Verùm legatio eorum brevi intervallo finita, ſumma eis poteſtas à ſummis Pontificibus commiſſa, ad certa definitaque negotia ſpeciale mandatum, quod ſumma cum poteſtate exequerentur, adeò ut longè apocriſarios, officio, honore & poteſtate præcederent. Sed de his plura dicere ratio mei inſtituti non exigit. Demùm labentibus annis, cùm Reges alter ad alterius comitatum legatos habere cœpiſſent, Romani Pontifices ad eorum exemplum legatos ſeu apocriſarios habuerunt, qui Nuncii vulgò dicti ſunt. Sed de his loqui non eſt mei propoſiti. Hæc verò occaſione Fulradi, qui primus in aula Regum Francorum apocriſarius ſummorum Pontificum fuit, qui & Archicapellanus de quo pauca ſuperiùs dicta ſunt, & alio in loco plura dicemus.

CAPUT VI.

De Viticbindo duce Saxonum, qui ſe Regi ſubjecit & baptiſmum ſuſcepit. De Hadriani epiſtola pro monaſterio ſancti Dionyſii. De Maginario Abbate ejuſdem loci. De ſcholis Galliarum & Eccleſiæ Pariſienſis. De Alcuino Abbate ſancti Martini Turonenſis.

SAXONES pro innata ſibi perfidia anno ſuperiore contra Francos adſ- I.
citis ſibi Friſiis moverant arma: Carolus haud ferens inconſtantiam gentis, quæ toties pacta violavetat, vel antequam ver appeteret, in Saxoniam infeſto exercitu advolavit, & Paſchate de more in ea provincia celebrato, eorum caſtra capere & vaſtare rotam regionem cœpit. Ludovicus ejus filius, cui pater Carolus Aquitaniam dederat; ex Aquitania profectus in Saxoniam id temporis venerat, ut patrem adiret. Erat Princeps adoleſcens Vaſconum habitu, longè ab inſtitutis Francorum diverſo, ipſum comitabantur nobiliſſimi juvenes hujus provinciæ, coætanei, patriis amicti veſtibus, tegebat eorum caput amiculum rotundum, longè diffundebantur manicæ camiſiæ, diſtenta erant cruralia, & caligulis inſerta calcaria, & quiſque miſſile manu geſtabat. Ludovicus verò poſt aliquod tempus cum patre in Saxonia tranſactum, redire in Aquitaniam inſtituit. Audivit interea Rex Vitichindum & Albionem duces Saxonum eſſe in *Tranſalbina Saxonum regione*, eos itaque primò per fidos Saxones adhortari, ut ſibi conſulant, neque abnuanr ſe Regis arbitrio permittere. Illi conſcientiâ facinorum, & recordatione pravè factorum deterriti, hanc reſpuere conditionem, tum admoniti ne vererentur Regi ſe committere, demùm datâ fide publicâ, & acceptis obſidibus Regem adierunt. Rex in villa Attiniaco verſabatur, continuò fidem huic & obſequium pollicìti ſunt, quam deinde accepto baptiſmo inviolatè cuſtodire ſtuduerunt, complures ex eorum ſociis ſalutari aqua pariter abluti ſunt. Pacatis Saxonibus prope fuit, ut Aremoricorum Britonum contumacia & defectione Thuringorum domeſtica bella deflagrarent. Audulfus regiæ menſæ præpoſitus Britonum audaciam celeritate compreſſit, obſidibuſque acceptis, ad Regem continuò reverſus eſt. Thuringorum quoque brevi ſedatus tumultus, auctoribus partim privatione luminum, partim exilii pœnâ mulctatis.

Dum hæc à Carolo geruntur, Hadrianus Pontifex dicitur epiſtolam ſcrip- II.
ſiſſe in gratiam Dionyſiani monaſterii, qua privilegium illi à Stephano III. PP. conceſſum confirmat, facitque poteſtatem habendi Epiſcopum, qui inſtruere poſſir in hunc locum religionis ergo commeantes, qui eligatur ab Abbate & monachis, & à vicinis Epiſcopis ordinetur: ſin Epiſcopi refragari auſint, ut Romam cum eorum litteris accedat, & ab ipſo ſummo Pontifice conſecrationem recipiat: quod ſi fortè ſerantur diſcordiæ ſemina inter hunc Epiſcopum & alios, edicit ſummus Pontifex, ut ad ſe cauſa deferatur. Deinde ſucceſſores ſuos obteſtatur, ne hoc privilegium vel rumpant, vel ulla ex parte diminuant; tandem anathemate plectir, & æternis devovet ſuppliciis eum, qui temerare vel corrigere has litteras aggreſſus fuerit. Hæc quidem in charta Hadriani PP.

LIB. V. CAP. VI. continentur, quæ ut ad libellam ſingula examinentur, ex ipſo privilegio referenda cenſeo, immò ipſum purum putumque privilegium, uti exſcriptum legitur in Sirmondi collectione & in antiquitatibus Dionyſianis: ejuſmodi autem eſt ex utriuſque editione.

Epiſtola Adriani PP. ad Abbatem San-Dionyſianum.

Dubleti editio.

III. *ADrianus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Magenario religioſo Abbati venerabilis monaſterii ſancti Chriſti martyris Dionyſii, in Pariſiaco, ubi venerabile ejus corpus quieſcit, & per eum in eodem venerabili monaſterio in perpetuum.*

Cùm ſummæ & apoſtolicæ ſedis apex in hoc divini proſpectûs nitore dinoſcitur præfulgere, cùm in exercendis Dei ſui laudibus ſtuduerit impenſiùs laboris exhiberi certamen.

Ob hoc denique nos ejuſdem apoſtolicæ paſtoralis compulit ſolicitudinis cura, quæque ad ſtabilitatem piorum pertinere dinoſcitur locorum, ubertim promulgari, atque inolitam conſuetudinem eiſdem venerabilibus locis apoſtolicæ inſtitutionis cenſurâ confirmari.

Igitur quia poſtulaſtis à nobis quatinùs privilegium noſtræ apoſtolicæ dignitatis vobis concederemus,

auctoritate beati Petri Apoſtolorum Principis fulti, in jam venerabili monaſterio dicto veſtro ſtatuentes promulgamus, ut penitus liceat ibidem habere Epiſcopum, ſicut à priſcis temporibus & uſque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus, qui à diverſis regionibus devota mente quotidiè ad ſancta ejuſdem martyris Chriſti monaſterii limina concurrit, remedium conſequi mereatur animarum.

Quando autem Epiſcopus præfati ſancti loci de hoc ſæculo migraverit, & alius ab Abbate ex monachis dignus electus fuerit, ſine qualibet controverſia, pro lon-

Epiſtola Hadriani PP. ad Abbatem San-Dionyſianum.

Sirmondi editio.

HAdrianus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Maginario religioſo Abbati venerabilis monaſterii ſancti Chriſti martyris Dionyſii, ſiti in Pariſiaco, ubi venerabile ſancti corpus quieſcit, & per eum eidem venerabili monaſterio in perpetuum.

Tùm ſummæ apoſtolicæ dignitatis apex in hoc divini proſpectûs nitore dinoſcitur præfulgere, cùm in exercendis Dei laudibus ſus impenſiùs ſtudebit laboris exhibere certamen.

Ob hoc debita nos ejuſdem apoſtolicæ paſtoralis compulit ſollicitudinis cura, quæque ad ſtabilitatem piorum pertinere dinoſcitur locorum, ubertim promulgari, atque olitanam conſuetudinem eiſdem venerabilibus locis apoſtolicæ inſtitutionis cenſurâ confirmari.

Igitur quia poſtulaſtis à nobis quatenus privilegium, quod prædeceſſoris noſtri ſanctæ recordationis domni Stephani junioris Papæ, in prædicto monaſterio veſtro apoſtolica ejus ſanxit auctoritas, demùm confirmaremus.

Idcircò veſtris annuentes votis, prælati prædeceſſoris noſtri inſtitutionis decretum prorsùs apoſtolicis infulis ſancimus, ſimulque eadem roboramus apoſtolicâ in ævo ſerie.

Qua propter auctoritate beati Petri Apoſtolorum Principis fulti, in jam dicto venerabili monaſterio ſtatuentes promulgamus, ut penitus liceat ibidem habere Epiſcopum, ſicut à priſcis temporibus, & uſque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus, qui à diverſis regionibus devota mente quotidie ad ſancta ejuſdem martyris Chriſti monaſterii limina convenerit, remedium conſequi mereatur animarum.

Et quando Epiſcopus præfati ſancti loci de hoc ſæculo migraverit, & alius ab Abbate & monachis dignus electus fuerit, ſine qualibet controverſia, pro longitudine

Digitized by Google

Dubleti editio.

gitudine itineris, à vicinis Epiſcopis, ſicut mos extitit, conſecretur. Quod ſi pro qualibet occaſione, aut invidia ordinare diſtulerint, tunc licentiam tribuimus ad ſedem apoſtolicam cum teſtimonio Abbatis ſui & monachorum propriis eorum manibus ſimul decretum ſubſcriptum ferens, pro conſecrationis cauſa advenire, atque ſacrationem accipere, quia nolumus, ut lumen, quod ibidem hactenus tanto tempore per Epiſcoporum prædicationem claruit, ullis temporibus extinguatur.

Et nemo Epiſcoporum provincialium de præfato venerabili monaſterio vel de cellis, eccleſiarumve titulis, ditioni ipſius conſtitutis, pro quacumque exquiſita re diſtringere, vel ad ſe presbyteros convocare præſumat, ſed per hanc auctoritatem apoſtolici privilegii Epiſcopus ex ipſo venerabili monaſterio canonicè curam paſtoralem & ſolicitudinem miniſterii ſui habeat in ſubjacentibus eidem monaſterio locis, & quæque emendanda & corrigenda ſunt, cum conſenſu Abbatis ipſius monaſterii canonicâ inſtitutione, & ſecundùm ordinem cuncta peragat.

Si verò quælibet diſcordia inter vicinos Epiſcopos, ſive Epiſcopum prædicti monaſterii, quod non optamus, orta fuerit, nullus audeat, Abbate minime annuente, ſæpius nominati monaſterii Epiſcopum diſtringere, vel in qualibet judicare parte. Quod ſi Abbas ejuſdem monaſterii nullo modo valuerit inter eos ortam contentionem ſedare, habeat eos ad majorem audientiam, videlicet Romanam, invitare, ut ibi fiat diſcriminatum, cui tortitudinis, ſeu rectitudinis adſcribatur judicium.

Statuimus etiam apoſtolicâ cenſurâ, ſub divini judicii obteſtatione, & anathematis interpoſitionibus, ut nullus unquam noſtrorum ſucceſſorum Pontificum, aut qualibet dignitate præditus vel poteſtate, vel alia quæcumque magna parvaque perſona, præſumat contra hoc noſtrum apoſtolici privilegii præceptum agere, potiùs autem firmum atque ſtabile ejus ac temporibus eum decernimus permanendum.

Si quis autem quolibet tempore (quod nullo modo credimus) hujus decretum privilegii præfirmatum, in toto, vel in parte

Sirmondi editio.

itineris, à vicinis Epiſcopis, ſicut mos extitit, conſecretur. Quod ſi pro qualibet occaſione, aut invidia ordinandi ſe diſtulerint, tunc licentiam tribuimus, ut ad ſedem apoſtolicam cum teſtimonio Abbatis & monachorum propriis eorum manibus ſimul decretum ſubſcriptum ferens, conſecretum ſubſcriptum ferens, conſecrationis causâ adveniat, & conſecrationem accipiat, quia nolumus, ut lumen, quod ibidem hactenus tanto tempore per Epiſcoporum prædicationem claruit, noſtris temporibus extinguatur.

Ee nemo Epiſcoporum parrochianis in præfato monaſterio, in cellis, eccleſiis, vel titulis, ſeu oraculis, ſub ditione ipſius conſtitutis, ordinationes facere, ſive pro chriſmate faciendo, aut quacumque exquiſita re agere, aut diſtringere, vel ad ſe presbyteros convocare præſumat. Sed per hanc auctoritatem apoſtolici privilegii noſtri, Epiſcopus ex ipſo venerabili monaſterio canonicè, curam paſtoralem ſollicitudinis miniſterii ſui, in prælatis adjacentibus vel ſubjacentibus locis habeat, & quæque emendanda & corrigenda ſunt, cum conſenſu Abbatis ſui, canonicâ inſtitutione, & ſecundùm ordinem cuncta peragat.

Si verò quælibet diſcordia inter vicinos Epiſcopos, ſeu Epiſcopum prædicti monaſterii, quod non optamus, orta fuerit, nullus audeat, Abbate minimè annuente, ſæpius nominati monaſterii Epiſcopum diſtringere, vel in qualibet judicare parte. Quod ſi Abbat ejuſdem monaſterii nllo modo voluerit inter eos declamari, noſtris apoſtolicis eveniant obtutibus concordiâ reformandi.

Statuentes apoſtolicâ cenſurâ ſub divini judicii obteſtatione, & anathematis interpoſitionibus, ut nullus unquam noſtrorum ſucceſſorum Pontificum, aut qualibet dignitatis præditus poteſtate, vel alia quæcumque magna parvaque perſona, præſumat contra hoc noſtrum apoſtolici privilegii præceptum agere: potiùs autem firmum atque ſtabile noſtris temporibus illud decernimus permanendum.

Si quis autem quolibet tempore, quod nullo modo credimus, hujus decretum privilegii, apoſtolicâ auctoritate firmatum,

Dubleti editio.

temerare temptaverit, ſuæque præſumptionis noxam digna emendatione minùs correxerit, ſciat ſe, auctoritate domni & beati Petri Apoſtolorum Principis, anathematis vinculo eſſe innodatum, & à regno Dei alienum, atque cum diabolo & ejus atrociſſimis pompis æterno incendio deputatum, & perpetuæ condemnationi ſubmiſſum: at verò qui obſervator & cuſtos hujus noſtri privilegii extiterit, benedictionis gratiam vitamque æternam à miſericordiſſimo Domino Deo noſtro conſequi mereatur.

Scriptum per manum Chriſtophori Notarii, & ſcriniarii ſedis noſtræ. In menſe Iun. Indictione nona †. Bene valete. Data Kalend. Iul. per manus Anaſtaſii primicerii, regnante Domino Deo & Salvatore noſtro Ieſu Chriſto, cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu ſancto per infinita ſecula. Anno, Deo propitio, pontificatûs domni noſtri Adriani Papæ primo, in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede.

Sirmondi editio.

in totum vel in parte temerare tentaverit, ſuamque præſumptionem dignâ emendatione minùs correxerit, ſciat ſe, auctoritate Domini mei beati Apoſtolorum principis Petri, anathematis vinculo eſſe innodatum, & à regno Dei alienum, atque cum diabolo, & ejus atrociſſimis pompis, æternı incendii ſupplicio deputatum, & perpetuæ condemnationi ſummiſſum. At verò qui obſervator, & cuſtos hujus noſtri apoſtolici privilegii extiterit, benedictionis gratiam vitamque æternam à miſericordiſſimo Domino Deo noſtro conſequi mereatur.

Scriptum per manum Chriſtophori Notarii & ſcriniarii ſedis noſtræ, in menſe Iunio, Indictione IX. *Bene valete. Dat. Kalendis Iuliis per manum Anaſtaſii primicerii, regnante Domino Deo & Salvatore Ieſu Chriſto, cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu ſancto per infinita ſecula. Anno, Deo propitio, pontificatus domni noſtri in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede* XV. *Indictione* IX.

IV. Hoc privilegium Hadriani PP. ſuppoſitum falſumque eſſe, quæ ſuprà memorata ſunt de epiſcopatu monaſterii Dionyſiani, clarè oſtendunt. Sanò haud pauca in eo continentur, quibus hanc chartam falſi redarguas, ſed hoc potiſſimum, quod Hadrianus conſtituit, *ut penitus liceat ibidem habere Epiſcopum, ſicut à priſcis temporibus, & uſque hactenus fuit* &c. Si ex privilegio licitum fuit Dionyſianis monachis ſuum intra monaſterii clauſtra Epiſcopum retinere, non id accidit ante pontificatum Stephani III. de quo à nobis anteà relatum eſt, anno ſcilicet DCCLVII. cùm verò hoc privilegium datum legatur in editione Dubletiana anno primo pontificatûs Hadriani, vel anno ejuſdem XV. ut Sirmondi editio annotat, intervallum iſtud, aut XIV. annorum, aut XXIX. neutrum vero benè appelles priſca tempora; attamen ſuppoſita Hadriani charta aſſerit inſtitutum in hoc monaſterio Epiſcopum à priſcis temporibus, quæ vel teſtibus Dionyſianis chartis ante tempora Stephani III. PP. non repetenda ſunt, non igitur hoc dicas inolitam conſuetudinem, cujus exordium, ſi tamen aliquod fuit, ante paucos annos extitit, & cujus nulla certa recordatio in actis reperitur. Neque quidquam proferas, quo iſtam conſuetudinem confirmes, neque vel nomen alicujus Epiſcopi, neque ulla acta, quæ Epiſcopus fecerit, neque alicujus clerici vel monachi ordinationem, cui ab eo manum eſſe impoſitam conſtet, neque ullius afferas benedictionem altaris, nec chriſmatis confecti memoriam. Sed quod ſequitur, certè injuriam facit ſummis Pontificibus, quos anathemate mulctat privilegium, ſi quid *contra hoc Apoſtolici privilegii præceptum* egerint. Quid quòd æternis ſuppliciis addicitur, qui illud temerare auſus ſit. Hanccine pœnam meriti ſunt vel ſummi Pontifices, quos huic poſtea abrogando privilegio manum & operam adhibuiſſe oportet, vel Epiſcopi, quorum dignitas & amplitudo hoc privilegio longè diminuta eſt, & ad quorum rogationem oportuiſſet abolitam hanc monaſterii Dionyſiani conſuetudinem, vel ipſos dicam Abbates & monachos Dionyſianos, qui incuriâ ſuâ hanc ſui monaſterii libertatem non temerari modò, ſed corrumpi omninò & aboleri paſſi

ſunt. Huc accedit quòd Dubletus quidem hoc privilegium in antiquitatibus monaſterii Dionyſiani retulit, atque exſcriptum à ſe ex corticeo exemplari, & tamen Sirmondus hujus pariter editionem tradidit, quam Mabillonius approbat rejectâ Dubletianâ, in eaque Sirmondi editione mentio eſt privilegii à Stephano conceſſi, his verbis. *Quia poſtulaſtis à nobis, quatenus privilegium, quod prædeceſſoris noſtri ſanctæ recordationis domni Stephani junioris Papæ in prædicto monaſterio veſtro apoſtolica ejus ſanxit auctoritas.* Dubleti editio, omiſſâ Stephani PP. memoriâ, ſic habet. *Quia poſtulaſtis à nobis, quatinus privilegium noſtræ apoſtolicæ dignitatis concederemus* &c. Certè in privilegio Stephani ſuperius allato Epiſcopus conceditur, qui monaſteriis ædificatis provideat, & ea regat, qui in monaſterio Dionyſiano & ſubjacenribus locis prædicationi deſerviat. Nihilominùs in Hadriani PP. privilegio conceditur Epiſcopus *per cujus prædicationem populus, qui à diverſis regionibus devota mente, quotidie ad ſancta ejuſdem martyris Chriſti monaſterii limina concurrit, remedium conſequi mereatur animarum*, aliàs conceditur poteſtas habendi Epiſcopi ad monachos monaſterii ordinandos, ad conſecrandum monaſterii altare & ad chriſma conficiendum, modò eadem conceditur auctoritas ad alia obeunda munera, ad inſtruendum nempe populum ad ſancta martyrum limina concurrentem. Diverſitas præterea reperitur in his verbis, quæ Dubleti editio ſic exponit. *Ut nemo Epiſcoporum provincialium de præfato venerabili monaſterio, vel de cellis, eccleſiarumve titulis, ſeu oraculis ſub ditione ipſius conſtitutis pro quacumque exquiſita re agere, aut diſtringere, aut ad ſe presbyteros convocare præſumat.* Sirmondi editio eo in loco ita ſe habet. *Ut nemo Epiſcoporum parochianis in præfato monaſterio, in cellis, eccleſiis vel titulis, ſeu oraculis ſub ditione ipſius conſtitutis, ordinationes facere, ſive pro chriſmate conficiendo, aut quacumque exquiſita re agere aut diſtringere vel ad ſe presbyteros convocare præſumat.* Diverſitatem eſſe in his nemo inficiabitur, & dicet fortè aliquis additionem ſeu interpolationem eſſe in Sirmondi editione, quâ ſenſus Dubletianæ editionis planior apertiorque redditur, ſed præferendum privilegium quod Dubletus prodidit, quodque ſcilicet eruit è tabulario Dionyſiano & deſcripſit ex exemplari corticeo, hoc verò expendendum eſt. Hoc privilegium Hadrianus ad poſtulationem Maginarii Abbatis Dionyſiani concedit anno primo pontificatûs ſui, ut Dubleti habet editio, id verò neutiquam bene congruit cum annis utriuſque. Maginarius enim ſucceſſit Fulrado, qui obiit anno DCCLXXXIV. & annus primus Hadriani PP. in annum DCCLXXII. incidit, deinde in indictione error eſt, namque Indictio x. illo anno annumerabatur; quæ in cauſa fuerunt, cur Sirmondus, vel alius quilibet ex quo Hadriani litteras deſcripſit, annum pontificatûs Hadriani immutavit, & pro primo pontificatûs anno, annum xv. ejus pontificatus ſcripſit, qui annus incidit in annum DCCLXXXVI. quo annumerabatur Indictio nona & Maginarius mortuo Fulrado monaſterium ſancti Dionyſii adminiſtrabat, ex quibus conſtat exemplar monaſterii Dionyſiani mendoſum eſſe, atque adeò vel in cortice deſcriptum nullius eſſe fidei. His puto aliiſque difficultatibus impeditus eruditiſſimus Mabillonius, hoc privilegium non exſcribi curavit in opere de re diplomatica, mirum eſt ab eo in actis Benedictinis citatum, & dixiſſe autographum Sirmondi editioni conſonum eſſe, unde igitur Dubletus à ſe ex corticeo exemplari deſcriptum tradit? Sunt & alia, quibus vim & robur privilegii evertere valeas, ſed de his ſatis ſuperque. Verùm nemo me aut ſtudiis ullarum partium, aut æſtu aliquo abreptum in hanc controverſiam exiſtimet, ſed ſolummodò veritatis illuſtrandæ gratiâ, cùm enim ad res Pariſienſis Eccleſiæ animum utique appuliſſem, credidi mei eſſe muneris ex æquo graviſſimum hoc negotium de Epiſcopis Dionyſianis ad examen revocare, & cùm nullis id probationibus certiſque argumentis defenſum cernerem, haud dubitavi meam ea de re ſententiam explicare.

LIB. V. CAP. VI.

Placet & hîc quædam addere de Maginario Abbate ſancti Dionyſii, cujus in ſuperioribus litteris mentio eſt. Is Fulrado ſucceſſerat, & hoc liber miraculorum ſancti Dionyſii profitetur, ubi de duobus, qui furtum in baſilica ſancti martyris fecerant, quod auctor ait contigiſſe *tempore Magenarii Abbatis, qui* V.

Lib. Miracul. cap. 19.

Fulrado feliciter decedente cœnobio ſuffectus eſt, paucis annis rexiſſe monaſterium ex libro de miraculis ſancti Dionyſii clarum eſt. Namque ait Magenario ſucceſſiſſe Fardulfum, quo tempore Carolus adversùs Saxones bella gerebat, & Alcuinus, qui ejus epitaphium verſibus compoſuit, tradit hunc ſublatum, cùm florentibus annis eſſet, & ovile pauco rexiſſet tempore, hunc à teneris annis ſcribit addictum monaſticæ diſciplinæ, & ſepultum ad pedes Fulradi Abbatis, de quo antea ſæpiùs dictum eſt. Sed ecce tibi Maginarii epitaphium ex Alcuino.

Hic ſit ſub pedibus tibi Maginare magiſtri,
Iam ſacra mundanus temporibus requies.
Te pius ille pater teneris nutrivit ab annis,
Tu quoque ſucceſſor ejus honoris eras.
Hoc heu! per parvum rexiſti tempus ovile,
Floribus in mediis mors mala te tulerat.
Sed quem Chriſtus amat, illi mors nulla nocebit,
Poſt mortem meliùs vivit in arce poli
Moribus in ſuis, quapropter vivite Chriſto,
Qui legere vultis carmina noſtra, precor
Obſecro, meque piis precibus, commendite Chriſto
Vt merear civis urbis adeſſe, Deus.

hæc pauca de Maginario, aliàs de Fardulſo ſermo erit.

VI. Eo anno, qui ſeptingenteſimus octogeſimus-ſextus numerabatur, Carolus dedit præceptum, quod à Breulio in antiquitatibus Pariſienſibus legitur, & in annalibus eccleſiaſticis Francorum ad hunc annum, conceſſum eſt Nonis Novembris in gratiam monaſterii ſancti Germani, hoc præcepto Rex donat monaſterio ſancti Germani villam regiam Madriolas nomine, quæ ſita eſt in pago Melodunenſi, diſtatque à confluentibus Icaunæ unâ tantummodo leucâ donationem hîc deſcribere ſupervacaneum eſt, quam aliis in locis facilè reperias, nullus enim hiſtoriæ noſtræ finis ſit, ſi chartas omnes, litteras, regiaque diplomata omnia velim ad verbum recenſere. In eo præcepto mentio eſt Roberti Abbatis, Breulius eum anno DCCCXI. deceſſiſſe tradit; vetus necrologium diem ejus obitûs annotat ad VIII. Calend. Martii.

VII. Carolus Francorum Rex Vvormatia ſtatim profectus eſt, & in Italiam tantâ celeritate venit, ut ſuâ præſentiâ famam ſui adventûs præverteret, Florentiæ enim Natalem Domini celebravit. Cauſa itineris fuerat Aragiſus Dux Beneventanus, qui nomen Principis & Regis, repudiato Ducis munere aſſumpſerat. Rex Romam primùm ad reprimendam Ducis audaciam advolavit, tum in Beneventanum ducatum profectus, ubi omnes ſe ejus permittere arbitrio, & Dux ipſe polliceri imperata ſe facturum: Rex acceptis obſidibus, & receptis in fidem civitatibus, Romam reverſus eſt, Ducemque urbe Capua aliiſque civitatibus Campaniæ mulctavit, quas Eccleſiæ Romanæ & ſummis Pontificibus deinceps ſubjectas eſſe voluit. Rex Romam reverſus Paſchâ celebravit. Cùm verò de cantu inter Francos & Romanos orta eſſet diſputatio, & Rex pro Romanis judicium tuliſſet, petiit Rex à ſummo Pontifice viros cantandi peritos, quos in Gallias adduceret, & quorum operâ cantum reſtitueret, quod ultrò Hadrianus PP. conceſſit, ſed & pariter Carolus Grammatices & computatoriæ artis magiſtros ſecum adduxit, & ſtatim atque in Gallias rediit, litterarum ſtudia, quæ jam multis annis corruerant, penitus inſtaurari tota Gallia juſſit, atque adeò edita conſtitutione in civitatibus haberi ſcholas imperavit, Sed quoniam à Carolo magno Pariſienſem Academiam originem habuiſſe, & ejus exordia ab eo tempore multi ducunt, placet hîc de ſcholis in Gallia inſtitutis breviter diſſerere, & quæ tunc ratio litterarum Pariſiis fuerit, oſtendere.

VIII. Certum eſt floruiſſe in Galliis ſtudia litterarum ſtante Romano Imperio, Lugduni Seguſianorum habitas eſſe exercitationes rhetoricas certa eſt memoria. Apud Æduos & Treviros viros fuiſſe eloquentiâ & arte oratoriâ claros

teſtantur panegyrici veteres his in civitatibus Maximiano & Conſtantino di- LIB. V.
cti. Quin etiam diſciplinas humaniores Burdigalis, Tholoſæ & Narbonæ in CAP. VI.
honore fuiſſe probant Poëtæ Auſonii carmina, qui harum artium magiſtros græcè & latinè doctos permultis laudibus exornat. Sed ſcholas celebratas in Galliis fuiſſe potiſſimùm oſtendit reſcriptum Gratiani, quo jubet annonas & ſtipendia perſolvi doctoribus & magiſtris, qui juvenes græcè & latinè erudiant, & vult celebrari per ſingulas metropoles nobilium quorumcumque profeſſorum electionem; hæc quidem in Galliis quamdiù Romani Imperii conſtitit fortuna. Verùm poſtquam Romana magnitudo peſſum ire cœpit, & barbarorum vis ingens & exteræ nationes, tamquam examina, incumbere imperio & vaſtare provincias cœperunt & quiſque ſedem ponere in provinciis, ut ſors & opportunitas ſe præberet. Tum artes & ſcientiæ obmuteſcere inter barbaros feroceſque ſtrepitus, tum abolitæ ſcholæ publicæ, profeſſoreſque ſublatis ſtipendiis ludos deſerere, imperitiaque & barbaries in locum amœniorum muſarum ſuccedere. Nemo, aut pauci, tamquam ariſtæ inter vepreta exurgere, & ſcientiis eminere, adeo ut non facilè dixerim, an magis noxia reipublicæ, an litteris barbaries fuerit. Eccleſia quoque non minùs armis barbarorum, quàm imperium opprimi cœpta eſt, pleriſque nationibus vanæ Idolorum addictis ſuperſtitioni, aut hæretica tabe infectis, quæ mala fuerunt eò graviora, quòd non inſtituerentur, qui ſcientia præcellerent, & bonis artibus graſſantem morbum poſſent depellere. Regnis tamen in pluribus provinciis conditis, Sacerdotes quorum intererat, ut clerici ad bonos mores & pariter ad ſtudia litterarum informarentur, quo adversùs vitia & errores egregiè depugnarent, in ſuis ædibus tamquam lycæa & velut academias erexerunt, ut clerici pro conditione illorum temporum erudirentur. Patres olim Toletani pueros ſub magiſterio 2. & 4.
unius prudentis & ſenioris presbyteri inſtitutos eſſe voluerunt, neque dubito Concil. Tolet.
quin olim ſanctus Germanus Pariſienſis Epiſcopus ſcholam clericorum Pariſiis habuerit, quam ad diſciplinas, bonos mores, & munia Eccleſiæ inſtitueret. Gregorius Turonenſis ſcribit Euſebium Syrum, de quo aliàs ſumus locuti, qui malis artibus ad cathedram Pariſienſem aſcenderat, *accepto Epiſcopatu omnem ſcholam deceſſoris ſui abjeciſſe, & Syros de genere ſuo eccleſiaſticos domui miniſtros ſtatuiſſe*; haud dubiè clericos intelligit, qui in ædibus Epiſcopi bene inſtituebantur, ad cantum quidem & alia Eccleſiæ obeunda munera, ſed etiam ad ſtudia litterarum, ut deinde ad altiores Eccleſiæ gradus promoverentur; hanc porrò ſcholam ad litteras vulgò ſpectare; ea quæ legimus apud Bedam, maximè probant. Is Sigberctum orientalem Anglorum Regem narrat exulaſſe Bed. hiſtor.
in Galliis, ut fratris Redualdi inſidias effugeret, reverſumque in patriam & Eccl. lib. 3.
regno potitum, imitatum eſſe quæ in Galliis viderat bene diſpoſita, & inſtitu- cap. 18.
tam ab eo ſcholam, in qua pueri litteris erudirentur. Ubi verò in Galliis viderat inſtitutam hanc ſtudiorum rationem? Niſi Lutetiæ Pariſiorum, quæ jamdudum caput regni & Regum Francorum domicilium erat. Neque verò ſolummodò Epiſcoporum utcumque erudiendis juvenibus, ſed etiam celebratæ iis temporibus erant monachorum ſcholæ; uti ſanè inſtitutas in monaſterio ſancti Dionyſii eſſe reperio, verùm de his dicere nihil ad nos attinet. Etſi erant in Galliis ſcholæ, in his tamen neque ſcientias reconditiores, neque politioris litteraturæ artes in uſu fuiſſe conſtat, immò omnibus in locis ſitu & ſqualore horridæ jacebant litteræ. Nihilominùs in Italia majori in pretio erant, florebantque, ut erant ea tempora, ſtudia litterarum. Cùm Carolus ſub Hadriano Papa Romam venit, & ibi Paſcha celebravit. Tum, ut dictum eſt, inter Romanos Francoſque orta contentio, noſtris pro modulo ſuo & ratione cantandi decertantibus: renitentibus contrà Romanis, qui inconditos noſtrorum ſonos, fractoſque cantus palam redarguebant, ſe à Gregorio magno artem cantandi edoctos; cùmque contentio creſceret, & neuter alteri cederet, Carolus à noſtratibus petiit, utrum purior ex fonte, an ex rivulo aqua hauriretur? Certè quæ fontibus ſcaturit, inquiunt noſtri. Quid igitur dubitatis majoris æſtimare cantum, qui Romæ ex Gregorio magno, tanquam ex fonte decurrit, quàm

Nn

qui ex corruptis rivulis defluxit. His Rex perſuaſus Hadrianum PP. rogavit, ut ad reſtituendum cantum magiſtros duos ſibi daret, quorum unum Mettis eſſe juſſit, alterum Sueſſionis; ſed magiſtros grammatices & artis computatoriæ ſecum quoque adduxit in Gallias, atque ita *ubique ſtudium litterarum*, ut ait Egoliſmenſis monachus, *expandere juſſit. Ante ipſum enim Dominum Regem Carolum in Gallia nullum ſtudium fuerat liberalium artium.* Eodem quoque anno reverſus in Franciam ad Epiſcopos Gallicanos & Abbates epiſtolam miſit, qua conſtituit, ut in ſingulis Epiſcopiis & monaſteriis ſcholæ erigerentur, ubi juvenes bonis moribus & liberalioribus diſciplinis inſtituerentur. *Vt qui Deo placere appetunt rectè vivendo, ei etiam placere non negligant rectè loquendo.* Conqueritur ſibi ſæpiùs oblatas à monachis rogationes, ubi quidem ſenſus recti, ſed ſermones inculti: *quia quod pia devotio interiùs fideliter dictabat, hoc exteriùs propter negligentiam diſcendi, lingua inerudita exprimere ſine reprehenſione non valebat.* Unde ait ſe timere vehementer ne quibus in delectu verborum, & in emendatione ſermonis minor cautio eſſet, minor quoque in ſcripturis legendis & intelligendis ſapientia haberetur. *Quamobrem*, inquit, *hortamur vos litterarum ſtudia non ſolùm non negligere, verùm etiam humillimâ & Deo placitâ intentione ad hoc certatim diſcere, ut faciliùs & rectiùs divinarum litterarum myſteria valeatis penetrare. Cùm autem in ſacris paginis ſchemata, tropi, & cetera his ſimiliæ inſerta inveniantur, nulli dubium eſt, quòd ea unuſquiſque legens tantò citiùs ſpiritualiter intelligit, quantò priùs in litterarum magiſterio pleniùs inſtructus fuerit. Tales verò ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem & poſſibilitatem diſcendi, & deſiderium habeant alios inſtruendi. Et hoc tantùm ea intentione agatur, qua devotione à nobis præcipitur. Optamus enim vos, ſicut decet Eccleſiæ milites, & interiùs devotos, & exteriùs doctos, caſtoſque bene vivendo, & ſcholaſticos bene loquendo, ut quicumque vos propter nomen Domini & ſanctæ converſationis nobilitatem ad videndum expetierit, ſicut de aſpectu veſtro ædificatur viſus, ita quoque de ſapientia veſtra, quam in legendo ſeu cantando perceperit inſtructus, omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat.* Conſtitutionem hanc primùm publicavit Sirmondus in Conciliis Gallicanis, tum in annalibus eccleſiaſticis Francorum, Cointius ad annum DCCLXXXVII. & Baluzius inter capitularia Regum Francorum. Cùm & in aliis locis edita ſit, ſupervacaneum eſſe duximus eam integram deſcribere. Digna certè ſapientiſſimo Rege conſtitutio; qui non modò barbaros armis & fortitudine profligare laborabat, ſed & ipſam barbariem, quæ regni interiores partes invaſerat, pulſiſque litteris latè in provinciis ſæviebat, ex regno penitùs ejicere ſtatuit, & ſtudia litterarum inſtitutis ſcholis, tamquam ab interitu vindicare, quæ verò præcepit edictis, ea ipſe exemplo demonſtrabat. Excolere enim ipſe litteras ſtudebat, ſcribit Eginhardus, qui vitam ejus ſcripſit, ipſum inter cœnandum audiiſſe lectorem, ut animum perinde atque corpus, aleret, legebantur verò hiſtoriæ Regum, delectabatur libris ſancti Auguſtini, ſed his inprimis quos de civitate Dei ſcripſit. Doctiſſimorum hominum utebatur conſuetudine, quorum operâ grammaticam, rhetoricam, dialecticam, aſtronomiam aliaſque diſciplinas edoctus eſt, latinam linguam non minus, quàm patriam nouerat, & græcè intelligere magis quàm loqui poterat, fuerunt illi magiſtri præſtantiſſimi quique illius temporis, grammatices doctorem habuit Petrum Piſanum virum & doctrina & annis gravem, ſed potiſſimùm uſus eſt Alcuino viro illorum temporum doctiſſimo, quem ex Britannia accivit. Illo auſpice Rex palatinas ſcholas inſtituit. Verùm quibus inprimis artes ali ſciret, præmiis & honoribus doctos homines affici curavit, hæc magnus Rex, quibus ut armorum gloria ita ceteros Principes, immò doctiſſimos quoſque ſui temporis ſcientiarum ſplendore, vel anteire, vel adæquare viſus eſt. Poſtquam ejus de ſcholis promulgata conſtitutio eſt, in multis monaſteriis & epiſcopiis ordinatæ ſcholæ & litteræ in pretio eſſe cœperunt. Ad hæc tempora ſolent referre initia Academiæ Pariſienſis, quam ferunt à Carolo magno inſtitutam, & ab eo primùm pluribus donatam privilegiis, hoc multorum ſcriptorum teſtimonio approbatum eſt. Sanè jam tunc temporis litteras Pariſiis floruiſſe haud dubium eſt.

Cum de ſcholis inſtituendis regiâ ſanctione edictum eſſet, & deinde id ipſum conſtitutum in Synodis Cabillonenſi & Pariſienſi, ut ſuo loco memorabimus, non utique dubitamus, quin & Lutetiæ Pariſiorum, quæ caput regni ſub antecedentium Regum principatu fuerat, ſcholæ erectæ ſint, eæque potiſſimùm in epiſcopio Pariſienſi. Sed ex omni genere ſcientiarum, & humaniorum diſciplinarum, unde poſtea compoſita ſtudiorum univerſitas ſit, id utique non exiſtimo: neque ea eſt hominum doctiſſimorum opinio; fuiſſe tamen Pariſiis ludum ac velut Athenæum quoddam facilè in animum induco, cùm enim Carolus Rex muſas deperiret, atque præcepiſſet inſtaurari ſcholas in Galliis, Athenaſque novas ſub ejus principatu conditas Alcuinus ſcribat, quo verò in loco magis quàm Lutetiæ exurgere cœpiſſe credas, ubi credibile eſt inſtitutas virgines Giſlam & Richtrudam; quæ ad Alcuinum Turonis commorantem ſcribunt ſe haud mediocrem fructum percepiſſe ex ſacræ ſcripturæ cognitione, quam illo magiſtro habuerant, & in dies vehementiori illius deſiderio teneri, meminerit olim ſanctum Hieronymum nobilium feminarum non ſpreviſſe preces, opuſculaque & epiſtolas ad ipſas miſiſſe. *Nec terrarum longinquitate, vel procelloſis Adriatici maris fluctibus territum, quo minùs ſanctarum virginum petitionibus annueret; minori vadoſum ligeri flumen, quàm Tyrrheni maris latitudinem periculo navigari, & multò faciliùs chartarum tuarum de Turonis Pariſiacam civitatem, quàm illius de Bethleem Romam pervenire poſſe.* Mihi quoque facilè perſuaſum eſt de Lutetia Pariſiorum ſermonem eſſe in Concilio Pariſiis habito anno DCCCXXIX. cùm Patres conſtituunt, ut ſaltem in tribus locis Imperii publicæ ſcholæ ex auctoritate Imperatoris fiant, illas ſcholas inprimis ordinatas Pariſiis ob urbis dignitatem nemo puto diffitebitur. Ex eo quoque loco licet intelligere alias publicas ſeu majores ſcholas fuiſſe, alias verò minores, & in certis quibuſdam locis, quales fuiſſe Aurelianis in baſilicis ſanctæ Crucis & ſancti Aniani capitula Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi memorant. Ex his porrò omnibus, quæ referre haud ingratum fuit, facile eſt colligere, quæ quidem antiquitus fuerit in Galliis forma ſtudiorum, quæque ſub Regibus primæ familiæ inſtitutio juvenum, & qua ratione ſub Carolo magno litteræ, quæ multos annos quaſi ſepultæ & abolitæ permanſerant, demùm ſub ejus imperio & per ejus auctoritatem, ab interitu vindicatæ reviviſcere cœperint: quod deinde moribus reſtituendis & propugnandæ fidei haud parum profuit, enaſcentibus ea tempeſtate hæreſibus Elipandi Toletani Epiſcopi, Felicis Urgelitani Epiſcopi & Claudii Epiſcopi Taurinatium. Ex his quoque etſi breviter commemoratis, accipere poſſis, quæ prima initia fuerint Academiæ Pariſienſis, cujus ſi Carolus magnus non omninò inſtitutor & primus conditor ſit, certè revocatis in Gallias litteris, inſtitutiſque ſcholis, velut primus auctor, & quodammodò artifex non immeritò dici poſſit. Cùm poſtea ex iis, parvis licet, initiis ſtudia litterarum ita fama & celebritate diſciplinarum accreverint, ut ex iis univerſitas ſtudiorum conflata ſit. Sed hæc ſuis locis pluribus exponemus.

LIB. V. CAP. VI.

Alcuin. Epiſt. 16.

Concil. Par. lib. 1. cap. 12.

Etſi Alcuini geſta ad noſtrum inſtitutum non omninò pertinent, haud tamen bene me facturum exiſtimo, ſi eum innominatum reliquero, neque ſaltem paucis illius meminero, cùm maximè illum recentiores hiſtoriæ, ut primum magiſtrum Pariſienſis ſcholæ celebrent, quod quidem non uſquequaque admittimus. Sed quod nemo negare poſſit, quod Gallicanis ſcholis aut inſtaurandis, aut ordinandis operam & ſtudium maximè collocaverit. Unde in Galliis poſtea florere cœperunt ſtudia litterarum, ac poſtmodum ex his ſcholarum initiis originem habuerit Academia Pariſienſis, & ſtudiorum univerſitas, cujus tanta per orbem Chriſtianum fama fuit, & adeo prædicata inſtitutio. Flaccus Alcuinus, quem & Albinum vocant, in Britannia natus eſt ex nobili Anglorum familia, Bedæ diſcipulum quidam hunc tradunt, ſed conſtat Bedam mortuum, cùm Alcuinus puer eſſet, & antequam per ætatem liceret operam ſtudiis & animum appellere. Verùm ejus præceptor fuit Egbertus Eboracenſis Epiſcopus, ſub cujus magiſterio litteras didicit humaniores. Egbertus moriens bibliothecæ curam illi reliquit, *ut præeſſet*, inquit ipſe Alcuinus; *theſauris* IX.

ſapientiæ Trithemius & alii quidam aſſerunt eum ſtarim à juventute monaſticæ vitæ addictum, & quibuſdam argumentis & rationibus id probatum volunt, ad eorum tamen ſententiam non accedo. Cùm ad fratres Eboracenſes ſcribit, nihil de monaſtica vita loquitur, quamvis pueritiam & adoleſcentiam cum iis actam commemoret. *Vos*, inquit, *fragiles infantiæ meæ annos materno foviſtis affectu, & laſcivum pueritiæ tempus pia ſuſtinuiſtis ſapientiâ, & paternæ caſtigationis diſciplinis ad perfectam viri edocuiſtis ætatem, & ſacrarum eruditione diſciplinarum.* Auctor ejus vitæ diſertis verbis ſcribir eum non monachum fuiſſe, cùm memorat ejus vitam, cùm Turonis degeret non inferiorem monaſticæ fuiſſe. *Vita denique ejus*, inquit, *non monaſticæ inferior fuit*, & idem auctor comparat Alcuinum S. Benedicto, ſicut illum monachis præfuiſſe, ita illum canonicis præpoſitum tradit. Hortatur, ut ſi difficile exiſtiment ſequi eorum vitam, quos priſca tulerunt ſæcula, baud graventur eorum ſequi veſtigia, *quos ſecum convixiſſe ſuo in tempore, & evidentibus indiciis Chriſto placuiſſe certiſſimè probarunt, Benedicti ſcilicet monachis & Alchuini per omnia canonicis imitatione digna.* Neque ex aliis hujus auctoris locis probaveris eum unquam egiſſe monachum; immò poſtquam ejus virtures prædicavit, eum ſine voto monachum appellat, quod nullo illigatus propoſito, aut ullâ vitæ monaſticæ profeſſione, monachorum tamen inſtituta & mores vitæ ſeveritare æmularetur, & ſane idem auctor memorat ſæculi relinquendi deſiderio incenſum, & vitæ in monaſterio Fuldenſi traducendæ, quid verò aliud eſt, quàm aliam profiteri vitam velle, & deinceps relicto ſæculo velle monachum agere. Cum Alcuinus & ſcientia & moribus polleret, Carolus magnus, qui etiam inter armorum ſtrepitus ſcientiarum cupiditate ardebat, hunc accivit, eoque magiſtro uſus eſt in rhetoricæ & dialecticæ exercitationibus & in diſcenda aſtronomia, hunc propterea Carolus cariſſimum præceptorem vocat. Paulo poſt profectus in Britanniam unde revocatus eſt, ur adversùs Felicem Orgelitanum & Elipantum pugnaret, hi novas opiniones de adoptione Chriſti impiè ſerebant, runcque tantus honos delatus Alcuino fuit, ut, cùm Epiſcopi ad proſcribendam hæreſim anno Chriſti DCCXCIV. Francofurtum conveniſſenr, Patres eum ad Synodum propter eruditionem admiſerint; poſteaque ad debellandam hæreſim contra Felicem ſeptem libros ſcripſit, & tres adversùs Elipantum, & anno DCCXCIX. in Synodo Aquiſgranenſi Alcuini ea vis doctrinæ fuit, ut Felix publicè hæreſim ſcjuraret, & ejus diſcipuli ſuam ipſi impietatem deteſtarentur. Carolus deinde pro conſuetudine illorum temporum illum pluribus monaſteriis præpoſuir, primùm *dedit illi duo monaſteria Bethleem ſcilicet, quod alio nomine Ferrariæ vocatur, & ſancti Lupi apud Trecas*, & paulò poſt eum Martinianæ baſilicæ præfecit, id verò anno DCCXCVI. Cùm enim ſecedere in monaſterium cogitarer, Carolus eum baſilicæ ſancti Martini Turonenſis præpoſitum conſtituit, quod ipſe diſertis verbis ſignificat in litteris ad Carolum Regem. *Ferè ante hoc quinquennium ſingulares occupationes, Deum teſtor, non ficto corde declinare cogitavi, ſed veſtræ piæ providentiæ conſilio tranſlatus ſum in ſervitium ſancti Martini, fidei catholicæ, & eccleſiaſticæ ſanctioni, donante Deo, proficuum.* Neque ætarem monachorum & canonicorum vir pius pariter & eruditus corrumpi paſſus eſt, nam eorum mores emendare potiſſimùm ſtuduit, & ne otio irerum rubiginem contraherent, diſciplinis variis eorum animum imbuere cœpit, ſcholaſque propterea aperuit, quarum ea celebriras fuit, ut ex ipſa Germania juvenes avidi litterarum ad eum audiendum Turonos accurrerent. *Ego Flaccus veſter*, inquit in epiſtola ad Carolum, *ſecundùm exhortationem & bonam voluntatem veſtram, aliis per tecta ſancti Martini ſanctarum mella ſcripturarum miniſtrare ſatago: alios vetere antiquarum diſciplinarum mero inebriare ſtudeo, alios grammaticæ ſubtilitatis enutrire pomis incipiam, quoſdam ſtellarum ordine ſeu picto cujuſlibet magnæ domûs culmine illuminare geſtio, plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum ſanctæ Dei Eccleſiæ, & decorem imperialis regni veſtri erudiam.* Scholis, Romæ, Pariſiis, Sueſſionis eum præfuiſſe Trithemius memorat, ſed falsò, nullibi enim gentium, niſi in palatio & Turonis, litteras publicè docuiſſe invenio. Sicut autem Abbas

Martinianæ baſilicæ fuit, ita Cormaricenſi monaſterio, ſicut antea Itherius, qui hoc condiderat, præpoſitus eſt. Turonis verò Alcuinus ad ultimum vitæ diem permanſit, auctor ejus vitæ ſcribit è vita deceſſiſſe anno DCCCIV. decimo-quarto Calendas Junii, foris juxta Eccleſiam ſancti Martini ſepeliri ſe mandaverat. *Audiens verò*, inquit auctor ejus vitæ, *civitatis Turonis Ioſeph Epiſcopus vir bonus & Deo amabilis, beatum obiiſſe Alchuinum, advenit celeriùs illuc ſuo cum clero, oculoſque ejus propriis rigans lacrymis deoſculabatur diutiùs, præcepit autem, ſapienti uſus conſilio, ne in eo ſepeliretur loco, quo iſdem pater foris voluerat, ſed intra ſancti Martini baſilicam honorificentiſſimè, ut quorum in cælis junctæ ſunt animæ, unà ſint corpora domo in terris poſita.* Audivi ſæpius à Monſnerio canonico hujus baſilicæ, rerum Martinianarum ſcientiſſimo, Alcuinum ſepultum jacere ad oſtium baſilicæ, quâ parte exitus in clauſtrum eſt, & memini ſæpiùs ſolitum mihi locum indicare, ſeu is locus olim fuerit ſeu quivis alius, nihil ad hiſtoriam attinet. Extant ejus opera edita à Ducheſnio anno MDCXVII. extant & in ſpicilegio tom. 9. tum quædam Epiſtolæ tum opuſcula & noviſſimè quædam ejus Epiſtolæ in tomo IV. Analectorum.

CAPUT VII.

De conſtitutione Caroli Regis, qua vetat ne Epiſcopi ad bellum proficiſcantur. De Taſſilone Duce Baioariæ. De Giſla Abbatiſſa Calenſi & Abbatiſſis illius monaſterii. De Pippini adverſus Patrem Carolum Regem conjuratione & de Theodoldo Comite & ejus donatione. De hæreſi Feliciana, & Francofurdienſi Synodo. De privilegio monaſterii ſancti Dionyſii à Leone III. conceſſo. De Felicis reſipiſcentia.

CAROLUS ex Italia Vvormatiam venit, ubi Regina Faſtrada remanſerat, I.
continuoque celebri conventu præclaram ſanctionem edidit, qua vetat ne Epiſcopi ad exercitum proficiſcantur niſi duo aut tres ex electione aliorum ad benedictionem, prædicationem, & populi reconciliationem cum aliquot preſbyteris, *qui bene ſciant penitentias dare, miſſas celebrare, de infirmis curam habere, ſacratique olei cum ſacris precibus unctionem impendere, & hoc maximè providere, ne ſine viatico quis de ſæculo recedat*, vetatque ne illi tela tractent, arma induant, neque cum hoſte dimicent, ſed in orationem ſolummodò incumbant, & precibus Deum exorent, ut ab eo obtineant victoriam. Alios verò jubet in Eccleſiis permanere, qui ſacra pro bellicis expeditionibus ritè peragant. Quæ enim iſthæc victoria eſt, inquit, ubi ſacerdotes reperiuntur, quorum officium eſt porrigere corpus Domini in pretium animarum, & paganos ad Chriſtum per prædicationem revocare, qui tamen ſui muneris immemores manus ſuas ſacrilegis, cædibus & ſanguine humano incæſtant, hæc ſanxit Carolus & *apoſtolica auctoritate, & multorum ſanctorum Epiſcoporum admonitione inſtructus, ſan-*

LIB. V. CAP. VII. *Horumque canonum regulis edoctus, & conſultu omnium nobilium*, ut ipſe in principio hujus conſtitutionis profitetur. Suprà hujus rei mentio facta eſt, quando retulimus rogationem Regi oblatam à populo Francorum, cujus in partem haud dubiè venerat civitas Pariſienſis, ut ſuprà relatum eſt. Id temporis Taſſilo Dux Baioariæ ægrè ferebat ſe Regis fiduciarium eſſe, neque ſumma cum poteſtate provinciam regere, aliàs diximus fidem ab eo datam Regi, præſtitumque obſequium, nihilominus agitabat animo, qua ratione jugum excuteret, & ſe penitus in libertatem vindicaret. Carolo interea curæ erat eum in officio continere. Cùm Carolus Romæ moraretur, Taſſilo miſerat ad Hadrianum PP. legatos, qui pacem cum Carolo Rege ſua auctoritate componerent. Verùm cùm nulla eis tranſigendi negotii auctoritas eſſet, re infecta redierunt. Carolus reverſus Vvormatiam, nihil antiquius habuit, quàm Taſſilonem ad obſequium cogere. Miſſos itaque, ſic legatos pleroſque his temporibus vocabant, ad eum mittit, jubetque promiſſam jurejurando fidem exolvere, & ad ſe quam primùm obſequii gratiâ venire, cùm obtemperare negligeret, Rex tribus comparatis exercitibus, ipſe cum copiis ad Lycum caſtra locat, cùm alter exercitus ex Auſtraſiis, Thuringis, & Saxonibus ad Danubium conſideret, & tertium ex Longobardis Pippinus ex Italia per Tridentum adduceret, quibus impar Taſſilo, & cùm aliunde Bajoarii ſeu formidine, ſeu odio in Taſſilonem deficerent. Dux ſe ejus arbitrio permiſit, & traditione baculi, ad cujus manubrium erat hominis effigies, provinciam & ducatum ei reddidit, ſuppliciterque precatus veniam, renovato ſacramento denuò fidem & obſequium illi pollicitus eſt, deditque obſides, in quorum numero filius Theodo. Carolus rebus proſperè geſtis in Franciam reverſus eſt. Tum Natalem Domini & Paſcha apud Ingelheim celebravit, quo in loco habuit celebrem Francorum conventum, adfuerunt permulti Pontifices, Duces & Comites, ſed inprimis aſtitit Taſſilo cum optimatibus Baioariis, hic perfidiæ reus factus eſt, cùm ſcilicet poſt juratam fidem, datos obſides, & filium ipſum Theodonem fidei vadem relictum, nova adversùs Regem molitus eſſet, hæcque omnia ſuadente uxore Luitberga Deſiderii Longobardorum Regis filia, quæ magnitudinem Caroli, & dejectam viri humilitatem, ut ſolent mulieres, haud moderatè ferebat. Perfidiam haud abnuit Taſſilo, confeſſus eſt Avarorum arma in Francos conciviſſe, ad defectionem Baioarios pravis artibus concitatos, auctorem fuiſſe ſuis, ut dùm fidem jurarent, aliud linguâ loquerentur, aliud corde conciperent, ſibi potiorem mortem reputare, quàm vitam ducere cum ea infamia: hæc & alia, quorum reus habebatur, haud denegavit; horruere omnes regni primates, tum revocare in memoriam, quæ perfidè ſub principatu Pippini, & quæ ſub Carolo antea aggreſſus eſt. Aderant nobiles Franci, Baioarii, Longobardi & Saxones omnes, repentè capitale judicium decernere, ſolus Carolus mitiora perſuadere, indignè ferebat morti addici virum ea nobilitate & ſibi conſanguinitate conjunctum. Ipſe Taſſilo ſcelerum tactus conſcientiâ proſtratus humi vitam deprecari, & ſupplex Regem enixè rogare, ne in ſe quicquam crudelius pronunciaret, poſtulans ſe conjici in monaſterium, ut emendatione vitæ & duris pœnitentiæ legibus vitæ flagitia expiaret, precabaturque ne ſolemni conventu ante omnium oculos attonderetur, ſed tantummodò amotus à turba in monaſterio, quod Carolus eligeret. Annuit Rex ejus petitioni, in cellam ſancti Goaris detruſus eſt, ubi attonſo crine, clericus factus eſt, ac deinde in Gemmeticum monaſterium. Theodo, ſeu Theoto ejus filius attonſâ quoque comâ in monaſterium ſancti Maximini prope Treviros conjectus eſt. Aiunt Luitbergam Taſſilonis uxorem velo capiti impoſito, ſe in virginum cœnobium ſubduxiſſe; altera verò filiarum in Laudunenſe monaſterium ſeceſſit, altera ad Calenſe. Hæc ſors fuit Taſſilonis ejuſque familiæ, quem miſerum, an ſua perfidia, an effrenata uxoris cupiditas, an inexpiabile in Francos odium perdidit? Hæc felicia fuerunt Taſſiloni, namque ille deinceps amiſſo principatu, res humanas pertæſus, nihil ampliùs quàm de acquirenda æterna hæreditate cogitare inſtituit. Carolus peractâ Taſſilonis cauſâ, Baioariam

provinciam ordinavit, & de Avaris egregiam victoriam retulit. Lib. v Cap. vii. ii.

Occaſione filiæ Taſſilonis de monaſterio Calenſi pauca hîc addam: diximus aliàs hoc monaſterium primùm à Regina Chrotilde extructum, eiuſque dotatum à Bathilde Regina, & numero virginum & baſilicæ magnificentiâ longè amplificatum, Bertilam primùm illi præfuiſſe; vix aliarum, quæ monaſterium rexerunt, ulla memoria eſt; vulgò tamen has computant Abbatiſſas, quæ ſibi aliæ ex aliis ſucceſſerunt, Ermengradem ſcribunt Bertilæ ſucceſſiſſe, huicque Clementiam, ac deinde Aſſelinam, quam Sybilla excepit, illi verò ſubrogatam Marſiliam, hic vulgatus eſt index Abbatiſſarum Calenſium, in Catalogo tamen, qui ad me è Calenſi monaſterio miſſus eſt, poſt Bertilam nullam omninò ex his, quas nominavi, invenio; immò nullæ inveniuntur uſque ad tempora Caroli magni, ſub cujus principatu ſcribunt Giſlam, ſeu Giſelam, quam vulgati indices Ægidiam vocant ſororem hujus Regis; ſi tamen excipias unam Sonichildem alteram Caroli martelli uxorem, quæ poſt everſam filii Grifonis fortunam, in Calenſe monaſterium conjecta eſt, ne iterum turbas moveret, quod quidem certum eſt, attamen incertum, an huic aliquando monaſterio præpoſita fuerit, nullibi enim hujus rei memoria reperitur. In Anglicano chronico Thorni, mentio fit alterius Abbatiſſæ Calenſis Vvilcomæ nomine, quæ huic monaſterio præerat, quando Mildrida filia Mercvvaldi Merciorum Regis & Ermenburgæ ſeu Domnenæ, illuc miſſa eſt, ut ſanctis diſciplinis imbueretur, ſed neque acta alia, aut veteres vulgatique catalogi illius meminerunt. Quod ad Giſlam pertinet, ſororem Caroli magni Cointius eam eſſe exiſtimat, ad quam Alcuinus ſcripſit, ut antea memoratum, Mabillonius diverſam ab ea eſſe contendit. Giſla porrò ſoror Caroli magni Calenſis monaſterii Abbatiſſa fuit; hæc extruxit à fundamentis Eccleſiam genitricis Dei ac Domini noſtri, quod memoratur in hiſtoria tranſlationis beatæ Bathildis, cujus reliquias *retrò altare medianum condignè poſuerunt*, ut infrà dicemus. Giſla anno DCCCIV. ægrotare cœpit, ut annales Mettenſes narrant. Tum Carolus jam Imperator renunciatus relicto ſueſſionis Leone PP. III. ad Calam monaſterium venit, ut Giſlam ſororem, quæ tum ægrotabat, inviſeret, & cum ea colloqueretur. Obitûs diem annales eccleſiaſtici Francorum annotant ad annum DCCCX. de ea Eginhardus in eum modum ſermonem habet. *Erat Carolo unica ſoror, nomine Giſla, à puellaribus annis religioſæ converſationi mancipata, quam ſimiliter, ut matrem, magnâ coluit pietate, quæ etiam paucis ante obitum illius annis, in eo quo converſata eſt monaſterio deceſſit.* In Calenſi ſcilicet monaſterio ubi jampridem nomen dederat, & cujus multos annos præpoſituram geſſerat. Multa prædia contulit baſilicæ ſancti Dionyſii, cujus donationis charta legitur lib. 6. de re diplomatica. Carolus eo anno egregiè adversùs Vilſos, ſeu Sclavos novam gentem pugnavit, eodemque anno Carolum filium in Neuſtria regnare juſſit, & Vvormatiæ Paſcha celebravit, huc Hunorum legati ad Carolum venerunt, ut cum eo de regni provinciarumque limitibus agerent, quæ res deinde bellorum origo fuit. Verè peracto, Rex in Baioariam traduxit exercitum, cúmque Avari, quos & Hunos vocant, in Baioariam infeſto exercitu ingreſſi fuiſſent, & multa mala provinciæ; atque inprimis Eccleſiis intuliſſent; barbarorum audaciam retundere bello cœpit, in Pannoniam ingreditur, & ſupplicato numine adversùs hoſtem vexilla explicat, tantumque terrorem injecit, ut barbarus ad ſtrepitum armorum fugam caperet, palanteſque Avari per agros regionem ſuam direptioni Francorum relinquerent, poſtquam noſtri multos dies vaſtandæ regioni conſumpſiſſent, in Baioariam reverſi ſunt. Rex poſtea Reginoburgi hiemem tranſegit, hujus occaſione belli, Saxones qui aliquamdiu quieverant & detrectare imperium, & repudiare ſacra Chriſtianorum, interfectis aliquot Epiſcopis cœperunt. Dum Rex feliciter malis externis occurrit, ecce aliud inteſtinum filius ejus major excitavit. Erant Carolo plures filii, quorum tres regno & principatu Carolus donaverat. Pippinum juniorem in Longobardia, & Ludovicum Regem eſſe in Aquitania juſſerat, & nuper regnum Neuſtriæ Carolo ceſſerat. Pippino majori,

LIB V. CAP. VII.

quem ex Himiltrude ſuſceperat, nihil datum. Ad eum ſpectabant quidem provinciæ, quas ſibi pater retinuerat. Verùm juvenem amor regnandi vehementiùs accendebat, quàm ut moras pateretur, accendebat ejus animum fratrum æmulatio, quos pater, etſi juniores ætate, jam ad regnum evexerat, huc accedebat implacabile odium in novercam Faſtradam, quæ ſuperbè dominabatur; neque deerant complures, qui juvenis iram ſuſurris alerent; his incenſus pravum conſilium meditari, adſcitiſque ſibi nefandi ſceleris ſociis parricidium concipere. In necem igitur patris fratrumque conſpirat, & aliquos è primoribus regni conſcios criminis facit. Jam conjurati de exequendo facinore cogitabant, cùm Ardulfus Longobardus conjurationem Regi indicat. Rex conſcios illico comprehendi jubet, concilium ex optimatibus convocat, de crimine inquirit, reoſque conjurationis & parricidii compertos ex Francorum judicio partim ſuſpendùs, partim gladio necat. Verùm non paſſus eſt in filium capitali ſupplicio animadverti, ſed attonſum in Prumienſe monaſterium detrudi juſſit, ut longâ maceratione noxam elueret; Ardulfo monaſterium præmium ſervatæ fidei fuit. Is ſcilicet, quem aliàs Fardulfum vocant, ut ea erant tempora monaſterio ſancti Dionyſii Abbas præpoſitus eſt, & Magenario ſucceſſit, de quo ſuperiùs dictum eſt. In ea conjuratione nonnulli, ut fit, falsò in ſimulati ſunt, inſigne hujus rei exemplum eſt in chartis Dionyſianis, quas Mabillonius edidit, in opere de re diplomatica, ubi extat charta abſolutionis Theodoldi Comitis, quem etiam reum conjurationis fecerant. Cùm ob eam cauſam omnes ejus poſſeſſiones bonaque omnia fiſco addicta fuiſſent, Rex proprietatem eorum per has litteras reddi ei jubet. *Quapropter*, inquit Rex, *dum omnibus non habetur incognitum, qualiter ſuadente diabolo Pippinus filius noſter, cum aliquibus Dei infidelibus ac noſtris, in vita & regno nobis à Deo conceſſo, impiè conatus eſt tractare, & Domino noſtro Ieſu Chriſto miſerante, non prævaluit eorum perfidia. Fuerunt enim aliqui in noſtra præſentia convicti, & ſecundùm judicium Francorum dijudicati, aliqui verò fideles per judicium Dei ſe exinde idoniaverunt, ſicut Theodoldus Comes fidelis viſus eſt feciſſe, cui & nos omnes res proprietatis ſuæ juxta ejus deprecationem, & ſervitio & meritis compellentibus, denuò & noſtro largitatis munere, quantumcumque ex hæreditate parentum, aut de qualibet attractum, juſte & rationabiliter antea poſſederat, cum Dei & noſtra gratia jure firmiſſimo ad legitimam proprietatem reddi fecimus, & per auctoritatem noſtram pleniſſima deliberatione confirmavimus &c.* datum legitur inſtrumentum *Aquis in regio palatio pridie Aprilis anno regni* XXIX. *&* XXV. Anno ſequenti idem Comes ſeu in memoriam periculi ex quo evaſerat, ſeu magis, ut ipſe loquitur, ut veniam peccatorum conſequeretur, multa prædia, reſque alias ſuæ proprietatis dedit eccleſiæ ſancti Dionyſii martyris, ubi *Fardulfus per donum Dei Abba ibidem rector præeſſe videtur* &c. Integram chartam deſcripſit Mabillonius in eodem de re diplomatica opere, hæcque donationis charta data eſt ante ipſam baſilicam ſancti Viviani ad Brogariam quæ in pago Stampenſi ſita eſt, anno XXX. Caroli Regis. Jam tum, ut notatum eſt, Fardulfus monaſterii Dionyſiani Abbatiali munere gaudebat. Ardulfus, ſeu magis Fardulfus olim carus Deſiderio fuerat: exciſis deinde Longobardorum rebus, in Franciam adductus eſt, poſtquam multos annos index extitit conjurationis in Carolum excitatæ, & ut diximus, *ob meritum fidei ſervatæ monaſterio ſancti Dionyſii donatus eſt.* A tempore Caroli martelli ſolebant Reges commendare monaſteria & baſilicas Epiſcopis ſæpiùs, ut de Hugone Pariſienſi Epiſcopo memoratum eſt, & aliquando ſæcularibus, qui bonorum potiùs & facultatum curam habebant, quàm monaſticæ diſciplinæ, ſic modò dicebamus Alcuinum plurium monaſteriorum & cellarum habuiſſe regimen. Idque à regibus plerúmque concedebatur, & eodem modo Magenario Abbate ſancti Dionyſii mortuo, Carolus hoc munus & hanc adminiſtrationem monaſterii Fardulfo commendavit, neque modò procurationem habuit, ſed ipſum monaſterium ſub nomine Abbatis gubernavit. Ad eum Fardulfum referas quæ leguntur in libris miraculorum ſancti Dionyſii. Ait ille auctor Fardulfum Magenario ſucceſſiſſe, eumque comitatum eſſe Carolum, cùm adverſùs Saxones

De re diplom lib 6.

bellum,

bellum gereret, juſſeratque ſecum deferri ſanctorum martyrum pignora, adduxeratque clericos, qui per vices religionis & pietatis officia peragerent. LIB V CAP. VII. Cumque ex iis alter Rotardus nomine vicem ſuam obiret, *reſerato domunculæ oſtio*, abiit, tùm lignea tabula concepto ex candela igne tota conflagravit, neque tamen quidquam damni linteum lineum, quo tabula operiebatur, accepit, quod inſtar miraculi fuit, cujus rei ordinem qui ſupervenerant, *ad Fardulſum Abbatem deferunt. Quâ cognitâ unà cùm eis ſollemnes Deo & ſanctis martyribus gratias egit.* Ea ſcilicet religio adversùs ſanctorum reliquias erat, ut etiam Reges eas ad bellum deferri ſecum vellent, haud injuriâ exiſtimantes ſibi ab eis præſens adfuturum auxilium, ſi cum hoſte manus conſerere contingeret; aliàs de religioſa reliquiarum deportatione ad bellum dicemus. Sunt & alia miracula, quæ ſub regimine ejuſdem Abbatis Fardulfi contigerunt, quæ poſſis apud eumdem auctorem legere. Cùm idem Abbas rem Dionyſianam regeret, Giſla, ſeu Giſela filia Pippini Regis & Bertradæ Reginæ, & ſoror Caroli magni, de qua mox ſermo fuit, multas villas & multa prædia baſilicæ ſancti Dionyſii donavit, charta extat ſine principio in opere de re diplomatica. Obſignata eſt ab ipſa *Lib. 6.* Ghyſela, ſic deſcriptum eſt ejus nomen, & à tribus filiis Regis Caroli, ſcilicet à Carolo, Pippino, & Chlodoico ſeu Ludovico Regibus, de quibus antea dictum eſt. Data legitur Id. Jun. anno regni XXXI. & XXVI. Aquis in Palatio. Extat apud Dubletum hujus donationis confirmatio acta per Carolum Regem ejus fratrem eodem die & eodem anno, ſi tamen ſincera ſit, namque nomen Abbatis Fulradi legitur, qui jamdiu deceſſerat. Forte Dubletus legendo allucinatus eſt, & malè Fulradi nomen pro Fardulfi nomine exſcripſit.

Neque ſolùm Theodoldus abſolutus eſt à crimine læſæ majeſtatis, ſed etiam III. Petrus Virodunenſis Epiſcopus, quem ejuſdem criminis reum fecerant. Is propter munus epiſcopale, niſi ab Epiſcopis in Synodo congregatis condemnari poterat. Ejus itaque cauſa in Francofurdienſi Synodo, de qua mox dicemus pertractata eſt, ſtatutumque ut Petrus Epiſcopus juraret coram Deo & Angelis ejus ſe immunem à noxa, idque cum duobus tribuſve Epiſcopis, aut certè cum Archiepiſcopo teſtaretur. Cùm verò non adeſſent qui ejus innocentiam juramento aſſererent, ille prodidit *ſuum*, ut vocant, *hominem* qui negotium judicio Dei ex ſingulari certamine permitteret, ad certamen deſcendit, & victoria Epiſcopum à calumnia vindicavit. *Et exivit tamen ejus homo ad judicium Dei, neque per Regis ordinationem, neque per ſanctæ Synodi cenſuram, ſed ſpontanea voluntate. Qui etiam à Domino liberatus, idoneus*, ſeu innocens *exivit.* *Canon 9. Concil. Francofurd.* Rex perſpecta explorataque innocentia Pontificis, ei ſuos honores reſtituit. Anno ſequenti Pippinus & Ludovicus, qui junctis armis in Beneventana provincia bellum geſſerant, audita conjuratione adversùs patrem excitata, ex Italia ad eum accelerant, ut illi auxilio eſſent, ſed motus compoſitos ſublatis ſceleris auctoribus ei gratulati ſunt, hoc filiorum officium in patrem Carolo gratum fuit, eoque magis, quòd hoc tempeſtivo filiorum obſequio poſſet ſolari dolorem ex filio parricida conceptum. Neque his contentus Rex ſapiens Reginoburgum celebrem convocat conventum, Antiſtiteſque Duces & Comites, immò & populum, qui in fide ſteterant, donis, honoribus, variiſque præmiis cumulavit.

Annus erat Chriſti ſeptingenteſimus nonageſimus quartus, cùm Carolus Rex IV. Francofurtum celebre convocavit Concilium, ex omnibus regni provinciis Epiſcopos adeſſe juſſit. Canones ſex & quinquaginta Sirmondus edidit ex vetuſto S. Remigii codice, nulla Synodo Epiſcoporum ſubſcriptio, ſed haud dubito quin Ercanradus ſenior, qui pontificatum Pariſienſem gerebat, huic generali concilio cum ceteris regni Epiſcopis adfuerit, eóque ſollemnior Synodus fuit, quòd legati ſummi Pontificis Hadriani Theophilactus ac Stephanus Epiſcopi huic Synodo affuerint. Occaſio Synodi cogendæ fuit hæreſis Feliciana, quæ tunc temporis Eccleſiam vexare cœperat, de hac paucis dicere operæ pretium eſſe puto. Felix Epiſcopus Urgellæ, quæ civitas eſt Hiſpaniæ citerioris, ad ſicorim fluvium ſita, conſultus ab Elipando Archiepiſcopo Toletano quid ſentiret de

Lib. V. Cap. VII.

Jeſu Chriſto, an proprius veruſque Dei Filius ſecundùm carnem, an ex adoptione ſolummodò? Felix pravè reſpondit, etenim contra ſacrarum paginarum teſtimonium, contra Patrum omnium ſententiam & univerſalis Eccleſiæ doctrinam, aſſerere haud dubitavit, eum tantùm ex adoptione ſecundùm carnem eſſe Dei Filium, neque modò id dictis profiteri, ſed etiam hanc impietatem, libris compoſitis, palam aſſeverare. Elipando ea maximè inſania probata eſt, hancque per Hiſpaniam ſtatim ſerere, Aſturiaſque potiſſimùm & Gallæciam hoc malo inficere ſtuduit. Dùm aliunde Felix Urgellitanus Galliam Germaniamque pervertere nec quicquam aggreditur, nam ex quo Rex Carolus multis in locis ſcholas inſtituiſſet, neque modò liberaliorum diſciplinarum magiſtros, ſed & ſcripturarum ſanctarum & rerum Theologicarum doctores Gallicanis ſcholis præfeciſſet, multi inventi ſunt, qui contra ſerpentem hæreſim obniti & palam obloqui poſſent. Ea res in cauſa fuit cur error locum non inveniret, neque monſtra aleret Gallia, immò viris fortibus & eloquentiſſimis abundare etiam tunc videretur: quin etiam diligentia & ſagacitate Caroli Regis effectum eſt, ut monſtrum hoc Galliis perniciem non inferret, & in ortu, antequam vires acquireret, perimeretur. Primùm Rex Felicem ad ſe Reginoburgum, ſeu Ratiſponam adduci juſſit, ubi habitâ Epiſcoporum Synodo, Felix impietatis damnatus eſt, miſſus deinde Romam ad Hadrianum Pontificem, ubi convictus auctoritate ſcripturarum & ſanctotum Patrum ſententiis, qui diſertis verbis aſſerebant Jeſum Chriſtum, ne quidem ſecundùm humanam naturam adoptivum, ſed proprium verumque Dei filium eſſe: quibus Felix perſuaſus, in ipſa beati Petri baſilica ſuam ejurare hæreſim, ſanamque doctrinam palam profiteri haud veritus eſt. Nondum tamen mali benè obducta cicatrix, Elipandus enim hujus veſaniæ ſignifer tantùm effecit, ut vulnus ſtatim recrudeſceret, & Felix eâdem, quâ antea labe affligeretur & morbo redintegrato, pejùs quàm priùs ſe haberet. Ille igitur, ſicut olim, in hanc perniciem cæco impetu ruere: & nihil moratus confeſſionem quam ediderat, iterum ſuam inſaniam defendere, eóque ardentiùs quòd nihil reliqui faceret Elipandus, quò virus impietatis latè per Hiſpaniam propagaret, quin etiam ad Carolum Regem de ea re litteras miſit, & Patrum ſcriptis in ſpeciem veris, re ipſa falſatis corrupriſque ſuam impietatem defendit. Teſtimonia inprimis proferebat ex Idelfonſo aliiſque antecedentibus Toletanis Archiepiſcopis, quibus in fraudem inducere lectorem conabatur, rogabatque, ut ſua ſcripta hoc aſperſa veneno viris doctis & Theologiæ peritis examinanda ſubjicerentur; has litteras Rex Hadriano PP. miſit, quas veneno hæreſis infectas eſſe judicavit: quapropter eos utique, qui impietatem his contentam defenderent, anathemate percuſſit, & à corpore Eccleſiæ catholicæ alienos ſeparatoſque eſſe decrevit, atque ita auctores ipſos, & qui eadem cum iis ſentirent, condemnavit. Extant litteræ Hadriani ad Epiſcopos Hiſpaniarum. Alii pariter Epiſcopi hanc malè ſanam doctrinam deteſtati, ſtatim illam ſcriptis laceſſere, & variis tum ex ſacra ſcriptura, tum ex Patribus allatis argumentis opprimere cœperunt, quorum epiſtolæ Concilio Francofurdienſi præfixæ ſunt, quas quilibet poſſit legere. Sed ad monſtrum hoc penitùs extinguendum nihil plus valuit, quàm Synodus Francoſurti hoc anno habita ad æſtatis initium, ubi unanimi omnium voce, tamquam univerſæ Eccleſiæ gladio jugulata hæreſis eſt, aſſidebat Rex Carolus, ſicut olim Conſtantinus in cauſa haud abſimili. Primùm pertractata eſt illa cauſa, & hanc definitionem omnes ſcriptam eſſe voluerunt. *Conjungentibus, Deo favente, apoſtolica auctoritate, atque piiſſimi domni noſtri Caroli Regis juſſione anno* XXVI. *principatùs ſui, cunctis regni Francorum, ſeu Italiæ, Aquitaniæ, Provinciæ Epiſcopis ac ſacerdotibus ſynodali Concilio, inter quos ipſe mitiſſimus ſancto interfuit conventui. Vbi in primordio capitulorum exortum eſt de impia ac nefanda hæreſi Elipandi Toletanæ ſedis Epiſcopi & Felicis Vrgellitanæ eorumque ſequacibus, qui malè ſentientes, in Dei Filio aſſerebant adoptionem. Quam omnes, qui ſuprà, ſanctiſſimi Patres & reſpuentes unà voce contradixerunt, atque hanc hæreſim funditus à ſancta Eccleſia eradicandam ſtatuerunt.* Extant in Conciliorum

collectione quatuor epiſtolæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, qui Felicianam hæreſim defendebant, & depravatis Patrum locis approbare eam nitebantur, ſed præcipuè ea nobilis eſt, quam Gallicani antiſtites ad eos miſerunt. Statim noſtri conqueruntur, quod cùm teſtimonia Patrum allata ſint, non notaverint libros, neque capita, unde deſcripta ſunt, ne ſtatim deprehendatur depravatio locorum & intermiſſio verborum, quibus falſatus adulteratuſque Patrum ſenſus ſit; adjungunt illam pravam confeſſionem, quam miſerant, ubi hæc verba. Confitemur & credimus Deum Dei Filium ante omnia tempora, ſine initio, ex Patre genitum, coæternum & conſubſtantialem, non adoptione, ſed genere, & deinde. Confitemur & credimus, eum factum ex muliere, factum ſub lege, non genere eſſe Filium Dei, ſed adoptione, non naturâ ſed gratiâ. Scribunt Patres hæc quidem priora ex Auguſtino tranſlata, ſed additione hæreticâ depravata eſſe, deinde oſtendunt pugnare contra eos Hilarium, quem afferunt, qui ſcribit adoptivum Filium non dici naturâ eſſe, qui verus eſt Filius. Cúmque hæretici ſe teſtimoniis ſancti Hieronymi tuerentur, & illi quamdam epiſtolam ad Ceraſiam proponerent, reſponderunt noſtri Pontifices neque legi in operibus ſancti Hieronymi neque inveniri. Abutebantur hæretici loco ſancti Auguſtini, & ſenſum perversè traducebant, quod enim de nobis ille aſſerit, illi Chriſto impiè tribuebant; fulciebant quoque ſuam hæreſim auctoritate Pontificum Toletanorum, Eugenii, Ildefonſi, & Juliani, addebant in Miſſa de cœna Domini Eccleſiam Toletanam canere. Qui per adoptivi hominis paſſionem &c. iterùm in Miſſa de Aſcenſione Domini. Hodiè Salvator noſter poſt adoptionem carnis ſedem repetivit Deitatis &c. Patres Gallicani, in quorum manus horum antiſtitum ſcripta non venerant, ex ſcripturæ locis & orationibus Gregoriani ſacramentarii oſtendunt Filium Dei, eſſe verum propriumque Dei Filium, etiam quatenus homo eſt, & plus horum, quàm illorum auctoritati tribuendum. Adde quòd Ildefonſus non in ſenſum Elipandi de Jeſu Chriſto locutus ſit, qui de beata Virgine & Jeſu Chriſto magnificentiſſimè ſcripſit. Baronius dicit hunc errorem inductum eſſe in Hiſpaniam à Theodiſco Epiſcopo Hiſpalenſi viro impiiſſimo, qui poſtquam fidem labefactavit hac falſa opinione, etiam penitus ab Eccleſia defecit in Mahometanam perfidiam delapſus. Elipandus præterea epiſtolam ſancti Pauli ad Hebræos in ſuam adducebat ſententiam, quæ tamen illi penitus contraria eſt, ut ex ipſo principio epiſtolæ clarum eſt, ubi Jeſus Chriſtus Filius Dei dicitur & hæres univerſorum, non utique ſervus & Filius adoptivus. Patres poſtea pluribus oſtendunt in Chriſto eſſe duas naturas, ſed unam perſonam, atque ita unum eumdemque eſſe Jeſum Chriſtum, non duos Chriſtos, alium Filium Dei, alium Filium Mariæ Virginis, quam olim hæreſim contra Neſtorium proſcripſit Epheſina Synodus. Ad hæc accedunt varia loca ex ſacris codicibus & ex Patrum libris, quibus docent expreſſis verbis Jeſum Chriſtum verum & proprium Dei Filium, non adoptivum dici, & eam eſſe Catholicæ Eccleſiæ doctrinam. Hæc & alia Patres Gallicani ad Hiſpanos Epiſcopos referebant, quibus eos ad ſanitatem reducere conabantur. Rex regiâ non modò, ſed ſacerdotali quoque ſollicitudine Elipandum alioſque Hiſpaniæ Epiſcopos ſtudebat eximere ab errore; quamobrem ſcripſit & ipſe epiſtolam ad Elipandum & alios Epiſcopos Hiſpaniæ. Extat hæc epiſtola, quâ eis renunciat quæ fecerit pro examinanda eorum Epiſtola, quam ad Hadrianum PP. miſit, quam Italiæ & Germaniæ & Galliæ Epiſcopi revocaverint ad examen, quam numeroſa Epiſcoporum Synodus una voce condemnavit, auctores atque ejus defenſores extorres ab Eccleſia eſſe declaravit, niſi auditâ Synodi ſententiâ ſtatim reſipiſcant. Subjicit inſuper Catholicam confeſſionem fidei, hortaturque ut hanc, repudiata hæreſi recipiant. Felicem ad Eccleſiæ unitatem rediſſe conſtat ex ejus confeſſione, quæ extat; an verò Elipandus redierit ad ſanitatem ambiguum eſt. Sed de his inferiùs.

Ut ad Francofurdienſe Concilium ſermo redeat, non ſolùm Patrum animos occupavit hæreſis Feliciana, ſed agitata jam plures annos de imaginibus controverſia eos quoque ſollicitos habuit; etſi ipſi Iconomachos condemna- V.

 bant, non tamen Græcos omnes, qui pro imaginibus certabant uſquequaque approbandos eſſe exiſtimabant; ſeu Conſtantinopoli habita fuiſſet Synodus, in qua ultra modum defenſa adversùs imagines religio, ſeu Nicænæ Synodi pro imaginibus ſtatuta; græcè edita, latinè verſa malè noſtrorum auribus ſonarent. Editus ſecundus Canon, quo condemnata Synodus Conſtantinopolitana in qua ſcriptum habebatur, *ut qui imaginibus ſanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſuprà ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.* Hic Canon multorum animos excruciavit, alii atque alii aliter de eo ſenſerunt, ſed illius expoſitionem in aliud tempus differimus rejicimuſque in eum locum, ubi de conventu Pariſienſi agetur, in quo ea de imaginibus quæſtio pertractata examinabitur. Multa decreta eaque præclarè ſancita ad reſtituendam labentem diſciplinam, & mores clericorum, monachorum virginumque reformandos: multa pariter ad Eccleſiæ commodum conſtituta ſunt, quæ, ſi ſingula velim illuſtrando perſequi, fatigem lectores, & otio me abundare arguant. Leguntur in collectione Conciliorum canones ſex & quinquaginta, qui cuilibet obvii ſunt. Dum hæc pro cauſa Eccleſiæ Francofurti geruntur, Faſtrada Caroli Regis uxor moritur, ſepulta eſt Moguntiæ in monaſterio ſancti Albani.

VI. Rex, ſolutâ Synodo in Saxoniam, bipartito exercitu proficiſcitur, hoſtes armis ejus terrefacti ſe imperata facturos polliciti ſunt. Paſcha ſequenti anno Aquis celebravit, ſubactoque iterùm Saxone indomito, in eumdem regreſſus locum, Natalem Domini ritè peregit. Eò venit Sordarius Hunorum Regulus cum honorifico comitatu, quem Rex documentis Chriſtianæ religionis inſtitui curavit, & ſancto lavacro ablui, dimiſſus eſt à Rege cum honore, donis & muneribus donatus. Eodem anno Paulinus Forojulii habuit Synodum, ubi actum de proceſſione Spiritus ſancti, de qua aliàs abunde dictum eſt, doctrinaque de proceſſione ejus à Patre & Filio ſtabilita eſt. Tum Canones XIV. ſtatuti ſunt, ex quibus facilè colligas qua religione Paulinus valeret, quibus ſtudiis diſciplinæ Chriſtianæ res promoveret, promptus & emendare mores clericorum, & graſſantibus morbis mederi. Sub finem ejuſdem anni ſeptimo ſcilicet Calendas Januarii. Hadrianus PP. moritur, & in baſilica ſancti Petri ſepultus eſt, eodemque die Leo III. PP. in ejus locum ſubrogatus eſt ex cleri, optimatum, & totius populi unanimi conſpiratione, ut Anaſtaſius habet. Rex ob mortem Hadriani dolore haud mediocri affectus eſt; Eginhardus refert ſic fleviſſe, ac ſi fratrem, aut cariſſimum filium amiſiſſet, ſepulcrum ejus magnifico, ut ea erant tempora, exornavit epitaphio, quod inter carmina Alcuini legitur. Leoni quoque, quem acceperat in locum Hadriani ſubrogatum, pontificatum per litteras gratulatus eſt. Leo PP. viciſſim legatos cum muneribus ad Regem miſit, *claves etiam confeſſionis ſancti Petri & vexillum Romanæ urbis*, quod pænè omnes ſcriptores antiqui memorant. Eo fermè tempore Rex adversùs Saxones rem feliciter gerit, & ſimiliter Pippinus Rex Italiæ in Pannonia adversùs Avaros, & Carolus adversùs Sarracenos in Hiſpania. Sequenti anno in Saxoniam pro more itum eſt, & in Hiſpaniam. Anno verò DCCXCVIII. Alfonſus Rex Aſturiæ & Gallæciæ ad Carolum Francorum Regem tentorium ſeu *papilionem miræ pulchritudinis tranſmiſit.* Nortlindi, qui loca trans Albim incolunt, Regis legatos impetu tumultuariè facto occiderunt. Rex ſtatim collecto exercitu adversùs eos infeſtis armis properat, committere manus auſi ſunt, hoſtes cæſi, quatuor hominum millia ceciderunt, reliqui pacis conditiones acceperunt, & Rex cum obſidibus Aquiſgranum victor rediit.

VII. Ad annum DCCXCVIII. referri debet privilegium, quod à Leone III. datum monaſterio ſancti Dionyſii Dubletus prodit, hocque aſſerit exſcriptum ex corticeo exemplari, cui quæ fides ſit quiſque judicet, hoc privilegium integrum ex Dubleti editione tibi ſubjicio. *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Fulrado, dilecto Deo presbytero, & Abbati venerabilis monaſterii ſancti Chriſti martyris Dionyſii, & cunctis poſteris in perpetuum. Quoniam expetiſti à ſede apoſto-*

Antiquit. monaſt. S. Dionyſ. lib. 1. cap. 5.

lica privilegium renovari, quod hactenus anteceſſor noſter bonæ & ſanctæ memoriæ Stephanus Papa ex monaſteriis à te conſtructis confirmavit, tibi & omnibus ſucceſſoribus tuis Abbatibus, iterum rovorare & confirmare per noſtram auctoritatem inantea deveremus, & ſu› ditione ſanctæ ſedis Eccleſiæ Romanæ ſemper perpetua conſervatione ſubſiſtere & permanere omnimodis debeant, eo videlicet ordine, ut quicquid ex donatione excellentiſſimi filii Regis noſtri Karoli, vel aliorum Regum, ac bonorum hominum, & parentum tuorum, & ex tua proprietate, & commutationibus, havere & dominari modo videris, vel in antea adquirere tu & ſucceſſores tui potueris, tam in monaſteriis ædificandis, quàm & villis, ſive mancipiis in quibuſcunque pagis, locis, & agris conſtitutis, ita ſtavilita & rata in perpetuum permaneant, & in prædictis monaſteriis nullus Epiſcoporum vel ſacerdos, abſque voluntate præcellentiſſimi filii noſtri Karoli Regis, vel tua, licentiam habeat miſſas celebrare niſi per veſtram convocationem, ſed proprium haventes Epiſcopum, tabulas & criſma conſecrandum, vel ceteros ſacros ordines, ſicut in privilegio Domni Stephani Papæ pleniùs continetur, auctoritatem & licentiam in omnibus attribuimus, & hoc beati Petri Apoſtolorum Principis auctoritate fulcientes proteſtamur, ut omnes cauſas vel neceſſitates tuas, ac monaſterii tui ſanctiſſimi Dionyſii martyris & ceterorum monaſteriorum illi ſubditorum, ad ſedem apoſtolicam licentiam habeas, & omnes ſucceſſores tui Abbates reclamandi, & res ac prædia, ſive monaſteria à te conſtructa & ordinata, ſicut in teſtamento tuo habes, ad monaſterium ſancti Chriſti martyris Dionyſii, & monachorum ſuorum tradita, & confirmata in futurum perſeverent; ſtatuentes per hanc ſeriem ſcripturarum, atque interdicentes, ut quiſquis, vel cujuſcumque dignitatis perſona, à magno gradu uſque ad minimum, fuerit, qui hoc privilegium inrumpere temptaverit, vel fecerit, ſub anatematis vinculo beati Petri Apoſtolorum Principis, ac noſtra auctoritate eſſe alligatum, univerſalis eccleſia ſciat, niſi digna ſatisfactione coram Deo & ſanctorum ſuorum pœnitentiam egerit. Bene valete. Data 6. Kal. Iunii, anno in ſacratiſſima beati Petri ſede III. *ſeu Domno Karolo excellentiſſimo Rege Francorum & Longobardorum atque Patricio Romanorum, à quo capta fuit Italia, anno viceſimo quinto, Indictione ſextà.* Hoc privilegium omninò ſuppoſitum eſſe luce clarius eſt. Leo III. PP. ſcribit Fulrado Abbati Dionyſiano, qui jam plures annos antea deceſſerat, is enim, ut ſuperiùs memoratum eſt obiit anno DCCLXXXIV. & datum legitur anno tertio pontificatûs Leonis, qui incidit in annum DCCXCVIII. Neque hîc quiſquam opponat nomen Fulradi irrepſiſſe loco Fardulfi, quæ enim in eo continentur, ita ad Fulradum pertinent, ut non alteri ea adſcribas. Dicit enim Leo PP. hæc illi omnia confirmare quæ Stephanus PP. illi conceſſerat in monaſteriis à ſe conſtructis, quæ uni Fulrado tribui poſſunt, vultque idem ſummus Pontifex quæcumque ex donatione Regum, aut ex parentum hæreditate, vel ex proprietate ſua habuerit, ea ſub ditione Romanæ Eccleſiæ permanere; hæccine Fardulfo tribuas? qui poſt everſas Longobardorum opes in Galliam à Carolo victore adductus eſt, an potiùs Fulrado, cui amplum fuerat patrimonium, qui ex facultatibus monaſteria condidit, ut aliàs obſervatum eſt; ea verò tam manifeſtè ſuppoſitionem oſtendunt, ut alia fraudis indicia inquiri non opus ſit, non poſſum tamen omittere quod in annalibus eccleſiaſticis Francorum notatum eſſe reperio, datum ſcilicet privilegium anno III. Pontificatûs Leonis, id verò eſſe contrà conſuetudinem illorum temporum, nondum enim chartis pontificiis annus ſummi Pontificis ſubſcribebatur. Ex hac tam aperta falſitate, quam eruit Dubletus ex monaſterio Dionyſiano, quamque exſcripſit ex cortice, quæ ſit fides privilegiorum Stephani III. & Hadriani Pontificum, & quæ nobis argumenta ea rejiciendi lector ſapiens ex æquo æſtimabit.

Anno ſequenti habita Romæ Synodus adversùs hæreſim Felicianam, quo tempore viri pietate & doctrina inſignes adversùs infandam hæreſim ſtylum converterunt; in Septimaniam potiſſimùm hæc labes ſenſim irrepſerat, complures hoc malo infecti latè perniciem propagabant. Benedictus Abbas, cujus id temporis celebrata in pauperes pietas, pro fide adversùs hæreticos pugnavit. Paulinus quoque Aquileienſis Epiſcopus contra Felicem Urgellitanum li- VIII.

LIB. V. CAP. VII.

 bros tres ſcripſit, & Regi Carolo nuncupavit, quos illicò ad Alcuinum miſit. Duchenius ea edidit addiditque Alcuini operibus. Neque Alcuinus ipſe conticuit: cùm enim ad Felicem ſcripſiſſet litteras, ut eum amicè commonefaceret, & in veritatis tramitem, à quo longè deflectebat, eum ſapientibus documentis reduceret. Felix ægrè tulit ſe ab errore abduci, ſtatimque ad epiſtolam libellum virulentiâ & veneno tabidum repoſuit, pluribuſque conatus eſt inſaniam ſuam comprobare, Chriſtum ſcilicet Filium Dei eſſe adoptivum tantummodò, & Deum nuncupativum, id eſt nomine tenus, non reipſa Deum, immò & hunc eumdem eſſe veterem hominem, atque adeò opus illi fuiſſe altera generatione: hæc & alia contra ſanam doctrinam Felix effutiebat, quæ Alcuinus refutare ſeptem libris inſtituit, validiſque argumentis confutare, quod ipſe Alcuinus in ipſo primo libro ſignificat. *Cui libello ejus*, inquit, *ſeptem noſtræ devotionis libellis reſpondimus, omnes veſtræ pravitatis evacuans doctrinas. Qui etiam noſtræ devotionis ſermones lecti ſunt in præſentia Domini Regis & ſacerdotum Chriſti.* Extant hi libri, quos temerè nonnulli Paulino Aquileienſi tribuerunt. Neque ipſe Carolus Rex Chriſtianiſſimus tulit, impunè ſpargi in Chriſtum convicia, præcepit Romæ fieri Synodum, quam Leo PP. convocavit, convenerunt LVII. Epiſcopi. Libellus Felicis lectus & examinatus eſt, multiſque inuſtus notis, unde hæc demùm condemnatio ſequuta eſt. *Felici Urgellitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, ſi noluerit declinare ab hæretico dogmate ſuo, in quo auſus eſt Filium Dei adoptivum aſſerere, anathema ſit, atque ante tribunal Dei omnipotentis condemnatus, ſeu à ſancta & apoſtolica Dei Eccleſia extorris, noſtroque conſortio alienus.* Felix tot telis impetitus, idoneus omnibus non fuit, nec par omnium ictibus, ad finem anni juſſus eſt ad conventum Aquiſgranenſem venire, & habita ſollemni diſputatione, hæreſeos convictus, hanc ipſe condemnare, & palam canere palinodiam non dubitavit. Verùm quæ fides hæretico, poſt tot iteratos lapſus, & fruſtrà repetitam toties emendationem? ne inultus abiret, Epiſcopatu dejectus eſt, & miſſus Lugdunum. Expoſitionem ſuæ fidei ad clerum & populum Urgellitanum miſit, quam integram habes in operibus Alcuini. Poſt ejus mortem Agobardus in ejus hæreſim ſcripſit, dicit enim poſt mortem inventam fuiſſe quamdam ſcedulam ab eo editam, qua apparebat pravitatem dogmatis ſui, quantum in ſe fuit, inſtauraſſe. Aiunt Felicem fuiſſe egregiis moribus & inſigni pietate. Verùm, ut habet Agobardus. *Non vitâ hominis metienda eſt fides, ſed ex fide probanda eſt vita.*

CAPUT VIII.

De conjuratione adverſus Leonem III. PP. & ejus in Gallias profectione. De Caroli capitulari, ne Epiſcopi eant ad bellum. De Carolo, qui renunciatus eſt Romæ Imperator & fabuloſa ejus in orientem expeditione.

I. NIHIL ad ſummam Caroli Regis, magnitudinem deſiderari poterat nihilque ad ejus felicitatem addi, debellatis toties hoſtibus, longè dilatatis regni finibus, adjectoque ad provincias regno Longobardorum. Ecce tamen inſperatò, non quidem regni amplitudine, aut novâ terrarum acquiſitione, ſed accepto Auguſti nomine longè honoribus auctus eſt. Id verò quomodò

contigerit commemorare mihi propoſitum eſt, etſi ad noſtras res ea commemoratio non pertinet, nihilominus cùm ad ea tempora noſtra hiſtoria pervenerit, res regiæ urbis ſcribenti, negotium hujus momenti unde initium eſt Imperii Francorum, ſilentio prætcrire religio eſt, quod ut ordine exequar, rem ab ipſa origine repeto. Pulſis ex Roma Græcis, ex Ravenna aliiſque civitatibus & provinciis, extinctoque Longobardorum regno, penes ſummos Pontifices ex Pippini Carolique Regum donatione urbis Romæ aliarumque urbium principatus erat. Suis commodis frui, & ſua gaudere felicitate Romani poterant, ſi ſua bona noſſent, amoto Græcorum Imperio, qui ſuperbè & impotenter dominabantur, & ſublato metu Longobardorum, qui continuò urbis Romæ imperio inhiabant. Verùm ipſi graves & moleſti eſſe ſibi cœperunt, & concire ſibi mala domeſtica, dum nulla foris ingrueret tempeſtas. Optimates ferre non poterant imperium ſummi Pontificis, quem nuper inter populares annumeratum & albo clericorum inſcriptum viderant. Illi igitur cæcâ novitatis cupiditate, & æmulatione potentiæ perciti turbas excitare, & Leonem ſummum Pontificem dejicere de principatu inſtituunt, factaque conjuratione facinus improbum aggrediuntur. Septimo Calend. Maii, qui dies anniverſarius eſt in eccleſiaſticis faſtis memoriæ ſancti Marci Evangeliſtæ, quo die ſollemnis agebatur ſupplicatio, & ſacra pro more in ſancti Georgii baſilica ſummo Pontifici peragi oportebat. Tum opperiebatur Leonem PP. magna populi multitudo, quæ in baſilicam ſancti Laurentii quæ Lucinæ dicebatur, ad collectam convenerat. Leo id temporis è patriarchio Lateranenſi egreditur; ecce illi obviam fiunt duo conjurationis duces Paſchalis Primicerius, & Campulus Sacellarius, quibus in urbe magna auctoritas, quos Hadrianum PP. nuper è vivis ereptum Theophanes cognatione attigiſſe memorat. Hi per ſpeciem honorificè Leonem PP. ſalutant: jam ſummus Pontifex cum comitatu ad monaſterium SS. Stephani & Sylveſtri, quod paulò antea Paulus PP. condiderat, dotaveratque, pervenerat; cùm ecce repente ex inſidiis proſiliunt armati homines, nullâque vel ſummi Pontificis vel publicæ celebritatis reverentiâ in eum infeſtis gladiis irruunt. Populus inopinato ſpectaculo attonitus, per urbem effuſus fugit. Paſchalis & Campulus ſacrilegii architecti Leonem per pedes & caput immanem in modum corripiunt, dejiciuntque in terram, nituntur fodere oculos & linguam præcidere, dumque excæcatum & elinguem putant, ipſum in platea dimittunt. Paſchalis tamen & Campulus rati conceptum ſcelus nondum perpetratum eſſe, ſanctum Pontificem in eccleſiam monaſterii extrahunt, & ante aras ipſas velut hoſtiam Deo ſacram multis ictibus percutiunt, iterúmque linguam & oculos eruere moliuntur, ac demùm ante altare illum cruore madentem relinquunt. Conjuratores Paſchalis ſcilicet Campulus & Maurus Nepeſinus, ut habet Anaſtaſius, ſecum invicem reputantes, quòd gravè facinus admiſiſſent, timere cœperunt, ne Leo PP. bonorum uſus auxilio animos & ſanitatem reciperet, & ſtatim de flagitio repeteret pœnas, eum ex monaſterio ſancti Sylveſtri noctu extrahi curant, & duci in monaſterium ſancti Eraſmi, & arctè cuſtodiri, ubi, ut Anaſtaſius ſcribit, oculorum & linguæ uſum divinitùs recipit, verùm eam rem alii aliter memorant dicuntque non quidem penitus præciſam linguam, erutoſque oculos, ſed ipſum lingua oculiſque ſauciatum, adeo ut id prodigii inſtar ſit tam citò ex vulneribus convaluiſſe. Nonnulli præciſam linguam, non verò effoſſos erutoſve oculos ſcribunt. Quidquid fuerit haud dubiè divinum expertus eſt auxilium. Dùm hæc geruntur, Albinus cubicularius collectis animis viros boni æquique amantes adhortatur, ut ſummo Pontifici opem ferant, memorat quibus in anguſtiis ſit, & quo in loco captivus teneatur. Nec mora, omnes in monaſterium ſancti Eraſmi facto impetu ruunt, Leonemque ereptum è manibus perditorum hominum ducunt in baſilicam beati Petri. Tum boni gaudio affici, & mali corripi mœrore; mentem cruciabat recordatio flagitii, obverſabatur ante oculos impendentis vindictæ gladius, ancipites hærent quid agant, tum lymphatis ſimiles involare in ædes Albini, miſcere & diripere omnia. Vvinigiſus Dux

Spoletanus admonitus turbarum, cum militibus Romam accurrit, ſummumque Pontificem Spoletum adducit. His in Franciam allatis, Rex ſummum Pontificem duci in Gallias mandat, ut ſimul conferant quid facto ſit opus. Leo igitur adjunctis ſibi multis Epiſcopis, preſbyteris, & clericis, magnoque optimatum comitatu in Gallias iter ſuſcipit, quod ubi Rex accepit, miſit ei obviam legatos, poſtea Pippinum Regem Italiæ: tum ipſe Rex obviam illi proficiſcitur, eumque, ut decet, magnis honoribus proſecutus eſt; hæc in Francia. Romæ ſacrilegi parricidæ turbas agitare, ædibus & poſſeſſionibus beati Petri ſubdere faces, mittere & ipſi ad Regem inſtituunt, qui calumniis falſiſque criminibus ſummum Pontificem premant, quæ cùm ſine probationibus eſſent diluere facile fuit. Leo verò poſtquam per aliquod temporis ſpatium in Galliis permanſit, Romam honore cumulatus rediit, ipſum comitabantur legati regii. Erupit portis tota civitas, nobiliſſimi inprimis quique, tam ex clero, quàm ex civibus obviam illi proceſſerunt, atque adeo cum ſumma populi exultatione in urbem triumphanti ſimilis invectus eſt. In hunc modum ſummus Pontifex, quem factio improborum ex urbe ſeminecem expulerat, ad omnium civium vota ſedi ſuæ reſtitutus eſt. Legatis regiis prima cura fuit inquirere reos conjurationis, repertoſque mittere in Gallias, inter eos Paſchalis & Campulus ſeditionis faces comprehenſi ſunt, eamdemque cum aliis ſortem ſubierunt.

II. Carolus dimiſſo ſummo Pontifice, Paderbonæ remanſit. Complures injuriam illatam Epiſcopis & preſbyteris querebantur, quòd interdictum, ne ii tela aut ferrum tractarent, nec bellum admixti nobilibus gererent, quaſi ea prohibitione nota ſacerdotali ordini inuſta eſſet, tantùm abeſt, ut Rex ob eam cauſam ab inſtituto diſcederet, quin poſthabitâ malè ſanorum hominum querimoniâ, novo capitulo eamdem conſtitutionem confirmavit prohibuitque iterùm, ne ii ad bellum contra decreta canonum ire pergerent, ne ipſi quorum muneris eſt diſſidentium animos conciliare, necatores hominum & ſanguinis rei fierent, & ne quis eo animo id prohibitum putet, ut inde occaſio ſit invadendi bona Eccleſiarum, vetat ne quis Eccleſiæ bona niſi ſub *precario & cenſu* poſſideat, ſeque ipſe ſuoſque ſubjicit ſucceſſores pœnis per canones inflictis, ſi quis *res Eccleſiarum petere aut invadere vel vaſtare, vel quocumque ingenio alienare præſumat.*

III. Anno ſequenti cùm Rex Turonis ageret, Luitgardis Regina diem obiit, eâque ſepultâ Rex Aurelianos venit, atque inde Pariſios ac demùm Aquiſgranum; indictoque Moguntiæ conventu, coram antiſtitibus & proceribus fusè de conjuratione contra ſummum Pontificem concitata locutus eſt, quæ mala pertulerit, hanc malorum hominum compeſcendam audaciam, ſibi vires & animum ad vindictam ſuppetere, dùm nulla bella in regno perſtreperent; iturum itaque Romam, ſe adhortari ut omnes quam primùm ad iter capiendum præſto ſint, ſoluto conventu Rex in Auſtraſia Carolum filium relinquit, & ipſe in Italiam proficiſcitur. Ad Autumnum Alpes ſuperat cum Pippino Rege, ſumptoque de Tarraticenſibus ſupplicio, qui Henricum Ducem occiderant, Ravennam cum valido exercitu venit, ac deinde Romam adventavit. Leo PP. ei obviam ad duodecimum ab urbe lapidem pridie venerat, & cum eo pranſus ſtatim Romam reverſus fuerat. Ad Regem miſſa urbis Romanæ vexilla, diſpoſitæ, quâ iter erat, peregrinorum civiumque turmæ, qui acclamationibus & feſtivis vocibus ingredienti gratularentur. Ipſe ſummus Pontifex ad gradus baſilicæ beati Petri cum clero & Epiſcopis Regem opperiebatur, advenientemque & equo deſcendentem ſuſcepit, peractaque oratione bene illi precatus in baſilicam eum duxit. Hæc accidiſſe ſcribunt ad VIII. Calend. Decembris poſt ſeptem dies Rex concionem advocat, & pluribus de itineris & adventûs ſui cauſa diſſeruit, alios dies in examinanda ſummi Pontificis cauſa & inquiſitione criminum impendit, ut vetus annaliſta ſcribit. Cùm vero neque *Annales Metenſes.* delator, nedum probator occurreret, Rex, ut habet Anaſtaſius, jubet Pontifices & proceres tam ex Francis, quàm ex Romanis in baſilicam beati Petri Apoſtoli convenire, qui cùm adeſſent, & ipſe Rex cum ſummo Pontifice jubet

examinari

examinari crimina, quorum reus Leo PP. dicebatur. *Qui univerſi*, inquit Anaſtaſius, *Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates unanimiter audientes dixerunt; nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus: nam ab ipſo nos omnes vicario ſuo judicamur, ipſe autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit: ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex cenſuerit, canonicè obediemus.* Alia die aſtitit ſummus Pontifex in eadem baſilica, eódemque convenerant cum Carolo Rege iidem antiſtites & primates. Ecce verò ſummus Pontifex ambonem conſcendit, amplectenſque evangelia *ſub jurejurando clara voce dixit: Quia de iſtis falſis criminibus, quæ ſuper me impoſuerunt Romani, qui iniquè me perſecuti ſunt, ſcientiam non habeo, nec talia me egiſſe cognoſco.* Tum Præſules & clerici laudes Deo concinere & gratias referre. Ita Leo PP. Dei auxilio & Caroli Regis patrocinio compeſcuit calumnias, quas perditorum hominum malevolentia in eum concitaverat. LIB V. CAP. VIII.

IV. Adventaverat dies Natalis Domini, & omnes in eadem baſilica beati Petri congregati ſunt, ſummus Pontifex aderat ad ſacra facienda, & Rex, ut diem natalitium religioſè perageret, aderant Epiſcopi & proceres, qui antea, & ingens civium omnis generis multitudo. Leo memor beneficiorum, quæ Carolus Eccleſiæ Romanæ, ſummis Pontificibus, atque inprimis ſibi noviſſimè contulerat, ſuis manibus pretioſam ejus capiti coronam impoſuit. Tum univerſi rependentes ejus in Romanam civitatem & ſummum Pontificem merita, quaſi divino incitati ſpiritu, exclamare unanimiter cœperunt. *Carolo Piiſſimo, Auguſto, à Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori, vita & victoria. Ante ſacram confeſſionem beati Petri Apoſtoli plures ſanctos invocantes ter dictum eſt*, ut ait Anaſtaſius, *& ab omnibus conſtitutus eſt Imperator Romanorum.* Antiquus annaliſta his verbis rem memorat. *Ipſa die ſacratiſſima Natalis Domini, cùm Rex ad miſſam ante confeſſionem beati Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret, Leo PP. coronam capiti ejus impoſuit, & à cuncto populo adclamatum eſt Karolo Auguſto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori vita & victoria. Et poſt laudes, ab Apoſtolico more antiquorum principum adoratus eſt, atque ablato Patricii nomine, Imperator & Auguſtus appellatus eſt*, quod alii ſcriptores ſimiliter narrant. His actis ſummus Pontifex ſancto oleo unxit Carolum & filium ejus Pippinum, ſacriſque abſolutis, Imperator menſam obtulit argenteam. Narrat Eginhardus adeò Carolum ab hoc nomine Imperatoris & Auguſti alienum, ut vel ea ſollemni celebritate non fuiſſet eccleſiam ingreſſurus, ſi quid illi ſuboluiſſet: nomen tamen retinuiſſe, ut invidiam Orientalium vinceret, qui moleſtè id ferrent. Quid autem ſit, quod illi hunc honoris titulum detulerint Romani, paucis referam. Haud dubium eſt in eam conceſſiſſe ſententiam Leonem Pontificem ob præſtitam ſibi oportunè in rebus difficillimis operam: quin & Romanos in eamdem ſententiam conſpiraſſe, quos Regis nomen offendebat, & quibus antea nomen Imperatoris venerandum. Et ipſi Carolo præter tituli decus, id maximè his temporibus congruum videbatur, cum nuptias Irenes Auguſtæ ambiret, ne ea regium nomen deſpicere videretur. Quid quod honorificum Eccleſiæ Romanæ erat, Carolum habere defenſorem non modò magni vaſtique imperii Dominum, ſed etiam Auguſti & Imperatoris nomine decoratum? Id demùm magno honori Carolo vertebat, cui pluribus confectis bellis, adjectiſque haud paucis ſuo regno provinciis, proclive quidem erat Imperatoris nomen aſſumere, inſperato tamen nomen illi inditum. Etſi non auctior erat aut poteſtate, aut provinciarum amplificatione, neque inde in quamlibet provinciam novi acquiſitione juris, ſed ſolo nomine & titulo erat potentior, nihil enim aut juriſdictionis aut poteſtatis, aut in provinciam aliquam, ſed ne vel in vicum illi hac appellatione acquiſitum eſt. Quaſcumque enim obtinebat regiones aut provincias, eas aut hæreditatis, aut belli jure poſſidebat. Poſtquam verò Imperator renunciatus eſt, præter menſam auream alia multa dona pretioſa, ex auro inprimis vaſa gemmis exornata, quæ Anaſtaſius memorat, regiâ beneficentiâ donavit. In hunc fermè modum Carolus nomen Imperatoris aſſumpſit, & poſteris ſuis aſſeruit anno Chriſti octingenteſimo; cùm verò id temporis ini-

Annales Loyſelii.

Annal. Eccleſ. Francorum ad hunc annum.

LIB. V. CAP. VIII. tium anni eſſet dies Natalis Domini, & plures auctores annum ab eo die in ceperint, haud mirum eſt, cur plerique Carolum ſalutatum Imperatorem anno DCCCI. ſcribant, cum utique annus ſit DCCC. inchoantibus annum à Calendis Januariis, quam computandi rationem hîc ſequimur. Rex antea Hieroſolymam miſerat Zachariam presbyterum, eodem vero die, quo Leo calumnias objectaque crimina ſacramento diluerat, cum duobus monachis, quos Joannes Hieroſolymitanus ei comites adjunxerat, ille Romam venit, qui eulogiæ cauſâ attulerunt ad Regem claves ſepulcri Domini ac loci Calvariæ, claves etiam civitatis & montis cum vexillo detulerunt. Non huc afferam ſomniationes Dubleti boni ſanè hominis, qui ſcribit miſſam à Conſtantino & ejus filio Leone honorificam legationem cum litteris, quibus à Carolo petebatur auxilium contra Sarracenos, qui Hieroſolymam ceperant, & ob eamdem etiam cauſam à Joanne hujus civitatis Patriarcha allatas litteras, quæ Regi Pariſiis redditæ ſunt, & quas ipſe Tilpino Remenſi Archiepiſcopo vernaculè reddendas tradidit, ex quibus accepit miſerum Orientis ſtatum, & illicò præſtandi auxilii cepiſſe conſilium, delectum militum habuiſſe, innumerabileſque collegiſſe copias, ac demùm regno ſub patrocinio ſanctorum martyrum conſtituto, & recepto in baſilica Dionyſiana vexillo, quod Auriflammam vocant, profectum in Orientem; nihil verò felicius illa expeditione Carolo accidiſſe, pulſos ſcilicet cæſoſque Sarracenos, & receptam Hieroſolymam, in cujus rei gratiam ab Orientis Imperatore donatum ſacris reliquiis, ſpinis è corona Domini ſpinea, parte è ligno ſanctæ Crucis, camiſia beatæ Virginis, & aliis rebus quas juſſerit Rex deportari Aquiſgranum, indictumque menſem, quo expoſitæ ſingulis annis à populo colerentur, eaſdem verò reliquias ſub Carolo-calvo Magni nepote tranſlatas in baſilicam ſancti Dionyſii, indictum pariter in eadem baſilica menſem, unde origo Indicti ſit. Sed has ineptias penè aniles referre ſigillatim, & refellere, meo & lectorum otio abuti eſt.

V. Uc ad Carolum Auguſtum redeam, poſtquam Imperator ſalutatus eſt, nihil antiquius habuit, quam ut ſupplicium ſumeret de parricidis, qui in Leonem PP. conjuraverant, ſunt ad ejus præſentiam adducti, habitaque ex Romanorum lege quæſtio. Cum Imperatore aſſidebant nobiliſſimi quique tam ex Francis quàm ex Romanis, rei aſtabant, Paſchalis inprimis & Campulus, qui facinoris principes fuerant, demùm cognitâ cauſâ, capitali judicio damnati ſunt. Ad eam ſententiam exhorruit ſummus Pontifex, neque paſſus eſt ſuâ cauſâ quemquam morte puniri, aut membris mutilari, idque precibus à Carolo impetravit; in exilium igitur quotquot erant detruſi ſunt. His rebus confectis, Imperator Roma profectus eſt Spoletum, inde Ravennam ac Papiam perrexit, ſuperatis deinde Alpibus, in Galliam reverſus eſt, Aquiſgrani Natalem Domini celebravit. Anno ſequenti cum Irene Auguſta pacem pepigit, & diem Paſchæ in eodem loco peregit, quo tempore Iſaac Legatus à Rege Perſarum ad eum cum pretioſis muneribus acceſſit, erat inprimis elephas prodigioſæ molis, ad hæc uſque tempora nuſquam viſum in Galliis animal. His temporibus leges, ſeu plura capitula Carolus Imperator juſſit ordinari, quæ omnia ad rectam reipublicæ & Eccleſiæ adminiſtrationem conſtituta ſunt, ſed tria inprimis hæc, quæ ad Miſſos dominicos pertinent, & in quibus Pariſienſis agri & Fulradi Abbatis eſt mentio. Primum capitulum his verbis concipitur. *Inprimis de Aurelianenſe civitate ad Sagonnam quomodo rectum. Deinde ad Trecas cum Tricaſſino toto. Inde ad Lingones, de Lingonis ad Biſſantion villam Burgundiæ. Inde verò ad Auguſtidunum, poſtea ad Ligerim uſque ad Aurelianos ſunt miſſi Magnus Archiepiſcopus, & Godefridus Comes.* Horum locorum territoria maximè commendantur ut Miſſis dominicis, Magno ſeu Magnoni Archiepiſcopo Senonenſi, & Godeſtido Comiti. Alterum capitulum ſic habet. *In Pariſiaco, Melciaco, Melidunenſi, Provinenſi, Stampenſi, Carnotenſi, Pinciacenſi, Fardulfus & Stephanus.* Tertium capitulum ejuſmodi eſt. *In Cenomanico, Hoxonenſi, Livino, Bajocaſſino, Conſtantino, Abrincatino, Ebrecino, & de illa parte Sequanæ Rodomenſi Magenardus Epiſcopus & Madelgaudus.* Magenardo igitur Archiepiſ-

copo Rotomagenſi provincia committitur, quæ Lugdunenſis ſecunda eſt, Hoxonenſe nempe territorium, Oxomenſis enim pagus Sagienſe territorium eſt, & Litharedus Oxomenſis Epiſcopus ſub hoc nomine Concilio Aurelianenſi ſubſcripſit. Lexovium verò Livini pagi caput eſt; ceteri pagi noti ſunt, ſi Madriacenſem excipias, qui agro Pariſino, Carnotenſi, Ebroicenſi, Vilcaſſino & Pinciacenſi finitimus eſt.

VI. Quod verò officium fuerit Fardulfi Abbatis Miſſi dominici paucis exponam. Reges Francorum, devictis ſubactiſque Galliarum provinciis, ſupremam in iis poteſtatem exercere cœperunt, idque juris ſibi tribuere, quod Imperatores obtinebant, creare inprimis magiſtratus tum civiles tum militares, qui eas regerent, & ad nutum Regum ordinarent, iique ſervato Romano nomine Duces & Comites appellabantur, & ſub Regum poteſtate provinciis & civitatibus præfecti, non modò rei militaris, ſed etiam juris dicundi curam habebant, niſi fortè gravior erat cauſa, quæ aut ad Regem aut ad annuos conventus referebatur, hiſque inſtitutis civitates, pagi & provinciæ à Francis regebantur. Verùm cum lapſu temporum magiſtratus, quibus cura legum erat, ipſi omnia contra legem facere inciperent, & per fas & nefas nihil non audere, maximè poſtquam Præfecti palatii de potentatu certare inter ſe aggreſſi ſunt, & poſthabita regia auctoritate omnia gubernare cœperunt. Duces Comiteſque eos æmulari, & pro arbitratu cuncta in provinciis decernere, nullaſque alias leges cuſtodire, quàm quas ambitio avaritia aut libido ſuggereret. Hæc corruptela per Francorum regnum graſſabatur, maximè cùm Pippinus regnum adeptus eſt; utque æqui juſtique amans erat, his malis mederi pluribus modis illi viſum eſt. Ea Francorum conſuetudo erat, quod antea notatum eſt, ut quotannis primùm menſe Martio, tum ex nova Pippini ordinatione menſe Maio, ex Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, aliiſque optimatibus fierent publici & ſollemnes conventus, quos vulgari vocabulo placita vocabant. Priſcam hanc Francicæ gentis conſuetudinem Pippinus retinere ſtuduerat, in hiſque ea præſertim tractabantur, quæ ad regni commoda magis conducebant, & populis magis conſentanea videbantur. Ille igitur hanc reſtituendæ reipublicæ & eccleſiaſticæ diſciplinæ opportunitatem nactus eſt. Capitula, quæ vulgò capitularia vocant, ſcribi juſſit, eaque ſollemniter ſancita, in placitis velut in publicis regni comitiis publicari & proclamari, quæ ad Eccleſiam æquè ac ad civitatem pertinebant. Nam in his conventibus & Pontifices erant, qui quemadmodum in Synodis, edebant decreta, ſeu, ut vocare ſolebant, capitula. His ita conſtitutis Antiſtites Duces & Comites ea obſervari pro ſua vel in Eccleſiis vel in provinciis auctoritate procurabant. Verùm cùm ſæpiſſimè accideret Ducum & Comitum oſcitantiâ, immò & ipſorum Epiſcoporum Abbatumque incuriâ mores depravari, labi diſciplinam, & neglectas leges jacere, huic quoque incommodo Reges proviſum eſſe voluerunt. Electi ob eam cauſam ab his tam Epiſcopi vel Abbates, quàm optimates, qui plus auctoritate & moribus pollerent, qui in provincias mitterentur, ut unumquemque, Epiſcopos ſcilicet Abbates, Duces & Comites admonerent ſui officii, & quidquid peccatum fuerat, emendarent, de cauſis majoribus ad Regem referrent, hique, quoniam à Regibus, ſeu à Dominis delegati erant, Miſſi dominici dicebantur. Horum certè origo altiùs repetenda eſt; nam eorum meminit Gregorius Turonenſis, appellatque Miſſos regales, ſed hi diverſi erant à Miſſis dominicis. Illi enim ad certum aliquod delegabantur negotium, quo celeriter confecto, à ſuo munere diſcedebant, proptereaque dicti ſunt Miſſi diſcurrentes: ad ejuſmodi negotium Pictavos Chilpericus Rex Miſſos delegavit, qui ſeditionis pœnas expeterent, quo perſuncti munere ſtatim abierunt. Miſſorum verò dominicorum officium erat in quibuſlibet vel majoribus negotiis, diuque ſuo munere perfungebantur de majoribus Miſſis hîc præſertim ſermo eſt.

VII. Miſſi illi dominici ſub principatu Pippini & Caroli magni in honore fuerunt, ſeligebantur ad arbitrium Principum, qui duos pluresve ad unum miſſaticum delegabant, ex quibus alter ut plurimùm ex clero, alter ex optimatibus aſſume-

Chronicon Moiſſiac.

Lib. 4. cap. 73.

Capit. tom. 2. pag. 70.

batur, idque quoniam & in res eccleſiaſticas, & in civiles inquirendi poteſtas decreta erat, ſic conjunctos ſimul Magnonem Archiepiſcopum Senonenſem & Godefridum Comitem, & pariter Fardulfum Abbatem ſancti Dionyſii & Stephanum electos modò diximus: quod antiqui chronici ſcriptor declarat. *Elegit*, inquit, *in regno ſuo Archiepiſcopos, Epiſcopos & Abbates cum Ducibus & Comitibus, qui jam opus non habebant ſuper innocentes munera accipere. Et ipſos miſit per univerſum regnum, ut Eccleſiis & viduis & orphanis & pauperibus, & cuncto populo juſtitiam facerent.* Miſſis omnibus ad legationem dabatur epiſtola, quam tractoriam vocabant, cujus beneficio auctoritatem muneris exercendi ſuſcipiebant & accipiebant commeatum, conjectam vocabant, idque juxta Miſſorum amplitudinem & dignitatem, plus enim Epiſcopo quàm Comiti dabatur, ut ex capitularibus intelligimus, vetitumque erat, ne plus acciperent, quàm in tractoria contineretur. Extendebatur eorum legatio in plures pagos, civitates & comitatus. Tempore Caroli-calvi regnum in duodecim Miſſaticos diviſum eſt, & ſupra octoginta pagos, quod conſtat ex indice, qui inter Capitularia Caroli-calvi habetur. In eum modum Miſſi dominici in regiones ſuæ legationis ibant: ſtatim in duobus tribuſve locis ſui miſſatici mandata ſua palam faciebant, regiiſque litteris publicè lectis inibant magiſtratum, quibus id præſertim officii erat, ut *juſtitias facerent*, ut in res Epiſcoporum Abbatum & Comitum inquirerent, qua ratione eccleſias & monaſteria regerent, quibus inter ſe ſtudiis amicitiam & concordiam colerent, quos miniſtros ad parochias adhiberent, quâ doctrinâ quibuſve litteris imbuti, an bonis eſſent moribus, ſpectabat quoque eorum inquiſitio ad ſacras ædes & baſilicas, an quid extrui & inſtaurari oporteret? an quæ ex capitularibus de cantu, lectione, aliiſque regulis decreta diligenter obſervarentur? & quæcumque ad retinendam in monaſteriis tam virorum quàm puellarum diſciplinam pertinerent. Hæc quoque eorum legatio ad Comites attinebat, namque his demandatum, ut ſollicitè in Comitum adminiſtrationem inquirerent, an ex legibus jus dicerent? an ex deſidia & eorum oſcitantia quid damni reſpublica pateretur? an ſinerent turbas excitari, an eorum miniſtri, vicarii nempe præpoſiti, centenarii & decani contra jus & æquum quidquam egiſſent, quod ipſi non emendaſſent? Illis præterea cura erat pauperum orphanorum & viduarum, ut his ſuffici curarent quæ ad vitam tolerandam neceſſaria, aut ſi impotentiâ optimatum premerentur, iis ſubſidio eſſent, & emendari ſtuderent quæcumque contra leges acta fuiſſe agnoſcerent, & ad eam rem exequendam placita cum Comitibus agerent, & de his omnibus ſciſcitarentur ab iis quibuſcumque viris, quorum vita inculpata & mores probati, qui de his, quæ retulimus, præſtito prius ſacramento documenta ſuggererent. Quatuor tantummodò menſibus ſingulis annis iis licebat obire legationem, ſingulisque anni tempeſtatibus menſis tribuebatur; hyeme ſcilicet menſis Januarius; vere Aprilis, æſtate Julius, & autumno October, ceteris menſibus Comitum erat rem gerere & omnia ordinare. Miſſi quater in diverſis locis uno quoque menſe placita ad dirimendas lites, cognoſcendaſque cauſas habebant cum Comitibus illius loci, in quo verſabantur. Ita Miſſi ſuo perfuncti munere redibant ad Principem, reddebantque ſuæ legationis rationem. Si quid autem ardui negotii videretur, ſi quid ambiguum ancepſque eſſet, id ad publicos regni conventus referebatur, rogatique omnes ferebant ſententiam, & ex reſponſis capitula edebantur, quæ poſtea Miſſi in miſſaticis promulgabant. Sunt & alia, quæ Miſſi agebant in ſua legatione, quæ in Capitularibus leguntur, ſed hæc præcipua, quæ breviter à nobis memorata ſunt, & ex quibus licet intelligere, quæ inſtitutio, quodque officium Miſſorum fuerit. Fardulfum Abbatem Dionyſianum cum Stephano Comite Pariſienſi Miſſum factum fuiſſe modò dicebamus, ex quo enim Imperator cum fide in Principem valere ex indicio proditionis agnovit, eum ornare honoribus non deſtitit, admiratus hominis alienigenæ probitatem, quam vel in filio deſideraverat. Fardulfus magni Caroli merita prædicare, & memorem animum teſtificari factis ſtuduit, in ejus gratiam ædes magnificas extruere, in quibus hi verſus inſcripti, ex quibus ea, quæ de Fardulfo priùs memorata, manifeſta ſunt.

LIB. V. CAP. VIII.

Culmina cernenti lectori littera prome
Fardulfus Carolo condidit ipſa ſuo,
Quem quondam propriæ fuerat dum ſceptra ſecutus
Gentis, in adverſas fata tulere vias.
Attamen hic fidei Dominus ſervavit honorem
His regni quamvis ultima meta foret
Tamdem rectoris Caroli victricibus armis
Ceſſit, & in melius ſors ſibi ceſſit iter.
Huic quoque dum fidei ſalvaret munera Regi;
Rex ſibi præcelſus plurima dona dedit,
Inter quæ ſancti Dionyſi rector ut aulæ
Fieret, indulſit pacificus Carolus,
Hanc benefactori conſtruxit providus ædem,
In qua cum famulis gaudeat ipſe ſuis.
Ipſe ſuis ſervis, fidei quos vincula nectunt
Lætitiam Princeps præbeat armipotens.
More tamen veterum conſurgere juſſit avorum,
Culmina præfulgent Regis honore domus,
Ut quoties regni præclara palatia luſtrat,
Fardulfi famuli ſit memor ipſe ſui.

Quo in loco ædificatum Regis palatium ſit, neque ego, neque alius facilè dixerit, fortè in ambitu monaſterii ſancti Dionyſii; Reges enim aliquando huc conceſſiſſe antea memoratum eſt, Dagobertum atque Pippinum morti proximos huc tranſlatos conſtat, & poſtea alios Imperatores eòdem veniſſe infrà dicemus, in horum gratiam à Fardulfo ædes extructas facilè in animum inducam. Si quis tamen ex certis monumentis, aut melioribus conjecturis alibi extructam regiam domum probaverit, haud repugnabo.

Ad annum DCCCIII. Annales eccleſiaſtici Francorum referunt Synodum Reginoburgi ſeu Ratiſponæ à Carolo congregatam, ubi ſancitum de Chorepiſcopis, illi ruri quidem permanebant, tractum, ſeu ex diœceſi regionem gubernabant, tantúmque ſibi ſubinde poteſtatis tribuerant, ut in ſua quiſque regione Epiſcopum ageret, ordinaret clericos, manus imponeret, conſignaret pueros, baſilicas conſecrarer & altaria, & virgines velaret, hæcque impunè facere haud verebantur, ea res atrox viſa eſt clericis, quos Epiſcopi canonicè ordinaverant, neque eos dicebant inter clericos cenſeri, qui ad eccleſiæ gradus eorum auctoritatę & ordinatione aſcenderant. Laici pariter conquerebantur neque ſacra ab iis, quos conſecraverant, ritè peracta, neque facilè patiebantur ſuos filios ab iis conſignari. Complures ſæpè apud Imperatorem audaciam conqueſti fuerant. Demùm Auguſtus, ut querelis modum imponeret, Arnonem Saliſburgienſem Archiepiſcopum ad Leonem PP. miſit, ut quid facto opus eſſet eùm conſuleret. Reſpondit ſanctiſſimus Pontifex rem eam à ſuis prædeceſſoribus definitam, & ſynodicis decretis ſæpiùs terminatam, ordinationes, quas feciſſent, eſſe irritas, neque ullo habenda loco quæcumque de munere Epiſcoporum tractare & exequi aggreſſi ſint, pro nihilo reputandas baſilicarum conſecrationes, & virginum benedictiones, & ea omnia oportere ab Epiſcopis reſtitui. *Quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum.* Addidit ſummus Pontifex eos omnes Chorepiſcopos condemnari debere, & in exilium detrudi. Poſt Leonis PP. reſponſionem habitâ de eo negotio Synodo decretum eſt Chorepiſcopos, ſeu villanos hos Epiſcopos, ut eos Synodus vocat, inter preſbyteros deputari, prohibitumque, ne illi ſub ſui gradus periculo quicquam ampliùs ex officio Epiſcoporum agerent. Eos ſcilicet nullatenus Epiſcopos eſſe, *quia nec ad quamdam civitatis Epiſcopalem ſedem titulati erant, nec canonicè à tribus Epiſcopis ordinati* &c. Preſbyteros itaque diaconos, & ſubdiaconos ab iis ordinatos, tamquam nullum gradum conſecutos, ab omni penitùs miniſterio arcendos eſſe. Prohibitum eſt inſuper ne ampliùs ab Epiſcopis Chorepiſcopi fierent; ſicque eorum abolitum eſt officium. De his VIII.

tamen in Concilio Pariſienſi ſub Ludovico pio, & Meldenſi ſub Carolo calvo ſermo erit.

IX. Anno ſequenri Carolo nunciatum eſt Manruæ repertum Chriſti ſanguinem, Imperator legatum ad Leonem PP. miſit, rogans ut eam rem inquireret diligenter. Summus Pontifex haud abnuit in Longobardiam ob eam cauſam proficiſci, idque ſumno ſtudio perquirere, habitâque ea de re ſingulari inquiſitione, ſanguinem Chriſti fuiſſe haud dubiratum eſt. Eodem itinere Leo in Franciam ire perrexit, & Imperatori ſignificavit, ſibi decretum cum illo Natalem Domini celebrare, quo mallet loco. Imperator filium Carolum miſit ei obviam ad Agaunenſe monaſtetium, qui ſummum Pontificem honorificè ſuſcepit, comitatuſque eum eſt Remos uſque quò antea Carolus ei obviam venerat, continuóque eum ad villam Cariſiacum adduxit, ubi ſimul Natalem Domini peregerunt. Tum ineunte anno Sueſſionas ambo acceſſerunt. Carolus relicto Leone in monaſterio ſancti Medardi, ad Calenſe monaſterium perrexit, ut Giſlam ſororem, hujus loci Abbatiſſam, morbo laborantem inviſeret, quod antea à nobis memoratum eſt; Aquiſgranum poſtea itum eſt. Summus demùm Pontifex honoribus muneribuſque cumulatus, in Italiam per Bajoariam regreſſus eſt. Carolus peragratis locis maritimis Galliarum, ad Theodonis villam Natalem Domini celebravit. Quæ annis ſequentibus ab Imperatore ejuſque filiis egregiè geſta ſint, quæque ad Imperatorem legationes honorificæ miſſæ ſint, referre in commentarios non inſtitui, quippe quæ ad noſtras res, neque ad hiſtoriam noſtram commendandam pertinent. His itaque prætermiſſis ad Aquiſgranenſe Concilium venio, celebratum eſt anno DCCCIX. De proceſſione Spiritus ſancti actum eſt, & hoc antiqui auctores commemorant, & deinde agitatum, an ea verba, *Filioque*, qui à Patre, *Filioque* procedit, ſymbolo Conſtantinopolitano addi potuerint, hanc quoque quæſtionem inprimis agitatam ex collatione legatorum cum Leone tertio PP. manifeſtum eſt. Diximus antea cùm de Concilio Gentiliacenſi actum eſt, tractatam de proceſſione ſancti Spiritus quæſtionem, quam catholicè definitam fuiſſe oſtendimus, ſed nihilominus de additione *Filioque* ad ſymbolum nihil conſtiturum; ex eo tempore nondum finita controverſia eſt. In Galliis quidem id pro fide habitum eſt, quod Spiritus ſanctus à Filio, ſicut à Patre procederet, id noſtrates omninò profeſſi ſunt, extar ea de controverſia Theodulfi libellus, in quo id pluribus probat, idem aſſerit Carolus magnus in confeſſione fidei, quam ad Felicem Urgellitanum ex Synodo Francofurdienſi ſcripſit, & in ſua epiſtola ad Leonem III. De proceſſione igitur Spititus ſancti à Patre & Filio haud dubitatum fuiſſe exiſtimo; verumtamen motam eo de negotio controverſiam haud abnuo, non quòd Gallicani antiſtites cauſam in controverſiam adducerent, ſed quòd plerique è Græcis hanc moverent diſputationem. Certè noſtri auctores hujus pravæ opinionis præcipuum defenſorem nominant Johannem quemdam monachum Hieroſolymiranum. *Quæſtionem*, inquit vetus ſcriptor, *Iohannes quidam monachus Hieroſolymis primò commovit*. In Aquiſgranenſi Concilio ardua res viſa eſt, non tam proceſſionem Spiritus ſancti, quam in Synodo Gentiliacenſi aſſertam diximus, quæ deinde in Concilio Forojulienſi confirmata eſt, & à noſtris Epiſcopis ſcriptis libris ſtabilita, approbare, quàm adjectionem *Filioque* ad ſymbolum, quam, ut aliàs diximus, Hiſpani haud dubitanter addiderant, ſed noſtri majore adhibita cautione, ſymbolo inſeri ulla auctotitate poſſe dubitabant. Cùm ea in Concilio verteretur cauſa, placuit Synodo hac de re conſuli ſummum Pontificem per legatos. Duo itaque miſſi ſunt, Bernharius Vvormatienſis Epiſcopus, & Adelhardus Abbas Corbeienſis. Quidam Jeſſen ſeu Jeſſæum Epiſcopum Ambianenſem adjiciunt, ſed malè, non enim apud antiquos auctores, qui hujus legationis meminerunt, ejus nomen habetur, neque in epiſtola Leonis PP. ad Riculfum Moguntiacenſem Archiepiſcopum, in qua Bernhatius & Adelhardus ſolummodò memorantur, nullâ Jeſſæi mentione habitâ. Hi ab Imperatore acceperunt epiſtolam ad ſummum Pontificem, qua teſtimoniis & ſententiis ex ſancta ſcriptura & ſanctis Patribus allatis, proceſſionem Spiritus

ſancti ex Patre Filioque adſtruit. Hanc Epiſtolam Holſtenius edidit, quæ deinde in ſupplementum Conciliorum Galliæ, & in collectionem Conciliorum relata eſt. Hanc cùm Leo PP. legiſſet, regiis legatis ſignificavit, ſe doctrinam epiſtola comprehenſam tenere, hanc eſſe ſuam fidem, ſacris paginis & Patrum ſcriptis expoſitam, abjiciendumque aliter ſentientem, longam deinde collationem cum legatis habuit. Sciſcitati inprimis ſunt legati, an liceret cantare *Filioque*, & docere cantando. Reſpondit ſummus Pontifex licitum quidem eſſe & docere & cantare, haud pariter tamen licitum adjicere & inſerere ſymbolo, quia, qui ſymbolum condiderunt, non indiderunt; addidit deinde prohibitum eſſe in Synodis principalibus, in Chalcedonenſi ſcilicet, in Conſtantinopolitanis quinta & ſexta, ne quid in veteribus ſymbolis adderetur, tolleretur ve, aut quidquam mutaretur. Immò ne *novum ultrà ſymbolum, à quoquam qualibet neceſſitate, ſeu ſalvandi homines devotione conderetur.* Is demùm finis colloquii fuit, ne quatuor hæ ſyllabæ ſymbolo inſertæ ampliùs canerentur, ne verò earum ſyllabarum ſuppreſſio offenderet quorumdam animos, qui malè id interpretarentur, & perperàm inſertas clamarent, auctor fuit ſummus Pontifex, ne ampliùs in palatio caneretur ſymbolum, ſicut in Eccleſia Romana cani non ſolebat: atque ita fieret, ut Eccleſiæ Galliarum ad exemplum palatii ſe componerent, neque ampliùs ſymbolum, nedum *Filioque* publicè caneretur. Acta hujus collationis à Baronio primùm publicata, deinde in codices Conciliorum injecta ſunt. Summus Pontifex, ne qua ſuper eam rem mutatio fieret in Eccleſia Romana, argenteis ſcutis ſymbolum latinè & græcè ſcribi juſſit ſine additione *Filioque*, & hæc in baſilica ſancti Petri cuſtodiri, quod jam à nobis relatum. Quidquid Leo PP. egerit ne ſymbolo adderetur, additum eſt nihilominus, quo præcisè anno, aut quo Pontifice haud facile dictu eſt: jam ſub Pontificatu Nicolai I. additum fuiſſe certum eſt, idque manifeſtum ex his, quæ Photius Romanæ Eccleſiæ probro dare ſub ejus pontificatu inſtituit, eam enim vocem adjectam ſymbolo objiciebat. Nonnulli ob eam cauſam additionem à Nicolao I. certè vel ſub ejus pontificatu, vel paulò antea factam fuiſſe aſſerunt. Toto deinde Occidente in Eccleſiis, *Filioque* addi ſymbolo & cantari cœptum eſt, quod Græci poſtea vehementer conqueſti ſunt. His fermè temporibus, vel paulò antea ſcriptum puto ſymbolum, quod Athanaſii vocant, ubi de proceſſione S. Spiritus ita ſcriptum eſt, ut non modò à Patre, ſed etiam à Filio procederet. Cum noſtrates haud facilè paterentur has quatuor ſyllabas Nicæno ſeu Conſtantinopolitano ſymbolo adjectas eſſe, & tamen doctrinam de proceſſione Spiritus ſancti à Patre Filioque admitterent. Credo tum in Galliis conſcriptum ſymbolum ex variis patrum ſententiis, eorumque maximè, qui poſt Neſtorii & Eutychis hæreſes ſcripſerunt, in quo haud veriti ſunt additionem *Filioque* aſſerere; fuit ſanè varia de hoc ſymbolo ſententia, viri tamen doctiſſimi hodiè conveniunt ſancto Athanaſio falsò tributum, & id ſole clarius eſſe exiſtimo. Quod autem in Galliis primò ſit editum, Pithœi viri doctiſſimi opinio eſt. Voſſius quidem in diſſertatione de tribus ſymbolis dixerat hoc ſymbolum in Hiſpania & à viro Hiſpano compoſitum, re tamen diligentiùs examinata, in appendice ad eam diſſertationem ſententiam hanc ſuam revocavit, & Pithœi opinionem profeſſus eſt, quam & ego amplector. Argumenta, quibus inprimis ducantur, non proferunt. Dicam ego hoc ſymbolum primùm in Galliis habitum lectumque, neque ab Italis nec ab Hiſpanis ſcriptoribus ante hæc tempora vel his temporibus celebratum, ex hoc verò tempore in Galliis vulgatiſſimum eſſe cœpit. Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus hujus meminit, ita Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, Ratramnus monachus Corbeienſis hoc laudaverunt, & quod hanc ſententiam approbat, Carolus magnus in Epiſtola ad Leonem PP. ſymbolum hoc, ſeu, ut vocant, fidem Athanaſii in auctoritatem non adducit. Quod argumentum eſt neque propter vetuſtatem, neque propter nomen, quod præ ſe ferret, eo in honore fuiſſe, ut in argumentum ad faciendam & probandam fidem adduci poſſe crederet. Dubius mihi certè & ſuſpectus ſemper fuit Canon Auguſtodunenſis Synodi ſub Leodegario anno

Tom. 7.

DCLXX. ubi conſtitutum eſſe legimus, ut clerici fidem ſancti Athanaſii memoriter ſciant, etenim poſt hæc tempora ſymbolum compoſitum fuiſſe mihi perſuaſum eſt. In hac Synodo de regulis monachorum & de monaſteriis actum eſt, & in omnibus antiquis collectionibus, ubi de hac Synodo mentio eſt, hic canon non legitur.

X. Hæc de Aquiſgranenſi Concilio, & de his quæ ex eo conſecuta ſunt, dicta ſint, huic verò quin plures Epiſcopi adfuerint haud dubium eſt, quin & adfuerit Epiſcopus Pariſienſis haud dubito, Ermanfredus, ut opinor epiſcopatum Pariſienſem gerebat, ſucceſſeratque Erchanrado ſeniori, quem circa annum DCCC. aut DCCCI. diem obiiſſe ſuſpicor. De Ermanfredo non aliàs ſermo eſt, & ſolo nomine nobis notus eſt. Index Colbertinus hunc hoc ordine enumerat, huic Inchadum ſucceſſiſſe idem catalogus ſcribit. Certum eſt DCCCXI. Inchadum jam Epiſcopatum gerere cœpiſſe. Extat in parvo Paſtorali charta, qua Stephanus Comes Pariſienſis & Amaltrudis ejus uxor donant Inchado & Eccleſiæ Pariſienſi ſanctæ Mariæ Dei Genitricis res ſuas ſitas in loco nomine Sulciaco. Charta ſic ſe habet. *Domino ſancto in Chriſto Apoſtolico ſacroſanctæ Mariæ Eccleſiæ Dei Genitricis & ſancti Stephani Proto-martyris ſeu & Domni Germani, ubi Inchadus Pariſiacæ urbis Epiſcopus, rector præeſſe videtur, quæ eſt infra murum Pariſii conſtructa. Ideoque in Dei nomine, ego Stephanus Chriſti humilis Dei gratiâ Comes, necnon & Amaltrudis Comitiſſa, pariter ob amorem invicem dilectionis donamus res noſtras, quæ ſunt in pago Pariſiaco in loco, qui vocatur Sulciacus, Eccleſiam quæ eſt in honore ſancti Martini ſtructa cum omni appendiciâ, ſuiſque adjacentiis. Manſo indominicato cum aliis manſis & mancipiis ibi pertinentibus, cum univerſis ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, farinariis, aquarumque decurſibus, mobile & immobile totum & ad integrum re inexquiſita, ſcilicet in alio loco in ipſo pago in loco qui vocatur Nocetus, manſum dominicatum cum aliis manſis & mancipiis ibidem aſpicientibus vineis ſilvis pratis paſcuis, aquis aquarumque farinariarum decurſibus mobile & immobile, totum & ad integrum inexquiſita. Et in tertio loco qui vocatur Molinis manſo dominicato cum omni integritate, in quarto verò loco, qui vocatur Buxidus manſo dominicato cum omni integritate, & quidquid ad ipſas res ſuperius nominatas aſpicit, tam in rebus quam in mancipiis, valterris vineis, ſilvis pratis paſcuis aquis, farinariis, decurſibus, mobile & immobile totum & ad integrum re inquiſita litis liberas, cultis & incultis ſervis & ancillis, & omnia in terra colonorum tam inibi oriundi, quam qui alibi tranſlati ſunt, quæ nos ante hos dies per juſſionem domni Imperatoris Karoli de præſentibus ſanctæ Mariæ & ſancti Stephani vel domni Germani de rebus noſtris propriis examinavimus. Igitur ipſas res ſuperiùs nominatas ad ipſam ſanctam matrem eccleſiam ſuperius nominatam à die præſente perpetualiter tradidimus ad poſſidendum. Duabus verò partibus ad ſtipendia ipſos canonicos qui ibidem ſerviunt, ut quamdiu illi adviuunt, ſeu ſucceſſores eorum uſque in finem ſæculi pro ſalute animæ noſtræ pſalterium unum & miſſas tres quotidie implere ſtudeant. Tertia vero parte ad luminaria ſive ad reſtaurandam ipſam Eccleſiam & de ipsâ tertiâ parte ſint noſtra luminaria & oblatio vel vinaticum quotidie uſque dum Domino jubente ipſa Eccleſia uſque in finem ſæculi conſiſtit, & quoniam quidem anniverſarium noſtrum evenerit, niſi ex ipſis partibus ſancti Dionyſii, & ſanctum Germanum vel ſanctam Genovefam ſanctum Marcellum, vel ſanctum Germanum novum, ſeu ad ſanctum Clodoaldum & ad Cala, vel foſſatis peegant, & pro animarum noſtrarum commemoratione ipſas congregationes faciant cum luminaria & oblatione & vinatico, ut omnes fratres qui in iſtas conſiſtunt congregationes, tam qui modo vivunt quam ſucceſſores eorum unanimiter Domini miſericordia pro ſalute animarum noſtrarum deprecari faciant & ipſas prædictas res ſi fuerit aliquis rector, qualiter aut in beneficio aut in aliquo ingenio à vobis abſtrahere præſumpſerit niſi ſicut diximus duas partes ad ſtipendia fratrum. Tertiam verò partem ad luminaria vel oblationem & vinaticum ſeu ad ipſam eccleſiam reſtaurandam tunc ipſas res ad proximos hæredes vertere faciant, niſi iſtud fuerit adimpletum, ita ut ab hodierna die quidquid de iſtis rebus facere volueritis habendi tenendi poſſedendi ad ipſam eccleſiam pro ſalute animæ noſtræ firmiter teneatis, ſi quis vero quod minime fieri credimus. Si fuerit aut nos ipſi,*

aut

Digitized by Google

aut aliquis de hæredibus, vel pro hæredibus noſtris vel quibuſlibet emiſſa perſona qui contra hanc donationem aliquid agere conaverit, quod nos ſpontanea voluntate vobis pro remedio animarum noſtrarum ad ipſam eccleſiam donamus, aliquis calumniare præſumpſerit, poſt noſtrum quoque diſceſſum auri libras decem, argenti pondera centum coactus perſolvat, & quod repetit, vindicare non valeat, ſed præſens donatio omnique tempore firma & inviolabilis permaneat, cum ſtipulatione ſubnixà. Actum Bonoilo villa, ubi facta & firmata fuit in anno XI. *Imperii Domni noſtri Caroli glorioſique Auguſti* XLIII. *regni ejuſdem in Francia &* XXXVI. *in Italia ſub Indict.* III. *Stephani Comitis & Amaltrudis conjugis ejus necnon & Comitiſſæ, qui hanc donationem ſcribere vel firmare rogaverunt.* Hujus donationis memoria fuit in Concilio Pariſienſi, quod celebratum eſt ſub Ludovico, ubi confirmata eſt his verbis. *Sulciacum, quem Stephanus illuſtris vir, & piæ recordationis Comes, necnon & uxor ejus Amantrudis eorum uſibus delegaverunt.* Stephanus Comes Pariſienſis non modò pietate & religione inſignis fuit, ſed gratia & commendatione virtutis apud Principem valebat, dictum eſt ſuperiùs hunc Stephanum Comitem delegatum fuiſſe ab Imperatore, & Miſſum dominicum cum Fardulfo Abbate Dionyſiano appellatum, & cùm Carolus Auguſtus anno DCCCIII. quædam capitula ad legem ſalicam addidiſſet, ea ad Comitem Stephanum miſit, ut promulgarentur. *Anno III. clementiſſimi Domini noſtri Caroli Auguſti, ſub ipſo anno hæc facta capitula ſunt, & conſignata Stephano Comiti, ut hæc manifeſta faceret in civitate Pariſius mallo publico, & illa legere faceret coram Scabineis, quod ita & fecit, & omnes in uno conſenſerunt, quod ipſi voluiſſent omni tempore obſervare uſque in poſterum. Etiam omnes Scabinei, Epiſcopi, Abbates manu propria ſubterſignaverunt.* Idem Stephanus anno DCCCXI. ſubſcripſit cum aliis Epiſcopis, Abbatibus & Comitibus breviario diviſionis theſaurorum Caroli-magni. Hæc de Stephano Comite Pariſienſi, de Inchado Pariſienſi Epiſcopo dicemus aliàs fuſiùs.

LIB. V. CAP. IX.

Capit. Tom. I. p. 391.

CAPUT IX.

De quæſtionibus de baptiſmo quas cum Epiſcopis Carolus habuit. De Cabillonenſi Concilio. De diviſione theſaurorum Imperatoris. De Ludovico in conſortium Imperii aſſumpto. De morte Caroli-magni. De quibuſdam chartis ſuppoſitis.

I. IMPERATOR pro ſingulari illa ſollicitudine, qua erga Eccleſiam afficiebatur, petere cœpit à metropolitanis, quemadmodum ipſi eorumque provinciales Epiſcopi docerent baptiſmum, quæ eorum de hoc ſacramento doctrina, quæ inſtitutio, quibuſque potiſſimùm documentis imbuerent animos fidelium, & quaſdam ea de re quæſtiones ſubjicere, quas per encyclicas litteras ad Epiſcopos miſit. Inquirebat quamobrem infans catechumenus fieret, quid hoc vocabulum, catechumenus ſignificaret, ac deinde quæ ex ordine in adminiſtratione baptiſmi agerentur; quid ſcrutinium, quid ſymbolum, & quid latinè ſonaret? De doctrina ſymboli, quomodo credendum in Deum Patrem omnipotentem, in Jeſum Chriſtum Filium ejus, & Spiritum ſanctum, & Eccleſiam Catholicam. Quæſitum eſt quoque de abrenunciatione ſatanæ & omnibus operibus ejus & pompis, quid ſit illa abrenunciatio, quæ opera diaboli, quæ pompæ? cur inſufflationes & exorciſmi adhibentur? cur catechu-

Qq

LIB. V. CAP. IX. menus ſalem accipit? quare tanguntur aures & nares? cur pectus oleo tangitur? cur ſcapulæ ſignantur? quare pectus & ſcapulæ lavantur? Quid eſt quod demùm albis veſtibus, induitur? cur chriſmate perungitur caput, & tegitur myſtico velamine? cur corpore & ſanguine Domini confirmatur? De his omnibus inquirebat ſapiens Imperator, rogabatque ut de ſingulis ſcripto reſponderent. Extant litteræ Caroli ad Odilbertum Mediolanenſem Archiepiſcopum. Haud dubium eſt quin & miſſæ ſint ad Magnonem Archiepiſcopum Senonenſem, & ſicut illas cum Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo communicavit, ita quoque cum ceteris provincialibus, ac præſertim cum Inchado Pariſienſi Epiſcopo communicaverit. Extant ad hos articulos reſponſiones Leidradi Lugdunenſis Archiepiſcopi. Amalharii Trevirenſis Archiepiſcopi, & Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi, extat & libellus Jeſſæi Ambianenſis Epiſcopi de eodem argumento. Verùm quæ reſponderint, ex ſcriptis, quæ extant, cuique ſcire integrum eſt. Reſponſio hæc in ſumma fuit hominem peccati reum naſci, & ab origine eâ aſperſum maculâ, qua niſi per baptiſmum ablui poſſit, ejus mentis oculos obſitos tenebris, quæ niſi ſancto lavacro removeantur, neceſſe ſit ut eat in tranſverſum, quo eum fallax agit cupiditas, & quo rapiunt affectus inordinati, quapropter oportet, ut qui baptiſmum recepturus eſt, edoceatur quæ mentis ſit ægritudo, quæ medela ejus morbis adhibenda ſit, inſtituendus itaque, eoque tempore inſtitutus, ſeu auditor, vel, ut Græci loquuntur, catechumenus dicitur, in eum modum fiebat, velut aliquod Chriſtianitatis tyrocinium. Verùm ante baptiſmum catechumeni tamquam tyrones aliqui vires & induſtriam probare tenebantur, quiſque oſtendebat quantum in vitæ Chriſtianæ inſtitutis profeciſſet, habito namque examine, quærebatur an vita cum ſanctis eorum conſiliis congrueret, an ad hoc propoſitum ſanioribus deſideriis ducerentur? timebant namque SS. Patres ne ſanctum canibus darent, hocque examen ſcrutinium vocitabant, idque per plures dies ritè agebatur. Catechumenis autem ſymbolum tradebatur, velut teſſera ſeu ſignum aliquod fidei Chriſtianæ, hanc fidem maximè adulti profitebantur, & qui è ſanctis fontibus infantem ſuſcipiunt, ſpondent ſe eamdem fidem tradituros pueris, cum per ætatem id fieri licebit; ea autem fidei confeſſio fiebat in Deum Patrem &c. quæ à Theodulfo Aurelianenſi explicantur, in qua ejus explanatione notandum quod Filium dicat genitum, non factum, non adoptivum, idque contra hæreſim Felicianam de qua ſuperiùs actum eſt: & pariter Spiritum ſanctum aſſeruit ex Patre & Filio procedere, quæ confeſſio hoc tempore opportuna erat, quo Græci contra hanc doctrinam moverant controverſiam. Non libet hîc ſingulos articulos ſymboli explanare. Poſtea catechumenus conteſtatione publicâ aſſeverabat ſe abrenunciare diabolo & operibus ejus & pompis, id faciebat converſus ad Occidentem, unde quaſi è tenebris ad Orientem, ad lumen ſcilicet Evangelii ſe convertebat, his verbis candidatus baptiſmi renunciabat infructuoſis tenebrarum operibus, quorum auctor & artifex diabolus, qui voluptatum illecebris ineſcatos homines ad interitum projicit. Quid verò illud eſt, quod inſufflationes fiunt, & adhibentur exorciſmi? Cùm homo naſcatur obnoxius peccato, ita ante baptiſmum ſub poteſtate eſt diaboli, increpatur itaque & jubetur, ut ab homine diſcedat, ita ſermonibus ſacerdotis impurus ille Spiritus laceſſitur & exſufflatur in contemptum & execrationem, immò in catechumenum refunditur illud ſpiraculum vitæ, quod Deus à principio homini inſpiraverat, quodque diabolus extinxerat, cùm hominem in peccatum induxiſſet. Adhibito deinde ſputo ſacerdos nares aureſque tangit, ut quæ antea obſurduerant ad vitæ præcepta, & quaſi ad odorem boni obturatæ fuerant, ad ſacra deinceps aperirentur eloquia, & in iis deinceps eſſet virtutum bonus odor, fidei caritatis, pietatis, bonorumque operum fragrantia. Etſi verò ea omnia cum ſimplicitate cordis facere Chriſtianus debet, debent tamen ſapientiâ tamquam quodam ſale condiri, hocque ſal exprimit, qui in os immittitur. Pectus & ſcapulæ tanguntur oleo & abluuntur, ut tamquam athleta idoneus ſit ad bella, quæ ſubire oportet, & quaſi

armis inſtruatur ad pugnam. Induit velut thoracem juſtitiæ adversùs mundi diabolique nefarias artes, & pravas, quæ cor animumque corrumpunt cogitationes. His aliiſque, quæ ad baptiſmum pertinent, peractis, albis induitur veſtibus, quibus innocentia morum, quam hoc ſacramento accepit, candorque vitæ, quam agere debet, ſignificatur. Sanctus Paulinus Epiſt. 12. ad Severum.

Inde parens ſacro ducit de fonte ſacerdos
Infantes niveos corpore corde habitu.

Perungitur poſtea caput ejus chriſmate, ut hac unctione non modò vindicatus à ſervitute videatur, ſed ad regiam Chriſtiani nominis dignitatem elatus, & quaſi aſſumptus in conſortium prærogativæ Chriſti, qui ſimul Rex & Pontifex eſt: id quidem aliqui ex ſanctis Patribus ſignificatum indicant, chriſmate tamen ſignificari alii putant vitam immortalem, quam ſuſceptione baptiſmi conſecutus eſt. Ambroſius, vel alius ex antiquis de ſacramentis. *Ecce emerſiſti, veniſti ad ſacerdotem, tibi dixit Deus pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te ungat in vitam æternam.* Induiturque caput myſtico velamine, quoniam gratia divina catechumenus perfuſus, velut galea quadam tectus eſt adversùs impetus hoſtium, qui undique circumſtrepunt, & hominis Chriſtiani felicitati invident. Alii, qui per unctionem, regiam dignitatem explicant, aiunt hoc capitis tegumento quaſi regio diademate præcinctum. Sed longior ſim, ſi ſingulis diutius inhæream. Statim poſt baptiſmum adulti & ipſi infantes recipiebant olim Euchariſtiam, corpore & ſanguine Chriſti reficiebantur, ut qui per hoc ſacramentum in Chriſti familiam ingreſſi, potu ciboque Chriſtianorum paſcerentur, & quemadmodum hi in Chriſto, ita Chriſtus in iis maneret. Porrò ait Dionyſius, *ſacerdos tradit puero ſacra myſteria, ut his nutriatur, neque aliam, quàm divinam vitam ducat.* De Hierarc. cap. 7.

Circumdanſque rudes ſacris altaribus agnos,
Cara ſalutiferis imbuit ora cibis. S. Paulin. Epiſt. 12.

Demum ſequitur ſpiritale ſignaculum, inquit Ambroſius de ſacramentis, *quod audiſtis hodie legi. Quia poſt fontem ſuper eſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem ſacerdotis infunditur Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus ſancti timoris.* Scilicet Pontifex ad conſummationem ſacramenti per impoſitionem manuum tradit Spiritum ſanctum. Quod ſanctus Cyprianus Epiſtola ad Jubaianum exponit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, & per manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſecrentur.* Epiſcopus ſcilicet ſignat frontem neophyti, & ungit ſacro chriſmate.

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentum regale datum eſt & chriſma perenne.

Sicque eo ritu peragitur ſacramentum confirmationis. Hæc in ſumma retulimus, quæ olim Gallicani Pontifices Carolo-magno ſciſcitanti reſponderunt; quæ tamen pius Imperator interrogabat, *non tam neceſſitate diſcendi, quàm ſtudio docendi*, ut ait Theodulfus. Magno ſcilicet Principi erat familiare præſules adhortari ad ſtudia rerum ſacrarum, & variis quæſtionibus eorum induſtriam provocare, & pia indagatione informare animos eorum, qui ſanctum magiſterium in alios exercerent.

II. Neque modò Imperator propoſitis quæſtionibus rem Chriſtianam promovere ſtuduit, ſed etiam convocatis Synodis, quas pluribus in locis fieri juſſit, anno DCCCXIII. Moguntiæ ſcilicet, Remis, Cabillone, Turonis, Arelate eodem anno congregatæ ſunt his in civitatibus quinque Synodi decretis & canonibus celebres, quorum magnam partem Imperator Capitularibus adjecit, ut his auctoritatem præſtaret, ex his quinque Synodis una Cabillonenſis ad noſtras res pertinet, cum ex Epiſcopis Lugdunenſium provinciarum congregata ſit, ſi tamen tertiam Lugdunenſem excipias, quæ ſeorſum ſuam Synodum egerit. Certè Senonenſis provincia cum Lugdunenſi, Rotomagenſi & Veſontionenſi convenit. Qui Epiſcopi, qui Abbates huc conceſſerint haud dicam, ne-

LIB. V. CAP. IX. que acta renunciant, ſed mihi haud dubium eſt Inchadum Pariſienſem Epiſcopum cum aliis ſuæ provinciæ Epiſcopis eò veniſſe. In ea autem Synodo ſex & ſexaginta conditi ſunt canones. In præfatione patres teſtantur Epiſcopos & Abbates totius Galliæ Lugdunenſis, *Imperante ſereniſſimo atque inclyto Auguſto Carolo* in urbem Cabillonenſem conveniſſe. Primo canone decretum eſt, ut Epiſcopi aſſidui ſint in lectione, ut ſcripturas notiſſimas habeant, & earum ſenſum per tractatus patrum inquirant, ut intelligant canones, commendantque inprimis, ut legant librum beati Gregorii de cura paſtorali, & ſecundum formam ibidem conſtitutam vivant & alios doceant. II. canone Epiſcopi admonentur, ut id agere ſtudeant quod docent: & vivant ut docent, ut dictis facta competant. Tertius ſtatuit, ut ſcholæ conſtituantur ab Epiſcopis, ſicut olim Imperator præceperat, ubi clerici diſciplinis & ſcripturæ ſacræ doctrinâ imbuantur. IV. admonet Epiſcopos, ut humilitatem & religionem cultu, opere, habitu, ſermone & tota corporis conformatione circumferant, ut vel aſpectu aliis documento ſint. V. canone iidem Epiſcopi ad vitam bene inſtituendam bonoſque mores informandos excitantur, ne animum ſæcularibus negotiis occupent, ne turpibus lucris uſuriſque vacent, immò plebem ab iis avocent. Quidam è clericis, Abbates ipſi & Epiſcopi fidelium animos pravis artibus circumveniebant, doloque malo perſuadebant, ut datis Eccleſiæ aut monaſteriis facultatibus in monaſteria ſecederent. Patres VI. canone eos avaritiæ reos eſſe judicant, & furtum magis eſſe definiunt quam oblationem, quæ ſpontè, non his artibus fieri debet. VII. itaque canone ejuſmodi artifices, ſeu etiam Abbates fuerint aut Epiſcopi, pœnitentiæ canonicæ legibus ſubjiciunt, jubent quidem eos, qui monaſticam vitam profeſſi ſunt, in eo, in quo ſunt, ſtatu permanere, ſed bona his fraudibus maliſque dolis oblata hæredibus reſtitui, quæ Patres ita decreta volunt, ut tamen Eccleſia retineat oblationes, quas Deo juſtè & ex æquo factas eſſe conſtabit. VIII. canone vetitum eſt, ne ſacerdotes & clerici redditus & fruges terræ in horrea & acervos congerant, ut cariùs vendant, ſed magis ut tempore carioris annonæ pauperum egeſtati ſuccurrant. IX. admonet Epiſcopos, ut ab illecebris aurium oculorumque longè abſtineant, ne venationi & aucupio tempus malè perdant, ut fugiant ſcurriles hiſtrionum nugas, & fideles doceant ea penitus eſſe fugienda. X. eoſdem Epiſcopos admonet, ut inprimis ſobrietatis leges obſervent, neve epulis & lautis convivius indulgeant. XI. cavetur ne Epiſcopus eat ad forum, aut ad publica ſe conferat tribunalia, vel etiam, ut ſuæ cauſæ ſuffragetur, niſi fortè viduis, orphanis aut pauperibus opitulandi gratiâ, aut judices ſui officii admonendi, quod decretum ad Abbates, preſbyteros diaconos & monachos pertinere Patres decernunt. XII. prohibet ne preſbyteri, diaconi vel monachi villici fiant. Annotandus XIII. vetat, ne Epiſcopus cogat jurare clericos, quos ordinaturus eſt, *quòd digni ſint, & contra canones non ſint facturi, & obedientes ſint Epiſcopo, qui eos ordinat, & Eccleſiæ in qua ordinantur, quod juramentum, quia periculoſum eſt, omnes unà inhibendum ſtatuerunt.* Obſervat canon XIV. ne dum Epiſcopi ſuam parrochiam circumeunt, preſbyteros ſumptibus & impenſis premant, ſed ſi non ſuppetit ad ſumptus faciendos modicè tantummodò à fratribus ſumant; ſed ipſi omnem curam impendant in confirmandis hominibus, in emendandis pravè factis, in prædicatione verbi Dei, & lucris animarum faciendis. XV. eſt contra archidiaconos, qui à preſbyteris exigebant cenſus, quod Patres damnant & tyrannidem vocant, jubentque ut nihil per cupiditatem aut avaritiam exerceant. XVI. eſt contra illos Epiſcopos, quibus olim conſuetum erat pro balſamo ad chriſma faciendum, & pro luminaribus à preſbyteris quatuor denarios accipere, quod Synodus vetat fieri. Ita ſequenti capitulo cautum eſt, ne Epiſcopi à preſbyteris cenſum omninò exigant. XVIII. prohibet, ut mos erat ne Epiſcopi & Comites Vvadios ſeu pecuniam accipiant pro matrimoniis illicitis, & ab his, qui decimas non darent, aut à preſbyteris *pro quibuſdam negligentiis.* Inceſtûs reos ſummittit pœnitentiæ, & eos, qui decimas negarent, arcet à communione. XIX. canon jubet, ut coloni Epiſcoporum aut Abbatum

perſolvant decimas Eccleſiis, ubi infantes eorum baptiſmum recipiunt, & ubi per anni circulum audiunt miſſas. XX. canone inter Epiſcopum & Comitem pacem & concordiam ſervari ſancitum eſt. LIB V. CAP. IX Decernit XXI. ut Comites & judices ex jure & æquo jus reddant, nec centenarii aut vicarii eorum avaritiâ aut rapacitate in tranſverſum agantur. XXII. decernit, ut Abbates & monachi ſancti Benedicti ſecundùm quam profeſſi ſunt regulam, vivant. XXIII. ut ſtatis temporibus ordinationes fiant. XXIV. ut ab Imperatore petatur, cui pretium perſolvatur interfecti Epiſcopi, presbyteri, diaconi & monachi. Cùm his temporibus pœnitentiæ canonicæ uſus in pleriſque locis abolitus eſſet, decretum XXV. à Domino Imperatore quærendum auxilium, ut ejus etiam auctoritate, qui publicè peccavit, publicâ item pœnitentiâ mulctaretur, & pro ratione delicti vel excommunicaretur vel reconciliaretur. Solebant alicujus Eccleſiæ hæredes inter ſe Eccleſiam & altare dividere, & id aliquando in quatuor partes, & quiſque presbyterum habere, quod ſine ſimultate fieri non poterat, mandatur itaque Epiſcopo civitatis vigeſimo-ſexto ne deinceps hæc diviſio fiat, nec ſinat ſacra peragi, quamdiu fuerit aliqua inter hæredes contentio. Vetat XXVII. ne, ſicut baptiſmus, ita quoque nec iteretur confirmatio. XXVIII. ſancit ut in matrimonio propinquitas ſanguinis ex canonibus æſtimetur. XXIX. vult ut parentelæ uxoris in nuptiis habeatur ratio. Præcipit XXX. ut conjugia ſervorum, etſi ad dominos varios pertinent, retineantur, idque contra quorumdam audaciam, qui hæc ſua auctoritate dirimerent. Solebant ea ætate quædam mulieres, ut à viris ſecederent, *tenere filios ad confirmandum*, XXXI. canon prohibet ne propterea à viris diſcedant, ſed pœnitentiam agant, unde manifeſtum eſt hac etiam ætate affinitatis ſpiritalis habitam fuiſſe rationem. Cautum eſt XXXII. ut in exponendis in confeſſione peccatis tam delicta cogitationum, quàm factorum exprimantur, ut plena ſit confeſſio. Canon XXXIII. ſtatuit quòd & Deo & ſacerdoti confitenda ſint peccata. XXXIV. conſulit, ut in pœnitentia non ſit acceptio perſonarum, ut medici animarum ſicut corporum, cùm ſanare ægrum cupiunt, neque cauterio aut ferro, aut duris aliis quibuſcumque rebus parcant. XXXV. conqueruntur patres quòd quidam conſtituti in pœnitentia, quibus ob eam cauſam & vini potus & carnium eſus interdictus eſt, ita tamen veſcantur, ut neque à vino, neque à carnibus, neque ab aliis deliciis abſtineant, quod contra pœnitenriæ regulam eſt, ubi inprimis abſtinentia vigere debet, quod patres ita fieri cenſent. XXXVI. eſt contra eos, qui conſultò & induſtriâ peccant, rati per eleemoſynam facilè conſecuturos veniam, quod Synodus arguit, peccata ſcilicet redimi eleemoſynâ, quæ caſu & fortuitò & aliqua animi fragilitate accidunt, non quæ de induſtria committuntur. XXXVII. à ſacerdotibus præcipit canones legi, eos inprimis qui ad mores, & qui ad fidem pertinent, & populis crebrò inculcari. XXXVIII. eſt contra libellos pœnitentiales, quorum frequens uſus id temporis, quorum tamen nòn certus auctor habebatur, & quorum regulis pœnæ leves gravioribus culpis indicebantur, & qui his utebantur, *Mortificabant animas*, ut ait Propheta, *quæ non moriuntur, &* Ezechiel. 13. v. 1. *vivificabant animas quæ non vivebant.* XXXIX. præcipit ut in ſingulis miſſis oratio fiat pro defunctis. XL. eſt contra presbyteros canonicè abdicatos ab officio, qui poſtea ſæculo addicti viverent, hos patres in monaſterio legibus pœnitentiæ ſubjectos vivere decernunt, aut ſi id fieri nequit, volunt ut quocumque in loco pœnitentiam agant, quod ſi neglexerint, à communione arceantur. XLI. vetat recipi presbyteros alterius parrochiæ ſine litteris Epiſcopi & civitatis, & morum approbatione. XLII. prohibet ne detur vel auſeratur Eccleſiæ presbyter ſine conſenſu Epiſcopi. XLIII. irritas decernit ordinationes, quas vagi Epiſcopi, vel pſeudo-epiſcopi, quos Scotos vocabant, facerent. XLIV. peregrinari vel Romam vel Turonos vetat presbyteros ſine Epiſcopi conſenſu, in tabernis potare, aut ad nundinas diſcurrere. XLV. eſt contra eos, qui itineribus ad ſancta loca abutebantur, & ſub ſpecie ſanctæ peregrinationis multa perperàm agere non verebantur. Laudant Patres eos, qui ad limina Apoſtolorum vel in alium quemcumque locum proficiſcuntur orationis gratiâ, qui priùs confeſſio-

ne in ſuis parrochiis edita, expiare peccata ſtudent oratione, eleemoſynis, morum converſione & emendatione vitæ. XLVI. docentur fideles, qua ratione Euchariſtiam ſanctè percipiant. XLVII. cohortatur fideles quoſlibet ad ſumendam Euchariſtiam feriâ quintâ majoris hebdomadæ, quæ eſt in cœna Domini. XLVIII. laudat ſacramentum extremæ unctionis. XLIX. de locis, in quibus celebrari debet miſſa. L. eſt de obſervatione diei Dominicæ, quam plures negligebant. LI. admonet prælatos ſeu clericos, ſeu laicos, ne ſervos, colonos &c. ſeverè habeant, ſed meminerint ſuos eſſe fratres, utriſque unum eſſe patrem Deum, unam matrem ſanctam Eccleſiam, quæ eos intemerato ſacri fontis utero genuit. LII. tradit præcepta Abbatiſſis, ad quorum normam præeſſe debent. LIII. de ſanctimonialibus, quæ canonicæ dicuntur, agit. LIV. de cura Abbatiſſarum circa ſanctimoniales. LV. quòd Abbatiſſæ cum viris horis indebitis non loquantur, id eſt à veſpera uſque ad primam, niſi neceſſitas coegerit, nuſquam verò ſine teſtibus, quod canon LVI. ſignificat. LVII. prohibet ne Abbatiſſa è monaſterio exeat, aut ſi exeat, nuſquam niſi factâ ab Epiſcopo poteſtate. LVIII. Abbatiſſa curam ædificiorum monaſterii habere debet. LX. preſbyteri in monaſteriis niſi ad obeundum miniſterium immorari non debent. LXI. ne ſanctimoniales comedant, cum viris, niſi in auditorio, & coram teſtibus. LXII. neque egredi eis è monaſterio licitum eſt, niſi ad mediam uſque portam ad exercenda negotia. LXIII. ne clerici, nedum laici monaſteriorum ſepta ingrediantur, niſi fortè ad aliquod opus faciendum. LXIV. ut portaria ſive cuſtos portæ eligatur, quæ probis moribus ſit, & matura ætate. De aliis erga canonicas præceptis Abbatiſſa conſulat Epiſcopum, ut canone LXV. continetur. LXVI. decernit, ut orationes fiant pro ſalute & incolumitate Imperatoris &c. Hæc in Cabillonenſi concilio ſtatuta & definita ſunt. Subſcriptiones Epiſcoporum, ut antea memoratum eſt, deſiderantur. Diximus ſtatim à principio ex quibus provinciis, & civitatibus Epiſcopi hoc ad Concilium acceſſerint, cui Senonenſem Archiepiſcopum & Pariſienſem Epiſcopum adfuiſſe haud vana conjectura eſt.

III. Carolus cùm ſe non tam ætate & ſenio confectum, quàm laboribus, & variis, quas geſſerat, fractum expeditionibus cerneret, pro illa, qua pollebat, prudentia cœpit ſingula, & quæ ad Imperium, & quæ ad familiam pertinebant, ordinare. Ex Eginhardo notum eſt *feciſſe diviſionem theſaurorum & pecuniæ, ac veſtium, aliæque ſuppellectilis coram amicis & miniſtris ſuis annis tribus antequam decederet*, & rogaſſe amicos ut hanc ratam haberent, ut poſt obitum permaneret; breviario autem diviſionem comprehenderat, quod Eginhardus retulit, ex quo intelligimus *omnem ſupellectilem atque ſubſtantiam ſuam tam in auro atque argento, gemmiſque & ornatu regio, quæ illa die in camera ejus inveniri poterat primò quidem trina diviſione partitam eſſe*. In unam verò & viginti partes eſſe diviſas duas portiones, ut ſingulis civitatibus, quæ totidem ejus imperio ſuberant, una portio eleemoſynæ perveniret, & Archiepiſcopus uniuſcujuſque Eccleſiæ partem, quæ ſibi data eſſet, cum provincialibus ſuis ſeu ſuffraganeis in eum modum partiretur, ut trifariam eam divideret, partem ſibi unam retineret, duas verò alias partes ſuffraganeis Epiſcopis partiendam redderet. Nomina autem metropoleon, quas enumerat, hæc ſunt. *Roma Ravenna, Mediolanum, Forum julii, Gradus, Colonia Moguntiacum, Iuvanum, quæ & Saltzburg, Treveris, Senones, Veſontium, Lugdunum, Rotomagus, Remis, Arelas, Vienna, Darantaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges.* Quod ad tertiam portionem quotidianis rebus ſuis & ſumptibus hanc reſervatam voluit, ita ut poſt obitum aut ſpontaneam abdicationem ea tertia pars in quatuor partes divideretur, quarum unâ pars uni & viginti partibus, de quibus modò dictum eſt, adderetur; altera ſuis filiis, filiabus, nepotibus & neptibus æquis portionibus diſtribueretur. Tertia pars pauperibus, & quarta nomine pariter eleemoſynæ famulis, qui in palatio miniſtrant, traderetur. Multa alia diſtributa ſigillatim eſſe voluit. Sed inprimis cùm copioſam bibliothecam undequaque collegiſſet, juſſit ut dato pretio cuilibet libri venderentur, & pecunia erogaretur pauperi-

bus. Habebat præterea quatuor menſas, tres argenteas, & unam auream, quarum alteram Romam mitti juſſit, & in baſilica ſancti Petri collocari, dari alteram Epiſcopo Ravennatium, tertiam verò, quæ majoris erat ponderis, & quartam, quæ aurea erat, partim hæredum eſſe voluit, partim in eleemoſynam diſtribui, idque tertiæ parti, de qua ſuperiùs, adjectum eſſe voluit. Hanc verò conſtitutionem ordinationemque coram Epiſcopis, Abbatibus, Comitibuſque, qui præſentes aderant, quique huic ultimæ Imperatoris voluntati ſubſcripſerunt, fecit & conſtituit. Inter eos, qui ſubſcripſerunt, Irmino Abbas monaſterii ſancti Vincentii, ſeu ſancti Germani memoratur, & Stephanus Comes Pariſienſis, de quo antea ſermo fuit. Irmino verò Abbas ſancti Germani ſucceſſerat Roberto, de quo ſuperiùs dictum eſt. LIB. V. CAP. IX.

Biennio poſt Imperator diem vitæ ſupremum imminere ſibi intelligens, ne quid mali imperio contingeret, & reſpublica pravorum hominum conſiliis turbaretur, ſi rebus nondum ordinatis mortem oppeteret, Aquiſgrani conventum indixit, advocavitque inprimis filium Ludovicum, omnemque exercitum. Adfuerunt magno numero Epiſcopi Abbates, Duces & Comites. Congregatos proceres admonuit, rogavitque ut fidem Ludovico filio præſtarent; à ſingulis deinde ſciſcitatus eſt, num gratum ſit, ut Ludovicum nomine Imperatoris appellet? quod cùm omnes uno conſenſu approbaſſent, & unanimi exclamatione excepiſſent. Die Dominica ſequenti Auguſtus regio ſe cultu exornavit, impoſitâ more Imperatorum coronâ capiti, & honorifico ſtipatus comitatu, ad baſilicam, quam ipſe extruxerat, ire perrexit, aſcenditque ad majus altare in edito poſitum loco, & in honorem nomenque Domini Jeſu Chriſti conſecratum, quò cum adveniſſet, ſuper ipſum altare coronam auream aliam ab ea, quam geſtabat, deponi juſſit. Aderat filius Ludovicus ad patris latus. Tum ambo enixè Deum precari, ut res læta ſibi Imperioque verteret, finitaque oratione, quam Imperator diutiùs protraxerat, ſurrexit: filium graviſſimo ſermone allocutum eſſe ſcriptores antiqui memorant, huncque potiſſimùm adhortatum, ut divinorum præceptorum obſervantiſſimum ſe oſtenderet, Deum ſemper coleret, & in ſuprema illa poteſtate conſtitutus ipſum ſummiſſo animo revereretur, & ſummam ejus agnoſceret auctoritatem: ut Eccleſias, in quibus Deo cultus redditur, ipſas ſcilicet Dei ædes contra impiorum defenderet audaciam, ſeque earum vindicem, ſi res poſceret, oſtenderet. Præcepit inſuper, ut fratres, ſorores, nepoteſque diligeret ex animo, eos alioſque, qui propinquitate ſanguinis ſe contingerent, ſingulari amore, ſicut decet, complecteretur, & tueretur ab hominum malevolentia. Sacerdotes non ſecus ac patres haberet in honore: eos enim conſtitutos, ut rebus ſacris præeſſent, & noſtrarum animarum ſuſciperent curam, & earum redderent rationem: ſubditos amaret ut filios, improbos verò & profligatæ vitæ homines ad emendationem & rectam vivendi rationem vel vi, vel voluntate compelleret: ipſum præſidium monaſteriorum, & pauperum ſubſidium eſſe; Judices provinciarumque faceret rectores, qui rem ſapienter gererent, neque ſe corrumpi præmiis & muneribus paterentur. Suadebat inprimis, ut neminem ſine graviore cauſa expenſiſque momentis de gradu honoriſque loco dejiceret, ſeque ita componeret coram Deo & hominibus, ut nihil in moribus, nihil in rerum adminiſtratione reprebenderent. Hæc quidem & alia ſapiens Imperator ad filium coram frequenti Francorum cœtu, quæ omnes nutu & tacitâ approbatione confirmabant, quibus expoſitis, ſciſcitatur à filio an ſe his documentis paterniſque monitis pariturum polliceretur. Reſpondit Ludovicus ſe lubenti animo ſapientiſſimis ejus præceptis audientem fore, & ultrò quæ mandaverat, cuſtoditurum. Tum Imperator, quò intelligeret hanc illam ſupremam poteſtatem ſolius Dei munus eſſe, neque à quoquam niſi ab eo recepiſſe imperium, juſſit ut filius propriis manibus coronam ex altari tolleret, & ipſe eam ſuo capiti imponeret. Ita Carolus filium Ludovicum creavit Imperatorem, illicò omnes acclamationibus Ludovicum proſequi, & lætis vocibus teſtificari lætitiam, omnes novo Imperatori longos feliceſque annos apprecari. Auguſti verò gratias agere Deo, IV.

LIB. V. CAP. IX. & ſacris intereſſe, quibus ritè & ſollemniter peractis itur ad palatium. In via filius patris ſenile corpus fulciebat manu. Eodem ferme tempore, ut narrat antiquus annaliſta, Carolus Bernardum ex filio Pippino nepotem Italiæ Regem juſſit eſſe. Hæc menſe Septembri geſta eſſe vetus ſcriptor tradit, & menſe Novembri Ludovicum Imperatoris dignitate præditum rediiſſe in Aquitaniam patre honorificè ſalutato. Carolus nihilominus imperium & nomen Imperatoris retinuit. Sequenti anno, qui fuit octingenteſimus decimus-quartus, Carolus febri laborare cœpit. Carolus, ut ſæpe aliàs, jejunio vim morbi depellere inſtituit: nihilominus malum ingraveſcere, eoque moleſtiùs eum vexare, quòd acceſſerat dolor lateris; his Imperator impetitus imminere ſibi ſupremam vitæ horam intellexit, tum ſe ſacrâ Euchariſtiâ munire, ac demùm impreſſo capiti pectorique ſigno ſanctæ crucis, cùm hæc verba pronunciaret, *In manus tuas commendo Spiritum meum*, animam exhalavit, corpus more ſollemni lotum & curatum eſt. Cùm verò Imperator locum ſepulturæ ipſe non deſignaſſet, in ipſa, quam condiderat baſilica, tumulatum eſſe placuit. Optimates populuſque funus luctu proſecuti ſunt, tumulus illi honorificè extructus eſt, erat ſuper tumulum arcus inauratus cum ejus imagine, legebatur hæc inſcriptio. *Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli-magni atque orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos* XLVII. *feliciter rexit, deceſſit Septuagenarius anno ab incarnatione Domini* DCCCXIV. *Indictione* VII. V. *Calendas Februarias.* Hæc Eginbardus, aiunt qui exactè ejus annos computant, non omnino Septuagenarium deceſſiſſe, ſed anno ætatis LXVII. Rumor illius mortis orbem luctu implevit, omnes repentè dolori indulgere, ſacerdotes poſcere vindicem Eccleſiæ & fidei aſſertorem, qui nihil ad religionem amplificandam reliqui fecerat, milites plorare optimum Ducem, cujus auſpiciis toties hoſtes vicerant, & regni Francorum limitibus provincias addiderant: Comites Regem Imperatoremque, qui ſanctis inſtitutis probiſque legibus Imperium inſtruxerat: populus deſiderare patrem patriæ, qui moderato animo rexerat Imperium. Eginhardus pluribus ejus mores & inſtituta deſcripſit, quæ fuerit ejus corporis conformatio, quæ ratio gubernandæ reipub. & alia, quæ paſſim cuicumque obvia ſunt, & omnibus conſulere promptum eſt. Plures habuit uxores & concubinas, quas Cointius uxores non dotatas appellat. Ejus nomen in Eccleſia venerabile eſt. Gallicana Eccleſia eum numero ſanctorum adſcripſit, ejuſque anniverſarium diem celebrat Aquiſgranenſis Eccleſia. Baronius ſcribit relatum in numerum ſanctorum à Paſchale ſub Friderico Imperatore. Verùm id non receptum ab Eccleſia Romana ob ſchiſmaticum Pontificem, non autem ſublatum nomen ejus è faſtis Eccleſiarum: neque propterea in Galliis ejus mortis anniverſaria celebritas obliterata eſt, immò in Galliis, Belgio & Germania etiam hodie permanet, neque puto ejus feliciſſimam memoriam ulla unquam ætas abolebit. Bollandus Eccleſiarum breviaria refert, in quibus nomen ejus, ejuſque facta breviter contracta recenſentur. Extat in antiquitatibus Dionyſiani monaſterii charta Caroli-magni in gratiam illius monaſterii, qua ſignificat Imperator à ſe ad baſilicam ſancti Dionyſii convocatum Concilium, & qua Epiſcopis & Abbatibus teſtatur ſe velle, ut Eccleſia Dionyſiana à Regibus Francorum, ab Epiſcopis, Abbatibus & aliis caput omnium Eccleſiarum regni Francorum cenſeatur, & ejuſdem loci Abbas primas ſuper omnes prælatos Galliarum habeatur: prohibet inſuper ne Reges, qui ſecuturi ſunt, alio in loco, quàm in hac baſilica coronam capiant, *nec Archiepiſcopi & Epiſcopi confirmati, aut ad ſacram beati Petri ſedem recepti & damnati abſque aſſenſu & conſilio Abbatis.* Addit Carolum ſublatum è capite diadema altari impoſuiſſe, ut deinceps ſanctus Dionyſius regale dominium poſſideret, & ob eam cauſam offerre ſe quatuor bizantios aureos, & alia ejuſmodi, quæ in eo diplomate ſunt, datum legitur in monaſterio ſancti Dionyſii anno Domini DCCCXIII. huic multi Epiſcopi & Abbates leguntur ſubſcripſiſſe. Certum eſt ex variis notis chartam eſſe ſuppoſitam. Carolus enim hoc anno in monaſterium ſancti Dionyſii veniſſe nullibi reperias, nam Aquiſgrani hunc annum

annum tranſegit, ſi aliquot dies excipias, quos venationi impendit. Sed quantùm à vero aliena ſunt quæ charta memorat à Carolo-magno ordinata, ut hæc ſancti Dionyſii baſilica caput omnium eſſet Eccleſiarum, & Abbas tamquam inter ceteros Abbates & prælatos primas haberetur : quid de hac re metropolitanæ baſilicæ præpoſiti, quid Abbates ceteri contra novum inſtitutum? An verò vim & robur habuit illa prohibitio, ne quis Regum alibi, quàm in ea baſilica coronam acciperet. Quis ferat ne quis ex Epiſcopis condemnetur niſi de conſenſu & conſilio Abbatis. Jam verò quid dicam de Bizantinis nummis, quos poſt expeditiones Tranſmarinas Francis in uſu fuiſſe novimus, qui ſi in uſu fuiſſent in chartis regiis his temporibus haud uſitati. Cetera, quæ abſurda ſunt, ſtylo perſequi inutile eſt, cùm ſolæ ſubſcriptiones falſitatem indicent. Turpinus ſive Tirpinus huic ſubſcripſit, qui jam anno octingenteſimo deceſſerat. Goſtberthus Bituricenſis Archiepiſcopus nominatur, qui nuſquam gentium fuit, & Ebroïnus id temporis hanc cathedram occupabat. Similiter Joannes Lugdunenſis ſcribitur, & tum Leidradus Archiepiſcopus erat. Pudet ſingulorum nomina expendere. Subſcripſiſſe & huic chartæ dicitur Erchanradus Pariſiacæ urbis Epiſcopus, quem diximus, jam antea diem obiiſſe; quin & Ermanfredum, Inchadumque huic ſucceſſiſſe antea relatum eſt. Ne tot ineptiis immorer ex ſeptemdecim Epiſcopis, qui in ſubſcriptionibus leguntur, duo tantummodo bonæ notæ Epiſcopi reperiuntur. Doctus annaliſta Francorum hîc nos admonet hanc commentorum ſuppoſitionumque ſeriem hauſtam ex geſtis Caroli-magni à pſeudo-Turpino fabricatis. Conſule caput XIX. ubi prope ſimilia Compoſtellanæ Eccleſiæ tributa ſunt. Sed eccè ipſam chartam, qualiſcumque eſt, tibi ſubjicio. LIB. V. CAP. IX.

* *Carolus ſereniſſimus Auguſtus à Deo coronatus, magnus, ac pacificus Imperator Romanorum gubernans Imperium, quin etiam per miſericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum. Omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, optimatibus, ceteriſque regni noſtri proceribus, ſalutem in vero ſalutari.* V.

* *Minimè decet regiam ſublimitatem beneficia quæ à Deo omnipotente eſt conſecuta, oblivioni tradere, ſed potiùs rationi convenit, & eſt æquum, per aliquam erga ſanctorum loca bonorum operum exhibitionem, aliquod reddere teſtimonium. Qua propter cognoſcat magnitudo ſeu nobilitas veſtra, quod evocatis nobis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Principibus, ac regni noſtri proceribus, in generali Concilio, in monaſterio ter beati Dionyſii peculiaris patroni noſtri, multis de cauſis & rationibus celebrato, ſed præcipuè, quia ejuſdem ſanctiſſimi martyris ac præcellentiſſimi ſociorumque ejus Ruſtici & Eleutherii meritis & interceſſionibus, nos ad ſumma regni imperiique faſtigia conſcendiſſe confidimus, & fatemur; ſed & quàm plurima vitaſſe pericula, ac inimicorum noſtrorum ſuperaſſe tela, infinitas & victorias de ipſis illorum ſanctorum protectionum alis evecti reportaſſe credimus. Igitur ob id ad honorem Dei, & tantorum Dominorum noſtrorum reverentiam, tale fieri decrevimus præceptum, quod volumus imperpetuum eſſe manſurum, videlicet quòd omnes Franciæ Reges, omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, tam præſentes quàm & futuri, ob amorem Domini Dei & noſtri Salvatoris Ieſu Chriſti, honorem ac reverentiam deferant venerandæ matri eccleſiæ Domni Dionyſii peculiaris protectoris noſtri, ac venerabili Abbati ejuſdem ſancti & ſacri loci, eamque, ut caput omnium Eccleſiarum regni noſtri, ab omnibus ejuſdem regni noſtri Chriſticolis venerari, & eumdem Abbatem ſuper omnes prælatos primatem haberi & teneri volumus ac deſideramus. Prohibemus inſuper ne ſucceſſores noſtri Franciæ Reges alibi quàm in eccleſia ſæpe fati domni Dionyſii ſint coronati, nec Archiepiſcopi & Epiſcopi confirmati, aut ad ſacram beati Petri ſedem recepti & damnati abſque aſſenſu & conſilio Abbatis. Poſt verò multa eidem eccleſiæ bona per nos oblata, ac conceſſa privilegia. Ego Karolus Francorum Rex, depoſito de capite meo regni diademate, & ſanctorum martyrum altari ſuperpoſito, talia, cunctis qui aderant audientibus, dixi: ſanctiſſime Domine Dionyſi, hiis regni Franciæ regiis inſigniis & ornamentis libenter me ſpolio, ut deinceps ejus regale habeas, teneas, atque poſſideas dominium, & in ſignum rei quatuor modo aureos tibi offero bizancios, ut omnes tam præſentes quàm & futuri ſciant & agnoſcant*

LIB. V. CAP. IX.

quòd à Deo ſolo & à te regnum Franciæ teneo tuoque ac tuorum ſociorum fretus auxilio, & ſuffragantibus meritis illud ancipiti gladio defendo: obſecrans atque obteſtans omnes ſucceſſores noſtros Reges, ut annuatim ſimile faciant, & in oblatione ſubmittendo ac tangendo caput illos quatuor ſupradictos bizancios offerant, non proinde aſtricti humanæ ſervituti, ſed potiùs divinæ, quæ ſumma libertas appellari debet, quippe Deo ſervire ſit regnare: ſed etiam omnes regni noſtri proceres & optimates, pro qualicumque domo ſua eidem Eccleſiæ memoratæ quatuor ſingulis annis aureos perſolvant nummos, pro illius augmento ab ædificio Dagoberti Regis excellentiſſimi uſque ad Crucifixum: ſimiliter omnes homines ſervituti addictos emancipans, & eos imperpetuum faciens liberos tam præſentes quàm & futuros, qui libenter eoſdem quatuor aureos nummos daturi ſunt, quos beati Dionyſii Francos proinde vocari volo, & appellari jubeo. His ergo tam dignè per me, in honorem Dei & matris eccleſiæ præcellentiſſimorum martyrum Dominorum meorum expletis, necnon pro animæ meæ remedio, & regni ſtabilitate, ac filiorum incolumitate, palam omnibus dico, quòd à vobis nunc exeundi copiam peto, regnumque Franciæ relinquo, ut poſt Deum ſitis illius ſemper cuſtodes ac Domini. Si quis autem contra hoc meæ regiæ majeſtatis præceptum aliquid attemptare præſumpſerit, anatema ſit, reuſque divinæ majeſtatis & humanæ cenſeatur, ſciatque ſe in diſtricto ac tremendo ſuperni judicis examine rationem redditurum, & ſanctos martyres Dionyſium, Ruſticum & Eleutherium adverſarios habiturum; & ut hæc auctoritas firmior habeatur, & ab omnibus certior credatur, manu propria eam ſubter ſignare decrevi, & ſigilli mei caractere ſigillari juſſi. Actum in monaſterio ſancti Dionyſii, in Dei nomine feliciter, anno Domini noſtri Ieſu Chriſti Octingenteſimo-decimo-tertio, præſentibus quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. Signum Caroli Sereniſſimi Auguſti & Francorum glorioſiſſimi Regis. Signum Turpini Remenſis Archipræſulis. Signum Gosberti Bithuricenſis Archiepiſcopi. Signum Ioannis Lugdunenſis Archiepiſcopi. Signum Imberti Senonenſis Archiepiſcopi. Signum Arnulphi Turonenſis Archiepiſcopi. Signum Nicolai Viennenſis Archiepiſcopi. Signum Neſcii Toloſani Archiepiſcopi. Signum Severini Pictavenſis Antiſtitis. Signum Stephani Lemovicenſis Epiſcopi. Signum Erkanradi Pariſiacæ urbis Epiſcopi. Signum Achilleæ Alexandriæ Antiſtitis. Signum Gerotini Papiæ Epiſcopi. Signum Vvalchandi Leodienſ. Epiſcopi. Signum Candulfi Metenſ. Epiſcopi. Signum Theodulfi Aurelian. Epiſc. Signum Anſelmi Mediolanenſis Epiſcopi. Signum Vvolfoldi Cremonenſis Epiſcopi. Signum Hilduini Abbatis monaſterii ſancti Dionyſii. Signum Floriani Abbatis Montis Caſſini.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Ludovico Imperatore. De Abbatibus monaſterii ſancti Dionyſii. De Paſchalis PP. adventu in Gallias. De Aquiſgranenſi Concilio. De canonicis, de eorum origine & inſtitutione. De Foſſatenſis monaſterii Abbatibus & privilegiis.

LUDOVICUS, auditâ patris morte ex Aquitania Aquiſgranum I.
ſtatim profectus eſt. Vvala, qui poteſtate & gratia magnopere apud Carolum valebat, & cujus fides Ludovico ſuſpecta, ei primùm occurrere, fidemque ſacramento obligare, tum ex optimatibus & proceribus quiſque Francorum ei obviam ire, & obſequium teſtificari. Ita Imperator inter gratulationes & applauſus Francorum ad Heriſtallium villam venit, unde brevi Aquiſgranum profectus eſt. Lætus Auguſti adventus fuit; omnes, qui eum aut propinquitate attingebant, aut dignitate, & loco alios anteibant, cum multis hominum millibus ei adventanti in occurſum accurrere, & lætis acelamationibus ſignificare lætitiam. His exceptus gratulationibus palatium Aquiſgranenſe ingreſſus eſt, & ſecundò Imperator acclamatus eſt. Ludovico prima cura fuit ordinare ſamiliam, & ſupremam patris voluntatem exequi. Certè Ludovici animo præclara virtutum ſemina natura inſeverat, æqui honeſtique amans erat, pietatem inprimis colere & Deum revereri ſtudebat. Aliquando repudiatis ſæculi honoribus, & poſthabitâ Regis amplitudine ſecedere in monaſterium exemplo patrui Carolomanni ei venit in mentem, ſed patris prohibitus Imperio conſilium poſtea mutavit. In Aquitania ad diſciplinam cleri inſtituendam ſedulam poſuit operam. Clerici, antequam ad regnum accederet more militum ſpretâ religione bellicis artibus intenti penitus erant, nihilque aliud agere iis conſuetum erat, quàm equitare, tela & ſagittas mittere, torquere jacula, aliiſque exercitationibus bellicis occupare tempus, quas non modò regia auctoritate, ſed cura etiam ſacerdotali abſtulit, juſſitque ut clerus divino miniſterio appelleret animum, ſcripturæ ſanctæ doctrinâ mentem imbueret, orationi vacaret, & ageret quæ decreta patrum jubent, quæ ordo clericorum, quæque Eccleſia poſtulat. Multa, dum regnum Aquitaniæ adminiſtravit, monaſteria aut à fundamentis extruxit;

LIB. VI. CAP. I. aut collapſa reſtituit, ſingulis autem hebdomadis ipſe cauſas audire, & eâ æquitate reddere jus, ut, etſi nihil ad gratiam dicebat, tamen nihil non gratum omnibus pronunciaret. Sub ejus imperio opes Aquitanicæ, quæ penè ſub aliorum poteſtate everſæ fuerant, valere plurimùm cœperunt. Cùm aliquando Archambaldus Carolo Imperatori à commentariis ad eum à patre delegatus veniſſet, hanc ordinandi regni rationem admiratus eſt, redienſque ſingula patri renunciavit, quæ Imperator lætus accepit, adeò ut præ lætitia lacrymæ ſeni defluerent, exclamaretque, *ô ſocii victos nos gratulemur ab hujus juvenis ſagacitate*. His experimentis Ludovicus ad Imperium acceſſit. Prima illi cura fuit teſtamentum patris implere, feminas, quarum in aula magnus numerus erat, ex palatio exigere, & ipſas aliò compellere ſorores, quarum dubiam eſſe famam graviter tulerat, quo uno nævo Caroli Imperatoris domum fœdatam antiquus ſcriptor memorat. Ordinatis rebus privatis, publicis intendere animum cœpit: legationes ſuſcepit, conventum ex optimatibus Aquiſgrani habuit, legatoſque ſeu Miſſos in omnes Imperii provincias ire juſſit, ut opitularentur miſeris, quos iniquitas judicum opprimebat, quos vis & impotentia magnatum aut facultatibus aut bonis, aut aliquando libertate ſpoliaverat. Pluribus ſunt reddita patrimonia, & plures è ſervitute ejus beneficio in libertatem vindicati. Bernardus ex fratre Pippino nepos eâ tempeſtate ad eum venit, multiſque donatum muneribus in Italiam remiſit. Ludovico erant duo filii Pippinus & Lotharius, hos provinciis, immò & regno donare utrumque inſtituit. Bajoariæ Lotharium præfecit, & Pippinum Aquitaniæ, patrem imitatus, qui Pippino regnum Italiæ & ſibi Aquitaniam cum Regis nomine conceſſerat. Lib. 3. cap. 7. Extat in antiquitatibus Dionyſianis præceptum Ludovici Pii hoc anno datum Aquiſgrani, hoc privilegium eſt quo immunitas & tuitio monaſterio Dionyſiano aſſeritur, ne Epiſcopus aut alius quilibet judex judiciariam poteſtatem habeat in cellulas, eccleſias, loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones, quas poſſidet monaſterium. Quod præceptum Hilduino conceſſum legitur.

II. Superiùs de Abbatibus Dionyſianis dictum eſt & plura de Fardulfo Abbate memorata ſunt, obiiſſe exiſtimant anno DCCCVI. huic verò ſucceſſiſſe Vvaltonem antiqua monimenta tradunt. Vvalto priùs fuerat Abbas Augienſis; jamque ab anno DCCLXXXVI. deinde DCCCVI. tranſlatum ad cœnobium ſancti Dionyſii prope Pariſios, & illud rexiſſe uſque ad annum DCCCXIV. Scribunt; de eo leguntur verſus, & ſub ejus nomine acroſtichis Act. Bened sæcul. 4. p. 1. in viſione Vvetini Augienſis monachi, quam Vvalafridus Strabo verſibus reddidit, quos referre haud moleſtum eſt.

His viſis celſum cælo montemque propinquum
Adſpiciunt, dum ductor ait: hac arce tenetur
Abbas, ante decem corpus qui liquerat annos,
Ventorum incurſus tempeſtatumque furores,
Vim pluviæ multumque imbrium diſcrimen ibidem
Abluit incauto quidquid neglexerat actu:
Lætus ut æterni ducatur Regis in aulam,
Deliciaſque ſacras ſanctorum ſedis in ævum
Obtineat, pœnaque carens ubi vita ſequatur.

Vvaltoni ſeu Vvaldoni Hilduinus ſubrogatus eſt, de utroque in libris de miraculis ſancti Dionyſii mentio eſt in lib. 1. cap. xxv. ſic legimus. *Poſt Fardulfi obitum Vvalto gubernandi cœnobium beatorum martyrum curam ſuſcepit.* Ejus obitus annotatur in necrologio Argentogilenſi his verbis. v. *Calend. Aprilis obiit Vvalto Abbas ſancti Dionyſii.* Libro ſequenti de miraculis ſancti Dionyſii cap. 1. memoratur Hilduinus his verbis. *Regimen præfati ſæpè numero monaſterii poſt Vvaltonem Hilduinus emeruit &c.* In eodem necrologio Hilduini obitus notatur his verbis x. *Calend. Decemb. obiit Hilduinus beati Dionyſii monachus & Abbas.* De eo poſtea aliis in locis erit ſermo.

III. Renunciatum eſt Ludovico Imperatori Romæ tumultus fuiſſe in ſummum Pontificem excitatos, primores in ejus vitam conſpiraſſe, & in auctores capi-

tali ſupplicio animadverſum. Moleſtè id tulit Ludovicus, Bernardum Regem LIB. VI. CAP. I.
Italiæ Romam miſit, qui quo in ſtatu Romæ res eſſent per Geroldum Imperatori ſignificavit. Leo ipſe legatos miſit, qui calumniam depellerent; ſævior poſtea exarſit ſeditio; auctores enim ſeditionis comperto Leonem in lecto ægrum decumbere, prædia ejus diripere & incendere cœperunt, parabantque tumultuariò Romam infeſtis telis ire, niſi Bernardus eorum impetum per Vvinigiſum Ducem Spoletanum prohibuiſſet. Cauſam an prætextum ſeditionum mors Leonis PP. ſuſtulit, anno enim ſequenti deceſſit è vita VIII. Calendas Jun. ut noſtri auctores memorant, vel pridie Idûs Junias, quod Anaſtaſius ſcribit. Stephanus V. PP. in ejus locum omnium votis ſuffectus eſt. Hic primùm omnes ad concordiam convocare, revocare exules, parcere cunctis, vel iis, qui in Eccleſiam vel in Leonem prava conſilia moliti fuerant. Inſuper Imperatori ſignificavit brevi ſe ad eum venturum, acturumque corâm de pace, & unitate Eccleſiæ, nunciaret locum quò veniret & ſermonem cum eo conferret. Imperator Bernardum Regem ei comitem in itinere honoris cauſâ eſſe juſſit, miſitque ei obviam Hildebaldum Archicapellanum ſacri palatii, Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum, & Joannem Arelatenſem alioſque complures. Ipſe ſummum Pontificem Remis expectabat, quem ut adventare accepit, ei obviam profectus eſt. Ait antiquus annaliſta tribus vicibus pronum coram eo in terram honoris tribuendi cauſâ concidiſſe, ac deinde eum ſalutaſſe, bonaque verba illi apprecatum. Proximâ die Dominicâ ſummus Pontifex inter ipſa ſacra inaugurare Imperatorem & Irmingardam cœpit coram clero & populo inungere, inſuper Auguſto imponere coronam magni pretii, quæ ex auro erat, & divitibus gemmis decorata, ſic pariter Irmingardam Auguſtam appellavit, & caput ejus corona aurea redimivit. Aliis diebus ſummus Pontifex de rebus & commodis Eccleſiæ cum Rege communicare, quibus ordinatis ad reditum ſe Pontifex accinxit, pluribuſque donatus muneribus in Italiam reverſus eſt. Non diu Stephanus Papa huic itineri ſupervixit, anno enim ſequenti VIII. Calendas Februar. diem obiit, geſſit Pontificatum menſes ſeptem cum tribus diebus; huic ſucceſſit Paſchalis. Anaſtaſius ejus virtutes meritaque fusè deſcribit. Is ſtatim atque electus eſt, legationem honorificam Imperatori miſit cum multis muneribus, eique ſignificavit ſe invitum & renitentem unanimi populi electione; & acclamatione ad pontificatum evocatum fuiſſe. Theodorum nomenclatorem legationis principem & alios Auguſtus benignè recepit, donationeſque olim à Pippino & Carolo-magno Eccleſiæ Romanæ factas non modò confirmavit, ſed novis inſuper augmentis amplificavit.

Imperator generalem Aquiſgrani conventum habuit, ubi Synodus fuit, con- IV.
gregatique plures Epiſcopi, duo ex Concilio libri prodierunt, ubi de ritu & regula canonicorum & canonicarum pluribus actum eſt, dataque præcepta canonicæ vitæ, ut quæ olim ſparſim ſacris canonibus & ſanctorum patrum injecta ſcriptis, atque minùs cognita rudibus & imperitis, in unum collecta omnibus uſui eſſent, & ex dictis ſcriptiſque ſanctorum Patrum forma canonicæ inſtitutionis haberetur, ad quam præpoſiti ſubditique vitam componerent, & ut loquuntur, *per viam propoſiti ſui inoffenſo gradu incederent, & in Chriſti militia devotiùs unanimes atque concordes exiſterent.* Cùm itaque Imperator & copiam librorum ſuppeditaſſet, Pontifices ipſi ad inſtituendos canonicos & canonicas præclara ediderunt documenta, quæ deinde ad ſingulas Eccleſias tranſmiſſa ſunt, ut ſecundùm mores in his traditos eorum vita informaretur. Hanc verò conſtitutionem editam eſſe anno DCCCXVI. Indictione x. anno tertio Imperii præfatio refert. Indictio hæc, ut annotat Cointius, non poteſt congruere niſi poſt menſem Septembrem, quo menſe cœpit Indictio x. reliquo enim anno nona Indictio numerata eſt. Verùm Ludovicus Aquiſgrani id temporis non permanſit, adventus enim Stephani PP. Ludovicum Remos accivit jam ante menſem Septembrem, ſed quod ampliùs eſt, antiqui ſcriptores ſcribunt unanimiter Aquiſgranenſem illum conventum habitum anno DCCCXVII. cùm enim Imperator feria quinta egrederetur ex eccleſia, & lignea porticus for-

Digitized by Google

tuitò corruiſſet, pluresque ex caſu cecidiſſent & vulneribus graviſſimis fuiſſent affecti & Ludovicus ipſe vulnus accepiſſet, aiunt auctores opera medicorum citò convaluiſſe, & viceſimo die Noviomagum profectum ad venandum, & reverſum generalem conventum Aquiſgrani habuiſſe. Quod memorat illius ætatis ſcriptor, qui ejus geſta diligentius exaravit. *Adhibito medicorum ſtudio quàm brevi priſtinæ ſaluti eſt reſtitutus. Viginti namque peractis diebus, Noviomagum ad venandum petiit, quo peracto negotio Imperator generalem habuit conventum Aquiſgrani.* Hoc ipſum tradunt chronographus Moiſſiacenſis, annales Bertiniani & Mettenſes. Qui verò Pontifices huic conventui interfuerint haud facile dictu eſt. Magnonem Archiepiſcopum Senonenſem huic interfuiſſe patet ex epiſtola Ludovici Imperatoris ad eumdem miſſa, quâ ſignificat ſe Aquiſgranenſis conventûs acta mitrere: quæ quia illi aliiſque *tranſcribendi anguſtia temporis facultatem denegavit, ſtudii ſui fuiſſe eam diligenter tranſcribi jubere.* Neque vereor dicere quin Senonicæ provinciæ Epiſcopi & Inchadus maximè Epiſcopus Pariſienſis, metropolitanum ſuum ſint comitati. Duobus libris capita Concilii contenta ſunt, quæ ſi ſingula memorem, longior ſim, collectionem Conciliorum conſulere cuique integrum eſt, ſingula capita excerpta ſunt inprimis ex dictis ſanctorum Patrum. Abbates quoque eodem anno & in eodem loco cum ſuis monachis plures ſanciverunt canones, ſeu plura capitula, quæ monachis omnibus ſervanda eſſe conſtituerunt, habentur in collectione Conciliorum, ſuntque numero LXXX. Addit ſcriptor vitæ Ludovici pii ab Imperatore conſtitutum *Benedictum Abbatem & cum eo monachos ſtrenuæ vitæ, qui per omnia monaſteria monachorum euntes redeunteſque uniformem traderent cunctis monaſteriis, tam viris quàm ſanctimonialibus feminis vivendi ſecundùm regulam ſancti Benedicti incommutabilem morem.* Quis autem is Benedictus fuerit, paucis referam. Benedictus Magalonæ in Gallia Narbonenſi natus eſt ex nobili familia. Pater ejus comitatum Magalonenſem ſub auſpicio Regum Francorum geſſerat. In monaſterio ſancti Sequani monachum agere cœpit anno DCCLXXIV. Cellam deinde in paterna poſſeſſione, tum monaſterium condidit, & Aniana, quòd ad fluvium Anianum conſtructum eſt, vulgò dici cœpit. Memoratum eſt ſuperiùs, ut Felicianæ hæreſi, quæ in his ſerpebat provinciis, fortiter reſtiterit. Ea verò morum ſanctitate vixit, ut plures ſui temporis Epiſcopi ejus opera uterentur, ut labentem in monaſteriis diſciplinam reſtituerent. Quin & ipſe Imperator Ludovicus, ſicut olim cùm adhuc Rex Aquitanorum erat, eum ad reformandos monachorum mores monaſteriis Aquitaniæ præfecerat, ita eum cunctis Galliarum cœnobiis præpoſuit, ut ad rectam monaſticæ inſtitutionis formam ea reduceret, longè enim monachi à ſeveritate majorum deſciverant. Seu ſenſim in mores monachorum licentia vitæ laxioris irrepſerat, ſeu hoc malum induxerant amplæ poſſeſſiones, quibus abundabant, quaſi cum paupertate boni quoque mores exulatum abiiſſent, luxuſque, vita lautior, otiumque jejuniis & durioribus vitæ inſtitutis ſucceſſiſſent, ſeu ad regimen monaſteriorum plerúmque cooptati, non tam qui aſperitate vitæ & morum integritate magis clari eſſent, quàm qui plus in ſæculo dignitare & gratia valerent; huc acceſſit nova canonicorum inſtitutio, in quorum formam vivendi catervatim ea tempeſtate monachi tranſierant: ſeu aliæ extiterunt rationes, quæ mihi haud compertæ ſunt. Ludovicus ob eam cauſam Benedictum Anianenſem ſeu Indenſem Abbarem, tum enim hoc monaſterium regebat, nominavit, ut ad veterem vivendi formam monachos inſtitueret, variaſque monachorum inſtitutiones ad unam eamdemque ſancti Benedicti regulam componeret. Congregatis igitur Aquiſgrani, ut dictum eſt, pluribus monachis, his imprimis, qui plus ſapientiâ, morum probitate, & honoribus in monaſteriis præſtarent, regulam de integro ſigillatim diſcutere, momenta ſingula expendere, illuſtrare loca obſcuriora, aufferre errores, qui irrepſerant, utiles confirmare conſuetudines, ex his verò capitularia edita, quæ auctoritate Imperatoris ſancita ad ſingula monaſteria miſſa ſunt, ut omnia penitùs in unam eamdemque regulam coirent, unâ ſcilicet omnes monachi uterentur menſurâ in potu & in cibo,

idem modus eſſet vigiliarum, & una eſſet ubique modulandi ratio, una demùm in cunctis monaſteriis regula obſervaretur; quæ ut omnia accuratè fierent, Imperator inſpectores in monaſteria miſit, qui aut formam vivendi traderent, aut in formam vivendi inquirerent. Hæc verò omnia duce inprimis & auctore Benedicto Anianenſi ordinata ſunt. Inter monaſteria, in quibus nervi & vires diſciplinæ conciderant, Dionyſianum monaſterium numerabatur: corruerat penitus ille vigor monaſticus, qui antiquitus ſub præpoſitura antecedentium Abbatum viguerat. Illi itaque in proclive ſemel incitati inſtitutionem canonicam amplexi ſunt, neque ampliùs monachi, ſed canonici extiterunt, omnes ab antiquis moribus deſciverant, paucis exceptis, qui propterea in cellulam conjecti ſunt. Hincmarus his temporibus ad Dionyſianos ſeceſſit, & canonicorum diſciplinâ imbui cœpit, poſtquam in palatio Imperatoris aliquamdiu manſiſſet, ad monaſterium rediit, ubi Dionyſiani jubente Ludovico regularem vitam & habitum receperunt. Extat ea de re præceptum Imperatoris, de quo alias dicendi locus erit, in quo legimus boc monaſterium, uti aliàs dictum eſt, conditum à Regibus Francorum, multiſque decoratum privilegiis, ut qui in eo verſarentur, Deum religioſè colerent: & poſtmodùm nulla neceſſitate, nulla cogente inopia, immutata eſſe inſtituta vitæ auſterioris. Sed ut decorem & honeſtatem reſtitueret, duos ab illo delegatos vitæ venerabilis viros Benedictum & Arnulfum Abbates *ad monaſticæ inſtitutionis normam corrigendam.* Verùm illi variis Dionyſianorum artibus decepti, re infectâ redierunt, perſtiterunt in nova canonicorum inſtitutione neque ad antiquos mores reduci ſe paſſi ſunt, donec Ludovicus Imperator anno DCCCXXXII. edito ea de re præcepto eos ad monaſticam diſciplinam revocavit. LIB. VI CAP. I.

Sed cùm ea tempeſtate canonicorum inſtitutio floreret, & in Aquiſgranenſi Synodo de eorum ordinatione & moribus decreta inſtituta ſint, & ab Incbado Epiſcopo Pariſienſis Eccleſiæ canonicis bona eccleſiaſtica primùm diviſa ſint, ut mox dicemus, operæ pretium me facturum eſſe exiſtimo, ſi eorum originem & prima eorum inſtituta inquiram. Clericos in privatis ædibus plerúmque babitaſſe certum eſt, & hoc probant quæ Synodi de iis decernunt. Vetat Nicæna Synodus, ne quis clericorum habeat ſecum mulieres introductas, niſi forte matrem vel ſororem, vel amitam, aut alias, quæ omni ſuſpicione careant, ex quo Patrum decreto haud dubiè colligas, morem olim clericorum fuiſſe vel in domibus paternis habitare, vel in privatis ædibus ſeorſim à conſortio hominum, ut remoti à cura rerum ſæcularium Deo vacarent, & faciliùs obirent munera eccleſiaſtica. Clericos in commune vitam duxiſſe primis Chriſtianitatis temporibus non reperio, neque de bac communi clericorum vita ſancitos ab origine canones eſſe, ſuccedentibus tamen annis fuiſſe clericos, qui in congregatione ſimul viverent baud dubium eſt. Memorat Poſſidius cum ſancto Auguſtino ſemper clericos fuiſſe una in domo ac menſa, qui ſumptibus communibus alebantur & veſtiebantur. Auctor vitæ contemplativæ, ſeu ſanctus Proſper fuerit, ſeu magis, quod multi hodie aſſerunt, Julianus Pomerius ſit, alios dicit clericos in ſuis domibus vivere, alios in congregatione. *Clerici quoque*, inquit, *quos pauperes aut voluntas, aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ neceſſaria, ſive in domibus ſuis ſive in congregatione viventes accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, ſed cogit vivendi neceſſitas.* Ex vita ſancti Germani Pariſienſis Epiſcopi, quam Fortunatus ſcripſit, & ex verſibus ejuſdem auctoris facilè colligas fuiſſe quoque clericos in ædibus Epiſcopi Pariſienſis, qui cum eo in commune viverent. Seminaria quoque clericorum in quibuſdam Eccleſiis fuerunt, ubi juvenes, vel quos parentes Eccleſiis obtulerant, vel quos Epiſcopus ad clericatum allegerat, à preſbytero pietate & doctrinâ claro ſub Epiſcopi moderamine ad res religionis & Eccleſiæ inſtituebantur. Huc accedit quòd ſæpiùs clerici apud antiquos canonici appellantur. Patres Græci ſæpe pro clericis nomen canonicorum uſurpant, ſæpe ſanctus Baſilius, ſanctus Chryſoſtomus banc appellationem clericis tribuunt, id verò nominis ſortiti ſunt, quoniam albo Eccleſiæ ſeu canoni inſcribebantur, V.

De Contemplat. vita lib. 2. cap. 11.

 eoque nomine ſportulam ab Eccleſia accipiebant, etſi canonicorum nomen ſeriùs in occidente uſurpatum; uſurpatum tamen eſt eo, quo diximus, ſenſu, ut in Synodo Arvernenſi legimus canone XV. *Si quis ex presbyteris aut diaconis, qui neque in civitate neque in parrochiis canonicus eſſe dignoſcitur. Sed in villulis habitans, in oratoriis officio ſancto deſerviens celebrat divina myſteria, feſtivitates præcipuas, Domini natale, Paſcha, Pentecoſten, etſi quæ principales ſunt, nullatenus alibi niſi cum Epiſcopo ſuo in civitate teneat* &c. Ex his manifeſtum eſt id de iis dictum, qui matriculæ ſeu Eccleſiæ canoni inſcripti annonam habebant ab ea Eccleſia cui miniſtrabant: habita eſt illa Synodus anno DXXXV. Quod & clariùs expoſitum legas in Concilio Aurelianenſi III. canone XI. Patres enim contra clericos, qui officium ſuum implere detrectant, ſic decernunt. *Inter reliquos canonicos clericos, ne hàc licentiâ alii vitientur, nullatenus habeantur, neque ex rebus eccleſiaſticis cum canonicis ſtipendia aut munera ulla ſuſcipiant.* Ex quibus verbis haud dubium eſt, quin ii clerici canonici dicantur qui ſtipendia perciperent ab Eccleſia, quibus cariturus cenſet Synodus, niſi ſuo munere ritè perfungantur. Ex his porrò, quæ retuli conſtat, & prioribus ſæculis clericos in aliquot locis in commune vixiſſe, & clericos non quidem omnes, ſed eos potiſſimùm canonicos dictos, qui ſumptibus Eccleſiæ vitam tolerârent, & ſtipendiis Eccleſiarum Deo militarent. Sed nondum tamen in eccleſiis majoribus capitula ſeu collegia canonicorum erant, certè hi, qui matriculæ Eccleſiæ inſcripti alimoniam ab ea ſumebant, canonici erant, qui neque in commune vitam degebant, nec alicujus præpoſiti poteſtati obnoxii erant, niſi fortè ob aliquod miniſterium, quod agebant in eccleſia; neque alii, qui ea tempeſtate vitam in commune ducebant, propterea canonici erant, eorum enim non tam inſtitutio vitæ erat, quàm oblata fortè cum Epiſcopo vitæ inſtituendæ ratio, neque alteri præpoſito quàm Epiſcopo, propter illam inſtituendæ vitæ rationem ſubjiciebantur, neque à clericorum aliorum bonis ſeparatæ eorum poſſeſſiones erant, neque illa forma inſtitutionis erat, ut decedente Epiſcopo alius qui ſuccederet cum clericis vivere in commune teneretur, neque demùm hi clerici magis canonici dicebantur, quàm alii, qui quemadmodum illi ex ſtipendiis eccleſiæ alerentur. Sanè longè ab iis, qui poſtea canonici dicti ſunt, diſcrepabant, ut modò memorabimus. Qui canonicos citiùs cœpiſſe volunt, hi non modo quæ antea retulimus, in ſuam trahunt ſententiam, ſed quædam præterea ex recentioribus qui geſta ſanctorum ſcripſerunt, atque etiam quædam proferunt aut malè intellecta aut corruptè ſcripta, quæ ſi ſingula referre, & examinare aggrediar, longiùs protraham ſermonem. Hi Baubinum Archiepiſcopum Turonenſem referunt canonicorum menſam Turonis inſtituiſſe circa annum DL. quod à Gregorio Turonenſi relatum eſt lib. X. cap. XXXI. quod explicari non debet de his, de quibus modò dicemus canonicis, ſed de portionibus clericorum, ex quibus Baubinus menſam feciſſet, quæ quoniam ex his ſtipendiis facta fuerat, quæ clericis canonicis diſtribuebantur, canonicorum menſa dicta fuit. Si enim id dictum eſſe voluiſſet de canonicis, qui in congregatione viverent rem aliter Gregorius expoſuiſſet, collegiique ſeu capituli canonicorum hic & aliàs ille Epiſcopus Baubini ſucceſſor meminiſſet. Addunt privilegium ſancti Landerici, in quo eſt mentio fraternitatis canonicorum, quod antea, ut ſpurium & ſuppoſitum rejecimus; ſed de his ſatis ſuperque. Etſi verò hæc clericorum communis vita, de qua dictum eſt ſuperiùs alia erat, & aliud nomen canonici prioribus temporibus, quàm modo, ſonabat, haud tamen diffiteor ea omnia fuiſſe, quaſi quædam rudimenta & exordia naſcentis canonicæ vitæ, ex quibus prodierunt regulæ & certa canonicorum inſtituta, quæ tamen non fuerunt ante principatum Pippini Regis. De his verò modo nobis dicendum eſt.

VI. Jam multoties de damnis dictum eſt, quæ Eccleſia Gallicana tulit ex Præfectorum palatii diſſentionibus, belliſque pluſquàm civilibus, quæ ex iis orta ſunt. Dum enim bella ſæviunt, quiſque negligere leges eccleſiaſticas, quiſque inter domeſtica diſſidia vivere, non prout jus & ratio ſuadebant, ſed pro temporum licentia eas ſequi leges, quas impetus & audacia ſuggeſſerant, neque modo

modo populus corrumpi cœpit, ſed ea quoque pernicies monachos & clericos invaſit. Illi de priſtina ſeveritate plurimùm remittere, clerici verò, preſbyteri, & ipſi Pontifices relicta gregis cuſtodia ſagum induere, & qui debuerant ex munere ſacerdotali precibus cælum pulſare, & pacem votis & orationibus conciliare, claſſicum ipſi canere cœperunt, & omnia permiſcere. In ea rerum perturbatione, laici invadere eccleſias, præfici monaſteriis, bona & facultates eccleſiarum rapere & ſacra incæſtare. Redditâ verò provinciis pace quo tempore Carolus Tudites ſolus rerum potitus eſt: Sacerdotes, quos publica hæc calamitas in vitium non traxerat, reſarcire damna inſtituunt, & quiſque pro modulo efficiunt, ut reſtituant diſciplinam, & ad priſcos mores clericos inprimis revocent. Inter pias artes, quibus tunc temporis uti licuit, hæc potiſſimùm utiliſſima Eccleſiæ, qua quidam Epiſcopi uſi ſunt: clericos nempe, quos acerbior tempeſtas diſſipaverat, colligere in unum, ut pia æmulatione ad pietatis & religionis officia ſeſe invicem provocarent, neque dubito, quin ſtatim aliquot Epiſcopi hanc expeditam reſtituendi cleri rationem ſecuti ſint. Sed aliorum certè Epiſcoporum norma & exemplum fuit Chrodegangus Epiſcopus Mettenſis, qui ſub principatu Pippini clericos non ſecus ac monachos in clauſtris vitam agere docuit, & ex regulis præceptiſque certis mores informare, hoc auctores illorum temporum teſtantur. Paulus diaconus in libro de Mettenſibus Epiſcopis ſic loquitur. *Hic clerum adunavit, & ad inſtar cœnobii juxta clauſtrorum ſepta converſari fecit, normamque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent; quibus annonas vitæque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis ſolummodo officiis excubarent.* Et illorum temporum chronographus hæc de eodem. *clerum quoque ſuæ diœceſis à religionis fervore jam tunc, ut & nunc, omnimodis exorbitantem inſtar cœnobiorum adunans, regularia eis præcepta, qualiter in Eccleſia militare deberent, vitæque neceſſaria ſufficienter inſtituit.* Quid eſt verò quod Chrodegangi inſtitutionem canonicorum maximè prædicant? niſi quòd illum hac ætate reſpexerint tamquam auctorem hujus ordinationis: & in prologo non dicit ſe cujuſquam in ea re exemplum ſequi, neque impulſum ſe anteriore aliorum Pontificum auctoritate, ſed negligentiâ cleri. *Cùm in tantam*, inquit, *negligentiam clerum plebemque deveniſſe conſpicerem, cœpi mœſtus conquirere quid agere deberem. Sed divino fultus auxilio, fratrumque ſpiritualium conſolatione adjutus, volui neceſſitate compulſus parvum decretum facere, per quod ſe clerus ab illicitis coerceat, vitioſa deponat, mala diu longéque uſurpata derelinquat, ut dum mens ab aſſuetis vitiis vacuatur, faciliùs quæ bona optimaque ſunt inſerantur.* Neque hîc quidquam legas, quod oſtendat hanc ſuam regulam canonicorum Roma aut aliunde allatam eſſe, quod utique non omiſiſſet, ut huic nomen & auctoritatem faceret. Ceterum ex illius regulæ capitulis intelligimus de clericis canonicis novam eſſe inſtitutam ordinationem, clericos nempe clauſtrotum ſeptis tum primum concluſos communem habuiſſe menſam, unum congregationi fuiſſe dormitorium, miniſtros ſicut in monaſteriis fuiſſe, cellerarium, & portarium ſeu oſtiarium, ipſis à Chrodegango præpoſitos fuiſſe archidiaconum & primicerium. Jam tunc eos ad capitulum conveniſſe, officium præcipuum fuiſſe canonicorum canere in eccleſia laudes Deo horis, ut vocant, canonicis, quædam illis præſcripta eſſe præcepta, quibus ad virtutes Chriſtianas incitarentur, ut inprimis excolerent humilitatem, mutuâ ſe ſe invicem caritate proſequerentur, & pœnitentiæ ſe legibus ſubjicerent, ſi deliquiſſent. Præterea quædam in ea regula leguntur quæ de rebus externis inſtituta ſunt, de veſtibus, de calceamentis, de cibo & potu, quæ omnia quiſque, ſi lubitum eſt, in hac de canonicis Chrodegangi inſtitutione poſſit legere. Multi poſtea Epiſcopi ad exemplum illius ſe compoſuerunt, & pariter clericos in unum cogere cœperunt, habere clauſtra, communem menſam & alia ſimiliter quæ memorata ſunt: non verò iiſdem utebantur legibus & regulis, quas Chrodegangus præſcripſerat. Cùm enim eſſent clerici, utebantur inprimis canonibus, & ſua inſtituta ad eorum normam dirigebant: neque dubito quin ad retinendam diſciplinam quiſque Epiſcopus pro rerum, perſonarum, &

LIB. VI. CAP. I.

LIB. VI. CAP. I. locorum opportunitate leges congregationi commodas tuliſſet; in ea verò æſtimatione cœperunt eſſe, ut etiam ipſi monachi ſæpiùs abdicatâ profeſſione monaſticâ ad eorum inſtituta ultrò tranſierint. Modo diximus Dionyſianos monachos canonicorum inſtituta amplexos eſſe, Martinianos pariter jam à tempore Alcuini ad canonicos transfugiſſe certa memoria eſt, ita Fontanellenſes, Augienſes & Ferrarienſes monachos, aliosque, quos prætereo à monachis tunc ad canonicos defeciſſe accepimus. Multi itaque, tam canonici, quàm clerici novam hanc vitæ canonicæ rationem adhibuerunt. Verùm neutiquam omnes canonici eaſdem regulas obſervabant; etſi quiſque profitebatur ſe ex regulis canonicis ſtatutiſque Conciliorum vivere, & aſſerebant ſe propterea canonicos appellari. Illa autem diverſitas non modo ex varietate locorum & perſonarum orta eſt, ſed ex ipſis decretis & canonibus, qui ſparſi per varias Synodos diversè à pluribus aſſumebantur. Ex illa varia obſervatione aliud malum oriebatur, quòd ſcilicet cùm incertis ſparſiſque regulis uterentur, facile à diſciplina regulari deſciſcerent, & inſtitutio canonica anceps vacillanſque facilè in proclive rueret, neque ullo modo poſſet retineri. Ut huic occurrerent malo Epiſcopi expoſtulationem de eo negotio apud Imperatorem facere cœperunt, ob eamque cauſam Aquiſgranenſe congregavit Concilium, & in eum modum inſtitutionis canonicæ liber ſcriptus eſt, datæque regulæ canonicis ne amplius varia dubiaque obſervatio vacillaret. Placuit primùm ex dictis SS. Patrum & ex Conciliis quædam documenta in unum congerere, tum tradere certa capitula, quæ canonici diligenter obſervarent, idque in Aquiſgranenſi Concilio factitatum eſt: hocque primum eſt, quod capita centum & tredecim continet, hancque longam capitum ſeriem texuit Amalarius diaconus, quem nonnulli perperàm confundunt cum Amalario Trevirenſi Archiepiſcopo, hæcque prior pars Patribus probata: pars altera triginta duo comprehendit capita, quæ ipſi Aquiſgranenſis Concilii Epiſcopi condiderunt, & ex quibus compoſita eſt generalis regula canonicorum, ut non amplius dubiis & incertis regulis viverent, hancque regulam juſſit Ludovicus per totum regnum publicari, & ubique à canonicis obſervari. Jam tum fuiſſe canonicos in Eccleſia Pariſienſi haud dubium eſſe reperio ex his, quæ inferiùs fusè memorabimus, & de quibus paucis dicetur in anteceſſum. Incbadus enim paucis poſt annis, cùm antea ſolitus eſſet ſtipendia canonicis eccleſiæ majoris diſtribuere, cum ipſis partitus eſt bona eccleſiaſtica, & multas villas eis diſtribuit; hancque conceſſionem ſeu partitionem ſollemni Concilio Pariſiis habito ratam confirmatamque eſſe voluit. De eo negotio fusè dicemus aliàs, & acta donationis ex tabulario Pariſienſi integra referemus. Poſtquam canonicis præſcripta ſunt præcepta in Synodo Aquiſgranenſi, multi Epiſcopi de ſtipendiis canonicorum cogitare cœperunt, & ea procurare, quibus alerentur, nonnulli quidem ea diſtribuere ſtipendia, quæ ſolebant antea dare clericis, qui albo ſeu canoni Eccleſiæ inſcripti erant, alii ſtatim ſuam illis portionem ex fundis eccleſiaſticis facere. Narrant geſta Pontificum Autiſſiodorenſium Angelelmum Autiſſiodorenſem Epiſcopum canonicis vitam regularem impoſuiſſe, & ob tutelam religionis clauſtri cuſtodiam inſtituiſſe, ordinatas eorum uſibus diverſas competentesque officinas, poſſeſſioneſque & villas, & alia quædam jura eorum ſtipendiis ab eo aſſignata eſſe.

VII. Præter illa monaſtica & canonica inſtituta, de quibus dictum eſt, Imperator de monaſteriis Aquiſgrani ſollemni conventu conſtitutum ſcribi juſſit, & inter diſpoſitiones Imperii ſtatuit, *quæ monaſteria in regno vel imperio ſuo dona & militiam facere deberent, quæ ſola dona ſine militia, quæ verò nec dona nec militiam, ſed ſolas orationes pro ſalute Imperatoris vel filiorum ejus & ſtabilitate Imperii.* Ex monaſteriis, quæ in indice leguntur, Foſſatenſe monaſterium habetur, annumeraturque inter ea, quæ nec dona nec militiam debent, ſed ſolas orationes. De illo monaſterio aliàs dictum eſt. Ex eo tempore plures Abbates ſibi invicem ſucceſſerunt, Elafredus ſcilicet circa annum DCCLII. Richardus, Henarchus circa DCCLXVIII. Rainaldus, Richarius, Optatus Benedi-

ctus, non is, qui Anianenſis, ſed Foſſatenſis monaſterii Abbas ſolummodo, ut ex LIB. VI. chartis, quas modo memorabimus, certum eſt. Bego Comes, ut puto Pari- CAP. I. ſienſis cùm intellexiſſet hoc monaſterium temporum injuriâ, ſeu monachorum incuriâ prope deſtructum eſſe, hoc ſuis impenſis pro remedio animæ ſuæ refici curavit, quod litteræ Ludovici Imperatoris datæ Aquiſgrani conceptis verbis habent, hæ litteræ in gratiam Foſſatenſis monaſterii ſcriptæ ſunt anno II. ejus Imperii XII. Calendas Julias. Indictione IX. Jubet his litteris Imperator, ut monaſterium ſub ſua *defenſione & immuuitatis tuitione* permaneat, decernitque, ut *nullus Iudex publicus, vel quiſlibet judiciaria poteſtate in Eccleſias, aut loca vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti monaſterii, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter poſſidere videtur in quibuſlibet pagis & territoriis* agere præſumat. Concedit inſuper *quidquid de rebus præfati monaſterii fiſcus ſperare poterat, totum pro æterna remuneratione, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat.* Demùm dat poteſtatem eligendi Abbatem. Hæc & alia pius Imperator in gratiam monaſterii Foſſatenſis, hæ poſtea litteræ confirmatæ ſunt à Carolo calvo Rege in Corbanaco palatio Calend. Septemb. anno regni ejus II. deinde à Philippo Rege anno MCCLXXXI. & à Carolo ejus filio. Anno ſequenti idem Imperator ad petitionem Begonis illuſtris Comitis conceſſit Benedicto Abbati, & monachis ejuſdem monaſterii litteras mundeburdii & defenſionis, datæ leguntur Aquiſgrani anno III. ejus Imperii in vetere chartulario hujus monaſterii, quæ etiam poſtea à Carolo calvo Rege confirmatæ ſunt. Utraſque vero litteras tibi exhibemus.

In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti Ludovicus divina ordi- VIII. *nante providentia Imperator Auguſtus. Cum petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultùs amore favemus, supernà nos gratià muniri non diffidimus. Idcirco notum ſit omnibus fidelibus noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quia Bego fidelis noſter retulit ſerenitati noſtræ qualiter quoddam cœnobiolum in pago Pariſiaco in loco, qui dicitur foſſatus, in honore beatæ Mariæ ſemper Virginis & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructum, ſitum ſuper fluvium Matronam, ubi olim monachi ſub ſancta regula deguerunt, penè deſtructum inveniens, ob emolumentum animæ ſuæ eumdem locum aſſumpto labore reſtaurare, & ad priſtinum ſtatum revocare curavit, ſed his peractis veniens ad præſentiam noſtram commendavit nobis idem monaſterium cum Abbate nomine Benedicto unà cum monachis eidem Abbati ad regendum commiſſis, obſecrans ut deinceps ſub noſtra defenſione & immunitatis tuitione, quemadmodum ceteros Abbates monachorum per Imperium nobis divinitùs conceſſum conſiſtunt, ita & illum unà cum monaſterio vel monachis & rebus vel hominibus eidem monaſterio juſtè ſubjectis conſiſtere faceremus, cujus petitionem, quam rationabilem uno Deo amicabilem, eſſe cognovimus, libenter ſuſcepimus, & per hos noſtros apices ſicut petiit, ita & conceſſimus. Proinde volumus, ut prædicti Abbas & monachi in prædicto monaſterio degentes, cum rebus, quas vel habere noſcuntur, vel deinceps juſtè acquirere poterunt, ſub noſtra defenſione & immunitatis tuitione perſiſtant, & jubemus atque modis omnibus decernimus, ut nullus judex publicus, vel quælibet judiciaria poteſtas in Eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti monaſterii, quas moderno tempore juſtè & rationaliter poſſidere videtur in quibuſlibet pagis & territoriis, quidquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina poteſtas augeri ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel parietes faciendas, aut fidejuſſores tollendos, nec homines ipſius monaſterii tam ingenuos quam & ſervos ſuper terram ipſius reſidere videntur injuſtè diſtringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ ſupra memorata ſunt, penitus exigere præſumat, & quidquid de rebus præfati monaſterii fiſcus ſperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monaſterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimonia pauperum & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, & quando quidem divina vocatione ſupradicti Abbas vel ſucceſſores ejus ab hac luce migraverint, quamdiu ipſi monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui*

LIB. VI. CAP. II. *ipſam congregationem ſecundùm regulam ſancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo famulentur pro nobis & conjuge prolceque noſtra atque ſtabilitate totius Imperii noſtri à Deo nobis conceſſi atque conſervandi jugiter Dominum noſtrum exorare delectet, & ut hæc auctoritas noſtris futuriſque temporibus Deo protegente valeat inconvulſa, manu propria ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici piiſſimi Imperatoris. Durandus diaconus ad vicem.... recognovit. Data* XII. *Calend. Iuliai anno Chriſto propitio Imperii domni Ludovici piiſſimi Auguſti II. Indictione* IX. *Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine fideliter. Amen.*

IX. *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus, omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, vicariis, centenariis, telonariis, auctionariis, vel omnibus rempublicam adminiſtrantibus, ſeu ceteris fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, tam præſentibus quam & futuris, notum ſit, quòd ad petitionem Begonis illuſtris Comitis monaſterium, quod eſt ſitum in pago Pariſiaco, in loco qui dicitur foſſatus, conſtructum in honore beatæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſuper fluvium Matronam, unà cum ejus Abbate nomine Benedicto, & fratribus ibidem degentibus, unà cum rebus & hominibus eidem monaſterio juſtè ſubjectis ſub noſtro ſuſcepimus mundeburdio atque defenſione, & deprecatus eſt, ut, quandocúmque libuiſſet, monachos in eodem monaſterio degentes miſſos ſuos in aliquam partem Imperii noſtri negotiandi gratiâ dirigere cum carris videlicet & ſaumis, ſeu navigio, vel cum quolibet negotio licentiam haberent pergendi ubi voluerint abſque alicujus infeſtatione vel contrarietate, cujus petitioni in elemoſina noſtra libenter aurem præbere complacuit, & has noſtræ auctoritatis litteras fieri juſſimus, pro quibus cunctis fidelibus noſtris præſentibus & futuris jubemus, ut uniquique miſſi prædicti Abbatis aut ſucceſſorum ejus infra juriſdictionem ejus imperii noſtri negotiandi cauſâ directi fuerint, nemo teloneum, neque quod vulgò dicitur ripaticum, neque rotaticum, aut pontaticum, vel portaticum, aut taritaticum, atque ciſpitaticum, necnon & ſalutaticum, aut ullum cenſum, aut ullum occurſum, aut ullam redibitionem ab ipſis accipere aut exactare præſumat, ſed liceat tam eos, quàm homines, vel omnia illorum cum pace diſcurrere, & negotia libenter peragere, & ad quaſcumque civitates aut portas vel loca acceſſum habuerint, nullam inquietudinem aut detentionem, aut contrarietatem ab aliquo fidelium noſtrorum patientur, ſed ubicumque directi fuerint, ſive navigio, aut terreno, ſecuri & quieti cum omnibus qui defecerint per præſentem noſtram auctoritatem ire & redire valeant, & ut hæc auctoritas firmior habeatur, & à fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris diligentiùs obſervetur, de annulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovit. Datum* XII. *Cal. Iulii, anno Chriſto propitio* III. *Imperii Domini Ludovici piiſſimi Auguſti Indictione* X. *actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.*

CAPUT II.

De præceptis à Ludovico Imperatore conceſſis Eccleſiæ Pariſienſi, & de Pariſienſi conventu, ubi actum eſt de imaginibus, &c.

I. DUM Imperator ſummo ſtudio rem Eccleſiæ promovet, Bernardus in Italia nova moliri inſtituit, Italiæ civitates in ſua verba jurare compellit, primoreſque fidem ſibi juramento obligare, & imperii ſummam poſthabito

patruo Ludovico uſurpare. Cœpit itaque facere delectum, fauces Alpium firmare præſidiis & aditus Italiæ intercludere; quod ubi Imperatori nunciatum eſt, illico cogere exercitum, convocare ad arma milites, & ſe ad expeditionem accingere. Bernardi res vel ad nuncium expeditionis everſæ ſunt, quiſque enim ſtatim reformidare potentiam Auguſti, deſerere ſtationes, à Bernardo deficere, & quærere vel in deditione vel in fuga ſalutem. Bernardus ipſe res ſuas acciſas cernens, ſe Imperatoris arbitrio permittere ſtatuit. Poſitis itaque armis ad Imperatorem, qui Cabillone morabatur, venit, tum defectionem confiteri, accidenſque Imperatoris genibus deprecari veniam. Aderant bene multi è primaribus Italiæ, qui deditionem ultrò fecerant. Imperator Regem comprehendi juſſit & conſcios conjurationis, & Aquiſgranum perduci, quò ipſe reverſus eſt. Poſt Paſcha de conjuratis acta quæſtio, in publico Francorum conventu Bernardus compertus rebellionis judicio capitali condemnatus eſt. Auguſtus vitam quidem condonavit, ſed effodi illi oculos juſſit, qui tertio poſt die an ex vulnere, an ex dolore animi interiit? Conſcii defectionis quiſque pro criminis gravitate pœnam tulerunt. Hæc procella cum primoribus aliquot Pontifices involvit, qui confeſſi crimen loco moti ſunt, & detruſi in monaſterium ex ſynodali decreto: inter eos Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus erat, doctrinâ illuſtris, & inſignis illorum temporum poëta, & hunc fecerant proditionis reum, & hoc nomine cum aliis Epiſcopis è ſede dejectus eſt in monaſterium. Ille ſuam innocentiam uſquequaque conteſtatus eſt. Extant ea de re & aliis argumentis carmina, quæ Sirmondus cum aliquot ejus libellis edidit. Imperator fratres Drogonem, Hugonem, & Theodoricum, qui ex variis uxoribus ſeu concubinis ſupererant, ne quid novi in regno molirentur, in monaſterium attonſos ire juſſit. Tum ipſe in Armorica pacatis rebus Andecavos venit, ubi ejus uxor Hermengarda v. Non. Octob. de vita deceſſit. Sequentibus annis Imperator conventus publicos pro more Aquiſgrani habuit, in quibus de pluribus negotiis tractatum eſt, & plura edita ſunt capitula, quæ, quia ad res noſtras non pertinent, prætermitto. Anno vero DCCCXX. conventum quidem habuit Aquiſgrani menſe Januario, & menſe Octobri ejuſdem anni conventum iterum fecit in Cariſiaco palatio, quo in loco edidit præceptum pro Eccleſia Pariſienſi. Præcepti cauſam accipe ex ipſis litteris. Sub principatu Caroli-magni, cùm Erchenradus, de quo antea dictum eſt, Pariſienſem Epiſcopatum gereret, accidit, ut ex oſcitantia & negligentia cuſtodum inſtrumenta & chartas Eccleſiæ Pariſienſis ignis abſumeret, quæ res haud mediocre detrimentum Eccleſiæ facultatibus attulit, concremata enim acta omnia, & monimenta per quæ conſtaret ad eam pertinere prædia, villas, poſſeſſiones, & alia quæcumque, quæ pietas anteriorum temporum huic Eccleſiæ contuliſſet. Erchenradus, ut huic malo mederetur, Imperatorem adierat, eumque rogaverat, ut per regiam auctoritatem quietè & ſecurè poſſideret res & mancipia, quæ tum cum ambuſta inſtrumenta ſunt, poſſidebat, & iiſdem legibus eodemque jure Eccleſiæ hujus rectores, quibus antea, perfruerentur. Carolus miſeratus Eccleſiæ caſum, ultrò litteras conceſſit. Inchadus verò pariter à Ludovico Imperatore rogarionem fecit, ut eaſdem litteras iteratis litteris firmaret, & quemadmodum ejus pater, ſic eas ſua auctoritate ſtabiliret: has hîc deſcripſimus ex minore Paſtorali capituli Pariſienſis. LIB VI. CAP. II.

Exemplar de omnibus rebus eccleſiæ ſanctæ Mariæ Pariſiacæ ſedis.

IN nomine Domini & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti Ludovicus divina ordinante II.
providentia Imperator Auguſtus. Si petitionibus ſacerdotum in quibus neceſſitatibus eccleſiaſticis noſtra auctoritate ſublevandis conſulimus, & ad miniſterium eorum liberiùs exequendum opem ferimus, à ſummo Pontifice Domino noſtro Ieſu Chriſto æternæ remunerationis largiri nobis præmia non ambigimus. Proinde notum ſit omnibus

LIB. VI. CAP. II.

fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia vir venerabilis Inchadus Pariſiacæ urbis Epiſcopus detulit perennitati noſtræ quamdam auctoritatem, quam Dominus & genitor noſter bonæ memoriæ Karolus glorioſiſſimus Imperator ad petitionem prædeceſſoris ſui Erchenradi ipſius civitatis Epiſcopi fieri juſſit, in qua continebatur inſertum, quod per incuriam & negligentiam cuſtodum ipſius Eccleſiæ ſtrumenta cartarum exuſta vel concremata ſive perdita fuiſſent, per quæ ſcilicet quamplures nobiles viri pro remedio animæ ſuæ res & mancipia ad ipſam delegaverans Eccleſiam, & quod idem genitor noſter per eamdem confirmaſſet auctoritasem, ut res & mancipia, quæ in eiſdem inſtrumentis inſerta fuerant, & unde prædicta Eccleſia eo tempore legibus veſtita erat jure eccleſiaſtico ſecurè & quietè rectores ipſius Eccleſiæ futuris temporibus tenerent atque poſſiderent. Petiit etiam prædictus Inchadus ſerenitatem noſtram, ut pro mercedis, noſtræ augmento & firmitatis ſtudio eidem Eccleſiæ more paterno noſtram authoritatem ſuper hoc negotio fieri juberemus, per quam modernis & futuris temporibus res & mancipia, quæ per præfata ſtrumenta cartarum eidem traditæ fuerant Eccleſiæ firmiter quietè & ſecurè à prælatis ipſius Eccleſiæ haberentur vel poſſiderentur. Nos itaque inſpecta eadem auctoritate domni & genitoris noſtri, libuit nobis ejuſdem venerabilis viri petitionibus aſſenſum præbere, & paternæ auctoritati hanc quoque noſtram jungere auctoritatem. Præcipimus ergo, atque jubemus, ut omnes res, & mancipia, quæ ex liberalitate eidem collatæ fuerunt Eccleſiæ, noſtris & futuris temporibus per hanc noſtram auctoritatem Rectores ipſius Eccleſiæ abſque ullius inquietudine vel injuſta interpellatione quietè vel ſecurè poſſidere valeans. Quòd ſi fortè ſuper eiſdem rebus ante prædictam exuſtionem à prælatis ipſius Eccleſiæ jure poſſeſſis quæſtio orta fuerit, ut pro eis legaliter in foro diſceptari neceſſe ſit, ita per hanc noſtram auctoritatem eiſdem res & mantipia ipſius Eccleſiæ defendantur, ſicuti per eadem ſtrumenta, ſi igni abſumpta non fuiſſent, legibus defendi poterant. Hæc vero auctoritas, ut firmior in Dei nomine habeatur & à fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Sancti Piiſſimi Imper. Durandus diaconus ad vicem Fridugiſi recognovit. Data IV. *Calendas Novemb. anno Chriſto propitio* VII. *Imperii Dom. Lud. Imper. Actum Cariſiaco palatio publicè feliciter in Dei nomine. Amen.*

III. Supra memoratum eſt, duos fuiſſe Erchenrados nomioe, alterum ex prædeceſſoribus Inchadi fuiſſe, & illi alterum ſubrogatum. Certè ex hac charta Erchenrado in cathedra Pariſienſi Inchadum ſubrogatum liquidò conſtat, in catalogis Eccleſiæ Pariſienſis & in indice Colbertinæ bibliothecæ duo pariter numerantur Erchenradi, adeò ut de utroque in poſterum dubitare ocſas ſit. Alterum vero quod & in ea charta annotatum velim, illud eſt quod tempore Erchenradi ſenioris incendio abſumpta ſint antiqua Pariſienſis Eccleſiæ acta, adeò ut nemini mirum ſit cur nihil antiquius chartis horum temporum in tabulariis Eccleſiæ Pariſienſis reperiatur, quod haud minus noxium hiſtoriæ noſtræ quàm ipſi Eccleſiæ fuit. Anno DCCCXXI. circa medium menſem Octobrem habitus ad Theodonis villam publicus Francorum conventus, ubi Lotharius Ludovici filius major natu nuptias ſollemni ritu cum Hermingarde Hugonis Comitis filia celebrat. Hunc Ludovicus primùm Regem Bajoariæ feeerat, deinde anno DCCCXVII. ad coofortium Imperii aſciverat, Pippinum verò Aquitaniæ & Ludovicum præfecerat Germaniæ, hocque aooo Lotharius, hanc, quam diximus, uxorem duxit. In hoc conventu ſingularis clementiæ teſtimonium Imperator edidit, reis enim conjurationis, de qua ſuperiùs ſermo fuit, injuriam & crimen coodonavit, poſſeſſiones fiſco addictas reſtituit, quin & Epiſcopos ſuis ſedibus reddidit, inter quos Theodulfus Aurelianenſis, cui tamen hac gratia frui noo licuit, cùm enim ex comitatu ad Eccleſiam rediret in itinere fato defunctus eſt. Extat in parvo Paſtorali Eccleſiæ Pariſienſis alterum præceptum à Ludovico conceſſum Inchado Pariſieoſi Epiſcopo XIV. Calendas Novembris, integrum hîc ſubjicimus.

IV. *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris,*

præſentibus ſcilicet & futuris, quia vir venerabilis Ynchadus Pariſiacæ Eccleſiæ Epiſcopus detulit ſerenitati noſtræ quaſdam auctoritates, quas domnus avus noſter Pippinus, & genitor bonæ memoriæ Karolus piiſſimus Imperator ad petitiones prædeceſſorum ſuorum ipſius civitatis fieri juſſerunt, in quibus continebatur inſertum, qualiter pro mercedis æternæ augmento & firmitatis ſtudio, eidem jam nominatæ Pariſiacæ Eccleſiæ per eorum auctoritates firmaverint, ut res & mancipia ac telonea, quæ ex liberalitate Regum vel Imperatorum vel per inſtrumenta cartarum eidem præfatæ traditæ fuerunt Eccleſiæ, deinceps ſecuriùs poſſidere potuiſſent. Nos verò per hanc noſtram auctoritatem eaſdem res & mancipia ac telonea ipſius Eccleſiæ confirmavimus ac roboravimus, ut in poſterum rectores ipſius Eccleſiæ abſque ullius inquietudine, vel injuſtæ interpellatione quietè teneant & ſecurè poſſideant. Inſuper etiam eidem jam nominato Ynchado Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus conceſſimus atque more paterno per noſtram auctoritatem confirmavimus, ut nullus Comes, neque ulla judiciaria poteſtas in terra ſanctæ Mariæ in ipſa inſula conſiſtenst ullum cenſum de terra ſanctæ Mariæ accipiat, nec de familia ipſius Eccleſiæ, neque de aliis liberis hominibus, vel incolis qui rusticè Albani appellantur, in ipſa terra ſanctæ Mariæ manentibus, hoc agere præſumant. Nec etiam eis quiſlibet inquietudinem vel damnationem, ſeu ullum bannum contrà legem, vel illicitam occaſionem facere ſtudeat, neque cenſum, quem dicunt foraticum, neque ripaticum, neque ſalutaticum, ſeu ullam reddibitionem de terra ſanctæ Mariæ, vel de ſuper manentibus accipere aut exactare audeat, ſed liceat ſæpe nominato Epiſcopo Ynchado ac ſucceſſoribus ſuis quietè ipſam inſulam ſecundùm propriam voluntatem ordinare atque gubernare, & in ipſa terra ſanctæ Mariæ tam tabernas, quàm alias ſuas neceſſitates ſine alicujus reddibitione exercere: præcipimus etiam, atque jubemus, ut de regali via ex parte ſancti Germani à ſancto Mederico uſque ad locum, qui vulgò vocatur Tudella in ruga ſancti Germani, neque in aliis minoribus viis, quæ tendunt ad monaſterium ejuſdem prænominati ſancti Germani ullus Miſſus dominicus aliquam judiciariam poteſtatem ibi exerceat, neque aliquem cenſum, neque ripaticum, neque foraticum, neque ullum theloneum recipiat, ſed Miſſus Epiſcopi ſecundùm propriam voluntatem ordinet, & advocatus ejuſdem Eccleſiæ tam de ipſa terra ſancti Germani, quàm de dicta terra ſanctæ Mariæ in inſula poſita rectam ac legalem rationem reddat, ſine aliqua judiciaria poteſtate inibi vel in banno, niſi in mallo legitimo, vel regali placito, ſicut lex Eccleſiarum præcipit. De liberis autem hominibus, qui ſuper terram ipſius ſupra dictæ Eccleſiæ Pariſiacæ commanere videntur, ac eam perſervire noſcuntur, volumus, ut, ſicut in præcepto Pippini avi noſtri continetur, nullus in hoſtem pergat, niſi unà cum Epiſcopo ipſius Eccleſiæ, vel ſecundùm ſuam ordinationem remaneat, & neque de ipſis hominibus ſuper terram ſanctæ Mariæ manentibus, aliquem cenſum vel aliquam reddibitionem aliquis de capite eorum accipere præſumat, quæ à longo tempore dare conſueverunt, & futuris temporibus perſolvere debent; ſed quidquid inde fiſcus noſter exigere aut ſperare potuerit, per omnia pro amore Dei, & ſanctæ Dei genitricis Mariæ præfato Ynchado Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus libenter concedimus, & gratuito animo auctoritate noſtra confirmavimus, ut nullam etiam diſtrictionem de hominibus ſuper terram ſanctæ Mariæ manentibus, judiciaria poteſtas exercere præſumat, niſi, ut ſupra diximus in mallo legitimo Comitis, & ibi una cum advocato Pariſiacæ Eccleſiæ venire non differant, & rectam rationem ac legalem juſtitiam adimplere cogantur. Hæc vero auctoritas, ut firmior in Dei nomine habeatur, & à fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris diligentiùs conſervetur, manu propria eam ſupter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Durandus Notarius ad fidem Fridugiſi recognovi & ſubſcripſi. Datum XIV. *Kalend. Novemb. anno Chriſto propitio* VII. *Imperii domni Ludovici piiſſimi Imperatoris. Actum Aquiſgrani palatii publicè in Dei nomine feliciter.* LIB. VI. CAP. II.

In his litteris confirmantur privilegia olim Eccleſiæ Pariſienſi conceſſa, & V.
ex his inprimis exprimuntur loca, in quibus Epiſcopus judiciariam poteſtatem exercere poterat, in inſula ſcilicet, in terra ſanctæ Mariæ, & in via regia, qua à ſancto Mederico ad locum, qui Tudella dicitur, iter aperitur, & in ruga ſeu rua ſancti Germani aliiſque minoribus vicis, neque ullus dominicus Miſſus his

 in locis judicium faciat, nemo cenſum aliaque jura recipiat, ſed omnia ordinet Miſſus Epiſcopi; hinc ſcilicet origo eſt rei judiciariæ, quam poſtea exercere Epiſcopi cœperunt. Cùm enim à principio Reges ſoli jus judiciorum haberent, & regiis tribunalibus quilibet ſine diſcrimine, niſi fortè clericos excipias, ſubjaceret; Reges & Imperatores Francorum litteras & privilegia Epiſcopis concedere inſtituerunt, quibus inprimis jus tribuendi & omnem judiciariam poteſtatem exercendi concederent, in locis, quæ ſui juris eſſent. Ex eo tempore Epiſcopi ſuos Miſſos, ſuoſque judices & advocatos habuerunt, qui tamen mallis publicis Comitis Pariſienſis adeſſe deberent, ut in illis publicis placitis ſeu conventibus redderent ſuæ adminiſtrationis rationem, &, ſi quid peccatum fuiſſet, emendaretur: hinc origo eſt & principium minorum tribunalium, ex quibus ad majora tribunalia provocandi poteſtas fuit. In his quoque litteris fit mentio Miſſi Epiſcopi. Cùm enim multa prædia, villæ, poſſeſſiones, multique coloni & ſervi Epiſcoporum poteſtati ſubjacerent,& in illos jus ex privilegio Regum exercerent, tum Miſſos & ipſi habere, ut loca, perſonas & res ipſas ordinarent, & ad commodum Eccleſiæ, aut ad normam rectæ ordinationis reducerent, & id agerent in ſuis rebus, quod in negotiis publicis regni Miſſi dominici ex munere ſuo præſtare tenebantur.

VI. Anno DCCCXXII. in villa Attiniaco habitus eſt ſollemnis Francorum conventus, ubi rem memoriâ dignam geſtam eſſe auctores memorant. Ludovicus ſeu ſtimulis conſcientiæ actus, ſeu conſilio ſacerdotum perſuaſus, animi dolore affici cœpit, quòd in Bernardum filium fratris acerbiùs animadverti juſſiſſet, quòd fratres juniores vel immeritos in monaſterium conjeciſſet, quòd Adelbardum Abbatem, & Vvalam ejus fratrem ſibi agnationis propinquitate conjunctos odio publico perſecutus miſiſſet in exilium. Hæc animo ſæpiùs repetens, reputanſque graviores, quas admiſiſſet offenſas, eluere pœnitentiâ publicâ, & quantùm poterat emendatione corrigere ſtatuit. Spectante igitur conventu Francorum, ubi frequentes aderant regni Pontifices & optimates, hæc facta deteſtari ipſe cœpit, edere confeſſionem & publicè ſe pœnitentiæ legibus ſubjicere, tum reconciliare amicitiam cum fratribus, & quæcumque vel patris, vel ſuâ culpâ pravè facta fuerant, emendare, tum eleemoſynis placare Deum, Epiſcopoſque & Abbates rogare, ut Deum ſibi propitium facerent. Anno ſequenti Lotharius, cui regnum Italiæ à patre datum fuerat, in Italiam profectus eſt, *ut ſecundùm Patris juſſionem in Italia juſtitias faceret*, ut loquitur vetus annaliſta, cùm vero reditum in Galliam pararet, ad ſummi Pontificis rogationem Romam venit, ubi à Paſchale PP. honorificè exceptus eſt; die verò Paſchatis Pontifex maximus in baſilica ſancti Petri & regni & Imperii coronam ejus capiti impoſuit. Lotharius deinde in Galliam reverſus eſt. Tum familia Ludovici novâ prole aucta eſt: natus eſt enim illi menſe Junio anno DCCCXXIII. ex Juditb uxore filius, cui Caroli nomen inditum eſt. Judith erat filia Vulphonis Comitis ex nobiliſſima Bavarorum familia. Proceres regni poſt mortem Hermengardæ veriti, ne Imperator abdicato principatu in monaſterium ſe ſubduceret, eum novis nuptiis illigare cogitarunt, adduxeruntque puellas, quæ forma & nobilitate præſtarent. Juditham Imperator elegit, & alteras cum ea nuptias contraxit, quæ res deinde multa Imperatori & regno mala attulit, ægrè ferentibus filiis, qnos Auguſtus ex Hermengarda ſuſceperat, novum hæredem provinciarum ſecum fieri; ſed hæc poſtea ſuo loco memorabimus. Anno DCCCXXIV. Paſchalis PP. moritur, in ejus locum Eugenius archipreſbyter ſanctæ Sabinæ ſubrogatus eſt. Cùm tamen turbæ excitatæ ſint Romæ poſt mortem Paſcbalis PP. Ludovicus in Italiam Lotharium filium miſit, ut diſſentiones populi ſedaret, Hilduinumque Abbatem adjunxit ei comitem cum aliis multis, qui eum conſilio, re & opera adjuvarent. Hilduinum antea diximus fuiſſe Abbatem ſancti Dionyſii, ille deinde ſecundùm pravum bonorum temporum morem aliis monaſteriis præpoſitus eſt, monaſterio ſcilicet ſancti Germani prope Pariſios, & Sueſſionenſi ſancti Medardi eodem tempore; plurimùm apud Imperatorem gratia & auctoritate valebat. Hunc Imperator ad

ad archicapellani palatii dignitatem extulerat, quod munus in aula & in regno propter prærogativas honorificum erat, narrant eum pluribus virtutibus refulſiſſe, morum ſanctitate, juſtitiaque clarum, & modeſtia venerandum. Vetus ſcriptor apud Bollandum in hæc verba de eo ſcribit. *A piiſſimo Cæſare ad quorumdam improbitatem compeſcendam, qui adverſus ſummum Antiſtitem Eugenium intumuerant Romæ delegatus, ſic judicium omne prudenti examinatione exercuit, ut & Cæſaris juſſum expleret, & Pontifici ſatisfaceret, & eos, qui contra hunc ſuperbè intumuerant, ſedata eorum contumacia pacatos redderet & quietos.* Neque hic poſſum omittere egregiam Lotharii conſtitutionem, quæ à Baronio refertur, ab Holſtenio, & à Baluzio in editione capitularium. Continet novem capitula. I. Vult, ut qui ſub ſummi Pontificis aut Imperatoris defenſione ſunt, eâ utantur. II. Prohibet fieri deprædationes vivo, vel extincto Pontifice. III. Vetat ſummum Pontificem ab aliis eligi, quam à quibus conſuetum eſt. IV. Jubet ut Miſſi conſtituantur qui judicia examinent. V. Decernit ut Romani ſibi legem optent, ſub qua vivant VI. & VII. Jubet, ut res raptæ reſtituantur, & deprædationes emendentur. VIII. Vult Duces & judices ſibi notos fieri, dum Romæ verſatur. Demum. IX. præcipit, ut qui gratiam Principis mereri optat, præſtet obedientiam & reverentiam ſummo Pontifici. Hæc præclare ordinata eſſe inprimis conſiliis Hilduini, qui Lotharium comitatus fuerat, haud dubium eſſe exiſtimo.

LIB. VI. CAP. II.

De translat. ſancti Sebaſtiani die 20. Ian.

VII. Anno ſequenti Lutetiæ Pariſiorum habitus eſt Epiſcoporum conventus, ubi actum eſt de imaginibus Sanctorum, cum vero in eo ſancita ſint, quæ haud omnino Eccleſiæ Romanæ doctrinæ conſona videbantur, rem fusè hic pertractare mihi viſum eſt, ut quæ olim doctrina de imaginibus ſanctorum fuerit, lector intelligat, ab initio rem repeto. Primis Eccleſiæ temporibus haud frequentem in Eccleſia uſum imaginum fuiſſe conſtat, ne Chriſtiani, qui nuper rejecerant idolorum cultum, ex imaginum uſu eòdem relaberentur. Poſtquam non amplius idololatriæ metus fuit, & per Chriſtianos Imperatores licuit ſollemni publicoque apparatu Dei religionem exercere, tunc Chriſtiani ædificare baſilicas, eaſque & operis magnificentia & aliis decorare ornamentis, appingere inprimis parietibus ſacras imagines, ut fidelibus documento eſſent & venerationi, quæ privatim deinde æque ac publice in conſuetudinem venerunt uſque ad tempora Leonis Iſaurici, qui deluſus à Judæis, qui ſibi Imperium prædixerant, & longiorem ſpondebant vitam, Iconomachiam primus invexit, anno enim DCCXXX. propoſito palam edicto imagines everti è baſilicis, & frangi juſſit, quo facto multorum animos à ſe alienavit, unde poſtea multæ turbæ in Imperio excitatæ ſunt, atque inprimis diſtracta Roma eſt, quæ ob eam cauſam imperium detrectare cœpit, & Romanus Pontifex obniti contrà, & repugnanti ſacris interdicere. Tum memoranda fuit conſtantia ſancti Germani Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui Iconomachum Imperatorem coram reprehendere non veritus eſt, abiitque à ſacerdotio ne hæretici Principis communione vitam macularet, celebrata quoque id temporis ſchola Conſtantinopolitana, cui ſubire flammas incendioque abſumi, quam Eccleſiæ inſtituta violare potius fuit. Non eſt animus hic memorare ſanctorum certamina, quæ multi pro ſanctis imaginibus inierunt. Ita Leo Iſauricus bellum ſacris imaginibus primus indixit. Conſtantinus Copronymus ejus filius paterno ſceleri ſcelus addidit, neque enim ſolum adverſus imagines bellum inſtauravit, ſed etiam impietatem Synodo defenſam eſſe voluit: anno namque DCCLIV. ipſe Concilium contra ſacras imagines congregavit, ſancitumque nullo cultu nulloque honore venerandas, anathema dictum adverſum Germanum, qui ſe pontificatu propterea abdicaverat, & contra eos, qui eas defenderent. Adfuerunt CCCXXXVIII. Concilii principes & duces erant nefandi antiſtites Theodoſius Epheſinus Epiſcopus & Paſtelas Pergenſis, nemo ſedium præcipuarum, neque Romanus Pontifex, neque Alexandrinus, aut Antiochenus, aut Hieroſolymitanus Patriarcha, neque ipſi, neque per legatos adfuerunt. Tum miſeranda facies Orientis fuit, quid enim populi contra tantam Pontificum turbam? qui publice impietatem profeſſi ſunt. Eo tempore Francorum celebre nomen

Digitized by Google

erat: contuderat Pippinus ferociam Longobardorum, ceſſeratque Romanis Pontificibus Ravennatium Exarchatum, quem à Longobardo abſtulerat. Copronymus ob eam cauſam legatos miſit ad Pippinum, repoſcens à Rege provinciam, quam armis partam donaverat ſummo Pontifici, eâdemque operâ plura ſciſcitabatur à Rege de cultu ſanctarum imaginum, quem Orientales Epiſcopi rejecerant, & de proceſſione Spiritus ſancti, cujus cauſa litem Latinis intendebant. Super hæc habitum eſt Concilium Gentiliacenſe, ubi exiſtimo retentam non ſolùm de proceſſione ſancti Spiritus doctrinam, ſed & cultum erga ſacras imagines, & id ut credam duobus potiſſimum impellor argumentis, primo quod Paulus ſummus Pontifex ſemper laudaverit fidem Pippini Regis, & quod ſub Stephano quarto anno DCCLXIX. habita ſit Romæ Synodus, ubi præter cauſam Conſtantini, qui cathedram Romanam invaſerat, actum eſt de imaginum cultu, ſancitumque contra pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam eſſe excolendas: aderant vero huic Concilio duodecim Gallicani Pontifices, atque inter eos Vvilicharius Senonenſis metropolita, qui omnes ultrò decretis ſubſcripſerunt, adde quod neque in Francofurdienſi Synodo, neque in Pariſienſi conventu de Gentiliacenſi Synodo ad hoc negotium quæſita ſit auctoritas, ſed de ea ſilentium fuit, unde facilis conjectura aliud in conventu Pariſienſi, aliud in Synodo Gentiliacenſi decretum. Hac ratione in Occidente quies fuit, cum è contrario in Oriente atrox bellum adverſus imagines in dies exardeſceret, neque conquievit ille furor, niſi poſt mortem Copronymi & Leonis ejus filii, qui paternis innutritus flagitiis contra ſanctos, eorumque imagines pugnare non deſtiterat. Mortuo demùm Leone Irene cum filio Conſtantino imperii habenas regere cœpit, mulier, cui animus verè Chriſtianus fuit, pacem Eccleſiis Orientis conciliare ſtuduit, honoremque ſanctis imaginibus reſtituere: primùm evehi curavit ad Conſtantinopolitanum Epiſcopatum Taraſium virum fide clarum, & de cultu imaginum bene ſentientem. Regina & Pontifex in hoc protinus incubuerunt, ut legitimam Synodum indicerent, Conſtantinopolim evocati undique Epiſcopi venerunt. Verum cum Iconomachi rem agi ſuam cernerent, & ſe ſuamque impietatem condemnatum iri haud dubie noſſent, turbas in urbe excitare, & adverſus Epiſcopos accendere milites, omnem denique movere lapidem, ut Synodum diſſiparent. Tum Auguſtæ viſum eſt hanc aliò transferre; Nicæam igitur ire placuit. Civitas Bithiniæ metropolis eſt, ubi olim de Arrii inſania fides triumphum egit. Adfuerunt Synodo trecenti quinquaginta Epiſcopi, alii plures etiam numerant. In ea Synodo, ut cetera ſileam, definitum eſt, ut in Eccleſia honor, & veneratio haberetur imaginibus Sanctorum, atque inprimis Domini Jeſu Chriſti, & Deiparæ Virginis, quarum aſpectu, velut ſacris characteribus ad virtutem bonoſque mores fideles accenderentur, & eos quos depictos viderent imitari ſtuderent, & anathemate percuſſos cenſuit Synodus eos, qui ſecus ſentirent, & ſanctas imagines projectas vellent. Hæc Synodus ſeptima œcumenica ſeu univerſalis dicta, habitaque eſt anno DCCLXXXVII. Poſt ſeptem annos congregata eſt Francofurti ad Menum Synodus Epiſcoporum contra Elipandum Toletanum & Felicem Urgellitanum, de qua antea pluribus dictum eſt. In ea legitur 11. canone Conſtantinopoli habitam Synodum, in qua *ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus ſanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicaretur*, quod illi Patres condemnaverunt, ut verò hunc canonem exponam paucis antea me præfari oportet.

VIII. De imaginibus tres inprimis ſententiæ fuerunt; alii enim penitus abjiciendas, & à cultu Chriſtiano eliminandas judicabant, imagines & idola promiſcuè habentes, ii Iconoclaſtæ ſeu Iconomachi hæretici dicti ſunt: alii retinendas cenſebant, ſed quidem tantum ad ornatum, & memoriam retinendam rectè geſtorum, quibus Chriſtiani ad bonos mores & ad virtutem informarentur, nulloque cultu religioſo vel honore proſequendas cenſebant. Alii vero meliùs, cultum & honorem, qui ad prototypa refertur, imaginibus tribuendum aſſerebant, hancque ſententiam Orthodoxi quique inter Græcos defen-

LIB. VI. CAP. II.

debant, eamdemque Pontifices Romani in Synodis ſæpius laudaverant. Secundam verò ſenrentiam ſequebantur plerique ex Gallicanis Epiſcopis. Inter hæc mittirur in Gallias exemplar Nicænæ Synodi latinè redditum, in quo ſæpius, cum de imaginihus ſermo eſt, nomen adorationis, & ſæpius verbum adorare inculcatur. Noſtri vim vocum minimè percipientes, ſupremum illum cultum, quo Deum ſolummodo adoramus, honorariam illam adorationem externamque, quam Græci προσκύνησιν vocant, repuranres, ſtatim Synodum Nicænam convellere aggreſſi ſunt, eóque ardentiùs, quòd jam, ut vir doctus annotavit, corrupta exemplaria ad eos inconſultò miſſa ſunt, ubi hæc ſenrentia Conſtantini Conſtantiæ in Cypro Epiſcopi ita refertur in Carolinis libris & in reſponſione Hadriani PP. ad capitula Caroli-magni his verbis. *Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus dixit: ſuſcipio & amplector honorabiliter ſanctas & venerandas imagines, & quæ ſecundùm ſervitium adorationis, quæ ſubſtantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* Hæc certè quæ depravatè & corruptè legebantur in verſione latina, ſic ſe habent in Græco codice. *Conſtantinus ſanctiſſimus Epiſcopus Conſtantiæ dixit, & his conſentio & concors ſum, accipiens & amplectens cum honore ſanctas & venerabiles imagines, ac latriæ adorationem ſoli ſuperſubſtantiali & vivificæ Trinitati defero*, καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω. Ex eo puto conditum Francofurdienſem canonem à noſtratibus, qui eam ſententiam corruptè legerant, non videas enim in hac Synodo Nicæna aliud honoris & adorationis genus ſacris imaginibus eſſe decretum, præter honorarium externumque cultum, quem cùm noſtrates non admitterent, facilè in animum induxerunt ex loco peſſimè deſcripto etiam adorationem internam, qualem ſoli Deo deferimus, imaginibus fuiſſe decretam. Id ferme temporis, vel paulò antea ſcripti ſunt libri quatuor nomine Caroli Regis virulentia & felle pleni adverſus Nicænam Synodum, & capirula ex iis deprompta miſſa ad Hadrianum PP. ad quæ ſingula per articulos diſcreta reſponſionem edidit ſummus Pontifex. Capirula dixi, non ipſos libros Hadriano reddiros, quod ex ipſis Hadriani verbis colligo, ait enim recepiſſe per Engilberrum Abbatem *Capitulare adverſus Synodum, quæ pro ſacrarum imaginum erectione in Nicæa acta eſt.* Sed adverte, amabo, ſapientem Hadriani PP. diſpenſationem, cui decretum eſt traditionem Romanæ Eccleſiæ & Pontificum anteriorum doctrinam ſequi, neque tamen exacerbare maximi Principis animum, neque confodere definitionem Gallicanorum antiſtitum, qui notam Nicænæ Synodo inuſſerant, ſed vulneribus Eccleſiæ ita mederi, ut malum dura curatione non ingraveſceret. *Vnde*, inquit, *pro veſtra mellifluа regali dilectione per unumquodque capitulum reſponſum reddidimus: non quemlibet, abſit, hominem defendentes, ſed olitanam traditionem ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ tenentes, priſcam prædeceſſorum noſtrorum ſanctorum Pontificum ſequimur doctrinam, rectæ fidei traditionem modis omnibus vindicantes.*

Epiſt. Hadriani PP. ad Car. Mag.

IX. Dum hæc gererentur in Occidente, res Orientis magnopere turbatæ ſunt ex diſſidiis aulicis, quæ demum Irene Auguſtæ & Conſtantino ejus filio exitio fuerunt; Nicephorus enim Imperium invaſit, eoque à Bulgaris obtruncaro Leo Armenus imperare cœpit; hic monachi cujuſdam ſermone deceptus Iconomachiam renovavit, quam ejus ſucceſſor Michaël, qui Armenum vitâ & ſolio exuerat, acerrimè continuavit: ſtatim bellis aſperrimis defunctus eſt. Quidam nomine Thomas ſervus ex regia urbe profugus, Conſtantinum filium Irenes ſe apud Perſas mentitus, brevi tempore ingentem ex Perſis, Armenis aliiſque gentibus conflavit exercitum; primùm adverſus Leonem Armenum bellum exciravit, tum eo ſublaro, haud ſegniùs adverſus Michaëlem rem geſſit: occupatis enim partibus Thraciæ & Macedoniæ Conſtantinopolim obſidione cinxit, totoque anno obſeſſam tenuit. Michaël tandem commiſſo prælio eum acie vicit, & Thomam multis affectum ſuppliciis necavit. Imperator partâ imperio pace, Eccleſiam affligere, & bellum imaginibus indicere cœpit, & imaginum cultoribus. Rebus ita perturhatis, Michaël cum filio Theophilo ad Ludovicum Imperatorem Occidentis mittere honorifitam legationem, & litteras

ſcribere; habentur illæ litteræ in ſupplementis Conciliorum antiquorum Galliæ. Significat quibus primis Imperii temporibus bellis fuerit appetitus, & quæ adverſus Thomam nefarium ignobilemque ſervum geſſerit, qua felicitate illum ſuſtulerit, tum quomodo rebus pacatis, opportunitate temporis uſus, legatos ad eum miſerit, quorum operâ cum eo amicitiam contrahere velit. Addit inſuper multa de ſtatu Eccleſiæ Græcorum, atque inprimis contra imaginum cultum, quæ, quoniam cogendi conventûs Pariſienſis anſam dederunt, paulò fuſiùs memorare inſtitui. Conqueritur plures tam ex clericorum quàm ex laicorum numero eſſe, qui ab apoſtolicis traditionibus alieni, tranſgreſſique patrum terminos, pravas conſuetudines inveherent in Eccleſiam. *Primùm quidem*, inquit, *honorificas & vivificas cruces de ſacris templis expellebant, & in eadem loca imagines ſtatuebant, ponebantque lucernas coram eis, ſimul & incenſum adolebant, atque eas in tali honore habebant, ſicut honorificum & vivificum lignum, in quo Chriſtus verus Deus noſter crucifigi dignatus eſt propter noſtram ſalutem. Pſallebant & adorabant, atque ab eiſdem imaginibus auxilium petebant. Plerique autem linteaminibus eaſdem imagines circumdabant, & filiorum ſuorum de baptiſmatis fonte ſuſceptrices faciebant. Similiter & in tonſura puerorum, cùm capillos præciderent, eoſdem capillos decidere ſuper imagines ſinebant. Alii vero religioſum habitum monaſticum ſumere volentes, religioſiores perſonas poſtponebant, qui priùs comam capitis eorum ſuſcipere ſolebant, quaſi in ſinum earum decidere capillos illorum ſinebant. Quidam verò ſacerdotum & clericorum colores de imaginibus radentes immiſcuerunt oblationibus & vino, & ex hac oblatione poſt miſſarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii autem corpus Domini in manus imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli verò, ſpretâ eccleſia in communibus domibus tabulis imaginum pro altariis utebantur, & ſuper eas ſacrum miniſterium celebrabant, & alia multa his ſimilia illicita, & noſtræ religioni contraria in eccleſiis fiebant, quæ à doctioribus & ſapientioribus viris ſatis indigna eſſe videbantur.* Hæc Michaël Imperator ad Ludovicum Pium, ſeu variis compacta mendaciis, ut catholicis & ſanctarum imaginum cultoribus invidiam faceret, ſeu ſuperſtitiosè à quibuſdam & imperitè uſurpata, quæ ipſa Eccleſia catholica condemnat. Ludovicus quæ Græcorum litteris continebantur, Eugenio II. PP. ſignificavit, petiitque per legatos Sacerdotibus Gallicanis fieri poteſtatem quærendi & colligendi ſententias ſanctorum Patrum, quæ ad rem imaginum ſpectarent, cui cùm Eugenius annuiſſet: confeſtim Ludovicus juſſit Epiſcopos Lutetiam Pariſiorum convenire habitus eſt conventus Calendis Novembris anno DCCCXXV. Cùm Epiſcoporum Gallicanorum ea ſententia animis inſideret, imagines eſſe retinendas, neque è ſacris ædibus rejiciendas eſſe, primùm attulerunt ſententias è ſanctis patribus, quibus id utique probarent. Deinde cùm vix paterentur honorem & cultum iis tribui, ſed tantummodo habendas cenſerent ad memoriam ſanctorum hominum, aut rerum piè & ſanctè geſtarum, quibus tamquam ſcriptis & hiſtoriis imperiti docerentur, has quoque addiderunt ſententias, quas ad eam cauſam confirmandam idoneas eſſe exiſtimabant. Similiter adjectæ ſententiæ, quibus oſtenderent, quid Chriſtiani doctores de indebito ſuperſtitionis cultu ſentirent: inquiſiverunt deinde qua auctoritate imagines ſanctorum adorandæ eſſent. Hæc & alia ejuſmodi ex diverſis ſanctorum Patrum locis approbare conati ſunt. Hæc ita collecta cum litteris ad Ludovicum miſſa ſunt, extant litteræ. Conqueruntur primùm de litteris Hadriani PP. Conſtantino & Irenæ Auguſtæ miſſis, quibus quidem Iconomachos condemnabat, ſed adorationem imaginum iiſdem prædicabat, condemnantque Nicænam Synodum, quam idem Hadrianus approbaverat, in hocque Synodum dicunt erraſſe, quòd ſanxerit eas coli, adorari & ſanctas nuncupari, & ab eis ſanctimoniam recipi. Addunt jam de eo negotio à Carolo-magno capitula miſſa ad Hadrianum PP. ad quæ aiunt conatum ſanctum Pontificem reſpondere. Scribunt inſuper hinc & illinc periculum eſſe, alios per devios, abruptoſque calles in præcipitium lapſos, dum volunt confringi imagines & penitus aufferri, alios dum ex adverſo nituntur ſuperſtitioſamque adorationem ſectantur, proclives inclinare in lap-

ſum, ob eam cauſam ſelecta à ſe teſtimonia è ſanctis Patribus, *ut quidquid reprehenſione in utriſque partibus dignum cognoſcitur, ad illorum perſonam referatur*, eaque ſe mittere ad Imperialem ejus potentiam per venerabiles viros Halitgarium & Amalarium, ut ex his eligat quæ neceſſaria judicaverit. Obſecrant deinde ut ſi quid haud probatum ſit, id ſibi non adſcribatur, cùm per anguſtias temporum ſingula ad examen revocare non licuerit. Ita tamen omnia eſſe comprehenſa, ut ex his quiſque intelligat. *Quod imagines ſanctorum ſtultâ præſumptione non ſunt confringendæ, & ad injuriam ſanctorum abolendæ, & penitus deſpiciendæ, nec aſſertione ſuperſtitioſa colendæ, aut adorandæ, ſed potius hujuſcemodi ſuperſtitione remota juxta veram religionem memoriæ & amoris causâ ob recordationem eorum, quorum imagines habendæ, ſicut à beatiſſimo Gregorio ſatis catholicè perſpicuèque dictum declaratur.* Hæc ferme aliaque ejuſmodi à Patribus Pariſienſibus ad Ludovicum Imperatorem de negotio imaginum ſcripta ſunt, quæ ſi ſigillatim exequar, modum excedam, inferiùs quid de his omnibus ſentiendum ſit æſtimabimus. Ludovicus acceptâ collectione, quam Patres in Pariſienſi conventu compegerant, haud morâ hanc mittere Romam ſtatuit, delegavitque idcirco Hieremiam Senonenſem Archiepiſcopum, & Jonam Aurelianenſem Epiſcopum, monetque ſapiens Imperator, ut in ea diſputatione agant patienter & modeſtè, *ut paulatim verbis ejus quaſi obſequendo magis quàm apertè reſiſtendo ad menſuram, quæ in habendis imaginibus retinenda eſt*, eum deducant, Et poſtea faciant, ut ſi Eugenius PP. mittat in Græciam legatos, velit ut Ludovici legati pariter cum his proficiſcantur, hæc maximè in commonitorio ad legatos ſcripta ſunt. Eſt præterea in collectione Sirmondi epiſtola Ludovici Imperatoris ad Eugenium II. PP. per eoſdem, quos dixi legatos, miſſa. In ea epiſtola ſcribit Imperator mittere ſe collectionem è teſtimoniis ſanctorum Patrum deſcriptam, ex quibus locis poſſit intelligere, quid de negotio imaginum æſtimandum ſit, rogatque ſummum Pontificem, ut conſulat quid facto ſit opus, ut Græcos de imaginibus diſſidentes ad concordiam & unitatem revocet, quamobrem ſaniora curet adhibere remedia, & pariter ea prudentia eaque moderatione ſe gerat, *ut à nemine neque Græco, neque Romano juſtè valeat reprehendi, ſed talis ſit, qualem ſemper decet in omnibus cauſis ab iſta ſacratiſſima ſede proficiſci.* Præter collectionem è ſanctis Patribus digeſtam in conventu Pariſienſi, epiſtolam Epiſcoporum ad Ludovicum Imperatorem, commonitorium Imperatoris ad legatos, & ejuſdem Ludovici ad Eugenium PP. epiſtolam, quæ in Sirmondi collectione & in ſupplementis ad ejus collectionem leguntur, quæque ex bibliothecæ Thuaneæ codice ediderunt, qui in Colbertina bibliotheca ſervatur. Sunt præterea binæ epiſtolæ, quarum alteram nomine Eugenii PP. Epiſcopi Gallicani ad Græcos ſcripſerunt, alteram nomine Ludovici Imperatoris ad Eugenium, adeo ut videantur potiùs formulæ litterarum, quàm litteræ, hæ verò cum aliis actis conventûs Pariſienſis primùm prodiere Francofurti è typis Vvechelianis anno M D X I V. neque tamen in ſupplementis Conciliorum Galliæ, nedum in Sirmondi collectione reperiuntur, habentur tamen in Colbertino codice, ſed in his immorandum non puto, cùm enim ſint tantum formulæ, nihil ad noſtras res pertinent. Quid Eugenius PP. reſponderit quidve egerit, ex monumentis antiquis aſſerere haud promptum eſt: ſed ſi quid conjecturâ licet aſſequi, haud dubium eſt ſummum Pontificem in defenſione cultûs ſanctarum imaginum & Nicænæ Synodi perſtitiſſe, & ſe ita geſſiſſe, ut, etſi improbabat ſententiam Gallicanorum antiſtitum, cum his tamen communionem non rumperet, quâ ſapienti œconomiâ ſalvam rempublicam Chriſtianam fecit, quæ diſſecta per Iconomachorum hæreſim, in alia, gravioraque mala incurriſſet, niſi Eugenius PP. Hadriani ſui prædeceſſoris ſecutus exemplum, molli brachio inſtituiſſet vulnus curare, quod alioquin ægrè coaleſceret. Certè ſæculo ſequenti Gallicani antiſtites in ſententiam Eccleſiæ Romanæ ultrò diſceſſerunt, & decreta ſecundæ Synodi Nicænæ recipere non ampliùs recuſaverunt. Quidam acta hujus conventûs falſi, quidam corruptionis arguunt, non ferentes noſtros Epiſcopos alienos à ſententia Ro-

LIB VI. CAP. II.

mani Pontificis, & longè à decretis œcumenicæ Synodi receſſiſſe. Vellem quoque eos non imbutos ea opinione, quam de imaginibus defendere aggreſſi ſunt, ſed cùm ſole clarius ſit eam fuiſſe noſtratium ſententiam, cur non fateri culpam, cujus indicia manifeſta ſunt in Synodo Francofurdienſi & in ſcriptis Epiſcoporum noſtrarum Eccleſiarum, qui eamdem, quam conventus Pariſienſis, palam defenderunt opinionem, ſicut & in reſponſione Hadriani PP. ad capitula Caroli-magni. Quid verò acta condemnare, aut quaſi ſubdititia, aut interpolata, cùm auctoritas veterum codicum ſinceritatem probet, quibus ſolis teſtibus idoneis doctiſſimorum hominum modò acquievit conſenſus, immo & integritatem confirmet ſeries rerum geſtarum, quam ſi interpellare cupias, neceſſe eſt, ut per devios abruptoſque calles erres dubius & vageris. Noſtrorum igitur Pontificum ea fuit ſententia, ut ex his, quæ ſuperiùs relata ſunt, liquet, non eſſe infringendas imagines, ſed in baſilicis retinendas ad ornatum, pulchritudinem, & recordationem rerum geſtarum, nulla vero veneratione aut adoratione vel externa & honoraria afficiendas. Hæc Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in libris adverſus Taurinenſem Epiſcopum profitetur, hæc Agobardus Lugdunenſis in libro de imaginibus, hæc Hincmarus Rhemenſis, quæ ſententia Pariſienſis conventûs fuit. Quidam tamen ex noſtris credebant aliquo utcumque cultu eſſe proſequendas; erat ea ſententia Vvalafridi Strabi Augiæ Abbatis, qui ea ferme ætate ſcribebat, ſic de Synodo Pariſienſi loquitur, cùm ait temporibus bonæ memoriæ Ludovici Imperatoris querelam Græcorum in Franciam perlatam & providentia Principis ſcriptis ſynodalibus eſſe confutatam, additque honeſtos & moderatos honores erga imagines non eſſe abjiciendos, ac demum his verbis concludit. *Sic itaque imagines & picturæ habendæ ſunt & amandæ, ut nec deſpectu utilitas adnulletur, & hæc irreverentia in ipſorum, quorum ſimilitudines ſunt, redundet injuriam: nec cultu immoderato fidei ſanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimiè impenſus arguat nos minùs ſpiritualia contemplari.* In hanc ſententiam plures ex noſtris partibus veniſſe exiſtimo. Nondum tamen tempore Joannis octavi ad mentem Synodi Nicænæ omnes acceſſiſſe certum eſt ex Anaſtaſio cujus verba ſunt ejuſmodi. *Quæ enim ſuper venerabilium imaginum adoratione præſens Synodus docet, hæc & Apoſtolica ſedes veſtra, ſicut nonnulla ſcripta innuunt, antiquitus tenuit, & univerſalis Eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenus veneratur: quibuſdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus nondum eſt harum utilitas revelata.* Ex quibus verbis colligere licet noſtros quidem, ſed non omnes à veneratione ſanctarum imaginum abhorruiſſe. Sed etſi noſtrorum non erat eadem, quæ Græcòrum & Romanorum doctrina, ita tamen inter ſe & communionis & fidei vinculo conſtricti ſunt, ut noſtri magna erga ſummos Pontifices reverentia tenerentur, neque ſummi Pontifices eos alienos ab Eccleſia cenſerent, immo ſibi invicem communicarent, & cuique ſervandi ſua inſtituta poteſtatem facerent. Quo temperamento effectum eſt, ut ſine ſciſſura etiam Gallicani Epiſcopi ſenſim in eam tranſirent ſententiam, quam antea condemnaverant. Cùm enim ſe tuerentur conſuetudine ſuarum Eccleſiarum, teſtimonio Gregorii-magni ad ſerenum Maſſilienſem, & aliis argumentis ſe defenderent, ægrè patiebantur à ſua ſe depelli opinione: tanta tamen apud eos Romanæ Eccleſiæ auctoritas fuit, ut vel renitentes in ſaniorem eos reduxerit doctrinam. Antequam hoc de imaginibus negotium conficiam, pauca de Dungalo monacho recluſo adjicienda ſunt. Nam & ille in hanc arenam deſcendit, & adverſus Claudium Taurinenſem manus conſerere haud dubitavit, ut imaginum cauſam defenderet. Claudius Felicis Urgellitani diſcipulus fuerat, diſſimulatoque ulcere, quod alebat venis, irrepſerat in aulam, tandemque operâ Imperatoris ad Taurinenſem cathedram adſcenderat, tum tamquam, œſtro percitus, in ſanctas imagines debacchari cœpit, imitatuſque Iconomachos, eas frangere, & ultrà progreſſus, crucis adorationem condemnare, cruces è baſilicis amovere, ſanctorum reliquias, ut quiſquilias repudiare; huc adde convitia, quibus inſaniam ſuam defendere conabatur. Theodemirus Abbas hunc ſcriptis reprehendere aggreſſus eſt, ille reſponſionem

Vvalafrid. lib. de rebus Eccleſ. cap. 8.

Anaſtaſ. in præfat. ad Synod. Nicæn. II.

edere, quæ conferta eſt maledictis & conviciis, quibus res ſacras proſcindere LIB. VI. CAP. II.
auſus eſt. Dungalus monachus teſtimoniis patrum & validis probationibus pro ſanctis Eccleſiæ inſtitutis ei adverſari inſtituit, extat ejus libellus, quem Papyrius Maſſonius edidit, ſcribitque ſcriptum fuiſſe in monaſterio ſancti Dionyſii ad Sequanam flumen. Hunc Dungalum Mabillonius monachum recluſum ait fuiſſe monaſterii ſancti Dionyſii, idque aſſerit ex epiſtola ipſius Dungali, *Præfat. ſæcul. 4. Benedict.* quam ad Carolum-magnum ſcripſit per Vvaldonem Abbatem Dionyſianum, ad quem Carolus ſcripſerat de duplici defectione ſolis, quæ anno DCCCX. contigerat, ut Dungalum ſuis verbis ea de re interrogaret; hæc tantummodo de Dungalo reperiuntur, cuique ejus de imaginibus librum legere integrum eſt, ulterius, quam plerique ex noſtris Epiſcopis progreditur in cauſa de imaginibus, venerationem enim iis omnino tribuendam aſſerit. *His ergo*, inquit, *omnibus ſuperius comprehenſis, certiſſime & evidentiſſime patet, picturas ſanctas & ſanctam Domini crucem, & ſacras electorum Dei reliquias, dignis & congruis honoribus, à catholicis & orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere: non ut ſacrificando eis divinus honor & cultus ſoli Deo omnium creatori debitus, ſit à quoquam deferendus; ſed ut ejus amore, laude & gloria ſua ſancta inſignia & venerabilia vaſa, pro ut decet, ſingula eorum à fidelibus & religioſis ſalva fide & non ficta honorentur, & amplectantur.* Conventum Pariſienſem cum Baronio & Cointio ad annum DCCCXXV. annotavimus, quia legati Græcorum anno ſuperiore in Gallias venerunt, ut ex his Michaëlis litteris patet, nec niſi poſt legationem ad Eugenium PP. conventus habitus eſt anno ſequenti, quod ex litteris conventus Pariſienſis ad Ludovicum certum eſt. His quæ modò commemoravi vulgo eruditi conſona ſcribunt, pro pluribus unum aut alterum erit teſtimonium. Dionyſius Petavius in ſecunda parte tomi IV. Theologicorum dogmatum lib. XV. capite XI. ſic loquitur.

Quinetiam adverſus eandem Synodum quædam ab Carolo Rege miſſa ſunt Romam X.
excerpta capitula: quibus Hadrianus Papa reſpondit, ac ſigillatim objecta omnia diſſolvit. Non tamen effici tam cito potuit; ut priſtinus error ille, quo ſacrarum cultum imaginum repudiare ſemel Occidentales inſtituerant, ex eorum animis eximeretur. Hæſit enim aliquandiu poſtea, ſine ullo tamen detrimento communionis, & pacis. Nam teſtis eſt Anaſtaſius bibliothecarius, qui centum ferè poſt annis ſub Ioanne octavo Pontifice floruit, Baſilio Macedone imperante, in præfatione ad Synodum ſeptimam, hanc ipſam Synodum à quibuſdam Gallis adhuc receptam non fuiſſe, circa annum Chriſti IↃCCCLXX. *Quo minus admirandum eſt imperante Ludovico Pio Caroli-magni filio nondum eam Gallos admittere voluiſſe. Etenim anno Chriſti* IↃCCCXXIV. *Michaëlis Balbi, & Theophili ejus filii Imperatorum Græcorum legati ad Ludovicum Pium in Gallias venerunt, cum Imperatorum illorum litteris, quibus Orientalis Eccleſiæ ſuper imaginum veneratione diſſidium exponebant; ſeque ea de cauſa mandaſſe legatis ſuis, uti Romam ad Pontificem pergerent. Ludovicus his acceptis, permittente Pontifice, (erat tunc Eugenius ſecundus, qui eodem illo anno* DCCCXXIV. *ſedere cœpit) conventum Epiſcoporum habuit Lutetiæ in palatio, ac ſanctorum Patrum de imaginibus ſententias juſſit excerpere; quibus ad decidendam controverſiam iſtam Pontifex adjuvari poſſet. Qua re perfecta litteras etiam addiderunt ad Græcos Imperatores Eugenii nomine confectas iidem Gallicani Epiſcopi. Ludovicus deinde legatos his omnibus inſtructos Romam deſtinat. Edita ſunt excerpta illa cum epiſtolis ſub Synodi Pariſienſis titulo: quam in Annalibus Baronius ad annum* IↃCCCLXXXIV. *& Bellarminus refellunt. Verum paulatim Eccleſia Gallicana Apoſtolicæ ſedis auctoritati paruit, & omiſſa contentione una cum ſacrarum imaginum veneratione, ſeptimam eſt amplexa Synodum œcumenicam: ad hunc diem in eadem fide perſeverat.*

Et Mabillonius in præfatione ad ſæculum quartum actorum ordinis ſancti XI.
Benedicti. *Ad Galliam revertor*, inquit, *ubi notum eſt factum Sereni Maſſilienſis Epiſcopi, qui ſub initium ſæculi ſeptimi, cum populum ſibi creditum ad adorandas imagines ferveſcere animadverteret; eas è templis eliminavit, projectaſque confregit. Sereni zelum probavit Gregorius magnus, prohibentis ne quid manu-factum adoraretur: factum*

LIB. VI. CAP. III. *improbavit, quod ſcilicet eaſdem imagines confregiſſet.* Idcirco enim, *inquit*, pictura in eccleſiis adhibetur, ut hi qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illa ſervare, & ab eorum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & litterarum neſcii haberent, unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent; & populus in picturæ adoratione minime peccaret. *Quæ in epiſtola duo tantum exigit ſanctiſſimus Pontifex, nempe imagines in eccleſiis retinendas eſſe, non tamen adorandas. Hanc regulam, à ſummo & vere magno Pontifice Gallicano antiſtiti præſcriptam, tota quanta eſt Gallicana Eccleſia ſibi ſequendam eſſe indubitanter exiſtimavit.* Et iterum paulo poſt idem auctor hæc. *Atque ut perſpicuum fiat, quæ in re verſaretur Gallorum diſcrimen tum à Græcis, tum ab imaginum effractoribus ſeu Iconoclaſtis; quidve moliti ſint Patres Synodi Francofurtenſis, & Pariſienſis, obſervandum eſt latinos tribus in rebus conſenſiſſe cum Græcis. Primo retinendas & exponendas in ædibus privatis atque ſacris Chriſti & ſanctorum imagines ad excitandam eorum memoriam, & ad erudiendos ſimplices, ac illiteratos Chriſtianos. Secundo colendam & adorandam eſſe crucem, non quidem adoratione ſumma & latreutica, ac κατὰ πίστιν, ſecundum fidem, quaſi quid divinum, aut cultu dignum ei ineſſe credatur; ſed honoraria, id eſt illam ſalutando, aut caput inclinando, vel procumbendo ad illam, mente ad Chriſtum directa. Tertio etiam reliquias ſanctorum congruo cultu venerandas eſſe. Quæ poſtrema duo diſerte aſſerunt Ionas & Dungalus in libris ſuis adverſus Claudium Epiſcopum Taurinenſem. At unum erat, in quo Galli à Græcis diſſidebant: nimium quod cultum etiam honorarium ſeu externum imagini cuilibet denegabant, non tantum abſolutum, ſed etiam relativum (ut vocant) & tranſitorium. Denique ab imaginum effractoribus omnino recedebant, tum in eo, quod illi imagines ſacras penitus abjicerent, tum in eo, quod imaginum adoratores vocarent idololatras. Quod convicium Latini, ſaltem nonnulli, Græcis impingi nolebant ob imaginum cultum, tametſi ab eis diſſentirent. Hæc paucis, &c.*

CAPUT III.

De libris ſancti Dionyſii allatis Conſtantinopoli ad monaſterium Dionyſianum. An ſinceri? De Hilduino Abbate trium monaſteriorum. De partitione bonorum monaſterii ſancti Germani à pratis inter Abbatem & monachos.

I. ANNO DCCCXXVII. iterum Michaël Imperator Orientis ad Ludovicum Imperatorem legatos miſit, inter quos numerabatur magnus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ œconomus, ad menſem Septembrem venerunt Compendium, qui fœdus cum Ludovico renovaverunt. Scribit Hilduinus Abbas Dionyſianus allatos ab iis libros ſancti Dionyſii Græcè ſcriptos, qui illico miſſi ſunt ad monaſterium ſancti Dionyſii, & quos in vigilia ſancti Dionyſii Abbas recepit, ſic enim Hilduinus in Areopagiticis ſcribit. *Authenticos eoſdem libros & Græca lingua conſcriptos, quando œconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & ceteri Miſſi Michaëlis legatione publica ad veſtram gloriam Compendio functi ſunt, in ipſa vigilia ſollemni ſancti Dionyſii pro munere magno ſuſcepimus &c.* Cum hanc legationem ſuſceptam eſſe Compendii auctores memorent, neceſſe eſt hoc anno, & hac legatione allatos libros. Ex litteris Pauli ſummi Pontificis ad

Pippinum

Pippinum legimus jam tùm Dionyſii Areopagitæ libros in Gallias miſſos, hoc munus gratiſſimum Hilduino fuit, cùm enim ille minime dubitaret, quin Dionyſius Pariſienſis idem eſſet ac Areopagita, de libris, qui ejus nomine afferebantur, ne hilum quidem dubitavit. Data occaſione hanc de libris Dionyſianis controverſiam paucis pertractabo, eoque magis quòd ad noſtras res pertineat. LIB VI. CAP. III.

Extant libri vel à ſancto Dionyſio Areopagita ſcripti vel magis ejus nomine editi de hierarchia cælesti, de hierarchia eccleſiaſtica, de theologia myſtica, de divinis nominibus, cum aliquot ejuſdem auctoris epiſtolis. De his libris varia veterum doctorumque hominum ſententia fuit, præſertim poſt quingentos poſt Chriſtum annos, quo ſcilicet tempore in lucem prodierunt. SS. Patres in ſexta Synodo contra Monothelitas eos in auctoritatem, ut conſcriptos à Dionyſio Areopagita protulerunt. Summi Pontifices Gregorius magnus, Agatho, Hadrianus primus de iis pariter ſub ſancti Dionyſii Areopagitæ nomine locuti ſunt. His fermè temporibus aut patrum noſtrorum memoria Budæus in editione Morelli Areopagitæ Dionyſio hos eoſdem libros adſcripſit; Delrio & Halloixius editis de ea re libellis omnem operam diligentiamque attulerunt, ut opus hoc Areopagitæ Dionyſio tribuerent. Et ſi hæc magni momenti ſunt, neutiquam tamen plerique ſe in eam abripi ſententiam paſſi ſunt, neque à contraria, quam animo hauſerant deterriti ſunt. Haud dubitanter enim affirmant nuſquam à Dionyſio conſcriptos & opus eſſe inferioris ætatis; neque hodie aut nudius tertius de fide horum librorum dubitatum eſt: ſed jam à multis annis, ut apud Photium legas de Theodoro preſbytero, qui librum idcirco ſcripſerat, ut ſinceritatem oſtenderet. Qui ſecus opinabantur, quatuor præſertim utebantur argumentis, quæ refellere aggreditur; hæc ſingula illuſtrare oportet, in iis enim vis omnis ſita eſt, qua facile probes haud genuinum partum eſſe Dionyſii Areopagitæ. Si genuinus eſt, inquiebant, cur ex antiquis nemo retulit ſententias aut teſtimonia? Ea ſane ratio magni momenti eſt; quid eſt enim cur neque ejus ſententiis adverſus Sabellianos pugnatum eſt? cur, dum Arriani in Eccleſiam ſævirent, in auxilium fidei non allatum eſt hoc opus: cum præſertim tela multa ad hanc hæreſim confodiendam in eo parata ſint? Quid cum de hypoſtaſibus controverſia fuit ad pacandam Eccleſiam non præſto fuit? Vix enim ante annum DXXXII. quidquam allatum eſſe reperias, cum collatio fieret jubente Juſtiniano Imperatore inter hæreticos Severianos orthodoxoſque Epiſcopos: Et Acephali, ſeu Severiani SS. Patrum Athanaſii, Cyrilli, Felicis, Julii PP. immo & Gregorii Thaumaturgi & Dionyſii Areopagitæ auctoritatem proferrent; ut unam in Chriſto naturam eſſe oſtenderent; hæc reſponderunt catholici antiſtites. *Illa teſtimonia, quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis dicere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? ſi enim ejus erant, non potuiſſent latere beatum Cyrillum. Quid de beato Cyrillo dico, quando & beatus Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet ejus eſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arrii diverſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea unde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſunt?* Hæc Hypatius Epheſius nomine catholicorum antiſtitum Severianis de libris Dionyſii Areopagitæ reſpondit, unde intelligas non auditos, nec viſos antea Areopagiticos libros, & cum allati ſunt, repudiatos eſſe. Idem accidit teſte Liberato, cum Severiani ſpargerent libros ſub nomine ſancti Cyrilli, in quibus legebantur teſtimonia ex ſanctis Patribus, ſed præſertim ex Felice PP. & ſcriptis Dionyſii Areopagitæ Corinthiorum Epiſcopi; ait Liberatus veritatis catholicæ defenſores Acephalis reſpondiſſe, *illos libros non eſſe Cyrilli, quoniam teſtimoniis, quæ contra mortuos poſuiſſe in iis dicitur, contra Neſtorium non eſt uſus.* Scio à Budæo viro doctiſſimo repertas quaſdam locutiones in SS. Patribus ab Areopagiticis libris excerptas, quas ego è SS. Patribus magis in eos relatas crediderim, ſicut in ſuppoſitis ſummorum Pontificum epiſtolis accidiſſe agnoſcimus. Alterum argumentum, quo utebantur, ut hos libros tamquam ſpurios abdicarent, ejuſmodi erat. Quomodo Euſebius Pamphili SS. Patrum ſcripta

II.

Collat. apud Baron. ad annum 532.

LIB. VI. CAP. III.

enumerans, hujus nullam fecerit mentionem? Et ſi hæc eadem eſt ratio, atque ea, quæ ſuperius allata eſt, tamen quæ ſpecialiter de Euſebio eſt haud contemnenda. Namque ille ſolet ſanctorum Patrum recenſere opera, & de iis ſcribere indicem, de Dionyſii Areopagitæ operibus altum ſilentinm eſt: licet haud ſemel Dionyſii Areopagitæ meminerit. Mirum eſt Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi epiſtolam memorat, quam ad Athenienſes ſcripſit, omittit dicere de operibus graviſſimiſque libris Dionyſii Areopagitæ; immo & ſanctus Hieronymus in catalogo quem texit de ſcriptoribus Eccleſiæ ne verbum quidem habet de operibus Dionyſii Areopagitæ. Tertium, quod afferunt argumentum, validiſſimum eſſe conſtat. Quomodo traditionum earum, quæ in Eccleſia per incrementa & diuturni temporis ſpatia creverunt, liber hic ſigillatim texit narrationem. Magnus enim Dionyſius Apoſtolorum æqualis erat, ut ex actis patet; hic vero liber earum maxime traditionum deſcriptionem continet, quæ poſtea ſenſim in Eccleſia invaluerunt. Non igitur veriſimile videtur, immo falsò confictum, quòd ea quæ longo pòſt tempore à morte magni Dionyſii in Eccleſia orta ſunt, atque excreverunt Dionyſius deſcribenda ſuſceperit. Hoc tertium argumentum pluris æſtimandum eſſe exiſtimo, certum enim eſt multa in Eccleſia addita, quæ ad ritum ſpectant, quæque tantummodò pace data Eccleſiæ recepta ſunt, neque quo tempore Chriſtiani clanculùm, & quaſi furtim metu perſecutionum religionem agerent, eſſe celebrata. Quiſquis vero legerit in libris hierarchiæ eccleſiaſticæ ea commemorari, quæ niſi poſt longa ſpatia temporum in Eccleſia fieri cœpta ſunt? quomodo intelliget ea fuiſſe à Dionyſio Areopagita deſcripta? quando de baptiſmo ſermo eſt profert omnes ritus, qui ſucceſſione temporum in Eccleſiam allati ſunt, ſponſores ſuſceptoreſque commemorat, quos ἀναδόχους vocat: hymnos ait, & cantus in Eccleſia celebratos; ſi liturgiam explicat, ſacra magno apparatu aſſerit fuiſſe celebrata, peractas à Pontifice thurificationes, exactos è ſacris cathecumenos, pœnitentes & energumenos poſt lectionem ſcripturæ: quoniam non locus eis erat in celebratione myſteriorum. Quid de dypticis, ubi vivorum mortuorumque recitatio fit, de thure & ſuffitibus multus ſermo, Pontificem ſcilicet luſtrare Eccleſiam clero ſtipatum. Non accepimus hæc antiquis Chriſtianis in uſu fuiſſe. Arnobius dum pro Chriſtianis ſcribit, fatetur neque iis templa eſſe, neque thure religionis officium præſtari. *Quantus eſt*, inquit, *iſte honor, & qualis, qui ex ignis odore conficitur, & ex reſina arboris comparatur.* Neque puto jam tum, cum Apoſtoli viverent, loca pœnitentibus, & partem ſacrorum iis attributa eſſe. Corinthiacus ille, de quo in epiſtolis ſancti Pauli eſt mentio, ſatanæ devovetur, cum peccat, cum reſipiſcit recipitur. Quo tempore libri Areopagitici ſcripti ſunt, jam celebratus erat monachorum cænobitarumque ordo, duo namque eorum genera conſtituit, alios enim affectato nomine θεραπευτὰς alios μονάχους vocat, de eorum conſecratione fusè differit, qui ritus non naſcentis & exordientis Eccleſiæ ſunt, ſed jam adultæ, cum pace data Eccleſiæ, vivere in commune, & congregatione per Principum auctoritatem Chriſtianis licitum fuit, cum antea vel ad ſynaxes ire niſi furtim & occultè poſſent. Quid quod monachorum conſecrationes & benedictiones in Eccleſia tùm in uſu non fuerunt. Jam vero quæ rituum forma in efferendis ſepeliendiſque corporibus Chriſtianorum, an vero quæ de funeribus obſequiiſque ſcribit fuerunt apoſtolicorum temporum inſtituti? viri docti aſſerunt etiam quædam de ordinatione in his libris reperiri, quæ poſt ætatem Apoſtolorum in Eccleſiam inducta ſunt. Quin etiam in his operibus leguntur voces, non ætatis apoſtolicæ, quæ longo poſt eos intervallo in conſuetudinem venerunt: inter eas vocabulum eſt hypoſtaſis, primùm ad naturam & rerum ſubſtantiam exprimendam in uſu fuerat, & in eo ſenſu apud ſanctum Paulum legitur. Cum enim de Jeſu Chriſto habet ſermonem, hunc ait eſſe ſplendorem & figuram ſubſtantiæ ejus patris τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ eademque ſignificatione in fragmentis ſancti Irenci & apud Origenem legitur, & in Synodo Nicæna condemnantur Arriani, quod aſſererent filium alterius eſſe à patre ſubſtantiæ, ſeu hypoſtaſis, & in Synodo

Digitized by Google

Sardicenſi iidem Arriani anathemate percuſſi ſunt, quoniam Pattem Filium & Spiritum ſanctum tres diverſas ſubſtantias ſeu hypoſtaſes dicerent διαφόρους ὑποστάσεις τοῦ πατρὸς τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου & ſanctus Athanaſius non aliam fuiſſe huic vocabulo ſignificationem tradit ὑπόστασις οὐσία ἐστὶ καὶ οὐδὲν ἄλλο σημαινόμενον ἔχει; eaque ſignificatio permanſit ad poſtrema ferme ſæculi quarti tempora, cum in Oriente uſurpari cœpit pro perſonis & ſuppoſitis; ita in ſancta Trinitate dictum eſt tres eſſe hypoſtaſes & ad explicandam Verbi & carnis unionem, unam eſſe perſonam ſeu hypoſtaſim, unde primùm orta eſt illa inter Orientis Occidenriſque Epiſcopos de perſonis & hypoſtaſibus contentio, quam, ſanctus Athanaſius intelligens eos vocabulis non ſententia diſſidere, ſedavit. Ex eo tempore non amplius religio fuit vel in hunc ſenſum hoc uſurpare vocabulum, & patres in Synodo Chalcedonenſi voce hypoſtaſis uſi ſunt pro perſona; noſter tamen Areopagita hypoſtaſim in hunc tantummodo poſteriorem ſenſum uſurpat, adeoque illi hoc vocabulum ea ſignificatione familiare eſt, ut in hierarchia cæleſti ſancta Trinitas ab eo laudetur quod ſit μονὰς καὶ ἑνὰς τρισυπόστατος, & in divinis nominibus ſanctam Trinitatem vocat τρισυπόστατον. Cap. 8.
Quæ certa indicia ſunt cujus ſit ætatis, qui non voces apoſtolicorum ſed poſteriorum temporum adhibeat. Longus ſim, ſi perſequi velim omnia, quæ illius auctoris ætatem tetegant. De Jeſu Chriſti operationibus theandricis ita loquitur, ut ſole clarius ſit auctorem eſſe poſteriorum temporum, qui ſæpius ignota, neque prioribus ſæculis enarrata proferat, & ea uſurpet, quæ ex conflictu & concertatione cum hæreticis poſt longa dierum & annorum intervalla in uſum & conſuetudinem abierunt. Quartum argumentum erat. Cur beati Ignatii epiſtolam hic liber citat? Dionyſius enim Apoſtolorum temporibus floruit, Ignatius vero Trajano Auguſto imperante martyrii certamen adiit, & paulo ante mortem eam conſcripſit epiſtolam. Ex ſancti Ignatii verbis ſcribit in libro de divinis nominibus ſuum amorem eſſe cruci affixum γέγραφε δὲ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Id vero illuſtrandum eſt. Sanctuin Ignatium ſub Trajano martyrio defunctum eſſe antiqui ſcriptores memorant, ad annum ſcilicet CXI. Dionyſius ille Areopagita teſtatur ſe tempore paſſionis Dominicæ XXV. annos natum, ergo nonagenario imo centenario major exſcripſit litteras Ignatii, quas ſcimus ab eo ſcriptas paulo antequam martyrium obiret. De obitu ſancti Dionyſii varia auctores referunt, alii ſub Domitiano paſſum narrant, quæ ſi vera ſunt, teſtimonium ex litteris Ignatianis proferre non potuit, alii ſub Hadriano, & centum decemque annos attigiſſe aſſeverant. Quidquid fuerit, vix in animum inducam opus de divinis nominibus eſſe hominis ætatis decrepitæ. Sunt alia ejuſmodi plurima, quæ ſi omnia referam, librum ſcribam, non paucis contractum verbis ſermonem. Ex his porro quiſque judicium de libris Areopagiticis poteſt ferre. Docti cenſent hos ſub finem quinti ſæculi ſcriptos, paulo poſt Synodum Chalcedonenſem: alios paulo citius compoſitos ſcribunt; ſed cum levioribus argumentis ſententiam fulciant, priorem placet amplecti opinionem, quæ magnis graviſſimiſque conjecturis innixa eſt. Hæc de libris Dionyſianis, quos Michaël Imperator Orientis ad Ludovicum, & hic ad Hilduinum Abbatem Dionyſianum miſit, quoſque honorifice recepit, nihil dubitans eſſe libros ſancti Dionyſii Areopagitæ. Inferius controverſiam his ortam temporibus de ipſo Dionyſio Areopagita & ab Hilduino acerrime defenſam opinionem fusè referemus.

III. Eodem anno, quo legati Michaëlis Imperatoris Compendium venerunt, annales veteres memorant Eugenium ſummum Ponrificem deceſſiſſe, in ejuſque locum ſuffectum eſſe Valentinum diaconum, qui vix unum menſem pontificatum geſſit: eoque ſublato confeſtim Gregorium preſbyterum tituli ſancti Marci fuiſſe electum. *Sed non prius ordinatus eſt*, inquit, *quàm Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi, qualis eſſet, examinaret.* Id temporis Hilduini Abbatis nomen celebre, tribus præterat monaſteriis Dionyſiano, Vincentiano prope Pariſios, cui ſancti Germani à pratis nomen, & Sueſſionenſi monaſterio, ſcilicet ſancti Medardi; apud Ludovicum Impetatotem auctoritate & gra-

tia pollebat, à quo Archicapellani munus hoc tempore honorificum acceperat. Cum Lotharius à patre Romam miſſus eſt, ut turbas in civitate ſedaret, Imperator filio Hilduinum comitem adjunxerat, nt omnia ejus conſilio perficeret, quod antea à nobis memoratum eſt. Sed præter ejus in rebus agendis prudentiam, ſingulari pietate præditus erat, atque inprimis erga ſanctos magna illi religio, eorum nempe ſolebat reliquias venerari, nihilque ei erat antiquius, quàm habere oſſa ſanctorum, qui olim pro nomine Chriſti ſanguinem fuderant, & vitæ ſuæ periculis fidem nobis tradiderant. Cum ſciret multa ejuſmodi religioſe Romæ ſervari, Rodoinum, quem monaſteriis præpoſuerat, Romam mittere ſtatuit, ut in Galliam ſacras deportaret reliquias. Rodoinus rem perfecit, reliquiaſque ſancti Sebaſtiani à ſummo Pontifice obtinuit, de quibus in annalibus ſcriptor illorum temporum Eginhardus. *Hilduinus Abba monaſterii ſancti Dionyſii Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio ſanctæ ſedis apoſtolicæ tunc præſule oſſa beatiſſimi martyris Chriſti Sebaſtiani accepit, & ea apud Sueſſionenſem civitatem in baſilicam ſancti Medardi collocavit, ubi, dum inhumata in loculo, in quo allata fuerant juxta tumulum ſancti Medardi jacerent, tanta ſignorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta vis in omni genere ſanitatum per divinam gratiam in nomine ejuſdem beatiſſimi martyris enituit, ut à nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat explicari.* Extant acta hujns tranſlationis in actis 4. ſeculi Benedictini. Memorant rem geſtam eſſe anno DCCCXXVI. Biennio poſt idem Hilduinus Abbas Sueſſionis corpora ſuſcepit ſanctorum martyrum Tiburtii, Marcellini, Petri & Marii, Marthæ, Audifax & Abacuc, quæ depoſuit in baſilica ſancti Medardi juxta corpus inclyti martyris ſancti Sebaſtiani. Partem tamen reliquiatum ſancti Marcellini Hilduinus Eginhardo vel reſtituit, vel donavit, ut in actis legitur; ſed hæc ad noſtras res minime attinent. Fit mentio Hilduini Abbatis pluribus in locis. Eſt apud Mabillonium de re diplomatica præceptum Ludovici pii datum Hilduino Abbati pro commutatione quorundum prædiorum, in quo Abbas ex monaſterio ſancti Dionyſii martyris & ſacri palatii ſummus capellanus appellatur, nulla ad calcem nec aliis in locis nota eſt chronologiæ. In eodem loco legas chartam Bertæ filiæ Caroli-magni & ſororis Ludovici pii, qua donat baſilicæ ſancti Medardi villam Bernogilum, charta inſcripta eſt Hilduino Abbati monaſterii ſancti Medardi & ſacri palatii Archicapellano, dataque eſt anno x. Ludovici ſereniſſimi Auguſti Imperatoris ſub die XIV. Januarii. Ibidem reperias præceptum Ludovici & Lotharii Imperatorum, quo monaſterium Dionyſianum eximitur à penſione ducentorum vini modiorum. Penſionem ſic ortam referunt. Cum vini caritas contigiſſet, qui tum rempublicam adminiſtrabant, vinum petierunt ab Abbate Dionyſiano. Ille hac rerum inopia ducenta ſuppeditare modia haud abnuit: ceteri poſtea qui ſecuti ſunt his in locis rectores totidem repetere ſolebant, idque tandem vim legis & cenſus ex conſuetudine obtinuit. Auguſti ad petitionem Hilduini Abbatis & ſacri palatii Archicapellani penſionem remiſerunt, nota chronologica præciſa ex charta eſt. Præceptum ibidem alterum eſt Ludovici Pii & Lotharii pro commutarione aliquot poſſeſſionum in agro Andecavenſi, datum eſt ad petitionem Hilduini monaſterii ſancti Dionyſii Abbatis, & ſacri palatii Archicapellani & cujuſdam hominis Fulcrici nomine XIV. anno Imperii Ludovici, Lotharii VI. Indictione VI. Actum Cariſiaco palatio &c. Sed inprimis memoranda eſt charta Lantfredi optimatis & conjugis ejus Theudgildis, quâ varia prædia apud Bidolidum ſita monaſterio Dionyſiano conferuntur. Inſcriptio eſt *Domino ſancto & venerabili in Chriſto patri Hilduino Abbati ex monaſterio præclariſſimi Chriſti martyris Dionyſii, ubi ipſe pretioſus domnus cum ſuis ſanctis ſociis quieſcit humatus, vel omni monachorum congregationi* &c. data eſt die IX. Februarii anno XXVII. regnante Domno noſtro HLudovico &c. Continuator Aimoini Hilduinum Archicapellanum ſcribit obtinniſſe præceptum à Ludovico & Lothario Imperatoribus pro monaſterio ſancti Germani. Abbatis monachorumque bona in commune erant, neque quicquam erat inter eos diviſum. Sed cum Abbates ſæpe pu-

blicis rebus attenderent, & unus ſæpe pluribus monaſteriis præficeretur, monachi, ne res ſuæ omnino in negotiis Abbatum impenderentur, ab Abbatibus petere cœperunt quæ neceſſaria eſſent ad tolerandam vitam, & ad ſufficiendum impenſis monaſterii. Id vero inprimis monachi ſancti Germani poſtulare ab Hilduino, ille eorum rogationi annuens, de menſura vini & tritici, quam illis quot annis perſolveret, convenit, & præterea plures villas illis conceſſit, quas ipſi ſeparatim poſſiderent, hæcque omnia præcepto regio confirmata eſſe voluit, ne ſucceſſores auctoritate Imperatoris deterriti, quicquam imminuerent, immutarentve. Totum tibi præceptum ſubjiciemus, ex quo intelliges eo tempore in monaſterio ſancti Germani fuiſſe centum & viginti monachos. LIB VI. CAP. III.

IV. *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, H Ludovicus & H Lotarius divina ordinante providentia Imperatores Auguſti. Si ea, quæ fideles Imperii noſtri pro ſtatu & utilitate Eccleſiarum & ſervorum Dei fideliter ac devote ob Dei amorem in locis ſibi commiſſis ſtatuerunt, noſtris confirmamus edictis, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem & totius regni à Deo nobis commiſſi tutelam, manſurum eſſe credimus, & retributorem Dominum in futuro habere confidimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia vir venerabilis Hilduinus monaſterii ſancti Vincentii ac ſancti Germani Abba, necnon & ſacri palatii noſtri Archicapellanus, noſtræ ſuggeſſit ſerenitati, quod pro Dei omnipotentis amore, & futuro ejuſdem congregationis cavendo periculo, ne aliqua ſucceſſorum ſuorum negligentia à parcitate, ordo ut ea futuris temporibus perturbaretur monaſticus, ſtipendia eorum, quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, necnon & quaſdam villas ſpecialiter neceſſitatibus illorum deſerviendas conſtituiſſet, ac deputaſſet, atque per litterarum ſeriem & largitionis ſuæ chartam ſua illorumque bonorum hominum manibus roboratam eis conceſſiſſet ac delegaſſet: quatinus nulla occaſione, nec reipublicæ ſervitio quiſquam ex ſucceſſoribus ſuis impedimentum in futuro inferre poſſet, pro quo à via rectitudinis & obſervatione regulari oberraro neceſſe eſſet: ſed deputatis ſibi rebus & ſtipendiis contenti abſque neceſſicate & inopia regularem normam tenere, & ſine prævaricatione, (quantum humana ſinit fragilitas) obſervare quiviſſent. Vnde humiliter petiit ac poſtulavit celſitudinem noſtram, ut pro rei firmitate ſuper eamdem conſtitutionem auctoritatis præceptum noſtræ pro divino intuitu ac ipſorum ſanctorum reverentia fieri juberemus: per quod deinceps ſtabilis & inviolata permaneret. Nos vero petitioni illius, (quia neceſſaria & rationabilis erat) aurem accommodantes, & qua voluntate ac ratione talia clementiæ noſtræ ſuggereret, perſpicue intelligentes, veluti poſtulaverat fieri judicavimus. Quapropter ſtatuimus, atque jubemus (ſecundùm quod in illius ordinatione continetur) ut dentur eis annis ſingulis de tritico puro modii mille quadringenti & quadraginta, & in ſuſceptionem hoſpitum, modii centum octoginta, quæ ſimul ſunt modii mille ſexcenti viginti. De vino modiorum duo millia. De legumine, modii centum octoginta. De caſeo, penſas centum ſexaginta. De pinguedine, aut modii viginti, aut porci quinquaginta, quales meliores invenire poſſunt. De butyro, modii quatuor. De melle, carrada una ex modiis octo, ſicut ex cenſu de villa Lucarias perſolvitur. Et menſalem de duodecim villis melle & cera, id eſt unoquoque menſe ſextaria quatuor mellis, & coræ libras duas. De ſale modii centum. Volatilia cum ovis de duobus feſtis, id eſt Paſcha & Nativitate Domini. Ad veſtimenta etiam vel omnes eorum neceſſitates, ſecundùm regularem inſtitutionem procurandas, conſtituimus illis eaſdem villas, quas ipſe per ſuam conceſſionem eis viſus eſt condonaſſe, id eſt Antoniacum cum ipſa capella, vel quicquid ad ſuum opus præſentialiter habuit, vel quicquid inde homines per precarias tenent, vel quicquid per beneficium illius aliqui adhuc habent, & illic pertinero videturut poſt eorum diſceſſum ad uſus fratrum revertantur. Alteram, cui vocabulum eſt Cella, quæ dicitur Villaris, cum omnibus appenditiis ſuis, quantum ipſe præſenti tempore ad ſuum opus illic habuit, & quicquid homines per precarias, vel beneficia illius tenent, & illic pertinero videntur. Tertiam, quæ vocatur Matriolas, cum omni integritate ſua. Quartam, quæ vocatur Caticantus. Quintam, cujus vocabulum eſt Novigentus, cum omni integritate. Sextam, cujus vocabulum eſt Spinogilum cum ipſa capella, vel quicquid ad ſuum opus habuit. Septimam Locellum, qui vocatur Valedronis. Octavam, quæ dicitur Agmantus, una cum*

ipſa ſylva, quæ vocatur Vſta. Has ergo villas cum appenditiis & redditibus ſuis, (ut diximus) ad omnes ejuſdem congregationis tam infirmorum quàm ſenum neceſſitates faciendas, & ſuſtentacula mortalis vitæ miniſtranda, imperiali auctoritate & indulgentia per hoc præceptum confirmationis noſtræ (ſicut prædictus venerabilis Abba in ſua firmavit conſtitutione) ſtabili jure eis concedimus, & confirmamus. Præcipientes, ut nullus Abba per ſucceſſiones, quod ſalubri egit conſilio ſubtrahere aut minuere audeat, aut ad ſuos uſus retorqueat, aut alicui in beneficio tribuat, ſed neque ſervitia ex eis exactet, neque parvaredos, aut expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat. Neque ullas in aliqua re exactiones inde exigat, abſque inevitabili neceſſitate, præter menſuras in principali eccleſia beati Germani, & in ponte Pariſius longo à tempore diſpoſitas. Et, ſi augeri adjudicaverit, & numerum monachorum in majus augeri, amplificari, pecunia majori licentiam habeat. Hæc enim, (ut putamus) ad uſus centum viginti monachorum ſufficiunt. Diſtrahendi autem aut minuendi eas res, quas pro Dei ſtatuimus amore, nequaquam præſumat. Sed, ſi facere præſumpſerit, & poſt diſceſſum noſtrum hanc noſtram confirmationem, quam ſupradicti venerabilis viri Hilduini conſtitutionem fecimus, violare voluerit, querela ad ſucceſſores noſtros, qui tunc temporis nobis ſuperſtites fuerint, devenerit, ipſique, agnita auctoritate noſtra, ſtatuta noſtra defendant, & ſuæ auctoritatis præcepto confirment, qualiter futuris temporibus fratres in cœnobio ſupradicto regulam beati Benedicti ſervantes, abſque perturbatione libere Deo deſervire queant, nobiſque merces exinde in perpetua recompenſetur æternitate. Et ut hæc auctoritas, quam ob amorem Dei, & animæ noſtræ remedium ſtatuimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulſa valeat perdurare, manus noſtræ ſubſcriptione eam ſubter firmavimus, & anulo noſtro ſigillari juſſimus. Dat. Id. Ianuarii, anno, Chriſto propitio XVI. *Imperii domni H Ludovici ſereniſſimi Auguſti. Indictione ſeptima. Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei nomine, feliciter.*

CAPUT IV.

De Concilio Pariſiis habito ſub Ludovico Pio.

I. QUÆ felicitas Galliæ fuit ſub Caroli-magni principatu ſuperius memoratum eſt, læta quoque initia Ludovici pii fuiſſe diximus: verùm poſtquam Bernardi defectio plures ex optimatibus ſuſtulit, & Ludovicus alteras cum Juditha nuptias contraxit, tum Gallici Imperii fortuna inclinare. Seu populi proſperis rebus elati laſcivire otio, ſeu corruptela graſſari, ut fit, dum res ſecundæ ſunt, & iram Dei acciverint flagitia hominum; certe Galliarum Imperium acerbis concuti tempeſtatibus cœpit, nefandiſque malis affligi, fames ſævire, lues perimere pecora, peſtis populare urbes, agri frugum inopia laborare, miſeranda ubique rerum facies erat. Tum Imperator hæc animo reputans, avertere iram numinis multis modis ſtuduit, ſacerdoteſque inprimis adhortari, ut qui curam aliorum gererent, aliis forma & exemplum ſalutis eſſent, caverentque ne eorum oſcitantia mala ſuccreſcerent, immo ea vel in ortu, vel jam adulta præciderent. Anno itaque DCCCXXVIII. Imperaror conventum Aquiſgrani habuit, juſſitque ut toto Galliarum regno quatuor Synodi fierent, Moguntiæ, Pariſiis, Lugduni & Toloſæ; plures provincias ſingulis attribuit. Ebonem Remenſem Archiepiſcopum, Ragnoardum Rotomagenſem, Lantrannum Turonenſem, & quiſquis evocatus eſſet ad Senonenſem cathedram, quæ tum erat vacua Pontifice; hos quatuor metropolitas cum ſuis provincialibus convenire Lutetiam Pariſiorum juſſit, ut coacto cœtu inter ſe de commodis Eccleſiæ, & Chriſtianæ religionis bono conſulerent, & decernerent, quæ principibus, populoque ex divina auctoritate præſcribenda eſſent, quæ quiſque facere aut fugere deberet: inſpicerent præſertim quæ conſuetu-

do vitæ paſtorum eſſet, quæ inſtituta? an eorum mores divinis legibus congruerent, viderent quæ cauſæ, vel plebem, vel clericos, pontifices ipſos & principes in devios calles pertraxiſſent. Cavitque Ludovicus ne hæc, quæ conſtituta eſſe decernerent, ante dictum diem publicarentur, ſed notarius eſſet, qui ſingula excerperet deſcriberetque, & dato ſacramento diligenter omnia cuſtodiret. Addidit præterea Imperator capitula de quibus agendum in iis Conciliis, epiſtolamque encyclicam in provincias miſit, quæ in Concilia relata eſt, cujus hæc ſumma eſt. Populo ſignificat, ſe quidem generale jejunium ex conſilio Sacerdotum per regnum indixiſſe, ut placitum ſeu generalem conventum Francorum haberet, & in commune de populi moribus & Francorum emendatione ageret, placitum tamen excitatis ab hoſte turbis impeditum, ſed poſtea habitum eſſe hoc placitum, ubi rebus perſpectis illi viſum eſt Archiepiſcopos in locis congruis convenire cum ſuis provincialibus, ut ibi tam de ſua, quam de aliorum omnium correctione inquirerent decernerentque. Statutum præterea per provincias Miſſos mittendos qui quidquid peccatum foret inveſtigarent, & regia auctoritate emendare ſtuderent, & ſi quid arduum & difficile videretur, deferrent ad Imperatorem; polliceturque ſe ſingulis hebdomadis in palatio uno die cauſas auditurum. Ut verò res bene feliciterque vertat, jubet indici generale jejunium per triduum poſt feriam ſecundam ab octava Pentecoſtes. Imperat demum omnibus, ut qui ex beneficiis ad bellum ire tenerentur, parati ſint ad expeditionem contra hoſtes Eccleſiæ, qui bellum minitentur. Hæc pius Imperator, quibus impendentia ſibi regnoque mala avertere omnibus modis nititur. Deinde addidit plura capitula, quibus rempublicam tamquam bonis legibus ornet & muniat. Præter encyclicas litteras, aliam generalem ex eodem conventu Archiepiſcopis miſit, hæc integra Concilio Pariſienſi præfixa eſt, eadem ferme repetit, quæ diximus in ſuperiorem epiſtolam eſſe relata, cauſas ſcilicet habendæ Synodi refert, & quæ in ea agi oporteat. LIB. VI. CAP. IV.

II. Ex his vero Conciliis cum ſola acta Pariſienſis Concilii nobis ſuppetant, de eo ſigillatim dicemus. In tres libros diviſa Synodi ſtatuta ſunt, & quaſi in tres partes. Prima de Epiſcopis & paſtoribus, de eorum miniſterio, & moribus eorum bene inſtituendis, & de iis, quæ ad populum informandum pertinent. Secunda parte, ſeu libro ſecundo capitula ad principem pertinent. Tertio demum libro deſcripta ſunt, quæ clericis laicisque agenda & obſervanda ſunt. Summatim de iis dicemus, & ſi quid notatu dignum ſit, id utique annotabimus. Initio præfixa eſt præfario libris tribus Concilii Pariſienſis, ubi ſtatim Patres admonent populum, ne ſe dejici ſinat undique obſtrepentibus malis, ſed in cælum tollat oculos, divinumque imploret auxilium, Ninivitis humiliter precantibus olim præſens adfuiſſe auxilium, & ſi iram Dei multis offenſis concitaverant, Reges olim Achab & Manaſſem poſt inceſtatam idololatria Dei religionem ultionem divinam pœnitentia & emendatione præveniſſe, & mulierem peccatricem, de qua in Evangelio ſermo eſt, vi lacrymarum vitia & maculas animæ penitus deterſiſſe, quibus documentis manifeſtum eſt divinam vindictam offenſis pluribus provocatam, pœnitentia & dolore placari poſſe, haud dubiè Deum noſtris exacerbatum peccatis exeruiſſe in nos mucronem, & multas plagas nobis intuliſſe, ſed Auguſtos Ludovicum Lothariumque cælitus excitatos morum converſionem populo commendaſſe ſecundum ſcripturæ ſententiam: *Convertimini ad me in toto corde veſtro in jejunio & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra &c.* Placabilem igitur Deum anteactorum flagitiorum pœnitentiâ. Illos Eccleſiæ conſultum eſſe volentes, ſacerdotum & optimatum conſilio ſtatuiſſe *in quatuor congruentiſſimis locis* conventus Epiſcoporum uno eodemque tempore fieri Concilia, in quibus inquirant diligenter, quid principibus & populo agendum ex auctoritate divina ad res religionis Chriſtianæ procurandas, quidve ipſis paſtoribus, ut facta eorum & vitæ omnis ratio divinæ legi congruat. Audientes itaque glorioſorum & orthodoxorum principum juſſionibus VIII. Idus Junias anno DCCCXXIX. ex diœceſibus Remenſi, Rotomagenſi, Turonica & Senonia Pariſios conveniſſe & de cauſis antea me- Ioël. 2. 12. & 13.

LIB. VI. CAP. IV. moraris tractaſſe & ſtatuiſſe pet capita, ut melioribus inſtitutis vitam fidelium informarent, quæ ſanctorum patrum teſtimoniis ornata eſſe procuraverint.

III. Capitulo ptimo docent fidem in Pattem, Filium, & Spiritum-ſanctum habendam juxta Evangelium, *hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te unum & verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* (Ioan, 27. 3.) ipſam autem fidem interite, niſi bonis operibus virturibuſque Chriſtianis exornetur, vitiiſque quatuot inprimis fidem perimi, ſuperbia, invidia, odio & diſcordia. II. Docent Pattes ex ſancta & univerſali Eccleſia conflati unum corpus, cujus caput ſit Chriſtus, quod Paulus teſtatut, *ſicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto.* Eos igitur, qui pet illicita facinora ſe ſubtraxerint à corpore Chriſti, ut ſint membra diaboli, agete continuò oportere, ut, dum pet tempus licitum eſt, ſe cotpori Chriſti per pœnitentiam teſtituant. III. Duplicem eſſe in tettis poteſtatem, ſacetdotalem & tegalem, de uttaque agendum cenſent. IV. Epiſcopos dicunt eſſe ſucceſſores Apoſtolotum, atque adeo teligionem Chriſtianam per eos adminiſtrari, & populi duces eſſe ad vitam æternam conſequendam, quapropter debere id operibus oſtendere, quod olim ſancti Sacerdotes, & ad eorum exemplum mores & vitam componere, & factis primùm, tum dictis documento aliis eſſe, cavendum ſcilicet ne offendiculo aliis ſint, quod accidit, quando cum eorum vita pugnat oratio. V. Docent eſſe præcipuum Sacerdotis officium, admonete populum, & ad ſanctiotem vitam verbis excitare, & itam Dei pœnitentia & eleemoſynis placate. Studeat igitut arguere delicta hominum, neque verecundia aut metu retineatut, ne cum iis, qui ſua culpa perierint, ipſe peteat, quid enim illi proderit, non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato. VI. Quod, qui baptiſmo initiantur fidem primùm addiſcete debeant, ſed quoniam pueri imbelles baptiſmate ſtatim abluuntur, neceſſe eſt, ut poſtquam tationis compotes ſunt, ſacta fidei rudimenta percipiant. VII. Monent ne baptiſmus, niſi tempore Paſchatis aut Pentecoſtes celebtetur, niſi forte mortis immineat periculum, addunt ſponſores, ſeu ſuſceptores infantium eſſe pro eis fideijuſſores apud Deum, ut ii virtutes Chriſtianas exerceant. VIII. Prohibent ne qui, neglecta auctoritate canonum, extta tempora baptiſmum recipiunt, ad eccleſiaſticos gradus ptovehantur, quid ſi canones haud permiſerint ad eos promoveri, qui in morbo baptiſmum recipiunt, quanto magis, qui ex contemptu legum, & temeritate baptiſmo abluuntur, ab honoribus Eccleſiæ arceri debent? IX. Duas aiunt fieri pactiones in baptiſmo, alteram qua fidem in Patrem Filium & Spititum ſanctum profitemut, quam, quiſquis in hæreſim aut ſchiſma incidit, violavit, quod repatari niſi pœnitentia poteſt; alteram qua diabolo abrenunciamus, & pompis ejus. Inculcari debet fidelibus eos à jugo diaboli per baptiſmum liberos eſſe; cavendum itaque, ne renati ſinant ſe abripi pompis ejus, ne ſcilicet ſuperbiæ, avaritiæ, aliiſque vitiis ſubjaceant, ſponſionis meminerint, quam cum Deo pepigerint, nec minoris habeant jura cum Deo ſancita, quam cum hominibus contractam ſponſionem. X. Abrenunciare diabolo docent nihil aliud eſſe, niſi eum reſpuere, contra ejus conatus obniti, ejus attibus adverſari, & longe ab ejus illecebtis alienum eſſe, opera vero diaboli eſſe quæcumque Chriſtianis inſtitutis contraria ſunt, ejuſmodi ſunt ſupetbia, ambitio & arrogantia &c. XI. Ne qui fiunt clerici, lucri gratia ſint, ſed unius tantummodo Dei intuitu ad ecclèſiaſticos gradus evehantur. Eo in loco multa ſunt adverſus hæreſim ſimoniacam. XII. Docent pattes quibus modis quilibet ad regimen aſcendere debet, qua ratione in eo culmine vitam componat, quam recte doceat, & continuo memor ſit ſuæ infirmitatis. XIII. Invehuntur in avaritiam, quo vitio nonnullos ex clericis premi conqueruntur. XIV. Admonent Epiſcopos præcipue ùt hoſpitalitatem exerceant. Epiſcopi ſcilicet domum debere eſſe commune omnium hoſpitium. XV. Sacerdotem non debere res Eccleſiæ in ſuos uſus traducere, ſed eas habere ut res commendatas, quoniam res Eccleſiæ nihil aliud ſunt, niſi vota fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum, nemo itaque debet eas ambire habendi

cupiditate,

cupiditate, ſed eas pietate ſubveniendi ſuſcipere. XVI. Tradunt præcepta Epiſcopis de rebus eccleſiaſticis bene procurandis: poſſe ſcilicet Epiſcopum de bonis hæreditate acquiſitis ſuo modulo decernere, nequaquam de facultatibus eccleſiaſticis, ex quibus ſi quid forte comparaverit, volunt Patres, ut id non ad propinquorum ſed ad Eccleſiæ jura redeat. XVII. Ut non liceat Epiſcopo diſtrahere res Eccleſiæ, neque eas aliò transferre, niſi neceſſitas gravior urgeat, neque id niſi conſulto Primate provinciæ, & teſtibus adhibitis vicinis Epiſcopis. XVIII. Convenire Epiſcopis bona Eccleſiæ ad exemplum ſanctorum Pontificum diſpenſare, ne cæco mundi amore decepti, & terrenarum rerum capti cupiditate à felicitate æterna decidant. XIX. Contra eos loquuntur qui detrahunt de ſacerdotibus, qui eorum prava facta plerumque non tam ſtudio caritatis incitati, quam malevolentia & detrahendi libidine, arguere audent: ſed etiam admonent ſacerdotes ne officii ſui poſt habita ratione dent locum injuriæ, ne infirmis offendiculo ſint, & ſtatus Eccleſiæ periclitetur, auctoreſque ſunt, ut in veſtium cultu & menſæ apparatu modum teneant. XX. Pontifices pueros laicos non habeant in cubiculi miniſterio, ſed clericos aut monachos probatæ vitæ, qui ſint teſtes idonei morum & converſationis Pontificum. XXI. eſt contra Epiſcopos, qui colloquia & convivia cum laicis agunt, quod Synodus condemnat, ſimiliter & contra alios prælatos, qui ſe ſuis, quibus præpoſiti ſunt, ſubtrahunt Eccleſiis, prohibentque inprimis ne Epiſcopi à parochia & civitate ſua diſcedant. XXII. Ut clerici idonei eligantur, neque, ſi quis ad clericatum offeratur, repellatur, præſertim ſi utilis idoneuſque ſit. Sin verò rejiciendus eſt, id non fiat ſine examine & evidenti ratione. XXIII. admonent prælatos, ne imperium ſibi & dominationem in gregem arrogent. *Qua temeritate*, inquiunt, *immo præſumptioſa vanitate quilibet prælatorum dicere præſumit, illa congregatio mea eſt, aut ille presbyter, vel clericus meus eſt, cum non illius ſit, ſed illius, cui dicatus eſt.* XXIV. Prælatos debere eſcam & corporalem ſicut & ſpiritalem gregi porrigere, condemnant, qui alterutram aut neutram ſubminiſtrant. XXV. Admonentur Epiſcopi, ut videant, ne archidiaconi avaritiæ indulgeant, ſin vero id negligant, ſynodali animadverſioni ipſoſmet Epiſcopos ſubjiciunt. XXVI. Ut ſaltem ſemel in anno Concilia celebrentur, quibus adſint presbyteri & diaconi, ut, qui ſe læſos exiſtimant, Synodi experiantur examen. XXVII. De Chorepiſcopis alias dictum eſt, & eorum nomen in Synodo Reginoburgenſi anno DCCCIII. abolitum fuiſſe. In quibuſdam tamen locis quidam perſtiterant, & ultra poteſtatem & officium multa peragere non verebantur; huic malo Epiſcopi Pariſienſes conſultum eſſe voluerunt, prohibent igitur ne donum ſancti Spiritus per manus impoſitionem tradant, neque alia, quæ ſolis Pontificibus debentur, contra fas peragant &c. XXVIII. Excommunicantur clerici & monachi, qui propter turpia lucra contra ſanctiones canonicas conductores alienarum poſſeſſionum fiunt, & ſæcularia negotia ſuſcipiunt. XXIX. Eſt contra pravam quorumdam Epiſcoporum conſuetudinem, qui ſuis negotiis præponebant presbyteros, eoſque propterea in varia loca mittebant, quod ſine damno Eccleſiæ non fiebat, cum plerique abſque pœnitentiæ ſacramento, & infantes abſque baptiſmo morerentur. XXX. Pro ſcholis Epiſcoporum Patres canonem edunt, jubentque inſtaurari ſcholas, ut Imperator conſtituerat, & ſcholaſticos Concilio adeſſe volunt. XXXI. Statuitur, ut Epiſcopi circumeant ſuam parochiam, neque tamen cuiquam oneri ſint, & quanquam quarta pars decimarum illis cedit, ubi tamen Epiſcopus habet ſua, volunt ut ſuis ſit contentus, ubi vero nihil rerum ſuæ Eccleſiæ habet, accipiat non quod avaritia, ſed quod neceſſitas compulerit, alioquin id pauperibus, & Eccleſiæ uſibus relinquat. XXXII. Contra ſacerdotes, qui tempora & modum ad arbitrium pœnitentium ponebant, & utebantur quibuſdam libris ad pœnitentiam, quos pœnitentiales vocabant, quoſque nulla eccleſiaſtica auctoritas roboraverat; Epiſcopi admonentur, ut imponant pœnitentiam ſecundùm modum, & ſecundùm canonicam auctoritatem. XXXIII. Contra Epiſcopos, qui non jejuni Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem, id eſt per confirmationem tradebant, volunt, ut ſicut à jejunis baptiſmus, ita traditio

Spiritus ſancti celebretur, exceptis tamen infirmis & morte periclitantibus. XXXIV. Volunt ex Concilii Ancyritani ſententia eos puniri, qui contra naturam in deteſtanda vitia inciderant. XXXV. De preſbyteris & aliis clericis, qui gradum amiſerunt, ut Epiſcopi curent eos ſubjici pœnitentiæ legibus. XXXVI. Ut nullus clericus diſcedat ab Eccleſia cui nomen dedit, imperialiſque auctoritas poſcitur, ne quilibet è laicis eos recipiat, nec Italici Epiſcopi, Abbateſque, Comites aliique nobiles ad ſe fugientes excipiant. XXXVII. Abbates canonicorum religioſe & caſte vivant, neque venationibus turpibuſque lucris indulgeant. (2. Corinth. 6. 3.) *Nemini dantes ullam offenſionem, ut vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros.* XXXVIII. Ut ſacerdotes inprimis caveant à ſtultiloquio & ſcurrilitate, quoniam ii aliis exemplum & condimentum ſalutis debent eſſe. XXXIX. Condemnat Synodus pravam conſuetudinem viduarum, quæ ſine ullo pietatis & vitæ religioſæ tyrocinio ad regimen animarum pertrahuntur præficiunturque ſanctimonialibus. *Nulla ars*, (Paſtoral. lib. 2.) inquit ſanctus Gregorius, *doceri præſumitur, niſi intenta prius meditatione diſcatur; ab imperitis ergo paſtorale magiſterium qua temeritate ſuſcipitur, quando ars eſt artium regimen animarum.* XL. Subjiciuntur pœnis canonicis preſbyteri, qui inconſultis Epiſcopis velum viduarum conſecrant. XLI. & pariter preſbyteri, qui contra auctoritatem canonicam virgines conſecrare audent. XLII. Contra feminas, quæ, ut inopiæ ſuæ ſuccurrerent, velum ſibi imponebant, ſine ſacerdotum conſenſu, ut idoneæ miniſterio viderentur, Synodus id fieri prohibet. XLIII. Canonicæ pœnitentiæ ſubjectas Synodus decernit Abbatiſſas & ſanctimoniales, quæ viduas & ipſas virgines velare audent; conqueruntur Patres, quod in ſingulis monaſteriis tales invenirentur, & quod virgines hoc modo mallent velari quam à ſacerdote, quoniam eo pacto ſe à propoſito liberas exiſtimabant, *nec obeſſe ad peccandum tale velamentum putabant.* Id vero omnino ab Eccleſiæ auctoritate alienum judicant. XLIV. Damnat Synodus quaſdam viduas, quæ poſt viduitatem accepto velo non in monaſteriis ſub ſpiritalis matris regimine, ſed in propriis ædibus occaſione liberorum, & rerum ſuarum prætextu manere perſeverabant, conſtituuntque Patres, ut ex ordinatione Ludovici Principis non velentur, niſi poſt triginta dies à viduitate, tum ſi ſe velari expoſtulaverint, ut non in privatis ædibus, ſed in monaſteriis vitam agant &c. XLV. Prohibent Patres ne mulieres ad altaria accedant, nec indumenta ſacerdotalia adminiſtrent preſbyteris, & quod majus, indecentius, ineptiuſque viſum, ne corpus & ſanguinem populis porrigant, quod quorumdam Epiſcoporum negligentia accidiſſe aſſerunt, unde illi ſtatim exclamant. *Væ nobis ſacerdotibus, ad quos illorum ſacerdotum vitia tranſierunt.* XLVI. Vetant ne monachi & canonici ad monaſteria tam monacharum, quam canonicarum accedant, niſi forte ad agendam ſacram concionem, aut ratio aliqua id penitus exigat, id vero cum licentia Epiſcopi, aut illius, qui ejus vice fungitur atque in auditorio & ſub teſtimonio religioſorum hominum, & religioſarum feminarum. Prohibent præterea, ne clerici aut laici pro confeſſione ad monachos accedant, *præſertim*, ut aiunt, *cum eiſdem ſacerdotibus monachis idfacere fas non ſit, exceptis his dumtaxat, qui ſub monaſtico ordine in monaſteriis degunt.* XLVII. Prohibentur preſbyteri miſſam celebrare in domibus, hortis, aut ædiculis, niſi forte in itineribus, cum procul ſunt baſilicæ, id tamen in altaribus ab Epiſcopo conſecratis; condemnantque laicos, qui ad agendam his in locis miſſam preſbyteros compellunt, quibus ſatius eſſe aiunt miſſam non audire, *quam eam, ubi non licet nec oportet audire.* XLVIII. Preſbyteri prohibentur miſſam ſine miniſtro celebrare. XLIX. Ne unus preſbyter duas pluresve habeat baſilicas. *Vix enim*, inquiunt, *quiſpiam presbyterorum in baſilica, in qua divinæ ſervituti mancipatus eſt, digne atque ſtrenue militare invenitur: quanto minus id in duabus vel tribus, aut eo amplius baſilicis digne exequi valet? In quo facto & religio Chriſtiana fuſcatur, & ſacerdotalis ordo confunditur, immo avaritia ſacerdotum à ſubditis denotatur, locaque Deo dicata cultu ſibi debito privantur, & animarum pericula generantur.* L. Decernunt de obſervatione diei Dominicæ, poſtulantque

ab Imperatore, ut ob reverentiam tanti diei cunctis metum incutiat, *ne in hac ſancta ac venerabili die mercatus, & placita, & ruralia quæque opera, nec non &* LIB VI. CAP. IV. *quaſlibet carrigationes illius conditionis homines facere præſumant.* LI. De menſuris adæquandis contra eorum conſuetudinem, qui habebant modium in recipiendo majorem, & minorem in vendendo. *Abominatio quippe eſt apud Dominum pondus & pondus, ſtatera doloſa non eſt bona.* LII. In quibuſdam provinciis Galliæ occidentalibus Comites, ipſi etiam Epiſcopi vetabant ne tempore meſſis modius frumenti, & vindemiæ tempore modius vini pluris venderetur, quam ipſi conſtituerant, vimque faciebant, ut quod pretium duodecim denariorum adæquaret, ad ſex quatuorve denarios reduceretur, id vero in damnum agricolarum vinitorumque vertebat. Decernunt Patres ut auctoritate Principis hoc inhibeatur, & rogatio fiat *quatenus pauperibus tribuatur libertas, ut redditis ſenioribus ſuis, quæ juſte reddenda ſunt, reliqua, quæ ſibi ſuperſunt, liceat aliis, pro ut pactio vendentis & ementis grata fuerit, abſque prohibitione ſeniorum ſuorum diſtrahere.* LIII. Contra uſuram conſtitutum eſt, hoc enim tempore nonnulli pro uno modio, tres aut quatuor modios tempore meſſis recipiebant. Aliis nihil commodare promptum erat, niſi panperes *meſſelas ſuas, & vineolas & pratella ea ratione in pignus dederint, ut quidquid frugum in hiſce colligi poterat, pro parvo quid mutuum acceperant, ex aſſe amitterent.* Synodus hos divinis legibus & Patrum ſententiis condemnatos eſſe pronunciant. LIV. *Qui propter reatum ſuum publica ſunt pœnitentia multati, nec alios de ſacri fontis baptiſmate ſuſcipiant, nec etiam ad percipiendum ſancti Spiritus donum, aliorum patroni coram Pontificibus exiſtant, donec per dignam pœnitentiæ ſatisfactionem reconciliationem mereantur.* Ea ferme in prima parte de religione Chriſtiana & de Epiſcopis conſtituta ſunt, quorum ſummam edidimus. Sequuntur deinde ſtatuta, ut præceptum fuerat, quæ ad Reges & Principes pertinent.

Cap. I. Regem patres dicunt appellari à recte agendo, qui ſemetipſum familiamque ſuam ita bonis operibus ornet, ut ſuis exemplo ſit, regnumque ita adminiſtret, ut virtutibus ſubditos ad bonos mores, ad pietarem, juſtitiam & miſericordiam excitet, præclara deinde adjiciunt documenta. Ut ſcilicet neminem injuſte per potentiam opprimat, ſine acceptione perſonarum jus reddat, ſe advenarum, pupillorum & viduarum præbeat defenſorem, furta cohibeat, puniat adulteria, iniquos non honoribus cumulet, impudicos non nutriat, impios tollat, parricidas ex numero hominum deleat, adjiciat animum defendendis eccleſiis, alendis pauperibus. In regni negotiis ſenes, qui ſapientia & ſobrietate polleant, adhibeat, non vanis hariolorum fallaciis intendat, iracundiæ impetum differendo temperet, patriam juſte & fortiter defendat, in ſecundis rebus non efferat animum, neque dejiciat in adverſis, fidei catholicæ cuſtos ſit, filios imperio ſubjiciat, ne agant impie, ſtatis horis vacet Deo, & orationi indulgeat; hæc aliaque maxime prædicant ſancti Pontifices. II. Multa tradunt præcepta de miniſterio, quæ eòdem, atque ea quæ ſupra recidunt, hæcque ſacræ ſcripturæ teſtimoniis & ſanctorum Patrum fulciunt; aiuntque inprimis regale miniſterium in hoc præſertim conſtitutum eſſe, ut Rex populum Dei gubernet & regat cum æquitate & juſtitia, & pacem ſtatuat, Eccleſiarum ſit defenſor, tutela viduarum, pauperumque præſidium, injuriam fieri non patiatur, illatam ulciſcatur; hæc aliaque ejuſmodi Regibus conſilia tradunt. III. Quod Rex Duces & Comites conſtituere debet, qui jus æquumque populo reddant, eoſque præponat provinciis miniſtros, qui nec iniquitate nec avaritia corrumpi ſe patiantur, juxta hoc divinum mandatum. *Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quos Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas, ut judicent populum juſto judicio, nec in alterutram partem declinent.* IV. Docent Patres, *quod pietas juſtitia & miſericordia ſtabiliunt regnum, calumniæ vero miſerorum, violentaque judicia, & perverſio juſtitiæ illud evertunt. &c.* V. Quod quiſquis imperat non ab hominibus, ſed à Deo commiſſum ſibi regnum credat. VI. Contra eos, qui caritatem non ſervant, nec ſe mutuò diligunt, atque inprimis condemnant palatinos, qui morſibus invidiæ ſe invicem dilacerant. &c.

LIB. VI. CAP. IV.

Ex S. Auguſt. in append. ſerm. 9.

VII. Non noſtra ætate, aiunt, ſicut olim Chriſtianos divinæ legis cultores eſſe, *Etſi Chriſtus in nobis idem eſt, qui & in illis: ſed non idem animus in nobis, qui fuit in illis: eadem fides in nobis, ſed non eadem devotio &c.* Cavendum itaque fidelibus, ut fidem operibus probent, quam ore & corde profeſſi ſunt. VIII. Synodus admonet ſubditos, ut regiæ poteſtati audientes ſint, ejuſque bono & ſaluti, quantum cuique licet, conſulant, *qui enim*, ut ait Apoſtolus, *poteſtati à Deo ordinatæ reſiſtit, Dei utique ordinationi reſiſtit.* IX. Patres memorant quibus olim malis obnoxii fuerint legis divinæ tranſgreſſores, adhortanturque Principes, ut quemlibet in obſervatione divinæ legis contineant. X. Contra eos, qui impiè dicerent bomines ſancto ablutos baptiſmo, etſi ſceleratè vivunt, & in malis operibus moriuntur, non tamen perpetuis pœnis addici: ſed diuturnis tantum, & ad tempus. Patres pluribus probant, quod pœnitentiæ tempus differendum non ſit, & fides bonis operibus ſit approbanda. XI. Cbriſtianum populum adhortantur, ut pio religioſoque ſtudio ad Deum ſuppliciter orandum eccleſiam frequenter adeant. XII. Eſt adverſus eos, qui in eccleſia, cum debeant Deum precari & orationi attendere, confabulari ſolent. XIII. Admonent fideles, qui baſilicas ſæpius adire nequeunt, ut nihilominus Deo fundant preces in quocumque fuerint loco, Deum ſcilicet ubique totum, ubique præſentem, ubique mirabilem: hæcque referunt verba ſancti Hieronymi ad Euſtochium. *Egredientes hoſpitium armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequam ſeſſio, ne prius corpuſculum requieſcat, quam anima verbo Dei paſcatur, ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat crucem.* Epiſcopi his capitulis expoſitis ſcripſerunt epiſtolam ad Ludovicum Imperatorem, ſcribunt ſe conveniſſe Pariſios juxta ejus imperium, & ſimul egiſſe de cauſis ad religionem Chriſtianam pertinentibus, & pariter de his, quæ ad miniſterium Epiſcoporum, eorumque correctionem, & emendationem ſpectant, & quæ pariter moribus populi commodiſque utilia viderentur. Addita etiam quædam, qnæ ad Regem ipſum ipſiuſque Imperium attinerent. Ac demum in bis, quæ ſequuntur, adjecta nonnulla, quæ neceſſaria ſibi, laiciſque duxerint. Hæc capitula, ſicut alia, ſummatim exponimus, bæcque libro tertio continentur.

V. Cap. I. Se ipſos Epiſcopi adhortantur, ad vitam pie ſancteque agendam, & omnem deinceps diligentiam habendam in rebus ſui miniſterii, in doctrina in converſatione, probitate morum, ſtudio prædicationis, in conſacerdotum miniſtrorumque correctione, ad Deum digne placandum *digna pœnitentiæ ſatisfactione, & eleemoſynarum largitione.* II. Proponunt Patres multa peccata, quæ iram Dei concitant, quæque emendata eſſe volunt. III. De injuſtis & iniquis menſuris, quod antea jam cautum eſſe diximus, ſicut & quæ capitulo IV. continentur, ut non ad agenda negotia preſbyteri mittantur. Eadem quoque capitulis V. VI. & VII. repetuntur, quæ ſuperius in parte prima memorata ſunt. Alia deinde ſubjiciunt VIII. de dignitate & excellentia ſacerdotum. IX. quod miniſterium ſacerdotum contemni non debet, fatenturque ſe eſſe inferiores meritis & vita ſuperiorum temporum Epiſcopis, eorum tamen miniſterium non minoris auctoritatis eſſe & pretii, bocque in ſe ipſis præcipue ſpectandum eſſe. X. Reddunt rationem cur veritatis ſtudioſi ſæpius proferant, quæ multis haud grata ſunt, teſtanturque id à ſe fieri, non rerum ambitione, ſed animarum bono & ſalute. XI. Petunt, ut ſibi poteſtas ſit ſingulis annis ſemel ſaltem celebrandi Concilia, ut ordini eccleſiaſtico vigor antiquus redeat, ut clericorum quorumdam retundatur audacia, neque amplius flagitiis impunitas ſit. XII. Ut ſaltem tribus in locis regni ſcholæ publicæ aperiantur. XIII. Ut in ſuas quiſque clericorum eccleſias preſbyteri & diaconi fuga lapſi redeant. XIV. Ne monachi & clerici paſſim adeant palatium. XV. Imperatorem admonent, ut quaſdam ſedes Epiſcoporum, quæ ſuis rebus privatæ ſunt, aut quibus periiſſe videntur, ſublevare, & iis ſua beneficentia remedium ferre velit. XVI. In quadam parte parocbiæ Alitgarii Cameracenſis Epiſcopi, & Rangarii quædam mala fœdiſſima invaluerant, quibus proviſum eſſe petunt per imperialem poteſtatem. XVII. Ut eadem poteſtate contineat impetum quorumdam homi-

num, qui ſua odia cæde & ſanguine aliorum ulciſcuntur, ut id amplius in regno fieri non ſinat. XVIII. De Abbatibus, canonicis, & regularibus, & de Abbatiſſis, ut ſui officii memores pie & religioſe vivant, neque loca ipſis conceſſa ruere & deſtrui patiantur, neque ſuis congregationibus negligant ſtipendia adminiſtrare, ne inopia rerum temporalium res ſpiritales detrimentum capiant. XIX. Poſtulant ab Imperatore, ut inhibeantur palatinæ capellæ contra canonicam auctoritatem, & eccleſiaſticam honeſtatem erectæ, & Dominicæ diei obſervatio commendetur. XX. De perceptione ſacri corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut id obſervetur, quod in aliis conventibus ſtatutum eſt. XXI. Ut præceptum ad honorem eccleſiaſticum ſcribere velit Imperator, ſicut in publico conventu ſtatutum fuerat. XXII. Ut ſingularem curam adhibeat Princeps in bonis paſtoribus, rectoribuſque in eccleſiis Dei conſtituendis. XXIII. Idque ſimiliter fieri poſtulant de Abbatiſſis conſtituendis. XXIV. Rogant Imperatorem, ut conſiliarii ejus & ceteri domus ſacræ miniſtri, qui aliis exemplo eſſe debent, exteris bonæ opinionis condimentum præbeant, & pacem inter ſe & caritatem obſervent. XXV. Ut liberos ſuos in Dei timore & caritate fraterna, bene & religioſe Princeps inſtituat. XXVI. Ne imperialis auctoritas in cauſas eccleſiaſticas proſiliat, neque ſacerdotes ſæcularibus negotiis ſe ſe occupent. XXVII. Aiunt demum ſe coram acturos de epiſcopali libertate, quam ad Dei ſervitium ritè peragendum cupiunt conſequi.

Qui Epiſcopi huicce Concilio adfuerint dicemus inferius. Antea cum de VI.
canonicis actum eſt, dixi à quibuſdam Epiſcopis attributa canonicis ſtipendia, quæ ex facultatibus Eccleſiæ ſolebant diſtribui his clericis, qui albo ſeu canoni Eccleſiæ inſcripti erant. Inchadus, qui tum erat Pariſienſis Epiſcopus, id quoque ſollemniter præſtare inſtituit; ſcripſit itaque chartam, qua villas aliquot canonicis Eccleſiæ Pariſienſis attributas deinceps eſſe, & hanc ab Epiſcopis, qui huic Synodo interfuerunt, confirmatam, ſubſcriptamque eſſe voluit, ex qua maxime addicimus, quæ nomina ſint Epiſcoporum, qui Synodo huic interfuerunt. Chartam aliàs ex minori paſtorali Eccleſiæ Pariſienſis exſcripſimus, hancque tibi ſubjicimus.

Ego Ynchadus divina ordinatione Pariſiacæ civitatis Epiſcopus &c. Igitur cognoſ- VII.
cat omnium ſecutura poſteritas præſulumque nobis ſuccedentium pia paternitas, quia petierunt à noſtra exiguitate fratres noſtri S. matris eccleſiæ, cui miſerante Deo deſervimus, ut metu futurorum caſuum propellendo attribueremus eorum ſtipendiis, quaſdam villas de rebus ipſius matris eccleſiæ, quarum redditibus, & ipſi ſuam neceſſitatem propellerent, & Epiſcopum multorum moleſtiis aſſidue exagitatum, non inquietarent, quorum nos petitioni aſſenſum præbentes, in eccleſia quæ eſt in honore ſancti Stephani protomartyris, coram ipſo ſacro ſancto aleari in præſentia venerabilium virorum ob Dei cauſam ad ſynodale Concilium apud Pariſiacam urbem convenientium, Ebboni videlicet Archiepiſcopi, Aldrici Archiepiſcopi, Reginoardi Archiepiſcopi, Ladranni Archiepiſcopi, Ionæ Epiſcopi, Ieſſæ Epiſcopi, Rantgarii Epiſcopi, Rothadi Epiſcopi, Adalelmi Epiſcopi, Hildemanni Epiſcopi, Gotofredi Epiſcopi, Freculfi Epiſcopi, Guiladi Epiſcopi, Theodiſcli Epiſcopi, Amathei Epiſcopi, Autgarii Epiſcopi, Franconis Epiſcopi, Bernoini Epiſcopi, Haribaldi Epiſcopi, Heliæ Epiſcopi, Item Ionæ Epiſcopi, Huberti Epiſcopi, Fulcharii Epiſcopi, Herberti Epiſcopi, quaſdam villas, cum earum redditibus eorum ſtipendiis dedimus, vel delegavimus, quarum nomina ſunt hæc, Andreſiacum cum omni integritate, Heleriacum cum omnibus ad ſe pertinentibus, Aureliacum & Civiliacum & Caſtanedum cum cunctis, quæ illis adjacent, Balneolum, & Layacum & Steovilla cum univerſis quæ pertinent ad eas, inſuper & fundos, quos fidelium liberalitas ſtipendiis eorumdem fratrum delegavit, videlicet Sulciacum, quem Stephanus illuſtris vir & piæ recordationis Comes, necnon & uxor ejus Amantrudis eorum uſibus delegaverunt, ita tamen, ut tertia pars ejuſdem villæ luminaribus eccleſiæ cederet, ſed & medietatem nonarum eis attribuimus, quæ de rebus eccleſiæ noſtræ ab his, qui eis utuntur, noſtræ eccleſiæ conferuntur. Hæc ergo omnia paterna caritate devinctus petitioni fratrum noſtrorum Ego Ynchadus promptiſſime favens, ut jam prælibavimus, eorum uſibus deputamus, ob Dei omnipotentis ſervitutem propen-

ſius exhibendam, & ad caritatem uberius proferendam, quatenus non ſolum pro ſtatu ſanctæ Eccleſiæ, ſed & pro pace & incolumitate domni Ludovici Regis proliſque ejus, totiuſque regni ejus ſtatu, necnon & pro meæ abſolutione animæ fideliſſime ac devotiſſime Domini miſericordiam exorent. Inſuper & tectorum curam fratribus deputatorum, ne collapſa depereant, ad ſe pertinere noverint. Statuimus ſi quidem, ut ſuper venientes fratres tam canonicos, quam monachos de aliis congregationibus hoc ſummopere provideant, ut cum caritate eos ſuſcipiant, eoſque in cibo, & in collatione ſibi participes faciant. Decima quoque earumdem villarum, id eſt de indominicato tantum detur ad integrum ad illud Hoſpitale pauperum, quod eſt apud memoriam beati Chriſtophori, ubi fratres tempore ſtatuto pedes pauperum lavandi gratia confluunt. Petimus autem ſucceſſores noſtros in Domini noſtri Ieſu Chriſti amore, & fraternæ intuitu dilectionis, ut hoc noſtrum ſtatutum inviolabiliter manere permittant, quatenus & nos ſtudii noſtri atque devotionis remuneremur mercede, & vos pro parilitate operis donemini æterna felicitate. Credimus enim non minorem retributionem manere bene inchoantes, quam bene inchoata, ſtudio propenſiore felicibus votis atque niſibus proſequentes. Hoc autem noſtrum ſtatutum, ut pleniorem in Chriſti nomine obtineat firmitatis vigorem, & manus noſtræ ſignaculo ſubſignavimus, manibuſque ſpectabilium perſonarum roborari decrevimus, † Signum Ynchadi Pariſiacæ civitatis Epiſcopi, qui hoc privilegium pontificali auctoritate fieri juſſit, & ob amiſſionem luminum ſcribere nequivit, Ebbo divino munere ſancti Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus huic conſtituto à nobis canonice promulgato ſubſcripſi, Aldricus ſanctæ Senonicæ ſedis Archiepiſcopus hoc decretum ſubterroboravi, Reginoardus. Sancti Rhodomenſis, ſeu potius Rotomagenſis Eccleſiæ *Archiepiſcopus, id ſtatutum roboravi, Landramnus Turonenſis Archiepiſcopus huic conſtituto ſubſcripſi. Amatheus Epiſcopus id ſtatutum ſubter roboravi. Ausgarius Epiſcopus indignus huic decreto ſubſcripſi. Franco Epiſcopus hanc conſenſionem inferius roboravi. Bernoinus Epiſcopus hoc ſtatutum ſubſcripſi.*

VIII. Ex ea charta facile reperiuntur qui Epiſcopi Concilium Pariſienſe celebraverint, Ebbo ſcilicet Archiepiſcopus Remenſis, Aldricus Senonenſis; Reginoardus ſeu Ragnoardus Rotomagenſis Landramnus Turonenſis, Jonas Epiſcopus Aurelianenſis, Jeſſe Ambianenſis, Rantgarius Noviomenſis, Rothadus Sueſſionenſis, Adalelmus Catalaunenſis, Hildemannus Bellovacenſis, Godofredus Sylvanectenſis, Freculfus Lexovienſis, Halitgarius Cameracenſis, Franco Cenomanenſis, Haribaldus Autiſſiodorenſis, Helias Trecenſis, Jonas Nivernenſis, Hubertus Meldenſis, Inchadus Pariſienſis, Bernoinus Carnotenſis, Guiladus ſeu Vvilardus Conſtantienſis, Fulcharius, forte Flodegarius Andecavenſis. Præter nomina borum Epiſcoporum, quorum ſedes notæ ſunr, tres præterea ſuperſunt, Theodiſclus, Amatheus, & Herbertus, quorum ſedes neſciuntur, qui tamen vel ad Turonenſem provinciam vel Rotomagenſem, vel ad utramque pertinent; ſed cui præſertim, nemo eſt, qui aſſerat. Etſi in ea charta nota temporis non eſt, tamen haud dubium eſt datam eſſe anno Chriſti DCCCXXIX. quo anno celebratum fuiſſe Concilium Pariſienſe memoratum eſt. Quo in loco celebrata Synodus ſit, charta memorat eccleſiam, quæ eſt in honore ſancti Stephani protomartyris. Baluzius vir doctus exiſtimat eſſe eccleſiam ſancti Stephani de greſſibus, quæ etiam nunc ſita eſt in ſuperiore parte vici ſancti Jacobi ad auſtralem regionem urbis. Nos melius aſſerimus fuiſſe veterem eccleſiam ſancti Stephani, quæ in ipſo clauſtro & ipſo Parviſio ſanctæ Mariæ virginis ſita erat, & ut id aſſeveranter dicam facit charta Regia, quæ legitur in parvo Paſtorali, ubi Ludovicus ſextus viaturam ab Epiſcopis Pariſienſibus poſſeſſam certis ſuis limitibus & terminis diſtinguit. *Terra igitur*, inquit, *illa, quæ incipit à parte clauſtri beatæ Mariæ ab illa ſcilicet porta, quæ proxima eſt domibus Stephani Archidiaconi, illa inquam terra à ſiniſtro exiſtens latere, ſicut publica diſtinguit via, uſque ad domum Anſoldi, & ab illa domo lineatim uſque ad caput eccleſiæ ſancti Chriſtophori, & à capite illo uſque ad muros veteris eccleſiæ ſancti Stephani.* Ex quibus verbis facile perſpicias illic fuiſſe olim baſilicam ſub nomine ſancti Stephani dedicatam. In hac vero congregatam Synodum Pariſienſem haud dubium eſt. Illius baſilicæ ſancti Stephani mentio in charta Vandemiris

viri illuſtris, & Ercambertæ uxoris ejus his verbis, *ad baſilica ſanctæ Stephanæ*, Id eſt ſancti Stephani, *in Pariſius ubi domnus Sigofredus Pontifex præeſſe videtur.* Manifeſtum eſt eſſe ipſam ſancti Stephani baſilicam, quæ prope majorem eccleſiam extructa erat. Similiter ejuſdem eccleſiæ ſancti Stephani ſermo eſt in veteri teſtamento Ermentrudis matronæ, quod ex autographo Dionyſiano Mabillonius eruit, in quo hæc habentur. *Baſelicæ domnæ Mariæ gavata argentea valente ſol. duodece, & cruce aurea valente ſol. ſepte dari jubeo; baſelicæ ſancti Stephani anola aureo nigelleto valente ſol. quatuor dari volo.* Et ex aliis pluribus actis conſtat ipſam majorem baſilicam non modò ſanctæ Mariæ Virgini, ſed etiam ſancto Stephano dedicatam fuiſſe. Sed quæ retulimus ſufficere arbitror. Demum in ea charta legimus Inchadum Epiſcopum orbatum luminibus, neque chartæ potuiſſe ſubſcribere, hanc vero cæcitatem ex ſenio illi contigiſſe plerique exiſtimant. In eadem Synodo Pariſienſi ſermo fuit de monaſterio Dionyſiano, priſcam diſciplinam illi patres reſtituere decreverunt. De eo negotio ſequenti capite plura memorabimus.

CAPUT V.

De conjuratione in Ludovicum Imperatorem. De inſtitutione monaſtica reſtituta in monaſterio Dionyſiano. De morte Inchadi Pariſienſis Epiſcopi, & de ejus ſucceſſore Erchanrado. De tranſlatione corporis ſanctæ Bathildis ab Erchanrado. De monaſterio Glannafolienſi, quod Foſſatenſi ſubjectum eſt. De exauctoratione Ludovici Pii, & ejus reſtitutione in monaſterio Dionyſiano. De Synodo ad Theodonis villam, & de depoſitione Ebonis.

REM temporibus & cœptis noſtris congruentem facturum me exiſtimo, ſi I.
breviter memorem impios filiorum in patrem conatus, & conjurata populi & optimatum in bonum principem odia, ſacrilegumque facinus ante aras peractum, quo cum majeſtate Imperii incæſtata religio eſt. Series enim noſtrarum rerum id poſtulat, & quædam iis ſparſim injecta inveniuntur, quæ ad negotia noſtra pertinent. In palatio ſummam imperii habebat poſt Principem Bernardus Comes Barcinonenſis, filius erat Vvilelmi Comitis Tholoſani, hunc è ſacro fonte Ludovicus Imperator cum Aquitaniæ regnum obtineret, ſuſceperat. Ille poſtea major factus Septimaniæ præfectus eſt, & Barcinonenſem comitatum rexit. Demum in aulam evocatus ab Auguſto cameræ præpoſitus eſt. Tanta deinceps auctoritate valuit apud Principem, ut omnia ſolus pro nutu & arbitrio adminiſtraret, nemo niſi ejus gratia & auctoritate ad honores & magiſtratus adſcendebat, &, ut fit, in hoc poteſtatis faſtigio ille ſæpe abuti potentia, & omnia magis regere ex libidine, quam ex judicio; huc accedebat vagus rumor prauæ Bernardi cum Auguſta conſuetudinis. Accendebat præterea filios Imperatoris Carolus impubis puer, quem Auguſtus paulo ante ad

regnum evexerat: invidiam augebant optimates, quibus plus erat apud Lotharium & Pippinum gratiæ. Hugo inprimis ſocer Lotharii, & Mathfridus exſtimulabant ejus animum; pueri opes neque creſcere, neque amplificari poſſe niſi ex hæreditatis diminutione; bonum Principem Judithæ mulieris profligatæ vitæ blanditiis irretitum, Bernardum nefarium hominem nihil reliqui facturum, ut puero afferat Imperium. Hæc & alia Lothario inſuſurrare, tum eadem aperte ſpargere in vulgus, quibus vocibus excitati Principes aliique regni proceres, Bernardum ex palatio depellere & Imperatorem ipſum in ordinem redigere decreverunt. Cum hæc in palatio ſererentur, Imperatori allatum eſt tumultus excitari in Britannia, quoſdam ſumptis armis ſeditionem meditari. Ludovicus illuc proficiſci ſtatuit, diſſimulato malo, quod internas partes affligebat. Jam venerat in Armoricam, cum ei nunciatum eſt vulnus, quod ſe ſe cohibuerat, hiare cœpiſſe, pertractam ad defectionem maximam populi partem, filios accitos, *ut illum de regno dejicerent, novercam perderent, & Bernardum interficerent.* Jam Pippinum cum multis copiis veniſſe Pariſios, omnium animos in eum eſſe proclives. Bernardus his territus Barcinonam fugit, Judith Laudunum ſe recepit, & ſe monaſterio incluſit. Ipſe ſuorum deteſtatus perfidiam Compendium ad conventum generalem perrexit. Pippinus ei obviam fit cum magna optimatum manu, qui omnes in ejus perniciem juraverant, aderant inprimis ipſi olim cariſſimi, quos commune malum in errorem induxerat, Hilduinus Abbas Dionyſianus & Archicapellanus, Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus, Hugo & Matfridus cum aliis pluribus in eam delapſis perfidiam. Juditham quoque eo adduxerunt, ut Ludovico perſuaderet abdicationem Imperii, & in monaſterium ſeceſſionem. Imperator reſpondit conſulto opus eſſe, illi quidem liberum eſſe velum ſumere, ut ſibi & ſuæ vitæ conſulat. Pictavos Regina factioſorum ſententia deducta eſt ad monaſterium ſanctæ Radegundis. Interea ex Italia Lotharius venit, indictuſque eſt conventus Noviomagi. Interim Ludovicus ſub cuſtodia libere verſabatur, adjuncta pro ſatellitio monachorum turba, qui ad vitam monaſticam bonum Principem impellerent. Verum res aliter cecidit quam ſperatum eſt, illi magni Principis miſerati ſortem, de eo reſtituendo ſerere conſilia, tum ea cum illo communicare. Demum Guntbaldum monachum deligunt, qui eat ad Ludovicum Bajoariæ Regem, & ad Pippinum, is enim ad adventum Lotharii in Aquitaniam redierat, denuncietque patris nomine partem regni utriuſque auctiorem fore, ſi patris reſtituendi curam gerant, illi patri opem laturos polliciti ſunt. Interim habetur conventus Noviomagenſis, quo omnes pœne Germani confluxerant, parati vel armis Imperatorem defendere. Sane illico Ludovicus in libertatem vindicatus eſt, tamque cito faventem fortunam expertus, quam adverſam ſenſerat. De ſeditioſis acta quæſtio, neminem morte luere parricidii pœnas permiſit; quidam tantummodo in exilium conjecti ſunt, inter quos Hilduinus fuit, qui ad Corbeiam novam ire juſſus eſt. Scribit Flodoardus Hincmarum Hilduino comitem fuiſſe, ſibi ab Epiſcopo Pariſienſi facta eum vel in exilium ſequendi poteſtate. Vvala quoque veteris Corbeiæ Abbas, qui & reus ſeditionis dicebatur, in ſuum monaſterium pulſus eſt. Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus judicio Epiſcoporum loco motus eſt. Lotharius ipſe à patre vocatus, deprecari injuriam cœpit, & nova fidei obligatione ſe patri aſtringere. Anno ſequenti, qui DCCCXXXI. fuit, primum Imperator placitum habuit Aquiſgrani, revocata ex monaſterio Juditha adfuit, innocentiam coram defendere parata, ſi quis ream faceret; cum nemo crimen intenderet, ſecundum judicium Francorum crimen diluit. Aderant tres filii Imperatoris, qui ipſi factioſos condemnarunt. Soluto conventu in ſua quique regna redierunt. Lothario injunctum eſt, ut Italia contentus nihil novi deinceps moliretur. Vvala, de quo modo dictum eſt, in exilium ire juſſus. Paulo poſt Ingelhemeii placitum alterum celebratum eſt, ubi Imperator injuriam pluribus condonavit, quo tempore Hincmarus, ut auctor eſt Flodoardus, Hilduinum Auguſto reconciliavit. Demum eodem anno in Theodonis villa tertiò conventus fuit, cui Lotharius & Ludovicus adfuerunt. Aſtitit Bernardus Comes

Comes promptus vel armis depellere calumniam ex more Francorum, cum LIB. VI. CAP. V accuſator non ſurgeret crimen purgavit ſacramento. Etſi in ſpeciem reſtituta Imperatori ſua majeſtas erat, tamen nondum præteritorum malorum bene obducta cicatrix. Pippinus etiam vocatus ad conventum non venerat, ſoluto placito ad Imperatorem acceſſerat, quem Auguſtus in pœnam contumaciæ haud honorifice habuit. Pippinus contumeliam non ferens ſe clanculum ex palatio ſubduxit, evaſitque in Aquitaniam. Hoc factum in contemptum auctoritatis Ludovicus reputans, Aurelianis agere conventum generalem ſtatuit, quo Pippinum accerſeret. Aula quoque diſcordiarum vario genere agitata eſt, Guntbaldus monachus ob præſtitam opportunè operam ſecundum in aula locum ſibi vendicabat. Bernardus jam antea imperio aſſuetus neque priorem neque parem facile patiebatur. Ex parte altera filii indigne ferebant quemquam in palatio ſumma rerum potiri, Ludovicus Bavariæ Rex Mathfridi conſiliis inductus, ſigna adverſus patrem ferri juſſerat. Imperator nihil moratus, illi occurſare cum valido exercitu, jamque Auguſtam Vindelicorum venerat; cum Ludovicus inferior viribus imperata facturum ſe promiſit, habitoque cum patre colloquio cum venia pacem facile à bono Principe impetravit.

Jam Imperator de agendo Aurelianis conventu cogitans, eo proficiſci inſti- II. tuit, iter per monaſterium Dionyſianum fecit, ubi hortante inprimis Hincmaro de monaſtica inſtitutione reſtituenda præceptum edidit. Dictum eſt antea monachos Dionyſianos à priſca monaſticæ inſtitutionis diſciplina longe deſciviſſe, habitumque inſuper & inſtituta canonicorum recepiſſe, paucis aliquot monachis exceptis, quibus religio fuerat priora vitæ inſtituta deſerere, quique in cella ſeorsùm ab aliis diviſi remanſerant. Ludovicus initio ſui principatus Benedictum & Arnulfum Abbates miſerat per monaſteria, ut omnia in monaſteriis ex regula ſancti Benedicti ordinarent, quod in Aquiſgranenſi Synodo conſtitutum fuerat. Hi cum ordinare monaſterium Dionyſianum inſtituiſſent, qui abjecta monaſtica diſciplina, novis canonicorum ſe ſubdiderant inſtitutis, variis artibus inquiſitionem Abbatum eluſerant, atque adeo in eo, in quo verſabantur ſtatu, remanſerant. In Concilio Pariſienſi viſum eſt Patribus ſuam priſtinam formam Dionyſiano monaſterio reſtituere, & ut id ageretur Hilduinum Abbatem in eadem vota currentem admonuerunt, ut junctis ſimul precibus auctoritatem Imperatoris ad emendationem monaſterii advocarent. Tum demandatum Aldrico metropolitano Senonenſi, & Eboni Remenſi Archiepiſcopo, & utriuſque provincialibus Epiſcopis, ut in eo monaſterio diligentem inquiſitionem facerent, & in antiquum uſum omnia ex honeſtate & commodis monaſterii redigerent; peracta eſt inquiſitio. Multi ſancti propoſiti violatores & deſertores monaſticæ profeſſionis inventi ſunt, qui jam in eo ſtatu peſſimè obierant. Nonnulli teſtati palam ſunt nullam antea ſe profectionem vitæ regularis ediliſſe, ſed convicti ſubjecti legibus pœnitentiæ ſunt. Quidam iique plures numero perfidiam ſuam confeſſi ſunt, humileſque ſolo proſtrati culpæ veniam à Deo ſuppliciter poſcebant, & flagitabant unanimes miſericordiam, iterataque ſponſione cucullum & habitum vitæ monaſticæ coram Epiſcopis cleroque & ingenti nobilium turba receperunt, monachi vero, qui propter aliorum deſertionem ſeceſſionem fecerant, rebus reſtitutis cum aliis vitam monaſticam recipientibus ſe conjunxerunt, & quiſque priſtinum locum & antiquam diſciplinam iterum profeſſus eſt. Hujus porro renovationis factum in acta redactum eſt, quod ſemel iterumque ſcriptum & firmatum ſubſcriptione Epiſcoporum in archivis monaſterii, & in ſcriniis palatii reconditum eſt. Jam res monaſtica reſtituta in monaſterio Dionyſiano videbatur: cum ecce nova ingruit procella. Quidam è monachis, ſubductis diſciplinæ humeris, ſine Abbatis venia novam litem inferunt, reclamant contra Pontifices qui rem reſtituerant, & contra eos multa dictu fœda confingunt, ſupplices Imperatori libellos mittunt, ipſum adeunt & multa de iis apud eum conqueruntur. Imperator continuo mandat Hilduino Abbati, ut iterum ſuo nomine revocet eoſdem Epiſcopos, qui inquiſitionem fecerant, adjunctis aliis, in quos accuſationes non erant, ut eadem iterum

inquiſitio fieret, rurſumque, rebus ad examen revocatis, eanonice definiretur ut monachi omnes demum reconciliata pace quieſcerent; quod Imperator fieri jubet, non quod dubitet quin res bene acta ſit, ſed ut major de conculcata audacia triumphus ſit, & iterata definitione res firmior conſiſtat. Ad diem & locum condictum conventum eſt; primum prolatis monachorum libellis de accuſationibus contra Epiſcopos actum eſt, apertis aſſertionibus probatiſque teſtibus, aſſerta eſt innocentia, & calumnia falſi condemnata, & ad perpetuum monumentum id in acta relatum eſt, quæ & in palatii & monaſterii ſcriniis haberentur. Omnes demum conſcientiæ ſtimulis agitati, quod à ſanctis vitæ ſuæ inſtitutis deſciviſſent, & longe à recto propoſiti ſui deflexiſſent tramite, meliora inierunt conſilia, treſque chartas unanimi conſenſu conſcripſerunt, quarum altera ad ſepulcrum ſancti Dionyſii deponeretur, alteram ſervaret Imperator, tertia in monaſterio conderetur. In ſingulis quiſque ex monachis, ſubſcripto nomine, gradus monachique appellatione, ne fides rei dubia foret, profeſſus eſt ſe ſervaturum ſancti Benedicti regulam. Rebus ita compoſitis, Pontifices petierunt ab Imperatore, ut quod ſtatuerant, & canonice definierant, imperialibus litteris confirmaretur, ne alias ordo monaſticus à prima inſtitutione decideret, & ibi perpetuo diſciplina vigeret regularis. Quamobrem eorum petitioni annuit, & de ea re litteras dedit VII. Calend. Septembris anno Imperii XIX. Indictione X. Hæc ex litteris Ludovici Imperatoris & ſynodali præcepto Epiſcoporum, qui huic ordinationi operam contulerant, quod lacerum multiſque in locis mutilatum Mabillonius ex autographo exhibuit. Huic Synodo aderant Aldricus Archiepiſcopus Senonenſis, Ebbo Archiepiſcopus Remenſis, & inter Epiſcopos Inchadus, cujus ſubſcriptio integra in præcepto epiſcopali remanſit his verbis. *Inchadus Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus interfui, & qui ob amiſſionem luminum ſcribere nequivi, manu propria ſigno crucis ſubterfirmavi.* Etſi imperiale præceptum longius eſt, haud tamen illud omittendum, propter rei momenta, & ipſius negotii magnitudinem, ſic ſe habet.

III. *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti H Ludovvicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Divinis præceptis, & apoſtolicis monitis incitamur, ſed & Imperatorii regiminis officio commonemur, ut pro Eccleſiæ ſtatu atque ſanctæ religionis augmento, impigro ſemper vigilemus affectu, ac per neceſſario ſeu fructuoſo ſtudioſoque laboremus effectu, etſi quid uſquam reprehenſioni invenitur obnoxium, regiæ auctoritatis ſollicitudine corrigamus: quatinus avia revocantes, ſuperflua amputantes, collapſa quoque reparemus, atque reparata, & ab eccleſiaſticis viris Apoſtolorumque Domini ſucceſſoribus, Spiritu ſancto regente, bene ſtatuta, edictis imperialibus confirmemus. Quia dignum profecto eſt, ut quod ſacerdotalis dignitas divino illuminata ſpiritu corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia ejuſdem Dei ac Domini & Salvatoris noſtri redempta ſanguine, adinvenit in ſalute, vel reformata ſtatuit in religionis augmento, id imperialis majeſtas inviolabiliter permanſurum in perpetuum poteſtatis ſuæ ſtudeat roborare præcepto. Quoniam quidquid in hujuſmodi negotiis laboratum, ſeu pro cultu à nobis fuerit dedicatum, hoc procul dubio noſtræ manſuetudinis regno, & populo regendo credimus ſpecialius profuturum. Idcirco notum eſſe volumus omnibus fidelibus, præſentibus ſcilicet & futuris, quia poſtquam Deo auſpice imperium paternum ſuſcepimus, ſtudii ſemper nobis maxime fuit, ut Domini Eccleſia, ejus magnificentia humilitati noſtræ divinitus regenda tuendaque commiſſa, felicibus polleret ſucceſſibus, eamque, quantum noſtræ attinet auguſtæ devotioni, inceſſanter ad meliora provehere, & ab illa quidquid noxium erat, eradicare, atque in ea incrementa virtutum plantare. Qua propter ſæpiſſime Sacerdotes Domini, quorum id officii eſſe noveramus, admonere curavimus, ac noſtram principalem auctoritatem adjutricem ad eorum miniſterium juxta voluntatem Dei exequendum prompte exhibuimus, ut quidquid in ordinibus eccleſiaſticis vel in quacumque perſona emendatione dignum invenirent, paſtorali auctoritate, poſtpoſita qualibet torporis negligentia, vel perſonarum acceptione incunctanter corrigere, & ad ſtatum rectitudinis perducere decertarent. Verum cum ipſi noſtra ſedulo exhortatione admoniti, ſuaque ſolliciti vigilantia de ſtatu & profectu ſanctæ Eccleſiæ, & ſacris ordinibus, & iis quæ emendatione digna videbantur, con-*

ventu apud Pariſius juſſione noſtra habito, ſtrenua & devota perſpicacitate tractarent, inter cetera viſum eſt illis, ut monaſterium præclariſſimi & eximii Chriſti martyris beati Dionyſii ſociorumque ejus, quod conſtat tantorum martyrum nomine Deo dedicatum, & à Regibus Francorum progenitoribuſque gloriæ noſtræ ampliſſimis rebus ditatum, quò in eo monaſticus ordo religioſe Deo deſerviret, magna emendatione & correctione opus haberet, quoniam ab eo idem ordo ad multorum diſtrimen nulla neceſſitate præpediente, nullius rei inopia obſiſtente, penitus erat avulſus. Quam cauſam tam per ſe, quamque & per venerabilem prudentemque virum Hilduinum memorati monaſterii religioſum Abbatem, noſtræ ſerenitatis auribus intimaverunt, uti noſtra piiſſima imperiali poteſtate per eorum auctoritatem corrigeretur. Vnde dignitas Imperii noſtri tantorum virorum ſaluberrima admonitione & ejuſdem venerabilis Abbatis Hilduini preces humillimas more tranquillitatis noſtræ ſolito gratanter benigneque ſuſcipiens, atque in omnibus emendabile judicans, ne tanti ordinis collapſio ſalutis noſtræ quoquomodo fieret damnatio, ad eoſdem Præſules Eccleſiarum idem conſuimus referre negotium, ut noſtri principatus auctoritate, eorumque judicio, quibus tanta eſt collata poteſtas à Domino, idem ordo in eodem loco abſque retractatione reſtitueretur. Veniens ergo Aldricus metropolita Senonicus cum ſuffraganeis ſuis, necnon & Ebbo metropolita Durotortorum cum ſuis ſuffraganeis ad memoratum monaſterium habito conventu, primum quod idem monaſterium ordini monaſtico conſtructum, dedicatum & rebus ditatum fuit, & in eo ipſe ordo, uſque ad tempus, quo ſceptra imperialia ſuperna largiente gratia clementia noſtra ſuſcepit, & ſupra memorati Hilduini Abbatis prælationem, ibidem utcumque viguerit, manifeſtis indiciis, Regumque antiquis & modernis præceptis, & Epiſcoporum privilegiis, ac fidelium donationibus, palam cunctis eſt factum. Deinde diligentem inquiſitionem fecerunt ſuper iis, qui in eodem loco regularem promiſſionem fecerant. Ex quibus quidam, qui eamdem profeſſionem fecerant, deſertores ejuſdem propoſiti effecti, rebus humanis jam erant exempti, quorum perditio non ſine magno animi ferri poteſt mœrore. Quidam etiam non eamdem profeſſionem ſe feciſſe mentiti ſunt, ſed teſtibus patentibus convicti, pro ſua contumatia canonicæ pœnitentiæ ſunt ſubacti. Quidam vero, immo maxima pars, qui hactenus in apoſtaſiam prolapſi fuerant, coram venientes, ſoloque ſe proſternentes, confeſſi ſunt eamdem profeſſionem in eodem loco regulariter ſe promiſiſſe, ſuique miſereri, & à Domino veniam pro tanto admiſſo dari humiliter flagitavere. Qua confeſſione facta, cucullis ſui propoſiti coram cœtu Epiſcoporum & ceterorum ſacerdotum cunctique ſequentis ordinis cleri, nobiliumque virorum non modica circum adſiſtente turba ſe induerunt; atque in communione, ne aliquando ſicuti ſibi aliiſque jam in eodem loco contigerat, ſanctæ profeſſionis propoſito diabolico propulſarentur inſtinctu regularem promiſſionem iteraverunt. Pars denique quædam eorum, illi ſcilicet, qui divinæ inſpirationis munere acti, & amore devincti, in ſanctæ religionis propoſito adprime abſque ulla refragatione vel interpolatione elegerunt viriliter permanere, & in cella ejuſdem majoris monaſterii, poſtquam ceteri monaſticam vitam & habitum deſeruerunt, uſque ad hanc noſtræ demandationis habitam Synodum degere, ante jam memoratos venerabiles patres venerunt, locumque priſtinum, in quo promiſſionem fecerant, & regulariter, licet minus perfecte, vixerant, ſibi, & ſe petierunt loco reſtitui. Quorum ſemotio ob id acciderat, quoniam, ut prædiximus, mox ut divina dignatio nos paterna ſede ſuſcepta, imperialibus ſceptris iuniti voluit, piæ intentionis noſtræ ſollicitudo procuravit exequi, ut religio, decor, & omnis honeſtas à domno & genitore noſtro divæ memoriæ Karolo cœpta & inſtituta liquido & veraciter, remota omni ſimulatione, in propriis quibuſque maneret & vigeret ordinibus. Vnde ad monaſticæ inſtitutionis normam corrigendam, duos religioſos & venerabilis vitæ viros Benedictum & Arnulfum Abbates conſtituimus; qui per noſtrum à Deo gubernandum & conſervandum Imperium ſedulo huic negotio ſtudioſe inſiſterent. Iidem vero boni & devoti, ſed ſimpliſſimi patres; ſupra dictorum fratrum calliditate & duritia, ſuaque ſimplicitate abducti, non ſtudio, ſed minus ſubtili, & neceſſaria inveſtigatione, ſeu providentia fallentes, eos, qui ſoliditate ſuæ profeſſæ ſalvationis perduraverunt, à monaſterio removerunt, atque in memorata cella collocaverunt, & illos, qui propriæ voluntatis libitus non virtute, ſed verſutia quæſierunt, at collo de ſub jugo regulæ excuſſo, loro diſligatoris

LIB VI Cap V.

vitæ ſoluti, ampliori itinere cœleſtem patriam petere ſunt conati, in domiciliis revetendi habitus, & vitæ monaſticæ reliquerunt. Sed laudabilius hi patres Eccleſiæ auctoritate ſua dignæ petitioni fratrum, quos in ſuæ religionis virtute diximus permanſiſſe, quia ſic noſtri aſſenſus juſſio fuerat, annuentes rationabiliter & canonice ſatisfecérunt. Et ob ſuggeſtionis notitiam, ut noſtræ panderetur celſitudini, qualiter vel quo ordine tam devotiſſimum factum ab iiſdem religioſiſſimis viris ſit celebratum, duas ſuper hoc jure pari tenore conſeriptiones fecerunt, eaſque manibus firmaverunt propriis, ut altera earum in archivo ipſius monaſterii, ob memoriam & ſtabilitatem inibi hujus ordinis per futura tempora ſervaretur; alteram noſtræ magnitudini direxerunt, ut illam palatinis ſcriniis juberemus recondi, ob monimentum videlicet, & iſtius recte facti perpetuam firmitatem. Sed cum idem ordo Deo annuente, quantum divinitus videri dabatur, in eodem loco feliciter incederet, antiquus ſalutis humanæ inimicus, quoſdam ex ipſis fratribus ſua organa efficiens, adeo inſidiarum ſuarum furiis exagitavit, ut conſpiratione & conjuratione facta, & propoſitum monaſticum abnegarent, & ſine licentia ſui Abbatis, eorum legati dignitatis noſtræ dominationem adirent, & moleſtiam ſuper hac ratione, contra canonicam & propoſiti ſui inſtitutionem ſerenitatis noſtræ auribus inferre præſumerent: offerentes nobis tomum in accuſationem & blaſphemiam Epiſcoporum, qui ſe de apoſtaſia, inqua verſabantur, paterna ſollicitudine, noſtra auctoritate correxerant, & ad propoſitum, quod abdicaverant, redire ſuaſerant, addentes etiam in eadem ſchedula alia, quæ digna non ſunt imperialibus noſtris ſcriptis interſeri. Porro noſtra ſollertia, auditis eorum querimoniis, ſupra memorato venerabili viro Hilduino noſtra juſſit clementia, ut eoſdem Epiſcopos, contra quos querebantur, necnon & alios ab accuſatione immunes juſſione noſtra ad ipſum venire mandaret monaſterium. Et quia ad noſtram notitiam ipſi fratres ſuos miſere clamores, unde nihil ambiguum, & ſine juſtæ definitionis decreto fas eſt abſcedere, complurium Epiſcoporum diligenti examine rem reventilari, & canonice definiri, & conſopiri præcepimus non quaſi de præfata memoratorum patrum ſententia, quæ excellentiæ noſtræ bene per omnia manebat cognita, vel in aliquo hæſitantes, ſed ut major Domino Deo noſtro de proculcato hoſte, qui jam dictos excitaverat fratres, triumphus fieret, & in eodem loco firmiori, quia iterata ſtipulatione idem ordo confirmaretur. Et quoniam ſuper paſtores Eccleſiæ dignitati noſtræ imperiali quæcumque ingerebatur accuſatio, non ſine certo & rationabili obliteraretur judicio. Qui ad condictum tempus & diem ad ſupraſcriptum venere monaſterium, & ipſis accuſatoribus cum ſcripto, quod clementiæ noſtræ obtulerunt, coram exhibitis, cuncta, quæ in eorum accuſatione dixerant, vel ſcripſerant, falſa eſſe veris aſſertionibus idoneiſque prolatis teſtibus probaverunt, ſicut ex ordine in ſcripto manifeſtatur, quod ex hac cauſa & ſecunda conſtitutionis noſtræ Synodo, archivo noſtri palatii cum chartulis, quæ nomina teſtium continent, qui utriſque conventibus interfuerunt, directum ob geſtorum memoriam conſervatur. Vnde aliud etiam ab ipſius monaſterii ſcriniis retinetur. Ipſi de cetero fratres, reſpectu divino proceſſu temporis corda illorum tangente, propoſiti ſui ſtrenui, & præteritarum negligentiarum pœnitentiæ devoti executores effecti, conſenſu ſalubri atque prudenti, tres chartulas conſcripſerunt, ut una earum ad caput glorioſiſſimorum Chriſti martyrum fieret, altera regiæ dominationis noſtræ cuſtodia ſervari demandaretur, tertiam vero ipſius monaſterii Abbas haberet; in quibus ſe à beato patre Benedicto Spiritu ſancto docente deſcriptam regulam ſunt ſervare velle profeſſi, & unuſquiſque eorum nomen proprium cum gradu & monachi appellatione eiſdem chartis ſubterfirmavit. Quarum unam benignitatis noſtræ præſentiæ exhibuerunt, humiliter poſtulantes, ſicut & ſæpe memorati venerabiles patres, à quibus ſynodales definitiones celebratæ ſunt, auctoritatem noſtram ſedulo petierunt, quantenus hoc, quod tam ſubtili & diligenti inveſtigatione inventum, & juſta ratione definitum, ſeu ſalubri reſtitutione reparatum atque canonica auctoritate ſtatutum eſſe dignoſcitur, amplitudinis noſtræ privilegio ſcriptis imperialibus confirmaremus, ut quod canonica docet auctoritas, & vota Regum cunctorumque fidelium, qui ipſum locum propter monaſticum ordinem ibi ſervandum rebus ſuis ditaverunt, demonſtrant cum neque quàm ab eo ſine periculo & regis & regni poſſit avelli, noſtra imperialis poteſtas confirmatione provideat, ne ex eodem loco modernis futuriſque temporibus idem ordo deſtituatur:

Digitized by Google

ſed potius Chriſto Domino largiente ad cumulum mercedis noſtræ, conjugis quoque & prolis, eorumque ſalutem, quorum poſt tantum lapſum reparatio facta eſt, necnon & eorum, per quos, Deo annuente, noſtra auctoritate eadem reparatio celebrata eſt, ſimul & illorum informationem, qui poſt ad monaſticum ordinem, Domino inſpirante ad eumdem confluxerint locum, remota omni ſimulatione ſemper in eodem monaſterio regularis ordo permaneat, floreat, & felicibus ſucceſſibus Deo opem ferente polleat. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem & animæ noſtræ, conjugis & prolis, ut prædiximus, ſalutem, atque Imperii noſtri ſtatum conſtituimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulſa valeat perdurare, duas inde pari tenore conſcriptas firmationes fieri juſſimus, ut una imperialis aulæ reconditorio palatinis ſalvetur excubiis: altera ab ipſius monaſterii cuſtodibus in perpetuum diligenti cura debeat provideri, eaſque manus noſtræ ſubſcriptione ſubterfirmavimus, & annulo noſtro ſigillari juſſimus. Signum Ludovici ſereniſſimi Imperatoris. Hirminmarus notarius ad vicem Theodonis recognovit. Data ſeptimo Kalendas Septembris, anno, Chriſto propitio, decimo nono Imperii domni Ludovici ſereniſſimi Imperatoris indictione decima. Actum in monaſterio ſancti Dionyſii, in Dei nomine feliciter. Amen. LIB IV. CAP. V.

Ludovicus Imperator ex monaſterio Dionyſiano ad conventum Aurelianos venit, Pippinumque vel renitentem huc accivit. Bernardus haud ferens Gunthbaldum monachum plurimùm apud Imperatorem frui potentia, neque hunc ex edito potentiæ loco facile dejici poſſe, odia in principem convertit, & in partes filii Pippini tranſiit. Facile fuit exacerbato ejus animo prava ſuadere conſilia; ſummo igitur Pippinus ex conventu dilabitur, quem ſine mora inſecutus eſt Imperator, & ad palatium Jocundiacum, quod in Lemovicenſi agro ſitum eſt, venit, & de Bernardi perfidia, & fuga Pippini quæſtionem habuit, illum honoribus, hunc libertate privavit. Pippinum enim ſub cuſtodia privata Treviros duci juſſit, & in pœnam defectionis, ut priusLothario, quem in conſortium Imperii allegerat, Bajoariam, ita Carolo impubi juveni Aquitaniam ſortem ſcilicet Pippini attribuit, quod tamen non valuit. Nam ille cuſtodes fruſtratus, in Aquitaniam ſe feſtinantius recepit. Turonis vero Ludovicus conventum indixit ad anniverſarium diem ſancti Martini, quem id temporis vulgo miſſam ſancti Martini appellabant; hiems eo anno aſpera fuit. Imperator Natalem Domini Cenomannis celebravit. Circa hæc tempora Inchadus Epiſcopus Pariſienſis moritur, poſtquam annos unum & viginti cum aliquot menſibus Pariſienſem pontificatum geſſit, anno enim DCCCXI. cœpit fieri Epiſcopus, & ad finem hujuſce anni, qui DCCCXXXII. è vita deceſſit. Synodo Dionyſianæ interfuit, quod modo dictum eſt, VII. Calend. Septemb. Et anno ſequenti jam menſe Januario Erchanradus junior inceperat gerere Epiſcopatum, ut patet ex partitione bonorum monaſterii Dionyſiani, quam in pluribus locis mutilam exeſamque Mabillonius deſcripſit, quæ data legitur XI. Calendas Februarii anno DCCCXXXIII. cui Erchanradus ſubſcripſit. Cum enim Hilduinus in hoc monaſterio ex Imperatoris auctoritate & judicio Pontificum reſtituiſſet monaſticam diſciplinam, ſtipendia ſua monachis aſſignare inſtituit; partitionem itaque bonorum fecit, magnamque poſſeſſionum partem illis attribuit; huic chartæ tres Archiepiſcopi, & ſex Epiſcopi ſubſcripſerunt, ex ea apparet chartam, quam Dubletus in antiquitatibus Dionyſianis de ea re deſcripſit, non eſſe genuinam. Data legitur die ſupra annotato, in ea mentio eſt privilegii Landerici Epiſcopi Pariſienſis & Clodovei junioris, ſed nullus ſermo de fraternitate canonicorum, neque de immunitate à circada & Synodo, quæ poſterioris ætatis inventa ſunt. IV.

Lib. 6. de re diplom.

Ludovicus Imperator Cenomannis Aquiſgranum contendit, in itinere venit ad Calenſe monaſterium, cujus Abbatiſſa erat Hegilvich Judithæ mater. Tum Imperator ſciſcitari plura de monaſterio Calenſi, geſta ſanctæ Bathildis relegere, ejus admirari ſanctitatem, & demum præcipere, ut Abbatiſſa, quæ jam octavum annum monaſterium regebat, corpus ſanctæ Bathildis è loco ubi jacebat, in eccleſiam Dei Genitricis Mariæ transferret; his imperatis, Ludovicus Aquiſgranum recto itinere properavit. Hegilvich, ut piis Auguſti V.

LIB. IV. CAP. V. votis faceret ſatis, ad Calenſe monaſterium convocat ſacerdotes, virgines ſanctas & viduas, quas vitæ arctioris propoſitum commendabat, agitque cum omnibus de tranſlatione corporis ſanctæ Reginæ, approbatoque conſilio, itur in baſilicam ſanctæ Crucis, quam Bathildis ipſa extruxerat, & in qua ejus jacebat corpus. Tum ſacerdotes ſollemnia ſacra facere, ſuppliciter orare Deum, ut ſuis cœptis faveat, Hegilvvich inprimis clerum adhortari, ut impenſe Deum ſollicitet precibus, *quatenus eis largiri dignaretur ſanctum corpus ſuæ fideliſſimæ effodere, & manibus propriis contingere, & de ipſo loco ad alium honorabiliter transferre.* Sacris peractis ad tumulum omnes veniunt, effoditur locus, eruitur ex humo ſarcophagus, aperiturque, reperitur corpus beatæ Bathildis, ita ſanum & incolume, ut eodem die defoſſum diceres. Tum quiſque oculis ipſum intueri, & ſingulari proſequi honore; tum omnes pſallere & Deo immortali ingentes gratias perſolvere, noctes dieſque ante ſacras reliquias laudes Dei cantando tranſigere. Viſum eſt poſtea Erchanradum Pariſienſem Epiſcopum admonere, ut effoſſum beatæ Bathildis corpus in aliam transferret baſilicam: interim, dum moratur, Deus ſanctitatem beati corporis oſtendit, ſanctimonialis quædam uſum membrorum, quem amiſerat, ejus virtute recepit, & quidam Baldramnus, qui contractis membris prius nequibat incedere, ſanus & incolumis, facta ſibi divinitus gradiendi poteſtate domum rediit. Demum octavo & decimo die ecce Erchanradus Epiſcopus Pariſienſis cum celebri clero, exoratoque numine, beatum corpus contingunt, deferuntque ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Dei Genitricis, quam Giſla ſoror Caroli-magni, de qua antea memoratum eſt, à fundamentis extruxerat, *ac retro altare medianum condignè poſuerunt*, ubi facta ſæpius ſigna & miracula auctor tranſlationis tradit, in locum verò tumuli ſanctæ Bathildis puellam, de qua alias ſermo fuit, poſuerunt, hanc ſeptimo ætatis anno mortuam idem auctor ſcribit, & Radegundem vocat, Kalenſes virgines minorem Bathildem appellant. Celebratur dies anniverſarius hujus tranſlationis ſexto & decimo Calend. April. & in monaſteriis Corbeienſi & Calenſi eo die peragitur. Hæc ex actis Benedictinis.

Act. Bened. 4. ſæculo parte 1.

VI. Eodem tempore cum Ludovicus Aquiſgrani verſaretur, Rorigo Comes & ejus uxor Bilechildis, cum accepiſſent monaſterium Glannafolium, ubi primùm regula ſancti Benedicti floruerat in Galliis ſub felicibus ſancti Mauri auſpiciis, & unde poſtea tot ſanctorum monachorum examina ſeſe per totam Galliam diffuderant, & ubi ipſius beati Mauri corpus jacebat, ſeu incuria monachorum, ſeu temporum injuria deſtructum eſſe: pietate commoti, illud reſtituere ſtatuerunt, & ne deinceps diſciplina monaſtica laberetur, illud Foſſatenſi ſubjecerunt monaſterio, ubi tum inſtitutio regularis ſub Ingilberto Abbate eſſe in honore cœperat, ut antea memoratum eſt. Ita ut non modo hoc monaſterium Ingilberto & monaſterio Foſſarenſi id temporis ſubjiceretur: ſed etiam in poſterum alii Abbates & monachi Foſſatenſes, qui ſuccederent, rectores & præpoſitos traderent, quorum nutu & diſpoſitione cuncta ſecundum Dei voluntatem atque regulam ſancti Benedicti perficerentur. Ut vero res permaneret, eam auctoritate imperiali confirmatam voluerunt. Ultro Ludovicus præceptum iis conceſſit, variaque immunitate & tuitione utrumque monaſterium munitum eſſe conſtituit, hoc præceptum ex Foſſatenſi chartulario, ſicut olim Baluzius & Coinrius, ita & nos eruimus.

VII. *In nomine Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. H Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Si petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultus amore favemus, ſuperna nos gratia muniri non diffidimus. Noverit ergo omnium fidelium tam præſentium ſcilicet quam futurorum ſollertia, quod venerabilis Comes Rorigo nomine retulit ſerenitati noſtræ, qualiter quoddam cœnobium in pago Andegavo in loco, qui dicitur Glannafolium ſuper fluvium Ligerim, quo venerabile corpus ſancti Mauri patris Benedicti diſcipuli jacet humatum, ubi olim ipſe Deo dilectus cum ſibi ſubjectis multis fratribus ſub ſancta regula deguit, deſtructum inveniens, ammonitione divina commotus, ob redemptionem ſuæ animæ, eumdem locum cum ſua conjuge Bilechilde aſſumpto labore reſtaurare & ad priſtinum ſtatum pro poſſe reſti-*

tuere curaret. Poſtmodum vero venerabilem Abbatem Engilbertum cœnobii Foſſatenſis evocavit, eidemque & ſibi ſubjectis fratribus commiſit, ut religio regularis de divinis, ſicut dudum, perpetuo conſervaretur. His ergo ita nobis patefactis, exhortatus eſt excellentiam noſtram, ut ipſum locum ſub noſtra ſuſcipere dignaremur defenſione & immunitatis tuitione, & quemadmodum ceteri Abbates monachorum per imperium nobis divinitus conceſſum conſiſtunt, ita & illum cum Abbate & monachis & rebus vel hominibus eidem monaſterio juſtè ſubjectis conſiſtere faceremus, & per noſtros imperiales apices Abbati jam dicto Foſſatenſis cœnobii, cunctiſque ejus ſucceſſoribus providentiam & dominationem atque ſubjectionem, ne à regularis ordinis tramite amplius decidat, habere concederemus. Cujus petitionem, quia rationabilem, immo Deo amabilem eſſe cognovimus, libenter ſuſcepimus, & ſicut petiit, ita & conceſſimus. Volumus ergo, ut prædictus Abba, ſive rectores prædicti monaſterii, atque fratres Deo devoti ipſius loci, ipſum locum, de quo ratio agitur, videlicet Glanna, pepetuo teneant, habeant, atque poſſideant, & gubernent, magnamque providentiam ſemper de eodem loco habeant, inſtantiam ſuæ ſollicitudinis tam loco, quam congregationi vigilanti cura in omnibus adhibeant. Tales quoque ibidem præponant proviſores atque rectores, magiſtros & præpoſitos, quorum nutu atque diſpoſitione cuncta ſecundum Dei voluntatem atque ſecundum regulam ſancti Benedicti interius & exterius perficiantur, & admodum & ſimilitudinem Foſſatenſis monaſterii Chriſto Deo devote famulentur, & in omnibus eam ſectentur formam, ut cunctis peculiaribus poſtpoſitis juxta traditionem apoſtolicam cuncta poſſideant communia, ut ſibi ſalutem mereantur perpetuam adquirere, atque ſemper dominationi, gubernationi & poteſtati unius Abbatis ſubjiciantur ac obedientes exiſtant. Et quoniam in jam dicto loco Foſſatenſi nemo mortalium abſque eis, qui ibi in Chriſto militant, nullam conſuetudinem aut redibitionem requirere niſi injuſte valet, in ſimili ratione eumdem locum commandamus perſiſtere. Cuncta autem, quæ nunc habere noſcuntur, vel deinceps juſte adquirere poterint, ſub noſtra defenſione, & immunitatis tuitione perſiſtant. Et jubemus atque modis omnibus decernimus, ut nullus nobis ſucceſſor, non Rex, non Epiſcopus, non Archidiaconus non Comes, non judex publicus, vel quilibet ex judiciaria poteſtate, quicquid ex his, quæ ipſius loci ſunt vel fuerint, in ſua dominatione redigere præſumat, nec in Eccleſias, aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti monaſterii, quas moderno tempore juſte & rationabiliter poſſidere videtur in quibuſlibet pagis & territoriis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, nec homines ipſius loci tam ingenuos, quam & ſervos, qui ſuper terram ipſius reſidere videntur, injuſte diſtringendos, nec ullas redibitiones, aut inlicitas occaſiones requirendas, ullo umquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ ſupra memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Quicquid autem de rebus præfati monaſterii fiſcus ſperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione ipſi loco concedimus, ut perennis temporibus in alimoniam pauperum & ſtipendium monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, & ſemper habeat defenſionis noſtræ regalis libertatem abſque militari ſervitio, à quo eumdem locum abſolvimus per omnia, & quando quidem divina vocatione ſupradictus Abbas Engilbertus, vel ſucceſſores ejus ab hac luce migraverint, ille, qui ſubſtitutus fuerit ei, eamdem poteſtatem & dominationem poſſideat, quam & prædeceſſor ſuus, dum vixit, habuit. Præcipientes ergo auctoritamus atque confirmamus, ut nullus judex, non Imperator, non Rex, non Epiſcopus, non Comes, aut judiciaria poteſtas, hoc noſtræ excellentiæ præceptum audeat violare; ſed hac viſa auctoritate, ſicut ſua voluerit acta eſſe firma & ſtabilia; ita & hoc noſtrum ſinant factum manere inviolatum; ita videlicet, ut ſub hac ratione duæ conſcribantur membranæ uno tenore, ut una ſub theca ſancti Mauri habeatur, & altera à prædicto Abbate Engilberto in Foſſatenſi Cœnobio conſervetur. Si quis autem inſanus & Deo contrarius fuerit, qui hoc noſtræ auctoritatis præceptum violare præſumpſerit, à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ expulſus, & ab omnibus Epiſcopis totius Galliæ excommunicatus, à cœtu Chriſti fidelium ſit ſegregatus, & cum Caipha & Pilato, Iuda quoque traditore Domini, pœnas æternas, ſuſtineat, atque cum principe dæmoniorum ſedem gehennalem cum à corpore ejus anima

 exierit, ſibi paratam inveniat. Vt autem hæc auctoritas obtineat firmitatem per ſæcula inconvulſam, induſtria hujuſmodi manu firmantes propria, eam anulo noſtro juſſimus ſigillari. Signum H Ludovici Imperatoris. Glorius Notarius ad vicem Hugonis recognovit. Data VIII. *Kal. Septembr. anno Chriſto propitio imperii domni H Ludovici ſereniſſimi Imperatoris* XX. *Indict.* XI. *Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.*

VIII. Cointius erratum in die fuiſſe ſcribit, actum enim legitur VIII. Calend. Septemb. Imperii Ludovici XX. Aquiſgrani tum Ludovicum non fuiſſe certum eſt. Hujus præcepti memoria eſt in charta Caroli-calvi Regis, de qua inferius dicemus. Dum hæc, quæ retulimus agerentur, horridus turbo Gallus incumbebat, filii Imperatoris Lotharius, Pippinus, & Ludovicus fœda adverſus patrem coquebant conſilia: ad arma optimates populumque concitant, factioſos homines, quos Ludovicus Imperator cuſtodia clauſos ſervabat, relaxant, Gregorium PP. per ſpeciem reconciliandæ pacis ex Italia in Gallias accerſunt. Hæc ubi illi nunciata ſunt, Vvormatiam profectus, collectoque exercitu, reſiſtere parat. Verum ne cauſa malorum plurimarumque cædium ſit, mittit ad filios Bernharium cum aliis, mandatque filiis ut ad ſe veniant, & Gregorio PP. ſi more prædeceſſorum ſuorum acceſſerit, cur ad ſe venire differat. Cum vero hæc non procederent, ire his obviam ſtatuit, Lotharius aliique ejus filii cum patre, præſente Gregorio PP. colloquium habuerunt in loco qui inter Baſileam & Argentinam eſt, & ob violatam in Principem fidem, campus mendacii dictus eſt. Ludovicus graviſſimis verbis adverſus filios conqueſtus eſt, quod filii adverſus patrem armati accederent, ſubditi beneficiariique contra Principem, quod ſummum Pontificem ſibi infenſum facerent, cujus ipſe patrocinium ſæpius ſuſceperat. Lothariumque inprimis arguere cœpit, quod Gregorium PP. retineret, prohiberetque ne ad ſe veniret, & filiis Pippino & Ludovico, quos provinciis regnoque donaverat, peſſima conſuleret, & adverſus patrem cecinniſſet claſſicum, qui ipſum conſortem Imperii fecerat, & ſubditos ad perfidiam provocaret; hæc & alia princeps manſuetus, quæ Lotharius eludere ambage verborum magnificentius, quam verius ſtudebat. Sed cum neque ea ratione negotium componeretur, quiſque ferro rem agere inſtituit; ecce vero Gregorius ad caſtra Ludovici Imperatoris tranſit, pluribuſque teſtatur ſe non ob aliam cauſam in Gallias veniſſe, niſi ut, pacatis rebus filios patri reconciliet. Dum hæc geruntur, qui à parte Ludovici ſteterant, partim donis corrupti, partim metu terrefacti, in filiorum caſtra, tamquam transfugæ tranſeunt. In hac rerum calamitate Imperator ipſe ab omnibus deſertus ſe tradit filiis cum uxore & filio Carolo, idque actum annales antiqui memorant die feſto ſancti Pauli anno DCCCXXXIII. Lotharius patri uxorem ſubducit, mittitque in Italiam, patremque cum Carolo in papilionem ad eam rem comparatum ducit. Hic non poſſum non deflere miſerandam clementiſſimi principis ſortem, quem tres filii junctis exercitibus, conjuratiſque odiis perſequuntur, quem Imperii magnates immemores ſacramentorum deſerunt, cujus milites in caſtra hoſtilia, relictis ſignis transfugiunt, qui ſe fidei armatorum filiorum, ne dicam hoſtium, tradit cum uxore & filio nondum adulto. Lotharius cum fratribus integram patris ſortem dividit, omneſque tum optimates tum milites accepto ſacramento in fidem recipit. Gregorius hujus perfidiæ teſtis, dolore tactus in Italiam receſſit, fratreſque Imperatoris, Pippinus in Aquitaniam, Ludovicus in Bajoariam reverſus eſt. Lotharius patrem Sueſſionas duxit, & eum in ſancti Medardi monaſterio arcte cuſtodiri juſſit, Carolum vero in Prumienſi monaſterio teneri. Lotharius Compendii publicum indixerat conventum, qui Calendis Octobris habitus eſt. Lotharius annua populi dona, quæ Imperatori pro more ſolvebantur, recepit: ſed illum, optimateſque & Epiſcopos, qui ab illo ſteterant, angebat non tam paterna calamitas, quam quod ambigerent, quid de illo ſtatuerent; denium viſum eſt quibuſdam Epiſcopis illum non modo à rerum adminiſtratione amovere, ſed & abdicatum ab Imperio, & rite ſollemniterque exauctoratum ſeveritati pœniten-

tiæ canonicæ ita ſummittere, ut illi deinceps nefas eſſet ad militiam ſeu magis ad ſæculum reverti, & Imperii habenas iterum ſumere; reducitur itaque pius Princeps ad monaſterium ſancti Medardi, & in baſilica tamquam multorum criminum reus ſiſtitur, aderat optimatum & vulgi ingens multitudo, aderant aliquot factioſi Pontifices, & ipſe Lotharius, qui hinc amovendus erat, ſpectator aderat & incentor facinoris, nonnulla capita illi objiciuntur, imponitur quaſi ex canonica lege pœnitentia, exuitur regiis veſtibus, armiſque ad crepidinem altaris projectis, induitur pulla veſte, idque in acta redigitur, quibus ſubſcripſerunt Epiſcopi Ebo Archiepiſcopus Remenſis princeps factionis erat, alios pudet memorare, Agobardum Lugdunenſem, Bernardum Viennenſem, Bartolomæum Narbonenſem, Jeſſe Ambianenſem, quem antea pulſum Epiſcoporum judicio ex cathedra diximus, Heliam Tricaſſinum, & Heriboldum Autiſſiodorenſem, bos omnes Lotharianæ factionis participes, & nefandi facinoris artifices. Lotharius ſoluto conventu Aquiſgranum patrem ducit. Interea Ludovicus & Pippinus miſerari cœperunt patris ſortem: populi quoque Aquitaniæ, Franciæ, Burgundiæ & Germaniæ obloqui contra Lotharium, ipſum impietatis arguere, qui patrem dura captivitate detentum, quocumque ibat circumduceret, Ludovicum inprimis dolor paternæ calamitatis afflixit, primùm legatos ad fratrem pro libertate patris miſit, cumque nihil proficeret, Pippinum exhortatur ad exolvendum è manibus Lotharii parentem, ad arma convolant, & uterque collectis exercitibus eum liberare properant. Lotharius interea non ſe Aquiſgrani tutum exiſtimans Pariſios proficiſcitur, & in monaſterium ſancti Dionyſii patrem Ludovicum & Carolum fratrem ducit & arctiſſime cuſtodit. Jam utrimque exercitus ex Aquitania & Germania advenerant; Ludovicus & Pippinus aut libertatem patris aut pugnam poſcebant: impar duobus Lotharius, relicto patre in monaſterio ſancti Dionyſii, ociſſime fugæ ſe mandat, idque accidit pridie Calend. Martii. Poſtera die, quæ Dominica fuit, Imperator Ludovicus, etſi per injuriam amotus à ſacris, tamen reconciliatum ſe per antiſtites, qui aderant, voluit; in baſilica ſpectante magna hominum turba & Eccleſiæ, & Imperio rite reſtitutus eſt, publice veſtibus regiis & armis induitur, receptiſque inſignibus Imperii ſacris ab Epiſcopis admittitur. Ex Epiſcopis, qui ejus reſtitutioni interfuerunt, haud dubium eſſe exiſtimo Erchanradum Epiſcopum fuiſſe, nam & eum longe alienum ab impiis factioſorum conſiliis fuiſſe, & proclivi in Ludovicum Imperatorem voluntate conſtat. Tum legatos Imperator in Italiam miſit ad reducendam uxorem. Sed ubi rumor per provincias pervagatus eſt, aſſertum in libertatem Imperatorem, & recepiſſe rerum adminiſtrationem, cuſtodes, quibus Judithæ tutela erat, non expectata legatione, eam non modo liberam dimiſerant, ſed ipſi illius reducendæ provinciam ceperant. Juditha eo modo Aquiſgranum deducta eſt, ubi Ludovicus Imperator relicto Dionyſiano monaſterio verſabatur, & ubi paſcha cum tribus filiis Pippino, Ludovico, & Carolo celebravit. Ebo Remenſis Archiepiſcopus, audito Lotharium fugiſſe, reconciliatum & reſtitutum ſolio Imperatorem, ſibi conſulere cœpit, latebras quærere, mutare identidem ſedes, demum poſt multa latibula Pariſios venit, & ſe in recluſi ſpeluncam recepit, ubi per Rothadum Sueſſionenſem Epiſcopum & Erchanradum Pariſienſem detectus eſt, & traditus cuſtodiæ uſque ad Synodum. Etſi rerum alia conditio fuit, haud tamen mutata Lotharii contumacia, ille aperte moliri bellum in patrem, plurimumque auxit animos victoria Lamberti Comitis & Mathfridi, qui Odonem Comitem Aurelianenſem acie fuderant ad limitem Britanniæ. Ipſe igitur coacto exercitu Vienna profectus Cabillonum valido munitum præſidio obſidione circumdat, captumque incendit. Inde à ſuis advocatus, ire ad eos properat Auguſtodunum primùm, tum Aurelianos, ac demum in Cenomannenſem agrum. Imperator reprimere audaciam Lotharii parat, exercituque tam ex Francis, quam ex Germanis confecto, cum filio Ludovico eum inſequitur, ad Ligerim caſtra locaverat, cum Pippinus copiis ex Aquitania adductis illi præſto eſt. Jam ſtabant utrimque exercitus, Lotharius

Zz

in Bleſenſi pago caſtra locaverat, Ludovicus haud procul ab Aurelianis. Ludovicus quidem viribus auctior, ejus filius longe inferior. Cum cognatæ acies ferro rem decernere propræ in eo ſtatu eſſent; Imperator, ut à cædibus & ſanguine ſuorum temperaret, legatos ad Lotharium mittit, qui eum hortentur ad pacem, victoriam quidem eſſe in ſuis manibus, ſed haud decere filium cum patre de Imperiu & de victoria dimicare, rogat ut abjectis armis à bello diſcedat, pollicetur omnia ſe illi condonaturum, & ſuæ factionis ſociis, ſi ad ſe abjectis armis venire velint, & clementiam magis quam potentiam experiri. Lotharius in his, in quibus verſabatur anguſtiis conditionem accepit, ad caſtra paterna ſubiit, comitibus ſibi adjunctis, qui architecti conjurationis fuerant, Hugone & Mathfrido, ad pedes patris accidit, comiteſque pariter confitentur crimen, veniam precantur. Lotharius fidem Imperatori & obſequium etiam ſacramento, adſtringit ſpondetque ſe in poſterum Italia contentum fore, neque hinc ſine patris venia abiturum, ceteri ſimiliter juramento obligant fidem, quibus Auguſtus pro ſua manſuetudine non modo crimen remiſit, ſed etiam ſua illis patrimonia & poſſeſſiones reſtituit.

IX. Anno Chriſti DCCCXXXV. Imperator initio quadrageſimæ conventum habuit in Theodonis villa, Epiſcopoſque inprimis huc advocavit, qui à Lothario ſteterant, & abrogandi ſibi Imperii conſilium dederant, plures cum Lothario in Italiam evaſerant, alii etiam vocati non affuerunt. Ebo vero Remenſis Epiſcopus factionis primipilus ex monaſterio Fuldenſi, in quod detruſus fuerat, huc adductus eſt. De iis, qui in Italiam fugerant nulla quæſtio, ſeu Imperator ſatis exilio condemnatos putaret, ſeu Lotharii animum nollet novis litibus exacerbatum. Ex his, qui vocati ad conventum venire abnuerunt, habetur Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui ter vocatus accedere ad conventum neglexit, verum judicio Epiſcoporum è cathedra & honore dejectus eſt. Ebonis vero cauſa pluribus pertractara eſt, exauctorationis auctor fuerat, & ipſe alios ad exequendum facinus præiverat. Multi huic judicio Pontifices, ſed inprimis interfuit Erchanradus Epiſcopus Pariſienſis. Epiſcopis inprimis viſum eſt exauctorationis impiæ acta denuo reſcindere, ſinguli quique libellos offerre Imperatori, quibus ejus reſtiturionem etiam ſubſcriptiune data approbare teſtabantur. Ipſe Ebo id libello profiteri & fateri ſe feciſſe injuſte. Tum omnibus Mettas ire placuit, ut in majore eccleſia Imperator coram generalibus comitiis ſollemniter iterum coronam aliaque inſignia Imperii reciperet, & inuſtam imperio notam renovatis deleret honoribus. Ebo ambonem conſcendit, & coram comitiis teſtatus eſt inique ſe feciſſe, & Auguſtum contra publicam aucturitatem à ſe inſignibus Imperii exutum, & ſubditum pœnitentiæ. His ita peractis omnes ad Theodonis villam redierunt, celebrata Synodus, reus ſiſtitur Ebo, qui electis ſibi judicibus confeſſionem edidit, & indignum Epiſcopatu ſe ipſum judicavit, fecitque aliis poteſtatem alterum ſubrogandi. Epiſcopi ſtatim ex ejus confeſſione hanc ſententiam ſinguli pronunciaverunt per ordinem. *Secundum tuam confeſſionem ceſſa à miniſterio.* Multi antiſtites his actis ſubſcripſerunt, octo Archiepiſcopi & triginta quinque Epiſcopi, quos ſigillatim enumerare longum eſt, quod ad noſtras res ſpectat, unum appellabo Erchanradum, qui celebri Synodo adfuit & ſubſcripſit.

Hincmar. lib. de prædeſt. & Flodoard. lib. 2. cap. 20.

CAPUT VI.

De Hilduini Areopagiticis. Quæ de iis ſit ſententia? Et de celebri controverſia, an ſanctus Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus Areopagita? Quæ de ea doctorum hominum opinio? Quando primum orta? &c.

IMPERATOR, rebus reſtitutis, Deo id acceptiſſimum referre ſtuduit; cumque in monaſterio Dionyſiano libertatem fugatis adverſariis fuiſſet conſequutus, gratum memoremque animum erga ſanctum Dionyſium teſtari; qua propter litteras ad Hilduinum mittit: majores ſuos Reges Francorum ait pluribus olim à Deo cumulatos beneficiis, opera ſancti Dionyſii exemptum olim Dagobertum à pœnis perpetuis, Carolum tuditem proavum ſuum principatum in Francos ejus meritis adeptum, Pippinum avum ſuum cum patre Carolo & patruo Carolomanno in ejus baſilica inunctos in Reges à Stephano ſummo Pontifice, & poſt mortem, quemadmodum ipſe juſſerat, ſepultum Pippinum ante limina ejuſdem baſilicæ, & ſe ipſum nuper ſingulari ejus virtute in ejus baſilica ante altare Domini reſtitutum, & cingulum militiæ iterum recepiſſe; qua propter ipſum Hilduinum velit admonitum, ut colligat undequaque quidquid ad memoriam ſancti Dionyſii pertinere intelliget, tam ex Græcorum commentariis, quam ex libris patrio ſermone conſcriptis, quæcumque etiam de eo invenerit in latinis codicibus, & in actis ejus paſſionis, vetuſtiſque Eccleſiæ Pariſienſis ſcriniis, & ea quæ excerpſerit in codicem inferat, ex quibus deinde librum ſcribat, quò omnes facile poſſint ejus acta cognoſcere, & ex his fructum & utilitatem percipere. Hortatur inſuper, ut his adjungat revelationem, quæ beato Stephano Pontifici in baſilica ſancti Dionyſii accidit cum geſtis, quæ ipſe Stephanus PP. dictaverat, cum his, quæ eidem ſubnexa ſunt, hymnos quoque cum nocturno ſancti Dionyſii officio. Litteras ipſas ex Areopagiticis Hilduini hic tranſcribimus. I,

In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, Ludovicus divina repropitiante clementia, Imperator Auguſtus, Hilduino venerabili Abbati monaſterii ſanctiſſimorum martyrum ac ſpecialium protectorum Dionyſii pretioſi ſociorumque ejus, æternam in Chriſto ſalutem. Quantum muneris ac præſidii non modo nobis ac prædeceſſoribus ſeu progenitoribus noſtris, verum etiam totius Imperii noſtri populis, Domini providentia per beatiſſimum Dionyſium ſæpenumero, immo continue in magnis gratiarum ubertatibus contulerit, cunctæ per tranſacta tempora Gallicæ generationes ſenſerunt, quæ ejus inſigni Apoſtolatu fidei rudimenta ſumpſerunt, & ſalutis ſubſidia perceperunt. Prædeceſſores autem noſtri gloriam hujus eximii teſtis, & amici Dei non inaniter coluerunt, qui dum ejus ſacras exuvias in terris ob amorem & honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti opibus, quibus poterant honoraverunt, per ejus preces digniſſimas honoris privilegio potiri & in terrenis & in cæleſtibus meruerunt, ut videlicet unus ex priſcis Francorum Regibus Dagobertus, qui eumdem pretioſiſſimum Chriſti martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali eſt vita ſublimatus, & per ejus adjutorium, ſicut divina ac celebris oſtenſio perhibet, à pœnis eſt liberatus, iuque vita perenni deſiderabiliter conſtitutus. Progenitores quoque noſtri mellifluum nomen domini Dionyſii, (ſic enim verbis ac ſcriptis ſuis eum appellare conſuevere) non incongrue præ II.

dilectione & dilectiſſima pietate amplexi ſunt. Quia proavus noſter Karolus Princeps Francorum inclytus per orationes ipſius excellentiſſimi martyris indeptum ſe fuiſſe gratulatus eſt apicem principatus, eidemque decurſo mortalitatis tempore, quod charius potuit habere depoſitum, corpus ſcilicet proprium in magni die judicii ſuſcitandum, & animam Domino præſentandam fideliter commendavit, ac per hoc maxime devotionem atque fiduciam cordis ſui erga peculiarem patronum patenter oſtendit. Sanctæ nihilominus recordationis avus noſter Pippinus propter altare, quod ante ſepulchrum ſæpe fati, ſæpiuſque dicendi Domini Dionyſii per divinam & memorabilem revelationem juſſu ipſius ſanctiſſimi martyris in honorem Dei & Apoſtolorum Petri & Pauli, qui præſentes oſtendebantur, à beato & angelico viro Stephano ſummo Pontifice dedicatum eſt, inter ſacra miſſarum ſollemnia una cum duobus filiis, Karolomanno videlicet, & divæ memoriæ domino ac genitore noſtro Carolo jure prænominato magno, ab eodem Apoſtolico Papa in Regem Francorum unctus, ſuperni muneris benedictionem percepit. Quique cum quanta ſe humilitate ante limina baſilicæ ſanctorum martyrum, defuncto hujus vitæ curriculo, ſepeliri præceperit, titulus etiam ipſius conditorii innoteſcit, ſed & nos multis ac frequentibus largitionibus beneficia ejus ſumus experti, præcipue tamen in humanæ varietatis eventu, quo Dei, ut ſemper fatendum eſt, juſto judicio, in virga eruditionis ſuæ viſitati, & baculo ſpecioſæ miſericordiæ ejus, ante præſcriptum altare per merita & ſolatium domini ac piiſſimi patris noſtri Dionyſii, virtute divina recrecti & reſtituti ſumus, cingulumque militare judicio atque auctoritate Epiſcopali reſumpſimus, & uſque ad præſens ipſius gratioſo adjutorio ſuſtentamur. Idcirco venerabilis cuſtos ac cultor ipſius proviſoris & adjutoris noſtri Domini Dionyſii monere te volumus, ut quicquid de ejus notitia ex Græcorum hiſtoriis per interpretationem ſumptum, vel quod ex libris ab eo patrio ſermone conſcriptis, & auctoritatis noſtræ juſſione ac tuo ſagaci ſtudio, interceptumque ſudore in noſtram linguam explicatis, huic negotio inſeri fueris congruum, quodque etiam in latinis codicibus jam inde habes inventum, adjunctis eis, quæ in libello ejus paſſionis continentur, necnon & illis, quæ in tomis vel chartis vetuſtiſſimis armarii Pariſiacæ Eccleſiæ, ſacræ videlicet ſedis ſuæ, prolatis inveneras, & obtutibus noſtræ ſerenitatis oſtenderas, ſecundum quod rerum, cauſarum etiam ac temporum convenientiam noveris, in corpus unum redigas, atque uniformem textum exinde componas, quatenus compendioſius valeant innoteſci, & faſtidioſis minuſve capacibus, vel ſtudioſis lectionis poſſit tædium ſublevari, pariterque omnibus ædificationis utilitas provideri. His ita contextis, volumus ut revelationem oſtenſam beato Papæ Stephano in eccleſiæ ejuſdem ſanctiſſimi Dionyſii, ſicut ab eo dictata eſt, & geſta, quæ eidem ſubnexa ſunt, una cum hymnis, quos de hoc glorioſiſſimo martyre atque Pontifice habes, & officium nocturnale ſubjungas. Sed & differenter ac cum integritate ſui, quæque ex eo reperta ſunt, in altero volumine colligas, nobiſque diſtincte & correcte tranſcripta quantocius dirigas aut præſentes: quoniam maximum valdeque dulciſſimum pignus deſiderabilis præſentiæ illius Domini & ſolatiatoris noſtri, ubicumque ſimus, habere nos credimus, ſi cum eo, vel de eo, aut ab eo dictis, oratione, collatione, lectione colloquimur. Vale in Chriſto, vir Dei, in ſacris orationibus jugiter memor noſtri.

III. Reſpondit Hilduinus, habetur in Areopagiticis reſcriptum. Summa reſcripti hæc eſt. Singulari ſe gaudio affectum memorat, quod laudes glorioſiſſimi martyris ſcribere juſſus ſit, eoque magis ſe obſequi paratum, quod vel injuſſus eas prædicare meditaretur. Se inprimis cumulatum lætitia, quod Imperator Chriſtiano præditus animo beneficia ſibi à Deo collata agnoſcat, & opem ſibi à ſanctis præſtitam veneratione & obſequio proſequatur: eum ſcilicet religionis amore incitatum, ut Chriſtianorum militum triumphos inquiri juberet; ut & eorum certamina imitaretur, & eaſdem, quas illi, decerperet palmas: magnam acquiſiturum mercedem ex eo, quod acta ſanctiſſimi patris cognita eſſe velit, quæ modo paucis hominibus cognita ſunt, etſi ejus ſanctitas præclaraque ejus opera toto orbe ſunt celebrata. Rogat deinde Imperatorem, ut non à ſe expectet verborum ſermoniſque elegantiam, ſed in ſuis ſcriptis ſolummodo veritatem intueatur. Demum de ſancto Dionyſio ſermonem exorditur, eumque præcipue commendat, quod ex nobili ortus ſit genere, & clarus ſit philoſophiæ ſtudio,

LIB. VI. CAP. VI. *Hilduin. in reſcrip. ad Imperat.*

idque teſtatur ex actis Apoſtolorum, *ex hiſtoria Ariſtarchi Græcorum chronographi, qui in epiſtola ad Oneſiphorum primicerium de ſitu Athenæ civitatis & geſtis ibidem Apoſtolorum temporibus ſcribens, ortum proſapiæ & doctrinam ejus, atque converſationis ordinem, ſive ætatis tempus, necnon & ordinationem ipſius, ac prædicationem, ſubrogationem etiam Epiſcopi loco ſuo, & adventum illius ordinabiliter narrat.* Addit ex Græcorum fontibus Dionyſium juvenem olim appuliſſe animum aſtrologiæ, & ad diſcendam illam diſciplinam Heliopolim profectum, & tenebras ſe advertiſſe, quæ olim terram operuerint, cum Chriſtus cruci affixus eſt, quod ad Polycarpum Smyrneorum Epiſcopum & Apollophanem ſcribit: & eum ait id temporis quinque & viginti annos natum fuiſſe. Deinde Hilduinus de libris Dionyſianis ſcribit ea, quæ ſuperius memorata ſunt, ſe eos ſuſcepiſſe, quos Michaël Orientis Imperator ad Ludovicum per œconomum Conſtantinopolitanum miſerat. Laudat poſtea libellum paſſionis ſancti Dionyſii, quem ait in Gallias à Clemente PP. miſſum, in eo opere deſcriptum eſſe, quomodo poſt diriſſima ſupplicia caput illi abſciſſum ſit, & caput ipſe ſuis manibus ad locum, ubi ſepultus eſt, detulerit, & quomodo Catulla matrona ejus ſepulturæ operam dederit: laudatque inprimis Hilduinus Viſbii ſcriptionem, quam tradit paulo ante divinitus inventam, ubi deſcribuntur ſacra colloquia Jeſu Chriſti cum illo, quando martyrii certamine perfungebatur, hiſque aſtipulari dictitat miſſales libros pæne ſenio & vetuſtate detritos. *Cui*, inquit, *aſtipulari videntur antiquiſſimi & nimia pæne vetuſtate conſumpti miſſales libri continentes miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei, uſu in hac occidentali plaga eſt, habens uſquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum ſuſceperit; in quibus voluminibus habentur duæ miſſæ, quæ ſic inter celebrandum ad provocandum divinæ miſerationis clementiam, & corda populi ad devotionis ſtudium excitanda martyris ſociorumque ejus ſuccincte commemorant. Quarum miſſarum ſenſus & verba adeo paſſionis eorumdem, quam vobis miſimus, feriei concordare videntur, ut nulli ſit dubium à teſte illorum martyrii agones eorum deſcriptos, & ex ipſa eorum veraci hiſtoria memoriam tormentorum ſuorum in præfatis precibus fuiſſe mandatam.* De hymnis Eugenii Toletani Epiſcopi ſubjungit Hilduinus, quod nemo mirari debeat, quod non in omnium manibus habeantur, cum antiquorum libris plerumque careamus, & inventi ſint in ſuo monaſterio latentes & reconditi. Jam vero aggreditur iis reſpondere, qui Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum Areopagitam negarent, & venerabilem Bedam in ſuam ſententiam vocarent, qui eum Corinthiorum non Athenarum Epiſcopum dicit, quod Hilduinus refutat, primum ex actis ſancti Dionyſii paſſionis, ubi Hilduinus legebat ſanctum Dionyſium à Clemente Romano Pontifice Epiſcopum fuiſſe ordinatum, & ab eo miſſum in Gallias. Quid quod hiſtoria eccleſiaſtica Euſebii, & ſanctus Hieronymus de viris illuſtribus narrant Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum litteras ſcripſiſſe ad Athenienſes, quibus ſignificat primum eorum Epiſcopum Dionyſium Areopagitam fuiſſe, & hunc à ſancto Paulo ordinatum, quæ cauſa fuerit cur Beda ſuam poſtea retractaverit ſententiam. Nihil ſane ſcriptores Græci de obitu ſancti Dionyſii dicunt, quia cum in remotiſſimas terras poſtea profectus ſit, mors & mortis genus iis incompertum eſt: eſſe longe antiquiſſimum martyrologium tempore magni Conſtantini ſcriptum, ubi dies ejus natalis deſcriptus legitur, & ex quo diſcimus eum Epiſcopum Athenienſem fuiſſe. Eſſe quoque famam Athenis & majorum aſſertione confirmatam, traditamque ſcriptis Dionyſium Areopagitam primum Athenienſium Epiſcopum, relicto Epiſcopatu ſubrogatoque alio Epiſcopo veniſſe in Gallias, & ibi feciſſe martyrium. Quod ex inquiſitione Tharaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani patet; cum in ea civitate de jure metropolis contentio eſſet, & jus pallii Epiſcopus ſibi vellet arrogare, Tharaſius re comperta, ex judicio Synodi reddidit pallium, & jura metropolis eidem attribuit. Ac enim Hilduinus ſibi objectionem ſubjicit ex actis paſſionis ſancti Dionyſii. Quid ita eſt, inquit, quod acta paſſionis memorant ſanctum Dionyſium à Clemente ordinatum fuiſſe? ſi antea Dionyſius à Paulo Epiſcopus ordinatus eſt. Reſpondet Hilduinus acta eo in loco depravata, & in emendatioribus exemplaribus

legi, non eum Epiſcopum à beato Clemente conſecratum, ſed Apoſtolum totius Galliæ ordinatum, multa deinde falſa in hæc aliaque martyrum acta fatetur irrepſiſſe, ſed ea omnia certa eſſe, quæ ſcribit excerpta. *De antiquariorum antiqua ſcriptura velut ex prato non Pariſiaco, ſed Paradiſiaco.* Quod autem Gregorius Turonenſis legiſſe ſe dicit in paſſione ſancti Saturnini tempore paſſionis Decii ſub beato Sixto Dionyſium cum aliis ſex Epiſcopis in Gallias miſſum. Reſpondet Hilduinus *parcendum eſſe ſimplicitati viri religioſi Gregorii Turonenſis, qui multa aliter quam ſe veritas habeat æſtimans, non calliditatis æſtu, ſed benignitatis & ſimplicitatis voto litteris commendavit.* Adducitque adverſus Gregorium Fortunati hymnum *rithmicæ compoſitionis pulcherrimum, de glorioſo martyre in quo commemorat eum à beato Clemente deſtinatum.* Additque nihil omnino à Fortunato ſcriptum de ejus natione, & ordinatione ejus Epiſcopatus, quia Græce neſciret. De Gregorii opinione vult quoque perquiri epiſtolam Ariſtarchi & Viſbü conſcriptiones. His expoſitis Hilduinus concludit exitiabilem eſſe & profanam contentionem, ſi quis Dionyſium Areopagitam eſſe non aſſeveraverit. Demum convertit ſermonem ad Imperatorem, & hæc, quæ ad eum mittit, prædicat ſe ex auctoribus & hiſtoriis veris hauſiſſe.

IV. Ex his manifeſtum eſt, jam tum ortam de duobus Dionyſiis controverſiam, Hilduinum quidem cum monachis Dionyſianis in ea fuiſſe ſententia, Areopagitam illum Dionyſium, qui prædicatione ſancti Pauli Chriſtianam fidem abjecto idolorum cultu ſuſcepit, ut eſt in actis Apoſtolorum, ac deinde Epiſcopatum Athenienſem primus geſſit, ut memorat Euſebius, unum eumdemque eſſe ac Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum, qui Lutetiæ Pariſiorum fidem, quam docuerat, ſuo ſanguine conſignavit. Cum tamen plures ſubinde reperti ſint, qui variis temporibus contenderint Dionyſium Areopagitam alium à Dionyſio Pariſienſi fuiſſe, & præclara noſtri temporis ingenia diu multumque hanc contentionem verſaverint, haud alienum à meo inſtituto id exiſtimem, ſi quemadmodum Hilduini rationes expoſitæ ſunt, ita & eorum argumenta paucis commemorem, relicta poſtea lectoribus poteſtate de ea re penitus pronunciandi. Sed priuſquam rem exequamur, quid illi reſpondeant Hilduino paucis referendum eſt. Aiunt Hilduinum plura ſuo marte confingere, quæ antiqui non tradiderunt. Falſum id ſane eſt, quod de nobili ejus genere & miniſterio memorat, quaſi hoc acta Apoſtolorum referant, ſed cum nihil ad noſtram controverſiam ea res pertineat, huic rejiciendæ immorari inutile eſt. Adducit Hilduinus in teſtimonium auctoritatem Ariſtarchi chronographi in epiſtola ad Oneſiphorum, quis vero ſit iſte chronographus Ariſtarchus, nemo ex antiquis de eo quicquam protulit: qui de claris Eccleſiæ ſcriptoribus libros ediderunt, nullibi gentium illius meminerunt. Certe credibile putem ex Ariſtarcho & Oneſiphoro, quorum ſermo eſt in epiſtolis beati Pauli confictum Ariſtarchum chronographum, & conflatam pariter epiſtolam ad Oneſiphorum. Quod vero de libris Dionyſianis ſubdit Hilduinus, cum ſuperiùs conſulto de his actum ſit, ea modo iterum inculcare non oportet. Quod dicat Hilduinus Dionyſium geſtaſſe manibus caput abſciſſum, & hoc ſepultum à Carulla matrona; id quoque in actis paſſionis ſancti Dionyſii, quæ ex variis MSS. extant, minime reperias: de Catulla ibi quoque ſilentium eſt, de Clemente autem, à quo directus dicatur, varia exemplarium lectio, in quibuſdam enim ſolummodo Romani Pontificis mentio, neque ejus nomen memoratur. De Viſbü ſcriptione, nihil eſt quod dicant, qui Hilduino adverſantur, nam nec auctor ille antiquis cognitus eſt, nec pariter poſteris, & apud neminem vel nominatum, nedum adductum in auctoritatem invenias, fidem omnem eſſe oportet penes Hilduinum, qui ait hunc *in tomo ſatis ſuperque abdito Pariſius divino nutu inventum.* Huic auctori addit miſſales antiquos & ſenio pæne detritos, ubi miſſa eſt more Gallico. Sane fuiſſe olim Gallicanæ Eccleſiæ ſuam liturgiam, ſuaſque miſſas conſtat, quas deinde Pippinus ſuſtulit, unde Carolus, qui calvus dictus eſt, ait, in Epiſtola ad Ravennatem Eccleſiam divina officia aliter celebrata in Gallicana Eccleſia atque in Romana & Mediolanenſi. Etſi miſſales Gallicanæ Eccleſiæ fuiſſe haud abnuo, tamen

nullibi inventi ſunt, ubi Dionyſius Areopagita diceretur, crediderim in his ſermonem ejus martyrii fuiſſe, verumramen Areopagitam vocatum fuiſſe non invenimus. Si vero Areopagitæ nomen reperiatur, haud longo annorum intervallo Hilduini ætatem præceſſiſſe putem. Neque arbitror majorem deberi fidem hymnis Eugenii Toletani, quàm auctoribus ſupra relatis, neque enim ſunt in operibus Eugenii, quæ extant, neque hujus hymni, qualiter à Dubleto refertur par operumque ejus in verſu & ſermone character, neque alias hujus hymni mentio eſt. Er ipſe Hilduinus hymnum in ſuſpicionem adducit, cum ait non vulgatum eſſe neque notum, neque ſanè hujus compoſirio hanc Eugenii Toletani vetuſtatem ſapit, ut quivis oculatus perſpicere poteſt. Hilduinus his vere an falsò commemoratis refellere inſtituit reſtimonium venerabilis Bedæ, quod optime exequitur, nemo enim aſſerat Dionyſium Pariſienſem Cotinthiorum Epiſcopum fuiſſe. Quoniam vero Hilduinus referr à nemine Græcorum de obitu Dionyſii relatum, reſpondent qui illi adverſanrur in Conciliis œcumenicis ac præſertim in ſexto ſæpius Dionyſium celebratum ut Athenienſium Epiſcopum & martyrem, quin & menologium Græcorum eum Athenis ex martyrio obiiſſe refert, quæ certe antea fuerat Græcorum rraditio, affert tamen quæ ex Dionyſii Pariſienſis paſſione excerpta fuiſſe videntur. Sed ex his quæ quodammodo inter ſe pugnant, hoc tamen ut verum elicitur, quod Athenis martyrium fecerit. Sane de Areopagitæ obitu apud antiquos non utique vulgata memoria eſt. Uſuardus Ariſtidem nominat veterem ſcriptorem Chriſtianorum, qui Dionyſii Areopagitæ martyrium refert, & Hilduinus ipſe vetus rememorat marryrologium Conſtantinopolitanum, in quo, ut ait, Dionyſii Areopagitæ & Athenienſium Epiſcopi natalis dies annotatus legebatur, ſed hæc nihil ad Epiſcopatum Patiſienſem. Quæ de inquiſitione Tharaſii ſcribit, ea ſolius Hilduini teſtimonio fulciuntur, nulla ejus rei aliàs mentio eſt. Quantùm ad acta paſſionis ſancti Dionyſii Pariſienſis, ubi ordinatus dicitur Epiſcopus à ſancto Clemente, Hilduinus ad ſinceriora exemplaria cenſet recurrendum, quoniam, inquir, non ibi ſcribitur eum Epiſcopum à beato Clemente conſecratum, ſed Apoſtolum totius Galliæ ordinatum. Quid iſthæc? appellare ſanctum Dionyſium Apoſtolum Galliarum, quem ſolummodo jure dicas Apoſtolum Pariſiorum. Sane ſingulæ pæne Eccleſiæ ſuum quæque Apoſtolum ſe habere gloriantur, neminemque appellatum Galliarum Apoſtolum aliàs legimus. De Gregorio Turonenſi, cujus elevat auctoritatem, poſtea memorabimus. Fortunatum ait adverſari Gregorio Turonenſi in hymno in ejus honorem ſcripto. Verſus alias Fortunati, in quibus ſancti Dionyſii menrio eſt, allati ſunt à nobis, nihil in his reperitur, quod probet Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum à Clemente PP. ordinatum, neque, qui Fortunati opera ediderunt, quicquam de ea miſſione, ne verſiculum quidem, nedum hymnum ediderunt. Dublerus hunc vel à ſe vel ab aliis confictum in Dionyſianis antiquitatibus attulit. Pleraque hæc Hilduini argumenta illis, qui pro Dionyſio Areopagita noſtra ætate ſcripſerunt, haud probara ſunt, eaque deſerere haud vetiti ad alia confugere, aliaſque conati ſunt rationes inveſtigare. Hæc, quæ breviter expoſuimus, qui contra Hilduini ſentenriam pugnant, vulgo retulerunt. Sed cum noſtra ætate ea controverſia magnis animis agitata ſit, juvat paucis eamdem materiam retractare, & hinc & inde rationes breviter expendere, ut liquido quiſque ex pugnantibus argumentis interponere judicium valeat: rem à principio repeto, & primum pro iis, qui Dionyſium Patiſienſem eſſe Areopagitam ſtatuunt, dicere aggredior, & quibus ſe fulciant argumentis, brevirer oſtendere.

V. Poſtquam Jeſus Chriſtus pretio ſui ſanguinis & morte acerba mortales à jugo dæmonum exemit, Apoſtoli illico fidem Chriſti & Dei religionem diſſeminare per provincias inſtituerunt, ſtatimque mortales vana Deorum ſuperſtitione deluſi, avide haurire fidem, & ſuam deteſtari inſaniam, & tam brevi lux Evangelii orbi affulſit, ut inſtar ſolis ſplendor ubique illuxerir, quod ſancti patres tradiderunt. Juſtinus, cum pro Chriſtianis adverſus Tryphonem pugnat, dicit nullam in orbe gentem eſſe, ubi per Chriſtum, eumque cruci

affixum, non fiant patri precationes. Cum vero Gallia omnis ex nobiliſſimis Imperii Romani provinciis pars fuerit, quis dubitet quin jam inde à principio, vel ipſo tempore Apoſtolorum fidem ſuſceperit. SS. patres tradunt ſanctum Paulum in Hiſpanias uſque propagaſſe Evangelium, & in itinere relictum Narbonæ Epiſcopum Paulum, quem Sergium Paulum fuiſſe exiſtimant, hæc antiqua traditio eſt, idque martyrologia & ſcriptores aliquot haud ignobiles tradunt: beatum quoque Trophimum à ſancto Petro in Gallias miſſum primum Arelatenſium Epiſcopum fuiſſe antiqua Eccleſiæ monimenta affirmant. Zozimi PP. epiſtola eſt, in qua ait Trophimum ex ſede Romana in Gallias directum, & ex ejus fonte totam Galliam rivulos fidei accepiſſe, & oblatus Leoni PP. à Provinciæ Epiſcopis libellus tradit Trophimum à beato Petro Apoſtolo in Gallias miſſum, quem prima Arelatenſis civitas meruit habere ſacerdotem. Eſt epiſtola ſancti Cypriani, ex qua intelligas jam tum Marcianum Epiſcopum Arelatenſem, & Galliam vel tempore ſancti Cypriani Epiſcopis abundaſſe; Creſcentem quoque beati Pauli diſcipulum in Gallias veniſſe antiqui patres Euſebius, Epiphanius, Theodoretus ex epiſtola ſancti Pauli disertis verbis affirmant; quinetiam ſanctum Lucam, ſanctum Martialem diſcipulum Apoſtolorum, Lazarum Sabinianum, Potentianum, Urſinum aiunt tum à primis Chriſtianitatis temporibus annunciaſſe in Gallia fidem Chriſtianam, idque multis argumentis approbare licet, & ex his refellitur Severi Sulpitii locus, ubi legimus ſub Aurelio primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes ſuſcepta Dei religione, & teſtimonium Gregorii Turonenſis, qui ſub Decii principatu Gatianum Turonos veniſſe, Trophimum Arelatem, Paulum Narbonam, Saturninum Tholoſam, Pariſios Dionyſium, Arvernos Auſtremonium, & Lemovicas Martialem ex actis ſancti Saturnini commemorat. Cum enim ex allatis ſuperiùs teſtimoniis conſtet & ante illa tempora annunciatam in Gallia fidem, & ex his, quos enumerare nobis contigit, plures ex diſcipulis Apoſtolorum fuiſſe, quos tamen appellat Gregorius Turonenſis, quæ fides illi haberi debeat quiſque facile intelliget. Quin adverſus Sulpitium & Gregorium teſtimonia Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi & Tertulliani clara ſunt. Ille quidem cum adverſus hæreſes ſcribit, ait differre quidem inter ſe nationum loquelas, ſed unam eamdemque eſſe traditionem, neque Eccleſias, quæ in Germania ſunt, neque quæ in Iberis, neque quæ in Celtis aliter credere, aut aliter tradere; quod & Tertullianus adverſus Judæos, enumerans enim nomina multarum gentium, quæ fidem receperant, & inter eas Hiſpaniarum terminos, & Galliarum varias nationes appellat, ex quibus locis patet tempore ſancti Irenæi & Tertulliani jam fidem late per Gallias eſſe divulgatam. His ita expoſitis, facile probatu eſt. Sanctum Dionyſium Areopagitam in Gallias veniſſe. Ea ſcilicet antiqua multarum Eccleſiarum traditio eſt, quæ omnes uno conſenſu eum Areopagitam eſſe prædicant, eaque inprimis Dionyſiani monaſterii vetus traditio eſt, & actis Regum noſtrorum comprobata, ut vir eruditus Mabillonius ex Dionyſianis monumentis approbavit. Illa porro traditio recepta ubique non temere abjicienda eſt, hæc præſertim, quam civitas & Eccleſia Pariſienſis à majoribus ad nos uſque quaſi per manus traditam conſervavit. Hæc traditio quotidie ex umbone nobis annunciatur, hanc ſchola cantorum in baſilicis celebrat, hanc Eccleſia Romana etiam poſt iteratas ſæpius Eccleſiaſtici officii recognitiones integram illibatamque retinuit. Nonne in temeritatis crimen is modo incurrit, qui conteſtandi libidine, ut hanc traditionem tot teſtatam nominibus convellat, conatus omnes adhibet. Quid quod martyrologia eamdem confirmant, Romanumque inprimis martyrologium, ubi ad VII. Idus Octobris legimus Dionyſium Areopagitam primum quidem Athenienſem Epiſcopum, poſtea à Clemente in Galliam miſſum, Pariſienſem Epiſcopum fuiſſe. Quid memorem alia martyrologia, Rabani Mauri, Galeſinii, & Sauſſei quæ Dionyſium & Areopagitam & Pariſienſem Epiſcopum uno eodemque die commemorant. Sane ſi Dionyſius Athenis martyrium feciſſet, hanccine gloriam ultro nobis Græci relinquerent, neque ipſi de Areopagitæ triumphis nobiſcum decertarent. Verum tantum abeſt, ut

Orderic. & Chron. Autiſſiod.

ipſi

ipſi pro Dionyſio retinendo pugnent; quin magis pedibus, ut aiunt, in noſtram eunt ſententiam, armaque ipſi & tela ſubminiſtrant, quibus Dionyſium Pariſienſem Areopagitam eſſe, poſſis defendere: conſule, amabo, Methodium, Michaëlem Singelum, Metaphraſtem & Nicephorum, qui omnes tradunt, Dionyſium profectum in Occidentem, & Pariſiis palmam martyrii legiſſe. Neque contemnenda omnino ſunt, quæ ab Hilduino memorata ſunt, ille juſſus à pio Imperatore ſcripſit Areopagitica, & antiquam ſui monaſterii traditionem ſcripto actiſque comprobavit, quos vero teſtes magis idoneos reperias, quam Dionyſianos monachos, quam Abbatem magni nominis, in quorum manibus depoſitum multos annos ante Hilduinum ſancti Dionyſii corpus eſt, ii tamen haud verentur aſſerere Dionyſium Pariſienſem eumdem eſſe cum Dionyſio Areopagita. Quæ cauſa illis diſſimulandi alterius Dionyſii martyrium, niſi eſſe Areopagitam certo crederent. Hanc porro tradirionem aſſerunt ſcriptores haud vulgares, quorum eam defendere ſententiam haud intererat, Paſchaſius Corbeienſis Abbas, Hincmarus Remenſis Epiſcopus, Anaſtaſius ſummorum Pontificum bibliothecarius, & alii bene multi, qui in eam ſententiam deſcenderunt, & quos omnes enumerare longum eſt: nefas eſt tamen omittere doctiſſimum Cardinalem Baronium, qui in annalibus ad annum XCVIII. & CIX. eamdem ſententiam multis argumentis propugnavit. Sed quid hæc juvat referre, cum Gallicanorum Pontificum plana hujus rei confeſſio ſit jam à principatu Ludovici Pii promulgata; Gallicani enim Epiſcopi, quod antea à nobis relatum eſt, cum Pariſios conveniſſent, ut de cultu imaginum agerent, & quid de ea cauſa ſentirent, ex patrum teſtimoniis probarent. Illi utique, ut memoratum eſt, cultum non approbarunt, etſi imagines ad bonos mores utiles eſſe, & in baſilicis ad memoriam retinendas exiſtimabant, hanc doctrinam hauſiſſe aiunt in epiſtola ad Eugenium ſecundum, ab antiquis patribus, atque inprimis à ſancto Dionyſio, qui à ſancto Clemente in Gallias directus martyrium paſſus eſt. *Nec vobis*, inquiunt, *tædium fiat, ſi ad oſtendendam rationem veritatis, veritatemque rationis ſe ſe paulo longius ſermo protraxerit; dum modo linea veritatis, quæ ab antiquis patribus noſtris uſque ad nos inflexibiliter ducta eſt, beato Dionyſio ſcilicet, qui à ſancto Clemente, qui beati Petri in Apoſtolatu primus ejus ſucceſſor extitit, in Gallias cum duodenario numero primus prædicator directus, & poſt aliquod tempus una cum ſociis huc illucque prædicationis gratia diſperſis martyrio coronatus eſt.* Nonne ex his liquet eam fuiſſe noſtratium ſententiam, quam etiam contra teſtimonium Gregorii Turonenſis coram ſummo Pontifice, & ante conſcripta Hilduini Areopagitica teſtificari non veriti ſunt. Non libet hic alias tam ex aliis locis quam ex miraculis, quæ ad ejus tumulum acciderunt, probationes adjicere; hanc traditionem ætates multæ approbarunt, neque uſquam ſancti Dionyſii Areopagitæ memoria abolita eſt. Etſi ſubinde aliquot inventi ſunt, qui contra obgannire auderent, immo ad nos uſque hæc traditio perducta permanſit. Has vulgo rationes afferunt, quibus perſuadeant Dionyſium Areopagitam Lutetiam Pariſiorum veniſſe & pro fide mortem oppetiiſſe. Etſi hæc valida quiſlibet judicet ad confirmandam antiquam illam traditionem; viri tamen doctiſſimi contrariis argumentis eamdem profligare moliti ſunt. Eorum quoque rationes, quas ex æquo lector æſtimet, ne veritati prævaricari videar, me referre oportet.

Etſi fides Evangelii à principio non modo per Palæſtinam, Syriam, Aſiam: VI.
ſed etiam per Lybiam, Græciam Italiamque divulgata eſt, ſerius tamen ultra Alpes tranſmiſſam ſcribit Sulpitius Severus, qui brevem ſed accuratam Eccleſiæ hiſtoriam latine texuit. Ille igitur in noſtris natus & innutritus Galliis, de religione Dei his in locis ſuſcepta hæc tradit. *Sub Aurelio*, inquit, *Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Quæ Sulpitii Severi ſententia clare nos docet, non ante Marci Aurelii tempora fuiſſe in Galliis martyres, atque adeo Dionyſium alioſque, quos vulgo enumerant, non niſi poſt eam ætatem in Gallias ad diſſeminandam fidem veniſſe. Gregorius Turonenſis, qui ſub Decii Imperio

poſt annum Chriſti CCL. miſſos in Gallias ſeptem Epiſcopos ex actis paſſionis ſancti Saturnini commemorat lib. 1. Hiſtor. Francorum cap. xxx. *Hujus*, inquir, *tempore ſeptem viri Epiſcopi ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis ſancti martyris Saturnini denarrat.* Et paulo poſt. *Hi ergo miſſi ſunt Turonis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus. Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Auſtremonius Epiſcopus, Lemovicis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.* Ex his verbis palam eſt & auctorem paſſionis ſancti Saturnini & Gregorium ipſum in ea fuiſſe ſententia, non ante Decii principatum Dionyſium veniſſe Pariſios; neque ille alios ante hos ſanctos martyres enumerat, quam eos ipſos, quos Severus memorat, qui Lugduni ſub Aurelio & Severo Imperatore poſtea paſſi ſunt. Dionyſii nomen & martyrium Gregorio notum fuit, & ille miracula hujus ſancti narrat, & hunc ſæpe Pariſios veniſſe antea à nobis memoratum eſt, & cum Germano Epiſcopo Pariſienſi & Ragnemodo ejus ſucceſſore amicitiæ vinculo fuiſſe conjunctum: nota itaque illi hujus Eccleſiæ traditio fuit, & à nemine illius ætatis aut ſcripto reprehenſa aut contraria opinione oppugnata eſt, quæ mihi eam id temporis omnium fuiſſe opinionem perſuadent: conrra tamen obloqui audent, qui Dionyſium Areopagitam dicunr, & narrationem Gregorii falſi arguunt. Quæ fides, inquiunt, Gregorio, diſce ex Trophimo quem in Gallias miſſum à ſancto Petro Zozimus ſummus Pontifex longe ante Gregorii tempora innuit, & idipſum libellus Pontificum Provinciæ profitetur. Paulum Narbonenſem à ſancto Paulo fuiſſe ordinatum vetus traditio aſſerit & Martialem ſimiliter à beato Petro Epiſcopum conſtitutum, & fama eſt quoque ſanctum Saturninum à Petro vel à Clemente miſſum in Gallias. Petrus de Marca Archiepiſcopus olim Pariſienſis in erudita ad Valeſium epiſtola Gatianum & Auſtremonium ſuſtulit è numero eorum, quos licet impugnare, eoſque tempore Decii Imperatoris fuiſſe ultrò faretur: quoniam, inquit, tabularia Eccleſiæ Arvernenſis, in qua natus & educatus erat Gregorius noverat, necnon Eccleſiæ, cujus gerebat Epiſcopatum: neque in aliam ſententiam ullæ rationes ullaque argumenta nos impellunt. De Trophimi miſſione in Gallias, quidnam eſt, quod Zozimi PP. epiſtolam proferunt, quæ viris doctis ſuſpecta, & in qua nihil reperias, quod à Gregorio diſſentiat, cum Zozimus non à Petro, ſed à ſede apoſtolica miſſum Trophimum memoret, ex cujus fonre totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt; quæ vero Galliarum Eccleſia eſt, quæ ab Eccleſia Arelatenſi, vel à Trophimo fidem acceperit nemo poſſit oſtendere. *Quis neſcit*, inquit Sirmondus, *Pontificum epiſtolis, ubi aliquid narrando pronunciant, tantum eſſe auctoritatis & fidei, quanta illorum eſt, qui ſuggeſſerunt* Sed eſt & libellus Epiſcoporum Provinciæ datus Leoni PP. ubi Pontifices Gallicani teſtantur, quod prima intra Gallias Arelatenſis civitas miſſum à beatiſſimo Petro Apoſtolo ſanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem; hunc libellum falſi accerſere nolim, neque longiore diſputatione pugnam protrahere, ſufficit dicere parum fidei deberi auctori hujus libelli, qui in laudando Eccleſiam Arelatenſem modum exceſſit, qui ex illa Eccleſia in alias Galliarum regiones bonum fidei & religionis infuſum dicat, qui hanc matrem Eccleſiarum Galliæ appellet, qui habuiſſe privilegium omnes Epiſcopos intra Gallias ordinandi, cui vicem ab Apoſtolica ſede omnes Gallias ſub omni eccleſiaſtica regula continendi commiſſam aſſerat. Cum in his vehementior fuerit, in Trophimi quoque antiquitate aſſerenda modum exceſſiſſe facile in animum inducam, cum præſertim ea, quæ libellus profert, antiquis ſancti Saturnini actis adverſentur, quæ conceptis verbis ad poſteriora tempora Trophimum transferunt. Contra Gregorium afferunt præterea auctoritatem epiſtolæ ſancti Cypriani, ubi de Martiano Epiſcopo Arelatenſi ſermo eſt, qui in ſchiſma Novatiani inciderat. Hanc epiſtolam haud reperiri in pleriſque MSS. codicibus certum eſt, & multa alia contra ejus ſinceritarem vir doctus producit, verum ſuppoſita ſit vel genuina nihil intereſt; cùm Decio imperante Trophimum Arelatem veniſſe dicere in promptu ſit, & paulo poſt morte defunctum, eique poſt aliquot tempora Martianum ſucceſſiſſe, quæ nemo ullis

argumentis refellat, atque ita Gregorio Turonenſi, & actis paſſionis ſancti Sa- LIB. VI.
turnini ſua erit auctoritas. Paulum quoque Narbonenſem non invenimus ſancti CAP. VI.
Pauli fuiſſe diſcipulum, neque in ejus vita, quam Boſquetus Epiſcopus Montis peſſulani edidit, neque id antiquiſſima martyrologia produnt, ſed tantum Epiſcopum & confeſſorem, non diſcipulum ſancti Pauli appellant. *Apud Narbonam civitatem Natale ſancti Pauli Epiſcopi & confeſſoris*, inquit vetus martyrologium MS. Eccleſiæ ſancti Saturnini, & Prudentius Poëta. *Barcino claro Cucuphate fulta, ſurget & Paulo ſpecioſa Narbo.* Fruſtra quoque, ut evertant auctoritatem Gregorii, Martialem primum Lemovicenſium Epiſcopum advocant, quem martyrologia antiqua ſolummodo Epiſcopum & confeſſorem appellant. Extat epiſtola Jordani Epiſcopi Lemovicenſis ad Benedictum VII. qui contra Hugonem Abbatem ſancti Martialis ſcribit, is cum Martialem Apoſtolis annumerare vellet, & fruſtra Synodos in ſua vota ſollicitaſſet, ad ſummum Pontificem confugit, ut ejus auctoritate rem conficeret. Jordanus ob eam cauſam ad eum ſcripſit, à majoribus ſuis Epiſcopis, quorum ſucceſſor fuerat, Martialem habitum ſemper pro ſanctiſſimo confeſſore, & ab Abbatibus ſimiliter, qui Hugonem præceſſerant: nihilominus tentaſſe Hugonem, ut in Synodis etiam Apoſtolus diceretur, ſed non auditum. Quoniam *omnes*, inquit, *Epiſcopi Francorum, Arvernorum, Vaſconum, Aquitanorum, cum quibus ego fui locutus comprobant & affirmant ſanctiſſimum confeſſorem Martialem non debere tolli de illo loco, ubi ſancti Patres & noſtri anteceſſores eum poſuerunt, & non eſſe apoſtolatum niſi auctoritate comprobatum.* Neque mihi inſtitutum eſt cum ſingulis Galliarum Eccleſiis de antiquitate ſuæ fidei decertare, neque hæc ad Dionyſium Pariſienſem attinent, cujus gratia ſermonem inſtituimus. Neque modo Gregorius Dionyſium ſub Decii Imperio conſtituit; ſed & ejus ætatem elicere potes ex ejus ſociis & comitibus, qui uſque ad numerum duodecim in Belgica ſecunda primi fidem annunciarunt, & ſub Diocletiani & Maximiani principatu certamen martyrii pro Chriſto ediderunt. Ex eorum actis & Eccleſiarum conſtanti traditione manifeſtum eſt eos fuiſſe comites & ſocios ſancti Dionyſii. Quî vero dixeris eos tempore Apoſtolorum in Galliam miſſos, quorum martyrium acta ſub Diocletiano conſignant. Quî pariter Dionyſium Areopagitam aſſeras, quem horum ſocium acta referunt. Quid quod antiqua ſancti Dionyſii acta Dionyſium nuſquam Areopagitam dicunt, quod utique non omiſſum fuiſſet, ſi quo tempore confecta ſunt, Eccleſiæ Pariſienſis hæc traditio fuiſſet. Hunc à Pontifice Romano miſſum Dionyſium memorant, & ſub Feſcennino Præſide paſſum, ſed neque Pontificem, neque tradunt Imperatorem. Jam vero expende indices antiquos Epiſcoporum Pariſienſis Eccleſiæ, invenies Victorinum Pariſienſem Epiſcopum Sardicenſi Synodo ſubſcripſiſſe anno CCCXLVII. enumera deinde Epiſcopos, qui eum in cathedra Pariſienſi anteceſſerunt, vix quinque aut ſex Epiſcopos tabularia referunt, quod bene cum nonaginta ſex annis congruit, haud pariter cum annis Pontificatus Dionyſii, ſi ejus exordia ſumis à Clemente PP. quod tempus ſi deducas ad annos Victorini, ducentos & ferme ſexaginta annos numerabis, quo tam longo tempore incredibile eſt tam paucos Pontifices extitiſſe. Ea porro fuit Eccleſiæ Pariſienſis traditio, quam per ſexcentos ferme annos nullus ſcriptor in dubium revocavit, nemo ferme conteſtatus eſt uſque ad ætatem Caroli-magni vel Ludovici pii, cum ea ætate Areopagitæ nomen adjectum eſt. Neque tamen propterea antiqua illa opinio ex Eccleſiis Gallicanis abolita eſt, immo conſervata nobis certa utriuſque Dionyſii memoria, nam omnes propè Galliarum Eccleſiæ in martyrologiis diverſos dies utrique Dionyſio tribuerunt, quorum alterum Athenis, Pariſiis alterum martyrio obiiſſe memorant: Dionyſio quidem Athenienſi Epiſcopo diem v. Nonas Octobris tribuunt, alterum Dionyſium tradunt VII. Idus cum ſociis defunctum martyrio. v. *Nonas Octobris. Natale ſancti Dionyſii Epiſcopi & martyris, qui poſt graviſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatus eſt, ut teſtatur Ariſtides, Athenienſis vir, fide ſapientiaque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* Illa de Athenienſi Dionyſio; hæc, quæ ſequuntur, de Pariſienſi. VII. *Idus Octobris apud Pariſium*

LIB. VI. CAP. VI. *Natale ſanctorum martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherii diaconi. Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus, ad præfatam urbem devenit, ubi per aliquot annos commiſſum ſibi ſollerter & ardenter opus perſequens, tandem à Præfecto Feſcennino, una cum ſociis gladio animadverſus martyrium complevit.* Hæc pæne omnes Eccleſiæ Galliarum in martyrologiis retinuerunt, & hoc ipſum Uſuardi martyrologium profitetur. Amplius eſt, utrumque Dionyſium diverſis diebus, & utriuſque martyrium in variis locis conſignat martyrologium Eccleſiæ Pariſienſis. Unde certius argumentum petes? quam ex teſtimonio illius Eccleſiæ, quam Dionyſius condidit, quique fidem huic Eccleſiæ primus intulit; in ea vero hanc de Dionyſio traditionem fuiſſe, & eam cum fide ad nos uſque propagatam ex hoc facile intelligas. Quæ vero in Breviaria irrepſerant huic adverſa traditioni, modo in melius correcta ſunt & reſtituta. Summi Pontifices & ſancti Patres in Conciliis, ſi quando libros, qui ſub nomine ſancti Dionyſii Areopagitæ legebantur citare contingeret, eos ſub nomine Dionyſii Epiſcopi Athenienſis & martyris celebrabant. Ita Martinus, Agatho, Hadrianus Romani Pontifices, & Patres ſextæ Synodi eos laudaverunt, neque uſquam Dionyſii Pariſienſis meminerunt. Patet igitur tum Græcis tum Latinis ſuum fuiſſe Dionyſium, eamque traditionem utrobique illibatam certamque diu permanſiſſe.

VII. Mabillonius in Analectis probat eam invaluiſſe opinionem, qua creditur Dionyſius miſſus à Clemente ante Hilduini tempora, & in præcepto Theodorici Calenſis, quod anno DCCXXIII. datum eſt, quo confirmat ſua privilegia Dionyſiano monaſterio. *Dionyſius* celebratur *cum ſociis ſuis Ruſtico & Eleutherio, qui primi poſt Apoſtolos ſub ordinatione beati Clementis Petri Apoſtoli ſucceſſoris in hanc Galliarum provinciam advenerunt.* Et in conventu Pariſienſi, ubi de imaginibus tractatum eſt. Patres Dionyſium à Clemente miſſum referunt, & Hilduinus memorat libellum, in quo dicebatur Dionyſius à Clemente miſſus in Galliam. Cum enim ſecum invicem Eccleſiæ de antiquitate decertare cœperunt, tum pronum fuit clericis & monachis etiam ſine idoneo teſte eam opinionem pro vera venditare, tum illam ſcripto aſſeverare, ac denique addere Areopagitæ honorem, ex nominum utriuſque ſimilitudine, & ratione ætatis, quam utrique tribuebant, eoque magis eò adducebantur, quod rem putarent honorificam Eccleſiæ Pariſienſi, & Dionyſiano monaſterio. Quo ſemel ea opinione imbuti animi ſunt, facile fuit fabulas & acta huic opinioni conſona comminiſci, eaſque populis haud repugnantibus perſuadere. Ea porro omnia ante Hilduini tempora excogitata crediderim. Hincmarus tradit paſſionem ſancti Dionyſii ſcriptam à Methodio græcè, & ab Anaſtaſio latinè redditam, conſonare cum iis, quæ legerat in adoleſcentia. Hanc puto ab Hilduino auctam eſſe, & variis inſtructam coloribus. Multi libris Hilduini in errorem inducti ſunt. Æneas Pariſienſis Epiſcopus tempore Caroli-calvi in hanc opinionem deſcendit, ſi inſcriptioni libri adverſus Græcos credimus, cujus verba ſunt. *Æneas Pariſiacenſis urbis Epiſcopus, quo primus præſedit ſanctus Dionyſius à Paulo Apoſtolo Athenienſium conſecratus Archiepiſcopus, ſed à ſancto Clemente totius Galliæ conſtitutus Apoſtolus; pacem & gloriam catholicæ fidei cultoribus.* Vix adducor ut credam germanam veramque eſſe inſcriptionem, Æneas enim, ut infra memorabimus, Epiſcopus erat, ut erant ea tempora, doctrina, pietate, & induſtria celebratus, & tamen vocat Dionyſium Archiepiſcopum, quod nomen ſerius in Eccleſiam invectum eſt, addit præterea eum conſtitutum à Clemente totius Galliæ Apoſtolum, quod nemo approbet, & quod antea rejecimus, neminem enim Epiſcopum totius Galliæ Apoſtolum fuiſſe ulla probata monumenta commemorant, & certum eſt ſuum ſingulis pæne Eccleſiis fuiſſe Apoſtolum, eoque nomine non potuiſſe niſi Apoſtolum Pariſienſium appellari. Quidquid fuerit de inſcriptione, non deleta eſt ex memoria hominum vera ætas Dionyſii Pariſienſis, nam ſemper inventi ſunt, qui opinionem Gregorii propugnarent. Sub principatu Caroli-calvi Hincmarus Areopagiticorum opinionem defendere aggreſſus eſt adverſus eos, qui negarent Dionyſium Areopagitam eumdem eſſe ac

De re diplom. lib. 6.

Pariſienſem, paulo antè Anaſtaſius Bibliothecarius Dionyſii vitam, à Methodio Græcè compoſitam, latinè reddidit, extatque ad eumdem Imperatorem epiſtola, qua ſignificat quoſdam in ea eſſe opinione, quod Dionyſius Pariſienſis alius eſſet ab Areopagita. *Ceſſet ergo*, inquit Anaſtaſius, *jam quorumdam opinio perhibentium non eſſe Areopagitam Dionyſium eum, qui prope Pariſium corpore ac virtutibus redolet*. Ex cujus teſtimonio patet baud paucos pugnaſſe contra Hilduini opinionem, eoſque haud ignobiles adverſarios fuiſſe, adverſus quos tot conarus, tot machinæ adhibendæ fuerunt. Nondum illa de duobus vel de uno Dionyſio controverſia ſedata erat, quando Innocentius tertius pontificatum gerebat. Sciebat quidem in monaſterio Dionyſiano, Pariſienſem pro Areopagita haberi; neque ignorabat id à pluribus negari, cum diverſas de hac re ſententias recte Pontifex intelligeret, miſit ad Dionyſianos reliquias ſancti Dionyſii, quas Petrus Capuanus è Græcia Romam attulerat, ut deinceps certum eſſet Dionyſii Areopagitæ reliquias in Dionyſiano monaſterio haberi. Extat epiſtola in antiquitatibus Dionyſianis, in qua hæc verba legas. *Vtrum glorioſus martyr & Pontifex Dionyſius, cujus venerabile corpus in veſtra requieſcit eccleſia, ſit ille cenſendus, qui Areopagita vocatur ab Apoſtolo Paulo converſus, diverſæ ſunt ſententiæ diverſorum. Quidam namque fatentur Dionyſium Areopagitam in Græcia fuiſſe mortuum & ſepultum, aliumque Dionyſium extitiſſe, qui fidem Chriſti Francorum populis prædicavit: alii vero aſſerunt illum poſt mortem beati Pauli veniſſe Romam, & à ſancto Clemente Papa in Galliam deſtinatum, aliumque fuiſſe, qui mortuus eſt in Græcia & ſepultus: utrumque tamen egregium in opere ac ſermone præclarum. Nos autem neutri volentes præjudicare ſententiæ, ſed veſtrum cupientes monaſterium honorare, ſacrum beati Dionyſii pignus, quod bonæ memoriæ Petrus tituli ſancti Marcelli presbyter Cardinalis tunc Apoſtolicæ ſedis legatus de Græcia tulit in urbem, vobis per dilectos filios Haimericum priorem, & quoſdam alios nuncios monaſterii veſtri ad generale Concilium deſtinatos, devote dirigimus, ut, cum utraſque reliquias habueritis, nulla de cetero remaneat dubitatio, quin ſacræ beati Dionyſii Areopagitæ reliquiæ apud veſtrum monaſterium habeantur.* Quæ verba oſtendunt Philippi Auguſti tempore nondum litem de duobus Dionyſiis fuiſſe compoſitam, cum ſummus Pontifex ferre de ea re ſententiam nollet, quod ſcilicet in contrariam ſententiam magis inclinaret. Dionyſiani monachi ſacrum pignus receperunt, & illud, ne res ſuæ officeret opinioni, ſub Dionyſii Corinthii nomine venerati ſunt, id vero nullo argumento, ſed illa tantummodo freti perſuaſione, quam ab Hilduini ætate ad noſtra uſque tempora defenderunt. Antequam rem abſolvam, quibuſdam difficultatibus occurrendum eſt. Irenæi & Tertulliani teſtimonia allata ſunt contra Sulpitium Severum, qui referunt Evangelium jam ſua ætate in Gallia promulgatum: neque contra Severi auctoritatem teſtimonia bæc recipimus, Severus air rempore Marci Aurelii tum primum viſa in Galliis martyria, ſerius in bis locis ſuſcepta Dei religione. Irenæus ſane his temporibus, quæ Severus annotar, poſterior eſt, cum ille ſucceſſerit Pothino Epiſcopo Lugdunenſi, qui in ea perſecutione martyrio vitam finierat, & Tertullianus ipſo Irenæo junior extitit. Cum vero Porhinus nonagenario major deceſſerit, jam fides in aliquor locis nota erat, adeo ut uterque Galliam propter acceptam fidem laudare potuerit, & Irenæus de controverſia Paſchatis, & de Montani ſecta congregare Synodos, ut Euſebii hiſtoria memorat. Adjiciunt Græcos nuſquam adverſus Francos pro gloria Dionyſii Athenienſis decertaſſe, immo & hunc ultro nobis reliquiſſe honorem: cum eadem, quæ Hilduinus ſcripto reliquit, & ipſe Merhodius, & Michaël Singelus & alii Græci ſcripſerint. Dictum eſt antea Græcis olim incognita, quæ poſtmodum in Gallia de Dionyſio Areopagita conficta ſunt, neque ullis eorum commentariis celebrata eſſe. Verum poſtquam Franci fractis opibus Longobardorum in Iralia regnare cœperunt, tum Orientis Imperatores eorum potentiam reformidare, eorumque ſibi modis omnibus conciliare amicitiam; populi quoque ſua ſecum invicem communicare. Id vero temporis facile fuit Francis ſuas qualeſcumque traditiones cum Græcis communicare, & qua æſtimatione erant arma Francorum, non illi repugnare, immo ducere ſibi

honori, quod Franci Dei religionem Græcis acceptam referrent; eoque maxime tempore, aut paulo poſt Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſcripſit paſſionem Dionyſii Areopagitæ, ſed in ea ſcribenda traditionem ſecutus eſt, quam Hilduinus vulgaverat, acceptis ſcilicet à noſtratibus commentariis, hanc Franciſcus Chifletius edidit anno M D C L X X V I. magnoque ſtrepitu publicavit de uno Dionyſio diſſertationem, eoque Methodii libello maxime fretus triumphum ante victoriam cecinit. Methodius, ut ait Chifletius, inventam paſſionem ſancti Dionyſii Areopagitæ deſcripſit, quam olim Tharaſius Conſtantinopolitanus Patriarcha à Francis habuerat; quod ut probet, allegat Hilduinum, qui ſcribit hunc Patriarcham inquiſiviſſe per legatos à Francis de Dionyſio, auditoque in Gallia martyrium feciſſe, Athenienſi civitati metropolis & pallii jura reddidiſſe. Verum hæc, quæ Hilduinus refert, vera an falſa ſint non libet inquirere. Tharaſius potuit de Dionyſio inquirere, cum vero is mortuus ſit anno D C C C V I. potuit, quod oſtendimus, de Dionyſio jam confictam fabulam accipere. Sed hoc nihil prohibet, quo minus Methodius, qui Patriarcha Conſtantinopolitanus cœpit eſſe anno D C C C X L I I. & obiit anno D C C C X L V I I. à noſtratibus, vel ab ipſo Hilduino paſſionem Dionyſii acceperit, & in commentarios redegerit; quæ eo confidentius dixerim, quod in iis multa legas conſona Hilduino. Huic ſane acceptam referremus gratiam, ſi à Græcis certiora mutuari magis ſtuduiſſet, quam noſtras fabulas ſuo redditas ſermone nobiſcum communicare. Sed quod magni momenti eſt, ad aſſerendam Gregorii Turonenſis traditionem, & ipſius Severi auctoritatem. Fides in Celtica Gallia primum nunciata eſt ſub principatu M. Aurelii: Nam conſtat Pothinum primum fuiſſe Lugdunenſium Epiſcopum, qui in ea perſecutione martyrium ſubiit, & cum eo, ut eſt in epiſtola Athanacenſium martyrum, quam Euſebius retulit, ſublatos nobiliſſimos quoſque ex Chriſtianis, quorum opera *res his in locis conſtitutæ fuerant*: ex quibus verbis patet tunc temporis fidem Lugduni celebratam primùm fuiſſe: tum ſub ſancto Irenæo Epiſcopo aliquot progreſſus feciſſe, ſed eos Severi Imperatoris perſecutione retardatos. Verùm receptis viribus, cum pax Eccleſiis eſſet, ulterius fidem propagatam, ac demum Pariſiis ſub Decio prædicatam à Dionyſio, & à populis receptam, vireſque & robur acquiſiviſſe; ſed tamen perſecutione Aureliani prohibitas ejus victorias, quo tempore in Senonia provincia multi martyres extiterunt, & ipſe Dionyſius præclaro certamine edito vitam conſummavit. Cum vero ea perſecutio Belgicam non invaſiſſet, huc fides allata, multa opida, multaſque civitates Chriſti Imperio ſubjecit, iique, qui Evangelium hæc in loca pertulerunt, ſocii & comites ſancti Dionyſii dicti ſunt, quod in actis eorum martyrum legimus. Ita fides recto itinere, Lugduno, quod caput Celticæ Galliæ erat, ad alias urbes & provincias traducta eſt: atque ita poſt modum Pariſiis celebrari cœpit. Quin etiam qui primi duces fidei dilatandæ fuerunt, hanc inierunt viam, ut metropoles civitatum ac urbes primarias adirent; intelligebant enim pagos & vicos in fidem, quam urbes præcipuæ acceperant, facile conſenſuros. Qua vero id temporis in æſtimatione fuit Lutetia Pariſiorum incluſa anguſtiis brevioris inſulæ,quam caſtellum & urbeculam antiqui ſcriptores vocant,quæ neque tum celebrata domicilio Imperatorum neque ſede Regum Francorum fuit, ſed ſubjecta metropoli Senonarum. Nonne par erat, quemadmodum ſub Apoſtolis & eorum diſcipulis conſuetum fuerat, primum fidem in præcipuis civitatibus annunciari, atque inde in loca ignobiliora traduci. Si autem Lugduni, quæ ab Auguſto Imperatore Galliarum metropolis ac primaria civitas erat, ubi emporium toto orbe celebratum, Latinis juxta, Græciſque frequentatum, non ante M. Aurelii principatum religio florere cœpit; an quiſpiam auſit aſſerere, in opido & urbecula minoris ambitus, Dionyſium Areopagitam, relicto contra morem horum temporum epiſcopatu, in Italiam primum advolaſſe, peragratiſque multis provinciis, ubi incognita vera Dei religio erat, omiſſis civitatibus nominatiſſimis in meditullio Galliarum conſediſſe, ut in opidulo religionem Dei inſtitueret contra conſuetudinem Apoſtolorum, qui Romæ, Antiochiæ, Alexan-

driæ, Theſſalonicæ, Epheſi, Athenis, Corinthi, aliiſque locis nobiliſſimis primæ fidei ſemina ſpargere cœperunt, ut inde alias in terras Evangelium ſeſe facilius diffunderet. Si quis hoc argumentum fuſius pertractatum legere velit, conſulat quæ toto libro primo accuratius expoſita ſunt, uſque omnibus accurate examinatis, de hac doctorum hominum ſcriptis celebrata controverſia judicium ferat, immo inſignes athletas, qui in hanc arenam deſcenderunt, adeat, Jacobum Sirmondum, Joannem Launoium, Hugonem Menardum, Germanum Milletum & alios, qui quaſi collatis ſignis adverſus ſe invicem acerrime conflixerunt, & ut libet alteri palmam concedat. Etſi enim haud dubitamus in hanc poſteriorem partem inclinare, totum tamen negotium lectoris arbitrio permittimus. LIB. VI. CAP. VII.

CAPUT VII.

De ſecundo Aquiſgranenſi Concilio, cui Erchenradus Epiſcopus Pariſienſis intereſt. Hilduinus corpus ſancti Viti monachis novæ Corbeiæ tradit. Erchenradus it obviam reliquiis ſancti Liborii. Idem ſubſcribit teſtamento Aldrici Cenomannenſis Epiſcopi. Idem cum aliis Epiſcopis cauſam Aniſolenſis monaſterii judicat. De ſocietate inter monachos Dionyſianos & Remigianos. De morte Ludovici Pii.

LUDOVICUS Imperator, pacatis rebus, nihil antiquius habuit, quam collapſam inter civiles diſcordias Eccleſiæ diſciplinam reſtituere. Bella inteſtina eorum aboleverant memoriam, quæ ad mores informandos quatuor Concilia prius ordinaverant. Ille igitur, cui haud minus Eccleſiæ quam reipub. cura fuit, Aquiſgranum conventum convocavit; cum vero is conventus maxime ex Epiſcopis fieret, Synodus celebrata eſt, eaque Aquiſgranenſis ſecunda fuit. Extat illa Synodus, in duaſque partes diviſa eſt. Pars prior habet canones haud paucos diſciplinæ reſtituendæ idoneos, tribuſque capitibus continentur. Primum caput de vita & doctrina Epiſcoporum eſt, altero agitur de vita & doctrina inferiorum ordinum. Tertio capite inſtituitur oratio de Rege, filiis ac miniſtris ejus, habentur & alia, quæ in Synodo pertractata ſunt. Admonent inprimis Epiſcopos, ut juxta traditas à ſancto Paulo leges miniſterium impleant; ut hoſpitalitatem exerceant juxta Apoſtoli præceptum, adeoque Epiſcopi omnes, quocumque in loco ſint, habeant ſecum pauperes, quos alant, ne ſe litibus implicent; & à ſermonibus vanis domi foriſque abſtineant; ne ſe avaritiæ vitio corrumpi ſinant. Subjectos eos volunt canonicæ diſciplinæ, qui pro ordinatione clericorum, pro dedicatione Eccleſiæ, pro chriſmate & immutatione titulorum aliquid exigunt. Ad ſobrietatem Epiſcopos hortantur, ut recte doceant, ſed quod ſermone proferunt, prius opere exequantur, & in officio Epiſcopali æmulari ſtudeant, quæ ſanctus Gregorius in libro paſtorali pluribus do- I.

LIB. VI. CAP. VII. cet. Ut curent ne canonici, monachi, & ſanctimoniales propter incuriam ſuam incidant in animarum pericula, neque Epiſcopi facile cuſtodiam ſui gregis deſerant, nec ab ovili diſcedant. Multa inſuper addunt de doctrina, ut fidem ſinceram, & unum Deum in trinitate perſonarum confiteantur, ſciantque ea, quæ novi veteriſque teſtamenti codicibus continentur, & quæcumque ſaluti utilia ſunt; omnes ſcilicet ſacerdotes ſcire oportet, quæ ad medicinam animarum expediunt: ſed inprimis eruditos eſſe juvat formæ evangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ, eoſque regulam addiſcere quam ſanctus Gregorius libro pro paſtoribus edito docuit. Neque vero ſufficit ea tenere, ſed in his perpetuo meditari oportet, ut damna per humanam illata converſationem intima rerum ſpiritualium cogitatione reſarciant. Meminerint inprimis Epiſcopi ſe eſſe bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatores, caveant itaque ut rite ea diſtribuant, quæ vota fidelium ſunt, pretia peccatorum & patrimonium pauperum, & ne quis *ea propria cupiditate, aut potentum terrore, parentumque*, ſeu propinquorum *procuratione ad alios uſus retorqueat: ne forte, quod aliis extat remiſſio peccatorum, ipſis ſit damnationis argumentum.* Tum quædam adjiciunt, quæ ad miniſterium Epiſcoporum pertinent. Definit illud caput comminatione adverſus eos, qui fidem datam Imperatori violant, & ab ejus partibus deficiunt; clericos quidem gradu dejectos volunt, laicos anathemati ſubjectos.

II. Deinde tranſeunt ad vitam & doctrinam inferiorum ordinum. Exordium ab Abbatibus canonicorum eſt, quos hortantur, ut gregi ſollicite invigilent, eique eſcam tam ſpiritualem, quam temporalem diligenter ſubminiſtrent, quod itidem ab Abbatibus monachorum fieri ſtatuunt, eorum mores ſtudio rerum cæleſtium informent, neque patiantur monachos circumcurrere, neque ſe ſæcularibus negotiis, quibus nuncium remiſerint, implicare; admonent pariter monachos ne paſtores ſuos parvi pendant. Pluribus poſtea inſtruunt Epiſcopos, ut emendari curent chorepiſcopos, archipreſbyteros, & archidiaconos, qui avaritiæ potius appellere animum ſtudebant, quam ſaluti animarum. Multa inſuper de preſbyteris conſtituunt, quæ ad eorum munus & miniſterium ſpectant, neque pauca adjiciunt, quæ eorum moribus bene informandis valde utilia ſunt; è domibus clericorum jubent mulieres expelli, prohibent ne preſbyteri villici fiant, ne tabernas ingrediantur, ne turpia ſectentur lucra, ne uſuras exerceant, ne comeſſationibus indulgeant, ne quid haud decenter, aut minus verecunde peragant. Ut vero majore diſciplina contineantur, decernunt, ut ſtipendiis amplioribus aliqui fruantur. His ita de clericorum diſciplina conſtitutis, quædam de monaſteriis puellarum conſtituunt, ut honeſtas morum his in locis præcipue commendetur, ac demum jubent ut canonici vivant ſecundum regulas, quas olim collectas in prima Aquiſgranenſi Synodo diximus. Monachi ſecundum regulam ſancti Benedicti, & ſanctimoniales ſervent quam eas decet, regulam; hæc aliaque hoc ſecundo capite continentur.

III. Tertio capite quædam, quæ ad principem pertinent, ejus filios & miniſtros ſubjiciunt; eum Regem eſſe dicunt, qui ſe ſubditoſque bene regit, Regemque ita conſtitutum volunt, ut quod ſacerdotes per ſermonem exequi non valent, Rex per terrorem imperet; in hoc Regis munus aiunt eſſe, ut gubernet populum Dei cum juſtitia & æquitate, ſtudeatque pacem & concordiam colere, ut ſit defenſor viduarum, orphanorum, pauperum & ſervorum Dei, ut improba hominum facinora imperio coërceat. Admonent poſtea Imperatorem, ut reprimat eorum audaciam, qui reprehenſi à ſacerdotibus, hoc vitio vertunt, & ſi quid pie de bonis Eccleſiaſticis illis ſuggerunt, illi peſſimè hoc cupiditati ſacerdotum falsò tribuunt, etſi eorum ſaluti conſultum eſſe volunt; rogant Imperatorem, ut, ſi Epiſcopi alicujus delicti accuſentur, cauſa ad Synodum deferatur, ut vel accuſatus, vel accuſator canonicis legibus ſubjiciatur. Cum diſtributionem bonorum Eccleſiæ ad ſolos ſacerdotes pertinere dicant, nulla ratione aliò diſtrahi oportere aſſerunt. Admonent præterea Imperatorem, ut Eccleſiis ſuggerat bonos paſtores, rectoreſque Eccleſiarum; ſimiliter monaſteriis tam puellarum quam virorum, ne, ſi ordo Eccleſiaſticus patiatur detrimentum,

tum,

tum animæ incurrat periculum. Obſecrant quoque, ut regni ejus adminiſtri caritatem inprimis & concordiam inter ſe cuſtodiant, neceſſe eſt enim, inquiunt, *ut quod in aliis corrigere decernit, in regia domo minime reperiatur*, & ſimul de filiis conſulunt Imperatori, ut eos ad concordiam fraternumque amorem paterna admonitione excitet. Quædam deinde capitula de eccleſiaſtica diſciplina addunt, quæ quiſque legere valeat, ubi pleroſque canones ex Pariſienſi Concilio, de quo ſupra, deſcriptos invenias.

Pars altera Concilii tres libros continet, quibus præmittitur epiſtola ad Pip- IV.
pinum Regem Aquitaniæ, qui invaſerat bona & facultates Eccleſiæ, prius Epiſcopi miſerant ad hunc commonitorium, quod non extat, per Aldricum Epiſcopum Cenomanenſem, & Erchanradum Pariſienſem. Cum res ſucceſſum non babuiſſet, Epiſcopi ex ſancta ſcriptura & pluribus SS. Patrum teſtimoniis docent maximè, quam periculoſum ſit auferre poſſeſſiones Eccleſiæ. Epiſtola ſic ſe habet.

Nos igitur fideliſſimi oratores veſtri, ſalutiſque veſtræ amatores devotiſſimi, miſe- V.
ramus nuper celſiſudini veſtræ per venerabiles fratres, Aldricum videlicet, Cenomannicæ urbis & Herchanradum Pariſiorum Coepiſcopos noſtros, quamdam ſchedulam, quædam ex auctoritate miniſterii noſtri ſalutaria monita continentem. Cui quia de negotiis, unde veſtram magnitudinem admonuimus, teſtimonia ſanctarum ſcripturarum, vitantes illius prolixitatem, annectere nequivimus, utile neceſſariumque judicavimus, ut in hoc opuſculo ea breviter annotaremus, veſtræque prudendiſſimæ ſolertiæ legenda mitteremus, ut ſi fortè quiſpiam objicere voluerit hæc, quæ vobis ſcripſimus, non ex auctoritate divina conſtare, ſed potius arbitrio cordis noſtri, imo cupiditate & quadam adinventione commentata eſſe, his lectis atque perpenſis evidenter agnoſcat, nos quæ Dei ſunt, & ad veſtram ſalvationem hic & in æternum, & ad regni vobis commiſſi ſtabilimentum, ſe autem ea, quæ mundi ſunt, ejuſque amatores diligunt, & Dei voluntati uſquequaque contraria exiſtunt, & ad interitum animarum pertinent, abſque dubio loqui. Nil opus eſt deſcribere quæ patres collegerunt & ad Pippinum miſerunt. Rex admonitionem recepit, ſuaque omnia Eccleſiis reſtitui juſſit, auctor vitæ Ludovici Pii ſic ſcribit. *Menſe Februario in ipſis diebus, in quibus purificatio beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ celebratur, conventus quidem magnus, ſed præcipue Epiſcoporum Aquiſgrani convenit. In quo cum de aliis utilitatibus Eccleſiæ neceſſariis, tum præcipue de his rebus quæſitum eſt, quas Pippinus & ſui multis Eccleſiis abſtulerant. Ob quam rem imperialis auctoritas, & communis Concilii commonitorium ordinatur, quibus commoneretur Pippinus & ſui cum quanto periculo res eccleſiaſticas pervaſerint. Quæ res proſperum ſuſcepit exitum. Nam Pippinus monita pii patris, ſanctorumque virorum libenter ſuſcipiens, obedienter paruit, & omnia invaſa reſtitui, etiam per anuli ſui impreſſionem conſtituit.* Nomina Epiſcoporum, qui huic Concilio interfuerunt, & decretis ſubſcripſerunt, non reperiuntur. Sed haud dubiè illi interfuit Erchanradus Pariſienſis Epiſcopus, is enim antea cum Aldrico Cenomanenſi Epiſcopo ab Epiſcopis delegatus ad Regem Aquitaniæ fuerat, detuleratque commonitorium, cujus in ſuperiore epiſtola mentio eſt, poſt eorum vero reditum celebrata Synodus eſt, cujus acta in Conciliorum collectione habentur.

Eodem anuo pleroſque ex iis, quos ſibi Auguſtus infenſos ſenſerat, intra VI.
paucos dies ſcriptor antiquus morte ſublatos tradit, à Calendis enim Septembris ad III. Idus Novembris diem obierunt, Jeſſe Epiſcopus Ambianenſis, Helias Tricaſſinus Epiſcopus, Vvala Corbeienſis Abbas, Matfridus Comes quondam Aurelianenſis, Hugo Lotharii ſocer, & Lambertus, qui contra Ludovicum haud ſemel pugnaverat, & alii, quos auctor vitæ Ludovici enumerat, quaſi lue depaſcente inſignia eorum capita, qui antea tot turbas adverſus Imperatorem concitaverant. Ludovicus ex his nunciis dolori magis quam gaudio indulſit, plangenſque pectus illacrimari cœpit, & Deum illis propitium apprecari, quæ erat piiſſimi Principis manſuetudo animi.

Antea memoratum eſt à nobis Hilduinum Abbatem ſancti Dionyſii in no- VII.
vam Corbeiam, quæ in Saxonia eſt, exulatum abiiſſe, cum in loco exilii ver-

ſaretur, monachis pollicitus eſt, quod ſi Deo auſpice, ſuis ſe honoribus reſtitui contingeret, ſanctas reliquias eis daret. Varinus Abbas novæ Corbeiæ, & nuper iterum creatus Abbas Raſbacenſis monaſterii, quod ſitum eſt in diœceſi Meldenſi quodque olim à ſancto Audoëno conditum eſt, Hilduinum adiit, revocavitque in memoriam, quæ olim promiſerat, ſi honores reciperet. Hilduinus haud immemor, promiſſa exolvere ſtatuit, factaque ſibi ab Imperatore poteſtate, cum conſenſu Erchanradi Epiſcopi Pariſienſis, & nobilium virorum hujus loci dedit illi corpus ſancti Viti pueri martyris Lucani. Fulradus Abbas ſancti Dionyſii tempore Pippini in Franciam tranſtulerat corpus ſancti Viti, quod in diœceſi Pariſienſi locaverat. Varinus ſacrum pignus magna cum religione ſuſcepit XIV. Calend. Aprilis die Dominico. Poſt peracta rite ſacra Hilduinus magna populi frequentia cum pluribus monachis & canonicis, qui ad monaſterium Dionyſianum frequenti cœtu advenerant, Varino corpus tradidit, quod extulit ſingulari cum veneratione. Comitabantur pium Abbatem plures monachi, & ingens hominum multitudo. Qui tranſlationem ſcripſit, memorat tum pluribus virtutibus ſanctas reliquias inclaruiſſe, quas ſi velis omnes legere, conſules acta Benedictina, ubi habetur tranſlatio, & per ſingulos prope dies diſcribitur. Ita ſancti Viti corpus tranſlatum in Saxoniam, & in nova Corbeia compoſitum eſt; aiebant incolæ loci, ubi primo depoſitum eſt, neque fulgura, neque tempeſtates infeſtaſſe regionem, quamdiu ibi permanſit, ejuſque tranſlatione deinceps Galliæ allatam perniciem, & è contrario in Saxonia perpetuò pacem perduraſſe. Eodem ferme tempore, quo ſancti Viti fieret tranſlatio, Baduradus Epiſcopus Padebornenſis, Cenomanos legatos miſit ad Aldricum Epiſcopum, qui ultro conceſſit corpus ſancti Liborii Epiſcopi Cenomanenſis, honorifice & reverenter Paderbornam tranſlatum eſt, iter per Carnotenſem agrum verſus Pariſios inſtituerunt. Auctor tranſlationis ſcribit nuncios Paderbornenſes cum ſancto corpore ex cœnobio ſancti Ceravni in Pariſienſem agrum veniſſe. Cum vero urbi appropinquarent, Erchanradum Epiſcopum cum ingenti hominum numero iis ultra pontem obviam veniſſe. *Appropinquantes verò*, inquit, *Pariſienſi civitati ab Epiſcopo loci illius Erchanrado nomine, omnique populo ultra pontem ſtratum ſuper Sequanam fluvium occurrente ſuſcepti, & in principalem ejuſdem urbis Eccleſiam deducti ſunt.* Hanc diem fuiſſe Dominicam idem ſcriptor narrat, Nonis ſcilicet Maii, & dum ſacra peragerentur, mulierem quamdam ab impuro ſpiritu, à quo vexabatur, virtute ſanctis corporis fuiſſe purgatam, loquendi & audiendi facultatem, qua à nativitate privata fuerat, recepiſſe. Poſtero die ad Rhenum perrexerunt, ſed rem perſequi longius, noſtri non eſt inſtituti.

Ex tranſlat. S. Viti. ſæcul. 4. Benedict. part. 1.

Auctor tranſlat. S. Liborii.

VIII. Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi nomen id temporis clarum, tam ob ſanctitatem vitæ quàm ob ſingulare diſciplinæ retinendæ ſtudium. Canonici Eccleſiæ Cenomanenſis nondum clauſtro, ut Aquiſgranenſi Synodo conſtitutum fuerat, incluſi erant, neque ſimul ſumere cibum uno in loco ſolebant. Aldricus, ut omnes uno continerentur clauſtro, & ad unam ſimul menſam accumberent; domos, villas, poſſeſſiones, ſtipendiaque edita publicè donatione conceſſit. His litteris ſubſcripſerunt plures Epiſcopi, & inprimis Erchanradus Epiſcopus Pariſienſis. Idem Erchanradus teſtamento Aldrici ſubſcripſit, chartæ datæ ſunt eodem die Calend. April. die ſancto Paſchatis anno DCCCXXXVII. Indictione XV. anno Imperii Ludovici XXIV.

IX. Poſt paſcha cometes viſus in cælis per XXV. dies vehementer terruit mortales, infauſta enim portendere hac ætate putabant. Imperator inprimis hoc oſtento terrefieri cœpit, utque iram Dei averteret, eleemoſynis & precibus placare Deum. Appetente autumno conventum apud Cariſiacum fecit, cui Pippinus ejus filius interfuit. Cum optimates in fide permanere perſpiceret, Carolum filium donare regno inſtituit, & ut res ageretur ſollemniter, primum Carolum ipſe cinxit gladio, & coronam ejus capiti impoſuit, jubenſque fratres amoris vinculo inter ſe connexos eſſe, utrumque in ſuum regnum dimiſit. Aderant conventui Neuſtriæ quiſque ex optimatibus, qui fidem Carolo Regi

ſacramento polliciti ſunt. Conventui adfuerunt complures Epiſcopi, actaque eſt cauſa Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis cum monachis monaſterii ſancti Carilephi, negotium ejuſmodi fuit. Innocens olim Epiſcopus Cenomanenſis ſancti Carilephi monaſterium in loco Aniſolæ, qui parochiæ Cenomanenſis eſt extruxit, idque tam ex rebus ſuæ Eccleſiæ, quam ex Regum aliorumque donationibus dotavit ex conſenſu & auctoritate Childeberti Regis. Exinde monaſterium Epiſcopis & Eccleſiæ Cenomanenſi ſubjectum eſt. Poſtea tamen ſubſtractum eſt eorum juriſdictioni per Pippinum Regem in odium Goſleni Epiſcopi, qui redeuntem Regem ex expeditione ab urbis ingreſſu clauſis portis prohibuit, immo cladem illi inferre omni ratione conatus eſt. Rex ubi ad Aniſolenſe monaſterium acceſſit, Abbatem Scebaldum & monachos ab Epiſcopi poteſtate ſummovit, ſubque ſuo mundeburdio, ut vocant, verſari juſſit. Pippinus tamen moriens Carolum filium hortatus eſt, ut monaſterium Aniſolenſe Cenomanenſi ſubjiceret ditioni, quod per præceptum præſtitit. Idem poſtea monaſterium Eccleſiæ Cenomanenſi ablatum eſt, cum Franco primus hanc Eccleſiam regeret, conceſſumque eſt Adalghyſo Epiſcopi Franconis propinquo, *ut pro illo*, inquit auctor geſtorum Aldrici, *regalia ſervitia & itinera faceret, quæ ille pro infirmitate ſua & ſenectute facere non valebat.* Idem ſtatus monaſterii fuit ſub Francone ſecundo. Verum Aldricus, qui in ejus locum ſubrogatus eſt, jura ſuæ Eccleſiæ cœpit repoſcere, & Aniſolenſe monaſterium ſuis, ſicut olim, ſubjicere legibus, cauſam agi per Miſſos, deinde per Epiſcòpos Ludovicus juſſit; cauſis & rationibus utriuſque partis cognitis, Aldricus cauſam obtinuit. Monachi nihilominus non obtemperare, cumque cogerentur, tumultuari, ſpoliare munaſterium, & demum relicto clauſtro, ad Imperatorem confugere. Rem Auguſtus judicio Epiſcoporum permiſit, tractata res eſt præſente Aldrico, non amplius de jure Eccleſiæ Cenomanenſis tractatum, patribus rem actam reputantibus; ſed de ſeceſſione monachorum inquiſitum eſt, comperti contumaciæ ſunt, Synodi judicio ad monaſterium redire juſſi ſunt, ſemel & iterum admoniti in contumacia perſtiterunt. *Tunc judicio omnium Epiſcoporum & univerſalis ſancti Concilii ſecundum hanc ſententiam ab omnibus Epiſcopis & reliquis ſacerdotibus excluſi ſunt ab omni ſacerdotali catalogo & communione, & extorres, ſi irrevocabiles perſiſterent, à catholica Eccleſia facti ſunt.* Evindicatumque Aldrici poteſtati monaſterium eſt, illi permiſſum de eo ſecundum ordinem eccleſiaſticum ſtatuere, prout illi videretur. Huic Synodo cum pluribus Epiſcopis adfuit & ſubſcripſit Erchanradus Pariſienſis Epiſcopus, data ſententia eſt VIII. Idus Septembris anno DCCCXXXVII. hancque Ludovicus poſtridie præcepto confirmavit.

LIB. VI. CAP. VII.

Baluz. Miſcellan. lib. 3.

X. Sigemundus Abbas Aniſolenſis non propterea judicio Epiſcoporum acquievit, anno enim ſequenti cum monachis litem renovat. Aldricus rem amice compoſitam volebat, ſed cum Abbas nullis ſe vinci rationibus pateretur, Aldricus ex jure agere cœpit, cumque negotium magnis partium ſtudiis Ludovicus agi cerneret, primum judices, quorum arbitrio cauſa tranſigeretur, dixit, Ebroinum ſcilicet Pictavenſem Epiſcopum, & Erchauradum Pariſienſem, Rorigonem Comitem, & Altmarum Auguſtæ Seneſchalcum una cum aliis vaſſis dominicis. Cumque neque hoc pacto negotii ullus finis eſſet. Imperator utroſque ad placitum ſe ſiſtere juſſit, quod tempore quadrageſimæ Aquiſgrani haberetur. Verum Sigemundus venire, etiam tertiùm vocatus abnuit, neque quiſquam ejus nomine ad cauſam defendendam; cauſa protracta eſt, cum nemo accederet ex parte monachorum, ex judicum conſilio contumaciæ reus Sigemundus dictus eſt, & in gratiam Aldrici pronunciatum eſt, & demum judicatum eſt, ut monaſterium Aniſolenſe ad ejus & Eccleſiæ Cenomanenſis poteſtatem cum omni integritate rediret. Imperator, ut judicium executioni mandaretur, Aldrico Miſſos dominicos adjunxit comites, Fulconem Comitem palatii, Arduinum & Gaufridum Comites & Foleradum vaſſum dominicum, qui eodem anno per oſtia pulſatis campanis Aldricum Epiſcopum in poſſeſſionem monaſterii induxerunt coram multis teſtibus. Judicium peractum eſt Aquiſgrani

pridie Calendas Mai, anno DCCCXXXVIII. Huic judicio adfuere quinque Archiepiſcopi, & tredecim Epiſcopi, in quorum numero legitur Erchanradus Epiſcopus Pariſienſis. Cum poſtea monachi ſe defendere conarentur per chartam imperatoris Ludovici, qua fiebat monachis poteſtas eligendi Abbatem, Imperator ex conſilio judicum chartam per ſurreptionem habitam dixit, Abbatemque & monachos aliquot ob contumaciam exilio damnavit, atque ita poſſeſſio monaſterii Aniſolenſis Eccleſiæ Cenomanenſi firmata eſt. Poſtea tamen renovata cauſa eſt, ſed hæc ad nos pertinent.

XI. Hoc eodem anno Hilduinus ſancti Dionyſii Abbas, & Dionyſiani monachi cum Remigianis monachis ſocietatem inierunt. Etſi monaſteria olim ſub ſancti Benedicti regula vivebant, ſingulis tamen ſuus Abbas erat, ad cujus poteſtatem omnis monaſterii cura & adminiſtrationis ratio redibat, nec ſub alterius poteſtate aliquod monaſterium ſubjacebat, niſi forte ad diſciplinam monaſticam bene inſtituendam id cautum fuiſſet, ut de Glannafollienſi monaſterio ſuperius dictum eſt, quod Foſſatenſi ſubjectum eſt, aut aliquod monaſterium velut alterius examen in locis ad præcipuum monaſterium pertinentibus extructum fuiſſet, quod Prior ſub Abbatis regimine gubernaret. Monachi igitur variorum monaſteriorum ſub eadem regula erant & caritatis vinculo inter ſe connexi; ſed ut locorum diverſitate, ita diſcreti erant varia Abbatum adminiſtratione, & ſuis ita monaſteriis addicti, ut ſubinde monaſteria mutare, & ut nunc fit, nec coo ſuetum nec licitum eſſet, nec Abbates in ſe invicem haberent auctoritatem. Neque unus aliquis Abbas in alia omnia monaſteria exerceret principatum. Cum igitur regimen monaſticum ejuſmodi eſſet, monachi Dionyſiani cum Remigianis ſocietatem inire inſtituerunt, & hanc ſcripto commendare, ne obliteraretur hujus facti memoria. Primùm ſancitum eſt fore eam inter utriuſque monaſterii fratres dilectionem & caritatem, quemadmodum ſi omnes in uno eodemque monaſterio verſarentur, & ſi forte cuiquam ex iis obire contingeret, aut morbo affligi, alii & ſacrorum celebratione & orationum ſuffragio eum adjuvarent, mortuoſque alterius mooaſterii ſuis inſererent diptychis. Sed ecce tibi ſocietatis inſtrumentum, quod in ſpicilegiis legitur.

XII. *Cum enim ſæculi amatores ad ſuam aliis oſtendendam dilectionem, multa ſæpe inter ſe caduca, & ut illis videtur, precioſa largiantur: ſpiritυales viri, & à ſæculi actibus alieni, ac nihil pænitus in ſæculo præter victum & veſtitum habentes, ut Deo magis placeant rebus ſpiritualibus, & ad ſuarum ſalutem animarum pertinentibus, vim dilectionis ſuæ multo magis roborare debent, ut ſicut ab illis habitu & moribus diſcrepant, ita etiam inter ſe potiora & præcelſiora caritatis munera exhibeant, quoniam in Salvatoris Ieſu diſcipulatu nemo computari poterit, quiſquis hoc dilectionis munere caruerit; ipſo teſtante qui ait: in hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem ad invicem habueritis; monet etiam Apoſtolus dicens: caritas fraternitatis maneat in vobis. Æquum ſi quidem viſum eſt fratribus in beatis confeſſoris Remigii monaſterio ſub ſanctiſſimo ac venerabili patre Falcone manentibus, ut cum fratribus de præclariſſimorum ſanctorum videlicet Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, cui venerabilis paſtor Hildoinus præeſſe videtur, tale decretum de pacis ac dilectionis conjunctione facere, & quid unuſquiſque pro ſalute atque obitu alterius agere debeat; quod neque ab ipſis, neque à ſucceſſoribus eorum nullo umquam tempore corrumpatur, ſed ſemper firmum atque inviolabile permaneat. Igitur anno xxv. Imperii Domini ac ſereniſſimi H Ludovici nos omnes fratres ex monaſterio beati Remigii hoc ſcriptum conſenſu atque omnium voluntate fecimus, quod & nos omni tempore completuros pollicemur, & ut à ſucceſſoribus noſtris obſervetur obnixe flagitamus. Primum volumus ut talis inter nos, & ſupradictos fratres noſtros fervor caritatis & tanta vis dilectionis maneat ac ſi in uno, ſi fieri poſſet, converſaremur loco. De cætero, ut quando aliquis ex ipſis corporis nexibus abſolutus à ſæculo migraverit, unuſquiſque noſtrum infra triginta dies pſalterium pleniter compleat, ac ſacerdotes noſtri miſſas eidem monaſterio congruentes pro ei celebrare ſtudeant, & tres vigilias, ideſt, primo & ſeptimo, atque triceſimo die communiter pro eo & devotiſſime peragamus. Si vero quidam ex eis aliqua corporis incommoditate occupatus fuerit, mox ut nobis nunciatum fuerit, omni die,*

quouſque convaleſcat, aut ab hac luce diſcedat, unuſquiſque quinque pſalmos pro eo ſollicite compleat. Et ut nomina defunctorum illorum inter nomina defunctorum noſtrorum inſerantur, ut ſicut pro nobis, ita etiam pro illis quotidie Domino ſacrificium offeratur. LIB. VI. CAP. VII.

Incipiunt nomina monachorum de monaſterio ſancti Dionyſii. HLudovicus Imperator. Item HLudovicus Rex.

Hilduinus Abbas.
Item Hilduinus Abbas.
Item HLudovitus Abbas.
Guntharius monachus.
Dodo diaconus & monachus.
Vulfegaudus ſacerdos & monachus.
Alberſcus ſacerdos & monachus.
Madalgarius ſacerdos & monachus.
Huntgarius diaconus & monachus.
Otbertus ſacerdos & monachus.
Maltrannus ſubdiaconus & monachus.
Gautbertus diaconus & monachus.
Agembertus ſacerdos & monachus.
Vvandritus ſubdiaconus & monachus.
Aſahel monachus.
Clinus ſubdiaconus & monachus.
Ragamfredus monachus.
Gauſlonus diaconus & monachus.
Godeon ſubdiaconus & monachus.
Theodericus ſubdiaconus & monachus.
Aaron ſacerdos & monachus.
Adalgiſus ſacerdos & monachus.
Baldela diaconus & monachus.
Pugnitus ſacerdos & monachus.
Vvoiueradus ſacerdos & monachus.
Balduinus ſubdiaconus & monachus.
Ragimfredus ſacerdos & monachus.
Bernardus ſacerdos & monachus.
Anſgarius ſubdiaconus & monachus.
Helias ſacerdos & monachus.
Iob ſubdiaconus & monachus.
Eudo diaconus & monachus.
Leutgiſus ſubdiaconus & monachus.
Emmo ſacerdos & monachus.
Samuel ſubdiaconus & monachus.
Gaucſoinus ſacerdos & monachus.
Nordulfus diaconus & monachus.
Gauzbertus monachus.
Adalbertus ſubdiaconus & monachus.
Bernico monachus.
Guntbertus diaconus & monachus.
Fredebertus ſacerdos & monachus.
Sculfus ſacerdos & monachus.
Sigemundus monachus.
Otmarus ſacerdos & monachus.
Hildebaldus monachus.
Odalharius ſacerdos & monachus.
Magamfredus ſacerdos & monachus.
Teudardus diaconus & monachus.
Sigramnus ſacerdos & monachus.
Abraham ſacerdos & monachus.
Gunnus ſubdiaconus & monachus.
Stuatlus monachus.
Vvarachius monachus.
Hincmarus diaconus & monachus.
Fubradus diaconus & monachus.
Hildebaldus ſubdiaconus & monachus.
Adalbertus ſacerdos & monachus.
Odelarius diaconus & monachus.
Ermenarius ſubdiaconus & monachus.
Hardradus ſubdiaconus & monachus.
Vvitramnus diaconus & monachus.
Ivo ſubdiaconus & monachus.
Hildulfus diaconus & monachus.
Berteaudus ſubdiaconus & monachus.
Guntardus ſacerdos & monachus.
Vvirpinus ſubdiaconus & monachus.
Hildebrandus diaconus & monachus.
Vvitramnus ſubdiaconus & monachus.
Adam monachus.
Atfredus monachus.
Godofredus Epiſcopus.
Ragambertus ſubdiaconus & monachus.
Bernosnus acolytus & monachus.
Riſulfus acolytus & monachus.
Herricus acolytus & monachus.
Godolandus ſacerdos & monachus.
Gerulfus monachus.
Clemeus ſubdiaconus & monachus.
Comeanus ſacerdos & monachus.
Angaludus ſacerdos & monachus.
Angalricus acolytus & monachus.
Helmericus acolytus & monachus.
Bobo ſacerdos & monachus.
Erfredus ſacerdos & monachus.
Vvalcharius monachus.
Altramnus monachus.
Mauringus monachus.
Adraldus acolytus & monachus.
Bernardus monachus.
Iſidorus acolytus & monachus.
Fulcricus monachus.
Solius monachus.
Herimannus diaconus & monachus.
Madalgarius monachus.
Ottulfus monachus.

Surgarius monachus.
Vuinegaudus ſubdiaconus & monachus.
Richardus monachus.
Vrsbertus monachus.
Herluinus monachus.
Bronincus monachus.
Ermentarius monachus.
Adaluuala monachus.
Teodac ſacerdos & monachus.
Hermenricus ſubdiaconus & monachus.
Aptingus diaconus & monachus.
Northertus monachus.
Frotgarius ſubdiaconus & monachus.
Adebrandus monachus.
Fulcarius monachus.
Milo monachus.
Alvis monachus.
Faramannus monachus.
Anſelmus monachus.
Gerardus monachus.
Nantarius monachus.
Eptadus monachus.
Avo monachus.
Franco monachus.
Architridinus ſacerdos & monachus.
Vvaltharius monachus.
Madelelmus monachus.
Maurontus ſacerdos & monachus.
Faſtulfus ſacerdos & monachus.
Adalardus monachus.

XIII. Ex his litteris quæ fuerit Dionyſiani monaſterii ratio, quis Abbas, qui numerus monachorum, quam multi ex eo numero preſbyteri, diaconi & ſubdiaconi, quam pauci ſolummodo monachi. Gothofredus vocatur Epiſcopus, ut qui ſcilicet abdicato Epiſcopatu in monaſterium ſeceſſerat, ut quiſque ſubſcripſerit, non ex ratione clericatus ſed ratione monachatus. In capite præmittuntur nomina Ludovici Imperatoris & Ludovici Bajoariæ Regis, ut pote qui cum Dionyſiano monaſterio fraternitatem inierant. Sequitur deinde Hilduinus Abbas Dionyſianus, & alter Hilduinus Abbas, & Ludovicus Abbas, ille ſancti Michaëlis ad Moſam, hic Gemeticenſis, ambo quondam monachi Dionyſiani. Hæc de litteris ſocietatis inter monaſterium Dionyſianum & Remigianum.

XIV. Dum hæc agerentur magna reipublicæ mutatio fuit. Pippinus Aquitaniæ Rex moritur anno ineunte DCCCXXXVIII. duos ille filios ex Ingeltrude reliquit, Pippinum & Carolum. Pippinus ſtatim poſt obitum patris Regis nomen cepit, Imperator poſt paſcha Vormatiæ conventum celebrat. Lotharius ex Italia ad conventum acceſſit, ibique coram optimatibus ad pedes Imperatoris accidit, rogans ſuppliciter patrem, ut ante-actorum memoriam aboleret, ſpondens ſe, ut decet filium, patri obtemperaturum. Imperator pro ſua manſuetudine filium complexus, coram regni proceribus, dividundi inter filios Lotharium & Carolum regni, mentem aperuit, poteſtatemque fecit Lothario partitionis faciendæ, quod cum abnueret, Imperator ipſe ex magnatum conſilio bifariam regnum Francorum partitus eſt. Lotharius data optione à fluvio Moſa ad auſtralem partem elegit, occiduam recepit Carolus. Relicta eſt Bajoaria Ludovico, quod indigne ferens, ſequenti anno collecto exercitu quidquid ultra Renum eſt regni Francorum, occupare ſtatuit. Verum prohibitus à patre eſt, qui collectis copiis illi obviam ire, quibus impar Ludovicus, ad patrem confugit, veniam deprecans, quem pater increpatum verbis, redire incolumem permiſit. Interim turbæ exortæ ſunt in Aquitania, aliis in Pippini verba jurantibus, aliis expectantibus donec de ea re Imperator decerneret. Pacatis igitur rebus in Germania, in Aquitaniam, ad ordinandam provinciam proficiſcitur, Ligerim trajicit, & ad Arvernos venit, ad quem multi accedentes fidem obligant ſacramento, & imperata ſe facturos ſpondent, alii motus in provincia excitare & latrociniis agros infeſtare, quos Imperator comprehenſos variis pœnis addixit. Deinde Pictavos cum Juditha uxore contendit, ibique Natalem Domini celebravit, ubi uſque ad tempus quadrageſimæ regno Aquitaniæ Carolo aſſerendo commoratus eſt. Tum nunciatum eſt Ludovicum haud memorem juramenti bellum in Germania redintegraſſe. Ludovicus nihil moratus, relicta Juditha cum filio Carolo, Aquiſgranum advolavit, ibique celebrato Paſchate Rhenum cum valido exercitu trajecit, tantumque Ludovico filio terroris injecit, ut ſtatim fuga ſibi conſulere cogitaret. Has tamen pertæſus

defectiones, Imperator Vvormatiæ conventum indicit, Lothariumque advo- LIB. VI.
cat ex Italia, ut quid facto ſit opus conſulat. Verum hæc ejus conſilia mors CAP. VII.
prævertit, cum enim ad inſulam prope Moguntiam acceſſiſſet, tum ille morbo vexari, lecto decumbere, & per quadraginta dies inedia laborare, quo morbo demum mortuus eſt XII. Cal. Jul. anno vitæ LXIV. Drogo ejus frater Metenſis Epiſcopus & Archicapellanus morienti adfuit, omniaque piiſſimo Principi pietatis & religionis officia exhibuit, ipſe quoque Imperator nihil reliqui fecit, quo piè & religioſè moreretur, memorat auctor ejus vitæ, eum moriturum miſiſſe ad Lotharium filium coronam, enſem, ſceptrumque auro & gemmis redimitum, quibus uteretur ad Judithæ uxoris, & Caroli filii defenſionem, & ad regnum illi, ſicut ipſe diviſerat, ſtabiliendum. Antiqui auctores quaſi in tabula ſic eum delineant. Erat Ludovicus ſtatura mediocri, oculis apertis & lucidis, nitida facie, oblongo naſo, pectore firmo, latis ſcapulis, fortibuſque brachiis, adeo ut nemo arcum inflectere, mittere ſagittam, nemo torquere lanceam certius poſſet, græcè & latinè doctus, græcam quidem linguam magis audire, quam loqui poterat, latinam vero tamquam vernaculam exprimere, tamque ad iram tardus erat, quam promptus ad miſericordiam, adeo vero liberalis in ſubditos, ut ſæpe etiam villas regias donaret, & præcepto confirmaret, modum in veſtitu, in cibo potuque parcimoniam obſervare ſtudebat, neque auro gemmiſque ſplendere viſus eſt, niſi diebus feſtis & ſollemnibus, temperans in moribus factiſque erat, neque impotenter ſe lætitia efferre, neque immodicè riſum ſolitus extollere. Quotidie ante cœnam eleemoſynas largiri, & quocumque proficiſceretur, xenodochia erigere: per ſingulas hebdomadas rei judiciariæ dabat operam. Quæ vero pietatis monumenta edidit? Monaſteria haud pauca reſtituit, aut à fundamentis extruxit. Quadrageſimalis jejunii obſervantior erat, ſingulis diebus conſueverat ire in baſilicas orationis gratia, acclinis ſuper pavimentum ſæpe Deum orare, & nonnumquam genas lacrymis perfundere. Summorum Pontificum & Romanæ Eccleſiæ defenſorem & vindicem ſe præbebat, imitatus majores, idque inprimis filiis commendavit. Longum eſt alia ejus ornamenta virtuteſque alias commemorare, quibus meritò Pii cognomen conſequutus eſt. Aliqui ejus immodicam manſuetudinem arguunt, qui toties filiis condonavit, alii crediđiſſe nimio plus conſiliariis ſcribunt, nonnulli quoque, quod venationi ſæpius vacaret. Sane Princeps miſerandus magis, quam culpandus ob filiorum contumaciam, qui non ſemel in patrem arma movere auſi ſunt, ſed quam pœnam ex filiis expoſcere? quod remedium afferre, quod vel ipſo malo nocentius non fuerit? corpus ejus à fratre Drogone Epiſcopo Mettenſi tranſlatum eſt Mettas, & honorifice in baſilica ſancti Arnulfi conditum eſt.

Ad laudem hujus Imperatoris addam ſequentes verſus ab auctore illius æta- XV.
tis conſcriptos, quidam Theodulfo Aurelianenſi Epiſcopo hos tribuunt; in operibus tamen illius Pontificis quæ Sirmondus edidit non reperiuntur.

Inclyte Cæſar ave Ludovice Serene, valeque,
Et tibi cunctipotens det bona cuncta pius.
Orbis te totus laudat, veneratur amatque,
Et monitis paret ſedulus unde tuis.
Primus in orbe micas, nulli es virtute ſecundus,
Viribus armipotens te, ſcio, nemo præit.
Arma es Pontificum, venerandi culmina juris,
Tu vigil inſtanter ad meliora levas.
Tu decus es cleri, populi, ſeu norma ſalutis,
Iudicii callem arbiter æquus amas.
Hæc facis, & facienda doces, quæ ad ſidera tollunt,
Quæ mergunt ſolers ſemper ad ima caves.
Es quoque pacificus ſapiens Salomonis ad inſtar,
In ſpecie es Ioſeph, viribus inque David.
Eſt & ſcripturis patulus tibi ſenſus in altis,

Lectio te quarum paſcit alitque frequens.
Corporeis epulis ſatiaris corpore paſcens,
Sed tua divina mens alimenta ſitit.
Nam cibus illatus ſatiat tua viſcera parcus,
Sed cibus æternus mentem animumque cibat.
Plus epulas animæ quam carnis diligis ipſe,
Has capis ad tempus, has ſine fine ſitis.
Es quoque tu multum proprio laudandus in actu,
Quod caro vult parce, mens quid & optat amas.
Quæ mala ſunt refugis, bona quæque amplecteris ultro:
Inde Deus tecum, Rex benedicte, manet.
Eccleſiæ ſanctæ dilectus filius extas,
Quam tibi commiſit unicus ipſe Patris.
Hanc tu conſtanter doctrinis imbuis almis,
Incolis, augmentas, inſtruis, ædificas.
Nemo fide Chriſti nam te præſtantior extat,
Plus orthodoxus eſt tibi nemo ſuper.
Eſt tibi nemo ſuper ſimilis pietate vel actu,
De te vera loqui me tua facta probant.
Divitias mundi cauto ſectaris amore,
Queis tibi conſtanter regna beata paras.
Non ſemet, mi Rex, limbus non aureus, inflat
Non diadema micans mentis in arce ſedet.
Regius hæc faſtus, tua non devotio quærit,
Cui ſemper dulcis gloria Chriſtus ineſt.
Moribus eximius, rutilus, bonitate coruſcus,
Semper adhærere eſt tibi velle Deo.
Teque tuas laudes liquido depromere nulla
Vox potis eſt, quas nunc noſtra camœna tacet.

LIBER

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De bellis civilibus inter Lotharium, Ludovicum Bajoariæ Regem, & Carolum Regem Aquitaniæ, & de provinciarum inter eos diviſione. De morte Hilduini. De variis Conciliis ad reſtituendam diſciplinam. De Concilio ad Theodonis villam. De Vernenſi. De Bellovacenſi, ubi Hincmarus creatus Archiepiſcopus Remenſis. Et de Conciliis Meldenſi & Pariſienſi.

I.

MORTUO Ludovico, regnum Francorum, quod Pippinus olim & Carolus-magnus virtute & conſilio erexerant, fraternis odiis & diſcordiis civilibus diſtrahi cœptum eſt, ſeu ita res humanæ ſe habent, ut, cum ad ſummam magnitudinem excreverint, ſtatim decreſcere & atteri incipiant; ſeu Franci, dum hoſtis foris non eſt, rempublicam domeſticis cœperint turbare diſſidiis, & ſuis ſe frangere viribus. Quæ vero rerum bellorumque origo fuerit, quis noſtratium in ſe armatus furor, & quis rerum eventus, memorare decretum eſt. Tres filios moriens Ludovicus reliquit, Lotharium majorem natu, cui principatum Italiæ dederat, & quem adſciverat in conſortium Imperii; Ludovicum, quem Bajoariæ Regem eſſe juſſerat; & Carolum, quem ex Juditha ſuſcepit, cuique, mortuo filio Pippino, Aquitaniæ regnum tribuit, poſt habita nepotum hæreditate. Ludovicus, ut memoratum eſt, paulo antequam moreretur, ſpreto Ludovico Rege Bajoariæ Lotharium Vvormatiam acciverat, bifariamque imperium Francorum partitus eſt, dataque illi optione, majorem regni conceſſerat portionem, alteram vero Carolo adjuncta Aquitania reliquit, ſperans Lotharium hac devinctum munificentia, Caroli defenſorem tutoremque fore, ſi moreretur, & ſacramento obligatum, haud violaturum pactorum fidem. In eo ſtatu res erant, cum Pius Imperator diem obiit. Lotharius nihilominus, audito Patris obitu, haud memor pactionum, patris hæreditatem ſolus adire ſtatuit. Primum per Galliam nuncios mittit, qui ſignificent brevi ſe aditurum Imperium, quod in ſuam ſortem ex hæreditate ceſſit, quodque olim ſibi da-

LIB. VII. CAP. I. tum fuit, juberque, ut, qui fidem ſibi ſervant, ad ſe ſine mora accelerent, dubios imperat ſacramento retineri, & decerni capitale ſupplicium abnuentibus imperium, ſuis autem ſuos honores ſervaturum eſſe ſpondet. Alii metu, alii gratia ad eum magno numero confluunt. Tum ille ſuperatis Alpibus, plenus ſpe & animis, invadere Galliæ regnum cogitat. Primùm in Ludovicum, qui cum copiis Germaniam, audita patris morte, occupaverat, ire inſtituit. Interim ad Carolum legationem mittit honorificam in ſpeciem, ſed ut eum promiſſis deluderet, dum aliò vires convertit. Rectà Vuormatiam petit, & trajecto Rheno, adverſus Ludovicum caſtra movet. Jam utrique exercitus circa Francofurdiam conſederant, haud detractante pugnam Ludovico. Lotharius dubium eventum timens, cum eo paciſci malnit; pollicitus eſt uterque ſe eodem ad III. Idus Novembris conventuros, & acturos de concordia, aut armis rem permiſſuros. Sperabat ſcilicet Lotharius facilem fore de Carolo victoriam, quo profligato, ceſſurum haud dubie ejus viribus Ludovicum. Interea Carolus anxius quid in hac rerum mutatione ageret, modo ſpe, modo metu jactatus, ad Lotharium legatos mittit, rogatque ut fidei ſacramentorum & datæ dexteræ meminerit, fratrem ſe eſſe, & filiolum, quem ulnis ex ſacro fonte ſuſceperit, honorificum huic fore, ſi portionem illam, quam ipſo conſentiente & approbante acceperat, relinqueret. Nihil legatis reſponſum eſt, acturum ſe dixit per legatos cum fratre. Intellexit Carolus prava fratris conſilia. Tum ille Bituricis agebat; hocque ipſo tempore adſunt illi nuncii ex provinciis, quæ inter Moſam & Sequanam ſitæ ſunt, mandantque ſe in fide ſtare, rogantque ut veniat, feſtinato opus eſſe, antequam Lotharius provincias occupet. Carolus nil morandum ratus, cum paucis advolat ad Cariſiacum, quò plerique ex optimatibus eum convenerunt, quos benigne ſuſcepit. Poſt aliquot dies ei nunciatum eſt, ex Aquitania Pippinum ad Juditham matrem proficiſci, venturamque in ejus manus, ni ſubſidio ſit. In has conjectus anguſtias, iterum ad Lotharium mittit legatos, neque cunctatus, matri ferre opem parat, in Aquitaniam itaque regreditur, Pippinoque obviam fit, datoque prælio in fugam eum conjecit. Lotharius interim reverſus ex Germania trajicit Moſam, tum verſus Sequanam ire pergit. Hilduinus Abbas ſancti Dionyſii, & Gerardus Comes Pariſienſis ei obviam ire feſtinant, fidemque obligare, & multi quibus potior bonorum poſſeſſio, quam inviolatæ fidei integritas. Hoc ſucceſſu ferox, ad Ligerim uſque progredi inſtituit, ſuoſque præmittit, qui omnes partim minis, partim blanditiis ad ſuas alliciant partes, quos ipſe lento itinere conſecutus eſt. His ſupplementis auctior exercitus fuit. Carolus poſt proſperam adverſus Pippinum expeditionem dubius ancepſque animi erat, hinc Pippinus illum angebat, Britones illinc infenſi, huc accedebat plenus minarum Lotharius cum valido exercitu, cui obviam proficiſci cum paucis, quas habebat, copiis, temerarium reputabat. In his poſitus anguſtiis conſilium cogit, conſulitque quid facto ſit opus. Omnibus fidem ſervare probatum eſt, & potius fuit ferro occumbere, quam ſigna deſerere, tum quiſque clamare, ut in hoſtem duceretur, pro numero virtutem fore. Carolus juvenili accenſus ardore, tempore utitur, militeſque Aurelianos ducit, & adverſus Lotharianas cohortes caſtra locat. Infractus Carolinorum animus terruit Lotharium. Sperabat ad conſpectum ſuorum hoſtes relicto Carolo ad ſe tranſituros, & ſe incruenta potiturum victoria. Verum cum comperit nihil ſe ſine ſanguine & pulvere acquiſiturum, animum ad pacem flecti paſſus eſt. Pactorum hæc ſumma fuit, Aquitaniam, Septimaniam, Provinciam juris fore Caroli, decemque comitatus intra Ligerim & Sequanam, hiſque contentum quieturum, donec uterque ad Attiniacum venirent ad VIII. Idus Maias, ubi amice omnia componerent. Primores ex parte Caroli in pactionem jurant, ſi modo Lotharius amicè deinceps agat cum fratre, ſi nihil aſperi in locis, quæ reliquit, moveat, ſi Ludovicum armis aggredi abſiſtat, ſin vero pactionum jura violet, abſolutos ſe à ſacramento illi denunciant. Ita pax compoſita opportunè magis quam honorificè, haud tamen diuturna. Lotharius enim dolo ſubditos Caroli ſubducere, perturbare provincias,

quas ceſſerat, è Provincia copias adventantes in ſuas partes trahere, & quod præcipuum caput fuit, adverſus Ludovicum ſigna convertere. Carolus vero Nivernum, poſtea Bituricas contendit, hinc deinde Cenomanos, ubi Ericum & Lambertum cum multis aliis ſuis adjungit partibus. Quin & Nomenoium Ducem Britonum in fide recipit. Jam appetebat dies ad Attiniacenſe placitum, ſicut conventum cum Lothario fuerat. Dubitanti quid ageret ex conſilio Comitum huc proficiſci ſtatutum eſt, ut, ſi Lotharius cauſam in placito agi velit, id non recuſare ſe oſtendat, vel ſi Lotharius huc accedere negligat, non per ſe ſtetiſſe, quin reconciliata cum fratre amicitia omnia amicè tranſigeret, acturumque id temporis quod rerum opportunitas offerret. His ita conſtitutis, ad condictum conventum ire placuit; ejus copiæ erant ex Aquitanis, Burgundis, & ex his, qui inter Ligerim & Sequanam ſuæ ditionis erant, quos omnes ſecum proficiſci imperat. Rotomagum proficiſcitur. Duces Lothariani ad ripam Sequanæ ſtabant, qui illum à tranſitu arcerent, naveſque omnes contriverant, aut ſubmerſerant, ne iis Carolus ad traducendas copias uteretur. Carolus his impeditus, naves XXVIII. huc ex oſtio Sequanæ æſtu maris adjuvante advehit, quarum beneficio copias trajicit. Lothariani, ut ſigna Caroli adverterunt, cohorteſque expoſitas, fugæ ſe mandant. Carolus, omiſſis Lotharianis, quos aſſequi non poterat, ad baſilicam ſancti Dionyſii precationis cauſa divertit, deinde monaſterium ſancti Germani adiit, ut Deum ſibi precibus & votis propitium faceret; eodem itinere properat Senonas, unde confeſtim Trecas profectus eſt, ubi Paſcha celebravit; huc Legati Lotharii advenerunt, conquerebantur, quod Carolus contra conventa ageret, & prætergrederetur fines heſterna præſcriptos pactione. Carolus reſpondit, culpam in Lotharium refundendam, cui juratæ convenrionis nulla fides ſit, ſuos in ejus partes vel vi vel voluntate compulſos, quoſdam etiam vita & bonis ſpoliatos, ſuas etiam, quas ultro conceſſerat, armis & militibus perturbatas eſſe provincias, & bello impetitum Ludovicum. Sane Lotharius, relicto Carolo, Vuormatiam venerat, & trajecto Rheno Ludovicum à ſuis deſertum in Bajoariam ire compulerat, Adalbertum Mettenſem Comitem reliquerat, qui Ludovicum intra fines Bajoariæ contineret. Interea dies comitiorum immiuebat, Attiniacumque proficiſci Carolo ſtatutum fuerat ad condictum diem, quo tamen non venit Lotharius, ſed multa per legatos de Carolo conqueſtus eſt. Huc acceſſere legati Ludovici, qui auxilium opportunè Carolo polliciti ſunt, honorificè ſuſcepti à Carolo & continuò dimiſſi, ut auxilium accelerarent. Id temporis Carolum varia angebat cura, Juditha mater ad eum cum Aquitanis properabat, quidam obviam eundum eſſe ſuadebant, alii contra Lotharium proficiſcendum, ne, ſi recederent, plerique fugam interpretarentur, multique ab ejus partibus propterea deſciſcerent. Prævaluit amor in matrem; Cabillonum itaque verſus iter tendit, ubi matrem cum Aquitanis recepit. Tum ad illum felix nuncius allatus eſt, Adalbertum acie victum, Ludovicumque inſigni potitum eſſe victoria, ducem occiſum cum multis hominum millibus, victoremque ad ſe magnis itineribus accelerare, ut illi opem ferat. Lotharius cladem diſſimular, Carolum fugere dictitat, excitatque ſuos ad eum inſequendum, in manibus ſuis eſſe victoriam, indicium ſui metus fugam eſſe. Carolus inter paludes caſtra locaverat, ut adiri difficile poſſet, ne tamen pugnam detrectare videretur, caſtra adverſus Lotharium movet. Lotharius nihil tale expectans, jubet exercitum conſiſtere, caſtraque & ipſe ex adverſo ponit, biduoque reficiendis copiis indulget. Cumque ibidem ambo conſtitiſſent, ultro citroque legati interim ab utriſque partibus commeant, ſi forte fratres inter ſe amicitiam concilient, & fraterna odia abſque cæde componant. Verum ecce Ludovicus fratri Carolo præſto eſt cum multis copiis. Opportunum Carolo auxilium fuit, colloquium ſimul miſcent, multa de Lothario invicem conqueruntur. Poſtera die ſummo mane conſultant ſimul, adhibitis Epiſcopis & Comitibus. Summa conſilii fuit, legatos ad Lotharium mittendos, qui pacem æquis conditionibus poſcant, ut ſuam cuique provinciam quietè habendam relinquat, hæc, ſi acquieſceret, LIB. VII. CAP. I.

LIB. VII. CAP. I. haud ingrata fore, ſin minus, Deum ſuis armis ſperare propitium. Lotharius rem acie dirimendam reſpondit. Continuo è loco, in quo conſederat, caſtra movet, obviam Pippino proficiſcitur, qui magnis itineribus ad ipſum cum auxilio accedebat. Etſi difficile erat Lotharium æquis veſtigiis inſequi, Ludovicianis inprimis ex longo attritis itinere, ire tamen parant, adhortatique ſe invicem iter junctis copiis ingrediuntur. Jam prope Autiſſiodorum ventum erat, cum Lotharius, ne fratres de improviſo in ſe impetum facerent, cum delectis cohortibus è caſtris armatus exit. Fratres ſimiliter excedunt è caſtris, obviamque illi procedunt, quietè tamen nox tranſacta eſt, caſtraque ab invicem leucas tres circiter diſtabant, verùm difficili ad utraque acceſſu, ſpatio ſaltu & palude impedito. Summo mane ad Lotharium legatos iterum mittunt, pacemque rogant. Lotharius dixit, ſe per legatos reſponſurum, interim ipſe caſtra movet, conſiſtitque ad locum, quem Fontanetum vocabant. Fratres pariter cum æquis paſſibus inſecuti ad Tauriacum conſident. Poſtera die utrobique copias ex caſtris emittunt, erantque in conſpectu, cum Ludovicus & Carolus nuncios mittunt, qui Lotharium moneant cognatas eſſe acies, fratreſque ſuos eſſe, cum quibus ferro velit contendere, obſecrentque ne populum & Dei Eccleſiam turbet, ſua ſorte & portione regni Francorum gaudeant, immo ambo pacis gratia imminutam ſuam portionem velint, fruatur ille regno Francorum uſque ad Carbonarias & uſque ad Rhenum per ſe licet, quæ ſi haud grata ſint, jubeat Franciam æquis portionibus trifariàm dividi, habeatque optionem. Ille ut tempus cunctando tereret, reſpondet miſſurum legatos, qui ſtatim referant quid conſilii ceperit, & re ipſa per Drogonem, Hugonem, & Hegibertum ſignificat tempore & conſulto opus eſſe ad eam rem: quæ Lotharius non animo pacis, ſed dilationis cauſa dicebat, Pippinum cum auxiliis opperiens. Sane recepto ſupplemento, Ludovico & Carolo ſignificat Imperatoris nomen ſe habere, ſeque ſuæ auctoritatis, & prærogativæ impleturum munus, neque acceptur um ab iis legem, qui natalium ordine & jure Imperii ſibi inferiores ſint. Reſpondent unanimiter, cum nulla conciliandæ pacis ſpes ſuperſit, & obſirmato ſit animo, omnia ſe Dei judicio relicturos, & poſtero die adfuturos, ut videant quid ferro poſſint. Minas fratrum, ut ferox Lotharius erat, contempſit. Fratres nihil morati poſtridie ſub diluculo copias è caſtris educunt, aciemque ordinant, ſimulque cum tertia parte exercitus verticem montis occupant. Lotharius haud impiger, aciem inſtruit, tum haud cunctari, cognatæ confligunt acies, Lotharius cum Ludovico pugnat, haud ſteterunt Lothariani; Ludovicus impreſſione facta, Lotharium fuga ſibi conſulere cogit; agmen Carolo oppoſitum ſtatim ceſſit. Tertium agmen ducebat Adelhardus, Lothariani fortiter pugnarunt, ſed demum opera Nitardi, in fugam verſi ſunt, quod demum victoriam Ludovico Caroloque integram peperit; hicque fuit pugnæ exitus. Data pugna hæc memorabilis ad Fontanetum VII. Calend. Februarii. Memorant nuſquam tantam Francorum fuiſſe cædem. Partâ victoriâ fratres inter ſe conſulere cœperunt, quid facto eſſet opus; quidam fugientium tergo inſiſtendum cenſebant, alii, Ludovicus & Carolus inprimis, parcendum ſuis popularibus, quæ ſententia vicit, ita temperatum eſt à cæde, & circa meridiem ad caſtra diſceſſum eſt. Caſtra Lotharianorum direpta. Reges moderatè ea victoria uſi ſunt. Die ſequenti, quæ Dominica fuit, in eodem loco morari decretum eſt, peractiſque ſacris, omnes ſepelire mortuos, fovere vulnera ſauciorum, & modis omnibus illis opitulari, fugientibus grata verba dari juſſerunt, impunitatem polliciti, ſi experiri clementiam vellent. Tum Reges Epiſcopos conſulere, quî expiare tantam hominum internecionem poſſent. Conventu habito in eam omnium votis itum eſt ſententiam, pro æquo & jure pugnatum eſſe, idque ex eventu comprobatum, immunes eſſe victores à culpa, ſi quis odio aut iræ induliſſet, aut aliquovis delicto ſe teneri intelligeret, poſſe id, quodcumque ſit, ſecreta confeſſione expiare, & medelam ex ſacerdotis judicio recipere. Sed pro mortuorum piaculis, & ad exorandum numen, quod præſens propitiumque fuerat, triduanum jejunium injunctum eſt, quod ab om-

nibus pariter peractum. Hæc ferme omnia ex Nithardo exſcripta ſunt, qui & ipſe in prælio pugnavit, opportunamque operam præſtitit. Lector non me arguet, ut puto, quod diligentius his deſcribendis indulſi. Exceſſi quidem limites meæ hiſtoriæ; ſed qui me contineam inter tot turbas totque inteſtinos tumultus, quos ad notitiam rerum ſequentium indictos eſſe nolui. Cetera breviore ſtylo proſequutus paucis ad diviſionem regni Francorum deducam, ne noſtræ res oblivione iſtarum in obſcuro ſint, & lector videat quomodo Carolus Regnum Francorum obtinuerit.

II. Lotharius victus Aquiſgranum ſe recepit, ne hæc clades, plures ad defectionem adduceret, quos metus magis, quam amor & voluntas in ejus partes traxerant. Rumorem ſpargit Ludovicum ex acie ſaucium evaſiſſe, Carolum in pugna interemptum. Ludovicus vero & Carolus uti neſcientes victoria, à ſe invicem diſceſſerunt, Ludovicus quidem verſus Rhenum ire ſtatuit; Carolus Ligerim adjuncta ſibi matre petiit, Adelhardumque, cui inter ſuos plus erat auctoritatis, ad Francos, qui Lotharium ſequuti fuerant, mittit, qui eos ſibi alliciat: verum nihil evicit, Ludovicum ſaucium in fugam pulſum rati, & Carolum in acie occiſum, ſe igitur Pariſios recipit, Carolumque admonet Francos haud venturos in ſua jura, niſi ſua excitatos præſentia: ſed & poſtea certi Lotharianæ cladis, deditionem variis artibus eluſerunt. Neque hic omittam, quid de Aniſolenſi monaſterio hoc tempore decretum eſt. Cum Reges diſſiderent Sigemundus Abbas Aniſolenſis, rebus perditis, ut memoratum eſt, poſt mortem Ludovici Imperatoris, ſe cum quibuſdam, qui Carolo adverſabantur, conjunxit, horumque opera Aniſolenſe monaſterium à poteſtate Eccleſiæ Cenomanenſis ſubtraxit. Illi vero poſtea cum Sigemundo in partes Caroli tranſierant, ſervatis ſuis honoribus, & reddito monaſterio Sigemundo Abbati, quæ Carolus, ut erant ea tempora, facile conceſſit. Partâ vero victoriâ ad Fontanetum, Carolus cum iter per Cenomanos ageret, Aldricus Epiſcopus illum adiit, reddique in Aniſolenſe monaſterium ſua jura petiit, quod illi, re examinata conceſſum eſt. Carolus his actis ad Sequanam ire perrexit, ad Spedonnamque Adelhardum cum ſociis obvium habuit, citatoque curſu Bellovacos, Compendium, Sueſſionas, Remos adivit. In itinere præcepto edito confirmat monaſterio Foſſatenſi ſua privilegia à Ludovico pio conceſſa, quod antea à nobis dictum, datum legitur in palatio Corbanaco Calend. Septemb. Anno II. Caroli Regis.

III. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis; Carolus Dei gratia Rex. Si igitur congruis & opportunis petitionibus ſervorum Dei, quas pro ſuis neceſſitatibus nobis intimant, aurem celſitudinis noſtræ libenter exercemus, in hoc divinam miſericordiam ſuper nos provocare ullatenus ambigimus, regnique noſtri ſtabilitatem multo magis accreſcere. Idcirco notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quod monachi, ex monaſterio, qui dicitur Foſſatus, conſtructum in honore ſanctæ Mariæ ſemper virginis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſitum ſuper fluvium Matronæ, ubi Ingelbertus Abbas præeſſe videtur; obtulerunt obtutibus noſtris auctoritatem roboratam Domini & genitoris noſtri Ludovici piiſſimi Auguſti, quæ continebat qualiter ipſum monaſterium Bego penitus deſtructum reſtauraſſet, & ad priſtinum ſtatum revocare curaſſet, & ſub norma religionis locare & veniens in præſentia, ipſius Domini & genitoris noſtri, eidem commendaſſet idem monaſterium una cum monachis ibidem Deo famulantibus, obſecrans ut ſub ſua tuitione & defenſione eumdem monaſterium, ſicut & reliqua monaſteria per cunctum imperium ſuum degentia recepiſſet, cum omnibus rebus ad prædictum monaſterium pertinentibus, quod libenter annuiſſe ibidem invenimus. Quapropter petierunt celſitudinem noſtram, ut nos demum auctoritatem Domini & genitoris noſtri per noſtram auctoritatem conſervare dignaremur, atque eos ſub noſtra defenſione recipere, quemadmodum Dominus & genitor noſter fecerat. Quorum petitionem denegare noluimus. Sed eorum preces libenter annuimus: proinde ergo volumus, ut prædicti Abbas & monachi in ſæpedicto monaſterio degentes cum omnibus rebus, quæque ad ipſum monaſterium pertinere videntur, vel deinceps juſte acquirere potuerint, ſub noſtra defenſione, & immunitatis tuitione*

perſiſtant, præcipientes atque jubentes decernimus, ut nullus judex publicus, vel quilibet judiciariam exercens poteſtatem in Eccleſias aut loca, vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti monaſterii, quas moderno tempore juſte ac rationabiliter poſſidere videntur in quibuſlibet pagis & territoriis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipſius ſancti loci divina pietas voluerit augeri ad cauſas audiendas vel freda exigenda aut manſiones, aut pariotas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius monaſterii tam ingenuos quam & ſervos, ſub terra ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ ſuper memorata ſunt penitus exigere præſumat, & quicquid de rebus præfati monaſterii fiſcus noſter exigere poterat, totum nos pro remedio animæ Domini & genitoris noſtri, vel etiam pro æterna remuneratione prædicto monaſterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum, & ſtipendiis monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, & quando quidem divina vocatione ſupradicti Abbas vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipſi monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam congregationem ſecundum regulas ſancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conceſſum, licentiam habeant eligendi Abbates quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo famulantur pro nobis & ſtabilitate regni noſtri & ſalute populi noſtri jugiter Domini miſericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas noſtris futuriſque temporibus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propria ſubterfirmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Signum Caroliglorioſiſſimi Regis. Ionas Notarius ad vicem Ludovici recognovi. Data Cal. Septemb. anno ſecundo regnante glorioſiſſimo Rege Carolo Indictione IV. *Actum Carbanaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.* Huc præceptum ex chartulario Foſſatenſi exſcripſimus.

IV. Ebo Remenſis Epiſcopus è cathedra dejectus, de quo aliàs longus ſermo, anno ſuperiore, dum res Lothario bene cederent, in ſedem judicio Epiſcoporum redierat, & ordinationes fecerat. Verum adventante Carolo, relictâ iterum cathedrâ ad Lotharium fugit, & in ejus comitatu remanſit, donec cum Drogone Mettenſi Epiſcopo Romam profectus eſt, & à Sergio PP. pallium petiit, quod illi denegatum eſt, conceſſa ſulummodo communione. Anaſtaſius ſcribit in Sergio datam illi ſolummodo *inter communem populum communicandi licentiam.* Lotharius interea variè agitatus, mala adverſus fratres verſabat conſilia, Saxones inprimis ad ſuas pertrahere partes nitebatur, pollicitus etiam poteſtatem facturum ſuis utendi legibus, reparatoque exercitu, in Ludovicum proficiſcitur, ſtatimque mutata voluntate adverſus Carolum ſigna convertit. Carolus legatos ad Lotharium mittit, qui rogent, ut abſtineat à bello & ſanguine, Dei voluntatem jam planam eſſe & perſpectam ex victoria, quam retulerat. Interim ipſe Pariſios advolat, quo convenire copias indixerat. Lotharius eum inſequitur, & ad opidum ſancti Dionyſii caſtra locat, ur Sequanæ vada exploraret. Carolus relicto Pariſiis & Meloduni præſidio, caſtra poſuit ad Novigentum, quod opidum ſancti Clodoaldi eſt, ut à tranſitu Lotharianos prohiberet. Sed nihil magis Caroli conſiliis profuir, quam Sequana fluvius, cujus aquæ inopinatò auctæ trajiciendi viam omnem præcluſerunt. Lotharius deterritus à propoſito, aliam vincendi rationem init, cum Carolo pacem firmaturum ſe ſpondet, ſi ab amicitia Ludovici diſcedat, ſi provinciis ad Occidentem præter Septimaniam & Provinciam ſit contentus. Dolum intellexit Carolus, neque ſe alienum fore ab amicitia Ludovici, neque ſe his contentum, quas memorabat, provinciis. Lotharius his nequicquam propoſitis, Senonas proficiſcitur obviam Pippino. Carolo nihil potius fuit, quam Ludovici fratris copiis iterum ſe jungere, dum Lotharius Caroli provincias populat. Sed quoniam Otgarius Moguntinus Epiſcopus prohibebat tranſitum Ludovicianis, eò ire inſtituit, adventuque ſuo Otgarium ad fugam compulit, liberumque iter Ludovico patefecit. XVI. Calend. Martii anno DCCCXLII. Ludovicus Caroluſque Argentinam, Straſburgum vocant, ſimul ingreſſi ſunt, ambo amicitiam icto fœdere jurarunt, & id ſui pariter ſacramento confirmarunt. Nithardus

Flodoard. lib 2. cap. 20.

ſacramentum utriuſque tam Romana, ſeu Gallicana, quam Theudiſca, ſeu LIB. VII.
Germanica lingua memoravit. Inde Aquiſgranum profecti, regnum inter ſe ex CAP. I.
conſilio Epiſcoporum dividunt, Lothariumque ſua privatum portione decernunt. Interim Lotharius rem agi ſuam intelligens, ad fratres demum mutata voluntate legatos mittit, qui denuncient, eum pertæſum malorum, quibus deflagrante bello civili Franci vexati ſunt, velle omnia ex æquo definiri, & amice diſcordias componi poſſe, ſi ſupra tertiam partem propter Imperatoris nomen & Imperii dignitatem aliquid conceditur: ſin abnuant, tertia tantummodo regni portione contentum, ſi Longobardia, Bajoaria & Aquitania in ſortem non mittantur, ſed cuique, ut eas poſſident, remaneant. Ludovicus & Carolus ex Epiſcoporum Comitumque conſilio conditiones pacis approbant XVII. Calendas Julii Imperator cum Regibus colloquium habuit, in Anſilla inſula haud procul à Matiſcone, pacem & concordiam jurant ea conditione, ut regnum trifariam divideretur, & optio penes Lotharium eſſet, conventu deinde ad Calend. Octobris indicto, à ſe invincem diſceſſerunt. Sed ne, ſingula narrando, moras nectam, pax certa firmari non potuit niſi anno ſequenti menſe Auguſto, cum Viroduni de partitione inter fratres demum conventum eſt. Hac partitione Ludovicus provincias Germaniæ, quæ antea Francorum dirionis erant, poſſedit, eas ſcilicet, quæ Rheno, Oceano, & Alpibus finiebantur, cujus ſorti adjectæ ſunt cum pagis adjacentibus, aliquot civitates ultra Rhenum, Spira ſcilicet, Moguntia, & Vvormatia; Caroli vero portio Mediterraneo mari, Pyrenæis montibus, Oceano clauſa protendebatur uſque ad Scaldim, Moſam, Ararim, & Rhodanum. Sors vero hæc ceſſit Lothario, præter Longobardiam & quæ in Italia Francorum parebant imperio, quæcumque provinciæ inter Ludovici & Caroli ſortem interjacebant, quæ pars poſtea Lotharingia dicta eſt à Lothario Lotharii Imperatoris filio, qui hanc partem ex paterna hæreditate poſſedit, paxque ſimul & concordia inter fratres jurata eſt. Tum quiſque ſubditorum fidem Principi obligare, & Reges ad ordinandas provincias animum appellere. Hos motus memorare oportuit, ut quiſque intelligeret quibus modis Lutetia Pariſiorum in Caroli poteſtatem venerit, & quibus proceſſis ipſa agitata fuerit inter fratrum diſcordias & bella pluſquam civilia.

Dum hæc civilia geruntur bella, Hilduinus moritur; quo anno obierit vix V.
quiſquam certò aſſequi poſſit, certum eſt enim nihil amplius de eo memorari poſtquam poſthabito Carolo cum Gerardo Comite Pariſienſi fidem Lothario obligavit, etſi Carolus ad monaſterium ſancti Dionyſii, ſancti Germani, immo & ſancti Medardi, quorum trium monaſteriorum Abbas erat, acceſſerit; habetur in lib. VI. de re diplomatica Caroli-calvi præceptum, quo res quaſdam in pago Pariſienſi ſitas Herimanno Ludovici Abbatis Dionyſiani Vaſſallo concedit, datum legitur anno II. Caroli Regis VIII. Idus Novemb. Indict. II. Error eſt in Indictione, hoc enim anno II. Regis currebat annus DCCCXLI. cum indictione IV. Mabillonius computandos annos Caroli putat ab anno DCCCXXXVIII. quo Ludovicus Pius diviſione facta, occiduam partem Carolo habendam reliquit. Sed neque hæc chronologia congruit cum ætate Hilduini, quem certum eſt Ludovico Pio ſuperſtitem fuiſſe, & diſſidentibus Pii filiis Lothario adhæſiſſe, ut habet Nithardus. Oportet igitur errorem fuiſſe, vel in Indictione, vel præceptum ipſum non hujus eſſe auctoritatis, quam illi Mabillonius tribuit. Quidquid fuerit exploratum eſt Hilduinum haud diutius vitam protraxiſſe. Antiquitates Dionyſianæ circa annum DCCCXLII. mortem ejus aſſignant. Succeſſorem habuit Ludovicum, qui Synodo Vernenſi anno DCCCXLIV. interfuit, in necrologiis ſancti Germani & Argentolienſi Hilduinus x. Calend. Decembris obiiſſe dicitur, quod antea annotatum eſt. In monaſterio ſancti Medardi diem obiit, ubi ſepultus eſt. Cernebatur ante eccleſiæ deſtructionem ejus monumentum. Ludovicus illi ſucceſſit in Dionyſiano monaſterio. Ebroinus Epiſcopus Pictavenſis Abbas ſancti Germani creatus eſt. Anno DCCCXLIV. ineunte Gregorius PP. moritur, ejus locum cepit Sergius ſecundus unanimi cleri & optimatum ſuffragio electus. Inter inteſtinos

LIB. VII. CAP. I. motus mala haud pauca in regno Francorum ſuccreverant. Nullum præſentius remedium fuit, quam ea emendatione morum & reſtitutione diſciplinæ excidere. Crebra itaque haberi placuit Concilia. Habita ſane multa ſunt; in Colonia villa Cenomanenſis agri, apud Lauriacum, quod pagi Andegavenſis eſt anno DCCCXLIII. ad Theodonis villam anno DCCCXLIV. menſe Octobri Indictione VII. Priuſquam ad alia venio mihi de eo dicendum eſt. Hoc Concilium generale fuit ex tribus regnis, cui Lotharius, Ludovicus & Carolus interfuerunt; hujus ſuſcriptiones non habentur, credibile tamen eſt Erchanradum, qui ſequentibus adfuit, huic quoque interfuiſſe. Primum Reges ad mutuam concordiam adhortantur II. Tum eoſdem Reges admonent, ut conſulant Eccleſiis, neque viduas paſtoribus relinquant, jubeantque ad ſuas redire Eccleſias Epiſcopos, quos varii caſus ab iis abeſſe compulerant. III. Cum vero monaſteria ſeu virorum ſeu virginum, & bona clericorum inter motus inteſtinos in laicorum manus veniſſent, rogant ut clericis aut monachis cuſtodienda & providenda committantur. IV. Deinde verbis graviſſimis Principes obſecrant, ne à quoquam bona & facultates Eccleſiæ occupari, nec diripi poſſeſſiones ſinant, quas eorum progenitores Eccleſiis tradiderunt, & quarum beneficio feliciter regnare illis contigerit, ſpondent nomine clericorum ſubſidium, ſi reipub. commoda illud poſtulant. V. Sed quoniam ex manibus laicorum, quæcumque occupaverant, auferre difficile erat, rogant, ut providentia Epiſcopi his adhibeatur adjuncto ſibi Abbate, *ut reſtauratio locorum, ſtudium & cuſtodia officii & religionis, atque ſubſidium temporalis neceſſitatis miniſtretur.* Petunt denique, ut per poteſtatem Regum eccleſiaſticus ordo priſtinum vigorem recipiat, & populus judicium ab iis & juſtitiam ſuſcipiat, & quiſque emendare ſtudeat ea, in quibus deliquerit, graſſante diſcordiarum civilium malo, quod utique præſtabitur, ſi ſuccedit caritas, quæ operit multitudinem peccatorum.

VI. Paulo poſt menſe Decembri Carolus congregavit concilium in palatio Verno, huic Synodo præfuit Ebroinus Pictavenſis Epiſcopus & Archicapellanus cum Vvenilone Senonenſi Archiepiſcopo, huic adfuit Ludovicus Abbas ſancti Dionyſii, & Hincmarus monachus Dionyſianus. Cur huic Synodo præſederit Ebroinus, plures quærunt, ſuaſque adducunt conjecturas. Quid ego de ea re ſentiam breviter expono. Sergio II. in ſede Petri collocato, ut antea dictum eſt, Lotharius Ludovicum filium ſuum cum Drogone Mettenſi Epiſcopo Romam miſerat. Ut cetera prætercam, Sergius, ut rem gratam Lothario Imperatori faceret, & ipſius Drogonis iniret gratiam, cujus conſiliis Ludovicus utebatur, non modo Ludovicum Regem Italiæ inunxit, ſed etiam Drogonem in omnibus provinciis trans Alpes conſtitutis vicarium ſuum eſſe juſſit, ita ut generales Synodos congregandi poteſtatem haberet, & cognoſcendi quidquid in provincialibus Synodis definitum fuiſſet. Hæc & alia conceſſit Sergius, quæ litteris ejus vicariatus continentur. Ea quidem haud ingrata Lothario, ſed non pariter Carolo & ſuæ ſortis Epiſcopis, qui novum hunc vicariatum haud facile admittebant, neque patiebatur Carolus ſuos Epiſcopos Lotharianarum partium Epiſcopo eſſe ſubjectos. Drogo vero cum rediiſſet in Galliam, Synodo villæ Theodonis præſedit. Prærogativam ſedendi anteà habuerat, cum ſub Ludovico anno DCCCXXXV. habita Synodus eſt in ipſa Theodonis villa, cui cum nomine Archiepiſcopi, quod honoris cauſa illi conceſſum eſt, loci quoque honor tributus eſt, cum enim filius eſſet Caroli-magni Imperatoris, frater patruuſque Imperatorum, & Archicapellanus, huic & loci & nominis honorem facile Epiſcopi conceſſerunt. In hac quoque Theodonis villæ Synodo ultro eadem ſedendi prærogativa conceſſa. Ne tamen Drogo hanc loci dignitatem ex vicariatu partam aſſereret, Carolus & Epiſcopi ſuarum partium in Vernenſi Synodo Ebroinum Pictavenſem Epiſcopum & Archicapellanum Caroli Regis cum Vvenilone Senonenſi Archiepiſcopo præſidem eſſe paſſi ſunt, ut ſi Drogo, qui ſub Ludovico Pio Archicapellani munus obtinuerat, diceretur in conventu præſediſſe generali coram Imperatore & ipſis Regibus, id non propter

LIB. VII. CAP. I.

propter vicariatum, ſed propter Archicapellani dignitatem conceſſum eſſe oſtenderent, cum & ipſe Ebroinus eamdem præſidendi prærogativam non aliam ob cauſam in Synodo Vernenſi obtinuiſſet. Certe vicariatus ille Drogonis anxios patres Vernenſes tenuit, quod ex canone XI. manifeſtum eſt, ſic enim loquuntur. *De prælatione reverentiſſimi Drogonis definire aliud non audemus, niſi expectandum, quam maximus cogi poteſt, Galliæ, Germaniæque conventum, cui reſiſtere nec volumus nec valemus. Nobis tamen, ſi quid tale committi poteſt, & non alia, quam quæ prætenditur, latet cauſa, illi potiſſimum convenire videtur, qui & communione ſacerdotis nobis, & excellentiæ veſtræ propinquitatis privilegio ſociatur.* Patres quidem offendebat ille vicariatus, quem haud neceſſarium exiſtimabant, cum palam reclamare non auderent, ut effectum vicariatus eluderent, judicium ad Galliæ, Germaniæque concilium remiſerunt, laudato tamen Drogone, & propter ſacerdotium, & propter cognationem, qua Carolum Regem contingebat. Hæc quidem Synodus modeſte de vicariatu, qui tamen effectu caruit, ut refert Hincmarus. *Drogo interea Mettenſium Epiſcopus faſtu regiæ proſapiæ ſubvectus, hanc prælationem in Ciſalpinis regionibus, nacta quadam occaſione tempore H Lotharii Imperatoris apud Sergium PP. obtinuit, ſed quod affectu ambiit, effectu non habuit, & quod efficaciæ uſu, non conſentientibus, quibus intererat; obtinere non potuit, patientiſſime, ut eum decuit, toleravit, ne ſcandalum fratribus & conſacerdotibus generans, ſchiſma in ſanctam Eccleſiam introduceret.* Sed ut ad Synodum Vernenſem redeam, menſe Decembri celebrata eſt ab Epiſcopis regni Carolini, duodecimque canones conditi ſunt. Primùm Regem Carolum admonent, ut cultum Dei rebus omnibus anteponat, ut miſericordia temperet ſeveritatem poteſtatis, & judicio noxios improboſque hominum mores reprimat, & per juſtitiam bene merentes mercede & præmio afficiat. II. Cum multi bellorum licentiâ malis aſſuefacti, prava ederent facinora, Regem obſecrant, ut his medeatur, mittat legatos fidei probatæ, & integritatis incorruptæ, qui eos coerceant, & pacem Eccleſiis procurent. III. Bacchante civili furore monachi à diſciplina regulari longe deſciverant; petunt ut viri religione & auctoritate pollentes à Rege mittantur, qui cum notitia Epiſcoporum mores monaſticamque inſtitutionem reſtituant. IV. Plures monachi ex monaſteriis evaſerant, quidam etiam abjecto habitu ad ſæculi militiam redierant. Patres vagos monachos ad ſua redire monaſteria jubent, & alios jubent detineri ergaſtulis, donec ſanitatem penitus receperint: clericos vero prohibent ab aliis Epiſcopis vel recipi, vel retineri. V. Ex Innocentii primi epiſtola arcent à communione eos, qui nuptias cum ſanctimonialibus contraxerint, neque recipiendos putant ad communionem niſi per publicam probatamque pœnitentiam. VI. Et ex Concilio Ancyritano non modo raptores privant communione, ſed eos etiam terreri legibus volunt. VII. Sanctimoniales quædam continentiæ cauſa ſumebant virilem habitum, attondebantque comam, has Synodus admonendas caſtigandaſque cenſet. VIII. Prava conſuetudo invaluerat, ut Epiſcopi ad bellum proficiſcerentur, malum hoc olim Carolus-magnus tollere voluerat, & editis capitulis perimere; tamen ſeu civilia bella Epiſcopos poſtea ad bellum acciverint, ſeu ipſi Epiſcopi pravam hanc conſuetudinem foverint, ſeu Reges id oneris Epiſcopis impoſuerint, id eo tempore in legem abierat. Rogant itaque Regem, ut ab expeditione belli Epiſcopi, qui infirmitate detinentur, immunes ſint: ſed nihilominus, ne res bellica detrimentum patiatur, eorum militibus Rex aliquem alium præficiat, cujus auſpiciis militent. IX. Eboni dejecto è ſede nemo ſubrogatus fuerat, ſed curam Eccleſiæ Remenſis ceperat Fulco Chorepiſcopus, cui poſtea in eodem munere ſucceſſerat Noto, tùm Eccleſia Pontifice vacua maximis damnis affecta eſt, rogant Epiſcopi Regem, ut tandem huic Eccleſiæ Epiſcopum ſufficiat. X. Similiter petunt, ut Agii Epiſcopi Aurelianenſis ordinationem ratam habeant. XI. De Drogonis vicariatu decernunt, ut modo memoratum eſt. XII. Bona eccleſiaſtica, prædia ſcilicet & poſſeſſiones in manus laicorum malis artibus venerant. Admonent Pontifices Regem, ut ea Eccleſiis reddantur. *Votum alterius*, inquiunt, *quomodo quiſquam Deo audet auferre? hæreditatem*

Opuſcul. 44. [illegible] 11. de jure metrop.

 pauperum qua temeritate præſumit invadere! unde alii animas ſuas redemerunt, cur inde alii ſuas perdunt? Exhortatione vehementiore ad Regem Synodum claudunt.

VII. Anno ſequenti, qui DCCCXLV. eſt menſe Aprili anno v. Caroli Regis Indictione VIII. Bellovaci Concilium habitum. Capitula, quæ in ea Synodo edita ſunt, collata ſunt inter Carolum Regem & Epiſcopos regni ſui: hæc teſte Deo promiſit Carolus ſe ſervaturum eſſe, eaque ſuſcepit ex manibus Epiſcoporum, qui ſequuntur vice & nomine omnium Epiſcoporum ſui regni, Vvenilonis ſcilicet Senonenſis Archiepiſcopi, Erchanradi Epiſcopi Pariſienſis, Immonis Noviomenſis, Rothadi Sueſſionenſis, Simeonis Laudunenſis, Lupi Catalaunenſis, Ragenarii Ambianenſis, Heliæ Carnotenſis, Erpoini Silvanectenſis, Agii Aurelianenſis, Hincmari preſbyteri & vocati Archiepiſcopi. I. Rogant inprimis Regem, ut jus eccleſiaſticum & legem canonicam Epiſcopis, ſicut anteriores Reges Caroli majores, conſervet. II. Cum plerique Epiſcopi bello civili deflagrante varias partes ſecuti fuiſſent, obſecrant Epiſcopi Regem, ne pace jam reddita ob quamlibet cauſam Epiſcopi aut infamiæ nota inurantur, aut aliquo judicio condemnentur. III. Poſtulant à Rege, ut res Eccleſiis ablatæ in eo ſtatu, in quo erant quando ablatæ ſunt, reſtituantur. IV. Ut data de Eccleſiis illicita præcepta reſcindantur, neque alia ejuſmodi in poſterum concedantur. V. Ut abroget pravas conſuetudines exactioneſque, quas his miſerrimis temporibus ab Eccleſiis exigere conſueverant. VI. Petuntque ut Eccleſias defendat adverſus oppreſſores & deprædatores. VII. Ut rata habeat & conſervet præcepta, quæ majores ejus, & ipſe in gratiam Eccleſiarum ſcripſit. VIII. Ut ſi quid Rex vel Epiſcopi contra hæc capitula quidpiam peccaverint ſe ſe invicem admoneant. In Concilio Bellovacenſi octo capitula leguntur. In Concilio Meldenſi, de quo inferius dicemus, octo quoque numerantur, quorum quatuor ex hoc Bellovacenſi repetita ſunt, tertium nempe, quartum, quintum & ſextum, & his quatuor nova adjiciuntur. In primo rogant Epiſcopi Regem, ut Miſſos ex utroque ordine in provincias mittat, qui de republica, & de iis, quæ ad Regem pertinent, diligenter inquirant. Secundo petunt Epiſcopi, ut precariæ & commutationes, quæ ſede vacante factæ ſunt, penitus reſcindantur. Tertium eſt de ratione precarias faciendi, & quid in iis rependendum ſit, & à quibus precariæ fieri debeant, & ad quod tempus tranſigendæ. Quartum de commutationibus facultatum Eccleſiæ eſt. Hæc de Bellovacenſi Synodo dicta ſint, ſed quoniam Hincmarus jam Epiſcopus Remenſis deſignatus fuerat, & eo nomine ſubſcripſit Concilio, de eo agendum eſt.

VIII. Ebo Remenſis Archiepiſcopus, ut antea memoratum eſt, in Concilio ad Theodonis villam ex ſua confeſſione condemnatus fuerat, & ex cathedra dejectus; ab eo tempore nemo ejus locum habuerat, & interpontificium fuerat decem annorum. Interea Eccleſia Remenſis variis agitata tempeſtatibus fuerat, & Epiſcopi ob eam cauſam in Synodo Vernenſi petierant à Carolo Rege, ut viduatæ Eccleſiæ opem ferret, juberetque creari Epiſcopum in locum Ebonis. Ea res pertractata eſt in Synodo Bellovacenſi, decretumque ut Epiſcopus crearetur. *Igitur à clero & à plebe ipſius metropolis, necnon ab Epiſcopis ejuſdem provinciæ, Archiepiſcopo Senonenſis Eccleſiæ Vvenilone, atque Ercamrado Pariſiorum Epiſcopo annuente, cum conſenſu Abbatis ſui & fratrum monaſterii ſancti Dionyſii, in quo degebat, favente quoque Carolo Rege Hincmarus electus eſt, ſicque decreto peracto eligentiumque manibus roborato Eccleſiæ Remenſi ordinatur Epiſcopus.* (Flodoard. hiſtor. Remenſ. lib. 3. cap. 1.) Hincmarus ex nobili loco ortus erat, & in monaſterio ſancti Dionyſii educatus. Statim quidem canonicam inſtitutionem ſuſceperat, cum aliis hujuſce monaſterii aſceris, qui poſthabita monaſtica diſciplina ſodalitatem canonicorum inſtituerant. Sed ejus inprimis hortatu ad priſtinam vitæ conſuetudinem Dionyſiani redierunt, & ipſe volens duris monaſticæ diſciplinæ legibus ſe ſubdidit. In eo monaſterio plurimum pietate & ſcientia profecit; hincque præcipue curæ fuit rebus eccleſiaſticis appellere animum, legere ſacros codices, ſcripta patrum evolvere, & indagare decreta Conciliorum, & his præclaris artibus ad ſumma eccleſia-

ſticarum litterarum faſtigia eniti. His ornatus adjumentis in aulam Imperato- LIB VII.
ris Ludovici evocatus eſt, plurimumque Hilduinum re & opera adjuvit, ut CAP. I.
antea memoratum eſt; is enim, quem loco patris habebat, ſecutus errorem temporum ſpreto Ludovico Auguſto, adhæſerat Lothario, in exilium pulſus eſt, & Hincmari opera reſtitutus. Poſtea mortuo Ludovico Hincmarus inter fraterna domeſticaque diſſidia Caroli partes ſecutus fuerat. Ebone vero dejecto, poſt decennium, cum quæreretur ſucceſſor, omnium voce Hincmarus Epiſcopus appellatus eſt, ut pote qui his virtutibus præditus erat, quæ Epiſcopum decent, qui ſuæ electionis jura adverſus molimina Ebonis egregie defenderet. Is igitur accepto prius ab Epiſcopo Pariſienſi conſenſu Archiepiſcopus Remenſis *Hincm. opuſcul. 19.*
fuit. Nondum ordinatus erat cum Synodo Bellovacenſi interfuit. De eo aliis in locis ſermo erit.

Eo tempore Gallia omnis incurſionibus Normannorum infeſtata erat: ii IX.
nempe per oſtia fluviorum Gallias ingreſſi, populare provincias, & vaſtitatem, quocumque irent, inferre, & Lutetiam uſque accedere, prædari & diripere omnia, & barbaricum in morem ſævire. Intellexerunt Epiſcopi vindictam eſſe Dei, qui vitia Francorum ulciſceretur, neque placari ejus iram poſſe, niſi emendatis moribus, & diſciplinâ Eccleſiæ reſtitutâ: paulo ante in eam rem operam collocaverant, ſed eo uſque licentia temporum proruperat, ut quiſque ex optimatibus non ex æquo & jure facta componere, ſed pro nutu & libidine omnia moliri ſoleret, ſacra profanaque juxta habere, neque Regi obſequi, neque Pontificum audire documenta: ſpoliatæ jacebant baſilicæ, prædia & poſſeſſiones Eccleſiarum inter manus laïcorum erant, neque ulla vi ab eorum manibus auferri poterant. Pontifices, quibus cura religionis erat, jam deſpecto munere ſacerdotali arma tractare & bellum gerere conſueverant. Inter hæc barbari ſumpta ex domeſticis litibus audacia, primum oram maritimam vexare prædationibus, tum allecti ſpe prædæ potiundæ, interiores regni provincias infeſta claſſe invadere. Epiſcopi, ut his malis occurrerent, quædam ſtatuta utilia Eccleſiæ & reipublicæ ediderant, ſed cum neque optimates, neque populi dicto audientes forent; demum ex communi Regis & Epiſcoporum conſenſu ſtatutum eſt habendum conventum & Synodum celebrandam, ut omnia ad antiquam formam reducerentur. Placuit igitur renovare capitula priora, quæ Carolus & Ludovicus Auguſti tulerant, & nova inſuper cudere tempori & rebus commoda. Indictum Meldis Concilium celebratumque eſt XV. Calendas Julias, indictione octava anno DCCCXLV. adfueruntque Concilio Venilo Senonenſis Archiepiſcopus cum ſuis provincialibus, ſeu ſuffraganeis Epiſcopis, inter quos Erchanradus Pariſienſis Epiſcopus erat. Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus cum Coepiſcopis ſuis, & Rodulfus Bituricenſis Archiepiſcopus; iidem Epiſcopi anno ſequenti cum Guntbaldo Rotomagenſi Archiepiſcopo & ejus provincialibus Epiſcopis Pariſios convenerunt, & Synodum XVI. Calend. Martias celebrare inſtituerunt, in eaque capitula anno ſuperiore Meldis tranſacta promulgarunt. Capitula autem repetere placuit, quæ in ſuperioribus proxime habitis Synodis definita ſunt; ſex ſcilicet ex Synodo in villa, quæ dicitur Colonia. Primo Rex Carolus, qui huic Synodo aderat, decernit, ut Eccleſiæ honoribus, privilegiis, & poſſeſſionibus perfruantur, quas tempore Ludovici Pii poſſedetant. Sed quoniam ſuperioribus bellis multi à fide in Principem deſciverant, decernunt Epiſcopi, ut quiſque fidem & honorem Principi exhibeat, & ſi quis alium quemvis moliri aliquid comperiar, ſi eum à propoſito nequeat avertere, ut eum *prodat & denotet.* Rex deinde promittit neminem deinceps privandum ſuis honoribus, niſi ex æquo & legibus, quæ in uſu antea fuerunt, & quibus uſi ſunt prædeceſſores ejus, omnibus idcirco cautum eſſe vult, ne quid Principi ſuggerant, quod adverſus fas & æquum ſit ſub quocumque nomine. Etſi quid forte ſubreptum ſit, hortantur ut quiſque pro ſua in principem fide eum admonere curet. Admonent deinde ſubditos, ne quis pacta conventaque nuper inter fratres fœdera violet, rumpatque compoſitam pacem, alioquin tum ſacerdotalis regaliſque poteſtas pro ratione rei & perſonæ, quod ſalutis erit, utilitatis,

honeſtatiſque judicabit & peraget. Tum adjuncta ſunt quædam ex Synodo ad Theodonis villam, de qua dictum eſt ſuperius. Hic tamen hujus Synodi capitula ita repetuntur, ut quædam reciſa, quædam adjecta ſint. Hortantur ſtatim Regem ad caritatem cum fratribus ſuis conſervandam *de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.* Rogant deinde Regem, ut poſt mortem Epiſcopi alius illico regulariter electus & ordinatus ſubrogetur. Quidam laici curam regimenque aliquot monaſteriorum ſumpſerant, vetant id fieri, rogantque, ut his committantur viri ex eccleſiaſtico vel monaſtico ordine, ſeu ex fæminis Deo dicatis & devotis, & in ſchola Chriſti ad providendum & cuſtodiendum bene inſtitutis. Graviſſime poſtea decernunt adverſus eoſdem laicos, qui regimen monaſteriorum ita ſumpſerant, ut de vita & converſatione monachorum decernere auderent, etiam ſine conſcientia Epiſcopi his regimen animarum & alia divina munera obeunda committerent, quod fieri ſub excommunicationis pœna vetant, ipſos condemnant monachos, ſi huic ſe regimini ſubdiderint, ſi clericus fuerit volunt ex gradn decidat; ſi non habuerit gradum, XL. diebus ergaſtulo detentus, aqua & pane contentus vivat; & quoniam aliquot Epiſcopi manum opponere neſcientes pro domo Iſraël, hæc ferebant, Synodus decernit, ut tribus menſibus à celebratione ſacrorum abſtineant, & ſuæ tantum Eccleſiæ communione contenti ſint; hortantur Regem, ut jubeat reſtitui res & bona Eccleſiarum, quæ multi invaſerant. Sequuntur deinde capitula conſtituta in Synodo apud Lauriacum anno DCCCXLIV. menſe Octobri. Anathemati ſubjicitur contemptor legum eccleſiaſticarum, ſicut & ille qui contra regiam poteſtatem fraude & dolo egerit, aut fecerit contumaciter, vel violaverit, quæ tam pro Eccleſiæ tranquillitate, quam pro Regis dignitate definita ſunt. Repetuntur poſtea capitula, quæ in Bellovacenſi concilio ſtatuta, & quorum ſupra mentio eſt. Sequuntur demum capitula inſtituta in hocce concilio Meldenſi. Primum Synodus hortatur ipſos Epiſcopos ita ordinent ſuam familiam, ut quivis eam inſpiciat velut religionis domicilium. Solebant plerumque Reges ædes Epiſcoporum ingredi, & in his commorari, rogant Epiſcopi ne ibi fiant diverſoria fæminarum, ubi religio venerabilis debet eſſe. Quoniam, ſi quibuſlibet clericis canones prohibent admittere ſuis ædibus fæminas, quanto magis domus Epiſcoporum ab iis immunis & aliena debet eſſe. Admonent deinde ipſum Regem, ut, cum civitates ingreditur, aut per eas tranſit, à direptione aut exactione illas liberet. Rogant Epiſcopi, ut ſibi poteſtas ſit miniſterii ſui perficiendi in ſuis Eccleſiis, neque ab iis abeſſe compellantur, ſed poſſint parochias ſuas circumire, aut canonice degere cum filiis, docentque ſibi hoſpitalitatem ſervandam, ſobrietatem, caſtitatemque & doctrinam. Deinde contra eos Epiſcopos loquuntur, qui non ipſi populum emendare ſtudent & viſitare negligunt, cum Dominus dicat, *ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.* Vetant ne Epiſcopi ex ambitione ad potiorem cathedram transferantur, ut metropolitanis ſua ſerventur jura. Ut bis aut ſemel ſaltem quotannis provinciales habeantur Synodi. Ut Epiſcopus, qui neglexerit adeſſe Synodis, ab officio ceſſet. Ut ſtatuta canonica ſerventur, & juxta eorum definitionem jns reddatur; in ſcripturis exponendis ſenſus probatiſſimorum patrum inquiratur, in quorum ſcriptis fidei veritas non vacillat, & in monaſteriis fugiant vanitates vocum, quas quidam proferre ſtudent, ut *innoteſcant ſtudio.* Ut Epiſcopus aliquem habeat, qui preſbyteros doceat ſcripturas, catholicumque earum ſenſum ex patrum expoſitione: qui fidem ſanamque doctrinam inſtruat, & mores eorum informet; ut preſbyteri aſſidue verſentur in eccleſiis, neque alibi habitare permittantur. Multant ſui gradus amiſſione clericos, qui arma militaria ſumunt, aut armati incedunt, non enim eos cenſent Deo ſimul & ſæculo poſſe militare. Vetant quoque ne Epiſcopus ſuper ſacra jurare audeat; & ne alii perjuria faciant, & maxime ſuper ſanctuaria martyrum. Xenodochia ſeu hoſpitalia, ſed maxime Scotorum reſtitui poſtulant, & pariter monaſteria, quæ in allodium data ſunt, ex quibns religio abacta eſt, ut vota fidelium inconvulſa permaneant. Cumque alia bona eccleſiaſtica vel ſub Caroli Regis principatu, vel

ſub imperio ejus patris in allodium conceſſa fuiſſent, petunt Epiſcopi ut Rex dirigat Miſſos per provincias, qui de iis inquirant, & hæc in acta redigant, ut ea corrigantur. Condemnant eos, qui per ſimoniam ad gradus & honores evehuntur. Vetantur Chorepiſcopi excedere modum ſuæ inſtitutionis, Spiritum ſanctum ſcilicet dare eis haud licitum, chriſma facere, conſecrare eccleſias, ordinare clericos, niſi uſque ad ſubdiaconatum, & hoc nonniſi jubente Epiſcopo &c. nec quicquam attentare audeant ſede vacante &c. Nullus Epiſcopus vel miniſter propter ſacrum chriſma quicquam recipiat, decere tamen preſbyteros *cum Eulogiis voluntariis viſitare & venerari ſuos Epiſcopos*; ut chriſma in cœna Domini conficiatur. Nemo res Eccleſiæ invadat, aut in eam aſſumere audeat dominatum. Si æger fuerit Epiſcopus, Archiepiſcopus miniſterium cum voluntate Epiſcopi impleat &c. Ut nemo baptiſmum conferat, niſi in vicis & eccleſiis baptiſinalibus temporibus conſtitutis, niſi cauſa ægritudinis. Excommunicantur clerici, qui ſæculari & inhoneſta negotiatione ſe implicant. Vetant ne clerici admittantur in aliena parochia ſine formatis, neque ipſos clericos, qui cum dominis & primatibus in alienas provincias veniunt, miniſtrare volunt ſine formatis; neminemque ordinari clericum, niſi prius uno ſaltem anno vitæ & morum probationem fecerit. Jubentur canonici dormire in dormitorio, & ſimul in refectorio comedere, & in clauſtris degere &c. Epiſcopi debent in urbibus & ſuburbiis titulos cardinales, id eſt parochias erigere, quarum curam committere preſbyteris debent. Contra uſuram, quam & clericis omnibus & laicis pariter interdictam volunt. Ut nemo communione privetur, ſine manifeſta peccati cauſa, nec in quemquam anathema dicatur niſi pro mortali crimine, & in illum, qui aliter nequit corrigi. Monachi ad palatia Regum ire vetantur abſque Epiſcopi auctoritate, excommunicanturque ii, qui civilibus ſe immiſcent negotiis, & villicationi inſerviunt, neque canonicos ipſos ad comitatum à Rege volunt admitti, niſi ex auctoritate Epiſcopi. Vetant deinde ne monachus ex monaſterio ejiciatur, ſine conſilio & præſentia Epiſcopi, vel *vicarii ejus*; renovantque antiqua decreta adverſus eos, qui monaſteria & eccleſias effringunt, depoſita rapiunt, & clericos percutiunt. Similiter ſanciunt contra invaſores eccleſiaſticarum rerum. Quidam jam dudum agros & prædia eccleſiaſtica retinebant, ſolvebantque Eccleſiis ex iis quintam fructuum partem, idque decimas & nonas ſolebant appellare, tenebantur præterea poſſeſſores reficere ædificia; quoniam vero plerique hæc facere negligebant, hos Synodus excommunicationi ſubjicit, quod ſi nihilominus neglexerint, ex auctoritate regia petunt, ut iis, quæ obtinent, decidant, ſervoſque eccleſiarum, quibuſcumque poteſtatibus ſint ſubditi, voluntque ſingulis annis ſaltem viginti dies reficiendis eccleſiis operam præſtare. Excommunicantur raptores virginum vel viduarum. Qui ſanctimoniales virgines vel viduas rapiunt, vel cum iis matrimonio junguntur, publicæ ſubjiciuntur pœnitentiæ, ipſæ vero recipere habitum religionis coguntur. Sed mitius agendum cenſent cum iis, qui rapiunt ſponſas alienas, hoc volunt ſine publica pœnitentia emendari, & cum *ſponſo legaliter mulctam componi*, publicæ vero pœnitentiæ ſummittunt adulteros, verum ſine ulla ſpe conjugii; ſi aut is, aut mulier virum occidiſſe convincitur, aut aliud quodvis impedimentum acciderit. De ſanctimonialibus decernitur, quæ in deliciis vivunt, ut Epiſcopali coerceantur poteſtate, & pœnitentiæ ſubjiciantur, aut ſi nequeant convinci, ſe legaliter purgent, & religioſius vivant. Petunt Epiſcopi à Rege tractoriam, ut illius freti auctoritate reipub. miniſtros adeant, & ſuum poſſint adimplere miniſterium. Contra violatores ſepulcrorum agunt, & vetant, ne quid pro ſepultura petatur. *Si quando autem proximi, vel hæredes ſponte aliquid offerre in eccleſia voluerint in eleemoſynam defuncti, accipere non vetamus; peti vero aut aliquid exigi omnino prohibemus, ne, quod valde irreligioſum eſt, aut venalis, quod abſit Eccleſia dicatur, aut de humanis mortibus videamur gratulari, ſi compendium exinde ſtudeamus modo quolibet quærere.* De Judæis volunt ſervari antiqua jura ſeu canonum, ſeu legum, ſeu Regum, quorum aliquot decreta edictaque referunt. Monent potentes fæminas maxime, ne ſuas domos vitiis &

LIB. VII. CAP. I.

LIB. VII. CAP. II. criminibus fœdari ſinant, hortanturque preſbyteros, qui capellis eorum miniſtrant, ut his expurgandis operam præſtent. Regem rogant, ut ſi laici capellas regias habent, decimas non accipiant, ſed potius preſbyteri. Utque nullus Comes vel judex neque placitum neque mallum habeat à capite jejunii, & octo diebus paſchalis ſollemnitatis omnes vacent ab opere venali, fabrili, carpentario & aliis operibus. Ut capitula eccleſiaſtica Caroli-magni, & Ludovici-pii obſerventur. Hæc deinde ſtatuta infringi aut violari vetant, alioquin quiſquis hæc contempſerit, hunc volunt, pro ut eccleſiaſticus ordo & regalis ſeveritas decreverit, ultione plecti. Demum Synodus concluditur, dicuntque ſe protuliſſe, quod Deus illis ſuggeſſit, & rogant Regem, ut hæc capitula capitulis Ludovici-pii ſubjiciantur. In eum modum acta Synodus primum Meldis, tum Pariſiis, ubi capitula Meldis edita, publicata promulgataque ſunt. In ea quoque Synodo Corbeienſe privilegium, quod ad calcem hujuſce Concilii adjectum, confirmatum eſt. Huic ſubſcripſerunt Epiſcopi haud pauci, inter quos Erchanradus Pariſienſis Epiſcopus legitur. Verum Synodus non ejus fuit auctoritatis, quam patres ſperaverant; primores enim ſtatim adverſus ſtatuta hæc commoveri, nec ſe ſtatuta facturos dixerunt, habitoque cum Rege conventu in villa Sparnaco anno DCCCXLVII. ſelegerunt novem & decem tantummodo capitula, quæ ſe obſervaturos, non alia polliciti ſunt, quo facto atrox vulnus inflictum diſciplinæ eccleſiaſticæ & ordini ſacerdotali.

CAPUT II.

De Nortmannorum incurſionibus & Lutetia Pariſiorum ab iis capta. De Concilio Pariſienſi, ubi cauſa Ebonis retractata. De altero Concilio Pariſienſi, ubi de Nomenoio Duce Britanniæ & hujus provinciæ Epiſcopis. De Synodo apud Murittum.

I. PACE inter fratres compoſita, haud tamen quies in regno Francorum fuit. Primates enim uſi licentia temporum, omnia ex libidine facere, neque Regi, neque legibus morem gerere, contemnere decreta Pontificum, & ſacra profanaque impune polluere; huc acceſſit hoſtis externus. Nortmanni ſeu prædæ aviditate, ſeu orta ſeditione amoti ex patria, primum oram maritimam prædonum in morem infeſtare cœperunt, tum nobiliſſimas quaſque civitates diripere & incendere. Sub Ludovici-pii principatu Friſiam aggreſſi ſunt, & Herum inſulam populare inſtituerunt, verum repulſi in patriam redierant. Bellis deinde civilibus noſtratium excitati, in alveum Sequanæ claſſe invecti diripere opida monaſteriaque Galliarum. Anno DCCCXLI. Oſcherio Duce Rotomagum incendunt XVII. Calendas Junii, & IX. Calend. ejuſdem menſis Gemeticenſe monaſterium cremant. Tum pietas monachorum ſancti
Chronic. Fontanel. Dionyſii clara fuit, qui numerata illico pecunia captivos complures redemerunt. Hæc quidem dum Reges Francorum mutuis incitati odiis de principatu decertarent, & nemo reſiſteret. Aucta deinde audacia barbarorum ex paucitate & metu reſiſtentium. Poſtquam enim in Fontanetica pugna abſumptæ fere Galliarum vires ſunt, imperium Francorum incurſionibus facile patuit, illiſque

promptum fuit multas ſubinde Galliis clades inferre, proſtratis bello civili regni defenſoribus, & vindicibus externæ crudelitatis. Cum res in eo ſtatu eſſent *Lib. VII. Cap. II.* anno DCCCXLVI. iidem Nortmanni majore, quam antea, coacto exercitu, per oſtium Sequanæ ingreſſi iterum Galliam ſunt, Rotomagum nemine reſiſtente pervenerunt, exeuntesque è navibus, late provinciam cædibus & incendiis devaſtare. Tum multi mortales gladio barbarorum perempti, exuſta monaſteria, baſilicæ direptæ: nihil ad ſummam crudelitatem reliqui factum eſt. Cum pavor animos incolarum invaſiſſet, facile fuit vel adverſo flumine naves devehere, adjacenriaque Sequanæ loca populare: ita ventum eſt ad locum, quem incolæ Caroli-vennam vocabant ad Lediam Sylvam. Carolus audito barbarorum adventu, quantum per tempus licuit contrahit exercitum, & ad monaſterium ſancti Dionyſii proficiſcitur. Nortmanni ad alteram fluminis ripam fugiunt, pluresque immaniter trucidant. Tum ex adventu barbarorum omnes metu perculti, tum quiſque fugere, cives Lutetiam Pariſiorum deſerere, & fuga ſibi conſulere. Huc barbari ſabbato ante Paſcha perveniunt, & ſine ſanguine urbe potiuntur, ædes monaſteriaque deſerta inveniunt. Tum corpus ſancti Germani Cumbas, qui vicus Briegii eſt, tranſlatum eſt, ita ſimiliter alia SS. corpora ex baſilicis aliò ſublata ſunt. Herbertus Abbas monaſterii ſanctæ Genovefæ & monachi ejuſdem loci corpus ſanctæ hujus virginis ad Athegiam illius monaſterii villam tranſtulerunt, ac deinde Draverum, ubi per aliquot annos remanſit. Corpora ſancti Dionyſii & ejus ſociorum martyrum è ſepulchris quidem ſublata ſunt, haud tamen è baſilica aliò deportata: cum enim Rex Carolus in eo id temporis moraretur monaſterio, quominus id fieret prohibuit, ſpondens ſe armis locum defenſurum, huicque defendendo inprimis operam præſtitit, quoniam à patre Ludovico-pio ſanctis martyribus, jam tum cum puer erat, ſingulari quadam commendatione oblatus eſt. Sane auctor miraculorum ſancti Dionyſii hoc velut rem admirandam narrat, quod Nortmanni locum hunc ſepulcro beatorum martyrum nobilem haud cremaverint, quaſi hi ſancti martyres locum ſepulturæ ab injuria vindicaverint. Barbari interim per urbem deſertam divagantur, ædes deſertas diripiunt, ſuburbanaque loca devaſtant, ingrediuntur ſancti Germani monaſterium, baſilicam ejuſdem loci, & *reſiduum apparatum Eccleſiæ* manibus ſacrilegis deſtruunt; quoſdam divinitus caſtigatos fuiſſe Aimoinus monachus tradit. Sed demum barbari ad Regem Carolum legatos mittunt, qui petant an velit cum iis pretio de reditu paciſci, abnuebat Carolus pacem pecunia emere. Ait Aimoinus aliquot è proceribus muneribus corruptos, ſuaſiſſe, vel pecunia coemptam pacem redimere. Carolus, cum neque exercitus magno militum numero conſtaret, & gemitus populi pulſi è laribus & extorris pacem poſcerent, demum acquievit. Antiquus annaliſta ſeptem millia librarum appenſa fuiſſe ſcribit. Ragenarius Dux Nortmannorum, acta pactione, data fide publica principeſque barbari ad ſancti Dionyſii monaſterium accedunt, Regem ſalutant, pollicentur nuſquam ſe redituros, niſi ut illi auxilio ſint, id ſacramento ſuo more præſtito confirmant. Ita Nortmanni Lutetiâ diſceſſerunt. Non poſſum hic non condemnare inertiam & ſocordiam noſtrorum, qui longe à fortitudine majorum deſciverant, quorum armis Sarracenorum proſtratæ acies, ſubactæ provinciæ Longobardorum, domiti Saxones, aliæque nationes profligatæ; modo in ſuis penatibus appetiti, & coram tumultuaria Norrmannorum claſſe pavidi fugiunt, dataque pecunia pacem nundinantur. Scriptor horum temporum tradit Ragenarium ad Horichum Regem Danorum reverſum retuliſſe celeberrimam urbem ſuis armis captam, direptas à ſe divites provincias, ſeramque portæ Pariſienſis Regi oblatam cum parte inciſæ trabis è monaſterio ſancti Germani, & addidiſſe gentem inveniſſe pavidam & inertem, & pluris his in locis valere mortuorum virtutem, quam arma viventium, multos corruiſſe exanimes poſtea ſcribit ſancti Germani virtute *Aimoin de miraculis S. Germani.* conculcatos; his ita geſtis cives ad urbem redierunt, monachi ad monaſteria: relatum eſt ſancti Germani corpus, pluribuſque tum miraculis inclaruiſſe aſſerunt. Aiunt, dum referretur corpus facem ardentem extinctam eſſe, &

 paulo poſt reſulſiſſe cæſitus immiſſo igne, & ob eam cauſam inter Quinciacum & villam novam ſancti Georgii erectam crucem, quod teſtimonium miraculi oſtenderet. Ebroinus Epiſcopus Pictavenſis Abbas hujus monaſterii ſollemniter tranſlationem celebravit.

II. Hincmaro, ut dictum eſt, ad ſedem Remenſem evocato, Ebo omnem movere lapidem, ut cathedram reciperet, inprimiſque auctoritatem Lotharii, cujus partibus faverat, accerſere. Lotharius poſt Ludovici pii obitum, fugato Carolo, Concilioque Epiſcoporum habito, ſedi Remenſi eum reſtituerat, iſque poſt reſtitutionem fecerat ordinationes. Verum illico metu Caroli fugerat in Italiam, & à Sergio PP. redintegrari ſe, & donari pallio necquicquam petierat. Ubi vero Hincmarum ordinatum & ſuam occupare ſedem intellexit, tum enixe rogare Lotharium, ut ſuis rebus opem afferret, & ageret apud Sergium PP. ut ſua cauſa coram Epiſcopis retractaretur, & renovaretur ſuæ depoſitionis judicinm. Sergius ad Regem Carolum de eo negotio litteras miſit, cauſatuſque diſcordias Remenſis Eccleſiæ præcepit Guntbaldum Rotomagenſem Archiepiſcopum cum Epiſcopis, quos eligeret ad cauſam excutiendam Treviros convenire, miſit quoque literas ad Hincmarum, jubetque ipſum ſe ſiſtere judicio Epiſcoporum, quæ & omnia Guntbaldo mandata ſunt. Pollicitus eſt Sergius ſe eo miſſurum legatos poſt paſcha. Verum cum legati apoſtolici expectarentur, neque ad condictum diem & locum adeſſent, Guntbaldus auctoritate Sergii PP. munitus, annuente Rege Carolo, & conſentientibus Epiſcopis regni, Synodum Pariſiis indicit, Ebonemque ex auctoritate Sergii PP. per Erboinum Silvanectenſem Epiſcopum ad Concilium advocat, ut ſuam cauſam per auctoritatem ſummi Pontificis ex æquo definiat; huc tamen Ebo venire detrectavit, neque quiſquam ejus nomine Synodo adfuit. Huic Synodo inprimis adfuerunt Guntbaldus cum ſuæ provinciæ Epiſcopis, Vvenilo Senonenſis Archiepiſcopus cum ſuis provincialibus Epiſcopis, Lantramnus cum Epiſcopis ſuæ provinciæ, ſed inprimis adfuit Hincmarus, cujus intererat, cum omnibus ſuæ provinciæ Epiſcopis. Cauſa nihilominus Ebonis ad examen revocata, & judicio terminata eſt. Namque Epiſcopi *litteras ſuas ad eum miſerunt, et diœceſim Remenſem interdicentes: ut non haberet dein licentiam ex ea quempiam ſolicitare, nec verbo nec miſſo aliquo, donec ſecundum juſſionem Sergii PP. ipſis occurreret, & juxta canonica & apoſtolica ſtatuta definitionis ſententiam ab ipſis coram generali conventu perciperet. Sed ille ad nullam Synodum, vel ad ſedem apoſtolicam, vocem poſtea reclamationis vel repetitionis de ſede Remenſi, aut de ordine ſuo emiſit. Qui etiam, poſtquam res geſtas Leoni PP. referentibus Epiſcopis, & regalibus inſuper epiſtolis, ordinatio Hincmari, quando fidei quoque ſuæ tenorem Romam miſit, rata eſt cum largitione pallii comprobata, per quinque ſcilicet annorum curricula ſupervixiſſe fertur in corpore uſque ad annum incarnationis Dominicæ DCCCLI.* poſt mortem Ebonis, ſub pontificatu Nicolai I: mota iterum quæſtio de ordinatione Hincmari, cujus graviſſimæ extant epiſtolæ ad Synodum Sueſſionenſem & Nicolaum PP. ſcribitque ſe olim educatum in monaſterio ſancti Dionyſii, *ſub canonico habitu*, & inde aliquamdiu permanſiſſe in palatio Ludovici Imperatoris. Cum vero Dionyſiani vitam & habitum regularem recepiſſent, reverſum in monaſterium, nulla ſpe aut cupiditate Epiſcopatus allectum, ubi diutius manſerit: aſſumptum ſe poſtea ad familiaria obſequia Imperatoris, & Epiſcoporum interfuiſſe conventibus, quietem demum repetiiſſe, unde poſtea hortatu amicorum & ſub ſpecie boni & ſalutis plurimorum ſe abduci paſſus ſit, & ſe in has tempeſtates & pericula projici. De ordinatione vero ſua hæc memorat, dejecto Ebone Franconem per novem annos rexiſſe Remenſem Eccleſiam, *ſine ulla regulari Ebonis reclamatione*, & poſtea Notonem ei ſubrogatum, qui eamdem ſedem per annum & dimidium tenuerit, idque ſine ulla Ebonis repetitione. Tum ſub Sergio PP. in Bellovacenſi Synodo, ubi plures Epiſcopi aderant, ſe à clero & plebe, & ab Epiſcopis provinciæ petitum, ſeque traditum ab Archiepiſcopo ſuo Vvenilone & Erchanrado proprio Epiſcopo & Epiſcopis ſuæ provinciæ cum conſenſu Abbatis ſui & fratrum monaſterii in

Hincm. opuſcul. 26. Flodoard. lib. 3. cap. 2.

Hincm. opuſc. 26.

quo

quo degebat, ſe cum decreto canonico, cum præſentia vel conſenſu omnium ſuffraganeorum à metropolitano ſuo omnibus acclamantibus, abſque ullius contradictione fuiſſe ordinatum, neque ſolum ſuam ordinationem ſubſcriptionibus Epiſcoporum provinciæ fuiſſe roboratam, verum & omnium pene Galliarum, atque Neuſtriæ, necnon & Aquitaniæ Epiſcoporum ſubſcriptionibus: epiſtolam ad Sergium PP. unanimiter directam, ſed & edicto Caroli Regis manu obſignato comprobatam. Hæc ferme & alia ejuſmodi pro defenſione ſuæ ordinationis Hincmarus referebat. De Ebone vero addit Hincmarus, Lothario Imperatore petente à ſede Apoſtolica miſſas litteras pro Synodo in hanc cauſam cogenda: *tamen ad nullam Synodum, ſed nec ad eam, quam Guntbaldus auctoritate litterarum Domni Sergii Papæ congregavit, Ebonem conveniſſe.* Ita Concilium Pariſienſe peractum eſt, ut Hincmarus in ſede Remenſi omnium calculis retineretur, & dicta in Ebonem ſententia confirmaretur; quæ deinde contra Hincmarum querelæ jactatæ ſunt, nullius roboris nullarumque virium fuerunt. Sed quoniam mentio eſt Pariſienſium Conciliorum, cum & anno DCCCXLIX. habitum ſit, de eo quoque hic agendum eſſe exiſtimo, ſed primum cauſæ Synodi habendæ referendæ ſunt. Rem paucis ab initio repeto. LIB. VII. CAP. II.

III. Armorica olim inter provincias Gallicanas annumerata eſt, parſque tertiæ Lugdunenſis fuit; verum inclinante fortuna Romani Imperii, ipſa quoque fuit barbarorum præda & ſpolium. Britanni ſcilicet pulſi ex ſuis finibus ab Anglis in Armoricam appulerunt, regnique novi jecerunt fundamenta, nomenque ſuum Armoricæ & populis tribuerunt, provincia enim Britannia, populi Britanni, ſeu Britones, vocati ſunt. Paulo poſt Franci, qui Galliæ provincias invaſerant, auſpice Clodoveo Rege Britanniam quoque ſuo ſummittere imperio aggreſſi ſunt, Namnetas ſcilicet, Rex teſte Gregorio Turonenſi, Redonas, & Venetos cepit, extinxitque nomen regium, quod in provincia inoleverat, & pro Regibus Comites eſſe juſſit, qui ſub poteſtate Regum Francorum civitates regerent, eaque adminiſtrationis forma ſub Regibus Francorum fuit uſque ad Pippini principatum. Cum enim Pippinus ex Præfecto palatii regium nomen cum regno aſſumpſiſſet, Tum Britanniæ Comites ei morem gerere abnuerunt; verum in priorem ſtatum redacta provincia eſt felicitate Caroli-magni, cujus armis ſubacti Britones ſunt, eadem quoque ordinatio provinciæ fuit ſub Ludovico Pio, quo tamen imperante multoties excutere jugum tentarunt, ſed toties domiti tandem caput jugo Francorum ſummiſerunt. Ludovicus ut gentem pronam ad ſeditionem contineret, his Nomenoium præfectum, ſeu, uti vocabant, Ducem Britanniæ præfecit; ex ea natione ortus erat, & antea ſub Carolo magno meruerat. Unde poſtea Ludovicus Auguſtus haud dubitavit ejus fidei Britanniam committere. Poſt mortem Ludovici pii inter civilia bella Carolo adhæſerat, ſpreveratque Lotharium, immo & ipſi Carolo, icto inter fratres fœdere, etiam ſacramento fidem obligaverat. Sed demum violare fidem haud dubitavit, cum Normanni turbare Gallias inſtituiſſent, & primates regni imperata facere detrectarent. Ille jam aſſuetus imperio in hoc angulo Galliarum non modo contentus omnia ſuo regere arbitrio, ſed affectare regnum cœpit, id vero quoniam ad res noſtras maxime pertinet, quemadmodum acciderit libet paucis exponere. Nomenoius ſecundo ſucceſſu præliorum aliquot elatus, Namnetas defectione Lamberti Comitis, & Redonas ſuo imperio adjecit, poſteaque, audacior ex felici eventu factus, Andecavenſem agrum Cenomanenſemque armis invaſit. Tum ille Regem Carolum ſpernere & omnia moliri, ut Regem ſe diceret. Cum vero Pontifices Britanniæ in fide Caroli Regis ſtare noviſſet, & metropoli Turonenſi ſubjectos eſſe, Epiſcoporum fidem ſibi conciliare, pravis his artibus aggreditur. Eos omnes ex ſuis ſedibus ejicere ſtatuit, & alios in eorum locum collocare, qui dicto audientes ſint. Convocat itaque Epiſcopos Britanniæ, hocque mendacium, ut eos circumveniret, commentus eſt, illis ſignificat ſe à Rege Carolo mandatum accepiſſe, ut Epiſcopos ſuæ provinciæ ſimoniæ argueret, quos, ſi ſe reos faterentur, inultos dimitteret, ſi obſtinate negarent, capite plecti juberet. Poſtera die conventum Greg. lib. 4. cap. 4.

Epiſcoporum procerumque cogit, adhibet ad eam rem teſtes pecunia corruptos, iique arguunt Subſannum Epiſcopum Venetenſem, Salaconem Aletenſem, Felicem Coriſopitenſem, Liberalem Oximenſem Epiſcopos, dicuntque eos pretio ambiiſſe cathedras & pecunia comparaſſe, & aliorum eſſe reos criminum, obticuerunt Pontifices heſterna Nomenoii allocutione deterriti. Cumque nemo metu refragari auderet à conventu coram dejecti è ſede ſunt, baculoque paſtorali & annulo ſacerdotali exuti. Egreſſi ex conventu Gallias petierunt, & apud Carolum injuriam conqueſti. Nomenoius interim cœptum facinus exequitur, in illorum locum alios Epiſcopos ſubrogat. Sed ecce aliud impedimentum obſtat. Britannia ſeu Armorica jam inde à principio Chriſtianitatis erat pars tertiæ Lugdunenſis, atque adeo Turonenſi Eccleſiæ ſubjecta. Nomenoius haud dubitabat, quin Archiepiſcopus Turonenſis innocentiam Epiſcoporum defenderet, velletque eorum cauſam eſſe retractatam, abnueretque ordinare Epiſcopos, quos inordinate & per fraudem electos eſſe noviſſet. Rem itaque novam inauditamque, ut his occurrat difficultatibus, concipit. Ex quatuor ſexve ſedibus ſi Redonas & Namneras annumeres, quæ id temporis totam Armoricam obtinebant, ſeptem ſeu potius novem conficit. Primum * ex Dolenſi monaſterio cathedram inſtituit, jubetque eam cathedram potiri jure metropolis, Pontificemque hujus ſedis eſſe Archiepiſcopum *monaſterium vero ſancti Brioci ſedem poſuit Epiſcopalem, ſimiliter ſancti Rabatuali ſeu* Tugduali hanc modo Trecorenſem ſedem vocant, *hos tres uſurpaticios Epiſcopos conſtituit, ceteris quatuor* vel ſex *in antiquis urbibus. Provincia itaque Turonenſi ita reciſa. Nomenoius Dolo monaſterio Epiſcopos ſuos congregans ſe in Regem ungere fecit.* Hæc ex indiculo veteri, quem edidit Sirmondus ex monaſterio ſancti Michaëlis in periculo maris in notis ad capitula Caroli calvi, quem poſtea plures deſcripſerunt. Etſi hæc vero conſentanea videntur, tamen in multis diſcrepant ab iis, quæ in vita ſancti Convoionis Abbatis Rotonenſis leguntur. Rem ita accidiſſe narrat, ſimoniam late graſſatam eſſe per Britanniam tempore Nomenoii Principis Britanniæ. Quamobrem Convoionem, ut hanc peſtem ex provincia depelleret, adiiſſe Nomenoium, conqueſtumque, quod Epiſcopi ſacras ordinationes pretio venderent, rem fore & ſibi & provinciæ noxiam, niſi malum emendaret. Nomenoium Epiſcopos provinciæ cum iis, qui ſcientia & doctrina ceteros anteirent, congregaſſe. Et rogaſſe Pontifices, an pecuniam pro ordinatione accepiſſent? reſpondiſſe nec dona nec munera ſe accepiſſe, ſed debitum honorem. Cum res altercationibus diſtraheretur, & inprimis Subſannus Epiſcopus adverſaretur, Romanum Pontificem de ea re conſulere decretum eſſe. Duo, inquit, Epiſcopi Romam delegati ſunt, Subſannus Epiſcopus Venetenſis, & Felix Coriſopitenſis, huc que proficiſci rogatus eſt Convoion Abbas, ut cauſam cum Epiſcopis diſcuteret. Itum eſt Romam, tunc temporis Leo IV. Pontificatum Romanum gerebat, qui audita itineris cauſa, Synodum convocat, ubi ad examen revocata cauſa eſt, objurgati Epiſcopi ſunt, lectuſque canon, quo gradu ſuo privantur Epiſcopi, qui venales habuerint ordinationes. Convoion ſummo Pontifici gratus acceptuſque fuit, corpuſque ſancti Marcellini ab eo accepit, quod ad Rotonenſe monaſterium honorifice delatum eſt. Ex Leonis PP. epiſtola patet Epiſcopos miſſos Romam, conſultumque eſſe ſummum Pontificem de ſimonia, reſpondiſſe Leonem eos dejiciendos eſſe de gradu, nullam vero admittendam eſſe alicujus Epiſcopi damnationem, *niſi ante legitimum numerum Epiſcoporum, qui ſit per* XII. *Epiſcopos, aut certe probata ſententia per* LXXII. *idoneos teſtes.* Quomodo vero hæc quis valeat omnia conciliare? haud abnuam aliquot Epiſcopos in Britannia ſimoniæ crimine ſuſpectos fuiſſe, Nomenoiumque hoc prætextu voluiſſe eſſe è cathedra dejectos Epiſcopos, qui hac labe tenerentur, ut ipſe alios in eorum locum collocaret, qui ſuo beneficio gererent pontificatum, quibus poſtea ad promovenda ſua conſilia uteretur. Ob eam igitur cauſam exiſtimem cœtum in Britannia ab eo congregatum, cumque negotium tumultu & clamoribus ageretur, cauſam delatam eſſe ad ſummum Pontificem, conſultumque eſſe de ea aliiſque rebus. Cum vero haud omnino reſponſio ſummi Pontificis

* *Indiculus ſic habet*

Acta Benedict. tom 4. part. 2.

ejus conſiliis congrueret, diffideretque Epiſcopis, quos è Turonenſi provincia, vel ex aliis Caroli Regis provinciis acciri oportebat; tum puto Nomenoium vel dolo, vel poteſtate, qua valebat in Britannia, dejeciſſe eos, quos ſciret vel Ludovici Pii, vel Caroli opera conſecutos hunc honorem, & quos ſuis adverſari conatibus noſſet. Tumque Epiſcopos ad Carolum Regem confugiſſe, & ad Turonenſem Epiſcopum hujus provinciæ Metropolitam. Immo & de eo negotio ad Leonem PP. ſcriptum eſſe, qui ad Nomenoium litteras ſcripſerit, quas ipſe rejecit: ac demum habitam eſſe Pariſiis Synodum anno DCCCXLIX. Sirmondus aliique Turonenſe Concilium appellant, quod poſtremus Conciliorum collector emendare ſtuduit. Etenim ex fragmento chronici Fontanellenſis hoc Concilium Pariſienſe appellat, in eo namque chronico legimus Synodum generalem Pariſiis habitam anno DCCCXLIX. quod non aliud fuit ab hucce Concilio, de quo modo eſt ſermo. Huic Concilio adfuerunt Epiſcopi quatuor provinciarum cum Metropolitanis. Ex eo nihil nobis ſupereſt, præter epiſtolam ſynodicam ad Numenoium, quem Epiſcopi vocant priorem gentis Britannicæ. Ex hac epiſtola ea quæ ex indiculo deſcripſimus, haud vana eſſe, neque ſuppoſita cognoſcimus. Primo patres Nomenoium ad pœnitentiam adhortantur propter varia, quæ commiſerat crimina, quæ enumerant. Sed aiunt inprimis Epiſcopos legitimos ex propriis ſedibus expulſos eſſe, mercenarioſque introductos, quos fures & latrones nolunt dicere, violatam diœceſim ſeu provinciam beati Martini, quod ſcilicet Britanniam è Turonenſi provincia detraxiſſet, & creaviſſet contra regulas Eccleſiæ archiepiſcopatum Dolenſem, conqueruntur etiam, quod noluerit audire monitiones Leonis IV. PP. & ejus litteras ſpreverit rejeceritque. Lambertus Namnetenſis Comes fuerat, hunc Carolus ex comitatu removerat, Reinoldumque in ejus locum ſubrogaverat; ille licet aliis donatus honoribus, irâ ob ablatum munus percitus ad Nomenoium transfugerat; hic, qui multa volvebat animo, & tyrannidem meditabatur, eum ſuis cœptis utilem fore ratus, ultro in amicitiam recepit; etſi antea Carolo Regi auctor fuerat, ut illi comitatum Namnetenſem adimeret. Britanniæ comitatus, ſeu provincia certis quibuſdam limitibus definita erat, quos ille exceſſerat. Venetos enim, Namnetas & Redonas ſuæ adjunxerat provinciæ, quibus antea ſui Comites erant; hoc quoque Patres Synodi Pariſienſis reprehendunt. Demum pluribus verbis eum ad reſipiſcendum adhortantur monentque, ut emendatione & pœnitentia ſalutem conſequatur. Sin vero in malo perſiſtat, minantur illi & ſuarum partium fautoribus anathema; & ab apoſtolica ſuaque ſocietate ſeparationem, ſed integram epiſtolam profero.

Synodica Concilii ad Nomenoium Ducem Landramnus Turonum metropolitanus Epiſcopus, Dodo Andegavorum, Aldricus Cenomanorum Epiſcopus, Guenilo Senonum metropolitanus Epiſcopus, Henboldus Autiſiodori Epiſcopus, Prudentius Tricaſſinorum, Agius Aurelianorum, Ercanradus Pariſiorum, Hucbertus Meldorum, Helias Carnutum, Herimannus Nivernorum, Hincmarus Remorum metropolitanus Epiſcopus, Immo Noviomagi, Pardulus Lugduni, Rhotadus Sueſſionum, Hilmeradus Ambianorum, Erpoinus Silvanecti, Ermenfridus Bellovacorum, Paulus Rotomagi metropolitanus Epiſcopus, Saxobodus Satorum Epiſcopus, Freculfus Lexoviorum, Valfridus Baiocacenſium, Nomenoio Priori gentis Britannicæ ſalutem, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. IV. Lup. Ferrat. Epiſt. 84.

Diu eſt, quod Deus occulto, juſto tamen judicio, permiſit eſſe te rectorem gentis tuæ, in quo tamen regimine qualem te exhibueris, teſtis eſt conſcientia tua, & amaræ querimoniæ diverſarum Eccleſiarum, & afflictiones nobilium & ignobilium, divitum & pauperum, viduarum & orphanorum, quos damnabili cupiditate & horribili crudelitate vexaſti. Sed quia Chriſtianum nomen non penitus abjeciſti, & nos ex apoſtolica ſucceſſione debitores ſumus omnibus, ut bene agentes ad perſeverantiam exhortemur, delinquentes autem ad pœnitentiam auctoritate divina provocemus, vehementiſſime tuis exceſſibus condolemus, & à tuo interitu paterna & epiſcopali ſollicitudine te cupimus revocare. V.

Cupiditate tua vaſtata eſt terra Chriſtianorum, templa Dei partim deſtructa, partim VI.

LIB. VII. CAP. II. incenſa, cum ſanctorum oſſibus ceteriſque reliquiis. Poſſeſſiones Eccleſiarum, quæ fue-
runt vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperum, illicite in tuos uſus
redacta, hereditates nobilium ablatæ, & maxima multitudo hominum vel interfecta,
vel ſervitute oppreſſa, rapinæ crudeliſſimæ perpetratæ, adulteria & corruptiones vir-
ginum paſſim commiſſæ, Epiſcopi legitimi ſedibus propriis expulſi, & ut mitius loqua-
mur, quia dicere nolumus fures & latrones, mercenarii introducti, patroni noſtri beati
Martini quondam diœceſis, ex quo vos eſſe negare non poteſtis, violata, omnes poſtre-
mo eccleſiaſtici ordines perturbati; quod nimis dolendo & compatiendo dicimus.

VII. Satis hæc ad tuam perditionem ſufficiebant. Sed ad cumulum malorum auxiſti teme-
ritatem, & omnem læſiſti Chriſtianitatem, dum vicarium beati Petri Leonem apo-
ſtolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, ſprevisti. Cum enim eum
poſtulaſſes, ut in libro ſuo te ſcriberet, & pro te Dei clementiam exoraret, & ille di-
rectis litteris ſe id facturum promiſiſſet, ſi ſe monentem obedienter audires; non ſolum
nihil eorum, quæ mandaverat feciſti, ſed ne litteras quidem ipſas recepiſti; & quia
nolebas à malo deſinere, timuiſti bene monentem audire. In eo igitur læſiſti Apoſtolos,
quorum eſt princeps Petrus; læſiſti Epiſcopos, qui jam cum Deo regnant in cælis, &
miraculis coruſcant in terris; læſiſti & nos, qui, etſi non habeamus eorum meritum,
idem tamen divina gratia poſſidemus officium.

VIII. Nuper etiam excipiens Lantbertum, quem Eccleſia materna pietate ex aliqua parte
receperat, ea ſcilicet conditione, ut ſe corrigeret, & mala ſolita perfecte declinaret,
feciſti te participem, immo auctorem perturbationis populi Chriſtiani. Eum enim ama-
tor pacis Dominus noſter Rex, etiam ad tuam ſuaſionem, removerat à finibus tuis, &
aliis honoribus decoraverat. Et nunc cum rebellare conantem, velut in gremium recepi-
ſti, & ut in malo proficiat, fovere non deſinis. Iube afferri libros tuos. In eis commi-
Par. 19. nantem Dominum audies, impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum
amicitia jungeris; & non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus,
dignos eſſe morte invenies.

IX. Nec ignoras quod certi fines ab exordio dominationis Francorum fuerunt, quos ipſi
vindicaverunt ſibi, & certi quos petentibus conceſſerunt Britannis. Quomodo ergo deſ-
Proverb. 22. picis legem Dei, quæ præcepit, ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt patres tui?
Deut. 27. & terram Francorum injuſte tibi defendere conaris? nec formidas illud: maledictus qui
tranſgreſſus fuerit terminos proximi ſui? O quid facturus es in die magni judicii, cum
tibi reddenda erit ratio de tuis annis, menſibus, horis, momentis? & hoc erit celeri-
ter: Verum eſt enim quod juvenis poſſit cito mori, ſed ſenex diu non poſſit vivere. Ante
te prolixum fuit ſeculum. Poſt te quoque Deo certum eſt quantum durabit. Pro hac
vita breviſſima noli tibi ſempiternam miſeriam comparare.

X. Niſi deponas perſuaſionem alienorum, oppreſſiones omnium, ſocietates perditorum,
& recipias admonitionem ſedis apoſtolicæ, noſtræque unanimitatis, non tibi prodeſt
Math. 7. fides, nec quæcumque putas bona opera: quia ſalvator dicit: Non omnis qui dicit mihi
Domine, Domine intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem patris mei,
qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Cogita quid mereatur qui ſcandali-
zaverit unum de puſillis; & ita poteris colligere, quam ingentem ſis perlaturus, niſi
reſipueris, damnationem, qui partem maximam populi Chriſtiani graviſſime pertur-
baſti.

XI. Quamobrem monemus te, obſecramus, obteſtamur, tuæ ſalutis cupidi, pone finem
malis tuis, convertere ad Dominum, cujus nemo noſtrum poteſt effugere judicium. Fac
fructus dignos pœnitentiæ. Hoc eſt. Quia granditer deliquiſti, granditer bona exerce;
ut non ſolum non torquearis cum diabolo & reprobis in inferno, verum etiam gaudeas
cum Deo & electis ejus in cælo. Id quoque tibi pollicemur, quia ſi te Deo reſtitueris,
apud eum interceſſores pro peccatis tuis eſſe cupimus; & apud pium Principem noſtrum,
ut tibi tuæque poſteritati benigne conſulat, conabimur obtinere.

XII. Maximum reatum te contraxiſſe ſcimus, quod epiſtolam ſedis apoſtolicæ reſpuiſti,
exiſtimans aliqua in ea tibi noxia contineri. Sed quod exemplar ejus venerabilis Papa
nobis dignatus eſt dirigere; notum tibi facimus nihil in ea contineri, quod ad tuam per-
tineat læſionem; & propterea parati ſumus, ſi vis, ſecundo legatum ſedis memoratæ
cum ſcriptis toti mundo venerandis dirigere. Quod ſi eum non receperis; nos, qui nos mo-

nuimus, excuſabiles erimus: ſi autem receperis & auſcultaveris, & Dominum & bea- LIB VII. CAP. II. *tum Petrum propitios & nos habebis in fide conjunctos, & interceſſione proficuos. Si vero nos benigne monentes contempſeris, certum tibi ſit nunquam tibi futurum locum in cælo, & cito non futurum in terra: quia tua culpa ſeparatus ab apoſtolica & noſtra ſocietate, anathematis ultione, locum habebis, quod avertat Deus, in tartaro. Hoc etiam per tuum miniſterium denuntiamus Lautberti hominibus, & quibuſlibet gentis tuæ, quia ſi communicaverint ipſi, & rebellioni ejus conſenſerint, anathemate condemnabuntur, & traditi ſathanæ ſine fine peribunt. Converſos autem recipimus, & in pace Chriſtiana permanere optamus, atque pro eis parati ſumus Domini noſtri Regis clementiam, quantum poſſumus flectere.*

Extat fragmentum epiſtolæ Leonis PP. ad Nomenoium, qua improbat de- XIII. jectionem Epiſcoporum Britanniæ, & intruſos in aliorum locum fures & la- Decret 197. trones vocat, monetque Nomenoium, ne Giſlardum Namneticæ ſedis invaſorem pergat defendere. Benedictus III. PP. de ea re conqueſtus eſt apud eumdem Nomenoium, quod Nicolaus PP. refert in epiſtola ad Salomonem Epiſt. 22. Britauniæ Ducem: a pena. eum ſcilicet indigne tuliſſe, quod Nomenoius per laicos cauſam Epiſcoporum Britanniæ cognoſci & judicari juſſiſſet, *nullam enim poſſe Epiſcopos ſui honoris ſuſtinere jacturam, quos non conſtat fuiſſe à duodecim Epiſcopis, primamque ſententiam metropolitano Epiſcopo obtinente, cum examinarentur, auditos.* Nicolaus PP. epiſtolâ ad Salomonem Britanniæ Ducem, cauſam Epiſcoporum, qui dejecti fuerant, à metropolitauo Turonenſi retractandam cenſet, aut certe duos Epiſcopos ex dejectis, duoſve ex ſubrogatis Romam venire jubet, *ut digna examinatione præmiſſa, qui legitimi Epiſcopi ſint, appareat; & ſuas Eccleſias irregulariter non amittant.* Ad ſe pariter cauſam metropolitani Britanniæ advocat, fatetur nullam hujus provinciæ metropolitani fuiſſe memoriam. Ex his omnibus clarum eſt, ſub Nicolao PP. nondum cauſam de Epiſcopis Britanniæ terminatam. Immo jus metropoliticum Epiſcopo Dolenſi duravit ad tempora Innocentii PP. III. qui demum litem finivit, ſubjecitque iterum Britanniæ Eccleſias metropoli Turonenſi, quod antea multi Pontifices Romani incaſſum aggreſſi fuerant, Leo IV. Benedictus III. Nicolaus I. Urbanus II. & Gregorius VII. Hæc de ea cauſa, quæ in Synodo Pariſienſi pertractata eſt.

Carolus Nortmannis ex agro & urbe Pariſienſi exactis, ad Floriacenſe mo- XIV. naſterium venit, Pippinumque filium Pippini Regis Aquitaniæ ad ſe venientem ſuſcipit, fidemque nepos patruo pollicetur, ſacramentoque obligat. Rex nepotem complexus Aquitaniæ regnum illi committit, *præter Pictavos, Santtonas & Ecoliſmenſes.* Aquitani illico ad ejus obſequium relicto Carolo redierunt. Carolus hujuſce Pippini frater, qui ad Lotharium fugerat anno DCCCXLIX. dum ad Pippinum fratrem in Aquitaniam properat, captus eſt in regno Caroli, & ad patruum adductus eſt, & inde ad conventum Carnutenſem, ſollemnique cœtu poſt ſacra ſollemniter & rite peracta ambonem Eccleſiæ ſpectante conventu adſcendit, teſtatuſque eſt palàm ſe Dei impulſum amore ſponte, nec invitum ambire clericatum, & optare ſe clericorum catalogo adſcribi; aderant multi Pontifices, qui poſtea eum attonſum clericum fecerunt. Anno ſequenti, qui DCCCL. Erchanradus Epiſcopus Pariſienſis obtinuit à Carolo Rege præceptum, quo confirmatur donatio prædiorum, quæ olim canonicis Eccleſiæ Pariſienſis Inchadus Epiſcopus in Synodo Pariſienſi contulerat. Datum legitur XIII. Calend. Maii, auno Caroli Regis undecimo, actumque eſt in Sylviaco palatio, hoc ipſum præceptum hic deſcribimus.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex. Si ſacerdo- XV. *tum ac ſervorum Dei petitiones, quas pro utilitatibus & neceſſitatibus ſuis ſuorumque ſucceſſorum nobis innotuerint, ad effectum perducimus, non ſolum regiam exercemus ſollicitudinem, verum etiam ad beatitudinem æternæ retributionis talia acta nobis profutura confidimus. Idcirco notum eſſe volumus omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus ac noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quia vir venerabilis Erchenradus Pariſienſis*

Eccleſiæ Epiſcopus noſtræ innotuit ſerenitati, quod pro Dei omnipotentis amore & futuro ejuſdem congregationis cavendo periculo, ne aliqua ſucceſſorum ſuorum negligentia aut parcitate ordo in ea futuris temporibus perturbaretur canonicus, quaſdam villas anteceſſor ſuus Ynchadus ejuſdem ſedis quondam Epiſcopus fratribus per privilegium Epiſcoporum manibus roborasum, ſpecialiter futuris temporibus neceſſitatibus canonicorum ibidem Deo famulansium deſerviendas conſtituiſſet ac deputaſſet, unde debita ſtipendia habere debeant, quatinus nulla occaſione nec rei publicæ ſervitio quiſquam ex ſucceſſoribus impedimentum in futuro inferre potuiſſet, pro quo à via rectitudinis & obſervatione canonica eos aberrare neceſſe foret, ſed deputatis ſibi rebus contenti abſque neceſſitate & inopia canonicum ordinem tenere, & ſine prævaricatione, quantum humana ſinit fragilitas, obſervare quiviſſent, ex ſemetipſis ſemper per communem aſſenſum eligentes Præpoſitos & Decanos, qui & eaſdem villas prævideant, & debita ſtipendia fratribus miniſtrent. Ob firmitatem tamen rei petiit memoratus Erchanradus Epiſcopus, ut pro divino intuitu & futuro ipſius congregationis cavendo periculo ſuper eandem conſtitutionem auctoritatis noſtræ præceptum fieri juberemus, per quod in antea ſtabilis & inviolata permaneret. Nos vero petitioni illius, quæ neceſſaria & rationabilis erat, aurem accommodantes, velus poſtulaverat, fieri adjudicavimus. Quapropter ſtatuimus atque jubemus & noſtra præceptione confirmamus eis villas, quas dudum per privilegium habere noſcuntur, ad eorum neceſſitates procurandas & metu futurorum uſuum propellendo, videlicet Vndreſiacum cum omni integritate & ſuis appendiciis, Hileriacum cum omni integritate omnibuſque ad ſe pertinentibus, Aureliacum, Civiliacum, Caſtanedum, Balneolum, Steovillam & Layacum cum omni integritate & eccleſiis & univerſis quæ pertinent ad eas, & quicquid inde homines per beneficium aut precarias tenent, & illic pertinere videtur, ut per eorum deceſſum ad uſus fratrum reverſantur; inſuper & fundos, quos fidelium liberalitas ſtipendiis eorumdem fratrum delegavit, videlicet duas partes de villa quæ vocatur Sulciacus, & res in Larziaco & in Lotueo villa, quas ipſi modo habere noſcuntur, ſed & medietatem decimæ ac nonæ, quæ de rebus ipſius Eccleſiæ ab hiis qui eis utuntur exigi ſolent. Has ergo villas cum omnibus appendiſiis & redditibus ſuis, ut diximus, ad omnes ejuſdem congregationis neceſſitates & ſuſtentacula mortalis vitæ miniſtranda, regali auctoritate & indulgentia, per hoc præceptum confirmationis noſtræ ſtabili jure eis concedimus ac confirmamus. Præcipientes ut nullus Epiſcoporum per ſucceſſiones ſubtrahere aut minuere aut ad uſus ſuos retorqueat, aut alieni in beneficio tribuat, aut ullum impedimentum ex prædictis villis eis inferat, ſed neque ſervitia ex eiſdem villis exactet, nec ullas in aliqua re exactiones inde exigat. Si augere eis aliquid placuerit, licentiam habeant, diſtrahendi autem aut minuendi ea, quæ pro Dei ſtatuta ſunt amore, nequaquam præſumant. Petimus etiam ſucceſſores noſtros, us hanc noſtram liberaliſſimam conceſſionem ita conſervent, ſicut ea quæ ob amorem Dei æternamque mercedem ſtatuerint, à ſuis voluerint ſucceſſoribus eſſe ſervanda. Et ut hæc auctoritas, quam ob amorem Dei & animæ noſtræ remedium ſtatuimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulſa valeat perdurare, manu propria ſubter eam firmavimus, & de anulo noſtro ſigillari juſſimus. Signum Karoli glorioſiſſimi Regis. Æneas Notarius ad vicem Ludovici recognovit. Datum XIII. *Kal. Maii. Indict.* XIII. *in anno* XI. *regni Karoli glorioſiſſimi Regis. Actum in Silvaico Palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.*

XVI. Hoc eodem anno apud Murittum habita eſt Synodus in provincia Senonenſi, cui præfuit Vvenilo, ſeu ut alii vocant, Guenilo. Extat hujus Concilii memoria inter epiſtolas Lupi Ferrarienſis Abbatis, & fragmentum epiſtolæ ad Erchanradum Epiſcopum Pariſienſem, huic præſcripta nomina Epiſcoporum Guenilonis, Heriboldi, & Agii. Cur verò hæc habita Synodus, quidve in ea tractatum ſit haud reperitur. Sic epiſtola incipit.

Reverentiſſimo Erc. G. H. & Ag. Epiſcopi & univerſa Synodus apud Murittum in Dei nomine congregata perpetuam ſalutem.

S*Anctitati veſtræ gratias agimus, quod quamquam tardiuſcule, tamen veſtrum vicarium direxiſtis, qui pondus deliberationum noſtrarum nobiſcum exciperet,*

definiendiſque rebus neceſſarium conamen adhiberet. Sed perſona veſtra apud ſimplices quoſque tantum amplius contuliſſet auctoritatis, quantum præcedis apice dignitatis. Proinde quia peccatis noſtris merentibus turbulentiſſimum tempus eſt, & tot ſibi ſuccedentibus annis, exuberante iniquitate defuit facultas celebrandi conventum, ac Regis cor Deus ita mollivit, ut nobis aliquam correctionis largiretur opportunitatem, momenta vero vitæ noſtræ nullam ſui tranſitus dilationem recipiunt, cauſam ipſius Domini noſtri haud quaquam ſegniter debemus curare, nec nos ab executione officii, quod indigni ſuſcepimus, ulla niſi impoſſibilitatis neceſſitate ſubtrahere: quoniam, ut ſcriptum eſt. Homo videt in facie, Deus autem in corde; qui redditurus eſt, ut alibi veriſſime dicitur, unicuique ſecundum opera ſua. Atque utinam ſupererogaremus aliquid, ut ipſe rediens, optata mercede cumularet. Caritatis igitur... &c.

LIB VII. CAP. III.

1. Reg. 16. Matth. 16.

CAPUT III.

De Placitis apud Marſnam. De Concilio Sueſſionenſi, ubi de clericis ab Ebone ordinatis. De Concilio ad Vermeriam. De conventu apud Bonoilum. De morte Erchenradi junioris Epiſcopi Pariſienſis. De Ludovico Abbate ſancti Dionyſii. Et de Foſſatenſi monaſterio.

POTENTIA Francorum ſuis exteriſque deſpectui ita erat, ut quantum illi ſuos principes contemnerent, tantum hi gentem, quæ nuper Europam ferme ſuo imperio ſubjecerat, deſpicerent. Sicut enim Duces & Comites provinciarum haud verebantur imperata principum negligere, & ſumma poteſtate regere provincias, ita externæ nationes diſtractum à fratribus imperium invadere & populare impune audebant. Nortmanni, qui primum oram maritimam deprædari aggreſſi ſunt, ſumpta ex noſtris diſſidiis, & Regum æmulatione audacia, in partes interiores regni prædabundi accedebant per oſtia Sequanæ, Ligeris, & Garumnæ, invectique ad ſcaturiginem uſque amnium evadebant, diripiebantque loca & nobiliſſimas regni civitates. Antea de Nomenoio dictum eſt, quemadmodum à Carolo Rege defecerit, populatiſque vicinis Britanniæ provinciis, ſe Regem vocitari & inungi juſſerit, & contempſerit monitiones ſummi Pontificis, & Epiſcoporum, qui Pariſios convenerant. Ille tandem auno DCCCLI. Deo ulciſcente prava ejus facinora ſubita morte raptus peſſime interiit. Narrant antiqui annales ab Angelo divinitus percuſſum malam mortem oppetiiſſe. Eriſpoius ejus filius huic ſucceſſit, quem Andecavis Carolus receptum in fidem Regem agnovit, paternaque donavit hæreditate, adjectis etiam Namnetis, & Rhedonibus cum Retenſi pago. Cum nihilominus fidem violaret, Rex in Britanniam profectus eſt, verum amiſſo Duce Viviano infeliciter pugnavit. Neque modò regnum Caroli his motibus vexatum erat, Germaniam quoque Nortmanni impetebant, & Mauri Lotharii fines aggrediebantur. Reges demum agnoverunt has ſuis regnis ingruere tempeſtates ex fraternis odiis & domeſticis diſſidiis. Placuit itaque his malis mederi, anno DCCCXLVII. jam apud Marſnam menſe Februario convenerant. Simul pacem juraverant, polliciti ſibi mutuum auxilium, ſi res alterius poſtularet, ulturoſque promittunt, ſi quis pacem convellere contendat, I.

 redditurosque Eccleſiis non modo ſuum honorem, ſed ſuas etiam poſſeſſiones, quas legitime ſub Ludovico pio habuerint, & ſuis quoque, ſi fidem ſervaverint, ſua reſtituturos, quæ temporibus avi patriſque poſſederint, ſe deinceps rapinas & deprædationes haud paſſuros, Miſſoſque ideo ſe in provincias delegaturos, qui cauſas examinent, & omnia ſecundum jus & æquum definiant, aſſeruntque ſe deinceps punituros eum, qui raptum fecerit. Quod ſi acciderit, ut alter eorum mortem oppetat, ſtatuunt ejus filios paternæ hæreditati ſucceſſuros, legatoſque mittendos, tam ad Ducem Britanniæ, quam ad Regem Nortmannorum, qui eos infenſos ipſis fore denuncient, niſi pacem ſervare ſtudeant. Pollicentur demum inter ſe ea ſervaturos, & Carolus inprimis ea ſe in condicto Pariſiis placito ad feſtum ſanctis Joannis confirmaturum. Anno deinde DCCCLI. eodem convenerunt iidem Reges, & ex conſilio Epiſcoporum & optimatum aliquot ediderunt capitula, quibus ipſi ſubſcripſerunt, pactique ſunt inter ſe, velle abolitam eſſe ante-actorum malorum memoriam, neque ſe audituros ſuſurros & mendacia perditorum hominum, ſibique invicem mutuum ſpondent auxilium, ſuiſque filiis, ſi alter obierit, expulſuroſque è regno turbatores pacis, & ſeditioſos homines, qui lites facere voluerint, neque ſe recepturos, quiſquis ab Epiſcopo excommunicatus ſit, aut qui inceſtas, illicitaſque nuptias fecerit, ſeque ſuos fideles in ſuo ſtatu & ordine conſervaturos eſſe, & emendaturos quicquid peccatum, aut peſſime actum à ſe conſtabit, animadverſuroſque in eum, qui ea capitula violare, aut infringere audeat. Hæc apud Marſnam, quæ ſecus municipium Trajectum eſt, condita ſunt.

II. Anno DCCCLIII. x. Calend. Maias Caroli Regis xiii. Indict. i. habitum Sueſſionenſe Concilium in monaſterio ſancti Medardi, ubi Rex Carolus ipſe adfuit, acta Synodi nobis ſuperſunt, continentque tres partes. Pars prima habet tredecim canones, altera pars complectitur actiones viii. Tertia pars continet duodecim capitula. Primus canon habet, quod Hincmarus oſtendit haud paucos clericos ab Ebone ſuo deceſſore ordinatos poſtquam canonice depoſitus eſt, nec canonice reſtitutus. Series ejus depoſitionis prolata eſt cujus auctores multi Metropolitani cum pluribus aliis Epiſcopis, & è contrario pauci prolati ejus reſtitutionis artifices, ex quibus clarum fuit illicite cathedram repetiiſſe, Hincmarum vero juxta canones & regulas Eccleſiæ ad ſedem acceſſiſſe. In ii. canone de Herimanno Eccleſiæ Nivernenſis Epiſcopo quæſtio eſt; is in Synodo increpatus ab Epiſcopis, quod ſæpe aliquos moleſte habuiſſet, injunctum ejus Metropolitano ut Nivernum cum aliquot Epiſcopis ſe conferret, & omnia eccleſiaſtica negotia componeret, retineretque tota æstate Senonis Epiſcopum Herimannum, quem melioribus inſtitutis informatum populus ad ſedem revocaret. Tertio canone de Burchardo actum eſt. Burchardus electus fuerat Epiſcopus Carnutenſis; electio tamen ob quaſdam cauſas vacillabat, delegati ei tres Epiſcopi, Hincmarus Remenſis Epiſcopus, Pardulus Laudunenſis, Agius Aurelianenſis, qui ab eo poſcerent, an ſe idoneum necne cathedræ Epiſcopali agnoſceret. His auctoribus Epiſcopis Synodum ingreſſus aſſeruit ſummæ eſſe arrogantiæ ſe hoc gradu dignum palam profiteri, cumque ei nullus crimen intenderet, decrevit Synodus mittendos Carnutum à Metropolitano Epiſcopos, qui Burchardi electionem cognoſcerent, & ad ſe referrent, ordinandumque optantibus Epiſcopum. iv. Canone de Aldrico Cenomanenſi Epiſcopo fuit ſermo: Is ad Synodum ſcripſerat ſe paralyſi vexatum, Synodo haud interfuiſſe, rogabatque patres, ut ſibi ſuis precibus opitularentur, quod ultro promiſerunt, injunctumque Amalrico Turonenſi Epiſcopo, ut ad eum accederet, & quæcumque officia illi & ejus Eccleſiæ redderet. Superiore anno Pippino, Carolus ceſſerat Aquitaniam, ille tamen ab ejus partibus poſtea defecerat, neque ullum modum habebat in provincia, ſoluta erat diſciplina eccleſiaſtica ac militaris, vaſtarique impune provinciam ſinebat. Sancius Comes Vaſconiæ, hunc ceperat & ad Carolum adduxerat, attonſus in monaſterio ſancti Medardi ſervabatur, idque conſilio Pontificum & procerum. Duo deinde monachi

monachi pacis turbatores, de eo in libertatem vindicando occultis molitioni- LIB VII.
bus egerant. De eo negotio v. Canone pertractatum eſt; ab Abbatibus, qui CAP. III.
aderant, condemnatum monachorum facinus eſt, & congregatio ſancti Medardi eos à ſua ſocietate præcidit, in Synodo comperti conjurationis ſunt, ideoque à presbyteratu dejecti, & ſeparatim relegati in monaſteria ſui ordinis. Sextus deinde canon tractat cauſam Ragamfridi diaconi Eccleſiæ Remenſis, qui coram Synodo eſt impetitus à Rege, quod falſa præcepta regio nomine compilaſſet. Primùm à Synodo abire juſſus eſt, vetituſque exire à parochia Remenſi, donec crimen certis diluiſſet argumentis; has de perſonis Synodus quæſtiones egit, tum decreti canones de diſciplina. VII. Itaque canon eſt de monaſteriis, ut in his cultus divinus inſtauretur. VIII. Sancit, ut Eccleſiæ perfruantur immunitatibus, quibus olim à Regibus donatæ ſunt. IX. Ut ex eccleſiaſticis bonis ſaltem nonæ & decimæ Eccleſiis reddantur. X. Canone prohibent fieri in locis ſacratis judicia publica. XI. Excommunicantur, qui vindictam ſumere audent de iis, qui ex diſciplina eccleſiaſtica noxios reoſve coercent. XII. Jubentur judices adducere ad Epiſcoporum præſentiam inceſtos alioſve homines perditos. XIII. demum canone prohibetur ne res eccleſiaſticæ ullo modo commutentur abſque Regis conniventia.

Sequitur deinde actio prima. Sigloardus, qui locum archidiaconi Remenſis III.
tenebat, dixit clericos Remenſis Eccleſiæ ad fores ſtare, qui peterent ſe introduci, quorum nomina recitata ſunt, Rodoldus, Giſlaldus, Vulfadus, Fredebertus, ex canonicis ipſius ſanctæ matris eccleſiæ, Sigiſmundus ex monaſterio ſancti Theodorici, & ex monaſterio ſancti Remigii Nortvinus, Heinradus, Mauringus, Auteus, Teutlandus, Haroaldus, Radulphus, & Vvicpertus; qui introducti miſericordiam petierunt, quod ab Ebone ordinati miniſterium eccleſiaſticum exercuiſſent, ob quam cauſam à miniſterio ſuſpenſi fuerunt, libellumque rogati porrexerunt Hincmaro Archiepiſcopo, qui cum Vvenilone & Amalrico Archiepiſcopis ſub præſentia Regis Caroli præſidebat: cumque Vulfadus morbo vexatus non adeſſet, juſſit Hincmarus ei libellum deferri, cui ſubſcripſit. Tum delecti judices ab Hincmaro, qui cauſam cognoſcerent, appellatique ſunt Vvenilo Archiepiſcopus Senonenſis, Amalricus Turonenſis Archiepiſcopus, & Pardulus Laudunenſis Epiſcopus, quos & ipſi clerici approbarunt, unumque Prudentium Tricaſſinum antiſtitem addiderunt, cui judicum electioni & Vulfadus aſſenſus eſt. In actione II. Judices quæſierunt an Ebo rite & canonice dejectus? an per injuriam & contra canones? & an legitime, poſtquam dejectus Ebo, reſtitutus ſit? ut de eorum ordinatione judicium conſtet. Quæſitum quoque eſt, an ordinatio Hincmari legitima eſſet, & canonica, necne? Tum Lupus Ferrarienſis Abbas protulit libellum, quo Ebonem propria confeſſione propter crimina alienum ſe à ſacro miniſterio judicaſſe, & quadraginta quatuor Epiſcoporum judicio condemnatum receſſiſſe à ſacerdotio conſtabat, & à Sergio deinde PP. damnatum, adeo ut laica tantummodo communione contentus maneret, qui nihilominus uſurpare irreverenter miniſterium auſus eſſet. In actione III. Judices dixerunt, quod quidem ex his, quæ allata fuerant, clarum eſſet Ebonem canonice dejectum, nec legitime nec regulariter reſtitutum. Tum de Hincmari ordinatione quærere cœperunt. Rothadus Epiſcopus Sueſſionenſis oſtendit, quemadmodum ad cleri & populi poſtulationem à vicina ſit expetitus Eccleſia, protulitque Erchenradi Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopi litteras metropolitani Senonenſis ſubſcriptione confirmatas, & pariter cleri populique Remenſis decretum, quo poſcebant, ut Hincmarus ordinaretur Epiſcopus: oſtenditque Hincmarum præſentibus Remenſis diœceſeos Epiſcopis fuiſſe ordinatum. Hincmarus ipſe epiſtolam porrexit totius Galliæ Epiſcoporum manibus ſubſcriptam pro confirmatione ſuæ ordinationis, obtulitque Synodo ſacrum Regis Caroli diploma ipſius Regis ſubſcriptione & ſigillo firmatum, quo & ejus ordinatio approbata erat. Ex actione IV. cum evidentiſſimis documentis probatum eſſet Hincmarum canonice ordinatum eſſe: Immo Noviomagenſis Epiſcopus ex auctoritate canonica & apoſtolica oſtendit, quod

qui gradus eccleſiaſticos ab Ebone acceperant, ab eo ordinati non erant, quia *ab eodem, quod idem non habuit, nemo eorum accipere potuit*, immo ejus damnationis participes facti ſunt. In v. actione injunctum & decretum eſt à ſacratiſſima Synodo, ut quidquid in ordinationibus eccleſiaſticis idem Ebo, poſt damnationem ſuam egerat, præter ſacrum baptiſma, quod in nomine ſanctæ Trinitatis perfectum eſt, irritum & vacuum habeatur, & ordinati ab eo, Spiritus ſancti judicio eccleſiaſticis gradibus privati perpetuò habeantur. Tum Fredebertus unus ex iis, qui ordinati fuerant ab Ebone voce omnium dixit ſe paſſum ordinari ab Ebone, *quia viderat ſuffraganeos Remenſis Eccleſiæ, Rothadum videlicet Epiſcopum, Simeonem Epiſcopum, Erpuinum Epiſcopum in metropolim Remenſem eccleſiam conveniſſe cum litteris domni Lotharii, & eumdem Ebonem reſtituiſſe, & oſtenderunt litteras, quaſi ex nomine Theodorici Epiſcopi, Rothadi Epiſcopi, Lupi Epiſcopi, Immonis Epiſcopi, Simeonis Epiſcopi, Fulcoini Epiſcopi, Ragnarii, Hildemanni Epiſcopi, Erpuini Epiſcopi manibus confirmatas, quæ manifeſte falſiſſimæ ſunt comprobatæ*, ideoque communione privati ſunt. Peracto à judicibus de ordinatis judicio VI. actione, Hincmarus locum præſidis cum Vvenilone, Amalrico Archiepiſcopis recepit, habitaque eſt quæſtio de Halduino Altivillaris monaſterii Abbate, is ab Ebone diaconatum acceperat, tum à Lupo Catalaunenſi Epiſcopo Preſbyter ordinatus fuerat: commendatus fuerat à Rege, & oblatus ab archidiacono Remenſi, nihilominus à preſbyteratu & diaconatu judicio Synodi exauctoratus eſt. In VII. actione tractatum eſt de iis, qui cum Ebone oratione & oblatione communicaverant, maxime de iis, qui eum ſciebant eſſe dejectum. Erpuinus Sylvanectenſis oſtendit, qualiter libellari ſatisfactione ſanati valeant & debeant exorbitantes, dictumque eſt Eccleſiam Remenſem ex decreto canonico in ordinatione Hincmari indicta ſibi pœnitentia, conceſſa indulgentia, data communione purgatam ſanatamque fuiſſe. Demum octava actione ad preces Caroli Regis clerici, qui falsò inſimulaverant Epiſcopos Remenſis provinciæ, quod cum Ebone poſt ejus depoſitionem communicaſſent, & contra regulas reſtituiſſent, & ob eam cauſam privati fuerant communione, reſtituti, & per indulgentiam ſacræ Synodi ad communionem recepti ſunt. Hæc porro omnium ſubſcriptione roborata ſunt.

IV. In eadem Synodo Carolus Rex XII. capitula edidit ex conſilio Epiſcoporum, eaque toto regno obſervanda præcepit. Primum Miſſos ire jubet per civitates, & monaſteria tam canonicorum, quam monachorum, ſive ſanctimonialium, una cum Epiſcopo & coram eo, qui eos regit, & inquirere de eorum vita & converſatione, ut ipſi pro ut viſum fuerit omnia corrigant, jubeantque extrui, aut refici officinas ſeu ædiculas in ſingulis monaſteriis, victumque ac potum & veſtitum, & alia neceſſaria ſuppeditent, de ornatu quoque eccleſiarum & redditibus inquirant, quis numerus ſit canonicorum, monachorum, ſeu ſanctimonialium, an major an inferior redditibus ſit? ut aut augeatur, vel minuatur: quæque damna locis intulerint Normanni? ut his provideatur. II. Monentur præterea Miſſi, ut inquirant de monaſteriis, quæ in alodem data ſunt, ut cum Epiſcopis conſulatur, quid de iis agendum? III. Tum iidem quærant de capellis, abbatiolis & caſis Dei, ut loca inſtaurentur. IV. Provideant, ut preſbyteri ſecundum auctoritatem canonicam ſub diſpoſitione, & poteſtate ſuorum Epiſcoporum ſint. V. Ut iidem Miſſi videant, renuncientque de rebus eccleſiaſticis in alodem datis. VI. Ut Miſſi videant, an decimæ & nonæ, quæ de rebus eccleſiaſticis ſolvi debent. Solvantur? & inquirant unde & qua ratione eas teneant? VII. Ut Miſſi Comitibus & aliis reipublicæ miniſtris præcipiant, ne *malla*, vel *placita* in atriis eccleſiarum & diebus feſtis habeantur, quia nefas eſt ibi reos puniri, ubi reſpectu divinæ reverentiæ miſericordiam conſenſu fidelium, & decreto prædeceſſorum noſtrorum conſequuntur. VIII. Item vetatur fieri mallum vel publicum placitum à quarta feria ante initium quadrageſimæ poſt octavam paſchæ: ſimiliter feria quarta ante nativitatem Domini, uſque poſt feſtos dies: ſimiliter in jejuniis quatuor temporum, & rogationibus. IX. Ne ſeniores indigne tulerint, ſi Epiſcopi colonos eorum ad aliorum exemplum

flagellis exceperint, alioquin bannum Regis component, & cum excommunicatione ejus armiſcaram ſuſtinebunt. x. Comites & reipublicæ miniſtri comitentur Epiſcopos quando circumeunt parochiam, ut regia auctoritate & poteſtate adducant ad pœnitentiam, quos per excommunicationem adducere non poterit Epiſcopus. xi. Rex promittit, quod ſuper beneficia eccleſiaſtica vel præſtarias non faciet præcepta. xii. Ne fiant rerum eccleſiaſticarum & mancipiorum commutationes abſque Regis conſenſu, niſi forte mancipia eccleſiaſtica ad libertatem commutentur. Habentur ſubſcriptiones hujuſce concilii, & longe plures inveniuntur Epiſcopi, quam qui ſcripti ſunt in capite hujus Synodi, aut apud Flodoardum, apud quem Sueſſionenſis Synodi magnifica mentio eſt: in his porro ſubſcriptionibus quatuor ſunt metropolitani Epiſcopi, Remenſis, Senonenſis, Rotomagenſis & Turonenſis, Epiſcopi xxix. ex quinque provinciis, & unus Chorepiſcopus cum ſex Abbatibus; huic Concilio interfuit & ſubſcripſit Erchenradus Epiſcopus Pariſienſis: Æneas quoque notarius ſacri palatii Caroli Regis huic ſubſcripſit, longum eſt eas omnes ſubſcriptiones referre, quæ habentur in poſtrema editione Conciliorum.

Hujus Synodi varius exitus fuit. Hincmarus acta hujus Concilii ad Benedictum iii. PP. miſit, quæ ille approbavit ſcripta ea de re ad Hincmarum epiſtola. *Definitiones*, inquit, *fraternitatis & ceterorum Epiſcoporum, quas in præfata Synodo apoſtolicis, canoniciſque auctoritatibus propriis digitis roboraſti, ſi ita eſt, noſtro ut ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eas quidem definitiones Apoſtolica fore promulgamus auctoritate, ſemperque manere ſtatuimus &c.* Etſi hæc quoque Synodus à Nicolao PP. confirmata, cauſa tamen Remenſium clericorum retractata eſt in Concilio Sueſſionenſi iii. & quæ de clericis his ſancita fuerant penitus reſciſſa. Sed de his ſuo loco & tempore dicemus. Verum non propterea hujuſce Synodi Sueſſionenſis ii. acta improbata atque rejecta, ſed ea tantummodo, quæ ad clericos Remenſes pertinebant, cetera nihilominus recepta ſunt. Bertiniani annales de Sueſſionenſi Synodo, & conventu ad Cariſiacum hæc habent. *Carolus menſe Aprili Synodum Epiſcoporum juxta urbem Sueſſionum in monaſterium ſancti Medardi adgregans, duos presbyteros monachos ejuſdem monaſterii ipſe Synodo præſidens, Epiſcopis judicantibus degradari fecit, eo quod Pippinum furari, & cum eo in Aquitaniam fugere diſpoſuiſſent. Ingmarus Remorum Epiſcopus omnes Eccleſiæ ſuæ presbyteros, diaconos & ſubdiaconos, quoſcumque Ebo poſt depoſitionem ſuam ordinaverat, Synodo judicante depoſuit. Pippinus Carolo ſacramentum fidelitatis jurat, & inſuper habitum monachi ſuſcipit, regulæque obſervationem more monachi ſolito promittit. Carolus inde ad Cariſiacum veniens cum quibuſdam Epiſcopis & Abbatibus monaſticis quatuor capitula edidit, & propria ſubſcriptione roboravit. Quorum primum eſt, à Deo neminem prædeſtinatum ad pœnam, unamque eſſe Dei prædeſtinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem juſtitiæ. Secundum, liberum arbitrium, quod in primo homine perdidimus, nobis, prævenente & adjuvante Chriſti gratia, redditum. Tertium, velle Deum generaliter omnes homines ſalvos fieri, licet non omnes ſalventur. Quartum, Chriſti ſanguinem pro omnibus fuſum, licet non omnes paſſionis myſterio redimantur.*

V. — Benedict. PP. Epiſt. ad Hincmar. — Collectio Ducheſniana tom 3. pag. 206.

VI. Eodem anno apud Vermeriam palatium regium vi. Calend. Septembris habita eſt Synodus, de Herimanno Epiſcopo Nivernenſi acta quæſtio; is omnia in Eccleſia perturbaverat, & neſcio quo morbo, ſeu animi invalentudine afficiebatur, rogatus eſt Senonenſis Archiepiſcopus, ut eum retineret per æſtatem, & ipſe interim ejus Eccleſiam ordinaret. Sed quod noſtri inſtituti eſt, monachi monaſterii ſancti Dionyſii ad Synodum acceſſerunt, obtuleruntque teſtamentum Fulradi Abbatis monaſterii ſancti Dionyſii. Is olim ex ſuis facultatibus propriiſque bonis monaſterium Lebrahenſe condiderat, ipſique præfuerat, poſtea Abbas Dionyſianus creatus fuerat, poſtmodum ex ultima voluntate ſubjecerat hoc monaſterium cum cella ſancti Hyppoliti Dionyſianis monachis. Verum inter civiles diſcordias, cum omnia perperàm agerentur, Chonradus vir nobiliſſimus hoc monaſterium cum aliis rebus ad hunc locum pertinentibus uſurpaverat: hanc uſurpationem Dio-

nyſiani apud Synodum conqueſti ſunt, attuleruntque Fulradi teſtamentum, privilegiumque Stephani Papæ, quibus rebus examinatis Epiſcopi definierunt *juxta ſacram ac divinam auctoritatem, atque ſecundum teſtamentum præfati piæ recordationis Fulradi, necnon & ſecundum decretum apoſtolicæ ſedis nullo umquam tempore jam dictum monaſterium ſancti Alexandri cum rebus ſibi pertinentibus à majore monaſterio ſancti Dionyſii quoque ingenio divellendum, nec beneficiario, neque precario jure diſtrahendum.* Hæc Epiſcopi Vermerienſes ad Chonradum, quorum extat epiſtola integra, rogantque eumdem virum, ne ulla ratione hoc monaſterium, aut ejus res in ſuam pertrahat poteſtatem, neque uſurpet, aut ſi jam fecerit, abſiſtat, adduntque humili ſupplicatione & divina auctoritate Regem Carolum à ſe fuiſſe rogatum, Ludovicumque Abbatem cum ſuis monachis vetitum, *ne in hoc aſſenſum ſuum præberent, quoniam nec illi, nec cuiquam fidelium expedit talia poſtulare.* In eadem Synodo capitula Sueſſionenſis Synodi confirmata ſunt. Anno DCCCLV. Leo IV. XVI. Calendas Auguſti moritur: Eoque ferme tempore Lotharius, qui tot motus excitaverat in Galliis, qui patrem Ludovicum ejicere ex imperio, & retrudere in monaſterium tentaverat, ipſe morbo correptus, vitam honoreſque ſæculi pertæſus, in monaſterium Prumienſe ſeceſſit, & monachi inſtitutionem profeſſus eſt, & paulo poſt menſe ſcilicet Septembri IV. Calend. Octob. diem obiit, & in eo loco ſepultus; ante ſeceſſum tribus filiis diviſit Imperium, Italiamque Ludovico reliquit, Lothario provincias, quæ inter Moſam & Rhenum ſunt, Carolus Provinciam cum ducatu Lugdunenſi ſortitus eſt. In hunc annum vulgo conjiciunt fabulam de Joanna Papiſſa, quam complures commenti ſunt mentito ſexu cathedram Romanam invaſiſſe inter pontificatum Leonis IV. & Benedicti III. & ſedem occupaſſe per duos annos, menſes quatuor, dies quinque, quam fabulam viri doctiſſimi jamdudum exploſerunt, hocque uno argumento jugules, quod inter pontificatum Leonis IV. & Benedicti III. paucos dies interceſſiſſe ex auctoribus illorum temporum æqualibus conſtat. Anaſtaſius ipſe ſcribit poſt mortem Leonis IV. mox electum Benedictum, collocatum in ſolio Pontificali, & legatos ad Lotharium & Ludovicum Auguſtos decretum ejus electionis detuliſſe. Lotharius paulo poſt mortuus eſt in monaſterio Prumienſi menſe Septembri. Sed hæc ad longum deducere noſtri non eſt inſtituti; adeundi viri docti, qui hoc argumentum doctiſſime pertractarunt: ſed ut ego ad noſtras res redeam, Carolus Caroli calvi filius Lemovicis Rex Aquitaniæ patre aſſentiente & proceribus populoque petentibus acclamatus & inunctus eſt.

VII. Apud Bonoilum ſeu Bonogilum, quæ villa erat regia agri Pariſienſis, generalis Epiſcoporum conventus habitus eſt anno DCCCLVI. menſe Auguſto, cujus meminerunt Lupus Ferrarienſis & Hincmarus adverſus Gotheſcalcum; hujus conventus ſupereſt conſilium, quod Epiſcopi & ceteri fideles Carolo-calvo dederunt. Statim in eo mentio eſt epiſtolæ, quam ſummus Pontifex Benedictus III. ad Regem, Epiſcopos, & alios ejus regni optimates miſit, qua eos omnes increpabat, quod multa mala per Eccleſias & monaſteria graſſari paterentur. Aiunt ſe horum non fuiſſe cauſam, immo ea ſe & dictis & ſcriptis reprehendiſſe, & modo admonent obſecrantque omnes, ut his mederi velint, ſicut in Synodis ſuperius habitis mandatum eſt, ſeque invicem ad ea diligenter obſervanda adhortantur: hæc præſertim in eo conventu, neque alia capitula edita ſunt. Habet Baluzius privilegium, quod in eo conventu datum eſt VIII. Calend. Septembris, in quo ſunt nomina Epiſcoporum, & Abbatum, qui huic interfuerunt, *Amalricus* ſcilicet *Turonenſis Archiepiſcopus, Vvenilo Senonenſis, Hincmarus Remenſis, Paulus Rotomagenſis, Heribaldus Epiſcopus Autiſſiodorenſis, Erchenradus Pariſienſis, Rothadus Sueſſionenſis, Teutboldus Lingonenſis, Hirminfridus Bellovacenſis, Balfridus Bajocenſis, Herluinus Conſtantinenſis, Herpuinus Silvanectenſis, Gunibertus Ebroicenſis, Ionas Æduenſis, Hariardus Lexovienſis, Hildebrannus Sagienſis, Hildegarius Meldenſis, Immo Noviomenſis, Agius Aurelianenſis, Frotboldus Carnotenſis Pardulus Laudunenſis, Elmeradus Ambianenſis, Remedius Abrincatenſis, Godelſadus Cabillonenſis, Braindingus Matiſconenſis, Pru-*

Epiſt. 18. & præfat. diſſertat. poſt. adverſ. Gotheſcalc.

In Notis ad Capitular.

dentius Tricaſſinus, *Dodo Andegavenſis*, *Actardus Nannetenſis*. *Ludovicus Abbas* LIB. VII.
ſancti Dionyſii, *Adalardus Abba*, *Lupus Abbas Ferrarienſis*, *Heinhardus Abbas*, CAP. III.
Frodinus Abbas, *Odo Abbas Corbeienſis*, *Hunfredus Abbas Dervenſis*, *Bernardus*
Abbas, *Gautlenus Abbas*, *Abbo Abba*, *Arcamboldus Abba*, *Georgius Abba*, *item*
Abbo Abba. Ex his patet Erchenradum Epiſcopum Pariſienſem eo anno qui
DCCCLVI. volvebatur ſuperſtitem fuiſſe, ſed quoniam hujus nobis men-
tio eſt, de ejus obitu paucis agendum eſt.

Annum, quo Erchenradus junior obiit, male olim multi ſcriptores aſſigna- VIII.
runt. Vulgo hunc è vita deceſſiſſe memorant anno DCCCLIII. ſed ex his,
quæ retuli, certum eſt eum protraxiſſe vitam ad annum DCCCLVI. Ne-
crologium Eccleſiæ Pariſienſis ejus obitum annotat ad VII. Idus Maii, unde
neceſſe eſt, ut ſaltem ad annum DCCCLVII. vitam propagaverit, cum ſu-
periore anno ad conventum in Broilo menſe Auguſto habitum acceſſerit. Cer-
tum eſt quoque eum mortuum eſſe ante annum DCCCLVIII. Cariſia-
cenſi enim Synodo, quæ hoc anno habita eſt, Æneas Epiſcopus interfuit, &
anno ſequenti, qui DCCCLIX. fuit, ad Tullenſe Concilium apud Sapona-
rias venit, ut habent acta hujus Concilii, ex quibus perſpectum atque explo-
ratum eſt diem obitus Erchenradi certò contigiſſe anno DCCCLVII. VII.
Idus Maii, ut habet necrologium Pariſienſis Eccleſiæ, neque ultra protrahen-
dam eſſe ejus mortem, licet enim Cariſiacenſis Synodus menſe Novembri
acta ſit, nihilominus, propter bella civilia, quæ hoc præſertim anno accide-
runt, facile fuit ordinationem Æneæ Epiſcopi ad annum DCCCLVIII.
rejicere. Ceterum Erchenradus per annos XXIV. & menſes circiter quinque
pontificatum Eccleſiæ Pariſienſis difficillimis reipublicæ temporibus magnifice
geſſit. Reſtitutioni Ludovici pii in Dionyſiano monaſterio interfuit, & quod
olim in monaſterio ſancti Medardi perperàm geſtum fuerat, non modo in eo
loco, ſed etiam in Synodo ad Theodonis villam emendari ſtuduit, cum vero
bellis civilibus lapſa Eccleſiæ diſciplina fuiſſet, Aquiſgrani cum aliis Epiſcopis
ad eam reſtituendam plurimum contulit. Cumque Pippinus res eccleſiaſticas in
Aquitania pervertiſſet, Patres Aquiſgranenſes Erchenradum cum ſancto Al-
drico Cenomanenſi graviſſimo illorum temporum Pontifice ad Pippinum de-
legarunt, ut ferrent ad eum commonitorium. Adfuit & in Cariſiaco palatio
cauſæ, quæ pluribus acta eſt inter Aldricum Cenomanenſem Epiſcopum, &
Abbatem & monachos monaſterii Aniſolenſis, cum hujus negotii cognitio ju-
dicibus ab Imperatore tribueretur, Erchenradus unus inter eos nominatus eſt;
hocque honorificum illi contigit, quod cum miſerrimis temporibus Epiſcopus
fuerit, dum multi Pontifices, vana recti ſpecie deluſi, à fide in principem deſ-
civerint, ſemper tamen in fide manſerit, neque ullis partium ſtudiis, aut pra-
vis aliorum exemplis tranſverſum ſe agi, & ab obſequio amoveri unquam paſ-
ſus eſt. Cum poſtea mores clericorum longe depravati eſſent, & temporum
& hominum injuria res eccleſiaſticæ intercidèrent, pluribus Synodis rem Ec-
cleſiæ placuit reſtitui, in his omnibus Conciliis egregiam operam Eccleſiæ
præſtitit. In Bellovacenſi Concilio cum aliquot Epiſcopis delegatus eſt ad Re-
gem Carolum, ut monitiones Epiſcoporum deferret, jam vero pluribus privi-
legiis & chartis eum ſubſcripſiſſe invenimus. Anno DCCCXXXIII. ſubſcripſit *Lib. de re*
partitioni, quam Hilduinus monachis Dionyſianis fecit; Anno DCCCXXXIV. *diplom.*
ſubſcripſit privilegio ſancti Remigii Senonenſis. Anno DCCCXXXVIII. *Tom. 2. ſpi-*
qui XXIII. erat Imperii Ludovici, ſubſcripſit privilegio Aldrici Cenomanenſis *cileg.*
Epiſcopi & ejus teſtamento. Anno DCCCXLIII. ſubſcripſit privilegio
monaſterii Curbonienſis cum pluribus Epiſcopis & Abbatibus, & Anno *3. Tom.*
DCCCXLVII. idem Erchenradus fecit commutationem cum Abbate Foſ- *Miſcell. Ba-*
ſatenſi de ſilva Vilcena ad ſilvam, quæ eſt in loco, qui Buxiacus dicitur, ut ha- *luz.*
betur in chartulario Foſſatenſi. His Erchenradus aliiſque chartis ſubſcripſit, *4. Sæcul.*
quas ſuperius retulimus. Erchenradus miſerrimis temporibus geſſit epiſcopatum, *Benedict. 1.*
cum cathedram ingreſſus eſt Lotharius patrem Ludovicum captivum quocum- *part.*
que circumducebat, hocque Imperatore mortuo Galliæ diſcordiis civilibus

LIB. VII. CAP. III. perturbatæ ſunt, & Pariſienſis ager ſuorum, tamquam hoſtium furorem expertus eſt, biſque Nortmannorum crudelitati Lutetia expoſita eſt anno ſcilicet DCCCXLVI. quod antea dictum eſt, ad eorum adventum incolæ metu perculſi relictis ædibus, vacuaque urbe fugerunt, anno quoque DCCCLVI. quinto Calendas Januarias per oſtium Sequanæ ingreſſi multas civitates & monaſteria diripere aggreſſi ſunt, ipſamque Lutetiam Pariſiorum, nullaque ſanctarum ædium reverentia tacti, multas baſilicas incenderunt, atque inprimis baſilicam beati Petri ſeu ſanctæ Genovefæ, *& ceteras omnes*, ut habent Bertiniani annales, *præter domum ſancti Stephani, & Eccleſiam ſancti Vincentii, atque Germani, præterque Eccleſiam ſancti Dionyſii, pro quibus tantummodo, ne incenderentur, multorum ſolidorum ſumma ſoluta eſt.* Non dubito quin hoc urbis & baſilicarum excidium multum doloris Erchenrado attulerit, & ex mœrore & tædio grandævus Pontifex obierit. Hæc de Erchenrado, cui ſucceſſit Æneas ſacri palatii notarius, de eo ſequenti capite ſermo erit. Nortmanni aſſueti prædationibus oras Sequanæ infeſtabant, anno DCCCLVIII. inter ſe inteſtinis diſcordiis diviſi ſunt. Berno cum magna barbarorum parte Carolum Regem adiit, cum ille in palatio Vermeria moraretur; rebuſque compoſitis obſequium & fidem jurejurando obſtrinxit. Pars altera nihilominus prædari, vicinaque inprimis Lutetiæ loca populare, tunc Ludovicus Abbas ſancti Dionyſii abiis captus eſt, ejuſque frater Gotzlinus, quos magno poſtea pretio redimi oportuit. In annalibus Bertinianis legimus multarum Eccleſiarum theſauros hoc pretio exhauſtos fuiſſe, quod cum nondum ſufficeret ad ſummam perſolvendam, Epiſcopos, Abbates cum Comitibus, & Regem ipſum plurimum contuliſſe. Illi poſtea in inſulam Sequanæ, Oſcellum nomine, quæ in Rotomagenſi pago ſita eſt, ſe recepere, hucque Carolus acceſſit cum exercitu, ut eos obſideret. Carolus filius ejus ex Aquitania ad eum ventitat cum auxiliis, & Lotharius ejus ex fratre nepos, verum poſtquam ibidem ad IX. Calendas Auguſti permanſerunt, demum re infecta diſceſſerunt.

IX. Ludovicus Abbas ſancti Dionyſii Hilduino ſucceſſerat, ut antea memoratum eſt. Is inprimis nobilitate generis præcellebat, nepos erat Caroli-magni ex matre Rotrude, & patre Roricone Comite; Rotrud porrò filia erat Caroli-magni & Hildegardis apud antiquos annaliſtas *natu major & filiarum ejus primogenita dicitur*, adeoque Ludovicus Abbas Carolum-calvum Regem ſanguinis propinquitate attingebat, & in diplomate hujus Regis pro monaſterio ſancti Dionyſii *vir venerabilis ac propinquus noſter Ludovicus Abbas monaſterii Apoſtolorum Principis, excellentiſſimorumque Chriſti martyrum Dionyſii Ruſtici & Eleutherii.* In Concilio Vernenſi annumeratus eſt inter eos, qui Synodo præſidebant, & in conventu apud Sylvacum legitur inter Miſſos dominicos his verbis. *HLudovicus Abba, Yrminfridus Epiſcopus, Ingilvvinus, Gotſelmus Miſſi, in Pariſiaco, Melciano, Silvanectenſi, Vircaſino, Belvacenſe, & Vindoiliſo.* Adeoque in pretio apud Regem fuit, ut etiam Cancellarii munus ſub eodem Rege obierit, apud Lupum Ferrarienſem Abbatem dicitur epiſtolare in palatio gerens officium; hujus Abbatis ad Ludovicum extant aliquot epiſtolæ. Ex his perſpicimus cujus auctoritatis Ludovicus fuerit; Odo Abbas Ferrarienſis epiſt. XXIII. ejus opem apud Regem implorat, ſcribitque ſe & totum Ferrarienſe monaſterium ad ejus benevolentiæ portum ſecuros confugere, quoties aliqua perturbationis vel neceſſitatis procella quatiuntur. Pariter epiſt. XXIV. cum idem Abbas vocatus, placito non interfuiſſet, rogat eum, ne propterea apud Regem incurrat offenſionem, quoniam morbo prohibitus ſit, & epiſt. XXV. Solebant Abbates mittere ad expeditiones bellicas ſuos, ut vocabant, homines; monaſterii Ferrarienſis homines, aut cum Abbate, aut ſine ipſo toto biennio expeditioni militari operam præſtiterant, exhauſtique ſumptibus & laboribus erant, rogat Ludovicum Abbatem, ut obtineat à Rege licentiam revertendi, ut rei familiari operam dent, & ſe novis expeditionibus promptiores paratioreſque reddant. Quoniam vero clerici palatii bona monaſteriorum ſibi poſcere ſolebant, rogat, ut monaſterium Ferrarienſe ab iis tutum ſit, cum præſertim

Capitul. Carol. Calvi titul. 14.

Ludovicus haud procul ab eo loco educatus, & in eo aliquamdiu ſit verſatus, LIB. VII. CAP. III. neque purat quemquam tam ſacrilegum fore, ut ſtipendia ſervientium Deo in ſuos audeat uſus convertere, & eorum inopiam ſuam luxuriam facere. XXXII. ſignificat Ludovico, quæ ſit inopia ſui monaſterii, cujus facultates exhauſerint expeditiones bellicæ, adeo ut neque ſuppetat, unde dies octo in comitatu permaneat. Cum vero Carolus cellam ſancti Judoci, quæ ad monaſterium Ferrarienſe pertinebat, cuidam Odulpho contuliſſet, & magnum inde damnum acciperet monaſterium, de ea re conqueritur Lupus Abbas apud Ludovicum Abbatem epiſtola XLIII. rogatque, ut hæc cella ſuo monaſterio reſtituatur. Et epiſtolâ LXXXIII. de expeditione militari in Britanniam agit, petitque ſe ab ea immunem fieri, & ejuſdem cellæ ſancti Judoci meminit, quam repoſcit. Et poſtea cum ex Aquitanica expeditione rediiſſet, audivit datum Egilberto ſuum monaſterium: petit itaque, ut de eo negotio cum Rege agat. CXIII. ſciſcitatur à Ludovico quo tempore placitum habeatur, & expeditio ſit in Britanniam? Sequenti deinde epiſtola conſilium petit ab eodem. Quanto in honore Ludovicus apud Lupum fuerit ex hoc æſtimes, quod cum ad eum ſcribit, titulis utitur magnificis, modo eum ſummum Abbatum, modo præcellentiſſimum, modo clariſſimum Abbatum nominat. Plures notarii ſacri palatii, ſeu procancellarii in ejus locum chartis regiis & Regum diplomatibus ſubſcripſerunt, inter eos legitur Æneas, qui Epiſcopus Pariſienſis fuit, & Erchenrado ſucceſſit, de quo mox dicemus. Extat in opere de re diplomatica charta Frotgarii, qua donat monaſterio Dionyſiano *manſum ſui juris, qui dicitur Montericus in pago, Pariſiaco* & hæc donatio data legitur anno VIII. regni Regis Caroli, in ea ſit mentio Ludovici Abbatis ſancti Dionyſii. Extat altera charta commuta- *De re diplom. lib. 6.* tionis aliquot jugerum inter Ludovicum Abbatem ſancti Dionyſii & Ercanfredum & Gabilonem, data legitur VII. Idus Junias anno VIII. regnante Carolo Rege. In eodem opere habetur præceptum Caroli-calvi pro commutatione inter eumdem HLudovicum Abbatem & Battonem illuſtrem virum quorumdam prædiorum in pago Arolanenſi & Remenſi, in hoc præcepto appellatur cariſſimus nobis & propinquus noſter HLudovicus venerabilis Abbas monaſterii ſancti Dionyſii & protonotarius palatii noſtri, datum legitur IV. Idus Julii Indictione II. anno XVII. regni Caroli. Extat aliud ejuſdem Regis præceptum pro commutatione quorumdam prædiorum inter Ludovicum Abbatem & Vitramnum. In eo legitur vir venerabilis HLudovicus nobis cariſſimus, monaſterii ſancti Dionyſii Abba, necnon & conſanguineus noſter, ac Protonotarius altitudinis noſtræ, datum eſt Indictione IX. anno XXI. regni Caroli. Extat præterea egregium Caroli Regis præceptum de partitione bonorum monaſterii Dionyſiani in gratiam monachorum, quod prius Ludovicus Imperator ediderat, quodque hoc præcepto Carolus confirmavit, in eo ſit mentio Ludovici Abbatis, qui & propinquus Regis vocatur, datum eſt XIII. Calend. Octob. anno XXIII. ejus regni, actum in Compendio palatio. Hæc de Ludovico Abbate; ejus mortem ſuo loco annotabimus.

Sub Erchenradi Epiſcopatu vigebat inſtitutio monaſtica in monaſterio Foſ- X. ſatenſi, auſpice Abbate Ingilberto, quod antea à nobis memoratum eſt, eaque hujus monaſterii fama fuit, ut Glannafolienſe monaſterium huic ſubjiceretur. Aldricus quoque Cenomanenſis Epiſcopus, de quo alias multus ſermo, obtinuerat à Ludovico Auguſto villam, quam Ad illum Brogilum vocant, ut eam poſſeſſionibus matris eccleſiæ Cenomanenſis adjungeret, & monachos in eam eccleſiam induceret, quapropter Aldricus petierat ab Ingilberto Abbate Foſſatenſi, hujus loci aſcetas, quorum beneficio monachos ad cuſtodienda ſancti Benedicti inſtituta informaret. Cum vero bella civilia poſtea orta ſint, variiſque tempeſtatibus regnum concuſſum ſit, ea res ad exitum perduci non potuit. Ingilbertus itaque Abbas eamdem villam monaſterio Foſſatenſi attribui petit à Carolo Rege, quod ille ultro conceſſit regio diplomate, quod legitur in cartulario Foſſatenſi; datum VI. Idus Octobris Indictione VIII. anno VI. Caroli Regis, quod hic deſcribimus ex chartulario Foſſatenſi.

LIB. VII. CAP. III.

XI. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei Rex. Cum locis divino cultui mancipatis ob divinæ ſervitutis amorem opem congruam ferimus, & regium morem decenter implemus, & id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capeſſenda veraciter credimus. Itaque notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus & noſtris præſentibus atque futuris, quia venerabilis vir Ingilbertus monaſterii Foſſati Abba ad noſtram accedens ſublimitatem, ad memoriam celſitudinis noſtræ reduxit, qualiter domnus & genitor noſter piæ recordationis Auguſtus H Ludovicus quamdam villam, quæ vocatur Ad illum brogilum ad admonitionem ſeu deprecationem Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi matri Eccleſiæ ejuſdem civitatis in honore glorioſorum martyrum Chriſti dicatæ Gervaſii & Protaſii imperiali auctoritate reddiderit, ſeu reſtituerit, ea videlicet ratione, ut ob amorem Dei, & ejuſdem genitoris noſtri animæ remedium regularis normæ inibi conſtitueret habitationes & monachici ordinis aggregaret habitatores; ac proinde per licentiam ejuſdem domni Imperatoris idem Aldricus Epiſcopus præfatum reverendum Abbatem Ingilbertum precatus eſt, ut ſibi commodaret monachos, qui ſecundum patris Benedicti inſtitutionem docerent hujus ſæculi periculum evadere ipſius loci monachos, ſed quia variis mundi emergentibus calamitatibus, rara voluntas raraque devotio genitoris noſtri de præmiſſo loco non plenarium obtinuit effectum, placuit clementiæ noſtræ eamdem villam à poteſtate ſanctorum præſcriptorum martyrum commutare ſeu concambiare, ſuprataxatoque Foſſato monaſterio regulariter conferre ſeu delegare, ſcilicet ut prænominati Abbatis prænominatique monaſterii religioſorum virorum ſtudio plenarium effectum prænotata piiſſimi genitoris noſtri obtineat devotio. Quocirca hanc præcellentiæ noſtræ regalem præceptionem fieri juſſimus, per quam cum ſuis appendiciis memoratam villam, quæ dicitur Ad illum brogilum plerumque dicto monaſterio Foſſato, in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Petri Apoſtolorum Principis ſtructo pleniter conferimus & regulariter firmamus, ſcilicet, ut ſicut ſupra ſignificavimus, proſit ad ſalutem animæ genitoris noſtri, monachorum ibi fiat congregatio, regulariſque ſervetur perennibus temporibus religio, nihilque ab eadem villa, quam deinceps volumus vocari monaſterium fiſci dominici, aut in qualibet alia parte requiratur, aut exigatur, ſed quicquid exinde * fieri poteſt in honeſtatibus ejus loci ſeu Foſſati monaſterii, cui eumdem locum conjungimus, proficiat in augmentum, cum ſtipendiis monachorum eorumdem locorum proſit in adjutorium, & animæ memorati domni genitoris noſtri Auguſti H Ludovici præſtet remedium. Unde etiam obſecramus omnes, quoſcunque poſt nos in regni hujus gubernatione divina pietas ſubrogaverit, ut ita hanc piæ devotionis noſtram imprævaricabilem ſervent auctoritatem, veluti ſua pia jura ab ipſis ſtatuta poſt ſe obſervari voluerint. Quam denique ſerenitatis noſtræ auctoritatem, ut pleniorem ſemper in Dei nomine obtineat firmitatem more regio manu propria ſubter firmavimus, & de anulo noſtro ſigillari juſſimus. Signum Karoli glorioſiſſimi Regis. Æneas Notarius ad vicem H Ludovici recognovit. Data* VII. *Idus Octobris Indictione* VIII. *in anno* VI. *regni Karoli glorioſiſſimi Regis. Actum in villa Rauſiaco in Dei nomine feliciter. Amen.*

* *fiſcus ſperare poteſt*

XII. Ingilbertus igitur, qui ſub principatu Ludovici pii Abbas Foſſatenſis cœpit eſſe, eidem monaſterio præerat anno VI. Caroli-calvi, immo etiam anno DCCCXLVII. ut patet ex dono Annovvarechi Britonis, quod Baluzius edidit ex codice bibliothecæ regiæ. Verum non ultra hunc annum protraxiſſe vitam conſtat ex alia charta Caroli Regis, quæ acta eſt eodem octavo anno Caroli: eâ chartâ Rex confirmat permutationem factam inter Epiſcopum Pariſienſem Erchenradum, & Abbatem Foſſatenſem Eginhardum de ſilva Vilcena pro Abbate Foſſatenſi, cum ſilva ad locum, qui Buxiacus appellatur pro Epiſcopo Pariſienſi, data eſt in Compendio regio palatio VI. Nonas Maii anno VIII. regni Caroli Regis indictione x. ex qua liquet Eginhardum Abbatem Foſſatenſem Ingilberti ſucceſſorem fuiſſe. Ecce tibi regium præceptum.

In append. actor. veter. ad Capitular.

XIII. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex. Si enim ea, quæ fideles regni noſtri pro eorum opportunitatibus inter ſe commutaverint, noſtris confirmamus edictis, regiam exercemus conſuetudinem, & hoc in poſtmodum jure firmiſſimo manſurum volumus. Itaque notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet atque futuris, quia venerabiles viri Herchenradus Pariſienſis*

Epiſcopus,

Epiſcopus, & Eginardus Foſſatenſis monaſterii Abbas ad noſtram accedentes præſentiam, innotuerunt, qualiter inter ſe pro ambarum partium opportunitate quaſdam res commutaſſent vel concambiaſſent. Dedit igitur præfatus Herchenradus Epiſcopus ex rebus Eccleſiæ ſibi commiſſæ, de villa, quæ vocatur Fontanedus, ad partem Eginardi Abbatis & Eccleſiæ ſuæ perpetualiter ad habendum, una cum conſenſu canonicorum ſuorum, concidem, quæ vocatur Vilcenna, habentem in giro perticas quingentas XXXVII. *E contra dedit Eginardus Abbas una cum conſenſu monachorum ſuorum ad partem Eccleſiæ Pariſienſis & Erchenradi Epiſcopi ſilvam in loco, qui dicitur Buxidus, habentem in giro perticas quingentas* XXXVII. *Quarum rerum circumjacentiæ & laterationes in commutationes, quas exinde inter ſe æquo tenore conſcripſerunt & legaliter firmaverunt, pleniter confirmantur. Quas denique nobis oſtendentes, petierunt humiliter, ut eas per præceptum noſtrum confirmare dignaremur. Quorum deprecationibus libenter aſſenſum præbentes, hoc ſcriptum celſitudinis noſtræ fieri præcipimus, per quod præcipimus atque firmamus, ut quicquid pars juſte vel rationabiliter alteri contulit parti, ſicut in memoratis commutationibus continetur, jure firmiſſimo teneat atque poſſideat. Et ut hæc noſtræ roborationis auctoritas firmam & inconvulſam ſemper in Dei nomine obtineat ſoliditatem, anuli noſtri impreſſione ſubter eam juſſimus inſigniri. Giſlebertus notarius ad vicem H Ludovici recognovit. Data* VI. *Nonas Maii anno* VIII. *regni Karoli glorioſiſſimi Regis. Indictione* X. *Actum in Compendio regio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.* LIB VII. CAP. IV.

CAPUT IV.

De Ænea Pariſienſi Epiſcopo, de ejus electione & ordinatione. De epiſtolis cleri Pariſienſis & Epiſcoporum provinciæ Senonenſis. De tractoria Prudentii Epiſcopi Trecenſis. De Gotteſchalco monacho, & ejus de prædeſtinatione Dei opinionibus.

ERCHENRADO juniori ſucceſſit Æneas: is ſacri palatii notarius, ſeu cancellarius fuit. In aula ſcilicet Principis ſummum gerebat magiſtratum Archicancellarius, qui regia diplomata regio munire ſigillo, & his ſubſcribere, eaque ſolebat cuſtodire: is quoque protonotarius dicebatur. Huic magiſtratui ſuberant aliquot cancellarii ſeu notarii, qui ſummi cancellarii vicem gerebant, & chartis regiis ejus vice ſubſcribebant: hoc munus, quod in aula principis honorificum erat, gerebat Æneas, cum ad pontificatum evocatus eſt. Mortem Erchenradi clerus Pariſienſis Carolo Regi ſignificat. Id temporis, cum non modo in Eccleſia, ſed etiam in republica magna eſſet Epiſcoporum auctoritas, quorum ſcilicet conſiliis, ſicut & Comitum rem Principes gererent, eos ad publicos conventus advocabant; horum quoque opera gerendo bello utebantur, Reges id maxime cavebant, ne quem Epiſcopum quælibet civitas ſibi adſciſceret, niſi quem aut appellaſſent, aut approbaſſent, eaque conſuetudo his inprimis temporibus invaluerat, quibus ſuos ſubtrahere ſubditos, & in ſuas allicere partes per fas nefaſque ſibi invicem Principibus promptum erat. Carolus itaque, ut erant ea tempora, clero Pariſienſi ſuggeſſit Æneam ſacri palatii notarium, quem ſibi Epiſcopum conſtituerent, qui pietatis & fidei argumenta in palatio dederat: acceptus ſtatim gratuſque clero Pariſienſi fuit. Igitur conventu habito Æneam omnes appellare Pontificem, omnes Epiſcopum I.

Æneam optare. Electione in eum modum peracta clerus Pariſienſis ad Vvenilonem Senonenſem metropolitanum, alioſque illius provinciæ Epiſcopos ſcribit Erchenradum nuper deceſſiſſe, ſe ſimul triſtitia affectos fuiſſe, & ſtatim providiſſe, ne diu Eccleſia Pariſienſis vidua pontifice maneret, dum in ea cogitatione eſſet, ſuggeſtum à Rege Carolo Æneam multis argumentis approbatum, electum à ſe in Pontificem, quem optant omnes ſibi ab iis ordinari Epiſcopum; rogare ut ſuis votis cito ſubſcribant. Sed ecce tibi epiſtolam ipſam cleri Pariſienſis excerptam ex epiſtolis Lupi Ferrarienſis, quam plures deſcripſerunt.

Lupi Ferrar. epiſt. 98.

II. *Religioſiſſimis patribus & fratribus, Gueniloni metropolitano Senonicæ ſedis antiſtiti, & univerſo clero ejus & ceterarum Eccleſiarum præſulibus, quæ in dioceſi memoratæ ſedis cenſentur, cunctiſque in eis Deo famulantibus, clerus matris Eccleſiæ Pariſiorum, & fratres cœnobii ſancti Dionyſii & ſancti Germani, & beatæ Genovefæ, ac Foſſatenſis diverſorumque monaſteriorum unanimitas præſentem & futuram ſalutem. Venerabilem paſtorem noſtrum Ercanradum nuper deceſſiſſe cum longe lateque vulgatum ſit, tum ſanctitatem veſtram latere non potuit, noſque affici mœſtitia de vocatione patris defuncti, ac ſollicitudine permoveri de electione ſucceſſuri, prudentia veſtra intelligit. Cum enim principaliter ſe futurum Dominus Ieſus polliceatur cum his, qui principes religionis exiſtunt, non patimur diu carere antiſtite, cujus doctrina ad ſalutem noſtram inſtituamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur. Ejus, ut pote bonorum omnium auctoris, neqnaquam nos cura deſtitutos firmiſſime credimus, dum ipſe curas noſtras ſua clementia ſuſtulit, & vota ultronea benignitate prævenit. Namque ipſe, in cujus manu cor Regis eſt, glorioſi domini noſtri Karoli, quemadmodum plene confidimus, menti infudit, ut ejus nos regimini committeret, quem in divinis & humanis rebus ſui fidiſſimum multis experimentis probaſſet. Igitur Dei pronam in nos amplectentes miſericordiam, & Regis noſtri piam ſuſpicientes providentiam, Æneam, cujus præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus, Æneam patrem, Æneam Pontificem habere optamus. Quamvis enim tanta prudentia ac probitate præcellentiſſimus Rex noſter polleat, ut ſolum ejus judicium de viro memorato poſſet ſufficere: tamen conditionis humanæ non neſcii, futurorumque curioſi, aulicorum nos ipſi propoſitum ac mores longe prius inſpeximus; & inter graves probabileſque perſonas & ſanctitate ferventes, hunc, quem antiſtitem habere cupimus, quotquot eum noſſe potuimus, ut nunc palam eſt, abſque errore annumeravimus. Proinde ſancti patres annitimini, ne dilatione divini & regii beneficii torqueamur; ſed nobis ſuſpenſis, nobis deſiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter lucerna ſuper candelabrum; ut lumen veritatis populus Dei videat, & æmula devotione, præſulis veſtigia tenens, ſempiternæ beatitudini præparetur. Profeſſionem vero noſtri conſenſus in Æneam, Deo annuente per veſtrum miniſterium nobis futurum antiſtitem ſubſcriptionibus noſtris certatim roboravimus; ut noſtra unanimitate comperta, votum ſumma properantia compleatis.*

III. Cum hanc epiſtolam cleri Pariſienſis accepiſſent Guenilo & ejus Epiſcopi provinciales, reſcripſerunt clero Pariſienſi, teſtatique ſunt dolorem ob mortem Erchenradi Epiſcopi, ſe tamen ſolatii aliquid habere, quod ſibi ſocium, ſuique miniſterii conſortem elegerint, cognitum ſibi, & merito ſuæ probitatis amabilem. *Quis enim*, inquiunt, *vel leviter tetigit palatium, cui labor Æneæ non innotuit, & fervor in divinis rebus non apparuit?* ſe ob eam rem ſequi eorum electionem, & voce unanimi in eorum ire vota, cum exiſtiment eum populo Dei profuturum, & utilem fore promovendæ pontificatus amplitudini; hæc aliaque ad clerum Pariſienſem Metropolitanus & provinciæ Senonenſis Epiſcopi. Reſcriptum eorum ita ſe habet.

IV. *Guenilo ſanctæ Senonicæ ſedis metropolitanus Epiſcopus, Heriboldus Autiſiodori Epiſcopus, Agius Aurelianorum, Prudentius Tricaſſinorum, Herimannus Nivernenſium, Frotbertus Carnutum, Hildegarius Meldorum, clero matris Eccleſiæ Pariſiorum, & cunctis in diverſis cœnobiis ſub ea Deo militantibus, ſalutem. De exceſſu reverentiſſimi coepiſcopi noſtri Ercânradi non mediocriter anxii, veſtrique mœroris participes, tandem juſtiſſimæ diſpoſitionis Dei memores conſolationem recipimus, dum vos ſub paſtore bono agentes, qui ſumme bonus eſt, vicarium ejus ſcilicet viſibilem, mini-*

ſteriique noſtri conſortem, abſque dilatione expetere veſtris litteris tenentibus lineas rationis cognovimus. Præparatum enim à Deo bonum exitum credimus, cujus munere talem videmus patere ingreſſum. Quamquam nobis futurus nunc ſocius olim fuit præcognitus & merito ſuæ probitatis amabilis. Quis enim vel leviter tetigit palatium, cui labor Æneæ non innotuit, & fervor in divinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem veſtram in eo factam, Deo propitio libenter ſequimur, ut eum profuturum populo ejus ad dignitatem pontificatus promovendum, concorditer decernimus. Sit igitur vobis paſtor, qui pro ſuis in Deum meritis bene complacuit; & ſequentes ejus veracem doctrinam, & ſancta opera imitantes, ad cæleſtis regni paſcua properate felices. Ordinationi autem ejus ſubſcripſimus concorditer univerſi, ut ſecuri miniſterio poteſtatis ejus fruamini. LIB. VII. CAP. IV.

Vvenilo ſeu Guenilo id temporis Senonenſis erat Archiepiſcopus, ut notiſſimum eſt. Heriboldus, ſeu Heribaldus Autiſſiodorenſem cathedram obtinebat. In MS. codice legitur Heribertus, ex Conciliorum ſubſcriptionibus conſtat Heriboldum tum fuiſſe Epiſcopum Autiſſiodorenſem. Agius quoque Epiſcopus erat Aurelianenſis, Prudentius Trecenſis, Herimannus Nivernenſis; de his tribus Epiſcopis frequens eſt mentio in actis horum temporum, Frotbaldus Carnotenſis Epiſcopus ſucceſſerat nempe Burchardo, de quo quæſtio fuit in Synodo Sueſſionenſi anno DCCCLIII. Ex eo vero, quod huic Frotbaldus ſucceſſerit, etiam conſtat, ut modo memoratum eſt, Erchenradi obitum ultra hunc annum differendum eſſe. Poſtremus omnium nominatur Hildegarius Meldenſis Epiſcopus. Is Cariſiacenſi Synodo interfuit anno DCCCLVIII. & ſucceſſerat Hucberto, qui Synodo Sueſſionenſi & Vermerienſi anno DCCCLIII. ſubſcripſerat, quod & ad confirmanda Erchenradi tempora haud parum confert. V.

Poſtquam Æneæ approbata electio eſt, Vvenilo metropolitanus ad hujus ordinationem Epiſcopos provinciales convocat. Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus cum ordinationi intereſſe non poſſet, ad Vvenilonem alioſque ejuſdem provinciæ Epiſcopos ſcripſit, Arnoldumque preſbyterum, qui ſuas in ea ordinatione vices gereret, miſit, & certis conditionibus aſſenſum ordinationi præberet: ſi nempe Æneas, qui ordinandus erat, ſedis apoſtolicæ inſtitutis, ſi dictis ſcriptiſque ſanctorum Patrum ſubſcribat, atque inprimis capitulis, quæ Eccleſia catholica adverſus Pelagium decrevit conſtituitque, quæ ſi Æneas non profiteatur, ſe neque ejus ordinationi aſſentiri, neque huic aſſentiendum ſuadere. Quatuor hæc erant capitula. I. Liberum arbitrium in Adam merito inobedientiæ amiſſum, ita per Chriſtum redditum & liberatum. Dei omnipotentis gratiâ hominem indigere, ſive ad cogitandum, ſive inchoandum, ſive perficiendum. II. quoſdam gratuita Dei miſericordia prædeſtinatos ad vitam, quoſdam inſcrutabili juſtitia prædeſtinatos ad pœnam. III. Chriſti ſanguinem pro omnibus in eum credentibus fuſum, non pro iis, qui numquam in eum crediderunt, neque credituri ſunt. IV. Neminem ſalvari niſi quem Deus ſalvaverit, omnes autem ſalvari quoſcumque vult, ac proinde quicumque non ſalvantur, penitus non eſſe illius voluntatis, ut ſalventur. Prudentii epiſtola ejuſmodi eſt. VI.

Tractoria Prudentii Epiſcopi Tricaſſini, quam per vicarium miſit ad ordinationem Æneæ Pariſienſis, cum ipſe adeſſe non poſſet.

Patri venerabili & ceteris patribus fratribuſque ſinceriſſime diligendis, atque coepiſcopis reverendis Prudentius æternam in Domino ſalutem. Quantum ad meritum peccatorum meorum ſpectat juſtiſſimo Dei judicio, quantum vero ad indebitas atque indeficientes ejus miſericordias pertinere dinoſcitur, miſericordiſſimo ipſius munere, infirmitatibus pene omnibus notis depreſſus, ſancto deſiderabilique veſtro conventui adeſſe prohibeor. Quod autem poſſum, præſentibus litteris atque legato Eccleſiæ noſtræ presbytero Arnoldo mei conſenſus præſentiam eatenus exhibeo, ut is, qui ordinandus eſt, ſi apoſtolicæ ſedis omnibus inſtitutis, & beatorum patrum Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, VII.

Xiſti, Leonis, Gelaſii, Celeſtini, Gregorii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Iſidori, Primaſii, Fulgentii, Hieronymi, Caſſiodori, Bedæ, aliorumque adæque catholicorum atque orthodoxorum virorum ſcriptis & dictis, ac ſpecialiter ſuper quatuor capitulis, quibus omnis Eccleſia catholica adverſus Pelagium ejuſque hæreſeos ſequaces pugnavit, ac vicit, atque ad poſterorum memoriam litteris auctoritate & veritate pleniſſimis mandavit, confitendo ſubſcribere, & ſubſcribendo confiteri voluerit, ejus me ordinationi conſentaneum eſſe profiteor. Sin alias, prorſus neque aſſentior, neque fidelibus Chriſti aſſentiendum ſuadeo. Capitulorum vero quatuor præmiſſorum ſeriem, quamvis veſtram prudentiam multo vivacius, quam meam extremitatem compertam eſſe non dubitem, neceſſario tamen breviter adnectendam judicavi, ut facilius quid ſentiam, cui veritati conſentiam, veſtra bonitas recognoſcat. Videlicet, ut liberum arbitrium in Adam merito inobedientiæ amiſſum, ita nobis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum redditum atque liberatum confiteatur, interim in ſpe, poſtmodum autem in re, ſicut
Rom. 8. *dicit Apoſtolus, ſpe enim ſalvi facti ſumus, ut tamen ſemper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, ſive cogitandum ſive inchoandum, operandum, ac perſeveranter conſummandum, & ſine ipſa nihil boni nos poſſe ullatenus aut cogitare, aut velle, aut operari ſciamus. Secundo, ut Dei omnipotentis altiſſimo ſecretoque conſilio credat atque fateatur, quoſdam Dei gratuita miſericordia ante omnia ſæcula prædeſtinatos ad vitam, quoſdam inperſcrutabili juſtitia prædeſtinatos ad pœnam; ut videlicet ſive in ſalvandis, ſive in damnandis, prædeſtinaverit, quod ſe præſcierat eſſe judi-*
Eſa. 45. *cando facturum, dicente Propheta: Qui fecit quæ futura ſunt. Tertio ut credat & confiteatur cum omnibus catholicis ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fuſum, non autem pro illis, qui nunquam in*
Matth. 20. *eum crediderunt, nec hodieque credunt, nunquamque credituri ſunt, dicente ipſo Domino. Venit enim filius hominis non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis. Quarto, ut credat atque confiteatur Deum omnipotentem omnes quoſcunque vule ſalvare, & neminem poſſe ſalvari ullatenus, niſi quem ipſe ſalvaverit; ac per hoc quicunque non ſalvantur, penitus non eſſe voluntatis illius ut ſal-*
Pſalm. 134. *ventur, dicente propheta: Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abiſſis. Et licet quædam ſint alia, quibus in Pelagio damnatis univerſaliter Eccleſia conſenſerit, fategerit atque ſubſcripſerit; hæc tamen ſpecialius adverſus eum ejuſque complices per apoſtolicam ſedem, inſtantia beatiſſimi Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi atque Auguſtini, cum aliis ducentis quatuordecim Epiſcopis ab ejus praviſſimis ſenſibus eruta vindicasa, & multis tam epiſtolis, quam libris toto orbe vulgata, omnis hodieque gaudet, confiteſur, prædicat, & tenet, atque tenebit Eccleſia. His per omnia conſentaneam prædicabilem paternitatem, fraternitatemque veſtram gratia ſuperna invictam atque prævalidam, & ſuo munere gaudentem perpetim conſervare dignetur.*

VIII. An verò Æneas capitulis Prudentii Epiſcopi ſubſcripſerit, haud certum eſt, neque id ex ullis veterum documentis accepimus; ſi quis tamen ſententiam meam ſuper eam rem inquirat, dicam quid ſentiam, id ab Ænea non expetitum, novum enim & inuſitatum fuit id exigere ab his, qui Epiſcopi fieri ſolebant: cum hæc capitula varie à variis Epiſcopis haberentur, & ea doctrina Prudentii, doctrina non omnium eſſet Pontificum Eccleſiæ Gallicanæ. Cumque ſcripta hujus ætatis de eo argumento haud pauca nobis ſuperſint, & nemo harum partium in auctoritatem ſubſcriptionem Æneæ adduxerit; teſtimonium eſt non auditam fuiſſe conteſtationem Prudentii, & ordinationem Æneæ ex antiqua conſuetudine celebratam: neque ſane quiſquam Epiſcopus aliam ſua auctoritate legem aliis præſcribere poſſit, quam quæ conſuetudine & inſtitutis Eccleſiæ præſcripta eſt. Ita igitur Æneam ordinatum dicimus, ut epiſtolæ capitulis non ſubſcripſerit. Quid verò fuerit? cur hæc Prudentius capitula admitti ab Ænea prius voluerit, quam ordinatus ſit paucis exponam, remque à ſua origine breviter repetam à Gotteſchalco ſcilicet, à quo rei initium eſt.

IX. Gotteſchalcus è Germania ortus eſt; in Orbacenſi monaſterio, quod Sueſſionenſis agri eſt, monaſticam vitam inſtituit; poſt aliquot annos in Italiam profectus eſt. His in locis uſus eſt hoſpitio Comitis Eberardi viri clariſſimi,

ibique de prædeſtinatione Dei habito ſermone ſuam expoſuit ſententiam, inprimis coram Notingo Epiſcopo Veronenſi. Paulo poſt Notingus, cum in Laganæ pagum veniſſet cum Ludovico juniore Imperatore occaſione bellicæ alicujus expeditionis, Rabanus Moguntinus Archiepiſcopus cum eo colloquium habuit, retulitque Notingus quemdam monachum nomine Gotteſchalcum prave de Dei prædeſtinatione ſentire, & alios ab eo in errorem male-ſana doctrina pertrahi; conventum inter eos eſt, ut ex divinis ſcripturis patrum que ſententiis Rabanus de ea re opuſculum conficeret. Nec mora idem Rabanus ad Comitem Eberardum ſcribit contra opiniones Gotteſchalci, hortaturque, ut eum admoneat, ne contraria ſanæ doctrinæ ſentire pergat, neque perverſa docentem in domo retineat. Intellexit Gotteſchalcus ſe ſuſpectum haberi; relicta igitur Italia in Germaniam venit, & neſcio, quibus infauſtis auſpiciis Moguntiam acceſſit. Ibi ille de Dei prædeſtinatione ſermones ſerere, cum doctis quidem quaſi conſulens loqui, indoctos vero tamquam bene eruditus ſolebat docere. Anno DCCCXLVIII. placitum babuit Ludovicus Rex, ibi, ut ferme fieri conſueverat, Epiſcopi Abbateſque Synodum fecerunt. Rabanus huic præfuit. Gotteſchalcus ad Synodum vocatus eſt, ut ſuæ fidei redderet rationem, edidit ille profeſſionem, confeſſuſque eſt geminam prædeſtinationem, ſive electorum ad gloriam, ſive reproborum ad interitum; addiditque teſte Hincmaro libellum, in quo Rabanum arguere haud verebatur, quod in opuſculo ad Nottingum reproborum prædeſtinationem, tamquam contrariam ſanæ fidei proſcriberet, quod voluntatem Dei, & pretium ſanguinis Chriſti ad omnium hominum ſalutem pertinere aſſereret, quod de libero arbitrio male cum Gennadio ſentiret. Cum Rabanus præſertim de prædeſtinatione Dei pluribus diſſeruiſſet, viſum eſt monachum ad Hincmarum ſuum Pontificem remittere, prius accepto ab eo jurejurando, ne amplius in Ludovici Regis provincias rediret. De eo negotio ſic agit annaliſta Fuldenſis. *Gotteſchalcus quoque*, inquit, *quidam presbyter de prædeſtinatione Dei prave ſentiens, & tam bonos ad vitam, quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter à Deo prædeſtinatos eſſe affirmans in conventu Epiſcoporum rationabiliter, ut plurimis viſum eſt, convictus, & ad proprium Epiſcopum Inguemarum Remis tranſmiſſus eſt; prius tamen juramento confirmans, ne in regnum Ludovici ultra rediret.* Eadem ferme annales Bertiniani. Ita Gotteſchalcus ad Hincmarum venit cum ſynodica Rabani, qua eum gyrovagum monachum nominat, novas ſuperſtitiones & noxiam doctrinam de prædeſtinatione Dei introducentem, & populos in errorem mittentem: ac deinde ſic loquitur. *Decrevimus eum cum pernicioſa ſua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in veſtra parochia, unde primum inordinate receſſit, & non ſinatis eum amplius errorem docere, & ſuadere populum Chriſtianum* &c. Anno DCCCXLIX. habitus apud Cariſiacum conventus, cui præter Hincmarum adfuit Vvenilo Senonenſis Archiepiſcopus cum Epiſcopis ex variis provinciis, Chorepiſcopis, Abbatibus, aliiſque nominatiſſimis clericis. Adductus ad Synodum Gotteſchalcus, auditus eſt, &, quod inquit Hincmarus, ut hæreticus inventus eſt & condemnatus. Extat ſententia Synodi adverſus eum pronunciata, qua abdicatus à preſbyteri officio eſt, verberibuſque caſtigatus & in ergaſtulum detruſus eſt. In eodem loco, ſed non eodem anno quatuor capitula adverſus Gotteſchalci doctrinam edita ſunt, ea ſuperius à nobis ex annalibus Bertinianis relata ſunt. Primum eſt de prædeſtinatione ad vitam. Secundum de libero arbitrio. Tertium de voluntate Dei, quod velit omnes homines ſalvos fieri. Quartum eſt de ſanguine Jeſu Chriſti pro omnibus omnino hominibus fuſo. Hæc anno DCCCLIII. apud Cariſiacum ab Hincmaro aliiſque Epiſcopis definita ſunt. Hæc quatuor capitula, ubi annotuerunt, magnas turbas in Eccleſia Gallicana excitarunt, quas ſi memorem, librum ea de re me oportet edere, non hiſtoriæ Pariſienſis acta proſequi. Dicam tantummodo anno DCCCLV. habitam Synodum Valentiæ, aliaque Cariſiacenſi Synodo contraria ſcripta fuiſſe. III. Canone prædeſtinationem Dei eo modo explicant Patres Valentini. *Fidenter fatemur prædeſtinationem ſanctorum ad vitam, & præ-*

LIB. VII. CAP. IV.

deſtinationem impiorum ad mortem : in electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonorum, in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere juſtam Dei juſtitiam. Et ſub finem illius canonis hæc adjungunt. *Verum aliquos ad malum prædeſtinatos eſſe divina poteſtate, videlicet ut quaſi aliud eſſe non poſſint, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum mali credere velint, cum omni deteſtatione, ſicut Arauſica Synodus, illis anathema dicimus.* IV. Canon eſt de redemptione ſanguinis Chriſti, contra quoſdam, qui eum etiam pro illis, qui à mundi principio in impietate obierant, dicerent effuſum. In eo canone capitula quatuor Cariſiacenſis Synodi, de quibus memoratum eſt, minus proſpecte ſuſcepta dicuntur, *propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati.* V. Docent patres quod omnes fideles, qui baptiſmo renati ſunt, in morte Chriſti baptizati, & in ejus ſanguine abluti ſunt, alios quidem ſalvari, quia per gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent, alios, *quia noluerunt permanere in ſalute fidei . . . . . ad perceptionem æternæ beatitudinis nullomodo pervenire.* VI. Eſt de gratia & libero arbitrio, idque ſe tenere profitentur, quod ſancti Patres, quod Africana & Arauſicana Synodus, & ſummi Pontifices catholici docuerunt. Decreta à patribus Valentinis expoſita Ebbo Gratianopolitanus Epiſcopus Carolo Regi detulit, quæ Rex ad Hincmarum miſit. Is continuo libros ſcripſit de prædeſtinatione Dei, & libero arbitrio, quorum epiſtolam ad Carolum Regem deſcripſit Flodoardus, quæ nobis ſola ſupereſt. Hincmarus graviſſime de injuria cum Valentinis Epiſcopis expoſtulat, atque inprimis, quod capitula Cariſiacenſis Synodi velut inutilia & noxia rejecerint. *Quæ capitula*, inquit, *ſicut à nobis excerpta ſunt, ſuis ſcriptis inſerere noluerunt, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum capitula devenirent. Sed quædam de his, quæ in capitulis à nobis excerptis alio ſenſu, & aliis verbis tetigerunt, ut abominanda illa demonſtrarent, quædam autem ſuppreſſerunt, & taliter inde memoriam habuerunt, quaſi nos contra ſanctorum patrum ſenſa in Africana Synodo ſenſerimus. De quodam autem capitulo, id eſt, quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, licet non ſalventur, funditus tacuerunt.* Ex quibus Hincmari verbis patet in opere de prædeſtinatione contra capitula Valentina, ab Hincmaro fuſe fuiſſe diſputatum. Ex pravis illis Gotteſchalci aſſertionibus motæ pariter in Galliis contentiones inter Epiſcopos & viros doctos. Prudentius, quem Hincmarus dicit prius capitulis Cariſiacenſis Synodi ſubſcripſiſſe, hanc quoque diſputationis aleam ſubiit, & adverſa ſententiæ Hincmari ſcripſit inprimis notiſſimam illam celebratamque epiſtolam ad Vvenilonem Senonenſem Archiepiſcopum, & illius provinciæ Epiſcopos de ordinatione Æneæ Epiſcopi Pariſienſis, addidit ſe ejus ordinationi non alias aſſentiri, niſi quatuor capitulis, quæ in ea leguntur, ſubſcriberet, hæc autem epiſtola non eſt ſcripta ante annum DCCCLVII. biennio poſt Valentinam Synodum, quod antea probatum eſt. De ea porro epiſtola his verbis ſcribit Hincmarus, cum loquitur de Prudentio. *Poſtea autem in epiſtola ad Vvenilonem ſuum Archiepiſcopum de ordinando Ænea Pariſiorum Epiſcopo directa quatuor ponens capitula &c.* & paulo poſt. *Vnde miramur, cum in præfata Synodo capitulis ſuperius memoratis ſubſcripſerit, & canonicas ſanctiones atque decreta apoſtolicæ ſedis Pontificum ſufficienter cognita de ſynodali ſubſcriptione atque profeſſione habeat, tam inconſulte & inconſuete ſine probabili conlatione contra regularum inſtituta, hujuſmodi ſcriptum, pro ordinationis conſenſu coepiſcopi ſui ad Archiepiſcopum & Epiſcopos ſuos tranſmiſerit.* Quis verò harum contentionum exitus fuerit haud memorem. Scio Gotteſchalcum pertinaciter in ſententia perſtitiſſe, & cum plures annos in Altovillarenſi monaſterio incluſus permanſiſſet, diem obiiſſe, & ejus memoriam apud poſteros inuſtam nota hæreſeos. De aliis vero qui contra Hincmarum ſcripſerunt, non habeo quid dicam, de ejuſmodi enim quæſtionibus nihil his temporibus definitum eſſe exiſtimo. Anno DCCCLIX. In ſuburbio Lingonicæ urbis habita Synodus, ubi inter capitula numero XVI. ſex capitula è Concilio Valentino repetuntur, ſi tamen ea excipias, quæ contra quatuor capitula Synodi Cariſiacenſis canone IV. Synodi Valentinæ ſcripta fuerunt, ea vero omnia capitula Lingonenſis Synodi relecta

Cap. 21. de prædeſt.

fuerunt in Tullenſi Synodo apud Saponarias, quod aliquot Epiſcoporum animos commovit, ut teſtatur Hincmarus, cum de eo concilio ſermonem habet. *Nam ut vere & nos fateamur*, inquit, *noſtræ conſcientiæ ſuper pridem capitulis, quæ, ut diximus Remigius Archiepiſcopus præſentaverat Synodo, recitatis, catholicorum ad memoriam reducentes doctorum traditiones, non modice ſe concuſſerunt. Unde noſtrorum quidam fidei chriſtianæ zelo ſuccenſi aliqua Synodo voluere ſuggerere, ſed motus noſtri ab eodem venerabili Archiepiſcopo Remigio Lugdunenſium ſunt modeſte compoſiti, eo venerabiliter perorante, ut ſi quorumcumque noſtrorum ſenſus ab eiſdem prolatis capitulis in aliquo diſſentiendo ſe commovet, ad proxime futuram Synodum catholicorum libros, doctorum quoque deferre curemus, & ſicut melius ſecundum catholicam & apoſtolicam doctrinam in commune invenerimus, de cetero omnes unanimiter teneamus.* Ex quibus apparet quidem relecta in Synodo Tullenſi apud Saponarias capitula Lingonenſis Synodi, ſed contrà reclamaſſe Epiſcopos aliquot, atque inprimis Hincmarum, & rem ad aliam Synodum dilatam fuiſſe, ut ex veterum patrum ſententiis diſſidia componerentur. Sane extat hujuſce concilii canon, in quo legimus hæc eadem, quæ ex Hincmaro modo retulimus. Ita ſe habet. *Relecta ſunt denique in eadem Synodo quædam capitula, ſuper quibus quorumdam fratrum ſenſus diſſentire probantur; unde convenit inter Epiſcopos, ut Deo favente pace, & tranquillitate recuperata ſimul conveniant, & prolatis ſanctarum ſcripturarum, atque catholicorum doctorum ſententiis, quæ ſaniora ſunt, concordi unanimitate ſequantur.* Unde manifeſtum eſt in Galliis non fuiſſe hanc controverſiam compoſitam, cum eam agitatam aliàs in Synodo non reperias. Quod autem litem finitam dicat Prudentius decreto Nicolai ſummi Pontificis, Hincmarus reſpondet de ea re nihil aliàs auditum, nec alibi lectum eſſe. *Videlicet*, inquit, *domnus Prudentius in annali geſtorum noſtrorum Regum, quæ compoſuit, ad confirmandam ſuam ſententiam, geſtis anni Dominicæ incarnationis DCCCLIX. indidit dicens. Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædeſtinationis, & de ſanguine Chriſti, ut pro credentibus omnibus fuſus ſit, fideliter confirmat, & catholice decernit.* Quod ad verbum deſcriptum eſt in annalibus Bertinianis. Nullâ vero vel epiſtolâ vel conſtitutione Nicolai Pontificis id decretum fuiſſe ulla antiqua monimenta tradunt. Sed quî ea congruunt cum iis, quæ de eodem Prudentio in iiſdem Bertinianis annalibus habentur ad annum DCCCLXI. *Galindo cognomento Prudentius Tricaſſinæ civitatis Epiſcopus natione Hiſpanus adprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotteſchalco prædeſtinatiano reſtiterat, poſt felle commotus contra quoſdam Epiſcopos ſecum hæretico reſiſtentes, ipſius hæreſis defenſor acerrimus: indeque non modica inter ſe diverſa, & fidei adverſa ſcriptitans moritur. Sicque licet diutino langore fatigaretur, ut vivendi, ita & ſcribendi finem fecit.* Ne tamen offendam memoriam Prudentii Epiſcopi, dicam Trecis ejus memoriam anniverſariam celebrari. De his ferme quæſtionibus noſtra ætate renovatæ contentiones ſunt, & magnis partium ſtudiis agitatæ; ſed demum ſummorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. conſtitutionibus ſedatæ ſunt. His ita ad elucidationem epiſtolæ Prudentii expoſitis, egregiè ad res noſtras facturum me eſſe exiſtimo, ſi memorem quis reipublicæ eo tempore ſtatus fuerit, quod ſequenti capite exequemur.

CAPUT V.

De defectione optimatum, de expulſione Caroli-calvi, & ejus reſtitutione, de Synodo apud Saponarias, ubi contra Vvenilonem Senonenſem Archiepiſcopum actum eſt, de Synodo apud Tuſſiacum, & de conventu apud Piſtas, & de privilegio monaſterii Dionyſiani.

I. EXTERNIS malis, quæ aſſidue vexabant Gallias, inteſtinum acceſſit malum. Comites defectionem cogitant, & cum aliquot Abbatibus coitione facta Carolum ejicere ex regno meditantur. Ob eam cauſam ad Ludovicum Germaniæ Regem legatos mittunt Adalhartum Abbatem, & Otonem Comitem, à Ludovico poſcunt opem, quam ſi ferre abnuat, minitantur adituros ſe Principes Nortmannos, quorum ſe fidei committant; foris eſſe hoſtem Nortmannum, qui ſæviat impune & diripiat civitates, & agros devaſtet: domi nocentiorem ſævire hoſtem Carolum, qui omnia perdat, & per vim & crudelitatem in morem tyranni rem gerat. Ludovicus primum conſulere quid facto ſit opus: Renitebatur quidem fide pactionum & ſacramenti religione; verum plus valuit ſpes regni propagandi, quam jura fœderum. Jam ille adverſus varium hoſtem copias collegerat, trifariamque diviſerat: his ſimul collectis Rhenum haud cunctatus trajicit, & ad Pontigonem, quæ villa regia eſt acceſſit. Optimates illico ad illum properare, & fidem polliceri. Carolus cum exercitu Nortmannum ad oram Ligeris repellebat, audito Ludovicum cum infeſto exercitu Galliam ingreſſum illi occurrere parat: profectus itaque contra Ludovicum per Catalaunos iter facit, & ad Breonam caſtra locat. Stabat ex adverſo Ludovicus cum valido exercitu. Carolus impar viribus neque aleam ſubire certaminis auſus eſt, neque pacem impetrare potuit. Demum pridie Idus Novembris cum acies ordinatæ in conſpectu ſtarent, Carolus advertens à ſuis ſigna deſeri, & pleroſque poſthabita fide ad fratrem transfugere, cum paucis è caſtris clanculum diſceſſit, & in Burgundiam ſe recepit. Statim Caroli exercitus ad partes Ludovici tranſit. Rebus proſpere geſtis Ludovicus Trecas venit, inde ad Attiniacum palatium profectus eſt. Etſi plerique ex proceribus à fide in Regem exciderant, Pontifices tamen animo infracto ſteterunt: dolebant Regem proditum à ſuis, Ludovicum contra pacta jurejurando firmata adverſus fratrem ſigna convertiſſe, & rebellium furorem ſequi. Ubi igitur rumor Ludovici in Gallias adventantis venit, primo per Hildegarium Meldenſem Epiſcopum eum admonent, ne contra jus & æquum invadat regnum fratris, eademque per Æneam Pariſienſem ſignificant, deinde per Hincmarum Remenſem ac Vvenilonem Rotomagenſem Epiſcopos, ac demum iterum per eoſdem alioſque Pontifices, idque maxime teſtantur in Synodo Cariſiacenſi anno DCCCLVIII. menſe Novembri, queruntur que, quod eorum monita & conſilia non audierit, rogantque, ut ponat ante oculos quæ adverſus fratrem geſſerit, an eadem ab eo pati velit, turbatores pacis non audiat: hortantur inprimis, ut emendari & reſtirui curet, quæ crudeliter per provincias fratris fieri paſſus eſt. Quin junctis cum ftatre viribus adverſus Nortmannos

ſigna

ſigna vertat, & provincias ab eorum incurſionibus liberet: alia inſuper utilia eccleſiaſticæ diſciplinæ ipſi ſuggerunt. Verum non tantum valuerunt monita Pontificum, quantum felicitas Caroli. Ludovicus enim ſine ſanguine victor Galliarum, ſuæ jam ſecurior victoriæ, à perſequendo Carolo contra omnium opinionem deſtitit, copias, quas adduxerat, in Germaniam remittit, falsò exiſtimans fidem ſervaturos, qui Principem prodiderant. Interea Carolus recuperandi regni cupidus, tempus rei agendæ quæritabat: ecce ſeſe ultro obtulit. Miſerat Ludovicus ad Carolum filios Chonradi Comitis, qui per ſpeciem amicitiæ explorarent, quid conſilii Carolus caperet; illi, ut fluxa fides eſt hotum hominum, ad partes Caroli tranſeunt, excitantque ad recipiendum regnum, Ludovicum dimiſſo exercitu ſecurum agere, facile opprimi poſſe, ſi improviſo illum adeat. Adjuvit conſilia Caroli malus nuncius ex Germania ad Ludovicum allatus, Sorabos Duce ejus perempto defectionem meditari. His perturbatus Rex metuens, ne malum longius ſerperet, haud mora in Germaniam properat. Tum Carolo facile fuit regnum hoſte amoto recipere. Carolus initio Quadrageſimæ anno DCCCLIX. regno reſtitutus, ne iterum à Ludovico è regno pelleretur, cum Lothario nepote fœdus init. Aliunde Pontifices Mettas conveniunt, legatoſque ad Ludovicum mittendos decernunt cum commonitorio, quo pacem primo ab eo poſcere ſe dictitant, ut indulgentiam eorum, quæ prave geſſerat, conſequatur, quam obtinebit, uti ſperant, ſi mala, quæ perpetravit, cum dolore agnoſcat, & ſincera confeſſione peccata eluere, & per pœnitentiam & emendationem vitæ allata damna reſarcire ſtuduerit; ac deinde ſi Ludovicus ſpondeat deinceps ſe Eccleſiam Dei non perturbaturum, neque amplius laturum opem iis, quorum conſiliis tot mala perpetravit: ſi eos ad placitum coram fratre Carolo & nepote Lothario venire compulerit, & quiſque, ut recta ratio ſuadet, ſuis honoribus perfruatur, ſed qui non potuerit diluere culpam, veniam & miſericordiam ejus precibus conſequatur, ille quoque condemnationi acquieſcat eorum, quos juſto judicio condemnaverint, ne vitam alieno ſcelere commaculet: tandem ſi promiſerit ſe re & opera Eccleſiam Dei adjututum, & ſe daturum operam, ut ſua privilegia obtineat, & populus Chriſtianus pacem habeat. Legatos inſuper ſuos admonent, ut eccleſiaſtica pietate, & canonico more peccata, quæ commiſit, dimittant, denique poſtulanti indulgentiam, & ſacræ communioni eum reſtituant. Legati Vvormatiam venerunt, & Ludovicum adierunt, & quæ ſuæ erant legationis retulerunt. Reſpondit Ludovicus nihil à ſe actum eſſe ſine ſuorum Epiſcoporum conſilio, nihilque à ſe tractandum eſſe, niſi re cum iiſdem communicata, quod à legatis ad Synodum relatum eſt.

Eodem anno ex duodecim provinciis Epiſcopi convenerunt in villam Saponarias, quod ſuburbanum Tullenſe eſt, præſenteſque adfuerunt Reges Carolus Rex, Lotharius & Carolus ejus nepotes. Hujus Synodi habentur capitula XIII. ſed cum præcipua actio adverſus Vvenilonem ſit, de eo paucis præfari libet. Cum Carolus, qui calvus poſtea dictus eſt, regnaret, forte accidit, ut Eccleſia Senonenſis vacaret Pontifice. Id temporis Rex Carolus effecit, ut Vvenilo regiæ capellæ clericus hanc cathedram ex conſenſu Epiſcoporum provinciæ Senonenſis obtineret, poſt inteſtina bella, fraternaque odia, cum demum diviſio regni facta eſſet, & tertiam partem Carolus obtinuiſſet, Vvenilo utique cum aliis Epiſcopis, qui aderant, diviſionem jurejurando approbavit: & iterum, cum Carolus & Ludovicus fœdus ſecum invicem pepigiſſent, Vvenilo pariter & complures Epiſcopi illud præſtito ſacramento confirmarunt. Rex Carolus poſtea juſſit ſe inungi in Regem Aurelianis in baſilica ſanctæ Crucis, quam conſecrationem rite peregit Vvenilo cum aliis Archiepiſcopis & Epiſcopis. Deinde cum ſeditiones movere quidam maleficiati homines cœpiſſent, apud Baiernam habito conventu ſtatutum eſt, quemadmodum Rex erga Epiſcopos & optimates ageret, quidque ſolatii & auxilii Regi præſtarent, cui conventioni Vvenilo propria manu ſubſcripſit. Cum vero Rex Carolus adverſus Nortmannos ad Oſcellum inſulam eſſet profectus, quidam ex optimatibus fuga

LIB. VII. CAP. V.

Annal. Fuld.

II.

lapſi ſunt, Vvenilo quoque per ſpeciem morbi abiit domum. Eo vero tempore Ludovicus Rex regnum Caroli cum ingenti exercitu invaſit; Vvenilo ſolus ex Epiſcopis regni Ludovicum adiit, & ejus partes ſecutus eſt, & cum poſt fugam Caroli, quæ accidit ad Breonam, Ludovicus allicere Lotharium ad ſuas partes cuperet, Vvenilo cum ſuis Ludovicum adjuvare, ei præſto eſſe, communicare cum ſeditioſis turbulentiſque hominibus, qui ad defectionem alios excitaverant, quos ob eam cauſam Epiſcopi à ſacris, & à communione fidelium alienos pronunciaverant. Immo & ipſe ſacra egit cum iis apud Attiniacum palatium ſine conſenſu & venia Epiſcopi illius loci, & cum iis tractavit de Caroli regno, ejus fratri aſſerendo, & Lothario nepote ab ejus partibus removendo. Idemque poſtea Vvenilo in eodem fuit conſilio & tractatu, ubi actum eſt de Epiſcopis ad defectionem impellendis. Quin & ipſe Vvenilo à Ludovico præceptum obtinuit de Abbatia ſanctæ Columbæ, & rebus vel honoribus ejus regni, & alia à Ludovico impetravit, ex quibus haud dubium eſt decretum Vveniloni fuiſſe, ut Ludovicus ſummam exerceret in regno fratris poteſtatem. Auctor idem Vvenilo fuit, ut optimates Carolini regni violata fide ſacramenti Ludovico fidem & obſequium pollicerentur. Idem quoque Vvenilo Epiſcopatum Bajocaſſenſem à Ludovico obtinuit in gratiam clerici cujuſdam propinqui ſui nomine Tortoldi, qui prius ſacramento fidem Regi Ludovico aſtrinxerat. Demum cum Carolus reciperet regnum pulſo Ludovico, nullum auxilium pro more ſuæ Eccleſiæ ei miſit. Hæc quidem, quæ ex libello proclamationis Caroli Regis adverſus Vvenilonem deprompta ſunt; ut quæ poſtea de Synodo exponemus, clariora ſint. Cum ita hæc ſe haberent, habitum eſt Tullenſe Concilium ex Epiſcopis duodecim provinciarum, ubi capitula xiii. edita ſunt. Primum decretum eſt, ut pax fieret inter Reges Ludovicum & Carolum, & Eccleſia ad unitatem reduceretur. i i. Statuunt ut Epiſcopi mutuo ſe adjuvent, & hi, primateſque regant populum, & Synodi habeantur. iii. Ut Reges Carolus Lotharius & Carolus amicitia & fœdere conjuncti ſint. i v. De Tortoldo diacono mentio eſt, qui Epiſcopatum Bajocaſſenſem occupaverat, ut ſuperius dictum eſt: definitum eſt, ut Vvenilo Senonenſis Archiepiſcopus, cujus diaconus erat, cum tribus Epiſcopis cauſam ejus canonice cognoſceret, ſin ille ſe ſiſtere judicio abnueret, anathemate percuteretur. v. Contra Anſcarium ſubdiaconum ſimiliter pronunciatum eſt; is ſpreto Iſacio Pontifice, Lingonenſem cathedram invaſerat: ſed mitius poſtea cum eo actum eſt, accepta ejus confeſſione, qua crimen confitebatur, & veniam ſuppliciter deprecabatur. v i. Rex Carolus adverſus Vvenilonem libellum appellationis, electorumque judicum cum libello proclamationis obtulit Synodo: datæ ſunt induciæ, & accuſatio per Epiſcopos & litteras ſynodicas Vveniloni ſignificata eſt. v i i. De Attone Viridunenſium Epiſcopo actum eſt; is ſecundum regulas oblatus fuerat monaſterio Autiſſiodorenſi, & inde contra regulas egreſſus, inordinate ad epiſcopatum pervenerat; definitum eſt, ut ſe alteri Synodo ſiſteret. v i i i. Decretum eſt contra Epiſcopos Armoricæ, ut ſe ſubderent metropoli Turonenſi, nec communicarent cum excommunicatis, & admonerent Salomonem, ut fidem Carolo Regi ſervaret. i x. Admonent per litteras Britones excommunicatos, ut ſe corrigant, alioquin proxima Synodo anathemati ſubjiciendos. x. De controverſia nuper agitata inter Hincmarum & Cariſiacenſis Synodi Epiſcopos, cum Remigio Archiepiſcopo Lugdunenſi & Valentinæ Synodi Epiſcopis, conſtitutumque, ut Epiſcopi ſimul convenirent, *& prolatis ſanctarum ſcripturarum, atque catholicorum doctorum ſententiis, quæ ſaniora ſunt, concordi unanimitate ſequerentur.* x i. Synodus ſuppliciter expetiit à Carolo Rege, & Rodulpho Bituricenſi Epiſcopo, ut privilegium monaſterii ſancti Benedicti ratum & inconvulſum ſit. x i i. Hæc, quæ ſuperius allata ſunt, in ea Synodo ſtatuta ſunt, & alia quædam de parochiis, quæ Epiſcopis ad exequendum ſunt commiſſa. x i i i. Preces conſtitutæ in Synodo, ut Epiſcopi & ſinguli pro cunctis qualibet hebdomada feria quarta miſſam celebrarent, & poſt obitum alter alterius ſeptenas miſſas, totidemque vigilias dicerent. Hæc patres Tullenſis Synodi; poſt

hæc XIII. capitula, legitur in actis illius Synodi libellus proclamationis Caroli LIB VII. CAP. V.
Regis adverſus Vvenilonem; hujus capita ſuperius recenſita ſunt: habetur deinde epiſtola ſynodalis ad Vvenilonem Archiepiſcopum. In capite illius epiſtolæ deſcripta ſunt pleraque Epiſcoporum, qui huic concilio adfuerunt, nomina, inter quos Æneas Pariſienſis Epiſcopus annumeratur. In ea epiſtola Patres breviter memorant, quæ Carolus Rex illi objecerit. Electos aiunt judices Remigium Lugdunenſem, Vvenilonem Rotomagenſem, Herardum Turonenſem, & Rodulphum Bituricenſem Archiepiſcopum, ſpondentque ceteros judicium ſuo conſenſu approbaturos. *Proinde*, inquiunt, *frater cariſſime, à tempore, quo litteras has acceperis, poſt diem trigeſimum quocumque vocatus fueris, ita canonice inſtructus occurre, ut defenſionis tempore, ac loco accepto, ſi conſcientiæ, quod plurimum optamus, confidis, ſuffragante veritate probabiliter objecta diſſolvas, ſin autem in defenſione defeceris, ſententias à majoribus inſtitutas excipias.* Synodicam quoque epiſtolam mittunt Epiſcopi ad Epiſcopos Aremoricæ, ſeu, ut ſcribunt, ad Epiſcopos Britonum, admonentque, ut Herardo Turonenſi Archiepiſcopo metropolitano ſuo reverentiam exhibeant, nec quem Epiſcopum ordinent, aut aliquid generale ſine ejus conſenſu agant: monent præterea quoſdam propter varia crimina excommunicatos eſſe à Metropolitano Turonenſi & ab aliis Epiſcopis, cum quibus ipſi communicant; admonentque, ut ab hac ſententia abſiſtant, ſin pergant, in eos canonicam ſe dicturos eſſe ſententiam: & ſpeciali indiculo admonent Salomonem, *ut permittat totius Britanniæ Epiſcopos debitam reverentiam Metropolitano inferre, ut facultates eccleſiaſticas, nec ipſi Deo auferat, nec aliis auferre permittat; ut conſideret quanto animæ ſuæ periculo Britannorum dominationem invaſerit &c. ut pro diverſis criminibus excommunicatos ne recipiat.* Extat & in actis illius Synodi epiſtola ſynodica ad Britones propter varia ſcelera excommunicatos: ex ea addiſcimus quorum criminum rei fuerint, quos Archiepiſcopus Turonenſis excommunicaverit. Quod, ſcilicet templa Dei violaſſent, vaſa Dei & theſauros Eccleſiarum abſtuliſſent, quod depoſita propter invaſionem Nortmannorum in ſuos uſus transferrent, quod invaderent villas & poſſeſſiones eccleſiaſticas, quodque alia baud vererentur crimina committere; hæc aliaque illis hominibus ſignificant, minanturque anathema generale, ſi in contumacia perſiſtant: addita quoque actis hujus Synodi ſexdecim capitula, quæ in Synodo Lingonenſi conſtituta fuerant, & in hac Synodo relecta. Demum Sirmondus bis adjecit commonitorium Heraldi Turonenſis Archiepiſcopi ad Vvenilonem Archiepiſcopum Senonenſem, ſignificat ipſi à Synodo decretam legationem, litteraſque ſibi datas ab eadem Synodo, & mittere ſe ad eum Robertum Cenomanenſem Epiſcopum, qui illum admoneat, ut diluat accuſationes contra eum habitas, & notam ſacerdotali ordini impactam abſtergere ſtudeat, hortaturque, ut ſi ſe reum agnoſcat, ne gravetur pro tempore uni vel pluribus Epiſcopis id ſuggerere, & Regis clementiam modis omnibus implorare. Puto, his Heraldi conſiliis Vvenilo uſus eſt: nam annaliſta Bertinianus tradit Vvenilonem Epiſcopum Senonenſem *abſque audientia Epiſcoporum* Carolo Regi fuiſſe reconciliatum. Ea omnia tractata ſunt in Synodo Tullenſi apud Saponarias.

Anno DCCCLX. hiemem antiqui annales annotant inprimis ob continuas III.
nives, & diuturnam frigoris aſperitatem. Eo tempore Lotharius Theutbergam uxorem odio proſecutus incæſti flagitii arguit, compulſamque fateri crimen, cujus innoxia erat, coram Epiſcopis ex thoro ejicit, & in monaſterium ire cogit, quod divortium magnas deinde tempeſtates excitavit, quas, quoniam noſtri non ſunt inſtituti, prætermittam. Dani interea Galliam prædationibus more ſolito vexant. Cumque pollicerentur ituros contra eos qui Sequanam inſederant, ſi tria millia librarum argenti appenderentur: exactæ continuò ab Eccleſiis pecuniæ, à negotiatoribus & manſis, ex quibus cum ſumma non conficeretur, receptis obſidibus ad Anglos navigarunt, à quibus profligati ſunt. Ad Autumnum apud Tuſſiacum, quæ villa eſt agri Tullenſis celebrata Synodus quatuordecim provinciarum, cui Æneas Epiſcopus Pariſienſis adfuit, quam-

obrem de ea paucis agendum eſſe exiſtimo. Hujus Concilii habentur tantum quinque canones. Primus eſt contra eos, qui res ſacras ex oblatione & voto fidelium invadere non timent; hos Synodus à cœtu & ſocietate fidelium, dum vivunt, ſeparat, ut nec in fine communionem accipiant, neque corpus ipſorum more fidelium cum oblarionibus & pſalmis atque hymnis ad ſepulturam deducatur. Secundus eſt de virginibus & viduis, quæ Deo ſe devoverunt, ſi nupſerint, aut Deo datam fidem per luxuriam violaverint, ant de aliis viduis, quarum vita turpis, quæ etiam filias juvenum libidini turpiter projiciunt: volunt Epiſcopi hujus Concilii, ut uſque ad finem vitæ ergaſtulis retruſæ pœnitentiam agant. Tertius eſt contra perjuros, & falſos teſtes, ut duræ & diſtrictæ pœnitentiæ ſubdantur, quamdiu in crimine manent, foras ab Eccleſia projecti, neque oblatio eorum in ſacris, neque nomen eorum inter fideles recitatum habeatur. Quartus contra eos, qui rapinas, incendia, ſtupra, cædes, & homicidia perpetrant, quos Synodus vult eſſe remotos à foribus Eccleſiarum, & ab omni ſocietate Chriſtiana, uſque dum pœnitentiæ ſe humiliter ſummittant. Quintus canon clericos & monachos vagos, qui propter loca ſacra à Nortmannis, & à perfidis Chriſtianis incenſa & vaſtata in variis errarent provinciis, ad Epiſcopos & Abbates revocar. His ſubſcripſerunt duodecim Archiepiſcopi, inter quorum nomina reperitur Vvenilo Senonenſis Archiepiſcopus, quem jam oportet cum Carolo Rege fuiſſe reconciliatum; & quadraginta quinque Epiſcopi, cum iis Æneas Pariſienſis Epiſcopus ſubſcripſit. Poſt canones extat epiſtola ſynodica, in qua multa, eaque præclara de Deo habentur, de ejus voluntate, & quædam de libero arbitrio ad ſententiam Hincmari, & capitulorum quatuor, quæ in Cariſiacenſi Synodo ſcripſerat, ac demum concluſio eſt contra eccleſiaſticarum rerum pervaſores, ac pauperum prædatores. Ac demum Sirmondus adjecit epiſtolam Hincmari juſſu & auctoritate ejuſdem Synodi ſcriptam ad Radulphum Bituricenſem, & Frotarium Burdigalenſem Metropolitanos Aquitaniæ, de nuptiis Stephani & filiæ Regimundi Comitis, ſed cum ea res longe ſit aliena à noſtris rebus, lectorem ad lectionem ipſius epiſtolæ remittimus.

IV. Menſe Januario Dani aſſidui prædones Lutetiam Pariſiorum invadunt, cremantque eccleſiam ſancti Vincentii, quæ eſt ſancti Germani de Praris, cum vero quidam negotiatores ex ea urbe adverſo amne auffugiſſent, barbari re cognira eos inſequi pergunt & capiunt; & iterum ſub finem anni Dani alii, qui Morinorum urbem incenderant, quique poſtea in Angliam invaſionem fecerant, cum ducentis navibus in Sequanam prædabundi navigant, Oſcellum inſulam, quam Nortmanni occupaverant, obſident, obſeſſi pretio conſulunr ſuæ vitæ, ſimulque conjuncti, cum à mari prohiberentur, per Sequanam ſe deffendunt ſecundum ſuas ſodalitates. Vvelandus Dux Meludonum uſque evadit, Vvelandi filius cum Caſtellanis Foſſatenſe occupat monaſterium. Bertiniani annales his addunt Carolum Regem Magdunum ad Ligerim veniſſe, & Robertum multis affeciſſe honoribus. Annales Mettenſes referunt habitum apud Compendium à Carolo placitum, & ibi ex optimatum conſilio Robertum conſtitutum Ducem pagorum, qui inter Ligerim & Sequanam ſunt: ut regionem ab incurſione Britonum defenderet: hac occaſione Guntfridus & Gosfridus, quorum conſilio Carolus Robertum ad hos honores evexerat, quæ hominum perfidia eſt, ad Salomonem Britonum Ducem deficiunt. Robertus nihilominus rem egregie geſſit. His malis, quibus Carolus premebatur, alia domeſtica acceſſerunt. Juditha ejus filia, quæ Edelboldo Anglorum Regi nupſerat, eo mortuo, à Balduino Comite rapta eſt, & mutato habitu in regnum Lotharii deducta eſt. Ludovicus filius Caroli auctoribus Guntfrido & Gozfrido transfugis relicto patre cum paucis ad Salomonem transfugit. Non tulit Rex injuriam, Balduinum, Judithamque ex conſilio primorum legibus regni ſubjicit, & advocatis Epiſcopis ex canone communione privat; Ludovico filio Abbatiam ſancti Martini, quam illi contra regulas dederat, auffert, & ut ea erat corruptela temporum, Huberto clerico quidem, ſed conjugato committit. His tamen malis melior

ſucceſſit fortuna; cum enim Carolus Silvanectum perrexiſſet, expectaretque copias, quibus Nortmannos à deſcenſu prohiberet, & cuſtodiret ripas Iſaræ, Sequanæ & Matronæ, Dani, qui ad Foſſarenſe monaſterium conſederant, Meldos ire conſtituunt cum naviculis. Carolus uſus tempore pontem ad inſulam ſecus trajectum reficit, Nortmannos à deſcenſione prohibet, ripamque Matronæ per milites cuſtodiri jubet, atque ita ſummas in anguſtias barbaros redigit, qui pacem his conditionibus obtinent, ut captivos, quos ceperant, ex quo in Matronam evaſerant, ſine mora redderent, ut cum aliis ad mare redirent, ſin illi cunctarentur, ipſos junctis cum Francis vexillis impeterent; rebus ita pertractatis dati Carolo decem obſides, & ſic ad ſuos redeundi facta eſt poteſtas. Poſt viginti ferme dies Vvelandus ad Carolum venit, præſtitoque cum ſuis ſacramento, ſe illi commendat, & continuo refecta ad Gemeticum claſſe ad mare regreditur. Ex his pars ad Salomonem Ducem Britonum navigavit, ab his Salomon duodecim naves pretio conduxit, quas Robertus interfectis cuſtodibus capit, Nortmannoſque numerata pecunia contra Salomonem ſibi adjungit, quo tempore Vvelandus Dux Nortmannorum cum uxore & filiis ad Carolum venit, ejurataque ſuperſtitione Dei religionem profeſſus eſt. Neque his ſucceſſibus res domeſticæ Carolo Regi felicius cedebant, ejus filii Carolus & Ludovicus inconſulto patre, nuptias juvenes contraxerant; Carolus, quem Carolus pater Regem Aquitaniæ præfecerar, vixdum quinque & decem annos natus conſiliis Stephani viduam Comitis Humberti duxerat uxorem, & Ludovicus filiam Harduini Comitis. Parer, ſeu odio in filios, ſeu animo repellendi barbaros, ſeu his aliiſque publicis rationibus Piſtis conventum publicum indicit. LIB. VII. CAP. V.

V. Piſtæ locus eſt in agro Rotomagenſi, ubi Indella & Adura fluvioli ex utraque parte in Sequanam influunt; huc cum fabris cæmentariis, aliiſque operariis venit, munimentaque ſupra Sequanam extrui jubet; quo Nortmannis aſcendentibus deſcendentibuſque viam obſtruat. Sed in primis in eo loco placitum pariter & Synodum celebrat, quorum meminerunt annales Bertiniani ad annum DCCCLXII. Certe Synodum Piſtenſem celebratam eſſe hoc ipſo anno probat titulus XXXIV. capitularium Caroli-calvi quæ Sirmondus edidit, ubi de Piſtenſi Synodo agitur. His verbis titulus incipit.

VI. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex, & Epiſcopi, Abbates quoque, & Comites, ac ceteri in Chriſto renati fideles, qui ex diverſis provinciis ſuper fluvium Sequanam in locum qui Piſtis dicitur, ubi exigentibus peccatis noſtris aliquandiu ſedes fuit Nortmannorum, convenimus anno Incarnationis dominicæ DCCCLXII. anno vero regni* XXIII. *domni noſtri Karoli Regis glorioſi. Indictione decima.* Eamdem annorum notam habet privilegium ſancti Martini Turonenſis de villa Lirado. *Cum ſuper fluvium Sequanæ, in loco qui Piſtis dicitur, unanimiter ſacro ſanctum Concilium ageretur anno DCCCLXII. & ſubſcriptio data menſe Auguſto* XX. *ipſius menſis.* Narrant annales Bertiniani Carolum Regem in eo conventu de regni & Eccleſiæ negotiis egiſſe. Hujus aliquot habentur capitula. Primom Rex & Epiſcopi ſuom dolorem teſtantur ob ea præſertim mala, quibus à Nortmannis afflicta Gallia eſt, cauſamque publicæ calamitatis refundunt in peccata hominum. Ideo inquiunr rerras noſtras deprædantur barbari, quoniam expulimus inbærentem cordibus noſtris ſancti Spiritus gratiam, hoſtemque Dei diabolum ſubſtituimus. Terra noſtra hoſtili gladio devaſtata eſt, quia flores virtutumque fructus, fidem ſcilicet, ſpem, caritatem, humilitatem, caſtitatem, ſobrietatem, aliaque animi Chriſtiani ornamenta ex corde abſtulimus, vitiaque tamquam ſpinas & vepres animis noſtris inſeri & ſuccreſcere paſſi ſumus. Ideo incolæ & hujus terræ habitatores crudeliter occiſi, qui antea truci peccatorum gladio perempti turpem ſibi mortem conſciverant. Eccleſiæ noſtræ & villæ flammis abſumptæ ſunt: poſtquam avaritiæ, invidiæ & adulteriorum incendia in nobis deflagrarunt; & quoniam nulla æqui juſtique habetur ratio, immo corruptela mentes judicum invaſit: bona Eccleſiarum, illa vota fidelium, pretia peccatorum, pauperum patrimonia rapta & alio deportata

ſunt. Hæc Regis Pontificumque communis erat & publica comploratio. Adhortantur deinde ſe invicem ad mores emendandos, ad reparandas pœnitentiâ vitæ præteritæ noxas, & iram Dei placandam vitæ melioribus inſtitutis. II. Ut his malis remedium adhibeanr, ſtatuunt, ut Epiſcopi, Miſſi, & Comites ſumma diligentia curent, ut raptores, deprædatoreſque ad emendationem compellantur, ſeu ex lege & judicio cum iis agatur, aut ipſi ex jure damna reſarciant, aut ex indulgentia delicti veniam impetrent. Epiſcopi vero compertos criminum pœnitentiæ ſeveritati ſummittant. Omnia demum jubent ordinari ſecundum præcepta, quæ regum auteriorum capitulis comprehenſa ſunt, pollicenturque ſe contra nova inauditaque ſcelera adhibituros nova pœnarum genera. III. Publico ſtatuunt conventu, ut quiſquis deprædationis, aut alterius reus ſit criminis intra Calendas Octobris componat, ſeu pretio pœnam redimat: aut dupli condemnetur, ſeu ut loquuntur bannum dupliciter componat: Sin obtemperare negligat ex judicis ſententia, vel ex lege pecuniam perſolvat & publicæ ſubjiciatur pœnitentiæ, quibus ſi contumaciter reſtiterit, ad Regis præſentiam jubetur perduci, & Epiſcoporum auctoritate à conſortio fidelium excludi. IV. His ſubjungunt quædam ex capitulis Caroli-magni & Ludovici-pii, ut ſcilicet qui rapinas & deprædationes aliaque mala perpetraverit, quemadmodum in capitulis ſcriptum eſt, triplum reddat, ſeu, ut aiunr, in triplo cui abſtulit legibus componat, *& bannum Regis id eſt ſexaginta ſolidos perſolvat*, & in carcere compactus pœnas luat. In eos inſuper decernunt pœnas quæ in Conciliis latæ ſunt contra deprædatores: denunciantque ex capitularibus Caroli-magni & Ludovici-pii, ut quiſque reddat rationem eorum, qui in ſuo ſunt obſequio, & pro eorum delictis ſubeat periculum, & pœnas pro facinoris ratione perſolvat; & ipſe quiſquis ex optimatibus fuerit, qui ex contemptu & negligentia delinquentem non correxerit, honore ſuo privetur. Epiſcopi autem viros ejuſmodi opibus & potentia valentes, qui ſuos ut vocant homines non digna correctione emendaverint, communione privandos judicant. Hæc & alia Rex & Epiſcopi conſtituerunt, quæ ſuis ſubſcriptionibus confirmara eſſe voluerunt.

VII. In hac Synodo Piſtis congregata Ludovicus Abbas & monachi Dionyſiani obtinuerunt ab Epiſcopis privilegium, quod Dubletus eruit ex tabulariis Dionyſianis, & cujus ſpecimen ære excuſum à Mabillonio in opere de re diplomatica editum eſt, hoc ex Dubleto deſcribimus.

VIII. *Vniverſalis Synodus ex variis Galliæ partibus ad locum evocata, cui nomen Piſtis, venerabilibus Coepiſcopis noſtris, reliquiſque fidelibus maximis tribulationum preſſi calamitatibus, quas nullo reluctante culpæ noſtræ merentur, conſolationem habemus in eo, qui ait: in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite ego vici mundum? nec ejus nos gratia deſtitui poſſe credimus, qui polliceri dignatus eſt. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Proinde apoſtolicæ dignitatis, quamquam indigni hæredes, paſtoralem curam omnibus paſſim impendimus, & religionis cultum invicta ſtabilitate deſiderantibus cuſtodire, copiam facultatis cupimus præparare. Quod ut evidentius clareſcat, cognoſcat cariſſimum filium noſtrum HLudovicum venerabilem Abbatem ex cœnobio præcellentiſſimorum Chriſti martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii fratreſque ejus monachos diuturna Normannorum incurſione vexatos, ad inſidias, ac violentiam eorum declinandam, munificentia glorioſiſſimi Regis Caroli, prædium quoddam cui nomen Madriniacus in pago Morivenſi conſecutos, ubi in eleemoſyna patris ejus HLudovici ſereniſſimi Auguſti, & matris ejus Iudith, ipſius quoque & conjugis ejus Hirmintrudis Reginæ, cellam refugii ædificarent, in honorem Dei, & memoratorum clariſſimorum martyrum Dionyſii ſociorumque ejus, ac flagitare præfatum Abbatem, & monachos ejus, ut votum Regis ipſorum neceſſitudini conſulentes, noſtro conſilio, & auctoritate roboraremus, ne ipſi, aut ſucceſſores eorum aliquam hinc calumniam paterentur, ſed quieti & immunes ſub regula beati Benedicti Domino Deo famularentur, & nec à regia poteſtate, nec ab epiſcopali auctoritate, nec à ſucceſſoribus Ludovici Abbatis aliquam inquietudinem paterentur, quaſi jus habentibus propinquis, aut quibuſlibet ſuorum fundum prædictum beneficii nomine lar-*

S. Matth. 28. 20.

giendi. Quorum petitioni quia rata erat, libenter adquieſcentes ſtatuimus, ut liberalitas domini noſtri Regis Caroli Dei ſervis perpetuo profutura ſtabilis permaneat, nec in uſum ſæcularium aliquatenus cedat, anathematis qui hanc temerarie præſumpſerit animadverſione à Dei populis ſeparandis. Monemus autem præſentes ſecuturoſque Dei ſervos, ut profeſſionem ſuam, contempta ſæculi vanitate honeſtis moribus, & ſanctis actibus exequantur, ut noſtro miniſterio ſibi divinitus procurata quiete; & ſemetipſos ſalvare ſtudeant, & ſuis ſanctis intercesſionibus benefactoribus ſuis, cunctiſque fidelibus prodeſſe prævaleant. Hanc autem conſtitutionem noſtram ad laudem Dei, profectumque ſervorum ejus, quandiu Deus & Dominus noſter Eccleſiam ſuam durare conceſſerit perſeveraturam ſubſcriptionibus propriis decrevimus confirmare. LIB. VII. CAP. V.

Vvenilo munere divino Sennenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hincmarus ſanctæ metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvanilo humilis Rotomagorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Herpuinus Silvanectenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Æneas Pariſii Epiſcopus ſubſcripſi.
Ionas humilis Eduorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Godelſadus Cabilonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Herluinus Conſtantienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Gontbertus Ebrocenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Heirardus Lixuvienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildebrandus Sagenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Raginelmus Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Erchenraus indignus ſanctæ Catalaunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Odo indignus Belloacenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildegarius Meldenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Folchricus Auguſtæ tricorum indignus Epiſcopus ſubſcripſi.
Hincmarus Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ottulfus ſanctæ Auguſtæ tricorum indignus Epiſcopus ſubſcripſi.
HLudovicus Abba ſubſcripſi.
Adhalardus Abba ſubſcripſi.
Vvaldo Abba ſubſcripſi.
In Dei nomine Ego Lupus ſubſcripſi.
Frodoinus indignus Abba ſubſcripſi.
Gauzlenus regiæ dignitatis cancellarius ſubſcripſi.
Vulfadus Resbacenſis monaſterii Abbas ſubſcripſi.

Datum VII. *Calend. Iulii anno ab incarnatione Domini* DCCCLXI. *Indict.* IX. *regni vero glorioſiſſimi Regis Caroli* XXII. *in ſupradicto loco Piſtis Heribergo.*

IX. Mabillonius in hunc conventum Piſtenſem, hocque privilegium Dionyſianum hæc ſcribit lib. v. de re diplomatica. *Synodus Piſtenſis edita apud Dubletum pag. 457. ex autographo cujus ſpecimen hic damus celebrata eſt anno* DCCCLXI. *Conſule annales Bertinianos &c.* An vero hæc Mabillonii verba cohæreant, ex his quæ modo dicemus lector æſtimet. Synodum Piſtenſem habitam eſſe anno DCCCLXII. haud dubitanter aſſero. Namque hunc annum annotat capitulare Caroli-calvi, ubi conceptis verbis hæc eadem annorum nota exprimitur, ut ſuperius relatum eſt; huncque ipſum annum adſtruit Sirmondus in notis ad hunc locum. His adde Bertinianos annales, qui eumdem annum octingenteſimum ſexageſimum-ſecundum Synodo Piſtenſi tribuunt. Unde haud temere falſi arguas notam annorum, quæ huicce Dionyſianæ chartæ ſubſcripta eſt. Neque hoc, quod Mabillonius in ære deſcribi juſſit, autographum putem, & ut id ſentiam perſuadent ſubſcriptiones, illæ inprimis, quæ Vvenilonis Senonenſis, Hincmari Remenſis, Vvanilonis Rotomagenſis, & Herpuini Silvanectenſis referunt nomina, quas ſi attente perſpicias, facile judices non diverſarum, ſed unius ejuſdemque manus eſſe ſcriptionem. Neque facile in animum inducam meum Fulchricum Trecenſem jam ordinatum fuiſſe Epiſcopum initio menſis Junii anno DCCCLXI. quo anno Bertiniani annales Prudentii ejus deceſ- *Titul.* 343

LIB. VII. CAP. V. ſoris obitum annotant, quem ex iiſdem annalibus non ante menſem Aprilem deceſſiſſe colligas. Sane neque tantulo temporis ſpatio, eaque rerum perturbatione, cum Nortmanni his in locis ſacra profanaque miſcerent, facile potuit agi ordinatio Fulchrici. Neque ſi legis in antiquis annalibus acta hujuſce anni DCCCLXI. habendæ Synodi facile tempus reperias, immo neque locum congregandis Epiſcopis idoneum propter infeſtationes barbarorum fuiſſe aſſeram. Huc accedit, quod eodem anno tranſlatam Synodum Sueſſionas annales Bertiniani memorant, quod & innuit Dionyſiana charta Sueſſionenſis Synodi, de qua mox erit ſermo quæ data eſt anno DCCCLXII. Indictione x. in quo congruit cum capitulari, de quo ſuperius dictum eſt, & cum annalibus Bertinianis, & cum iis quæ à nobis memorata ſunt. Sed ecce tibi verba Bertinianorum annalium ad annum DCCCLXII. *Carolus omnes primores regni ſui ad locum qui Piſtis dicitur, ubi ex una parte Andella, & ex altera Audura Sequanam influunt, circa Iunii Calendas cum multis operariis, & cariis convenire facit, & Sequana munitiones conſtruens, adſcendendi, vel deſcendendi navibus propter Nortmannos aditum intercludit. Ipſe cum uxore ſuper Ligerim, in loco qui Maidunus dicitur, datis per ſuos ſacramentis, cum Carolo filio loquitur: & eo quaſi ſubito, ſed voce ſubmiſſa, & animo contumaci erecto in Aquitaniam remeante, ipſe ad Piſtis, quo placitum ſimul & Synodum ante condixerat, redit, & inter operandum de ſanctæ Eccleſiæ & regni negotiis cum fidelibus ſuis tractat. Vbi Rothadus Sueſſorum Epiſcopus, homo ſingularis amentiæ, in Synodo provinciali regulariter Epiſcoporum communione privatus, cum ſua contumacia quatuor provinciarum concilio præſentavit: quem fraternus conventus ne deponeretur penitus, ſub appellatione ſedis apoſtolicæ ſervare diſpoſuit. Sed iſdem poſt ejuſdem Concilii judicium inde appellaverat expetens* conſtitutis duodecim ab eadem Synodo judicii exequendi judicibus, novus Pharao propter ſui cordis duritiam, & vetera ſæcula repræſentans, homo mutatus in belluam propter deſignatos exceſſus geſtorum * ſiriæ continentur, quoniam corrigi noluit in ſuburbio civitatis Sueſſorum civitatis deponitur.*

* locus corruptus

X. Acta Sueſſionenſis Synodi non ſuperſunt, ex his annalibus & libello Rothadi accepimus ipſum Rothadum in ea loco motum fuiſſe, & alium ſubrogatum. In hac præterea Synodo darum eſt Dionyſianis monachis privilegium ad petitionem Ludovici Abbatis quo partitionem bonorum cum monachis agit: hoc ex Mabillonio deſcripſimus; omiſimus ſicut & ille longam bonorum partitionem, ut tamen nihil deſit, modo ex eodem auctore referemus chartam integram Caroli-calvi cujus opera iſtam lacunam facile impleas.

Synodus Sueſſionenſis.

XI. *ANNO ab Incarnatione Domini DCCCLXII. Indictione x. regni vero glorioſiſſimi domni noſtri Regis Caroli xxIII. Evocatis nobis Epiſcopis, quorum nomina ſubſcriptionibus in fine declarantur, diverſarum provinciarum, & urbium ad regalem Synodum. Etiam diu in tractatu rerum eccleſiaſticarum occupatis in loco qui vocatur Piſtis, rurſuſque è regia poteſtate Sueſſonica urbe conductis, pro cauſis quibuſlibet Eccleſiæ audiendis. Dilecti filii noſtri monachi ex monaſterio pretioſorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii aſſiſtente reverentiſſimo & cariſſimo nobis Abbate ejuſdem cœnobii HLudovico, & petitiones eorum ſuo conſenſu firmante; ac pro eorum commodis nos humiliter deprecante, ſupplicaverunt unanimitatem noſtram, quo adverſus cupidorum inſidias eos præmuniremus, ac auctoritate eccleſiaſtica fulciremus, ne forte aliquando ſubſidii corporalis penuria ſancti propoſiti diſpendium animæ eorum paterentur. Sed potius divinæ gratiæ affluentia & regia munificentia largiente noſtræ quoque mediocritatis nonnihil ſuffragante diligentia ſuppetentibus neceſſariis, abſque ulla excuſatione valerent implere, quod bonorum omnium auctori voverunt. Denique Hilduinus venerabilis Abbas ipſius monaſterii, ad eorum ſtipendiis neceſſaria, quondam teſtamentum conceſſionis, ſub nomine privilegii eis benigne largitus fuerat, quod ſubſcriptionibus ſynodalium Epiſcoporum plene admodum roborari fecerat, clementer divæ recordationis HLudovico ſereniſſimo Auguſto annuente, de quibus & ipſe piiſſimus*

mus Cæſar flagitante eodem Hilduino Abbate ipſis fratribus regale præceptum imperatorio jure firmaverat, inibi ad liquidum denominatis: unde ſtipendialis neceſſitas eis generaliter ſubminiſtrari debuiſſet. Quod privilegium, quia ob regni diviſionem, & diverſarum incommoditatum rationem, ac temporis inſperati variatam mutabilitatem, ſub conſtituta lege ex integro ſervari non poterat. Placuit H Ludovico venerabili Abbati pro commoditate ipſorum fratrum cum conſenſu Epiſcoporum petentibus eiſdem fratribus, quaſdam villas cedere ad neceſſitates eorum ſupplendas, quæ ex edicto Cæſaris H Ludovici, & privilegio Abbatis Hilduini minus plene perſolvi poterant. Contulit ſi quidem eis H Ludovicus Abbas villas * ...... Quod ſi quis tanti Regis immo Dei beneficium, noſtramque benevolentiam fraudolenter ac violenter imminuere, vel potius ſubvertere præſumpſerit, & ſui periculi competenter admonitus, non illico auſum rejecerit, & in ſtatum priorem cuncta redire permiſerit, eum velut rapacem atque ſacrilegum à populi Dei ſocietate juſto atque tremendo anathemate ſeparamus, niſi digna pœnitentia, & ſubſequenti emendatione quæ perpere egit correxerit. Hoc autem noſtrum decretum, ſicut eſt, ut verum eſſe credatur, & firmiſſime ab omnibus catholicæ fidei teneatur, præſentibus ac futuris ſubſcriptionibus propriis cuncti roborare ſtudumus: & ut idem faciant in celebrandis deinceps ſynodalibus Conciliis omnes noſtri ordinis obſecramus.

LIB. VII. CAP. V.

* Conſule antiquit. Dionyſ pag. 792.

Ego Vvanilo munere divino Sennenſis Epiſcopus prius per advocatum poſtea per memetipſum ſubſcripſi.
Balmundus Archidiaconus ad vicem domni, & patris mei Vvanilonis Senonum urbis Archiepiſcopi ſubſcripſi.
Hincmarus ſanctæ metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Herardus Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvanilo humilis Rotomagorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Erpuinus Epiſcopus Eccleſiæ Silvanectenſis ſubſcripſi.
Hemeradus Ambianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildegarius Meldenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Otmundus diaconus ad vicem domni noſtri patris mei Æneæ Pariſii Epiſcopi ſubſcripſi.
Relegens ego ipſe Æneas Pariſii Epiſcopus ſubſcripſi.
Heirardus Lixovienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Freculfus Sanctonicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvaltbertus Abrincatenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Actardus Nanneticæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildebrandus Sagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Guntbertus Ebrocenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ingenaldus Pictavorum humilis Epiſcopus ſubſcripſi.
Dodo Andegavenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Gulibertus Catalaunorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Helias Gratuita Dei diſpoſitione Equaliſmorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Rodulfus Biturigenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Raginelmus Tornacenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Folchricus indignus Epiſcopus Eccleſiæ Auguſtæ Tricorum ſubſcripſi.
Hincmarus ſanctæ Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Erchanraus Catalaunorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Odo Bellovacorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Hunfridus Morinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Iſaac ſanctæ Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Chriſtianus Autiſſiodorenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Frotharius Burdegalenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Jonas humilis Eduorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Godelſadus Cabilonenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Braidingus Matiſcenſium Eccleſiæ extimus Epiſcopus ſubſcripſi.
Agius humilis Aurelianorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Angilmodus Sueſſionicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Giſlebertus Karnutenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Erluinus Conſtantianæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Abbo Nevernenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Gualtarius Epiſcopus Aurelianorum ſubſcripſi.
In Dei nomine ego Lupus Abbas Montis-Ferrarienſis ſubſcripſi.
Bernardus Abbas ſancti Benedicti ſubſcripſi.
Frodoinus indignus Abba Corbonienſis monaſterii ſubſcripſi.
Engelgarius Abba monaſterii ſancti Karileſi ſubſcripſi.
Gauſelmus Abba monaſterii ſanctæ Crucis ſubſcripſi.
Guilhelmus Abba Karrofenſis monaſterii ſubſcripſi.
Ymbertus humilis Abba Floriacenſis monaſterii ſubſcripſi.
Odo Abba Foſſatenſis monaſterii ſubſcripſi.
Vulfradus Reibacenſis monaſterii Abbas ſubſcripſi.
Arnulfus Abba monaſterii ſancti Sabini ſubſcripſi.

XII. Hocce privilegium eſſe bonæ notæ ultro confiremur. Nam & res ipſa & ſubſcriptiones Epiſcoporum ſinceritatem probant, non tamen propterea aſſentior Mabillonio, qui autographum ſe deſcripſiſſe exiſtimat, multa enim aliud mihi perſuadent, quæ tamen reticere ſatius eſſe duco, cum ipſum privilegium ſive autographum ſit, ſive apographum recipiam.

XIII. Extat præterea alterum privilegium pro libertate dionyſiani monaſterii conceſſum, quod Dubletus primum ex tabulariis dionyſianis erutum publicavit deſcripſitque ex cortice. Idem deinde privilegium edidit Dacherius inter ſpicilegia; ſed unde illud eruerit haud memorat; legitur quoque inter ſupplementa Conciliorum antiquorum Galliæ ex chartulario dionyſiani monaſterii. Ecce hoc idem tibi ex ſpicilegiis deſcribimus.

Spicileg. tom. 6.

XIV. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſexageſimo-ſecundo, Indictione decima, regni vero glorioſiſſimi domni noſtri Caroli Regis XXIII. evocatis nobis Epiſcopis, quorum nomina ſubſcriptionibus in fine declarantur, diverſarum provinciarum, & urbium ad regalem Synodum, & jam diu in tractatu rerum eccleſiaſticarum occupatis, in loco, qui vocatur Piſtis, & rurſus à regia poteſtate Sueſſonica urbe conductis pro cauſis quibuſlibet Eccleſiæ audiendis, dilecti filii noſtri monachi ex monaſterio pretioſorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii aſtante reverentiſſimo & cariſſimo nobis Abbate de eodem cœnobio HLudovico, & petitiones eorum ſuo conſenſu firmante; & pro eorum commodis nos humiliter rogante, petierunt unanimitatem noſtram, quo adverſus cupidorum inſidias eos præmuniremus, & eccleſiaſtica auctoritate fulciremus, ne forte aliquando perverſorum infeſtationibus concuſſi, ſancti propoſiti diſpendium animæ eorum paterentur, ſed potius divinæ gratiæ affluentia, & regia munificentia largiente, noſtræ quoque mediocritatis aliquid ſuffragante diligentia, omni prorſus & maxime Clericorum infeſtatione ſecluſa, abſque ulla inquietudine valerent implere, quod bonorum omnium auctori voverunt. Igitur hoc poſtulantes obtulerunt noſtris obtutibus, præſente etiam domno Carolo Rege, qui petitionibus prædictorum fratrum pijſſimo favebat affectu, quædam privilegia ſanctiſſimorum Pontificum; necnon & præcepta clariſſimorum Regum de libertate prædicti monaſterii ab eiſdem ſuis temporibus honorifice confirmata, inſuper & Apoſtolica auctoritate inviolabiliter corroborata. Ergo reſidens idem Deo amabilis Rex Carolus in ipſa univerſali Synodo, prædeceſſorum ſuorum præcepta & privilegia, ſeu confirmationes Apoſtolicis auctoritatibus roboratas, maxime autem privilegium Landerici religioſi Pariſiorum Epiſcopi ſollicite conſideratum, quod ut hic regularis ordo inviolabiliter conſervaretur, terribiliter & mirabiliter obteſtando ob deprecationem D. HLudovici filii Dagoberti inclyti Regis factum, & ſanctorum, qui uſque hodie in miraculis coruſcant, manibus roboratum ipſi Eccleſiæ tradidit, & libertatis eam privilegio honoravit, publice recitari juſſit. Quo facto hortatu pariter ac deprecatione ipſius præcellentiſſimi Regis, HLudovici Abbatis, ceterorumque ſancti Dionyſii monaſterii fratrum, petitionibus aſſenſum præbuimus, ſcilicet ut ea, quæ ſuperius comprehenſa ſunt, noſtra, qua prævalemus, auctoritate roboraremus. Statuentes igitur ſancimus, omnes videlicet Epiſcopi, qui prædictæ Synodo interfuimus, ut ea omnia, quæ in prædictis privilegiis ſeu præceptis, continentur, jam dicti monaſterii ſancti Dionyſii mo-*

nachi, tam ipſi, quam ſucceſſores eorum per ventura tempora abſque cujuſlibet Pariſiacæ urbis Epiſcopi repetitione, ſeu cujuſcumque reclamatione vel contradictione, quietè in perpetuum poſſideant. Quin etiam ego ipſe Æneas, ac ſi indignus Pariſiacæ urbis Epiſcopus, hoc conſentiens, laudavi, privilegiumque domni Landerici anteceſſoris mei omnino æquitatis tramite ſervare approbans corroboravi, corroboratumque nunc & futuris temporibus mandavi, omnibuſque ſucceſſoribus meis per omnipotentem Deum, qui verbo ſuo cuncta creavit, & ſpiritu oris ſui univerſa formavit, interdico, nec quicquam ex his omnibus quolibet modo unquam repetere audeant. Si quis autem tanti Regis domni ſcilicet Caroli, imo Dei beneficium, hujuſque univerſalis Synodi benivolentiam fraudulenter ſeu violenter ſubvertere præſumpſerit, eum velut rapacem atque ſacrilegum à populi Dei ſocietate, juſto atque tremendo anathemate ſeparamus, niſi digna pœnitentia, & ſubſequente emendatione, quod perpere egit, correxerit. Hoc autem noſtrum decrètum, ſicut eſt, ut verum eſſe credatur, & firmiſſime ab omnibus catholicæ fidei cultoribus præſentibus & futuris teneatur, ſubſcriptionibus propriis firmavimus. LIB. VII. CAP. V.

Hincmarus ſanctæ metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Angilmoldus Sueſſonicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Helmeradus Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Herpuinus Sylvanectenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Odo Belvagorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Hunfridus Morinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Raginelmus Tornacenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Guilibertus Cathalaunorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvanilo ſanctæ metropolis Eccleſiæ Senonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Æneas Pariſienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Giſlebertus Carnotenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Agius Aurelianorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildegarius Meldenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Abbo Nivernenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvenilo ſanctæ metropolis Eccleſiæ Rothomagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Hairardus Luxovienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Vvalbertus Abrincatenſis Epiſcopus ſubſcrpſi.
Gombertus Ebroicenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Hildebrandus Sagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Herluinus Conſtantianæ urbis Epiſcopus ſubſcripſi.
Rodulphus ſanctæ metropolis Eccleſiæ Bituricæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Herardus ſanctæ metropolis Eccleſiæ Turonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Dodo Andegavenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Actardus Nanneticæ civitatis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ionas Eduorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Godelſadus Cabilonenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Radingus Matiſcenſium Epiſcopus ſubſcripſi.
Frotarius ſanctæ metropolis Eccleſiæ Burdegalenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Freculfus Sanctonicenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ingenaldus Pictavorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Folcherius Auguſtetricorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Adalgarius Notarius ad vicem Gauhleni regiæ dignitatis Cancellarii recognovit.

Hoc privilegium ex præcedenti compoſitum confictumque eſſe, quiſquis utrumque ſimul conferre voluerit, haud dubitabit. Sane Mabillonius non illius meminit, nedum illud deſcripſit: etſi Sueſſionenſe ex antiquo exemplari tamquam ex autographo ære inciſum exſcriptumque eſſe voluit; neque ut vel illius in opere de re diplomatica mentionem faceret adduci potuit exemplo Dubleti, aut Dacherii quicum ſtudiorum ſocietate conjunctiſſimus erat. Quid eſt vero? quod ne verbum quidem de illo privilegio protulit, cum de Piſtenſi Sueſſionenſique Synodis, & his in locis datis Dionyſiano monaſterio privilegiis XV.

 agit: niſi quod genuinum autographum haud nanciſceretur, nec reciperet Dubleti corticeum exemplar, quoniam hoc ipſum ſpurium adulteratumque eſſe reputabat. Quid quod ipſe Dacherius, qui ſolet in ſpicilegiis loca indicare, unde chartas & ſcripta quæ colligit, habuerit; ipſe nihilominus neque locum annotat, unde iſtud privilegium deſcripſerit, neque adjicit alicujus amici nomen, qui manuſcriptam chartam commodaverit; qnod manifeſtum eſt indicium hoc pro qualicumque ſcripto datum, cui calculum non apponeret. His adde quod privilegium ad mediam uſque partem ad verbum deſcriptum eſt ex Sueſſionenſi illo privilegio, quod à nobis approbatum; unde facile colligas alterum ad alterius exemplar confectum fuiſſe. Demum qua auctoritate Æneas Epiſcopus interdicere poteſt per omnipotentem Deum, nequis ex ſncceſſoribus quidquam ex privilegiis repetere audeat, verùm quid iſthæc moror? cum privilegium ab iis ad quos pertinet deferatur; & in eo nihil ſpeciatim contineatur, nomenque Landerici in eo tantummodo ſit unde nihil poſſis colligere.

XVI. His expoſitis redeo ad partitionem, quam Ludovicus Abbas monaſterii Dionyſiani ſuis monachis ſcripſit, & in cujus confirmationem in Synodo Sueſſionenſi obſignatum privilegium eſt, & à Carolo-calvo Rege eadem de re præceptum conceſſum; ſed priuſquam rem aggredior quædam oportet præmittere. Cum plures olim ſpretis honoribus, dato pauperibus patrimonio ſecederent in monaſteria, & ſtudio religionis incitati vitæ ſeverioris inſtitura ultro ſequerentur; illi apud omnes admirationem conſequi: populi inprimis illos ſingulari proſequi veneratione: Reges & qui plus in ſæculo potenria & opibus valebant, illis prædia & fundos ſuppeditare, nnde monachi eſcam ſibi facile & alimoniam pararent: breviqne factum eſt, ut qui cæleſtium rerum amore incenſi, paupertatem Chriſti æmulari ſtuduerant, divitiis & poſſeſſionibus affluerent. An utilia magis, vel noxia monaſteriis ampla hæc patrimonia fuerint? quiſque ex eventu æſtimet. Abbates quibus monaſteriorum regimen, & ſumma rerum erat adminiſtratio, quique honorum fuga & odio divitiarum, reverenriam ſibi & commendationem acquiſiverant, aliam conſequendæ exiſtimationis viam inierunt; illi opibus & potenria famam aucupari; illi magnatum domos circuire, & adire Regum palatia, & honores ſæculi quos abjecerant prenſare variis artibus inſtituerunt. Vires & nervi monaſticæ diſciplinæ brevi conciderunt, quiſque in monaſteriis abjicere priſcæ inſtitutionis acerbitates, & vitæ ſectari blandimenta. Tum Chriſti patrimonium diſſipari cœptum eſt; & bona pro noxis expiandis data temere & licenter profundi. Frequentes ea ætate in Synodis querelæ contra diſſolutum hoc vitæ genus. Sæpius Reges aggreſſi ſunt monaſteria ad priſcæ ſanctitatis formam revocare. Quidam etiam Abbates pietate inclyti, ſancto religionis æſtu perciti torpentem monaſticæ diſciplinæ ſtatum excitare, & ipſi aliis præferre facem ſtuduerunt, ut ad rectam vivendi normam errantes reducerent.

XVII. In multis Conciliis actum eſt de reſtituenda monaſtica diſciplina, & ut alia Conciliorum decreta prætercam, ſub principatu Pippini Regis anno DCCLV. in Concilio Vernenſi cavent Patres, ut Epiſcopi videant, an regularis inſtitutio in monaſteriis obſervetur, quæ ſi corruerit, hanc reſtitui curent. Sin Epiſcopus hoc emendare nequeat res ad Metropolitanum deferatur; quod ſi neque ille poſſit emendationem procurare, Patres ad Synodum deferri negotium jubent, voluntque, ut Abbates honore & loco excidant, aliique in eorum locum ſubrogentur, *qui ſecundum ordinem ſanctum ipſum gregem regant.* Concilium Francofurdienſe anno DCCCXIII. vetat ne monachi ad ſæcularia negotia, aut placita exercenda exeant; & ne Abbates ab introeuntibus in monaſterium quidquam exigant; jubentque ur monachi in ſuo permaneant propoſito, & in monaſteriis canonica inſtitutio cuſtodiatur. Synodus Arelatenſis VI. anno DCCCXIII. decernit, ut Epiſcopi provideant, quemadmodum canonici & monachi ſecundum ordinem canonicum, vel regularem vivere ſtudeant. Eodem anno Turonenſe Concilium rem expreſſius definit: vult enim, ut in monaſteriis in quibus regula Benedicti patris habebatur, quæ deinde remiſſius cuſto-

diebarur, immo penitus neglecta & abolita jacebat, ad priſtinum ſtatum revocetur. Et pariter Cabillonenſe ſtatuit, ut inquiſitio fiat, an Abbates & monachi ſecundum inſtitutionem vivant. Sed Ludovici Imperatoris principatu Abbates complures, & monachi bene multi Aquiſgranum convenerunt, tamdemque communi conſilio, & pari voluntate ad reformanda monaſteria capitula plurima ediderunt. Huic conventui aderat inprimis celebratiſſimus ille Benedictus Abbas Anianenſis: ille, ut alias dictum eſt, Magalonenſis Comitis filius in paterno fundo Anianenſe monaſterium condidit frequentia monachorum & regularis vitæ diſciplina commendatum; quod utile ea ætate exemplum fuit, qua ſolutior regularis obſervatio erat. Hujus ſanctitate permoti Pontifices illius opera priſcam regulæ monaſticæ diſciplinam reſtituerunt. Leidradus Epiſcopus Lugdunenſis in monaſterio Inſulæ barbaræ, Theodulfus Aurelianenſis in Minacenſi monaſterio, & Alcuinus in Cormaricenſi ejus opera ad reſtituendam diſciplinam, Ananienſiumque monachorum miniſterio uſi ſunt. Cum in pleriſque cœnobiis monachi regularis diſciplinæ deſertores ad canonicorum inſtituta defeciſſent, Ludovicus primum Aquitaniæ Rex, & poſtea factus Imperator omnibus Galliarum monaſteriis Benedictum præfecit. Ille vero haud ſemel provincias omnes peragravit, perluſtravitque monaſteria: & quocumque ibat rigidioris vitæ ſemina effundebat, corruptoſque mores ad meliorem revocabat frugem. Dictum eſt alias eum in circumeundis monaſteriis ad Dionyſianos veniſſe, qui canonicorum inſtituta ſecuti fuerant moribus monachorum repudiatis; neque ille ſolus huic operi manum adhibuit, Arnulfum Abbatem ſocium laborum & conſiliorum habuit. Verum & alii Abbates huic rei pariter in quibuſdam monaſteriis ſtudium & induſtriam poſuerunt. Anſegiſus Abbas Fontanellenſes monachos, qui canonicorum regulam ceperant ad priſtinam vitæ monaſticæ rationem reduxit, & ut alios mittam ab Ingilberto Abbate Foſſatenſe monaſterium ad antiquam formam revocatum eſt. Et eo tempore adeo vigorem monaſticæ inſtitutionis eo in loco refloruiſſe accepimus, ut Glannafolienſe monaſterium propterea huic ſubjectum ſit, & Aldricus Cenomanenſis Epiſcopus ſibi ab eo loco poſceret aſcetas; quorum opera ad reformandos ſuæ parochiæ monachos uteretur. Unde vero de reſtituendis ad priſcam diſciplinam monaſteriis toties in Synodis inculcata mentio eſt? Unde tot piorum Abbatum ſuſcepti labores in circumeundis provinciis perluſtrandiſque cœnobiis, & reficiendis cellis monachorum? niſi quod ea ætate monachi longe à recto tramite deflexiſſent. Tot malorum cauſas ſtylo proſequi non libet, ſupra aliquot attigimus. Abbates certe his maxime locum fecerant. Primum ii ad comitatum ire ſolebant, ut monaſteriorum & pauperum cauſas ſuſciperent. Principes quoque eorum miniſterio ad publicam rem ordinandam uti conſueverant. Fulradi Dionyſiani Abbatis legationes opportunæ regno & eccleſiæ fuerunt. Hilduinus Lotharium Romam uſque comitatus eſt. Illi pariter Abbates publicos in aula magiſtratus geſſerunt. Fulradus apud Reges Pontificum ſummorum apocriſarius fuit, Hilduinus Archicapellanus, Ludovicus Archicancellarius. Ea quidem bonis initiis cœpta, ſed demum in detrimentum monaſticæ inſtitutionis ceſſerunt, & peſſimo exitu conſummata ſunt: grex enim monachorum amoto paſtore circumerrare, & paſcua deſerere cœpit, neque amplius in rebus monaſticis modum ſervare. Alii deinde Abbates ſpe vana rerum aulicarum lactati, & miſcere ſe rebus ſæcularibus, & fidelium vota, opes monaſteriorum, ſuis conſiliis promovendis impendere. Sed quod maxime monaſteriis nocuit; Abbates ad expeditiones bellicas proficiſci inſtituerunt & Reges ad bellum comitari; quodque primum ex audacia paucorum cœptum, in conſuetudinem & jus traductum eſt; tumque inprimis miſerandus monaſteriorum ſtatus fuit: dum Abbates & præpoſiti ſtipendiis militum, itineribus bellicis, militari ſupellectili pretium peccatorum, alimoniam monachorum pauperumque collocant, diſciplina monaſtica penitus profligata eſt; monachi malo adducti exemplo, & impulſi rerum inopia deſerere ſtationem, & relictis clauſtris eo confugere, quo tolerandæ vitæ neceſſitas impelleret, aut blandimenta

LIB. VII. CAP. V.

vitæ laxioris allicerent. Cum ejuſmodi res monachorum eſſent in pluribus locis, Abbates quibus plus erat religionis, ſeu rei æquitate impulſi, ſeu clamoribus & monachorum anguſtiis excitati partitionem bonorum cum monachis fecerunt, & ne amplius præpoſiti monachorum facultates aliò temere traducerent, ad eorum victum fundorum poſſeſſionumque portionem addixerunt, aut annonæ certam menſuram ſingulis annis ex redditibus daturos ſe polliciti ſunt, utque firmior res permaneret, partitionem ſcripto conſignarunt & regio præcepto roboratam eſſe voluerunt. Retulimus antea, quemadmodum Hilduinus Abbas trium monaſteriorum Dionyſiani ſcilicet, ſancti Germani à pratis, & ſancti Medardi, primum cum Pratenſibus partitionem ſcripſerit. Partitionis integrum inſtrumentum ſuperius à nobis allatum eſt. Fecit prærerea partitionem cum Dionyſianis anno DCCCXXXIII. Mabillonius de re diplomatica inſtrumentum retulit, ſed mutilum, quod ob eam cauſam non deſcripſimus. Sed cum Ludovicus Abbas partitionem ampliorem ſcripſerit anno DCCCLXII. hanc quoque integram ex Mabillonio exſcribemus, habetur enim in præcepto Caroli calvi quo illam confirmavit, quod auctor ille edidit, cum multa in eo ſint quæ ad Dionyſianum monaſterium pertinent, ecce idem præceptum tibi exhibemus.

XVIII. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei Rex. Si ea quæ prædeceſſores noſtri regia ſublimitate, divina ordinante previdentia prædıti, ac ſuperna dignatione illuminati, necnon & ſanctæ Dei Eccleſiæ ſuorumquè fidelium devotis admonitionibus ac precibus inſtigati, pre ſtatu & utilitate Eccleſiarum ac ſervorum Dei ſtatuere decreverunt, noſtris confirmamus edictis, atque ipſorum devotiſſimis conſentientes affectibus, eadem pia Domino exequimur munia; hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem & totius regni à Deo nobis commiſſi tutelam profuturum eſſe confidimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia vir venerabilis ac propinquus noſter HLudovicus videlicet Abba monaſterii Apoſtolorum Principis excellentiſſimorumque Chriſti martyrum Dionyſii Ruſtici & Eleutherii qui peculiares patroni noſtri adeſſe videntur; nihilominus & monachi ejuſdem ſanctæ Congregationis devotiſſimi oratores noſtri, ſuggeſſerunt ſerenitati noſtræ, ut pro Dei omnipotentis amore, & futuro ejuſdem ſanctæ congregationis ſuffragio, atque in ſancto propoſito religionis augmento, & ne aliqua ſucceſſorum ſuorum negligentia, aut parcitate, ſive diminutione ordo in ea monaſticus futuris temporibus perturbaretur, ſicut hactenus manifeſtum eſt contigiſſe; ſtipendia eorum, quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, necnon quaſdam villas ſpecialiter neceſſitatibus eorum deſervituras à divæ recordationis HLudovico Sereniſſimo Auguſto, genitore ſcilicet noſtro per propriæ confirmationis præceptum eidem ſanctæ congregationi deputatas, alias etiam à noſtra largitate, atque præfati venerabilis HLudovici Abbatis pia conſideratione, ob multimodas neceſſitates præfatæ monachorum congregationi delegatas propter rei firmitatem, & ipſorum ſanctorum reverentiam auctoritatis noſtræ præceptum fieri juberemus, per quod tam ea quæ præ manibus habebant, quamque ipſa, quæ à noſtra celſitudine humiliter expoſcebant, rata atque ſtabilita deinceps permanere poſſent.*

XIX. *Nos vero petitionibus illorum, quia neceſſariæ & rationabiles erant aurem accommodantes veluti poſtulaverant fieri adjudicavimus. Pre ſtipendiis igitur in ſæpe-fato genitoris præcepto aduotatis, quæ à parte Abbatis fratribus annuatim ſolvebantur ob multimodas neceſſitatum varietates, quia ſæpius minus plene illis perſolvi poterant, HLudovicus venerabilis Abba cum conſenſu & voluntate ejuſdem totius congregationis tribuit eis villas, quarum ſunt vocabula, hoc eſt Cormilias in pago Pariſiaco ſitam, itemque Cormilias in pago Vilcaſino cum omnibus ad ſe pertinentibus, ſicut Geilenus ſinè aliqua diminutione eam ex integre mutuavit; & villam quæ vocatur Vvarniacus in eodem pago ſine aliqua diminutione ſitam, necnon & villas quæ vocantur Linerolis, & Ferviciacum cum Lignariis earum in pago Milidunenſi ſitas. Prædictas autem villas acceperunt memorati fratres pre ſigale modios mille trecentos ad præbendas famulorum ſibi ſervientium, & pro trecentis leguminum modiis, & pre caſei penſis trecentis triginta, & bracciis triginta per duodecim modios, & pro modiis viginti adipis*

nam quindecim modia ex parte Abbatis ſolvuntur, & pro ducentis modiis ſalis, cum ipſo modio qui ſolvitur in ſalinis, & pro quadraginta modiis ſaponis; & pro viginti quinque & libris argenti, quæ pro lignario ſolvebantur; & pro ducentis unctis, qui dabantur fratribus per ſingulos annos ad cordovcſos eorum, & coria componenda, & diverſis aliis fratrum neceſſitatibus, & pro triginta ſeſtariis butyri; & pro decem libris argenti quæ pro pice annuatim ſolvebantur ad componenda omnia vaſa vinaria, & pro horto qui tam hieme quam æſtate in cibos eorum ſub ſtatuta menſura ſolvebatur à parte Abbatis, & pro conſolatione carnium in famulos eorum, cenſita quæ illis dabatur in eiſdem tribus feſtivitatibus, & initio Quadrageſimæ, & pro centum maſſis ferri, & pro falcibus atque furcis ferreis centum perſolvendis, & ſarta-tectis ejuſdem cœnobii, dormitorio ſcilicet fratrum, ac omnibus officinis infirmorum, & cella novitiorum atque coquina fratrum & hoſpitum ſimulque infirmorum, cum omnibus ibidem adjacentiis, & medicina fratrum, & aliis domibus in variis fratrum neceſſitatibus aptis, quæ omnia ex parte Abbatis antea componebantur. Denique à parte Abbatis ſolvenda ſunt illis annuatim de frumento modia duo milia centum, & in potum quotidianæ refectionis concedimus eis vineas in pago Pariſiaco ſitas, ſicut ab antiquo ipſi fratres eas habere conſueverunt, quæ conjacent in Diogilo, in petro-ficta, in Graulido in Cormiliis, in Montiniaco atque Monticellis, necnon & vineas in ipſo cœnobio ſitas quas appellant hortos. Si vero vindemia fefellerit in eiſdem vineis, ut ad duorum millium quingentorum modiorum numerus ex eis non valeat pervenire, tunc de vino puro idem numerus per complebitur ab Abbate in fratrum, & hoſpitum uſus in refectorio edentium.

XX. *Volatilia autem inter Paſcha & Nativitatem Domini de ſubſcriptis villis cum integritate, quæ ſuper annum ex eis una cum cenſu qui in volatilibus de molendinis & cambis debet exire, cum pulpaſtis & aupaſtis, ſicut à longo tempore mos fuit, ſive indominicatæ, ſive in beneficium fuerint datæ, dare more regio conſtituimus, id eſt de Novigente ſupra Sequanam, Berna, Tibernione, Tauriaco, Vitriaco, Braogilo, Ruberido, Vaſconevalle, Salice, Beratogilo, Branziaco, Fraxnido, Alnido, Novavilla, Leudonecurte, Hardricovillare, Arniaco, Stirpiniaco, Bugris, Belniaco, Drauſciaco, Pantloſio, Marca, Cuviniolo, Vvairiaco, Melniaco, Ferrariis, Mairiu, Aurniaco, Rotnino, Campiniaco, Gauniſſa, Gunſancvilla, Fontanido, Cormiliis, Latuero, Villerolo, Villare, Latiniaco, Marciaco, Linerolas, Ferriciaco, Niriaco, Clipiaco ſupra Sequanam.*

XXI. *De Simpliciaco etiam in Cinnomannico ſita, ſolvendæ ſunt illis aut anſeres centum, aut pro eis de argento libra una. Et per tres feſtivitates, ſcilicet Paſchæ, Natalis Domini, atque feſtivitatis ſancti Dionyſii, deſpelta modia nonaginta, ad cerveſam faciendam. De melle quoque carradas duas per modia ſedecim; de frugibus arborum duæ partes de præfatis villis, & etiam aliis in teſtamento Cæſaris H Ludovici nominatim adnotatis; circulos quoque & carpentarios, vel manoperarios ad præparanda vaſa vinaria tempore congruo; annualis etiam munditio Crodoldi fluminis de villis ad hoc ex multo tempore ordinatis inexcuſabiliter fiat; vineas in cœnobio, quas hortos vocant, aliaſque potui ipſorum deputatas, vinitores de villis juxta antiquam conſuetudinem excolendo præparent. Sed & operarios qui eorum colligunt vineas ſecundum conſuetudinem ex villis ab antiquo ad hoc ipſum ſufficienter ordinatis: necnon & torcularia præmemoratorum locorum juxta ſolitam conſuetudinem ex villis Abbatiæ reemendentur; & quæ dari ibidem fratribus laborantibus fuerat conſuetudo, dentur. Tres ſi quidem porci ſaginati, & mille centum ova per tres feſtivitates ad fratrum piſtrinum ſubrogentur. Item etiam alii duo porci ſaginati per duas feſtivitates id eſt Natalis Domini & Paſchæ, ad volatilia eorum præparanda, quinque etiam modia frumenti puriſſimi de Mairiu ad polentam faciendam, de Madriaco tantum ex duvis quantum ſufficit ad unum pontonem faciendum à carpentariis Abbatis in cellario per vindemiam de ſervituris, & de Mairiu ſimiliter vaſcula duo, quæ ad opus fratrum in cellario, vel coquina perſolvenda de villis ſecundum antiquam conſuetudinem juxta ſtatutum numerum attribuantur, id eſt de Hardricovillare, & Leudonecurte, & Novavilla, atque Niriaco, refectiones fratribus, quas piæ memoriæ H Ludovicus Abba nobiliter ordinavit atque conſtituit, depræfixis miniſterialibus in feſtivitatibus ſancto-*

rum, quorum corpora in hoc loco ſunt humata, hoc eſt ſancti Dionyſii, ſancti Ypoliti, ſancti Innocentii, ſancti Cucuphatis, atque anniverſario Dagoberti Regis ex Auriciaco inrefragabiliter ſubminiſtrentur. Caritates etiam in anniverſariis Regum & Abbatum de cellario Abbatis juxta ſolitum accommodentur.

XXII. Itaque opertoria prædictorum tectorum à parte fratrum ſuperius exceptis, vel reconcinnationes in refectorio vel camera fratrum, ſive caminata, & balneatorio & piſtrino, ſeu in ceteris clauſtri officinis, dictante neceſſitate à parte Abbatis fiant. Inter quas vero feſtivitates, videlicet Natalis Domini & Paſchæ, ac Miſſa ſancti Dionyſii, honorandus Abba ejuſdem loci à fratribus per annum de libris argenti ſex in hoc computati honores, qui ei dabantur per prædictas feſtivitates, villam quoque quæ vocatur manſus Adalingi, in pago Pinciacinſe ſitam, quam Hincmarus venerabilis Archiepiſcopus Remenſis Eccleſiæ à noſtra largitate in jus proprium per regale præceptum conſecutus fuerat, idemque per noſtram licentiam fratribus in eodem loco infirmis benigne contulerat ordine, quo in præcepto à nobis ipſi largito continetur: villam etiam quæ vocatur Scindelicias in pago Pariſiacenſi ſitam, quam eiſdem fratribus pietatis noſtræ clementia per regiæ auctoritatis præceptum miſericorditer contulerat ob refectiones annuales fratribus præparandas, veluti in præcepto excellentiæ noſtræ de eadem villa ordinabiliter continetur: videlicet ut in Idibus Iunii, quando Deus nos naſci in mundo voluit, & octavo Idus Iunias, quando ſanctus ſanctorum nos ungi in Regem ſua dignatione diſpoſuit; ſed & octavo decimo Kal. Februarias, quando me Rex Regum fugatis atque contritis ante faciem divinæ potentiæ nobiſcum agentis in regnum reſtituit; quæ commemoratio poſt obitum noſtrum in depoſitionis diem cum me Dominus viam univerſæ carnis ingredi juſſerit convertatur: necnon & in Idibus Decembris, quando Deus me dilectam conjugem Hermentrudem uxoreo vinculo copulavit: verum & quinto Kal. Octobris, quando ipſa dilectiſſima nobis conjux nata fuit, quæ commemoratio convertatur in depoſitionis ejus diem, quando divina vocatione ab hac mortalitate migraverit; ipſæ refectiones fratribus in noſtram memoriam, verum & juxta poſſibilitatem pauperibus præparentur: ut ſpecialiter atque ſollemniter in præfatis diebus commemoratio noſtra ex prædicta villa agatur: & quidquid exinde tam de conlaborationibus, quam & de redditibus ſuperfuerit, totum in refectorio fratrum, ad victum illorum ſupplendum, ſcilicet ad piſces comparandos, ceteraque neceſſaria victui apta, infirmorumque conſolationibus, & hoſpitum in refectorium venientium uſibus conferatur. Et quoniam quotidianis ſumptibus de præſcripta donatione noſtra, annuente Domino fratribus miniſtrabitur: ipſi quoque fratres in eodem cœnobio degentes, per futura tempora, ſicut qui tunc aderant nobis fuerant polliciti, quinque pſalmos ſtatim poſt primam in choro adſtantes ante altare quod Gazophilacium vocatur, ubi ſepulturam noſtram (ſi ita Deus voluerit) diſpoſuimus tam in vita noſtra quam & poſt obitum pro nobis cantent: & ſacerdos deputetur, qui cotidie ſimiliter pro nobis miſſam celebret, per cujus manus tres fratres oblationes pro nobis Domino offerant: & de vino quod in vineis prædictæ villæ natum fuerit, decem modia in ſacrario fratres mittant, quod mixtum fiat vino in ſacrificio deputato: quatenus ex donariis voti noſtri etiam ſacro ſancto ſacrificio portio deeſſe non debeat.

XXIII. Sed & ordinetur qualiter lampas una ante præſcriptum altare exinde ardeat, ut ſanctorum meritis ac fratrum ipſius monaſterii devotis orationibus lux nobis perpetua luceat; villamque Marogilum, in pago Meldenſi ſitam, quam Adalardus Comes in proprium à noſtra celſitudine olim conſecutus fuerat, præcariamque pro ipſa de rebus ſancti Dionyſii à HLudovico Abbate rectore ejuſdem loci acceperat, ipſique ſancto loco delegaverat; quam villam Marogilum poſtea idem venerabilis HLudovicus Abba per noſtrum conſenſum in uſus fratrum, videlicet in refectorio eorumdem perpetualiter miniſtraturam benigne ac fideliter pro ſuæ remedio animæ ſpeciali dono ſuper addiderat. Has ergo villas duas, ſcilicet Scindelicias & Marogilum, ſpecialiter in refectorio fratrum, ad victum illorum ſupplendum, videlicet ad piſces comparandos in piſcatoriis ſeu lacunis congruenti ingenio adquirendos ceteraque neceſſaria victui apta, hoſpitumque receptionem in eodem refectorio clementer conferimus.

XXIV. Villam quoque Madriniacum in pago Morivenſi ſitam, eis attribuimus, quam eiſdem fratribus per noſtræ largitionis præceptum, ad cellam conſtruendam, & locum refugii

dudum conceſſeramus, de qua etiam villa Madriniaco ordinamus atque conſtituimus, ut poſtquam cella Deo donante, quandoque in ea conſtructa fuerit, & rationabiliter ordinata de hac noſtra donatione aliiſque auxiliis fratrum, quidquid extra fabricam cellæ de redditibus ſupraſcriptæ villæ ac conlaboratu vel cenſu remanſerit, totum in uſus fratrum deputetur. Quin pariter villam quæ vocatur Morinciaca curte, in pago Cambliacenſe ſitam, quam Leutoni fideli noſtro per noſtrum præceptum jure proprietatis conceſſimus, idemque Leuto ſua ordinatione per noſtrum conſenſum eamdem fratribus delegaverat, cum omnibus appendiciis ſuis veluti ex integro ei condonavimus, in refectorio fratrum perpetualiter miniſtraturam cenſemus. LIB. VII. CAP. V.

Refectiones item annuales, quas de rebus theſauri bonæ memoriæ Hilduinus Abba ordinavit hoc eſt Purificatione ſanctæ Mariæ, anniverſario domni H Ludovici Imperatoris genitoris noſtri. Miſſa ſancti Petri Apoſtoli, Aſſumptione ſanctæ Mariæ, & Nativitatis ejuſdem, feſtivitate omnium ſanctorum, dieque depoſitionis ſuæ fratribus miniſtrandas decernimus: necnon etiam de Superiori curte in anniverſariis divæ memoriæ Karoli Imperatoris avi noſtri & Bertæ amitæ noſtræ atque Hildeiardis Reginæ avæ noſtræ, à parte fratrum feſtivitatibus ſancti Hilari atque ſancti Sebaſtiani de rebus eorum ſimiliter. Ad veſtimenta etiam & calceamenta & omnimodas eorum neceſſitates, tam infirmorum, quam ſenum, & ipſis ſervientium famulorum, procurandas, ut in ſæpefato continetur præcepto, confirmamus eis villas quarum vocabula ſunt, Murnum antea vocatum, nunc autem cella ſancti Dionyſii, & Novigentum cum integritate in pago Cambliacenſi ſitum, Toſonis vallem cum Flaviaco in pago Stampinſe ſitam, & reliquis ad ſe pertinentibus, excepta Hainulfivilla, & Maidumo, atque Timiriaca-curte quæ tria loca in commutationem cum aliis locellis pro Cormiliis donaverunt; cellam ſancti Martini, in monte Iocundiaco ſitam cum integritate; pratariam quoque atque pratoriolam cum integritate, excepto Sichadi curte, quam cum medietate de Baliolo & Muſcella, Montelupicino, & Rocconiscurte cum aliis locis in commutationem pro Novigento dederunt, Nucitum ſuperiorem, Francorum villam, Maſlarem villarem, Bidolitum quam Teutgildis per precariam de parte fratrum tenet; & omne teloneum atque cenſum, quod de mercato annuali ab ipſa feſtivitate ſancti Dionyſii exire conſuevit, uſquedum ipſe mercatus finiatur, Majoris villam, necnon & Trimlidum, atque Villam pictam cum integritate, villamque Exonam cum integritate, Belnam etiam villam, in pago Vvaſtiniſe ſitam, cum integritate & beneficiolo, quod Fulcardus in ea tenet, quam Vvaſconevilla, & de clauſo vinearum in Spinogilo ſito commutaverunt: manſas etiam & vineas à Francis hominibus, in eadem Belna ſitas, ad uſus fratrum delegatas, & m inſos in Vvanniaculis ſitos, quos Aglardus per præſtariam tenuerat; atque villam Novigentum ſupra Sequanam in pago Morivenſi ſitam, cum integritate quam de ſupradictis locis commutaverunt: & manſionile in Savegia poſitum, & cellam ſancti Audoeni, cum integritate ſuper Sequanam ſitam, cum uno manſo in Bonogilo ad fratrum retia procuranda, & duos manſos in vico ejuſdem cœnobii, unum ad fratrum vaccariam, & alterum ad infirmorum fratrum, neceſſitates procurandas: & in Alvernis manſos duos, & in Fagido de Colonica novæ villæ in Vilcaſino manſum unum; & in Aviſnis colonia ex Ferrariis in pago Bellovacinſe manſum unum; & Campiniaco manſos duos & ſolitum cenſum de Venna quæ eſt ſuper fluvium Loch. In pago Tellau piſcatorium cum manſo uno: in eodem pago villam quæ dicitur Bertinevallis, & manſos ſupra mare ſitos, qui nuncupantur Mares, cum integritate. In Rotomagenſi pago ubi dicitur Bracium manſos quatuor, & in pago Pontiu ſolitum cenſum cum plateſis, hanonibus ac anguillis Somnenſibus, ac de Flandris ſolitum cenſum de multonibus & formaticis ac bubus reliquoque cenſu ſicut conſuetudo fuit. Has ergo villas cum appendiciis & redditibus vel mancipiis omnibus ad ſe pertinentibus, fratribus ipſius congregationis ad ſpeciales eorum neceſſitates regali auctoritate per hoc præceptum confirmationis noſtræ, ſicut ſanctæ recordationis genitor noſter ſuo confirmavit præcepto, ſtabili jure eis in perpetuo concedimus atque confirmamus: præcipientes regia poteſtate, & per ſanctam inviolabilem trinitatem, atque examen tremendi judicii, Angelorumque atque ſanctorum omnium reverentiam conjurantes, ut nemo Abbatum per ſucceſſiones, quod noſtro roboratum eſt edicto ſubtrahere, vel minuere audeat, aut ad uſus ſuos ea retorqueat, vel XXV.

alicui quiddam inde beneficium tribuat, ſed neque beneficia ex iis exactet, neque paraveredos, aut expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat, aut ullas in aliqua re exactiones, ſive manſionaticos inde exigat, præter conſuetudinarias operationes, quæ de ſæpe dictis villis in monaſterii utilitatibus ab antiquo fuerant conſtitutæ, quibus nil addere quiſquam præſumat. Supraſcripta autem ad centum quinquaginta monachorum numerum ſunt ordinata, ex quo nihil cuiquam Abbatum licebit umquam ſubtrahere: augere vero ſi forte voluerit, ut multiplicatis ad uſum eorum opibus accumulentur divini ſervitii cultores. Qui vero noſtro tempore aliter facere præſumpſerit, & poſt deſceſſum noſtrum, ſive quamdiu advixerimus, hanc noſtram confirmationem violare voluerit; à Deo cujus extitit contemptor pœnis æternalibus ſe damnandum cognoſcat. Querela vero proinde ad nos ſeu ad ſucceſſores noſtros, qui tunc temporis ſuperſtites nobis fuerint juſte deveniat: ipſique agnita auctoritate noſtra noſtræ confirmationis ſtatuta defendant, & ſuæ auctoritatis præcepto confirment, ſicut à ſe bene geſta & firmata defendi, & confirmari à ſuis ſucceſſoribus Deo annuente voluerint: qualiter futuris temporibus fratres in cœnobio ſæpedicto regulam ſancti Benedicti ſervantes, abſque perturbatione libere Deo ſervire, & pro nobis fideliter orare queant, nobiſque pro ratæ confirmatione, & illis pro pia obſervatione merces in perpetuum recompenſetur beatitudine. Ad corroborandum etiam noſtræ celſitudinis præceptum ſuper eodem privilegium epiſcopale per ſemet à cunctis Eccleſiæ filiis æternaliter obſervandum fieri & firmari decrevimus. Et ut hæc auctoritas quam ob Dei amorem & animæ noſtræ remedium ſtatuimus atque roboravimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinde inconvulſa perdurare valeat, manus noſtræ conſcriptione eam ſubterfirmavimus & de anulo noſtro ſigillari juſſimus. Signum Karoli glorioſiſſimi Regis.

Hildeboldus Notarius ad vicem H. Ludovici recognovi & ſubſcripſi. Datum XIII. *Kalend. Octob. Indictione* X. *anno* XXIII. *regnante Karolo glorioſiſſimo Rege. Actum compendio palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.*

CAPUT VI.

De cauſa Rothadi Sueſſionenſis Epiſcopi, de ejus dejectione, & reſtitutione in Concilio Sueſſionenſi. De Concilio Trecenſi. De translatione corporis ſancti Mauri ad Foſſatenſe monaſterium. De litteris Æneæ Epiſcopi, & Caroli Regis in gratiam hujus monaſterii.

I. NICOLAUM Pontificem varia id temporis angebat cura, Orientis Eccleſiam perturbabat ſchiſma Photii, qui ex laico, poſt iniquam Ignatii dejectionem, ſedem Conſtantinopolitanam invaſerat; neque res Occidentis quietæ erant, nuptiæ illicitæ Lotharii cum Vvaltrada occupabant ejus animum; in mentem prudens Pontifex revocabat injuriam Eccleſiæ inflictam conatibus Lotharii, qui profligatam libidinem Eccleſiæ auctoritate defendere nitebatur. Verſabatur ob oculos factum Theogaudi Trevirenſis Epiſcopi, & Guntharii Colonienſis, qui adulterinas nuptias Synodo approbates voluerant: ſed præcipue offenſus eſt facinore illiberali ſuorum legatorum, qui corrupti pretio religionem ſedis Romanæ prodiderant. Miſerat ſcilicet Nicolaus in Galliam legatos, qui in Theutbergam inquirerent; verum illi diſſimulato ſummi Pontificis

mandato, Valtradæ nuptias ratas habuerant, & Theogaudum, Guntharium que Pontifices à culpa immunes coacta Synodo judicaverant, ſi tamen venirent Romam, ut cauſam ſuam coram ſummo Pontifice tuerentur. Accedebat ad hæc cauſa Rorhadi Sueſſionenſis Epiſcopi, quem Hincmarus loco moverat, quique apoſtolicam ſedem appellaverat. Quid quod Balduinus, qui Juditham filiam Caroli rapuerat, quemque ob eam cauſam Pontifices noſtri à ſacris rite prohibitum definierant, Romam iverat, ut veniam, quam à Carolo Rege obtinere non potuerat, à ſummo Pontifice impetraret, & ejus beneficio rediret in gratiam Regis. His omnibus negotiis haud impar ſummus Pontifex, pro ſua ſingulari ſollicitudine mederi ſtudebat. De Photii conatibus, qui Orientis Eccleſiam vexabat, mox; data occaſione, pauca ſubjiciemus; quod ad Lotharii illicitas cum Valtrada nuptias pertinet, illatam rei Chriſtianæ & Romanæ ſedi contumeliam magnis animis depellere decrevit, Rodoaldum enim Portuenſem Epiſcopum, & Joannem Phycuclenſem Epiſcopum legatos, quos in Gallias miſerat, Synodo vocata condemnat abſentes, in Orientem enim conſcii prævaricationis fugerant; Theogaudus verò & Guntharius Epiſcopi è ſede ſententia apoſtolica à Synodo dejecti ſunt. Rothadi cauſa hæc erat: jam diu occulta inter Hincmarum & Rothadum odiorum ſemina ferebantur. Ille continuo occaſionem nocendi avide explorabat, hanc forte nactus eſt. Rothadus presbyterum turpis flagitii compertum è gradu ſummovit, is poſt tres annos ad Metropolitam provocat: Hincmarus cauſa cognita ſuis honoribus & ordini ſuo eum reſtituit. Rothadus judicio minime obtemperavit, reputans eſſe contra leges Eccleſiæ presbyterum, qui toto triennio contra depoſitionis ſententiam non reclamaverat, & aperti ſceleris reus erat, reſtituere. Hoc vero Hincmarus loco contumaciæ duxit, Rothadumque in generali Synodo communione ſententia Synodi privat; Rothadus cernens & auctoritate Metropolitani, & gratia Regis ſe premi, ad apoſtolicam ſedem provocat, & ad eccleſiam ſuam revertitur, dum eundi Romam tempus ſeſe offerat. Hincmarus interea vel fingens Rorhadum ab appellatione deſtitiſſe, vel ſpatium ad iter Romam ſuſcipiendum conſtitutum præteriiſſe, Rothadum iterum ad Synodum vocat, & renuentem ter per Epiſcopos acceſſit: neque Rothadus perſuaderi potuit, ut Synodo ſe ſubjiceret, qui ad Romani Pontificis judicium appellaverat, paſſus eſt tamen duci ſe ad ædes juxta locum Synodi, ubi cum nihil à Rege obtinuiſſet, atque ipſe in ſententia perſiſteret, demum è gradu judicio Synodi dejectus eſt. E veſtigio in Rothadum manus injici jubent, & in carcerem compingi ſine ulla aut ætatis, aut dignitatis reverentia: hæc Synodus Sueſſionis habita, cui Æneas Pariſienſis Epiſcopus cum aliis haud paucis Epiſcopis interfuit, ut ex ſubſcriptionibus privilegiorum in hac datorum Synodo manifeſtum eſt. Ceterum facile fuit Hincmaro circumvenire mentes Epiſcoporum, abnuente reo cauſam defendere. Nicolaus PP. certus paulo poſt Rothadum detineri carcere, poſtquam Romanam ſedem appellaſſet, litteras ad Regem Carolum miſit, & ad Hincmarum, ut Rothado poteſtas eundi Romam fieret, & Hincmarus, aut per legatos, aut ipſe ad cauſæ judicium accederet. Rothadus ſine mora Romam advolavit: nequaquam vero Hincmarus, neque ipſe, neque per legatos; demum poſt ſpatium ſex menſium, cum nemo ſe contra Rothadum ſiſteret, Nicolaus habita Romæ Synodo Rothadum ſedi reſtituit, remiſitque in Gallias cum litteris ad Regem Carolum, ad Hincmarum, ad Epiſcopos Galliæ, & ad clerum & plebem Sueſſonicam, ut reſtitutioni Rothadi faverent: quod ſummi Pontificis judicium vim ſuam habuit. Rothadus ſolutus à vinculo excommunicationis, ad priſtinos honores & cathedram nemine intercedente receptus eſt, & pluribus deinde Conciliis cum aliis Epiſcopis interfuit. Sed quoniam de Hincmari judiciis à Nicolao PP. reſciſſis ſermo fuit, & de clericorum cauſa, quos Hincmarus à gradu removerat, qui ab Ebone dejecto ordinati fuerant, mihi hic breviter agendum eſt, cum & huic negotio operam ſuam præſtiterit Æneas Pariſienſis Epiſcopus.

Quidam ſubinde è Gallia Romam ad limina Apoſtolorum ibant, & apud II.

LIB VII. CAP. VI. Nicolaum PP. graviter de Hincmaro conquerebantur, quod immerito clericos, quos Ebo ordinaverat, exauctoraſſet. Ebonem ſcilicet judicio epiſcopali cathedræ reſtitutum, & per annum nemine conteſtante Eccleſiam rexiſſe, ordinatos id temporis clericos, non qui per ambitum honores graduſque eccleſiaſticos prenſaſſent, ſed quos clerus & popnlus ſelegiſſet, & compuliſſet gradum recipere: acerbum videri eos modo dejici è gradu, quos obtemperandi animus reos fecerat: hæc aliaque ſummo Pontifici identidem loquebantur. Nicolaus PP. his commotus inveſtigare cœpit acta, quæ olim Hincmarus ad ſedem apoſtolicam miſerat, quibus dejecti in Sueſſionenſi Synodo hi clerici fuerant, eaque diligentius relegere; advertit ſummus Pontifex eos non fuiſſe regulariter dejectos, quamobrem ad Hincmarum litteras miſit, quibus illum hortatur ad reſtitutionem Vulfadi, & ejus ſociorum, honorificentius ipſi fore, ſi ſolus rem perficiat, quam ſi factam approbare cogatur, ſe alioquin præcepiſſe Remigio Lugdunenſi, Adoni Viennenſi, Vvenilonі Rotomagenſi, Heraldo Turonenſi, aliiſque Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliarum, & Neuſtriæ, nt Sueſſionas convenirent ad XV. Calendas Septembres, celebrentqne Synodum, & cauſam Vulfadi & ejus ſociorum retractent ex canone, ſi poſtea ane diſcrepent ſententiæ, aut rei ad Romanam ſedem appellaverint: aut ipſi, aut alii eorum vice Romam veniant ad finiendam cauſam. Neque dicat Hincmarus præpoſteram eſſe appellationem, quòd anni ſpatium tempus exceſſerit. Reſpondet Nicolaus Pontifex non id in canonibus, ubi de appellationibus agitur, reperiri, idque de ſuſpenſione, non de omnimoda depoſitione quadam regula fuiſſe conſtitutum. Demum admonet Hincmarum, ne æſtimet id eſſe negligendum, quod de his clericis ſanxerit, ſciatque ſe haud defuturum, ſi ſe contemptum fuiſſe adverterit. Data eſt epiſtola III. Nonas Aprilis Indictione XIV. De eadem re ad Remiginm Lngdunenſem ſcripſit, & alios, quos nominavi Archiepiſcopos. Exrat epiſtola ad Heraldum Turonenſem, in qua eadem ferme referuntur. Paulo ante Synodum miſit Carolus Rex litteras ad Nicolaum PP. ſcribit ſe ſignificaſſe Hincmaro quæ ſcripſerat, & hortatum eſſe, ut voluntati ejus aſſentiretur, quod quidem lenibus verbis promiſiſſet, ſed dubitare, an quicquam amari ſub mellito ſermone lateat? tantum vero ſe à conatibus Hincmari alienum, ut contrà ipſum precetur enixe, nt à cœpto deſiſtat, ad XV. Calend. Septemb. Epiſcopos ad concilium conventuros. Rogat, qnoniam Bituricenſis Eccleſia, mortuo Rodulfo, vacat, permittat, ut Vulfadus unus ex dejectis menſe Septembri ordinetur preſbyter, & paulo poſt Epiſcopus: huic Eccleſiæ opus eſſe viro forti & ſtrenuo contra levitatem & inconſtantiam gentis, Epiſcopos omnes & Eccleſiam ipſam in ejus electionem conſpirare. Reſcripſit Nicolaus PP. ad Carolum Regem, laudat ejus fidem amoremque ejus erga Eccleſiam Romanam, verum ſignificat de Vulfado & ejus ſociis ſtatuendum nihil eſſe, antequam Synodus cauſam eorum expenderit, & acta ad ſe miſſa ſint, ut rebus cognitis judicium proferat. Cum poſtea celebraretur Synodus, Hincmarus Epiſcopis ſchedulam obtulit, nt ſuggereret quid optimum factu cenſeret. Vulfadum ejuſque ſocios primum ſuſpenſos à Synodo provinciali, deinde cum ad majus Concilium provocaſſent, à Synodo quinque provinciarum ſummotos fuiſſe à ſacerdotio juxta ſanctos canones & decreta ſummorum Pontificum: à ſe Vulfadum haud judicatum fuiſſe, neque ejus collegas, neque à ſe judicio eorum ſubſcriptum eſſe; judicium à judicibus contra eos pronunciatum, à Benedicto ſummo Pontifice, & poſtea ab ipſo Nicolao Papa fuiſſe confirmatum; ſe tamen, quoniam retractari cauſam ſummus Pontifex Nicolaus velit, ejus definitionibus ultro conſenſurum, ſui jam non eſſe juris, ut reſtituantur, qui ſecundum canones ex definitione judicum ex partium conſenſu electorum dejecti ſunt, ad eorum reſtitutionem opus eſſe majori Epiſcorum concilio. Dubitare ſe inſuper ait, an diſſolvere valeant ſine ſedis apoſtolicæ præjudicio, & communi Epiſcoporum periculo, privilegia Romanorum Pontificum Benedicti & Nicolai, quæ ſub anathemate in eam definitionem ſcripſerunt. Juxta ſcripta Leonis PP. ad Leonem Auguſtum. *Si quæ*, inquit,

deſtruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo, & eis me ultionum conditionibus ſubdo, quas non ſolum auctoritas beatæ memoriæ Martini, ſed ego etiam mea confeſſione firmavi; aliaſque ejuſmodi ſententias profert ex maximis Pontificibus, quibus ſcilicet vetant, ne ſemel definita & conſtituta iterum retractentur: ex quibus poſſis intelligere quantum Hincmarus ægre ferret clericos dejectos reſtitui, & quam moleſte pateretur Romanum illis favere Pontificem. Accepit Hincmarus à quibuſdam dici Ebonem non fuiſſe depoſitum, à quibuſdam, fuiſſe reſtitutum; idcoque alteram Synodo de Ebone ſchedulam obtulit, qua oſtendit, ſeſe ipſum in Synodo depoſuiſſe, & epiſcopali ſe ſpoliaſſe miniſterio, atque ſecundum ſuam profeſſionem & ſubſcriptionem à quadraginta tribus Epiſcopis judicium ſuæ depoſitionis ſuſcepiſſe, & à Sergio PP. Romam cum veniſſet, ad laicam tantummodo ſuſceptum eſſe communionem, quod vero dicerent Ebonem, uſque ad obitum epiſcopale geſſiſſe miniſterium, & in provincia Moguntina miniſtraſſe: id Hincmarus contra omnem auctoritatem eſſe arguit, & eſſe præſumptionem, quæ in exemplum ſumi non debet. Quoniam vero & aliqui contra ordinationem Hincmari muſſitabant, hanc pluribus verbis defendere inſtituit; ſe decennium poſt depoſitum Ebonem in Concilio Bellovacenſi, à clero, & à plebe ipſius metropolis expetitum, & ab Epiſcopis provinciæ, ſe ab Archiepiſcopo ſuo & Epiſcopo ſuo cum conſenſu Abbatis & fratrum monaſterii, in quo degebat, traditum, à ſuo Metropolitano rite ordinatum, ſuam ordinationem non ſolum à provincialibus Epiſcopis, ſed ab omnibus pene Neuſtriæ & Aquitaniæ Epiſcopis roboratam, & edicto Caroli Regis confirmatam. Hæc aliaque Hincmarus pro defenſione ſuæ ordinationis; unde intelligas Hincmarum haud ſine cauſa tantam in ordinatione cautionem habuiſſe, quam jam tum conjiciebat pluribus obnoxiam fore periculis. Poſt hanc ſchedulam geſta Synodi Sueſſionenſis privilegiaque ſummorum Pontificum Synodo tradita ſunt. Cum nihilominus cerneret Hincmarus dejectos reſtituendos eſſe, ipſe tertiam ſchedulam Synodo porrigi curavit, in ea pluribus exemplis, priſciſque rei eccleſiaſticæ monimentis oſtendit, plerumque multa pro rerum temporumque conditione temperari poſſe, idque per indulgentiam & œconomiam recte diſpenſari; hanc viam Africanos patres ſecutos eſſe, qui Donatiſtas pro bono pacis ſuſcipiendos in Eccleſiam, & ſuis etiam honoribus admittendos eſſe decreverant: ſicque antea obſervatum in Nicæna Synodo de Novatianis quos Synodus recipi cum ſuis honoribus jubet, quod ſimiliter de Meletianis conſtitutum eſt, ſecundum eamdem indulgentiæ regulam Anaſtaſium PP. auctorem fuiſſe, ut ordinati ab Acacio damnato ſuis etiam honoribus reciperentur. Se his perſuaſum, haud prohibere quominus in dejectos eadem indulgentia exerceatur: quippe qui ſollicitus ſit ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis: ſe paratum ſequi quidquid major auctoritas ſenſerit; ſi tamen unanimi conſenſu, & ſummi Pontificis confirmatione ſtabilitum ſit. Demum Hincmarus quartam ſcripſit ſchedulam adverſus Vulfadum, quem accuſat, quod dejectus & Remenſis Eccleſiæ clericus, ſine reſtitutione & ſine venia Epiſcopi uſurpare ſit auſus Eccleſiam Lingonenſem, ſub nomine vocati Epiſcopi, ejuſque facultates ſibi arrogare, idque contra quod jurejurando pollicitus fuerat ſe poſt hac nuſquam *ad graduum eccleſiaſticorum adminiſtrationem aſpiraturum*: neque ſe quidquam aggreſſurum, quod pacem Eccleſiæ perturbaret; cujus rei libellum habere ſe teſtatur. Quem libellum, inquit, Hincmarus coram Epiſcopis Pardulo Laudunenſi, Guntberto Ebroicenſi, Ænea Pariſii, coramque Rege, & quam plurimis aliis nobis judicibus ſuis à Synodo conſtitutis porrexit. Quodnam ſit illud Concilium de quo hic Hincmarus ſermonem habet vix divinare poſſim? Certum eſt non agi de Synodo Sueſſionenſi anni DCCCLIII. Erchenradus enim Pariſienſis Epiſcopus tunc temporis vivebat, ut conſtat ex ſubſcriptionibus Concilii, immo ad annum uſque DCCCLVII. ſuperſtitem fuiſſe ſupra memoratum eſt. Neceſſe eſt igitur vel ſub finem anni hujus DCCCLVII. vel anno ſequenti habitam illam Synodum. Namque Pardulum non diu ultra hunc annum vitam protraxiſſe conſtat ex Synodo apud Sa- LIB. VII. CAP. VI.

ponarias, cui Hincmarus Laudunenſis ſubſcripſit anno DCCCLIX. Cujus vero Synodi meminerit haud certo aſſeram, nam nulla hujus rei aliàs mentio eſt. Hanc quartam ſchedulam Hincmarus obtulit Synodo. Sed cum acerbius in Vulfadum virum alioquin virtutibus & auctoritate pollentem diceret, Epiſcopis viſum eſt ſchedulam hanc non relegi in Synodo.

III. Sequitur deinde annunciatio Heraldi Turonenſis Archiepiſcopi, quæ duas partes habet, pars prima continet ea, quæ ad cauſam Vulfadi ſpectant. Heraldus ſcilicet loquitur contra eos, qui ſententiam Synodi vitio verterent, quod poſt habita ſententia ſuorum deceſſorum, aliud modo de dejectis clericis decreviſſent: non mutanda quidem acta quæ præceptis evangelicis innixa eſſent, aut conſtituta ſanctorum patrum auctoritate: quædam tamen pro ratione temporum, & rerum neceſſitate plerumque temperari; perfecta quidem eſſe, quæ ad correctionem hominum, & ad ſeveritatem epiſcopali ſententia definita proferuntur: ſed tamen excellentioris eſſe boni conſulere, & providere hominum ſaluti, & communi Eccleſiarum commodo. Unde concludit licitum eſſe quæ per ſeveritatem conſtituta ſunt, ea ex caritate immutare; additque ſe, ſicut olim de prioribus decretis, ſedem Apoſtolicam conſuluiſſe, ſic ab ea, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum, modo reſponſionem expectare. Altera pars hujus annunciationis ſpectat coronationem Hermintrudis Reginæ quam Carolus à Sacerdotibus petierat more Regum inungi. Sequitur demum ſynodica epiſtola, quam Epiſcopi hujus Concilii ad Nicolaum PP. ſcripſerunt. Significant ſe ad XVI. Calend. Septembres Sueſſionas conveniſſe, eodemque aceſſiſſe Hincmarum cum provincialibus Epiſcopis, & Vulfadum cum ſociis. Hincmarum quidem paratum fuiſſe ad parendum ejus monitis, & ad recipiendos clericos dejectos, ſi ex canonibus & ex auctoritate ſedis ſuæ & provincialium Epiſcoporum licitum fuiſſet reſtituere, quos quinque provinciarum Synodus dejeciſſet, ne videlicet haud æqua reſtitutio videretur, quæ à pauciore numero profecta eſſet: non potuiſſe adduci, ut fineret unius ſedis auctoritate id reſcindi, quod tantorum virorum unanimis decreverat conſenſus; addunt de Vulfado & ejus ſociis, ſe eadem cum Pontifice ſentire, ſeque id executioni mandaturos, quidquid ipſe decreverit, & cum ipſo communi animorum conſpiratione conſenſuros in Vulfadi ejuſque ſociorum reſtitutionem, & æquum eſſe, ut ſicut exordium ab eo, ſic finis negotii ab eodem procederet: iique, quos obedientia noxios fecerat, ex ſummi Pontificis judicio ſuos gradus, ſuoſque honores recuperarent, & denuo viſceribus ſanctæ matris Eccleſiæ adhærerent. Multa deinde ſummorum Pontificum decreta proferunt, quibus probant, quædam pro conditione temporum, & rerum opportunitate mutari poſſe. Itaque abſque ullo Apoſtolicæ ſedis præjudicio, & ullo judicantium diſcrimine eos poſſe reſtitui, qui in Sueſſionenſi Synodo dejecti ſunt, ſi tempus, ſi locus, ſi ratio exigant, ſi canonice evocati ſint, poſſe & ad locum Epiſcoporum evehi. Rogant tamen ſummum Pontificem, ut caveat, ne hac occaſione quilibet miniſterii auctoritatem in ſacris ordinibus uſurpet, ſeu is contra regulas honorem aſſumpſerit, ſeu ex regula à gradu exciderit, quod fieri non poſſe aſſerunt ſine gravi eccleſiaſticæ diſciplinæ damno; obſecrant demum, ut quæ cavenda, quæque ſequenda ſunt ipſe præſcribat. Data eſt epiſtola anno DCCCLXVI. regni Caroli XXVII. VIII. Calend. Septemb. huicque ſubſcripſerunt ſeptem Archiepiſcopi, & XXVIII. Epiſcopi inter quos Æneas Pariſienſis annumeratur; ſubſcriptiones habentur in collectione Conciliorum. Extat altera epiſtola Synodi ad Nicolaum PP. de Britonum Epiſcopis, qui ſe à metropoli Turonenſi ſubduxerant, ut antea dictum eſt: jam viginti eſſe annos: quam ſe à metropolitana Eccleſia ſeparaverint, nec provincialibus adfuiſſe Conciliis, nec Epiſcopos hujus regionis ordinatos à metropolitano Turonenſi, neque generalibus Galliarum adfuiſſe Conciliis, nullam in iis religionis reperiri formam, nullam diſciplinæ regulam obſervari, nullis præceptis, nullis ſedis Apoſtolicæ legibus ſubjectos eſſe; admonitos quidem jam pridem; ſed admonitiones nihil his curæ fuiſſe, quippe qui nomine tenus chriſtianam religionem profiteantur: nullis

ſcilicet rationibus à pravis inſtitutis amoveri potuiſſe. Actardum Epiſcopum à Namnetenſi, cui præerat, Eccleſia expulſum, legitimos Epiſcopos ejectos ex ſuis Eccleſiis & ex provincia ſine ulla Synodo, & abſque ſummi Pontificis auctoritate. Superſtitem adhuc eſſe Salaconem Dolenſem Epiſcopum, cujus cathedram eo expulſo contra priſcam illius provinciæ conſuetudinem, contra æquum & jus omne fecerint metropolim; duoſque ſine conſcientia & ſine conſenſu Metropolitæ ſubrogatos ex ordine Epiſcopos: Suſannum Venetenſem Epiſcopum etiam ſuperſtitem eſſe, expulſum quidem cum ex cathedra, & alios per nefas in ejus locum ſubſtitutos. Hortetur ducem Britannorum, ut ſe Carolo Regi more prædeceſſorum ſuorum ſummittat, annuoſque illi cenſus pendat, alioquin illum gladio apoſtolatus percutiendum, mittere ſe fratrem Actardum, qui fuſius omnia memoret: poſcuntque inprimis, ut Actardo opituletur. Deinde concludunt epiſtolam, cui Archiepiſcopi & Epiſcopi ſubſcripſerunt inter quos nomen Æneæ Pariſienſis Epiſcopi reperitur. Soluta Synodo antequam Epiſcopi diſcederent, in eccleſia ſancti Medardi Hermintrudem Reginam inuuxerunt, & coronam ejus capiti rite & ſollemniter impoſuerunt. Rex deinde cum Regina ad Attiniacum palatium profectus eſt. His ita peractis Carolus Carolomannum filium ſuum Bituricas mittit, ut ſua auctoritate Vulfadus hujus loci ordinetur Epiſcopus. Annales Bertiniani memorant Vulfadum contra leges eccleſiaſticas ordinatum Bituricenſem Archiepiſcopum ſtatim poſt Synodum, idque factione ipſius Vulfadi & Carolomanni auctoritate. Habentur reſponſiones Nicolai PP. ad Carolum Regem & Vulfadum clericum Remenſem & ſocios, quibus ſuam gratulatur reſtitutionem, quæ omnium Epiſcoporum conſenſione peracta ſit, quamque his litteris approbat: hortaturque ne ſint injuriarium memores, & Hincmaro ipſi reverentiam exhibeant. Data eſt Epiſtola VIII. Idus Decembris.

Anno ſequenti qui DCCCLXVII. fuit celebratum eſt Trecis Concilium octavo Calend. Novembres. Adfuerunt Epiſcopi ex provinciis Remenſi, Rotomagenſi, Turonenſi, Senonenſi, Burdegalenſi; hujus Synodi ſuperſunt epiſtolæ aliquot. Primum extat epiſtola Epiſcoporum regni Caroli ad Epiſcopos Germaniæ ſeu regni Ludovici, quos ad ſynodum ſecum celebrandam vocant. Sequitur deinde epiſtola Synodica Concilii ad Nicolaum PP. in qua Epiſcopi accuratam texunt narrationem rerum geſtarum de dejectione Ebonis quondam Remenſis Archiepiſcopi, de ejus reſtitutione, de ordinatione Vulfadi & ejus collegarum, & de iterata Ebonis expulſione, & de migratione ejuſdem ad aliam ſedem, ac demum de ordinatione Hincmari, hæc ferme hac epiſtola continentur, cui ſubſcripſerunt Archiepiſcopi ſex, & quatuor-decim Epiſcopi inter quos legitur Æneas Pariſienſis Epiſcopus. Flodoardus tradit in hac Synodo Tricaſſina quoſdam Epiſcopos, ut Regi Carolo gratum facerent, Vulfado faviſſe, & quædam adverſus Hincmarum eſſe molitos; & hunc contra eſſe acerrime oblocutum: ratione & auctoritate ita prævaluiſſe, ut plerique facile in ejus deſcenderint ſententiam, & ex communi omnium ſententia, ſcriberetur epiſtola ad Nicolaum PP. quam per Actardum Namnetenſem Epiſcopum Romam miſerunt; eamdemque ab Hincmaro Romam miſſam eſſe per clericos ſuæ Eccleſiæ: additque idem auctor Carolum Regem adjunxiſſe epiſtolæ ſynodicæ litteras, quibus evertere conſilia Hincmari conabatur, eaſque Romam per Actardum Epiſcopum allatas eſſe: clericos vero Hincmari menſe Auguſto Romam veniſſe, eo tempore quo Nicolaus PP. adverſa utebatur valetudine, & ipſe adverſus Hincmarum acerrime pugnabat: Hincmari litteras ſummo Pontifici gratas fuiſſe, cui læta reſcripſerit. Demum auctor eſt Flodoardus Nicolaum PP. ad Hincmarum, & alios regni Epiſcopos epiſtolam miſiſſe, in qua de Græcorum querelis adverſus Romanam ſedem agebatur, & Nicolaum Idibus Novemb. obiiſſe, in ejuſque locum ſuffectum Adrianum PP. qui jam ordinatus erat, & ad ſedem Petri evectus, antequam Actardus Romam advenifſet. De contentione inter Nicolaum PP. Romanum Pontificem & Photium modo ſermo erit, nam & ea res ad nos pertinet, poſtquam de cleri- IV.

corum dejectorum negotio actum fuerit. Extat Caroli-calvi epiſtola ad Nicolaum PP, ubi Ebonis hiſtoria ab ipſa origine texitur; ſcribitque poſtquam reſtitutus eſt omnes qui affuerunt ei communicaſſe, *omneſque ſuffraganeos qui eo abſente ordinati fuerant annulos, & baculos, & ſuæ confirmationis ſcripta more Gallicarum Eccleſiarum ab eo accepiſſe.* Et eo tempore Vulfadum & alios ab eo ordinatos eſſe. Deinde quis ordinatorum exitus fuerit pluribus commemorat; longum poſtea ſermonem habet de Vulfado, quem ordinatum Bituricenſem Epiſcopum diximus, antequam litteras de ſua reſtitutione à Nicolao PP. recepiſſet, redditque cauſam feſtinatæ ordinationis; rogat inſuper ſummum Pontificem, ut dignetur illi pallium mittere. Verum cum allata Romam eſt epiſtola, jam Nicolaus PP. è vita deceſſerat, hancque Hadrianus PP. II. recepit, cum aliis Tricaſſinæ Synodi litteris. Hadrianus de his omnibus reſcripſit Tricaſſinæ Synodo & Regi Carolo, verum quæ ſcripſerit dicere neque muneris, neque inſtituti noſtri eſt; dicam tantummodo approbatam eſſe Vulfadi ordinationem, & pallium illi conceſſum. Is dejectorum clericorum finis fuit. His ferme temporibus corpus ſancti Mauri in Foſſatenſe monaſterium tranſlatum eſt, de hac tranſlatione mihi modo agendum eſt.

V. Normanni uti ſæpius memoratum eſt Gallias infeſtabant, erumpenteſque per oſtia amnium late ſæviebant; quantam vaſtitatem oræ Sequanicæ intulerint antea relatum eſt. Etſi nihil dictum eſt de damnis & incommodis quibus loca Ligeri adjacentia affecerunt: haud tamen leviora extiterunt. Namneræ ab iis exciſæ ſunt, Aremoricæ ora ab iis devaſtata eſt, dirura quoque incenſaque monaſteria; tum monachos haud vanus terror invaſit: hiſque maxime curæ fuit tollere ſanctorum reliquias, & oſſa eorum ex ſacrilegis prædonum manibus eripere. Situm eſt ad Ligerim Glannafolium monaſterium, in eo olim loco Maurus levita ſancti Benedicti diſcipulus benedictinæ familiæ jecerat fundamenta, & inde per Gallias plurima ſeſe diffuderunt hujus ordinis examina, quod jam à nobis annotatum eſt. In eo loco ſepultum eſt corpus beati Mauri, quod anno DCCCXLV. Gauzlinus Abbas hujus monaſterii eruit è tumulo, alioque tranſtulit. Sed bacchante his in locis furore Danico monachi, ut fieri ſolebat, ſurripere beati Mauri oſſa, & alio deportare; ac primum quidem in pagum Sagienſem, ubi poſtquam annum unum commorati ſunt, cum nec ibi tuto remanere poſſent, in Burgundiam cum ſancto pignore profecti ſunt, treſque annos corpus ſancti Mauri in prædio Audonis Comitis ad Ararim cuſtodierunt, tamdem anno DCCCLXVIII. juſſu Caroli Regis ad monaſterium Foſſatenſe ſanctum corpus delatum eſt: adfuit magna populi multitudo. Æneas Pariſienſis Epiſcopus tranſlationi obviam ivit, & qua erat pietate feretrum humeris tulit, ſollemniterque in eccleſiam beati Petri deportavit, Pompam comitabatur frequentia monachorum, & ſuper altare ſanctorum Apoſtolorum ſanctum onus depoſuit; ob eamque cauſam pius Ponrifex unam præbendam in Eccleſia Pariſienſi Foſſatenſi monaſterio conceſſit. Extat hujus conceſſionis charta quæ his verbis continetur.

VI. *Ego Æneas Dei gratia Pariſiorum Epiſcopus notum facio cunctis ſanctæ Eccleſiæ filiis, quod anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo ſexageſimo octavo, Indictione prima, juſſu Sereniſſimi Caroli Regis ad Foſſatenſem, ad recipiendum corpus beati levitæ Mauri, accedens Abbatiam, dum à propriis ſacram præfati ſancti depoſui humeris, ſuper beatorum Apoſtolorum altare glebam. Conceſſi eidem Eccleſiæ, annuentibus cunctis Archidiaconibus & clericis noſtris, qui una mecum illic aderant, in ſede noſtri epiſcopatus, in eccleſia videlicet beatæ Dei genitricis Mariæ perpetuo præbendam integram: ita ut ab hac hora uſque in noviſſimam hujus ſæculi horam, tam venerabilis Odo, qui nunc illi cœnobio præeſt, quam ſui ſucceſſores eam libere, & abſque ulla moleſtia vel inquietudine, aut aliquo ſervitio habeant, & ſecure poſſideant. Proceſſionem denique, annuatim in Quadrageſima, quarta ſcilicet Feria poſt Dominicam quæ paſſioni Chriſti prætitulatur, noſtris ſequacibus in monumentum proceſſionis, quam Chriſti dilecto confeſſori Mauro exhibuimus, die qua primum receptus eſt à Foſſatenſibus, indicimus, ut cujus ſemel in anno membra reviſimus, ejus precibus & meritis*

aſſidue

aſſiduè muniamur. Quicumque ergo noſtrorum, ad hanc venerint proceſſionem, nullam ſibi ſumant refectionem: ſed ſola caritate, quæ multitudinem peccatorum operit, illuc adeant: atque data ſibi mutuo benedictione, ad propria jejuni redeant. Abbas vero præſcripti cœnobii, ſibi fratres ſubditi, nullam hujus rei gratia perſolvant Pariſienſi Eccleſiæ conſuetudinem neque nobis, aut ſucceſſoribus noſtris aliquam redibitionem. Quod ſi aliquis ſucceſſorum noſtrorum hujus conceſſionis calumniator, aut retractator extiterit, & præbendam reſciderit vel imminuerit proceſſionem quoque Foſſatenſis Eccleſiæ, à nobis ob amorem beati Mauri traditam, fieri, niſi occaſione rationabili aliquoties prohibuerit: excommunicatus, niſi pœnitens reſipuerit, pereat in æternum. Vt ergo hoc donum firmum & ſtabile maneat per ſucceſſura tempora. Coram omnibus in capitulo beatæ Mariæ, illud manu propria ac noſtris Archidiaconibus, cunctiſque clericis ad roborandum tradidi, noſtroque ſigillo muniri.

VII.

Launoius hujus chartæ fidem elevat, immo falſi eam arguit & ſuppoſitionis. Ait nomen præbendæ, nec in capitulis Caroli-magni, Ludovici-pii, & Caroli-calvi, nec in Conciliis illorum temporum reperiri, neque communi Eccleſiæ uſu id receptum fuiſſe memorat: quin etiam addit ante annum DCCCLXVIII. in Eccleſia Pariſienſi non fuiſſe plures Archidiaconos, cum præſertim Gregorius Turonenſis, & alii ante Æneæ ætatem ſcriptores unius tantummodo Archidiaconi Pariſienſis meminerint: neque plures Archidiaconos, niſi poſt Æneam extitiſſe exiſtimat. His argumentis utitur Launoius quibus ſuſpicionem falſi his litteris approbet. Non poſſum ſatis mirari quod hæc vir eruditus neſcierit. Certum eſt enim ea ætate & vocabulum præbendam uſu receptum fuiſſe, & plures plerumque in ſingulis Eccleſiis fuiſſe Archidiaconos. Præbendam canonicam præbendam canonicorum his temporibus fuiſſe, & fuiſſe hoc vocabulum uſitatum conſtat. Ecce tibi hujus rei haud dubitata teſtimonia. Lantardo cuidam hujus temporis presbytero ſcribit Hincmarus Remenſis, *ſi ad locum ſuum redire voluerit ſe promptum & paratum eſſe eum libenter atque benigne recipere, & mox ut venerit canonicam præbendam, & ordinem priſtinum inter fratres concedere.* [Flodoard lib. iij. cap. 28.] Et in tertia capitularium additione cap. CXII. *Volumus atque præcipimus, ſicut ſynodali, atque canonica auctoritate à paſtoribus ſanctæ Eccleſiæ ſæpiſſime admoniti ſumus, ut canonici clerici, qui in civitatibus vel monaſteriis degunt, qui beneficia habent unde victum & veſtitum habere poſſunt, ut hoc juxta Apoſtolum contenti ſint, & ſtipendia fratrum unde pauperiores, & hi qui aſſidue in prædictis locis Domino famulantes excubant, atque ibi aſſiduum divinum explent officium, nequaquam aſſumant, aut in ſuis uſibus convertant. Scimus enim quia abſque periculo atque diſpendio animarum ſuarum, hoc nullatenus facere poſſunt. Si quis hæc ſtatuta contempſerit, utriſque careat & beneficio & præbenda, atque ſi gradibus fruitur eccleſiaſticis ipſis privetur.* Hoc capitulum haud dubie non inferius hac ætate eſt: memorata hæc duo teſtimonia ſufficiunt ad probandum quod tempore Æneæ Pariſienſis Eccleſiæ jam eſſet in uſu hoc vocabulum.

VIII.

Quod vero Launoius aſſerat, & id temporis unum tantummodo Archidiaconum fuiſſe in Eccleſia Pariſienſi, an hoc quoque verum ſit modo mihi expendendum eſt? Conſtat in unaquaque Eccleſia prioribus ſæculis unum dumtaxat fuiſſe Archidiaconum, qui diaconorum collegio præeſſet, quem & diaconum eſſe oportebat, adeo ut ſi ex diaconatu ad preſbyteratum evocaretur, illico magnis quæ obibat muneribus excideret. Eo modo Aetius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Archidiaconus apud ſanctum Leonem maximum Pontificem olim conqueſtus eſt, quod vel invitus preſbyter eſſet ordinatus ab Anatolio, qui per ſpeciem ſuperioris gradus eum ab officio & honoribus depulerat. Archidiaconis magna in Eccleſiis poteſtas erat, ii honorifica quæque gerebant officia, ii Eccleſiarum Epiſcoporumque legationes agebant, ii pro Epiſcopis peragrabant parochiam, & tamquam Pontificum oculi in mores preſbyterorum & in res baſilicarum inquirebant, illis poſſeſſionum facultatumque Eccleſiæ cura erat, his aliiſque muniis haud mediocrem in Eccleſia conſecuti fuerant auctoritatem. Cum ob eam cauſam preſbyteros ſæpius deſpicerent, quin & ipſos præcedere & ſedendi prærogativâ anteire frequentius aggreſſi eſſent,

 Patres ſæpius eorum audaciam & decretis & ſcriptis deprimere conati ſunt. Cum necdum in ſuo gradu ſe modeſte continerent, placuit demum Epiſcopis cum nomine eorum munera ad preſbyteros transferre, & inter preſbyteros nonnullos ſeligere, qui nomen Archidiaconorum, munus & dignitatem gererent, pluresque in una eademque Eccleſia eo nomine & his honoribus ornatos eſſe viſum eſt, ut partitis muneribus Archidiaconorum auctoritas minueretur. Quando ea mutatio in Eccleſiis contigerit haud dixero; credo enim ſenſim id factitatum, neque ſtatim per omnes Eccleſias in conſuetudinem veniſſe. Sed quod noſtri eſt propoſiti, jam ea res tempore Æneæ in morem abierat, Concilium Pariſienſe anno DCCCXXIX. plures in eadem Eccleſia oſtendit fuiſſe Archidiaconos. Capitulum XXV. hæc habet. *Nam & in communi conſenſu ſtatuimus, ut unuſquiſque Epiſcoporum ſuper Archidiaconus ſuis deinceps vigilantiorem curam adhibeat*; & ut omnem ambigendi locum amputem, tempore Hincmari Remenſis Archiepiſcopi erant in Remenſi Eccleſia plures Archidiaconi preſbyteri. Extant hujus Pontificis capitula ad ſuos Archidiaconos, quorum hic titulus eſt. *Anno incarnationis dominicæ DCCCLXXVII. V. Idus Julias. Hincmarus Archiepiſcopus dedit comminiſtris hæc capitula, quæ ſequuntur Guntario & Odelhardo Archidiaconibus presbyteris.* Ex quibus verbis facile intelligas, vel hoc tempore plures fuiſſe in una Eccleſia Archidiaconos, eoſque preſbyteros fuiſſe: atque adeo nihil prohibere, quominus tempore Æneæ Pariſienſis Epiſcopi æqualis Hincmari plures fuerint Archidiaconi in Eccleſia Pariſienſi, qui trifariam parochiam Pariſienſem partiti ſint, quod longa eorum ſerie ad nos uſque traductum eſſe oſtendemus.

IX. Hujus porro tranſlationis meminit Odo Foſſatenſis monaſterii Abbas in libello, quem edidit de reſtauratione Glannafolienſis monaſterii, de miraculis beati Mauri, & ejus ſacri corporis tranſlatione, ubi Æneæ quoque Pariſienſis mentio fit honorifica. *Hujus autem ſeries narrationis à tempore divæ recordationis Pippini incipit, ad noſtram uſque præſentis anni decurrens ætatem, qui eſt ab Incarnatione Domini octogenteſimus ſexageſimus octavus. Quo etiam anno ejuſdem beatiſſimi viri, ſanctiſſimam corporis glebam, juſſu sereniſſimi Regis Caroli-calvi in monaſterio ſanctæ Dei genitricis, & ſemper virginis Mariæ, beatique Petri Apoſtolorum principis (quod antiquitus Foſſatenſe appellabatur) digno cum honore, populorumque frequentiſſimo ac celeberrimo detulimus occurſu. Quem ſanctus pontifex Æneas in ipſo introitu monaſterii ſuſcipiens, propriiſque imponens humeris, cum frequentia venerabilium monachorum, & numeroſitate nobilium canonicorum, ornatu quoque & apparatu eccleſiaſticorum miniſteriorum, in eccleſiam beati Petri feſtivo ſatis deportavit obſequio: atque ſollemni ſanctæ devotionis in arca ferrea ad hoc ipſum præparata ſub die Iduum Novembrium recondidit officio.* Hæc Odo in præfatione libelli miraculorum ſancti Mauri ad Adalmodum Archidiaconum.

X. Anno ſequenti Carolus Rex ad Foſſatenſe monaſterium acceſſit, & pro ſua ſingulari pietate venerandum hujuſce ſancti corpus proſecutus eſt. Habetur in chartulario illius monaſterii charta Caroli Regis data Nonis Februarii, quo ipſo die, ut Odo memorat, Carolus Rex ad Foſſatenſe monaſterium venit: in ea ſermo eſt tranſlationis, in eaque Rex Glannafolienſe monaſterium Foſſatenſi ſubjicit, ut jam antea ſubjectum eſſe diximus, huncque locum immunem eſſe vult ab omni conſuetudine & redhibitione.

XI. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Carolus divina providente clementia Francorum Rex. Quidquid pro remuneratione æterni præmii in præſenti agitur ſæculo Deo id fore gratum multum creditur. Notum ergo fieri volumus notitiæ cunctorum Chriſticolarum præſentium ſcilicet & futurorum, providentes ſollicite honorem ſanctorum Dei, juſſu imperii noſtri tranſlatum corpus beati levitæ Mauri diſcipuli ſancti Benedicti à loco qui vocatur Glannafolium, qui ſitus eſt in pago Andegavenſi ſuper fluvium Ligerim in cœnobio Foſſatenſi, quod vocatum olim fuit caſtrum Bagaudarum, quod nunc eſt dedicatum in veneratione perpetuæ virginis Mariæ, atque ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli poſitum in Pariſienſi pago ſuper fluvium Matronæ. Quum ferali rabie accenſa natio Normannica, illucque peſſime conſurgens*

incendio ac ferro cuncta devaſtavit loca. Ne vero tam pretioſum corpus à noſtro regno rapinis deprædaretur nefandorum honorifice in prædicto collocavimus loco, quo humiliter accedentes ſancti viri auxilium imploraturi, cum ipſius ſacro corpore reddimus, donamus ac ſubjicimus jam dictum locum Glannafolium, cum omnibus rebus quas nunc poſſidere videtur, cum his quæ à tempore Theodeberti quondam Regis Francorum uſque ad tempus avi noſtri Caroli-magni viſus fuit habere, atque in poſterum conferre Dei gratia dignata fuerit Foſſatenſi monaſterio, ſanctiſque prædictis ſub dominatione Odonis Abbatis ejuſdem loci ac ſibi ſubjectis monachis in perpetuum poſſidendum. Tempore enim piiſſimi genitoris noſtri Ludovici ſanctæ memoriæ. Ingelbertus Abba cum ſuis monachis eumdem locum poſtulante Comite Rorigone, Bilchilde quoque ejus uxore ſuſcepit collegium monachorum, in ipſius reſtauratione de prædicto loco congregare ſtuduit, ornamentis monaſterialibus honorificentiſſime adornavit, regularemque obſervationem agere optime edocuit, auctoritatemque noſtri genitoris accipere meruit, quo Abbates ipſius loci vigilanti ſtudio providentiam illius ſemper haberent, atque tales ibi præponerent fratres, qui ſollicite obſervantes præcepta regulæ ſtatum ejuſdem firmiter atque in ævum conſervarent: dignum ſiquidem eſſe judicamus, ut illi loco jugiter præſint, ac ſequaces eorum, qui non ſolum in reſtauratione laboraverunt: verum etiam pretioſius ornamentum ipſius videlicet ſanctum ejus corpus ſuſcipere meruerunt. Præcipientes igitur jubemus, ut à die præſenti uſque in noviſſimam hujus ſæculi horam, ea quæ ſupra diximus teneant, atque poſſideant abſque ullius contradictione & unum ſint ac ſemper unius Abbatis dominationi, gubernationi, ac poteſtati ſubjiciantur, & obedientes exiſtant. Sicut autem in prædicto loco Foſſatenſi nemo mortalium abſque his, qui ibi Chriſto militant ullam conſuetudinem, aut redibitionem requirere niſi injuſte valet: ita & ipſum locum in ratione ſimili commendamus perſiſtere. Præcipimus ergo iterum auctoriſantes ſub obteſtatione divinæ majeſtatis confirmamus, ut nullus judex, nec Imperator, nec Rex, nec Princeps, nec Comes, nec judiciaria poteſtas hoc noſtræ excellentiæ præceptum ullo modo violare aut infringere præſumat. Quod qui præſumpſerit Imperatorit Romani, aut Regis Francorum diſtringente ſæviſſima juſtitia quinque millia libras auri coactus perſolvat, & quod repetit non evindicet, à liminibus ſanctæ Eccleſiæ expulſus & à cœtu omnium ſanctorum cum Dathan & Abyron flammas inferni poſſideat perpetuas, & cum Belzebuth ſedem æternalem cum à corpore exierit ſibi præparatam inveniat; & ut hæc auctoritas perpetuum obtineat vigorem manu propria firmavimus, & annuli noſtri ſignaculo ſigillari juſſimus. Inſuper quoque Romam mittere diſponimus, & domini Adriani Apoſtolici Romani auctoritate ſigilloque corroborari decernimus. Data Nonis Febr. anno regni Caroli glorioſiſſimi XXVIIII. Actum cœnobio Foſſatenſi in Dei nomine feliciter. Amen. Hanc tranſlationem martyrologium Benedictinum conſignat ad Idus Novembris his verbis. *In territorio Pariſienſi tranſlatio ſancti Mauri Abbatis diſcipuli S. P. N. Benedicti, cum à Glannafolio ob incurſiones Nortmannorum in monaſterium Foſſatenſe tranſlatum eſt.* Verum in litteris ſuis Æneas Pariſienſis ſupplicationes publicas, ſeu ut, vocant, proceſſionem anniverſariam peragi jubet quarta feria poſt Dominicam paſſionis, quo die à Foſſatenſibus corpus beati Mauri receptum eſt, quæ feria anno DCCCLXVIII. incidit in diem VII. Aprilis. Oſſa hujus beati levitæ hodie etiam ſervantur in eadem eccleſia Foſſatenſi thecâ ligni deaurati, cranium eſt ſeparatim in alia theca. Porro ad tempora uſque hujus tranſlationis monaſterium Foſſatenſe dictum eſt, ſeu monaſterium ſancti Petri Foſſatenſis, ſed demum poſt tranſlationem corporis ſancti Mauri prævalente, ut fit, populi erga hujuſce ſancti reliquias religione, monaſterium ſancti Mauri Foſſatenſis appellatum, & vicus pariter ſancti Mauri dictus eſt.

CAPUT VII.

De ſchiſmate Photii, & calumniis Græcorum adverſus Romanam Eccleſiam. De libro Æneæ Parienſis Epiſcopi adverſus Græcos. De anno obitus Æneæ, qui à fœda calumnia vindicatur. De chartis à Carolo Rege conceſſis in gratiam Eccleſiæ Pariſienſis ad petitionem Æneæ, & aliquot epiſtolis ad eum ſcriptis &c.

I. NOTISSIMUM his temporibus ſchiſma Photii, qui dejecto Ignatio ſedem Conſtantinopolitanam invaſit, quique haud ferens ſe judicio Nicolai PP. remotum à communione & abdicatum à ſacerdotio multa Eccleſiæ Romanæ damna intulit, conviciiſque impetere Romanam Eccleſiam haud deſtitit: quaſi & à ſincera doctrina, & recta Eccleſiæ diſciplina deſciviſſet. Scripſit ea de re Nicolaus PP. Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo, præcepitque, ut epiſtolam aliis etiam Archiepiſcopis deferendam curaret, quod Hincmarus fieri ſtuduit: immo ſuos ipſe Epiſcopos adhortatus eſt, ut objectis Græcorum reſponderent. Sane Odo Bellovacenſis Epiſcopus libellum de eo argumento ad Hincmarum miſit, in quo refellebat calumnias Græcorum adverſus Romanam Eccleſiam. Extat contra oppoſita Græcorum Ratramni monachi Corbeienſis opuſculum: ſed & Æneæ Pariſienſis Epiſcopi liber contra Græcos. Antequam de hoc Æneæ Epiſcopi libro diſſeram operæ pretium me facturum eſſe exiſtimo, ſi paucis aperiam cauſas diſſidiorum, quæ inter Græcos & Latinos auctore Photio contigerunt; cum ea Græcorum calumniis vel materiam vel prætextum dederint, & Æneas Pariſienſis certare pro latinis & ſcriptis contendere pro cauſa Eccleſiæ non veritus ſit: rem Eccleſiæ Pariſienſi honorificam & gratam lectori præſtiturum me mihi polliceor, ſi quæ à principio geſta ſunt breviter repetam.

II. Poſtquam Theodoræ Auguſtæ piis artibus iterum debellata Iconomachia eſt, & imaginibus ſanctorum honor & cultus Conſtantinopoli redditus eſt: nova tempeſtas Orienti ingruit, quæ Eccleſiæ multa attulit mala, & quorum etiam hodie haud bene obducta cicatrix. Photius ſcilicet homo nequiſſimus ſedem Byzantinam invaſit, & Ignatium fide & religione inclytum per malas artes exturbavit è ſede, & exilio multiſque affecit incommodis. Ignatius ex auguſto Imperatorum ſanguine oriundus, Methodio viro ſanctiſſimo decedente è monaſterio ad ſedem Conſtantinopolitanam evocatus eſt. Hic chriſtianis pontificiiſque virtutibus locum inprimis ornare ſtuduit. Id temporis Michaël ſub Theodoræ matris tutela imperium Orientis habebat. Auguſtæ frater erat Bardas, qui quidem rei gerendæ idoneus habebatur: ſed pravis corrupriſque moribus, ſæva & improba indole, qui prava nurus conſuetudine uti dicebatur, quod crimen ſæpius pro munere ſuo reprehendit Ignatius Pontifex, & ob eam cauſam illi Epiphaniorum die ſacris interdixit. Hæc prima labes mali fuit, is enim odio ſtatim & vindicta, adverſus ſanctum Pontificem furere: utque cæca rei adminiſtrandæ cupiditate agebatur, removere à republica ſororem Augu-

ſtam ſtatuit. Michaëli igitur perſuadet ea eſſe ætate, ut rem gerat, neque ſe amplius imperio muliebri ſubjiciat, matrem in monaſterium detrudendam, Ignatium accerſendum, qui matris pariter ac ſororum velo caput obnubat. Accitus Ignatius Theodoram abnuentem velare detrectavit, addens ſe Imperatori ſui pontificatus initio fidem jurejurando obſtrinxiſſe, nullas ſe umquam auguſtæ familiæ moliturum inſidias, neque cauſam eſſe, cur mater, ſororque ex aula ejiciantur, neque pati leges Eccleſiæ, ut invita attonſo crine in monaſterium mittatur. Pro flagitio eſt habitus ſermo ſancti Pontificis. Illico Bardas eum majeſtatis accerſit. Ignatius his ex dignitate ſui honoris & religione conſcientiæ peractis, ſe in Eccleſiam recipit: neque multo poſt Michaël Bardæ ſuſurris incitatus, Theodoram matrem vel immeritam ex palatio ejicit, & in monaſterium detrudit, & Ignatium ſanctiſſimum Patriarcham in inſulam Terebinthum per injuriam pellit. Cum vero neque voluntate, neque minis induci poſſet Ignatius, ut ſe à pontificatu abdicaret, Photium contra omnem Eccleſiæ regulam in ejus locum intrudunt. Photius nobili genere ortus erat, acri præditus ingenio, quod excolere ſtuduerat labore improbo; hauſerat jam ab adoleſcentia liberaliores diſciplinas, alias deinde artes longa & pertinaci lectione acquiſiverat: adeo ut non modo doctiſſimos quoſque ſui temporis, ſed ſuperiorum etiam ætatum eruditiſſimos magiſtros ſcientia, & eruditione anteiret vel exæquaret. Extat ejus bibliotheca in qua neſcio plus admireris, an multiplicem lectionem? an eruditionem altiſſimam? an exquiſitum in libris expendendis judicium? his accedebant ſummæ opes, quibus copiam librorum, aliaque ſtudiorum adjumenta paraverat; præterea publicæ rei animum adjunxerat, cupidus ſcilicet ex negotiis publicis laudem acquirendi. Verum has eximias præſtantiſſimaſque animi dotes corruperat laudis & gloriæ immenſa cupiditas; ita ut nihil penſi haberet omnia moliri, quo vel merito vel injuria gradum ſibi ad honores faceret. Hunc Imperatoris adminiſtri ſuis rebus aptum rati ad ſedem Conſtantinopolitanam evehere ſtatuunt; id vero facile perſuadent Imperatori, neque ille honorificentiſſimum recuſare ſacerdotium, ſed avide capere, & per fas & nefas ſe ad pontificatum accingere. Photius id temporis erat homo laicus protoſpatarius, & primus à ſecretis, qui ex his civilibus muneribus ad ſummos Eccleſiæ magiſtratus feſtinata ſacerdotii capiendi ratione accelerat: primo die monachum induit, altero lectorem egit, & ſuccedentibus diebus, ſubdiaconus, diaconus & preſbyter ordinatus eſt, & ſexto die ſedem eccleſiæ conſcendens pacem dedit populo. Ita Photius ex laïco contra canonem ad pontificatum evaſit. Quot labores Ignatius pertulerit, non mei eſt inſtituti perſequi, ſed tantum memorare cauſas Photiani ſchiſmatis. Plures interea Epiſcopi haud veriti ſunt Photii ordinationem improbare, ægre ſcilicet ferebant, ſanctiſſimum Pontificem Ignatium immerito dejectum è cathedra, laicum hominem raptim in eam intruſum; conquerebanturque inprimis de ordinatione Photii, quam Gregorius Aſbeſta Syracuſanus Epiſcopus, ſed poſtea Romæ à ſummo Pontifice è gradu motus & à ſacris prohibitus, neque poſtea communioni nedum ſedi reſtitutus, ſollemniter in Eccleſia Conſtantinopoli peregerat. His Photius commotus, ut adverſos ſuæ ordinationi rumores ſedaret, Bardæ fretus auctoritate Concilium cogit ex Epiſcopis, quos aut fregerat terror, aut favor corruperat, Ignatiumque è ſede pellit, & plectit anathemate, cumque nihil ominus populus poſceret Ignatium, & queritantium vocibus moveretur, ut multitudinem placaret, & plebem in ſuas alliceret partes, ad Pontificem Romanum litteras & legatos mittit, mentiturque ſponte loco ceſſiſſe Ignatium, ſe omnium vocibus expetitum & ordinatum Byzantinum Pontificem; rogat ut Conſtantinopolim mittat legatos, in ſpeciem ut diſciplinam Eccleſiæ Iconomachorum diſſidiis collapſam reſtituant: ſed revera ut dejectionem Ignatii, & ſuam auctoritate ſummi Pontificis confirment ordinationem. Nicolaus qui tum ſummum pontificatum gerebat rerum ignarus aliquid mali ex legatione ſubodorari, quod ſui muneris erat legatos Conſtantinopolim mittit, qui rem inveſtigent, prohibetque inprimus ne cum Photio communicent,

LIB. VII. CAP. VII.

& ſe poſtea de ordinatione Photii & rebus Orientis certiorem facerent; legati fuerunt Rodoaldus Portuenſis, & Zacharias Anagninus Epiſcopus. Ubi legati ad regiam urbem acceſſerunt, Photius iterum Synodum cogit. Adfuerunt Imperator & Bardas auctores ſceleris, urbis imperiique Principes, ſimulque civium ingens turba: Ignatius judicio Synodi ſiſtitur, proferuntur teſtes pecunia corrupti, arguitur ſanctus Pontifex favore & gratia ambiiſſe pontificatum. Ita annuentibus legatis Ignatius frequenti Synodo è ſede dejicitur. Sceleri fraus addita, litteræ Pontificis quibus Ignatius defendebatur contra Photii conatus depravantur, & aliæ falſæ & corruptæ proferuntur, leguntur que in Synodo, per vim ab Ignatio extorquent ſchedulam, qua ſe vitio creatum fatetur. His artibus profligata Ignatii cauſa eſt. Ita Ignatius dimittitur in inſulas, fugiens itemtidem mutabat hoſpitia, ut inſidiantium artes fruſtraretur. Legati Romam redierunt, & ſimul Leo Imperatoris legatus Romam venit, acta Synodi nomine Imperatoris deferens, eodem ferme tempore multi profugi propter cauſam Ignatii Romam tamquam in aſylum advolarunt, expoſtulaveruntque injuriam apud ſummum Pontificem: renunciabantque, ut omnia in Synodo perperàm acta, profligatas eſſe in ea leges Eccleſiæ, donis & muneribus corruptos legatos eſſe à Photio; non modo initam ab iis communionem cum Photio: ſed approbatam ejus intruſionem, & iis approbantibus in Synodo iterum abjectum eſſe Ignatium, non Synodum ſed latrocinium fuiſſe. Hæc non modo ab iis: ſed ex ipſa Zachariæ legati relatione Nicolaus PP. didicit; his malis qua valebat in Eccleſia poteſtate mederi ſtatuit. Colligit itaque cœtum ex Epiſcopis, & quo in ſtatu res Orientis ſint pluribus commemorat. Photium, qui tamquam latro in ſedem Ignatii irruperat, & à Gregorio damnato Epiſcopo ordinatus fuerat, omni ſacerdotali honore, & omni clericatus officio prorſus exutum eſſe declaravit, ſimiliter Gregorium Syracuſanum nefariæ ordinationis artificem anathemate percuſſit, clericos, quos Photius ordinaverat, officio exuit, & quotquot ſocietate & communione cum Photio conjuncti eſſent pariter arcet à communione, idque per litteras ſummus Pontifex Photio, Michaëli Imperatori, clero Conſtantinopolitano, & omnibus Orientis Epiſcopis ſignificat. Hinc diri ſchiſmatis origo eſt, pars enim ſe à communione Photii ſegregare, pars illi communicare.

III. Photius nihilominus ſuam cœpit tueri dignitatem & nihili æſtimare excommunicationem ſummi Pontificis, immo & intendere litem Eccleſiæ Latinæ, ſic enim Eccleſiam Occidentalem vocitabant. Quin & Michaël Imperator ſuggerente Photio ſanctas Romanæ Eccleſiæ conſuetudines reprehendere aggreſſus eſt, & alias illi falsò tribuere. Extat epiſtola Nicolai PP. ad Hincmarum data Indictione prima, qua illum hortatur, omneſque regni Epiſcopos, ut conjunctis animis pro Eccleſia Romana certent, eaſque quas Græci movent quæſtiones pertractare velint, & ſuggerere ſibi, quæ ad objecta refellenda idonea repererint. *Tua vero, frater Hincmare, caritas cum epiſtolam legerit, mox ut etiam ad alios Archiepiſcopos, qui in regno filii noſtri Caroli glorioſi Regis conſiſtunt, deferatur ſummopere ſtudeat, & de his ſinguli in diœceſibus ſuis, una cum ſuffraganeis ſuis in cujuſcumque regno ſint conſtituti, convenienter tractare, & nobis quæ repererint ſuggerere curent, eos invitare non negligat; ita ut eorum omnium, quæ præſentis epiſtolæ circumſtantia continet; tu & ſtrenuus executor illis exiſtas, & apud nos verax & prudens ſcriptorum tuorum ſerie relator inveniaris.* De ea epiſtola mentio eſt apud Flodoardum, & in eo recenſentur illa capita, quæ Græci opponebant, & eadem quæ in epiſtola Nicolai inveniuntur; ea vero ſunt ejuſmodi. Reprehendebant Eccleſiam quæ lingua Latina utitur, quod Sabbato jejunium obſervaret, quod aſſereret Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere, quod prohiberet ne preſbyteri haberent uxores; & ne iidem preſbyteri frontem baptizatorum linirent chriſmate: falſo inſimulabant, quod ex aqua chriſma faceret: quod à carnium eſu octo hebdomadas ante paſcha, & ſeptem hebdomadas ab ovis & à caſeo more Græco non abſtineret. Mentiebantur præterea morem eſſe apud nos tempore paſchatis, cum corpore Domini agnum ſuper altare benedicere

& offerre. Arguebant quoque noſtros preſbyteros, quod barbam raderent, LIB. VII.
quod diaconus non ſuſcepto preſbyteratu Epiſcopus ordinaretur. Hæc ferme CAP. VII.
Græci Latinis objiciebant. Cum multi Epiſcopi, pro ratione illorum temporum,
eruditione florerent. Nicolao PP. ſuper hanc controverſiam hos conſulere placuit: nonnulli de boc argumento eruditè ſcripſerunt, Æneaſque inprimis Pariſienſis Epiſcopus, cujus in Eccleſia Gallicana celebre nomen, ea de re commentarios edidit, & cauſam Latinæ Eccleſiæ antiquorum Patrum teſtimoniis
defendere aggreſſus eſt. Extat ejus opuſculum in ſpicilegiis Dacherii ex MS. Spicileg.
Bibliothecæ Thuaneæ. Probat ex SS. Patribus Athanaſio, Ambroſio, Cyrillo, tom. 7.
Theodorito, Hilario, Hieronymo, Auguſtino, Hormiſda, Leone, Gregorio, & Fulgentio aliiſque, Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere, hocque ipſum docet *ex fide catholica, quam die Dominica decantat ad miſſam univerſalis Galliarum Eccleſia, ſic canitur inter cetera. Credo & in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.* Ex quibus verbis clarum eſt, jam tum per totas Gallias invaluiſſe conſuetudinem, ut legeretur in ſymbolo Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere, & iſtud cantaretur in miſſa. Ita quoque Æneas cœlibatum miniſtrorum Eccleſiæ ex ſancta ſcriptura, ex Nicæno Concilio, decretalibus Siricii PP. Innocentii, Leonis, ex Synodorum decretis, Ancyranæ, Laodicenæ, Neocæſarienſis, Carthaginenſis: & demum id approbat, ex Origene, Ambroſio, Hieronymo & aliis. Similiter jejunium Sabbati defendit, ut conſuetudinem antiquam Romanæ Eccleſiæ, quam ex Patrum Latinorum auctoritate defendit. Quod vero inhiberentur preſbyteri, baptizatorum frontem linire chriſmate, id ex Innocentii & Gelaſii decretis aſſerit. Quod vero Græci arguerent Latinos preſbyteros, quod barbas raderent, id quidem prolatis aliquot Patrum ſententiis probat. Ceterum haud damnandam eſſe conſuetudinem, quæ ad munditiem ſpectet, ſuos eſſe ait diverſis nationibus mores, ſuaque varia eſſe inſtituta, in vario corporis cultu, diverſiſque hominum inſtitutis id ſæpius accidere, idque ita fieri, ut non propterea vinculum communionis rumperetur, quoniam in rebus fidei nulla prorſus diſſentio ſit; conſuetudinem Græcorum eſſe nutrire comam, quod ſanctus Paulus condemnat. Multa demum ex Conciliis & ſummis Pontificibus congerit pro auctoritate, & principatu Romanæ ſedis, eamque defendit adverſus conatus Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui auſu temerario, ſibi nomen Oecumenici tribuebat.

Quod vero ſubjicit de donatione Conſtantini Imperatoris, quod inſtrumen- IV.
tum falſum adulterinumque quotuſquiſque vel medioctiter eruditus facile agnoſcit; parum abeſt quin interpolationis hunc locum arguam, vix enim in animum induxero meum tam cito è noſtratium effluxiſſe memoria, donationes & beneficia, quibus Reges & Imperatores noſtri, Pippinus, Carolus-magnus, Ludovicus-pius Romanam Eccleſiam ornaverunt. Neque ullo modo adduci me patiar, ut exiſtimem tam cito ſuppoſitam falſatamque hancce Conſtantinianam donationem; cum adhuc recens vigeret memoria beneficiorum Regum Francorum, & quo tempore Caroli magni nepotes in Gallia, Germania & Italia late regnarent. Sane locus ille in hoc Æneæ Pariſienſis libro interpolationem omnino redolet, quem ſi ex hoc opuſculo exemeris, nihil in ſenſu, nihil in ſerie rerum pervertas; oratio ſibi optime conſtabit, & rerum ordo tenorque ſermonis non erit interruptus. Quid quod ſtylus & dicendi character omnino diverſus eſt ab eo, qui in præfatione habetur; quemque ſi conferam, quiſque varium diverſumque eſſe fatebitur. Jam vero ſi omnia pertractem, quæ in hac una pagella continentur, longe aliena à veritate & à dignitate ſedis apoſtolicæ diſſona invenientur, & ab ipſa Æneæ Pariſienſis doctrina. Quid enim ait Conſtantinum Romanam ditionem apoſtolicæ ſedi ſubjeciſſe & maximam partem diverſarum provinciarum, & ſollemniter traditam Romano Pontifici regiam poteſtatem, & in ejus gratiam loco ceſſiſſe? quod falſiſſimum eſſe conſtat. Jam vero quæ ſequuntur cujus fidei ſunt? Narrat enim in Conſtanrini privilegio contineri, ut apicem omnis principatus Romanus Pontifex ſuper omnem Eccleſiam ejuſque Pontifices perenniter velut regio jure obtine-

ret. *Itaque*, inquit, *ſingulare privilegium, & mirabile teſtamentum, toto tunc orbe vulgatum apoſtolicæ ſedi conſcribi juſſit, eidemque obſequendum diverſa regnorum prædia perpetualiter delegavit, ſacraſque leges in diverſis ordinibus, & cultibus, ac eccleſiaſticorum indumentorum ornatibus innumerabilia ſuper addens donaria, nobiliſſime ac ſplendide augmentavit, in quibus etiam inter alia ſpecialiter continere voluit, ut apicem omnis principatus Romanus Papa ſuper omnem Eccleſiam ejuſque Pontifices perenniter velut jure regio retineret.* Quaſi primatum totius Eccleſiæ non à Chriſto ipſo, ſed ex Conſtantini privilegio Romana haberet Eccleſia? Quod omnino adverſatur iis quæ Æneas antea docuit, primatum ſcilicet Romani Pontificis ex verbis Chriſti, & ex ſancti Petri ſucceſſione vim & auctoritatem obtinere. Sic enim loquitur ſtatim à principio ſextæ objectionis. *Sciendum eſt ſane ab omnibus catholicis, quoniam ſancta Eccleſia Romana nullis ſynodicis decretis prælata eſt, ſed evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit, ubi dixit beato Apoſtolo Petro. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum &c.* Quod deinde ex ſanctorum Patrum pluribus teſtimoniis aſſerit. Quæ omnia prorſus aliena ſunt ab iis, quæ modo de Conſtantini privilegio memorata ſunt. Demum in eodem opere Æneas reſpondet objectioni, qua conquerebantur Græci, quod diaconus aliquando per ſaltum omiſſo preſbyteratu in Romana Eccleſia ad epiſcopatum eveberetur. Hoc quidem cur fieret, fatetur primo ſe ignorare; niſi forte quis dixerit, eos qui Epiſcopi conſecrantur, aliorum quoque graduum ſeu ordinum recipere conſecrationem, aut magis in conſecratione corporis Chriſti & ſanguinis officium præſulis & preſbyteri ſimul uniri, neque preſbyteros, neque Epiſcopos tam ordine diſtingui quam dignitate. Nihil vero reponit ad duas alias objectiones de aqua fluminis pro chriſmate aſſumpta, & de immolatione agni ſuper altare, quod hæc falſa & commentitia eſſent, neque uſquam ab Eccleſia Romana uſurpata. Ex hoc cette opuſculo patet Æneam in lectione canonum & ſanctorum Patrum verſatiſſimum fuiſſe. Huic vero libello præfixa eſt præſatio, quam Sirmondus olim deſcripſit ex eodem codice, ex quo poſtmodum Lucas Dacherius opus integrum exſcribi, atque poſtea edi curavit. Utinam vero ille ex hoc libello Patrum Latinorum teſtimonia integra, ut habebantur, retuliſſet. Quæ deinde in hac Pbotiana concertatione conſecuta ſunt, exponere mei non eſt inſtituti. Sublato Michaële Imperator fuit Baſilius, cujus opera pulſus è loco, quem invaſerat, Photius eſt, & Ignatius ex ſitu & pædore iterum ad carhedram, ex qua dejectus fuerat, revocatus eſt. Habita deinde octava Synodus in qua Photius, ut invaſor & adulter Pontifex omnium Epiſcoporum calculis condemnatus eſt. Verumtamen tantum artibus & dolis valuit; ut mortuo Ignatio iterum cathedram occuparet; & borridi ſchiſmatis, quo nondum ſanata Eccleſia Græca eſt, initia jaceret, cujus, ſi quando res noſtræ popoſcerint, fiet mentio.

V. Cum hæc in Oriente agerentur nova diſſidia in Galliis exotta ſunt inter Hincmarum Remenſem Archiepiſcnpum & Hincmarum Laudunenſem ejus nepotem. Cum ea cauſa pluribus in Synodis pertractata ſit; & Æneas ejuſque ſucceſſor Ingelvvinus bis adfuerint, hujus diſſidii cauſas memorabimus, poſtquam de obitu Æneæ Pariſienſis Epiſcopi actum fuerit, & quo potiſſimum anno è vita deceſſerit à nobis inquiſitum fuerit. Æneæ Pariſienſis Epiſcopi mentio eſt in ſubſcriptionibus privilegii Carrofenſis monaſterii, huic enim cum aliis compluribus Epiſcopis ſubſcripſit, datum vero legitur anno DCCCLXIX. in Synodo ad Vermeriam, ubi primum acta cauſa Hincmari Laudunenſis, extat privilegium in collectione Sirmondi. Eodem anno Piſtis habitum eſt Concilium, ubi Egilo Senonenſis Archiepiſcopus impetravit præceptum regale pro monaſterio ſancti Petri vivi Senonenſis, cui ipſe Egilo Archiepiſcopus & Æneas Pariſienſis Epiſcopns ſubſcripſerunt. Anno ſequenti anno ſcilicet DCCCLXX. apud Attiniacum habita Synodus eſt, in ea ſecundò agitata eſt cauſa Hincmari Laudunenſis. Aderat huic Synodo Æneas, ut patet ex actis Synodi Duziacenſis, de his poſtea fuſe dicemus. Anno vero

DCCCLXXI.

DCCCLXXI. celebrata Duziaci Synodus menſe Auguſto cui interfuit In- LIB. VIII.
gelvvinus Pariſienſis Epiſcopus. Obitus igitur Æneæ contigit inter annum CAP. VIII.
DCCCLXX. & LXXI. cum autem menſe Maio Attiniacenſi Synodo Æneas interfuerit anno DCCCLXX. & ſequenti anno menſe Auguſto Ingelvvinus Hincmarum Laudunenſem judicaverit, & huic Synodo ut Pariſienſis Epiſcopus ſubſcripſerit & vetus necrologium monaſterii ſancti Germani annotet Æneæ Pariſienſis obitum ad VI. Calend. Januarii. Eo die anno DCCCLXX. conſtat Æneam è vita deceſſiſſe. Æneam pietate & fide clarum fuiſſe, quæ ſuperius memorata ſunt oſtendunt; quando evocatus eſt ad cathedram Pariſienſem, & à clero Pariſienſi & ab Epiſcopis provinciæ multis laudibus ornatus eſt. *Æneam*, inquiebat clerus Pariſienſis, *cujus præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus, Æneam patrem, Æneam Pontificem habere optamus. Quamvis enim tanta prudentia ac probitate præcellentiſſimus Rex noſter polleat, ut ſolum ejus judicium de viro memorato poſſet ſufficere: tamen conditionis humanæ non neſcii, futurorumque curioſi, aulicorum nos ipſi propoſitum, ac mores longe prius inſpeximus, & inter graves, probabileſque perſonas & ſanctitate ferventes, hunc quem antiſtitem habere cupimus, quotquot eum noſſe potuimus, ut nunc palam eſt, abſque errore annumeravimus.* Neque minùs honorifica in gratiam hujuſce Ponrificis habet reſcriptum Senonenſis Archiepiſcopi & provincialium Epiſcoporum. *Quis leviter*, inquiunt, *tetigit Palatium, cui labor Æneæ non innotuit, & fervor in divinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem in eo factam Deo propitio libenter ſequimur, ut eum profuturum populo ejus, ad dignitatem pontificatus promovendum, concorditer decernamus. Sit igitur vobis paſtor, qui pro ſuis ad Deum meritis bene complacuit, & ſequentes ejus veracem doctrinam, & ſancta opera imitantes, ad cæleſtis regni paſcu.a properate felices.* A Patribus Synodi Cariſiacenſis in epiſtola ad Ludovicum Germaniæ Regem, Epiſcopus honorabilis appellatur; ac demum Odo Foſſatenſis Abbas in præfatione, quæ præfixa eſt hiſtoriæ tranſlationis ſancti Mauri, Æneam ſanctum vocat Pontificem, unde optime vir doctus Lucas Dacherius in præfatione tomi ſeptimi ſpicilegiorum, dicit Æneam & pietate & eruditione conſpicuum fuiſſe. Sane modo dicebamus eum tuliſſe ſuis humeris feretrum ſancti Mauri: & cum Photius tunicam Chriſti ſcidiſſet, & multa contra Latinam Eccleſiam convitia diceret. Æneam collectis ex Conciliis, & SS. Patribus ſententiis cauſam noſtrarum partium egregie defendiſſe, & oſtendiſſe ſe in Conciliorum & canonum lectione & veterum Patrum ſcriptis tempus & operam collocaſſe. Talis nihilominus, tantique Pontificis memoriam lædere auſi ſunt, & ſanctum Epiſcopum fœdiſſimis proſcindere convitiis. Cum mei muneris ſit, & honori pontificum Pariſienſium ſtudere, & leges æqui verique ſectari, pium religioſumque Pontiſicem à convicio & injuria haud verebor defendere, neque quis me criminabitur, ſi factam temere arceam ſcripto contumeliam; rem ex ipſis auctoribus nequid alieni à me inſertum hiſtoriæ putent, referam.

VI. Cum Nortmanni Galliam continuis incurſionibus affligerent, & promiſcue ſacra profanaque pollucrent, civitates, caſtella & monaſteria ſolo exæquarent; Garno monaſterii Curbionenſis Abbas, ut ſacras ſancti Launomari reliquias ſubtraheret eorum furori, eas tranſtulit in villam Abrincatuorum, quæ Patriciacus dicitur. *Anno*, inquit auctor hujus tranſlationis qui præſens aderat, *ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCLXXII. cum jam peccatorum noſtrorum magnitudine juſto Dei judicio promerente, omnem Neuſtriam, ac pæne totam Aquitaniam per decem & octo continuos annos longe lateque Nortmannorum gens vaſtaſſet, civitates, caſtella, & monaſteria uſque ad ſolum deſtruens; Curbionenſis monaſterii Abbas Guarno nomine, cum aliquibus fratribus ejus cœnobii metu ac timore memoratæ perfidæ gentis, quæ cotidie majora moliuntur in deſtructionem ſanctæ Dei Eccleſiæ; permittente ac conſentiente domno Rege Carolo cum proceribus ſuis, tranſtulit corpus pretioſi ac beatiſſimi Launomari in pagum Abrincadinum, in villam quæ dicitur Patriciacus* &c. Paulo poſt memorat actam tranſlationem in eam villam XVII. Calend. Maii. Hæc inquam, auctor horum temporum, qui hujus tranſla-

tionis teſtis oculatus fuerat. Verum Mabillonius vir accuratus, & de Benedictina antiquitate bene meritus hiſtoriam fuſiorem hujus tranſlationis nobis ſuppeditat; hic auctor addit à Garnone Abbate corpus ſancti Launomari è Patrichaco ad Cenomanos etiam deportatum metu Nortmannorum, Robertumque Cenomanorum Epiſcopum oratorium ſancti Michaëlis illi conceſſiſſe ubi reliquias deponeret. Garno Abbas Cenomanis mortem obiit, in ejus locum ſuffectus eſt Simon, qui etiam ingruente his locis à Nortmannis tempeſtate idem ſanctum pignus Bleſas ad Ligerim tranſtulit. Cumque his temporibus fererentur diſſidia inter regni proceres, Simon Abbas quatuor ex ſuis monachis ad Unciacum villam agri Pariſienſis miſit. Unciacum olim Rodulfus vaſſus dominicus Caroli Regis ſancto Launomaro donaverat, & in eo loco eccleſiam conſtruxerat. Monachi in eum locum baculum ſancti Launomari ſecum detulerant, cujus virtute multa eaque admiranda ſigna edita ſunt, his in eum modum præmiſſis, acta ſic habent. *Sopitis vero ſimultatibus, quæ inter proceres ejuſdem provinciæ fuerant monachi redeunt ad propria. Quidam presbyter tunc temporis eccleſiam de Vitriaco villa, quæ noſtræ contigua eſt poteſtati, tenebat: qui ut vidit memoratam ſancti Launomari eccleſiam à populo frequentari, mox peſtiferis invidiæ facibus accenditur, & ad præſentiam Æneæ Pariſienſis Epiſcopi accerſivit monachos, ut oblationes ſancto Launomaro factas reciperet. Quod cum ipſi ſatisfacere minitaſſet, deſtruendo ſcilicet ſolo tenus eccleſiam monachorum, præparatis epulis reſedit ad menſam: ubi inebriatus apparatum equitatus ſibi inſtituere jubet, ut, ſicut prædixerat, præfatam deſtruere eccleſiam pergeret. Illuc perveniens portas eccleſiæ ſubmovit, ſigna quoque ad terram dejecit, altare itidem in eccleſiæ ingreſſu, forinſecus extulit, ac propriis deſuper pedibus ſubſannande calcavit, & ingreſſum ſpinis obſtruxit. Sed cum inde ſecederet, apparuit ei beatus Launomarus in ſenili ſpecie, decora canitie candidatus, qui repente eum increpavit, & de baculo quem gerebat, inter ſcapulas percuſſit. Epiſcopus vero cum ingenti gemitu magnam emittens vocem ſecum euntibus à die ſequenti, ad ſedem propriam per alveum Sequanæ remeavit. Tertio die cum jam imminente mortis periculo pœniteret, presbyterum accerſiri jubet: cui imperavit, ut quantocius ad eccleſiam pergeret, portas ejus, ut fuerant, erigeret, ſigna penderet, altare in loco ſuo reſtitueret, & in eo miſſam penitens & devotus celebraret: quo dicto vitam repente finivit. Presbyter vero completis quæ Epiſcopus juſſerat, poſt diem ſextum juſto Dei examine ſpiritum reddidit.* Hæc fuſior hiſtoria tranſlationis ſancti Launomari. Mabillonius pro ſua ſingulari eruditione notas addidit. Primo annotat hancce tranſlationem qua Bleſas ſancti Launomari corpus tranſlatum eſt accidiſſe anno DCCCLXXIV. *Hactenus*, inquit, *ipſo die in monaſterio noſtro Bleſenſi celebratur feſtum hujus tranſlationis, quæ DCCCLXXIV. facta fuiſſe videtur, altero ſcilicet anno, quam corpus ſacrum è Curbionenſi cœnobio motum eſt.* Annotat ſecundo acerbiora quædam in Æneam Epiſcopum Pariſienſem in hac fuſiore hiſtoria reperiri, addit deinde ex Flodoardo alia, quæ etiam memoriæ magni hujus Pontificis iniqua ſunt. *Hæc duriora*, inquit, *in Æneam, qui vir utique non immoderatæ vitæ ex aliis ejus factis fuiſſe videtur; quamquam apud Frodeardum, in hiſtoriæ Remenſis lib. 5. cap. 3. Bernoldo cuidam pannoſus, denudatus, ſqualens, ac ſi uſtulatus fuiſſet cum aliis Epiſcopis poſt mortem apparuiſſe dicitur & vivorum ſuffragia flagitaſſe.* Tertio annotat vir doctus obitum Æneæ contigiſſe ante annum DCCCLXXVI. quo Ingelvvinus ejus ſucceſſor Concilio Pontigonenſi ſubſcripſit. Ecce tibi ipſa Mabillonii verba *Æneæ obitus contigit ante Concilium Pontigonenſe anni DCCCLXXVI. quo anno Ingelvvinus ejus ſucceſſor prædicto Concilio ſubſcripſit.*

Act. Bened. ſæcul. 4. p. …

VII. Miror equidem quod antiquus auctor, vel quiſlibet qui fuſiorem hujuſce tranſlationis hiſtoriam texit, fœdiſſimis notis aſperſerit memoriam graviſſimi piiſſimique Pontificis, adeo ut eum livore, invidia & ebrietatis vitio laboraſſe confidenter aſſerat: immo impietatis & ſacrilegii reum faciat, quem propterea baculo percuſſum ab Abbate dictitet. Scilicet tantæ ſunt animis cæleſtibus iræ! Etſi hæc omnia incredibilia cuique ſunt, ſufficiuntque ad refellendam calumniam, injecta quippe in virum hujus momenti, in Pontificem, quem prop-

ter ſanctitatem clerus Pariſienſis, provincialeſqne Epiſcopi celebrant, qni ſanctus ab Odone appellatur, qui qua religione ſanctorum reliquias coleret, ſatis oſtendit, cum ſuis humeris ſacrum onus reliqnias nempe ſancti Mauri ad Foſſatenſem baſilicam publicè & ſollemniter portavit. Quamquam hæc ſatis ad propulſandam injuriam. Quoniam tamen volunt hanc fabellam & aliis narrationibus, & æqua temporum ratione eſſe defenſam, banc penitus profligare decretum eſt. Haud diffiteor quoſdam vel in viris graviſſimis, & ipſis Epiſcopis nævos aliquando reperiri; quemadmodum autem, ſi quando offendere contigit, eos annotare haud abnuimus: ita qnoque non quamcumque narrationem recipimus, cum enim in narrationibus vacillat veritas, eas rejicere haud veremur. Hanc propterea hiſtoriam falſi & calumniarum accerſere haud dubitabo, rem æſtimet æquus lector ex hoc uno, quod tempora non congruunt. Hîc, amabo, lector adverte animum, tempora, inquam, non cohærent, quo enim tempore hæc accidiſſe auctor tranſlationis, memorat, jam tres quatuorve annos, immo & plures fortaſſe jam Æneas è vita deceſſerat. Totam hanc chronologiam diligentius retexere oportet, & omnem rationem temporis ſimul componere. Conſtat ex hiſtoria tranſlationis & ipſius Mabillonii annotatione, primùm deportatum corpus ſancti Launomari è Curbonienſi monaſterio ad Abrincatuos anno DCCCLXXII. XVII. Calend. Maii ſub Garnone Abbate, hocque ex auctore, qui præſens aderat accepimus. Deinde, ut ſuperius memoratum eſt, corpus ſanctum ad Cenomanos delatum eſt ab eodem Abbate, qui paulo poſt obiit, in cujus locum ſuffectus eſt Simon, qui eaſdem reliquias Bleſas tranſtulit. Quanto tempore apud Abrincatuos & Cenomanos Abbas & Curbonienſes monachi permanſerint haud dixero: Mabillonius Bleſas acceſſiſſe autumat anno DCCCLXXIV. & eodem anno quatuor ad Unciacum veniſſe monachos; tum rebus inter proceres pacatis rediiſſe ad ſuos memorat auctor fuſionis Hiſtoriæ, ac demum deſtructam eccleſiam ab Ænea Pariſienſi, hæc omnia Mabillonius ſcribit contigiſſe anno DCCCLXXIV. & ſi hæc chronologia multis perplexiſque difficultatibus obſita eſt, hanc tamen ultro recipio: obitus igitur Æneæ Pariſienſis Epiſcopi contigit anno DCCCLXXIV. ex Mabillonii ſententia, quam etiam confirmat ex auctoritate Concilii Pontigonenſis, quod habitum eſt anno DCCCLXXVI. cui Ingelvvinus ſucceſſor Æneæ Pariſienſis Epiſcopi ſubſcripſit. Jam vero inquiramus, an hæc omnia cohæreant cum ætate Æneæ Pariſienſis Epiſcopi? hocque ex publicis indubitatiſque monumentis expendendum eſt. Æneas Pariſienſis Epiſcopus adfuit anno DCCCLXIX. Concilio Vermerienſi, ubi primum cognitum eſt de cauſa Hincmari Laudunenſis, & eodem anno Piſtenſi Concilio, eique ſubſcripſit: interfuit deinde Concilio apud Attiniacum anno DCCCLXX. in quo iterata eſt cauſa Hincmari Laudunenſis, quod patet ex cap. XXXIII. Synodi Duziacenſis, quæ anno ſequenti pro eadem cauſa congregata eſt. Cum enim in Attiniacenſi Synodo Hincmarus Laudunenſis obtuliſſet libellum, quo fidem Regi, & obedientiam Hincmaro Remenſi profiteretur, ille poſtea in Duziacenſi anno DCCCLXXI. cœpit conteſtari eum ſibi regia auctoritate, tum fraude ac dolo ab Hincmaro Remenſi extortum, tunc Hincmarus Remenſis nominare Frotarium Eccleſiæ Burdegalenſis Archiepiſcopum, & Æneam Epiſcopum Pariſienſem, qui dicerent Hincmarum Laudunenſem velle profeſſionis libello ſubſcribere. *Ego*, inquit, *ſtans cum fratre Odone loquebar, venit ad me Frotarius Archiepiſcopus, & Æneas Epiſcopus, & dixerunt mihi coram Odone, quia frater Hincmarus vellet profeſſionis libello ſubſcribere* &c. Ex hoc loco & aliis, quæ in eodem capite reperiuntur, palam eſt, & hîc de profeſſione Hincmari agi, quæ acta eſt in Synodo Attiniacenſi, & Æneam huic Concilio interfuiſſe, cujus haud ſemel mentio eſt in eodem capite. Anno ſequenti DCCCLXXI. contra Hincmarum Laudunenſem coacta Synodus apud Duziacum villam parochiæ Remenſis, cui adfuit & ſubſcripſit Ingelvvinus Epiſcopus Pariſienſis ſucceſſor Æneæ, ut manifeſtum eſt ex actis illius Concilii, is cum aliis Epiſcopis ſententiam contra Hincmarum Laudunenſem dixit, quæ his verbis habetur in

LIB. VII. CAP. VII.

LIB. VII. CAP. VII. actis. *Ingilvvinus Pariſiacenſis Epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus in Epiſcopali ordine nomine manens, agendo multoties contra ſacras regulas, traditionemque majorum, ſicut ex ſuis ſcriptis, ac ſubſcriptionibus, & certiſſimis patet documentis, ſe ab epiſcopalis diſciplinæ ſocietate diſcrevit* &c. Inter ſubſcriptiones legitur Ingilvvinus Pariſiorum Epiſcopus; ejus quoque nomen reperitur in epiſtola ſynodica hujus Concilii ad Hadrianum PP. Cum hocce Concilium habitum ſit anno DCCCLXXI. & ſucceſſor Æneæ non modo Pontigonenſi Concilio interfuerit anno DCCCLXXVI. ut Mabillonius annotat, ſed etiam huicce Synodo anno DCCCLXXI. neceſſe eſt Æneæ obitum hanc Synodum præceſſiſſe. Cum præterea necrologium ſancti Germani annotet diem ejus obitus ad VI. Calend. Januarii, oportet Æneam eodem anno quo Synodo Attiniacenſi interfuit die viceſima-ſeptima Decembris mortem oppetiiſſe anno DCCCLXX. biennio ferme ante tranſlationem corporis ſancti Launomari è Curbionenſi monaſterio, quatuor, immo quinque, ſexve annos ante tempus, quod fabellæ de Ænea Pariſienſi aſſignatum eſt. Unde haud dubium eſt manifeſtæ calumniæ reum eſſe auctorem hiſtoriæ tranſlationis ſancti Launomari, quippe qui ſanctiſſimi Pontificis memoriam mendacibus improbiſque conviciis per fas nefaſque impetierit; quæ omnia vellem prius annotata fuiſſe à Mabillonio, quod illi honorificentius contigiſſet, quam fabellam aliâ fabellâ, & fœdiſſimum convicium ineptiſſima ſomniatione velle eſſe defenſum. Quo enim alio nomine appellem viſionem? quam Flodoardus refert habuiſſe quemdam hominem ægrum parochiæ Remenſis, nomine Bertoldum, qui dicebat ſe ductum de iſto ſæculo ad aliud veniſſe, ad quemdam locum, & inveniſſe Epiſcopos XLI. inter quos, inquiebat, cognovi Ebonem, Pardulum & Æneam pannoſos & denigratos, ſqualenteſque, ſicut & alios, acſi uſtulati fuiſſent, & per vices nimio frigore horribiliter cum fletu, ac ſtridore dentium tremulentos, per vices autem calore nimio æſtuantes. Egregiam vero ſcriptoris auctoritatem! qui haud dubitat lædere famam magni Pontificis falſis ægri hominis imaginibus deluſus, & pro indubitatis argumentis, obtrudere nobis vana febricitantis deliria. Ebonis ſane omnibus nota eſt in pium bonumque Principem perfidia; ſed quid amabo reprehenſione dignum cenſet iſte auctor in Æneæ Pariſienſis Epiſcopi moribus & geſtis? nihil ſane, niſi forte quis id reprehendat, quod reconciliare animum Hincmari Remenſis Hincmaro Laudunenſi ſtuduerit, aut in aliis ejuſmodi negotiis Hincmaro Archiepiſcopo adverſatus ſit. Hincmarus, qui vigilans auctor hujus ſomniationis extitit, cum de fama ſapientiſſimi præſulis detrahere aperte vereretur, hoc ſomniantis delirium protulit, quod Flodoardus avide excepit, & in hiſtoriam inconſultò conjecit. Hæc dicta ſint ad repellendam injuriam illatam temere magno Pontifici, qui certe pius Æneas fuit, vel hoc nomine magnopere commendandus quod patrem Maurum humeris ſuſtulerit.

Flod. lib. 3. cap. 3.

VIII. Multis in locis Æneæ memoria eſt, quod ſupra à nobis annotatum eſt. Pluribus ſubſcripſit privilegiis, ubi illius mentio eſt, in præceptis Caroli-calvi, cujus Regis extat præceptum in parvo Paſtorali Eccleſiæ Pariſienſis, quo Carolus-calvus pontem contiguum ſuburbio ſancti Germani Autiſſiodorenſis Æneæ Epiſcopi ejuſque ſucceſſorum poteſtati ſubjicit. Hoc quoque hic deſcribimus. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolus Dei gratia Rex Notum ſit omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, Telonariis, omnem rem procurantibus fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quod inſpirante clementia Salvatoris pro totius utilitate regni noſtri, ac defenſione ſanctæ Dei Eccleſiæ, atque Nortmannorum infeſtatione, una cum aſſenſu & voluntate Pariſiacæ urbis Æneæ Epiſcopi, placuit nobis extra prædictam urbem de ærarii noſtri ſcato ſupra terram monaſterii ſancti Germani ſuburbio commorantis, quod à priſcis temporibus Autiſiodorenſis dicitur, ſubjectum etiam matri eccleſiæ ſanctæ Mariæ commemoratæ urbis opportunum majorem facere pontem. Poſt expletionem vero ejuſdem pontis, tactus, ut credimus, rore cæleſti, dignum judicavimus pro amore Dei, & ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Stephani ipſum pontem Æneæ prædicti Epiſcopi ſucceſſorumque ſuo-*

rum poteſtati ſubjicere, quatenus tam ipſe, quam ſucceſſores ejus ipſum pontem, una
cum via, quæ per terram ſancti Germani ad eumdem pontem vadit, Deo propitio
ordinent abſque alicujus Comitis ordinatione, & in eadem emunitate permaneat, ſicut
antea fuit, & in præceptis anteceſſorum noſtrorum & noſtro de ruà ſancti Germani con-
tinetur. Qua conceſſione facta præcellentiæ noſtræ placuit ſerenitati, tam ex prædicto
ponte, quam ex via ſancti Germani jam prædicti, quæ tendit ad eumdem pontem, ei-
dem ſcilicet Æneæ Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus, auctoritatis noſtræ, ſolidum incon-
cuſſumque ſtatuere præceptum: ita ut tam ipſe, quam ſucceſſores ejus in poſterum ſæpe
memoratum pontem, cunctaſque arcas aquæ ejuſdem poneis ac molendinos, & quid-
quid ad eum juſto ordine, & legatione pertinere videtur, abſque ullius Comitis vel
Vicecomitis, ſeu cujuſlibet judiciariæ poteſtatis contradictione, libero & pacifico teneant
arbitrio. Et ut hoc noſtræ auctoritatis, atque largitionis præceptum in Dei nomine per
ſuccedentia annorum curricula conſervetur, veriuſque ab omnibus credatur, annuli noſtri
impreſſione ſubter ſigillari ac decorari juſſimus, manuque propria affirmare curavimus.
Signum Caroli glorioſiſſimi Regis. Datum pridie Idus Iulii Indict. III. anno XXXI.
Domni Regis Caroli glorioſiſſimi Regis. Actum palatio Compendio in Dei nomine fe-
liciter. Amen. Error eſt in Indictione. Notanda hæc charta ob mentionem mo-
naſterii, ſancti Germani Autiſſiodorenſis de quo fuſe dicemus poſtea.
Eſt alterum præceptum, quo Rex ad petitionem Æneæ Pariſienſis Epiſcopi IX.
concedit inſulam vicinam Eccleſiæ matri, quam vulgo inſulam beatæ Mariæ
Virginis vocant, hoc ipſum tibi ex illo codice deſcribimus. *In nomine ſanctæ*
& individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei Rex. Si rogationibus ſacerdotum Chriſti
in honore Eccleſiarum ſibi creditarum aurem celſitudinis noſtræ inclinamus, regiam.con-
ſuetudinem exercemus, & ad ſalutem animæ noſtræ idipſum pertinere proculdubio novi-
mus. Itaque notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus & noſtris præſentibus
atque futuris, quod ad ſupplicem petitionem Æneæ venerabilis Pariſienſis Epiſcopi red-
dimus inſulam quamdam eidem civitati in orientali plaga contiguam, atque vicinio-
rem Eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis & ſemper Virginis Mariæ; quæ ſi quidem præter
nonam & decimam antea uſibus habebatur, & dominio Comitis ipſius civitatis, &
regionis. Vnde & præcellentiæ noſtræ præceptum hoc reſtitutionis ſeu reſtaurationis fieri
juſſimus, per quod ſtatuimus atque firmamus, ut memorata inſula, ſine cujuſpiam Co-
mitis inquietatione aut ſollicitatione, veluti præſignatum eſt, dominio Epiſcopi ſedis
Pariſii civitatis, & ſervorum perpetua lege ſubjaceat eorumque diſpoſitioni, ſicut
aliæ res dominationis ipſorum, Domino auxiliante ſemper ſubſiſtat, nemine contradi-
cente, aut qualibet inventione repetente. Vt autem hæc reſtitutionis, ſive redditionis
noſtræ de ſupradicta inſula præceptio ſemper in Dei nomine meliorem obtineat vigorem
de annulo noſtro ſubter eam juſſimus ſigillari. Hildebodus Notarius ad vicem recogno-
vit. Datum x. Calend. Maii indiction. XV. anno XXVII. regnante Carolo glorioſiſ-
ſimo Rege. Actum Compendio in Dei nomine feliciter. Amen.
Ex ea charta intelligimus inſulam illam, quam modo dicunt beatæ Mariæ X.
Virginis, fuiſſe olim juris eccleſiæ Pariſienſis, eamque diſtractam fuiſſe ex do-
minio Eccleſiæ Pariſienſis: ita tamen, ut decima & nona, id eſt quinta pars
redituum eidem Eccleſiæ quotannis perſolveretur, eamque attributam fuiſſe
Comiti ſeu præfecto urbis Pariſienſis, ex cujus manibus, illam poſtea Carolus
Rex ſubtraxit, ut Eccleſiæ Pariſienſi edito ea de re præcepto redderet. Credo
jam à tempore Caroli-martelli diſtractam fuiſſe, & ſub Pippino Rege decimam
& nonam, quintam ſcilicet partem fructuum Eccleſiæ attributam eſſe; noſtra
memoria eadem inſula, quæ ædibus vacua erat valido circumquaque muro præ-
cincta eſt, magnificiſque ædibus, vicis, & eccleſia baptiſmali decorata eſt, pon-
tibus urbi & majori inſulæ conjuncta. De his aliàs fuſe dicemus.
Tertium eſt præceptum ejuſde n Caroli Regis, quod habetur in eodem chartu- XI.
lario, in quo & Æneæ Pariſienſis Epiſcopi habetur ſermo. Cum Nortmanni quos
diploma paganos vocat, urbem ſæpius diripuiſſent, & totum circumquaque va-
ſtaſſent territorium, eccleſia Pariſienſis multa id temporis pertulit damna, adeo ut
neque loca reſtitui, neque tunc miniſtri eccleſiæ ullo modo ali poſſent. Petiit
Æneas Epiſcopus, *ut villam Nantriacum in agro Pictavo ſecus fluvium Clinnum ſitam*

Rex ſibi redderet, hanc Rex edito præcepto reddidit. Datum legitur xv. Calend. April. Indict. I. anno xxviii. regni. Sed ecce & hoc tibi deſcribimus. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus Dei gratia Rex* &c. *Notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, & noſtris præſentibus atque futuris, quod venerabilis vir Æneas Pariſii Epiſcopus culminis noſtri reverenter adiens ſublimitatem, deprecatus eſt humiliter, ut Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſanctæ ſedis in honore Dei genitricis & ſemper Virginis Mariæ fundatæ auxilium præberemus, cujus res ex maxima parte paganorum vaſtatione conſumptæ & illapſæ videbantur, ita ut nec ſacra loca ipſi ſanctæ ſedi pertinentia reſtitui ac reformari valerent, neque ſervi Dei in eiſdem degentes vivere ac ſuſtentari poſſent, pro quo multiplicibus rogationibus efflagitavit, quomdam ejuſdem Eccleſiæ villam in pago Pictavo ſecus fluvium Clinnum ſitam Nantriacum ſibi reddere dignaremur, reddendaque reſtituere non denegaremus. Nos inquam, ut credimus divina inſpirante gratia ad ſupplicationem ejus auditum benignum accommodantes, non abnuendam ſalubribus admonitionibus ejus ratum omnino duximus. Unde & celſitudinis noſtræ præceptum hoc fieri juſſimus, per quod memoratam villam Nantriacum, cum eccleſiis & reliquis ædificiis, cum familia utriuſque ſexus, cum terris quoque cultis & incultis, vineis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, molendinis, paſcuis egreſſibus, & regreſſibus, cumque omnibus rebus, quæ dici aut nominari poſſunt, eidem villæ pertinentibus, memoratæ ſanctæ ſedi Pariſii, præfatoque Æneæ Epiſcopo jure eccleſiaſtico æternaliter habendam, reſtituentes reddidimus reddenteſque reſtituimus, videlicet, ut ſine cujuſpiam contradictione aut inquietatione antedictus Epiſcopus, & ſucceſſores ejus eamdem villam cum ſumma integritate teneant, atque poſſideant, & canonica ordinatione ad honorem, & utilitatem atque neceſſitatem præſcriptæ ſanctæ ſedis libera poteſtate diſponant, ſcilicet, ut quidquid ex ea eſſe poteſt, eidem ſacro loco in voluntate Dei proficiat ſemper in honoris augmentum, & animæ noſtræ proſit in adjutorium. Ut autem hæc munificentiæ noſtræ reſtitutio plenior ſemper, & inviolabilem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria et ſubſcripſimus, & de bulla noſtra eam ſignari juſſimus. Signum Caroli glorioſiſſimi Regis. Hildeboldus Cancellarius ad vicem Gozleni recognovit. Datum xv. Calend. April. Indict. I. anno xxviii. regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Actum Silvanectis in Dei nomine feliciter. Amen.*

XII. Extat Epiſtola Hincmari Archiepiſcopi Remenſis ad Æneam Pariſienſem Epiſcopum, ſcribitque ſibi ab Abbate ſancti Dionyſii commiſſum adoleſcentem quemdam nomine Bernonem, quem Æneas acolythum fecerat, quamobrem eum rogat, ut quoniam ſine ejus licentia nollet eum in ſua parochia immorari, canonicas illi ſcribat litteras, ut eum poſſet ordinare. Reſpondit Æneas, extatque ejus epiſtolæ fragmentum: credibile eſt ejus petitioni Æneam ſubſcripſiſſe; initium enim ſolummodo nobis ſupereſt ex quo quid ſcriptum omnino ſit dicere non poſſis, ecce utramque hîc tibi ſubjicio.

Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri & venerabili Epiſcopo Æneæ ſalutem.

XIII. *NOſtri fratres de monaſterio ſancti Dionyſii per licentiam domni Abbatis HLudovici, ad educandum atque erudiendum commiſerunt mihi quemdam adoleſcentem nomine Bernonem, quem veſtra fraternitas acolytum ordinavit, propterea, quoniam ſine veſtra licentia eum nolumus in noſtra Eccleſia diutino tempore immorari, petimus dilectionem veſtram, ut de illo nobis litteras canonicas faciatis, quatenus eum in Eccleſia noſtra poſſimus regulariter ordinare.*

Venerabili in Chriſto patri Hincmaro Remorum Archiepiſcopo Æneas ſanctæ Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus in Domino ſalutem.

XIV. *CAnonica atque eccleſiaſtica ſancit auctoritas, ut nemo Epiſcoporum alterius Eccleſiæ ordinatum, ſine conſenſu vel litteris dimiſſoriis illius Epiſcopi, cujus ordinatus fuerat, in propria parœcia retinere aut ordinare præſumat. Hanc denique*

inſtitutionem ſanctorum patrum pleniſſime retineretet, rogaſtis vobis quemdam Eccleſiæ
noſtræ filium, & à nobis nuper acolytum ordinatum, nomine Bernonem, qui cauſa diſ-
cendi atque educandi veſtris in partibus quomdam miſſus &c. reliqua deſunt. Vides Dionyſianos clericos ita ſubjectos fuiſſe Epiſcopo Pariſienſi, ut ne in alia quidem immorari parochia etiam cum licentia Abbatis poſſent.

Extat præterea epiſtola Lupi Ferrarienſis ad Æneam Pariſienſem Epiſco-
pum, qua filium neptis ſuæ commendat, rogatque ut illi militare beneficium XV.
conferat, & ſimul tutorem illi ſtatuat, qui & moribus ejus congruat, & mili- Epiſt. 119.
tare obſequium exigat. Hæc de Ænea Pariſienſi Epiſcopo.

De Ludovico Abbate actum eſt antea, ſed demum ille mortuus eſt anno XVI.
DCCCLXVII. ad eum enim annum ſic habent annales Bertiniani. *HLudovicus Abbas monaſterii ſancti Dionyſii & nepos Caroli Imperatoris ex filia majore natu Rotrude v. Idus Januarii obiit, & Carolus Rex Abbatiam ipſius monaſterii ſibi retinuit, cauſas monaſterii ſancti Dionyſii & collaborationem, per præpoſitum & decanum, atque etiam theſaurarium, militiæ quoque curam per majorem domus ſua commendatione geri diſponens.*

CAPUT VIII.

De monaſterio ſancti Dionyſii ſub Carolo-calvo. De obitu Ebroini Abbatis ſancti Germani à pratis, & de Hilduino ejus ſucceſſore. De tranſlatione ſanctorum martyrum Cordubenſium ad monaſterium ſancti Germani à pratis. De Uſuardo & ejus martyrologio. De evectione corporis ſancti Germani. De partitione bonorum ejuſdem monaſterii ſancti Germani.

MONASTERIUM ſancti Dionyſii multa commendabant: corpora SS. I.
martyrum eo in loco jacebant, habebanturque in honore, ſepulcris Regum baſilica inſignis erat. Et locus beneficentia Regum opibus redditibuſque dives, aliiſque rebus, quæ illi honorifice contigerant, longe celeberrimus erat. Habuerat Abbates & nobilitate generis, & negotiis in regno præclare peractis valde commendatos. Carolus Rex puer adhuc huic monaſterio commendatus oblatuſque SS. martyribus à patre Ludovico-pio fuerat. Locus ille ex hoc inprimis utrique carus fuerat, quod Ludovicus-pius libertatem & imperium poſt exauctorationem ibi fuiſſet conſecutus, & filius ejus Carolus ereptus è manibus Lotharii fratris, poſtea regnum Francorum adiiſſet. Ex eo tempore Carolus curam monaſterii habuerat. Nortmannis Galliam vaſtantibus, & ipſam diripientibus Lutetiam, caſtra ad illam baſilicam poſuerat, & ipſam defenderat ab injuria. Seu hæc, ſeu, quod credibilius eſt, exhauſta Gallia erat prædationibus barbarorum annua Regibus vectigalia non pendebantur, Carolus in hac rerum neceſſitate res monaſterii ſibi retinuit, hujuſque cuſtodiam decedente Ludovico Abbate cepit: ut ſumptibus regiis his rerum temporumque anguſtiis ſufficeret. Curam eo tempore monaſterii, & monachorum geſſerunt

præpoſitus, decanus & theſaurarius, ipſe vero Carolus Rex ſæpius ad monaſterium ventitabat. Sic habent annales Bertiniani *H Ludovicus Abbas monaſterii ſancti Dionyſii, & nepos Caroli Imperatoris ex filia majore natu Rotrude v. Idus Januarii obiit* anno ſcilicet DCCCLXVII. *& Carolus Rex Abbatiam ipſius monaſterii ſibi retinuit, cauſas monaſterii, & collaborationem per præpoſitum & decanum & theſaurarium, militiæ quoque curam per majorem domus ſua commendatione geri diſponens.* Hoc eodem anno Carolus Rex Paſcha in monaſterio ſancti Dionyſii celebravit. Ita quoque initio Quadrageſimæ anno DCCCLXVIII. in eamdem baſilicam venit, quo deinde Silvanectas profectus eſt. Ex eo tempore ſæpius eódem accedere ſolebat. Anno pariter DCCCLXIX. ad idem monaſterium rediit feria IV. ante initium Quadrageſimæ: neque hoc tempus Quadrageſimæ eo in loco exegit, ſed tamen ibi Paſcha pro more Regum celebravit, *& caſtellum in gyro ipſius monaſterii ex ligno & lapide conſtruere fecit.* Et eodem anno cum in villa Duciaco VII. Octob. Carolus verſaretur, accepit Hirmintrudem Reginam in monaſterio ſancti Dionyſii ſupremum diem obiiſſe II. Nonas Octob. quæ & ibi regio ſollemnique apparatu ſepulta eſt. Anno ſequenti Rex poſt Autumni venationem ad idem monaſterium ſe contulit, ut hujus ſancti Pontificis & martyris diem feſtum perageret, eaque die inter ſacra ſollemnia legatos Hadriani PP. recepit, qui nomine Imperatoris Ludovici repeterent regnum Lotharii, quod Carolus poſt ejus mortem occupaverat: & ad eorum preces Carolomannum filium, qui Silvanectis tenebatur è cuſtodia exemit, & ſecum manere juſſit. Iidem Bertiniani annales memorant Carolum Regem ineunte anno DCCCLXXI. ad Dionyſianum monaſterium veniſſe, ut adverſus filium Carolomannum, qui iterum defecerat proficiſceretur, & eodem anno eódem reverſum ut ibi Quadrageſimæ tempus perageret, & Paſcha celebraret. Sequenti anno huc pariter commeavit Sabbato ante diem palmarum celebritatemque paſchalem ibidem peregit; ne ſingula percurram anno DCCCLXXIV. die Purificationis beatæ Mariæ Virginis Carolus Rex eódem cum optimatibus & conſiliariis venit quibuſcum conventum ſeu placitum ſollemne habuit, & in eodem loco Paſcha celebravit, ex his omnibus, aliiſque quæ dicemus, patet Carolum Regem ad monaſterium ſancti Dionyſii frequentius ire ſolitum eſſe.

II. De Abbatibus ſancti Germani jamdiu ſilentium eſt; diximus antea de Ebroino Epiſcopo Pictavenſi, qui Abbas fuit ſancti Germani à pratis & ſancti Hilarii, quique Archicapellanus Caroli Regis extitit. Hic quidem ex illuſtri loco ortus erat, & multis deinde clarus muneribus, ſed de ejus morte varia fama eſt. Aiunt nonnulli à Nortmannis anno DCCCLIII. interemptum: alii vero à Pippini fautoribus occiſum. Certe annales Bertiniani referunt ad Ecoliſmam à Pippino profligatas Caroli-calvi copias, & in prælio memorant complures ex optimatibus in pugna cæſos fuiſſe: captum vero Ebroinum Pictavenſem Epiſcopum. Ejus epitaphium extat innuitque mala morte periiſſe.

Triſte vix umquam poterit deponere crimen
Pictavis magni præſulis interitu.
Maii ſeptennis Ebroinus biſque calendis
Pontificalis apex aſtra ſuperna petit.
Hilarius, ſanctus Germanus, quem habuere
Abbatem, anguſto hic jacet in tumulo

Quo anno mortuus ſit non dixerim: Hilduinus junior nepos alterius Hilduini ſenioris, de quo toties dictum eſt, Ebroino ſucceſſit, eratque Abbas ſancti Germani anno DCCCLVIII. quando in hocce monaſterium allata ſunt corpora ſanctorum martyrum Georgii monachi, Aurelii, & Nataliæ.

III. Aurelius cum uxore Natalia, quam ſanctus Eulogius Sabigothonem vocat piam religioſamque vitæ rationem Cordubæ inſtituerat pauperibus diſtribuens facultates, ſolitus ſubinde adire monaſteria, ut exemplo monachorum ſeveriora diſciplinæ, Chriſtianæ inſtituta ſequeretur. Erat his temporibus Tabanenſe monaſterium his in locis celebre, ubi ſeorſum monachi & virgines vitam

tam agitabant; huc præſertim Natalia ire conſueverat, filiaſque Felicitatem & Mariam hæc pia mater virgines Chriſto deſpondit. Dum ejuſmodi vitam pii conjuges ducunt; aſpera in Chriſtianos Cordubæ agitata perſecutio eſt. Tum Aurelio & Nataliæ pro Chriſto ſanguinem profundere propoſitum eſt & palmam martyrii aſſequi; in conſortium certaminis Georgius monachus venire haud detrectavit. Is forte ab Oriente venerat, ſeque ab adoleſcentia diſciplinæ monaſticæ inſtitutis ſubjecerat in aſceterio ſancti Sabæ haud procul ab Hieroſolyma, jamque cum quingentis fratribus annos ſeptem & viginti duxerat vitæ auſterioris exercitationibus intentus, quo tempore David monaſterio præpoſitus erat. Ab eo Georgius in Africam miſſus eſt, ut ſtipendia & annonas monachis colligeret. Verum ille dum audit Chriſti gregem à perſecutoribus teterrime his in locis vexari, in Hiſpaniam trajicit, & Cordubam venit; haud multo poſt iniit ſocietatem cum Tabanenſibus monachis; atque adeo facile cum Aurelio & Sabigothone pietatis & religionis vinculo conjungitur. Ingens interea perſecutio Cordubæ exoritur: tingirur barbarorum gladius Chriſtianorum ſanguine, rapiuntur ad necem Chriſti milites. Aurelius, Sabigotho, Felix & Liliosa & Georgius ipſe monachus, qui cum iis forte repertus eſt in carcerem conjecti ſunt, & fortiter martyrio defuncti VI. Calend. Aug. anno Chriſti DCCCLII. Acta eorum deſcripſit ſanctus Eulogius in memoriali ſanctorum lib. II. cap. X. poſtquam hæc Cordubæ acta ſunt, ſtatim rumor in provincias uſque pervagatus eſt excitatam in Hiſpania perſecutionem Mauris in Chriſtianos ſævientibus, compluresjam præclaram pro Chriſto mortem oppetiiſſe & fidem obſignaſſe martyrio. Id temporis inceſſit quoſdam Pratenſis monaſterii monachos cupido ſacras martyrum colligendi reliquias, atque præſertim ſancti levitæ Vincentii, quæ Valentiæ in Hiſpania inter Sarracenos deliteſcebant. Pium hoc conſilium approbavit Hilduinus Abbas, & Rex ipſe Carolus id ſua auctoritate confirmavit; ad hoc opus perficiendum duo illius familiæ monachi pietate inclyti ultro ſeſe obtulerunt Uſuardus ſcilicet, qui auctor martyrologii fuit, & Odilardus, qui cum in Septimaniam adveniſſent, acceperunt allatas jam in Aquitaniæ fines reliquias beati Vincentii, monachum Audaldum divinitus admonitum proficiſci Valentiam, ab eoque advecta in Galliam oſſa beati levitæ. Jamque monachi ſancti Germani Barcinonem venerant, dolebantque vehementer ſanctam hanc prædam ſibi præreptam fuiſſe, angebat monachos irritus labor, & longum iter fruſtra ſuſceptum, pudebatque iter vacuos remetiri. Tum illis renunciatum eſt à Sunifredo cive Barcinonenſi Cordubæ magnam Chriſtianorum cædem factam auctore Abdirama Sarraceno Rege Cordubenſi: Georgii inprimis & Aurelii certamen clarum fuiſſe. Erectis monachi animis, ne in monaſterium vacui redirent ire Cordubam parant, & inde ſacra tollere pignora, neque ſe ullis difficultatibus à propoſito deterreri patiuntur. Hunfridus Barcinonenſis Comes dat illis commendaritias epiſtolas ad Primatem Cæſarauguſtanum, & Sunefridus ad Leovigildum Cordubenſem virum moribus & pietate pollentem. His muniti præſidiis iter Deo duce ingrediuntur, Cordubamque demum poſt multa pericula perveniunt. Hoſpitio benigne recepti ſunt ab Hieronymo diacono, & paulo poſt in notitiam Chriſtianorum hujus loci venerunt, qui multa eis officia ultro contulerunt. Mirabantur advenas monachos peragraris pluribus provinciis in urbem veniſſe madentem ſanguine Chriſtianorum. Leovigildus inprimis acceptis Sunefridi litteris eos complecti & ſciſcitari ab eis cauſam itineris; auditaque cauſa laudare fidem & pietatem monachorum, daturumque operam pollicetur, ne laboris pœniteat, rem cum Samſone pio religioſoque preſbytero communicant. Accidit forte, quod non parum eorum adjuvit conſilia, ut Samſon eo tempore Abbas præficeretur Pennamellari cœnobio, qui locus erat, ubi jacebant ſanctorum martyrum corpora, ille ſtatim admiratus fidem noſtrorum annuit eorum votis, ſpondet ſacra ſe daturum pignora; ſed adhibito, ut fit, fratrum conſilio: haud refragari quidem aliquot, nihil denegandum pietati monachorum, plures tamen obloqui contra, & ægre ferre novos

martyres è conſpectu civium tolli, qui præſentia ſua imbelles & timidos confirment, & audaces excitent ad palmam; omnes demum conſenſerunt, poſtquam Epiſcopi conſenſus acceſſit. Conceſſa itaque dataque ſancta pignora ſunt, erutaque è tumulo, & tradita Gallis monachis: quo munere donati læti ea Cordubam deferunt. Pennemellarenſe monaſterium quinque circiter milliariis ab urbe diſtabat. Georgii monachi corpus erat integrum, Aurelii vero corpus abſque capite, caput vero tantummodo Nataliæ uxoris. Hanc, ut diximus, Sabigothonem ſanctus Eulogius vocat; eo ſcilicet modo raptim à Chriſtianis condita tumulo fuerant, aliis membris alio in loco tumulatis, noſtri ſine mora ſe ad reditum accingunt. Primum Toletum, deinde Complutum veniunt, proficiſcuntur inde Cæſarauguſtam, ac deinde Barcinonem ingreſſi, varia adeunt opida, Narbonam, Biterras. Demum poſtquam delata corpora ſunt per pagos multos, & Deus ſanctitatem martyrum pluribus ſignis prodidit, ad Acmantum perventum eſt. Villa eſt diœceſis Senonicæ monaſterio ſancti Germani ſubjecta; huc id temporis plures ex hoc cœnobio metu Nortmannorum confugerant; ac tamdem ad ſancti Germani monaſterium tranſlata, & ibi condita ſunt, ubi etiam hodie pie & religioſe ſanctæ reliquiæ habentur. Anno DCCCLVIII. hæc tranſlatio facta eſt, cujus in annalibus Bertinianis ad hunc annum memoria eſt his verbis. *Quidam monachus*, inquiunt, *ex monaſterio ſancti Vincentii martyris, vel ſancti Germani confeſſoris à Corduba civitate rediens, corpora beatorum martyrum Georgii diaconi, & Aurelii, caputque Nathaliæ ſecum detulit, atque in villa Acmanto in loculis ſervanda collocavit.* Hæc porro facta ſunt ſub Hilduino ſecundo Abbate, quod aſſerit etiam continuator Aimoini Floriacenſis; *anno*, inquit, *DCCCLVIII. defuncto Ebroino antiſtite & Abbate, ſucceſſit Hilduinus ſecundus in abbatiæ regimine, cujus temporibus ſanctorum martyrum Georgii, & Aurelii corpora à duobus monachis eccleſiæ ſancti Germani delata Corduba in præfato cœnobio ſancti Pontificis ſunt condita.* Hiſtoria hujus tranſlationis ſcripta eſt ab Aimoino, non illo quidem, qui Floriacenſis monachus fuit, quique hiſtoriam Francorum ſcripſit: ſed ab Aimoino monacho ſancti Germani, de quo plura paulo poſt dicemus. Habenturque acta tranſlationis in actis Benedictinis. Statim à principio hujus tranſlationis auctor meminit Hilduini Abbatis. *Agente*, inquit, *Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti annorum curſu octingenteſimo quinquageſimo octavo, regni vero Caroli glorioſi HLudovici Imperatoris filii, duodevigeſimo, ſanctorum martyrum corpora Georgii, atque Aurelii educta Cordubâ memorabili ordine Galliis ſunt invecta. Nam apud monaſterium ſanctæ Crucis, beatique Vincentii martyris, ubi pretioſus Confeſſor Dei ſanctus Germanus Pariſiorum Pontifex virtutum fulget honore, pervulgatum eſt quod ejuſdem ſancti martyris & levitæ corpus à Valentia, in qua paſſus eſt, civitate facile poſſet haberi, propter videlicet miſerabilem ipſius civitatis à Sarracenis vel Mauris factam deſolationem: ex quo prædicti monaſterii noſtri fratres, cum favore & animo domni Abbatis Hilduini ſecundi ordinant, regali etiam auctoritate percepta, quos illuc dirigerent, anhelantes tantum, tamque diu deſideratum pignus ad ſe Chriſto largiente tranſponere.* Adventus ſanctorum martyrum gratus tum populo Pariſienſi, tum monachis ſancti Germani fuit, in partem lætitiæ venit ipſe Rex Carolus, gaudio ſingulari afficiebatur, cum videret renaſcentem ſua ætate veterum Chriſtianorum priſcorumque martyrum fidem, quorum corpora è longinquis allata provinciis auro gemmiſque ipſis cariora habebat. Quin etiam, ut ſuis fidem de martyrio faceret, Mancionem Cordubam miſit, qui rei veritatem in ipſis locis approbavit. Hanc certe gratiam acceptam referimus Uſuardo & Odilardo fide & religione refulgentibus. Uſuardi inprimis nomen celebre ob martyrologium per eccleſias pervulgatum: quamobrem de eo ejuſque opere pauca ſubjiciam.

Sæcul. 4. part. 2. pag. 46.

IV. Uſuardum auctorem martyrologii monachum, ac preſbyterum fuiſſe haud dubium eſt. Ipſe in martyrologii prologo id profitetur, *Domino*, inquit, *Regum piiſſimo Carolo Vſuardus indignus ſacerdos ac monachus.* Cujus vero monaſterii aſceta ſit controverſia eſt. Trithemius hunc Fuldenſem monachum fuiſſe ſcribit, & anno DCCXXC. floruiſſe: ſed litem dirimit, præfatio quædam

martyrologii in vetutiſſimis membranis, ante annos ferme D C C. deſcripta ad cujus calcem habentur hæc eadem manu eodemque exarata calamo. *Explicit prologus Vſuardi monachi ſancti Germani Pariſienſis.* Quæ quidem vocabula rubrica, non ut ſuperiora attramento notata ſunt; teſtaturque Breulius, quod in ipſis membranis ſua manu ſcriptum eſſe voluit, ſe præfationem hanc à viro doctiſſimo Petro Pithœo accepiſſe, eoque libentius, quod ea detracta videretur ex vetuſtiſſimo bibliothecæ monaſterii ſancti Germani manuſcripto codice. Adde quod in antiquiſſimo necrologio hujus monaſterii, ubi ſunt *Nomina de congregatione ſancti Germani qui obierunt à tempore domni Lantfredi Abbatis uſque nunc* id eſt uſque ad tempora Caroli calvi, quo necrologium deſcriptum eſt, notatur dies obitus Uſuardi Idibus Januarii, idque majoribus litteris, quoniam erat preſbyter, ut in præfatione ad Regem Carolum legitur. Alia vero controverſia eſt de tempore quo Uſuardus martyrologium ſcripſit, & cui ex Regibus Francorum nuncupavit. Sigebertus juſſu Caroli-magni manum ad ſcribendum admoviſſe narrat in opuſculo de ſcriptoribus eccleſiaſticis. *Huſuardus monachus provocatus ſtudio Hieronymi & Bedæ, qui feſtivitates ſanctorum annuatim recurrentes partim annotaverant; maxime autem animatus ſtudio Caroli-magni, cui diſplicebat quod Hieronymus & Beda ſtudentes nimis brevitati, prætererant plura neceſſaria, & quam plures Kalendarum dies intactos reliquerant, in gratiam ejus ſtuduit opus imperfectum ſupplere, & feſtivitates ſanctorum per ſingulos Calendarum dies annotans integrum martyrologium effecit.* Præclare quidem Sigebertus de Uſuardi martyrologio, quæ ferme de ejus prologo deſcripſit: ſi tamen hoc excipias, quod aſſerit martyrologium juſſu Caroli-magni ſcriptum fuiſſe. Sigebertum deinde ſecuti ſunt doctiſſimi viri Molanus, Baronius, & Sirmondus, aliique quam plurimi. Communis enim receptaque hæc omnium opinio fuit; donec Hadrianus Valeſius vir acutæ mentis & reconditæ ſcientiæ errorem animadvertit, & ut eſt diligentiſſimus Gallicanæ antiquitatis exactor emendavit: ille annotat errorem fluxiſſe ex corrupta præfatione codicum aliquot cujus titulus eſt. *Domino Regum piiſſimo Carolo Aug. Vſuardus indignus ſacerdos ac monachus perennem in Chriſto coronam.* Ex hoc titulo Sigebertus, Molanus, aliique, qui eum ſecuti ſunt cum Caroli Auguſti nomen adverterent, protinus exiſtimarunt de Carolo-magno Imperatore ſermonem eſſe, cum ille imperium & nomen Auguſti diutius retinuiſſet: & Carolus qui calvus dictus eſt ſecundo Imperii anno mortem oppetiiſſet. Verum in vetuſtiſſimo bibliothecæ ſancti Germani codice præfatio ſic habet. *Domino venerabiliter recolendo Karolo Regum piiſſimo Huſuardus quamquam indignus ſacerdos, & monachus præſentem poſteritatem, & æternæ beatitudinis gloriam.* Eſt & alter codex, etſi non illius ætatis vetus tamen, qui hunc habet titulum *Domino venerabiliter recolendo Regum piiſſimo Karolo Vſuardus indignus ſacerdos & monachus perennem in Chriſto coronam.* In neutro Carolus nuncupatur Auguſtus, ſed tantummodo Rex piiſſimus. Neque quis dixerit nuncupatum Carolo-magno antequam Auguſti nomen & Imperatoris aſſumpſiſſet, neque enim in præfatione quidquam reperias quod ad iſtius Principis magnitudinem & victorias ſpectet. Sed quod Uſuardus monachus monaſterii ſancti Germani & auctor fuerit martyrologii & vixerit ætate Caroli-calvi, haud dubium eſt ex his non modo, quæ ſuperius retulimus, ſed & ex bis quæ modo referemus. Aimoinus ipſe monachus cœnobii ſancti Germani in actis SS. Georgii, Aurelii, & Nataliæ meminit Uſuardi monachi illius, ut ſupra memoratum eſt, ibique eum ſingulari in exiſtimatione fuiſſe ex hoc colligas, quod illum Aimoinus patrem Uſuardum appellet, & quod ſuſceperit iter ad colligendas ſancti Vincentii reliquias, quod inſignis pietatis teſtimonium eſt. Præterea Uſuardus prætet Hieronymum, Bedam, Florum quoque nominat, quorum ſit ſecutus veſtigia, hocque in præfatione ipſe profitetur. *Præterea*, inquit, *& venerabilium Hieronymi, ſcilicet, ac Bedæ presbyterorum, piis quamvis ſuccinctis ſuper hoc provocabar deſcriptis, quorum prior brevitati ſtudens, alter vero quam plures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus operis prætermiſſe neceſſaria: quos tamen ſecutus, cenſui & Flori memorabi-*

LIB. VII. CAP. VIII.

Sigebert. de ſcriptor. eccleſ.

lis viri latiora jam in eo ipſo negotio ſequi veſtigia præſertim in ſecundo ejuſdem libro. Quis vero fuerit Florus ex Vvandalberti præfatione in ſuum martyrologium facile diſces? Florum enim ait fuiſſe virum ſanctum & nominatiſſimum Lugdunenſis Eccleſiæ ſubdiaconum, *qui*, ut inquit, *noſtro tempore revera ſingulari ſtudio & aſſiduitate in divinæ ſcripturæ ſcientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia & veritate cognoſcitur abundare. Ab hoc ergo ſumptis veteribus emendatiſque codicibus martyrologicum librum à Kalendis Ianuariis ad finem anni, per dierum ſingulorum occurrentes feſtivitates metro edidi, præmiſſa, ut congrue exiſtimavi invocatione ad Deum, allocutione ad omnes qui forte erunt lectores, commendatione ad te operis hortatorem & ad Cæſarem benigniſſimum Lotharium* &c. Ex quibus ediſcimus Florum fuiſſe æqualem Vvandalberti qui metrice martyrologium ſcripſit anno DCCCXLII. quique mortuus eſt anno DCCCLV. ut Bollandus in prolegomenis ad menſem Januarium oſtendit. Ex ætate Vvandalberti ætatem Flori æſtimes, qui cum eo ſub Lothario & Carolo-calvo Rege floruit. Ipſe autem Florus auctarium martyrologii Bedæ ſcripſit, quod Henſchenius reperit, præfixitque tomo ſecundo menſis Martii. Hujus auctarii meminit Ado, ſe ſcilicet ait adſcribendum accinctum *ex imperio, ac juſſione ſanctorum virorum, ut supplerentur dies, qui abſque nominibus martyrum in martyrologio (quod venerabilis Flori ſtudio, in labore domni Bedæ accreverat) tantum notati erant.* Ex his omnibus intelligis & Florum ſcripſiſſe martyrologium, ſeu auctarium martyrologii Bedæ, & eum ſub principatu Lotharii, atque adeo Caroli-calvi vixiſſe. Quamobrem oportet, ut Uſuardus, aut illis æqualis fuerit, aut ſuppar, cum ipſe Florum laudet in prologo, unde demum certo colligas Uſuardum non Caroli-magni, ſed Caroli-calvi temporibus opus illud ſuum confeciſſe. Sed quod certum indicium eſt, eum & hac Caroli-calvi ætate animum appuliſſe ad ſcribendum, & ipſummet antequam ſcriberet profectum eſſe in Hiſpaniam ad colligendas ſanctorum martyrum reliquias; frequens eſt illa commemoratio ſanctorum martyrum hujus provinciæ, qui pro aſſerenda Dei religione his in locis gladium Sarracenorum crudeliter experti ſunt. Valeſius eos recenſet *xv. Kalend. Maii* *In defenſ. part. poſter.* *Cordubæ SS. Heliæ presbyteri, Pauli & Iſidori monachorum. Kalend. Maii Cordubæ ſancti Perfecti presbyteri & martyris. III. Nonas Iunii civitate Corduba S. Iſaac monachi, qui cum eſſet annorum XXVII. gladio pro fide Chriſti necatus eſt. VII. Idus Iunii Cordubæ SS. Petri presbyteri, Aventii, Ieremiæ, & aliorum trium. Idibus Iunii S. Fandilæ presbyteri, qui apud Cordubam civitatem capite amputato martyrium ſumpſit. XIII. Kalend. Aug. civitate Corduba ſancti Pauli diaconi & martyris. XIII. Kalend. Septemb. civitate Corduba SS. monachorum Leovigildi & Chriſtophori, quorum corpora poſt abſciſſionem capitis igni tradita ſunt. VI. Calend. Septemb. Natalis ſanctorum Georgii diaconi & monachi Aurelii, Felicis, Nataliæ, & Liliofæ &c. XV. Kal. Octob. SS. Fratrum Adulfi & Ioannis, qui apud Cordubam civitatem pro Chriſto coronati ſunt.* Hæc reperiuntur in libris memorialis ſanctorum, quos Eulogius in eorum honorem ſcripſit, qui & ipſe fidem, quam in aliis laudaverat, ſanguine ſuo poſtea magnifice teſtarus eſt circa annum DCCCLIX. Hæc omnia ſanctorum martyrum nomina etiam in antiquiſſimo ſancti Germani codice reperiuntur, quæ ipſe Valeſius contulit, qui quidem Cordubenſes martyres ad finem cujuſque diei deſcriptos reperit, ut pote qui recentiores eſſent, & nuper martyrio defuncti fuerant, cum Uſuardus martyrologium ſcripſit. In editis poſtea martyrologiis inter alias ſanctorum memorias promiſcue poſita ſunt. Unde vero Uſuardo diligens adeo cura texendæ martyrum Cordubenſium memoriæ, qui recens martyrium obierant, niſi peculiari aliquo ſtudio adverſus illos fuiſſet incitatus, acceptique memor beneficii Chriſtianos Cordubenſes uſu litterarum & amicitiæ conſuetudine retinuiſſet. Ex his luce clarius eſt Uſuardum ſub Caroli-calvi floruiſſe principatu. Quid quod Ado Archiepiſcopus Viennenſis, qui ea Caroli-calvi Regis ætate vixit, quique ſcripſit martyrologium; quem complures viri docti Archiepiſcopum Trevirenſem fuiſſe falsò exiſtimant, & Gregorii PP. VII. ætate claruiſſe falsò quoque aſſerunt; Joannis enim octavi Romani Pontificis ætate vixit circa annum DCCCLXXIX.

ad eum enim uſque annum chronicum ſuum perduxit. Ille vero Bedæ & Flori meminit in præfatione, nuſquam vero Uſuardi, cujus quidem feciſſet mentionem, ſi contigiſſet eum ætate præcedere. Cum vero neuter alterum laudet, argumentum eſt neutrum alteri notum fuiſſe, & utrumque eodem ferme tempore manum ad opus ſuum admoviſſe. Uſuardus igitur ſuum martyrologium obtulit Carolo Caroli-magni nepoti, quippe, qui ea ætate ſcriberet, ut pluribus approbatum eſt. Quomodo autem aggreſſus ſit opus, ipſe commemorat. Significaverat Carolus Rex, ut quidquid in eccleſiaſticis libris deſiderari intelligerent, iſtud ſuppleretur. Inprimiſque à Rege admonitus eſt Uſuardus, ut quod in diverſis locis de diverſis ſanctorum memoriis ſparſum eſſet, ipſe colligeret. Eoque lubentius ſuſceptum à ſe laborem teſtatur, quod ſanctus Hieronymus in ſanctorum, quem ſcripſerat, catalogo nimium brevitati ſtuduiſſet, & Beda plures Kalendarum dies intactos reliquiſſet: additque ſe eſſe ſecutum Flori ſubdiaconi Lugdunenſis veſtigia, quippe qui auctaria Bedæ martyrologio adjecerat, ut antea dictum eſt, In eum modum martyrologium Uſuardi confectum eſt: poſtea in ea æſtimatione fuit in Galliis, ut pleriſque Galliarum Eccleſiis uſui eſſet, atque inprimis Eccleſiæ Pariſienſi; quæ eo uti conſuevit, & eo etiam hodie utitur. Hæc pleraque à doctiſſimo Hadriano Valeſio habuimus viro de litteris & de patria optime merito, cujus hiſtoriam Francorum, notitiam Galliarum, diſſertationes, aliaque opera nemo ſatis laudare poſſit. His ita expoſitis redeamus ad hiſtoriam. LIB. VII. CAP. VIII *In defenſ. diſſert. de baſilic.*

V. Hilduinus non longo tempore præfuit monaſterio ſancti Germani, nam Gauzlinum monaſterium ſancti Germani rexiſſe ſancti Germani anno DCCCL. conſtat, extat enim inſtrumentum cujuſdam Brunardi, quo duos manſos donat eccleſiæ beati Germani. Actum *Pariſius* anno regni Caroli x. Calend. Aprilis Abbate Gozlino. Hoc præſule cum Nortmanni ſuo more furerent, & loca circa Pariſios popularent corpus ſancti Germani ad Acmantum allatum eſt, quod ſuperius annotatum, & ex eo loco ad Novigentum villam tranſlatum eſt quæ ad Matronam fluvium poſita eſt, idque liber ſecundus miraculorum ſancti Germani memorat. *Ceterum ut ſit memoria Juſti cum laudibus, ad ea quæ in Novigento villa noſtra ſuper Maternam fluvium ſita, dum ibi moraretur, dumque inde reverteretur facta didicimus... Contigerat ergo terrore paganorum ultra Pariſius, jam & caſtelli Milidonis terminos excurrentium, ſanctiſſimum corpus ab Acmanto, quo nuper delatum abierat, illuc transferri &c.* Ibi pluribus claruit miraculis. Jam compoſitis rebus cum Nortmannis, iiſque de regno pulſis, de corpore ſancti Germani ad ſuum monaſterium referendo actum eſt. Placuit illud primùm navigio impoſitum Luteriam per Matronam Sequanamque devehi. *Venerunt citra Biberis & Sequanæ confluentia portum facientes:* ubi è navi ſanctum corpus ſollemniter ſublatum eſt. Aderat hominum ingens multitudo, in occurſum ſancti corporis ivit Æneas Epiſcopus cum canonicis, qui illud exceperunt cælos hymnis & cantibus pulſantes. *Eductumque ſacratiſſimum corpus è navi, excepimus illud, inquit auctor, multi utriuſque ſexus, & ordinis ibidem congregati, ut mirarentur vix clericos ad eum tollendum accedere poſſe. Nam ex ſus quondam epiſcopii domo canonici primi uti Pontifici aſſiſtentes exceptionis peregere miniſterium.* Sacriſque rite peractis clerici ex baſilica ſancti Petri ſeu ſanctæ Genovefæ virginis feretrum ſuis ſuſceperunt humeris. *Factaque geniculatione, ac oratione Dominica & Miſſa pro univerſis ſollemniter dicta, ex monaſterio ſancti Petri necnon & beatæ Genovefæ virginis religioſe accedentes clerici, eumdem ſequentes ordinem cœperunt ſancto humeris ſuſcepto corpore pſallere hanc antiphonam. Ille eſt Germanus &c.* His ſucceſſerunt monachi Germanenſes, qui proni proruentes in terram ſacra oſſa honore plurimo proſecuti ſunt, erecti deinde ea exrulerunt hymnis & laudibus ſancti Germani memoriam venerantes: licuit adventantibus ex adverſo urbem ſpectare ſeminſtam, disjectas ædes horridi incendii reliquias, quod ſpectaculum dolorem & lachrymas omnibus expreſſit. Tum monachi prorumpere in gemitus & interruptum ſingultibus hunc ſermonem occinere. *Aſpice Domine quia facta eſt deſolata civitas plena divitiis, ſedet in triſtitia domina gentium non eſt*

Acta Bened. ſacul. 3 part. 2.

Lib. 2. mirac ſancti Germ.

qui conſoletur eam, niſi tu Deus noſter. Dum quiſque dolori indulget, perventum eſt ad pratum ubi ſitum eſt monaſterium hora ferme ſexta: quiſque defeſſus itinere & ſolis ardore aduſtus; quartus enim & decimus dies ante Calendas Auguſti agebatur anni DCCCLXIII. depoſitum eſt corpus ſuper tumulum ubi prius jacebat. Poſt aliquot annos reparato monaſterio Carolus Rex cum Regina Richilde, Ingelvvinus Epiſcopus Pariſienſis, Gauzlinus Abbas, aliique præſules & regni optimates eaſdem reliquias in loco ipſius ſepulcri compoſuerunt. Sub eodem Abbate Gauzlino ſeu Gozlino Carolus dato diplomate confirmavit partitionem bonorum, quam olim Hilduinus ſenior ſcripſerat pro monachis ſancti Germani, quædam etiam Rex regia beneficentia contulit. Actum eſt in monaſterio ſancti Dionyſii anno regni ejus XXXII. & in ſucceſſione Lotharii Regis III. hoc ex actis Benedictinis eruimus ſæcul. 3. part. 2.

Præceptum Karoli-calvi pro partitione prædiorum in uſus monachorum cœnobii ſancti Germani.

VI. *IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex. Si ea quæ prædeceſſores noſtri ſuperna dignatione illuminati, ac ſuorum fidelium devotis admonitionibus inſtigati, pro ſtatu & utilitate eccleſiarum ſive ſervorum Dei ſtatuere decreverunt, noſtris confirmamus edictis, hoc nobis proculdubio ad æternam beatitudinem regnique noſtri tutelam profuturum eſſe credimus, atque exinde Deum retributorem in poſterum habere confidimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, ac noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quod vir venerabilis Gozlinus Abba monaſterii almi confeſſoris Chriſti Germani & ſancti Vincentii martyris, necnon & monachi ejuſdem congregationis devotiſſimi oratores noſtri ſuggeſſerunt ſerenitati noſtræ, ut pro Dei amore & futuro ejuſdem congregationis ſuffragio, ne aliqua ſucceſſorum ſuorum negligentia ordo in ea monaſticus futuris temporibus perturbaretur, ut ſæpe manifeſtum eſt contigiſſe, ſuper quaſdam villas neceſſitatis eorum, per propriæ confirmationis præceptum genitoris noſtri HLuduvici ſereniſſimi Auguſti eidem congregationi jam olim deputatas, ſuper alias etiam à memorato fideli noſtro Gozlino Abbate pro eorum ſtipendiis, quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, noſtro conſenſu & auctoritate illis collatas, firmitatis noſtræ præceptum fieri juberemus, per quod tam ea quæ præ manibus habere videbantur, quam etiam ea quæ à noſtra largitate in præſenti illis confirmabantur, firmius ac ſecurius per ſuccedentia tempora tenerent ac poſſiderent. Nos vero neceſſariis eorum petitionibus clementiæ noſtræ aurem accommodantes, veluti poſtulaverunt, fieri adjucavimus, confirmantes eis regali teſtamento has villas, quorum hæc ſunt vocabula: in pago Pariſiaco Antoniacum, & Spinogilum & villulam Caticantum: in Senonico Acmantum: in Milidunenſe Matriolas, quam inclytæ memoriæ avus noſter Carolus ad ligna ſubminiſtranda clementer memorato conſtulerat cœnobio: Novigentum etiam in Meldenſi, & in Pinciacenſi Cellam, quæ dicitur Villaris, & Villam nihilominus ſupra mare, videlicet ad veſtimenta, & calciamenta eorum, & perplures neceſſitates in diverſis monaſterii officinis ſubplendis, dormitorii ſcilicet, cellarii, domus infirmorum, piſcatorum quoque ac pernecеſſaria medicinæ adjumenta; & ad viginti modia ſaponis, picemque emendam, ad vaſa vinaria componenda, & ad ceteras loci neceſſarias utilitates à decano procurandas, & inſuper ad reconcinnandam & recooperiendam domum infirmorum, cellariique & reliquarum officinarum habitacula, ex antiqua conſtitutione decano deputata. Inſuper ad refectiones in dominicis diebus & deputatis ſollemnitatibus ſanctorum fratribus adminiſtrandas. Pro ſtipendiis autem victualibus, quæ eis à parte Abbatis perſolvi debebantur, ſicut in præfato genitoris noſtri præcepto continetur ac noſtro; delegamus eis una cum conſenſu & voluntate memorati Gozlini Abbatis omniumque fratrum ejuſdem congregationis has villas infra ſcriptas, Calau in pago Stampinſe cum integritate & hoſpitiis ſuis quæ ſunt in Alba terra; villulam quoque Rubram in eodem pago, Teodaxium nihilominus in pago Pariſiaco, cum omni integritate; & Banniolum in pago Senonico cum hoſpitiis quæ ſunt in villa quæ vocatur Campiniacus: Cubinium etiam in pago Laumenſi. Acceperunt autem fratres has villas pro modiis*

Digitized by Google

frumenti mille ſexcentis viginti, & pro centum octoginta leguminum modiis, & pro caſei penſis centum ſexaginta & pro modiis viginti adipis, & pro viginti ſextariis butiri, & pro quatuor ſextariis mellis, & duabus ceræ libris omni menſe, pro modiis etiam ſalis centum, & pro braciis viginti per duodecim modia, & pro orto qui tam hieme quam æſtate neceſſarius eis habetur: quoniam hæc omnia ab Abbate minus plene illis perſolverentur. Statuimus quoque ut ex iſtis ſtipendiariis villis per ſuccedentia tempora dormitorium fratrum, & cella novitiorum recooperiatur: reliqua vero cœnobii ædificia de Abbatia reficienda & recooperienda ſunt, exceptis ſupradictis à parte fratrum reemendandis. Vinum autem in potum quotidianum refectionis ex Teodaxio & villanova tam de vineis dominicis, quam paſcionibus fratribus dari cenſuimus. Sin autem ex eiſdem vineis ad numerum duum millium modiorum non pervenerit, tunc idem numerus ex reliquiis Abbatiæ villis, in fratrum & hoſpitum uſus in refectorio edentium juxta veterem conſuetudinem ab Abbate compleatur. Duobus etiam fratribus in eadem villa nova laborantibus, quæ dari ibidem conſuetudo fuit, dentur & torcularia juxta ſolitum reemendentur, & vaſa vinaria præparentur vinumque ex more ad monaſterium deferatur. Vineas quoque in ſæpefata villa defiximus ab eiſdem excoli & vindemiari, à quibus olim culti fuerunt & vindemiati, ſive ſint indominicati, ſive in beneficium quibuſlibet dati. De melle quinetiam carrada una ex modiis octo cum ſolita cera ſicut in villa Lucarias perſolvitur, uſibus fratrum ab Abbate tribuatur. Prædia denique bonorum hominum largitione ſibi donata una cum clauſo ſecus monaſterium ſito eiſdem fratribus ſtabili jure conceſſimus. Refectiones denique Miſſa ſancti Germani v. Kalend. Iunii, & dedicatione Eccleſiæ, vel anniverſario Childeberti Regis, & feſtivitate ſancti Vincentii, Cena Domini ſeu vigilia ſancti Paſchæ, & de volatilibus cum pulpaſtis in Natale Domini tribus diebus, & in Paſcha ſimiliter tribus, irrefragabiliter eis ab Abbate miniſtrari ſufficienter decrevimus. Karitates etiam in eiſdem feſtivitatibus ex antiquo more bis ipſis à parte Abbatis dentur. De ſupradictis vero villis ſtatuimus, illis in reliquis Nativitatis Domini & Paſchæ diebus volatilia cum pulpaſtis à decano ſubminiſtrari, excepto quod theſaurario & aliis miniſterialibus facere conſtitutum eſt. Item ordinamus ipſis alias refectiones à decano præberi, videlicet de Calan in feſtivitate Tranſlationis ſancti Germani, & de Theodaxio in ſollemnitate ſancti Dionyſii. Præterea decrevimus, ut de villa quæ vocatur Boſpatium in pago Laudunenſi, quam eiſdem fratribus per regiæ auctoritatis præceptum, ad locum refugii, pietatis noſtræ clementia miſericorditer contulerat in Idib. Iunii quando Deus nos naſci in mundo voluit & v I I I. Idib. Iunii quando Rex Regum nos ungi in Regem ſua dignatione diſpoſuit, refectio eis à decano ſpecialiter exhibeatur: quæ commemoratio poſt obitum noſtrum in depoſitionis diem, cum me Dominus viam univerſæ carnis ingredi juſſerit convertatur. Omnes igitur has villas in hoc noſtro præcepto ſuperius nominatas cum eccleſiis & appendiciis ſuis, cum reditibus ac mancipiis, cum precariis ſeu beneficiis exinde datis, cumque omnibus ad ſe pertinentibus, ipſius congregationis fratribus ad multiplices eorum neceſſitates ſupplendas, regali auctoritate per noſtræ auctoritatis præceptum ſtabili ac perpetuo jure concedimus atque firmamus, præcipientes regia poteſtate & per ſanctam & inviolabilem Trinitatem atque examen tremendi judicii, Angelorumque, ac ſanctorum omnium reverentiam conjurantes, ut nemo Abbatum per ſucceſſiones, quod noſtro roboratum eſt edicto ſubtrahere vel minuere audeat, aut ad uſus ſuos retorqueat, vel alicui quiddam in beneficium inde tribuat; ſed neque ſervitia ex eis exactet, vel paraveredos aut expenſas ad ſuas vel ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat, ſive manſionaticos inde exigat, ſicut nec conſuetudinis umquam fuit. Supra ſcripta autem ad centum viginti monachorum ſunt ordinata, ex quo nil umquam cuiquam Abbatum licebit ſubtrahere: augere vero, ſi forte voluerit, multiplicatis ad uſum eorum opibus accumulentur divini ſervitii cultores. Qui vero noſtro tempore noſtram confirmationem violare voluerit, à Deo cujus extitit contemptor, pœnis æternalibus ſe damnandum cognoſcat. Ad corroborandum etiam noſtræ celſitudinis præceptum ſuper eodem privilegium Epiſcopale per ſemet à cunctis Eccleſiæ filiis æternaliter obſervandum fieri ac firmari decrevimus. Et ut hæc auctoritas quam ob Dei amorem, & remedium animæ noſtræ ſtatuimus atque roboravimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulſa perdurare queat, manus noſtræ con-

ſcriptione eam ſubter firmavimus & de anulo noſtro ſigillari juſſimus. Signum Karoli glorioſiſſimi Regis Gammo Notarius ad vicem Gozleni recognovit. Data XII. Kalend. Maii. Indictione v. anno XXXII. regnante Karolo glorioſiſſimo Rege & in ſucceſſione H Lotharii Regis III. Actum monaſterio ſancti Dionyſii in Dei nomine feliciter. Amen.

VII. Hoc præceptum integrum deſcripſi ut quiſque intelligeret, quæ fuerit ordinatio rei monaſticæ in monaſterio ſancti Germani tempore Caroli-calvi, ut Decanus loco Abbatis id ſæpe gubernaret, quæ fuerit bonotum portio, quæ ad monachos ſpectabat, & quæ in alimoniam monachorum numero centum & viginti ſufficeret; hæc aliaque quiſlibet cognoſcere & annotare poteſt. Ad alia convertamus orationem.

CAPUT IX.

De cauſa Hincmari Laudunenſis Epiſcopi in pluribus Synodis pertractata. De Concilio Duziacenſi, ubi Hincmarus junior condemnatus eſt. De Nortmannis pretio è Francia pulſis. De morte Lotharii Regis & ejus hæreditate ſuſcepta à Carolo-calvo.

I. CUM magnis partium ſtudiis diſſidia inter avunculum Hincmatum Remenſem Archiepiſcopum, & Hincmatum Laudunenſem Epiſcopum illius ex ſorore nepotem agitata ſint, & his diſcutiendis Epiſcopi Pariſienſes Æneas & Ingeluvinus operam etiàm ſuam cum aliis pluribus Epiſcopis, præſtiterint, ea me modo memorare oportet. Hincmarus Laudunenſis à puero matre orbatus ab avunculo Hincmaro Remenſi Pontifice ſuſceptus eſt: & in Eccleſia Remenſi inter illius Eccleſiæ clericos innutritus, & ut erant illa tempora; litteris ſacris profaniſque imbutus; cumque jam maturus annis videretur, accidit ut Pardulus Laudunenſis Epiſcopus moreretur, & vidua Eccleſia Epiſcopum deſideraret. Cumque id temporis Hincmarus Remenſis gratia plurimum apud Regem valeret, & apud clericos auctoritate, facile illi fuit cathedram Laudunenſem Hincmaro nepoti aſſerere: pergratum præterea fuit eumdem adjunctis ſibi provinciæ Epiſcopis ordinare; in eum modum Hincmarus creatus eſt Epiſcopus Laudunenſis. In eo deinde loco edito conſtitutus Hincmarus ille nepos, haud bene memor beneficiorum, quæ ab avunculo acceperat, cœpit eum deſpicere, ejus contemnere conſilia, ſuoque ſe regere arbitrio, ratus non ſe ea ætate eſſe eaque dignitate, ut jugum acciperet, quod vel juvenilibus annis ægre ſubierat; ea res inprimis cauſa fuit diſſidiorum, quæ poſtea contigerunt. Nam primùm occulte & clanculum ſeri cœptæ ſunt ſimultates, tum aperta flagrare odia, adeo ut contentiones ad Concilia & Pontificum judicia traherentur. Diſſidiis locum præbuit Carolus Rex. Cum forte Lauduni verſaretur, apud eum Luidonis Laudunenſis Archidiaconi filius conqueritur, quod Hincmarus illius Eccleſiæ Epiſcopus beneficium, quod ab eo acceperat per vim ſuſtuliſſet. Quod vehementer Regis animum commovit, qui eum propterea verbis aſperis objurgavit, & ad ſæculare judicium illum vocavit. Verum Epiſcopus neque ipſe, neque per advocatum judicio aſtitit, canonibus & regulis Eccleſiæ contrarium id eſſe dictitans. Rex nihilominus bona Epiſcopi proſcribit, prohibetque ne quis

debitæ

debitæ ſervitutis ei obſequium deferat. Id Epiſcopus Laudunenſis avunculo Re- LIB VII.
menſi Archiepiſcopo ſignificat. Hic defendere jura pontificum & Eccleſiarum, CAP. IX.
& Regem dicto & ſcripto admonere, ne tantum præjudicium Epiſcopalis di-
gnitas, & univerſa Eceleſia patiatur; Cumque ſenior Hincmarus Piſtas uſque
Regem ſecutus eſſet, obtinuit, ut nepos in poſſeſſionem bonorum, quibus exutus
fuerat, rediret: donec omnia legitimo judicio definirentur. Aliæ deinde rixarum
cauſæ ortæ ſunt ex Nortmanno Comite. Hincmarus junior Pauliacum villam ſibi
nuper à Rege reſtitutam, reſque alias Regi volens conceſſerat, ut ea Nort-
manno in beneficium daret: mutata deinde voluntate Pauliacum repetit, &
recuſantem reddere, vi cogit; ſtipatus enim hominum ſatellitio ad villam pro-
perat, invadit domum Nortmanni, in qua ægra ex partu jacebat uxor. Amal-
bertum quoque expulit ex beneficio, quod illi jam antea juſſu Regis reſtituerat,
alios ſimiliter tumultus concivit, quos omnes ſigillatim enumerare longum eſt,
quibus Regis animum vehementer offendit. Cum res in eo eſſent ſtatu Rex Hinc-
marum ad ſe advocat, mittit deinde plures Comites, qui abnuentem venire ad
ſe pertraherent. Ille ad aras tamquam ad aſylum fugit, cumque nihilominus ul-
terius Comites pergerent, prohibuerunt Epiſcopi, qui forte aderant, ne vis
baſilicis fieret. Rex, cum neque eo modo frangere contumaciam Pontificis poſ-
ſet, apud Vermeriam Synodum indicit ad VIII. Calend. Maias anno DCCCLXIX.
Interim Hincmarus qua erat audacia complures perperam excommunicationis
gladio perimere, immo nec Regi parcere, quod facinus atrox omnibus viſum
eſt, quodque Hincmarus his acerbis vocibus condemnat. *Tu autem ante inau-* Hincm.
ditam excommunicationem in meos & multorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Epiſt. 9.
*parochianos, ſed & in ipſum Regem, ſine mea conſcientia contra ſacras regulas ja-
culaſti: unde multos ſcandalizaſti; & maximum ſcandalum non ſolum Eccleſiæ ſed &
Regi & regno intuliſti.* Ceterum ad Vermerienſem Synodum procurantibus, ut
exiſtimo, Epiſcopis Hincmarus junior venit, baud pauci adfuerunt Epiſcopi,
aderatque inprimis Æneas Pariſienſis Epiſcopus. Patres audaciam Hincmari
Laudunenſis haud tulerunt, prope erat, ut ab omnibus condemnaretur, cum
judicium cluſit appellatione ad ſedem apoſtolicam, ut tamen Romam iret non
obtinuit. Jam tum Hincmarus Remenſis in nepotem ob plures cauſas infenſo
erat animo, præter ea quæ ſimultatibus & odiis materiam privatim paraverant:
quædam amplius Hincmarus prave à nepote facta conquerebatur, atque inpri-
mis, quod ſine ſua & provincialium conſcientia adminiſtrationem in palatio
cepiſſet, eamque geſſiſſet contra ſuam voluntatem. Abbatiam ſimiliter rece-
piſſet in aliena provincia, in qua ſæpe illi immorari contigerat, etiam à Metro-
politano non facta ſibi diſcedendi ab Eccleſia poteſtate, quod canonibus &
ſanctorum Patrum decretis adverſari contendit. Quod ſemel & bis vocatus ad
ordinationem Epiſcopi Cameracenſis, neque adfuiſſet, neque ſui conſenſus lit-
teras miliſſet. Quod regis animum multiplici ratione exacerbaſſet, quod ſuperius
dictum eſt. Quod contra leges Eccleſiæ adverſus homines alterius parochiæ &
provinciæ ſine ulla ſuorum Pontificum conſcientia excommunicationis pœnam
ſanxiſſet. Quod omnes pariter ſuæ Eccleſiæ preſbyteros, omnes & commini-
ſtros una eademque excommunicatione illigaſſet & ab officio hac graviſſima
animadverſione ſubtraxiſſet, adeo ut nemo tota parochia ſacra faceret, nemo
ſalutari baptiſmo tingeret parvulos, nemo pœnitentes expiaret, morientibus
ſubveniret nemo, nullus ex clericis ſepeliendis mortuis operam & obſequium
præſtaret. Quod cum res Laudunenſis eccleſiæ in eo ſtatu verſarentur, & his
malis mederi vellet, ipſe metropolitanus Epiſcopus non auditus ſit, atque ille
ſapientiſſimis monitis parere neglexerit. Quod idem ſe poteſtati Metropolitæ
ſubtrahere multis artibus molitus ſit, & hos conatus & libello defendere fue-
rit aggreſſus. Multa inſuper alia Hincmarus Remenſis de nepote acerrime cri-
minatur, quæ continentur longâ illâ epiſtolâ, quam Hincmarus ſenior ſcrip-
ſit, & quam fere integram Flodoardus tranſſcripſit, in ea ipſe memorat om-
nia rixarum, odiorumque argumenta, reprehenditque multa ſui nepotis faci-
nora, quæ præter canones, præter jus æquumque præſtitit, quæ ſi quis omnia

 ſigillatim addiſcere velit, conſulat illam epiſtolam, quam etiam habes in operibus Hincmari, quæque ejus epiſtolarum trigeſima quinta eſt. Propoſitum enim mihi eſt non ſingula litis capita referre: ſed tantummodo memorare Synodos, in quibus de hac contentione actum eſt, & quibus Pariſienſes Epiſcopi interfuerunt; & quæcumque his Synodis illuſtrandis neceſſaria fuerint.

II. Cum in dies odia creſcerent adverſus Laudunenſem Epiſcopum, neque ille reſipiſceret, Rex Synodum habuit ex decem provinciis apud Attiniacum villam regiam. In ea Synodo Laudunenſis Hincmarus, ut iterum judicium evaderet, hanc artem commentus eſt, libellum Synodo obtulit, quo fidelem ſe Regi domino ſuo, & obedientem fore pollicitus eſt, & pariter Hincmaro Metropolitano Remenſis Eccleſiæ ex ſanctis canonibus pariturum ſe profeſſus eſt. Hunc poſtea libellum & auctoritate, Regis & artibus ſenioris Hincmari fraudulenter ereptum aiebat, cum vero ſuper alia cauſæ ſuæ capita premeretur in Synodo, & judices accepiſſet Actardum nempe, Ragenelmum, & Joannem Epiſcopos, ante Synodi definitionem noctu fuga lapſus exceſſit, miſitque ad Epiſcopos Pittacium, quo poſcebat ſibi fieri poteſtatem Romam eundi; nondum Laudunenſis Hincmari cauſa in eo Concilio finita eſt; complures Epiſcopi huic Synodo aſſederunt; inter quos Æneam adſtitiſſe acta Synodi Duziacenſis comprobant. Synodus apud Attiniacum habita eſt anno DCCCLXX. In dies malum ingraveſcebat. Jam primum Laudunenſis Hincmarus ad Hadrianum PP. litteras graviſſimas, & acerbiſſimas querelas latenter miſerat inprimis adverſus Regem, quem reum faciebat ob invaſionem bonorum Eccleſiaſticorum. Hincmarum pariter Remenſem accuſabat, quod nimio plus abblandiretur Regi, cujus partes in ea foveret contentione. Reſcripſit Hadrianus PP. ad Regem, admonetque, ne bona Eccleſiæ Laudunenſis invadat, eadem via ad Hincmarum Remenſem acerbas litteras mittit, condemnatque, quod patiatur res Laudunenſis Eccleſiæ diſtrahi, præcipitque, ut arceat à communione Nortmannum, & Laudunenſem Epiſcopum vindicet ab injuria. His Regis animus graviter offenſus eſt: moleſte ferebat nuncios ſe inſcio ab Hincmaro Romam miſſos, & adverſum ſe factam apud Romanum Pontificem expoſtulationem. Laudunenſis magno ſtrepitu appellationem ad ſummum Pontificem jactabat, neque proficiſcendi Romam copiam fieri publice querebatur. Rex itaque & Hincmarus Remenſis, ad quos negotium iſtud maxime ſpectabat, cauſam Laudunenſis Epiſcopi Synodo penitus definire ſtatuunt. Appellationem quidem ad ſummum Pontificem rite fieri haud inficias ibant, verum in provinciis prius de cauſa pronunciatum eſſe volebant, neque admitti appellationem niſi poſt judicium. Duziaci igitur quæ villa eſt Remenſis parochiæ Synodum indicit; huc Carolini regni Epiſcopi magno numero properant; habentur hujus Concilii acta ferme integra. Ingelvvinus Epiſcopus Pariſienſis, qui Æneæ ſucceſſerat, Synodo interfuit & ipſe quemadmodum & alii Epiſcopi ſententiam condemnationis adverſus Laudunenſem Hincmarum pronunciavit. Quomodo autem in ea Synodo pertractata ſint breviter hic commemorare oportet.

III. Acta exordium habent à proclamatione Regis, cujus tria priora capita deſunt & initium quarti capitis. In eo quod ſupereſt fragmento Rex conqueritur, quod Hincmarus Laudunenſis ſe apud Hadrianum PP. ut diſtractorem bonorum Eccleſiæ calumniatus eſſet; donatum quidem eſſe Nortmannum beneficio Eccleſiæ Laudunenſis, ſed hoc antea ſibi aiebat eſſe conceſſum ab Hincmaro, quod prolatis tabulis, & ipſa illius ſubſcriptione Rex approbabat. Et iterum graviſſime Rex offendebatur, quod Hincmarus miſiſſet ad ſummum Pontificem nuncios, quibus effecit ut Hadrianus acerbe ad ſe ſcriberet. Cap. v. Rex de fuga ejus ab Attiniacenſi Synodo loquitur, & conqueritur quod juſſus venire ad ſe febri ſe vexatum dixiſſet, & eodem tempore rogaſſet, ut ſibi eundi Romam facultatem faceret, voti exolvendi gratia, expoſtulatque, quod qui non valeret ad ſe venire, Romam ire poſſet. Addit inſuper Hincmarum ſæpius à ſe viſum, & nihil de itinere Romam faciendo uſquam locutum eſſe. Eumdem Epiſcopum Rex arguit, quod ſubditos qui fidem violaverant, quoſque per

LIB VII. CAP. IX.

Comites ſuos comprehendi juſſerat, ipſe cum armatis hominibus, & liberis & ſervis prohibuerit, ne Comites regia exequerentur mandata; & ſimul quod per regias litteras pro more convocato Concilio etiam vocatus à Metropolitano venire abnuerit. Sequitur deinde expoſtulatio Hincmari Remenſis adverſus eumdem Hincmarum Laudunenſem, cui præfigitur præfatio in qua dicit ad ſe ſcriptum ab Hadriano PP. ut habeat Synodum ad corrigenda vitia ſuæ provinciæ: vocatum à ſe Laudunenſem Epiſcopum, qui adeſſe neglexerit, & ſi is ſit ſuæ provinciæ Epiſcopus, & ratione municipii Laudunenſis ſuæ ipſi parochiæ ſubjectus. Sequuntur deinde varia ſuæ expoſtulationis capita. Primo, & ſecundo capite Laudunenſem Epiſcopum carpit, quod ceperit adminiſtrationem in palatio contra Metropolitani voluntatem; ac deinde quod in provincia per aliquot annos tenuerit Abbatiam, ad quam ſæpius perrexerit ſine Metropolitani licentia. Tertio capite eumdem arguit, quod ſemel & iterum vocatus ad ordinationem Joannis Epiſcopi Cameracenſis, neque ipſe venerit, neque per vicariam perſonam, neque per litteras conſenſum miſerit. IV. capite conqueritur idem Archiepiſcopus, quod cum exortæ eſſent plures inter Regem & ipſum querelarum cauſæ vocatus ad Pontigonenſe palatium, ut finirentur ex ſententia Epiſcoporum, haud tamen ipſe, neque alius ejus nomine adfuerit; quæ cauſa adverſus Regem offenſionis ſit. Addebat deinde Hincmarus Remenſis nepotem egiſſe cum Lothario Rege de deſerenda ſua Eccleſia, & recipiendis in ejus regno honoribus, reprehendebat eum inprimis, ut antea dictum eſt, quod communione privaverit alienos parochianos neque convictos, neque confeſſos, ſed nec regulariter commonitos. Cap. V. eumdem arguit, quod ſine conſenſu Epiſcoporum ſuæ provinciæ excommunicaverit preſbyteros, & miniſtros ſuæ Eccleſiæ, adeo ut nemo tota parochia miſſam celebraret &c. Cap. VI. quod Laudunenſis Epiſcopus prohibuiſſet, ne quis vel in mortis periculo infantes baptiſmo ablueret. Cap. VII. quod neque permiſerit vel pœnitentiam, vel viaticum dari morientibus. Cap. VIII. quod & ipſis mortuis negaverit ſepulturam. Cap. IX. quod audire neglexerit Metropolitanum recta ſuadentem. Cap. X. quod nulla ſui Metropolitani habita ratione, ex judicio ſolummodo Vvenilonis Rotomagenſis Archiepiſcopi, & Æneæ Pariſienſis Epiſcopi ſacramenti profeſſionem Regi edidiſſet. Cap. XI. Quod ſui purgandi gratia collectionem canonum inconcinne & perverſe feciſſet, cui inconſulto Metropolitano quaſi publico alicui documento ſubſcripſiſſet, & à ſuis preſbyteris ſubſcriptum eſſe voluiſſet. Cap. XII. quod admonitus, quod inordinate acta corrigeret admonitiones nihili feciſſet. Cap. XIII. quod cum in Attiniacenſi Synodo beneficia his, quibus abſtulerat reddere juberetur, noctu à Synodo ante definitionem diſceſſiſſet. Cap. XIV. Hincmarus Remenſis reſpondet his, quibus ſuam fugam tuebatur. In cap. XV. De cauſa Nortmanni agitur, quem Remenſis Archiepiſcopus juſſus fuerat excommunicare & excommunicaſſet, niſi aliunde conſtitiſſet ad petitionem Chonradi & Rodolfi villam Pauliacum Regi ab Epiſcopo Laudunenſi conceſſam, quam Rex Nortmanno in beneficium tradidiſſet. XVI. cap. quod falsò conqueſtus ſit ſe prohibitum, quominus Romam proficiſceretur. XVII. cap. Cum vero Laudunenſis Epiſcopus pittaciolum miſiſſet ad Remenſem Hincmarum, quo dicebat à Romano Pontifice ſe vocatum. Hincmarus Remenſis reſpondit nihil de ea re ſe audiviſſe à Laudunenſi Epiſcopo eo præſertim tempore, quo crederet ſibi Epiſcopos placabiles fore; addebatque nuſquam prohibitum, quominus Romam iret. XVIII. Laudunenſem Epiſcopum reprehendit, quod ad ſe miſerit ſchedulam falsò adſcriptam Synodo apud Tuſſiacum, de qua nihil alias auditum eſt, & cujus ſuſcriptiones falſæ. XIX. Hincmarus Laudunenſis poſt duos menſes, quam ſe ſubſtraxit ex Synodo Attiniacenſi, & cauſam ſuſtulit ex judicio ſacerdotum, hanc judicio laicorum permiſit, quod eſt contra regulas Eccleſiæ: neque licitum eſt à majori tribunali ad minus cauſam pertrahere, neque ab eccleſiaſticis judicibus ad laicos tranſire, neque ad eorum judicium litem traducere. Id vero Hincmarus Remenſis in nepote reprehendit. XX. caput continet epiſtolas Hincmari Remenſis, quibus Laudunen-

LIB. VII CAP. IX. ſem Hincmarum hortatur, ut ſubſcribat excommunicationi, quam adverſus ſocios Carolomanni filii Caroli Regis tulerat. Ille primum clericus, tum cum perdita juvenum manu ſe junxerat, multaque damna intulerat provinciæ, ipſumque reprehendit, quod excommunicationi dare conſenſum abouerit. & cap. XXI. oſtendit quod male tueretur hanc ſuam cauſam ex auctoritate Synodi Antiochenæ. XXII. Laudunenſis Epiſcopus teprchendebat Remenſem Archiepiſcopum, quod per ſuum ipſius clericum ſe commonefeciſſet, quod ſi quid monitione dignum haberetur, id agi oporteret in Synodo: quod Carolomanno, cui ab initio Laudunenſis excommunicationem intentaſſet, pacem nihilominus in ſua parochia abſque ſuo cooſenſu dediſſet. Reſpoodet Hincmarus Remenſis cleticos omnes ſuæ provinciæ ſibi quoque, ut Metropolitaoo, ſubjectos eſſe, multas quoque agi cauſas à Metropolitano extra tempus Synodi, cootra Carolomannum intentatam non prolatam excommunicationem, pacemque illi datam coram Epiſcopis & Comitibus, cum de pace regni ſancienda tractaretur. Sed ipſum contumaciter feciſſe, qui ipſum eſſe excommunicatum noluerit, cum à ſe Metropolitano ſenteotia excommuoicationis percuſſus eſt Carolomanous. Cap. XXIII. Laudunenſis Epiſcopus arguerat Remenſem Archiepiſcopum, quod ſui delator proditorque fuiſſet apud Regem, ut cuſtodiæ traderetur, quod prolatis litteris teſtabatur. Cap. XXIV. Remeoſis Hincmarus depellit calumniam ab iis litteris, quas ad Regem ſcripſerat, & teſte ipſo Rege, aliiſque adhibitis teſtibus ad quos litteras miſerat. Cap. XXV. memorat quomodo ſit accuſatus ipſe Remeoſis Archiepiſcopus à Laudunenſi Epiſcopo, quod nihili duceret excommunicationem ſedis apoſtolicæ. Cap. XXVI. Remenſis ſuam de ſede apoſtolica præclare mentem aperit, & de ea magnifice loquitur, hanc magiſtram & matrem omnium eccleſiarum vocat, Romanumque Pontificem Patriarcham Patriarcharum, & Primatem Primatum appellat, aliaque inſuper haud pauca profert, quibus injuriam looge à ſe amovet. Cap. XXVII. Cum Laudunenſis de litteris apoſtolicis multa objiceret. Hincmarus multa ab eo fuiſſe falsò excogitata oſtendit. Cap. XXVIII. accuſatus fuerat Hincmarus nepos, quod ſuæ parochiæ preſbyteros excommunicationi ſubjeciſſet, quod multi infantes ſine baptiſmo propterea obiiſſent, & plures abſque viatico eſſent mortui. Defendebat ſe Laudunenſis Epiſcopus ſui avunculi exemplo, addebat haud improbandam illam excommunicationem à ſede apoſtolica. Id vero Remenſis Hincmarus pernegabat, neque uſquam id probatum iri à Nicolao ſummo Pontifice, ut infantes abſque baptiſmo perirent, & adulti abſque viatico decederent. Deinde cap. XXIX. refellit Hincmarus Remenſis ſuppoſitas recrimioationes, quas illi Laudunenſis objecerat, & quas hic inculcare moleſtum eſt; hocque idem cap. XXX. & XXXI. ad longum memoratur & refutatur. Capite XXXII. refertur rotula Hincmari Laudunenſis in qua legebaotur rationes quibus utebatur ad excuſandas profeſſiones, quas in Attiniacenſi Synodo ſcripſerat, cumque multa huic narrationi falſa intuliſſet. cap. XXXIII. Hincmarus vera rerum commemoratione illum refellit, teſteſque adhibet Odonem Epiſcopum Bellovacenſem, Æneam Pariſienſem Epiſcopum, & Frotharium Burdegalenſem Archiepiſcopum, qui aderant cum profeſſionem Regi & Archiepiſcopo fecit. Quod & capite XXXIV. proſequitur. Ac demum cap. XXXV. eum accuſat, quod tertio vocatus ad Synodum venire abnuat, oſtenditque multos olim ob contumaciam ſacerdotio exutos fuiſſe. Hæc Hincmarus in expoſtulatiooe adverſus nepotem pluribus exequitur, demum Remenſis cooludit Laudunenſem jam ſedem apoſtolicam appellaviſſe, ſed neglexiſſe hanc proſequi quam fecerat appellationem. Jam vero ſi appellet ſic temperandas leges Eccleſiæ, ut *ſedes apoſtolica ſecundum ſacros canones, ut dignum eſt, honoretur, & Epiſcopi pro diſſolutione regularis diſciplinæ redargui non mereantur.*

IV. Sequuntur teſponſa Epiſcoporum, quæ poſt ſpatium aliquot dierum protulerunt, de juramentis, de ſeditione, de pervaſione, quæ Patres contra Laudunenſem collegerant, quæque duodecim capitibus cootineotur, quæ quidem omnia prætereo, quid enim attinet ad hiſtoriam referre ſententias decerptas ex

Patribus, ex Conciliis, & ex codice legum civilium. Poſtea Laudunenſis vocatus eſt ad Synodum, terque admonitus eſt, ut ſe ſiſteret ad judicium, treſque Epiſcopi, tres preſbyteri, totidemque diaconi ad eum miſſi ſunt. Ac primum Hildeboldus Sueſſionenſis Epiſcopus, Adclulfus preſbyter, atque Hadebertus diaconus ad eum delegati ſunt, qui illum nomine Synodi & ſui Metropolitani ad Concilium vocarent. Reſpondit Hincmarus Laudunenſis appellare ſe ſedem apoſtolicam, & quoniam ſecum habebat Haimeradum preſbyterum, & hunc quoque ad Synodum vocaverunt. Cumque nihilominus neuter ad Synodum veniret, ſecundo per Joannem Cameracenſem Epiſcopum, & Vvinefridum preſbyterum, ac Bernonem diaconum idem Laudunenſis Epiſcopus vocatus eſt; ac demum tertio vocatus eſt per Rainelmum Turnacenſem Epiſcopum, Vvanilonem preſbyterum & Bernonem diaconum, quibus tamdem obremperavit. Igitur Hincmarus in Synodum venit: neque tamen Haimeradus preſbyter cum illo Synodo ſe obtulit. Ubi Laudunenſis Epiſcopus coram patribus adſtitit; lecta eſt illi Regis proclamatio, quæ illi inter manus tradita eſt, dataque per Odonem Bellovacenſem Epiſcopum, ut ſingulis capitibus reſponderet: dataque illi epiſtola Hadriani PP. qua eum monebat, ut vora exolveret, quibus ſe aſtrinxerat, & Metropolitano reſponſum daret. Ille vero rotulam obtulit, quam qui miſſi fuerant recipere noluerunt, hortatique ſunt, ut ipſe viva voce accuſationes dilueret. Miſſi poſtero die iterum ſunt, qui eum denuo in Synodum inducerent, ut objectis reſponderet, iidemque qui antea Rainelmus ſcilicet Epiſcopus, Vvanilo preſbyter, & Berno diaconus, ut ipſe eorum quorum accerſebatur rationem redderet; quique illi nunciarent non poſſe induci Patres ad excuſationes legendas, niſi prius verbo ſatisfeciſſet. Tandem XIX. Calend. Auguſt. Indictione 4. Cum Rex ipſe adeſſet Hincmarus Laudunenſis Synodum ipſam ingreſſus eſt: quem Hincmarus Remenſis ſtatim hortatus eſt, ut accuſationibus ſingulis, quas ipſe protulerat adverſus eum reſponderet: cui Laudunenſis Epiſcopus reſpondit ſe rebus omnibus ſpoliatum, ſententias deinde de appellatione Epiſcoporum cœpit legere, cumque juberetur reſpondere, & appellaret, ſi videretur: iterum conqueſtus eſt ſe rebus omnibus ſpoliatum, neque ſe aliud quidquam in Synodo reſponſurum aſſereret. Synodus excepit rogavitque ecquis eum ſpoliaſſet: cumque Laudunenſis Epiſcopus clericos ſuæ parochiæ appellaret, qui id dicerent. Fagenulfum Laudunenſem preſbyterum obteſtati ſunt, ut id renunciaret. Rex ipſe addidit, ſe acturum pro jure & auctoritate ſi exſpoliatorem noſſet. Fagenulfus illico *vos illum expoliaviſtis* Regem allocutus. *Tunc Rex ſurgens Synodo dixit, non dicit iſte frater verum.* Rex deinde pluribus Synodum allocutus oſtendit, quod Hincmarus Laudunenſis vocatus ad Synodum cum facultatibus eccleſiaſticis, vaſis & aliis rebus effugere tentaverit, ſed à ſuis prohibitus ſit, donec tandem ad Synodum venerit: ac deinde probatum eſt coram omnibus ab ipſo ſpoliatum theſaurum eccleſiæ Laudunenſis, atque inprimis crucem auream, quam Hermintrudis Regina eccleſiæ Laudunenſi dederat, & quam coram ipſa Synodo Laudunenſis Epiſcopus è ſuo ſinu producens Irminoni Theſaurario Eccleſiæ Laudunenſis reddidit. Hincmarus Remenſis poſtea Laudunenſem rogavit, ut objectis reſponderet, qui reſpondit, ſe ſedem apoſtolicam appellare, cui Remenſis Hincmarus, nihil eſſe cauſæ, cur ſedem Romanam appellaret, nondum adverſus illum prolato judicio; juſſitque legi epiſtolam Hadriani PP. cujus alias mentio, qua jubebatur Laudunenſis obtemperare ſuo Metropolitano, *ſalvo ſedis apoſtolicæ proclamandæ judicio.* Addidit Laudunenſis non accepturum ſe judicem Hincmarum Remenſem, cujus artibus & conſiliis in cuſtodiam à Rege miſſus ſit, Archiepiſcopus continuo Regem rogavit, ut diceret an arte vel ſuo conſilio cuſtodiri eum juſſiſſet. Ille Deum obteſtatus id omnino pernegavit. Cum Odo & Hildeboldus rogarentur, ut pariter promerent, quidquid ea de re cognoſcerent: teſtati quoque ſunt, id neque hortatu neque conſiliis Hincmari factum eſſe, cum & idipſum alii haud pauci aſſererent: Patres dixerunt non eſſe cauſam, cur judicium Metropolitani rejiceret. Demum Hincmarus ad ſingula juſſus reſpondere, de

violata adverſus Regem fide, de juramento præſtito & profeſſione data Regi, & Metropolitano, quam deinde multis modis corrupiſſet, de rebus Eccleſiæ, quas ſine conſenſu metropolitani Regi conceſſerat, de vi ut rebelles defenderet, de excommunicatione lata in omnes ſuæ parochiæ preſbyteros & miniſtros, nec convictos nec confeſſos, de parvulis præterea ſine baptiſmo morientibus, & aliis ſine viatico decedentibus, de contumacia adverſus Metropolitanum, cum his aliiſque reſpondere, ter interrogatus ab Hincmaro Metropolitano abnuiſſet. Demum ille Patrum rogavit ſententiam. Erant octo Archiepiſcopi & Epiſcopi tredecim & unus Chorepiſcopus, qui dixerunt ſententiam, dejectumque è cathedra & ſacerdotio pronunciarunt. Extat cum aliis ſententia Ingelvvini Epiſcopi Pariſienſis in hæc verba *Ingelvvinus Pariſiacenſis Epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus in epiſcopali ordine nomine manens, agendo multoties contra ſacras regulas traditionemque majorum, ſicut ex ſuis ſcriptis, ac ſubſcriptionibus, & certiſſimis patet documentis, ſe ab epiſcopalis diſciplinæ ſocietate diſcrevit, & Eccleſiæ ac eccleſiaſticis votis atque Regi & regno, ſæpe ſcandala non mediocriter intulit. Colligat ſui fructum judicii, ſicut Dei metus, & Dei ſapientia per Salomonem præcepit. Ejice, inquiens, deriſorem, & exibit cum eo & jurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ & per ſemetipſum dicat. Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus eradicabitur. Neque enim qui plantat, aut rigat eſt aliquid niſi incrementum det Deus, ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.* Cum alii juxta eadem verba ſententiam dixiſſent. Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, qui judex amovendus erat, ne contra nepotem aſperius diceret ſententiam, judicium protulit, ipſumque epiſcopali honore ac dignitate privatum judicavit; & omni ſacerdotali officio ſpoliatum decrevit: reſervato per omnia juris privilegio domni patris Hadriani apoſtolicæ, ac primæ ſedis Papæ. Huic condemnationi ſubſcripſerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi cum multis preſbyteris & archidiaconis, quorum nomina habentur in ſubſcriptionibus, quæ cuilibet licebit inſpicere in actis Synodi Duziacenſis. Acta deinde Synodi miſſa Romam ad Hadrianum PP. per Actardum Epiſcopum, cum epiſtola ſynodica, & epiſtola Remenſis Archiepiſcopi. Acerbe reſcripſit Hadrianus, ægre ferebat condemnatum Hincmarum Laudunenſem, neque habitam appellationis rationem, quod Regi Carolo & Epiſcopis ſignificavit, jubetque eum cum idoneo accuſatore Romam venire, & vetat ne quis interim Epiſcopus in ejus locum ſufficiatur. Rex litteris Hadriani offenſus eſt, quem poſtea aliis litteris placare ſummus Pontifex ſtuduit. Reſcripſerunt Gallicani Pontifices, & judicium ex ſacris regulis defenderunt. Hincmarus junior pulſus loco cuſtodiæ traditus eſt, & cum necdum quieſceret excæcatus eſt, an juſſu Regis haud dixerim? Sed homo turbulentæ mentis, demum expertus eſt quanto periculo exacerbatur potentiſſimi Principis animus. Poſt mortem Caroli Principis affulſit illi ſors felicior. Joannes enim ſummus Pontifex, quando in Galliis verſabatur petentibus aliquot Epiſcopis, quos miſerrima Hincmari conditio vehementer commoverat, eum in Concilio Trecis habito ab excommunicatione abſolvit, attribuitque illi aliquos redditus ex eccleſia Laudunenſi. Hedenulfus qui poſtea in ejus locum ſubrogatus fuerat in ea cathedra retentus eſt. Sed de his aliàs.

V. Dum hæc in Eccleſia Gallicana geruntur, ſtatus reipublicæ varius fuit. Illicitæ Lotharii nuptiæ cum Valtrada, & divortium cum Theotberga turbas excitabant. Nicolaus PP. eum propterea privaverat communione. Ludovicus & Carolus facinus Lotharii improbabant, ſuadebantque, ut Romam iret, & ejecta pellice in communionem Eccleſiæ rediret. Ratus ille patruos ſuis inhiare provinciis ad Ludovicum Auguſtum ſcribit, ut Nicolai PP. animum ſibi conciliet, & ipſe ſummus Pontifex prohibeat, ne patrui regnum invadant, dum Romam proficiſcitur. Arſenius legatus ſummi Pontificis in Galliam venerat ferens litteras Lothario, excommunicationem illi comminabatur, ſi retinere Valtradam perſiſteret. Theotbergamque illi adduxit diras imprecatus, ſi eam iterum dimitteret. Nortmanni per ea tempora Galliam continua infeſtatione vexabant. Ex iis aliquot Pariſios veniunt, ſed infecta re ad naves redeunt. Quin-

genti poſtea Carnutum uſque progrediuntur. Verum repulſi ſunt à cuſtodibus ripæ fluminis. Nihilo tamen timidiores effecti, XIII. Calend. Novembris monaſterium ſancti Dionyſii invaſerunt, vigintique ferme dies in eo permanſerunt; ac demum in naves, quæ haud procul erant in ſtationem præda onuſti regreſſi ſunt: quod male illis ceſſit. Poſtea namque variis cruciati morbis pœnas ob ſpoliatum monaſterium dederunt. Sequenti anno Nortmanni prætergreſſi Pariſios Melodunum uſque devehuntur. Et his malis acceſſit clades Odonis & Roberti, qui ab iis in fugam conjecti ſunt. Tum Carolus eos pecunia vincere aggreditur, quos ferro non poteſt, conventumque eſt cum his, ut quatuor millia librarum argenti appenderentur. Indicta ob eam cauſam per regnum collatio; exacti de uno quoque manſo ingenuili ſex denarii, de ſervili tres, & de accola unus, & de duobus hoſpitiis unus denarius, & decima de iis quæ negotiatores poſſidebant: neque à collectione immunes preſbyteri, qui pro ratione ſui ſtipendii conferre ſummam coacti ſunt: heribannique ab omnibus Francis exacti ſunt. Cum ea nondum ad conficiendam ſummam ſufficerent, iterum de uno quoque manſo ſeu ingenuili ſeu ſervili denarius exigitur; neque ab exactione regni optimates liberi fuerunt, quiſque etenim pro ratione munerum & honorum quibus perfruebantur ſemel & iterum ſymbolam contulerunt. Quæque fuit noſtratium inertia, ſi quis è Nortmannis à noſtris occiſus eſt, id pretio perſolutum eſt. Nortmanni hac ratione ab inſula Dionyſiana ſeſe in naves ſubduxerunt, & ad Oceanum reverſi ſunt. Carolus interea Piſtis intendebat animum operibus faciendis, ut Nortmannos arceret à navigatione. LIB. VII. CAP. IX. *Annal. Bertin.*

Sed ut ad Lotharium ſermo redeat. Videbatur quidem velle toro Theutbergam reddere, omnes tamen conatus adhibebat, ut eam penitus abjiceret. Mortuo itaque Nicolao viſum eſt illi, hanc Romam mittere, ut apud Hadrianum novum Pontificem ſeipſam inſimularet; atque ſua confeſſione ſuoque teſtimonio ſolveretur conjugium, & Valtrada pro conjuge haberetur. Verum Hadrianus ſubodoratus id quod erat, Theutbergam redire ad virum juſſit. Anno DCCCLXVIII. Hadrianus litteras abſolutionis Valtradæ miſit hac conditione, ut nullo pacto Lothario ſociaretur. Lotharius demum Romam perrexit, & ab Hadriano communionem ſumpſit juratus nulla ſe conjunctum copula cum Valtrada, poſtquam excommunicata à Nicolao ſummo Pontifice eſt, quod ſui pariter omnes juramento teſtati ſunt. Guntharius quoque Epiſcopus auctor divortii inter laicos ad communionem admiſſus eſt. VIII. Idus Auguſti Placentiæ Lotharius in reditu prope exanimis inopinatò corruit, & die poſtero extinguitur. Nonnulli mortem illi præpoſteram contigiſſe ſcripſerunt propter perjurium ante ſummum Pontificem peractum. VI.

Carolo, cum Sylvanectis eſſet, nunciatum eſt Lotharium nepotem mortem oppetiſſe. Ad Attiniacum itaque iter fecit, ut propior regno Lotharii opperiretur, quæ nova rerum mutatio fieret. Lothariani mortuo Rege inter ſe conſulunt quid facto ſit opus; variæ Lotharianorum ſententiæ fuerunt, quidam expectandum rati, donec ab expeditione adverſus Vinedos Ludovicus rediret, quidam cenſebant expetendum ſolummodo Carolum, nemini venit in mentem Ludovicus Imperator frater Lotharii, quem jus naralium ad Lotharii portionem advocabat. Ex Lotharianis plures ad Carolum acceſſerunt, & prout quiſque affectus erat eum adire, alii dicebant expectandum Ludovicum Germaniæ Regem quicum æquis portionibus regnum divideret, pars inclinatior in Carolum ſuadebant, ut Mettas feſtinantius iret, ad quorum ſententiam ultro quiſque acceſſit: primum venit Viridunum, & cum complures Epiſcopi & Comites ſe ejus partibus adjunxiſſent, V. Idus Septemb. Mettis in eccleſia ſancti Stephani Adventus hujus urbis Epiſcopus magna populi frequentia Carolum Regem proclamavit. Rex Carolus promittit inprimis daturum ſe operam, ut cultus & honor Dei integer habeatur, ut Eccleſiis ſua ſanctitas ſit, ſuaque cuſtodiantur privilegia; ſua cuique munera, ſua cuique relicturum officia: omnium ſaluti, pro ut ratio & rerum opportunitas ſuadebit, proviſurum, vel acturum ſe nihil, niſi ex æquo & legibus: ſperare ab iis fidem & obſequium, ut ſubditos decet, VII.

LIB. VII. CAP. IX. prout olim majores ſuis anteceſſoribus præſtiterint. Poſthæc Hincmarus Remenſis poſtulante Epiſcopo Mettenſi populum allocutus eſt, dixitque nemini mirum videri oportere, quod ſe negotiis eccleſiaſticis aliena in provincia ingerat, nihil agere contra ſanctorum Patrum inſtituta, Trevirenſem & Remenſem Eccleſias, arcto amicitiæ vinculo inter ſe ex longa conſuetudine colligatas eſſe, ac perinde atque ſorores atque comprovinciales habitas eſſe, utramque provinciæ Belgicæ accenſeri, Synodalia ſimul exercuiſſe judicia: & ita inter ſe mutuo affectu agere in decretis Patrum cuſtodiendis, ut qui prior ad cathedram ſit evocatus, prior pariter habeatur, nullâ aliâ quam ætatis prærogativâ: aliam deinde eſſe cauſam cur ſic agat, Metropolitanum huic deeſſe provinciæ: admonitum ſe & rogatum à provincialibus, ut rem gereret; addidit factum divino nutu, ut communi omnium conſpiratione Carolus Rex ad nepotis portionem advocaretur, ut diviſum Francorum imperium in unum coaleſceret: & ob eam cauſam ipſe Rex acclamante populo, in ea modo verſaretur baſilica, in qua olim Ludovicus pius Caroli pater factione impiorum hominum è ſolio dejectus, redditus deinde regno in hac ſancti Stephani baſilica iterum Auguſtus ac Imperator ſacro delibutus chriſmate coronatus eſt, morem eſſe ut Reges adepti nova regna, nova quoque inunctione conſecrentur, providendum, ut Carolus, quem Regem omnium vocibus appellaverunt, ſollemni conſecratione ante hoc altare ab Epiſcopis inungatur, & coronam ſollemni ritu accipiat. Quomodo id vobis viſum fuerit, communi omnium applauſu & voce unanimi ſignificate. Tum omnes Regi applaudere, & communi acclamatione Regem appellare. Hymnis deinde baſilica perſonuit, & Carolus à ſacerdotibus inunctus & coronatus eſt. Hanc veterem proclamationem libuit paulo fuſius pertractare, ut lector intelligeret, quæ forma in his ſervaretur.

VIII. Ludovicus Germaniæ Rex audiens occupatum à Carolo, Lotharii regnum, legatos ad eum miſit, qui regnum poſcerent, aut bellum minitarentur. Res Caroli male ſe habebant: incurſionibus barbarorum devaſtatæ erant omnibus vicinæ provinciæ, Comitum & præfectorum fides dubia, & filii Regis ab obſequio longe deficiebant. Huc accedebat recens victoria Ludovici Regis Germaniæ, qui Vinedos bello vicerat. Cum res eſſent in eo ſtatu, maluit Carolus æquis portionibus regnum dividere, quam hac rerum perturbatione belli aleam experiri: diviſum itaque inter Reges regnum eſt, & ſua ſibi cuique portio attributa. Quas quiſque civitates ſortitus ſit annales Bertiniani memorant. Inter hæc legati Roma adveniunt, vetant nomine Hadriani, ne quis regnum Lotharii occupet, eſſe hæreditatem Ludovici Imperatoris, qui regno fraterno ſuccedat, excommunicationemque uſurpantibus minitantur. Quid Carolus reſponderit annales non memorant. Certum eſt tamen haud gratam legationem Carolo fuiſſe, ſed injuriam diſſimulaſſe exiſtimo, & Hadrianum demulcere cœpiſſe, ne quid gravius ageret. Namque legatos cum muneribus Romam miſit, binas ſcilicet coronas aureas cum panno ex auro contexto. Tum Carolomannus filius Caroli Regis Sylvanectis arcta detinebatur cuſtodia, hunc ad legatorum preces pater ſolverat. Ille nihilo ſanior effectus collecta ex perditis hominibus manu Belgicæ provinciæ pagos hoſtiliter deprædari cœpit, multaque his in locis inferre mala. Carolus, ut his malis mederetur, in eos qui Carolomannum ſequerentur agi ab Epiſcopis, & diris eos rite devoveri juſſit, eorum publicari bona, fiſco deinde addici, & conventu habito adverſus eos judicium mortis pronunciari. Carolomannus diaconus erat: hunc judicio Epiſcoporum tradere ſtatuit. Infelix filius dum ſe premi armis paternis videt, & ſe demum ejus arbitrio permiſit, hunc pater in comitatu manere præcipit, & paulo poſt Sylvanectis iterum cuſtodiri. Anno DCCCLXXIII. ex juſſu Regis convenerunt Epiſcopi Sylvanectas, ut de Carolomanno ſtatuerent, & pro auctoritate Epiſcopali ejus cauſam cognoſcerent; adductus ad Synodum Princeps, qui diaconatum ſuſceperat; canonice accuſatus eſt, & rebellionis adverſus Regem, & multorum criminum, quæ eo auctore perpetrata fuerant, & coràm convictus eſt, & ob eam cauſam judicio ſacerdotali ad laicam communionem

redactus

redactus eſt, & à gradu dejectus. Sed neque ille, neque ſcelerati illi nebulones LIB VIII.
impiorum facinorum conſcii ſociique quievere: immo reputantes laicum ad CAP. I.
audendum paratiorem, prava ineunt conſilia, & ejus auſpiciis perturbare
publicam rem aggrediuntur, & iterum miſcere omnia, & inter regni motus
eum ad regnum evehere, rati locum fore ſuæ nequitiæ, ſi regnaret; facta igitur
coitione moliuntur eum è cuſtodia educere. Quæ cum Rex intellexiſſet, è
republica privatiſque commodis eſſe cenſuit mala hæc prævertere. Vocato itaque
Francorum conventu, Carolomannum eorum judicio ſubjicit, perduellionis
reus habetur, & ſecundum leges ſtatuitur judicium, & morti omnium
ſententia addicitur. Verum pater miſeratus juvenis filii ſortem, ne nocere amplius
poſſet erui illi oculos juſſit, quod omnium acclamatione receptum comprobatumque
eſt. Eodem anno Rex Nortmannos prope Andecavos vicit.

Carolus, ut antea dictum eſt, ſæpius in monaſterio Dionyſiano verſari ſolebat: IX.
ita anno DCCCLXXIV. conventum publicum, ſeu placitum ibidem habuit
initio menſis Februarii, & in eodem loco paſcha celebravit, ſequenti
quoque anno Paſcha in eadem baſilica peregit, & ad Duziacum villam venit,
ubi certo comperit Ludovicum Imperatorem mortuum eſſe. Quæ vero mortem
ejus ſecuta ſint, ſequenti libro referemus. Addam & ad calcem hujus capitis
plures Epiſcopos Cabillonum conveniſſe ad ordinationem Adalgiſi Æduorum
Epiſcopi anno DCCCLXXV. qua peracta Epiſcopi, qui plures erant
privilegio monaſterii Tornutienſis ſubſcripſerunt, inter quos Ingilvvinus Pariſiacæ
Eccleſiæ Epiſcopus legitur; quemadmodum & anno DCCCLXXVIII.
cum Joannes PP. VIII. Trecis idem privilegium confirmaret, Ingilvvinus confirmationi
pariter cum aliis Epiſcopis ſubſcripſit. Hoc tibi deſcribimus.

Privilegium Tornutienſis monaſterii.

ANno Incarnationis Domini Ieſu Chriſti DCCCLXXV. regnante piiſſimo X.
*Rege Karolo filio HLudovici quondam ſereniſſimi Auguſti anno XXXVI. factus
eſt in ſuburbio Cabilonenſi ſancti Marcelli conventus venerabilium Epiſcoporum Remigi,
Iſaac, Gerbaldi, & Fulcuardi Archidiaconi ad vicem Lanberti Matiſconenſis
Epiſcopi: cauſa ordinationis Adalgerii Eduorum Epiſcopi. Qua Canonice peracta reſidentibus
nobis, idem Adalgerius ex parte glorioſiſſimi, & orthodoxi ſupradicti Karoli
Regis intulit, ut monaſterium Tornutium, ubi beatus Valerianus martyr corpore quieſcit
in comitatu Cabilonenſi ſuper fluvium Sagonnam, cum omnibus appendiciis ſuis,
& in pago Matiſconenſi cellam ſancti Romani cum omnibus appendiciis ſuis, & in
comitatu Arvernico cellam ſancti Portiani cum omnibus appendiciis ſuis, quæ ipſe
ſolita pietate cauſa confugii, monachis ſanctæ & intemeratæ Dei genitricis Mariæ,
ſanctique Filiberti inclyti confeſſoris, ob vitandam Marchomannicam ſeveritatem
contulerat, ſive quæ ipſe per alia loca, ideſt Aſinarias, quæ eſt in pago Sanctonico,
cum omni ſua integritate: & in Pictavenſi territorio cellam ſancti Prudentii
cum omni ſua integritate, & in pago Andegavenſi Conaltum cum omni ſua integritate,
& in pago Cenomannico Buſſiolum cum omni ſua integritate, & in pago Valagio
cellam, quæ vocatur Godet, quam Deſiderius quidam vir pro remedio animæ
ſuæ ſupradictis ſanctis dederat, ut in monachorum uſibus, & pauperum neceſſitatibus
ſemper deſervirent: privilegio noſtræ auctoritatis, ne ab aliquo tyrannica ereptione
tolleretur, illis confirmaremus, cum omnibus ad ſupradicta loca pertinentibus: ſive quæ
ipſe per quæcumque loca præcepto ſuo, aut aliquis fidelium dederat, vel ſi Deo propitiante
in reliquum ipſe, aut quicumque daturus fuerit; quo decreti noſtri ſcriptum apoſtolica
poteſtas excellentia ſuæ auctoritatis roborare valeret. Cujus piiſſimo mandato eo
libentius ceſſimus, quo etiam nos idipſum precaturos perſpeximus amplius. Auctoritate
ergo, quam à Chriſto Ieſu Domino noſtro ſummo ſacerdote in beato Petro accepimus,
prædictum monaſterium cum omnibus habitis & habituris, Geiloni venerabili Abbati
ſanctæ genitricis Dei, & ſupradictis ſanctis futuriſque poſt eum Abbatibus, ad monaſticum
ordinem inibi Deo adjuvante excolendum delegamus & delegantes jubente
domno noſtro piiſſimo Rege inviolabiliter & inſeparabiliter, ſine detractione, vel qua-*

libet minoratione perpetualiter confirmamus. Abbates vero ex ſeipſis ſecundum regulam ſancti benedicti ſicut à piiſſimo domno noſtro Rege noſtro Karolo glorioſiſſimo & prædeceſſoribus ejus uſque nunc licentiam habuerunt, ita & in antea ut perpetualiter eligant, inviolabiliter decernimus. Si quis autem temeraria præſumptione, cæcaque cupiditate, quod Dei æterna & noſtra auctoritate firmamus in aliquo infringere præſumpſerit, æterna ſe ſciens damnatione multandum à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ habeatur extorris, quoadusque ab illicita præſumptione reſipiſcens, condigna pœnitentia & emendatione iram omnipotentis Dei, quam incurrere non timuit placare procuret. Harum itaque ſanctionum evidentiſſimam confirmationem, manibus ſacrorum præſentium Pontificum ſupternotatam, abſentium quoque conſacerdotum nec minus idoneis ſtipulationibus, per Chriſtum & in Chriſto fulciri poſtulamus. Subſcripſerunt plures Epiſcopi. Remigius ſcilicet Lugdunenſis Archiepiſcopus. Adalgarius Æduenſis Epiſcopus. Iſaac Lingonenſis Epiſcopus. Gerbardus Cabilonenſis Epiſcopus. Ado Viennenſis Archiepiſcopus. Theodericus Veſontionenſis Archiepiſcopus. Frotarius Burdegalenſis Archiepiſcopus. Hincinarus Remorum Archiepiſcopus. Giſlebertus Carnutenſis Epiſcopus. Anſegiſus Senonum Archiepiſcopus. Sigebodus Narbonenſis Epiſcopus. Aurelianus Lugdunenſis Archiepiſcopus. Lanbertus Matiſconenſis Epiſcopus. Ratbertus Valen. Epiſcopus. Gibertus Nemauſenſis. Bernarius Gratianopolitanus Epiſcopus. Theotarius Gerundenſis Epiſcopus. Vvido Vellavorum Epiſcopus. Frodoinus Barchinonenſis Epiſcopus. Aganulfus Gabalenſis Epiſcopus. Guilhelmus Cadurcenſis Epiſcopus. Abbo Magalon. Epiſcopus. Rodſteignus Arelatenſis. Etherius Albieuſis Epiſcopus. Ledoinus Maſſilienſis Epiſcopus. Vvalterus Aurelianenſis. Adaloldus Archiepiſcopus Turonenſis Berno Catalaunenſis Epiſcopus. Hildeboldus Sueſſionenſis Epiſcopus. Ratfridus Avinianenſis Epiſcopus. Aurelius Dienſis Epiſcopus. Ottulfus Trecenſis. Geroldus Ambianenſis. Hincmarus Laudunenſis. Hedenulfus Lugduni Clavati Epiſcopus. Joannes Cameracenſis. Ragenelmus Tornacenſis. Hildebertus Silvanectenſis. Alaricus Biterrenſis. Abbo Nivernenſis. Agilmarus Arvernenſium præſul, Ingilvvinus Pariſiacæ Eccleſiæ Epiſcopus. Guido Lugdunenſis Archiepiſcopus. Ericus Lingonenſis. Rotmundus Æduenſis. Ildebodus Cabillonenſis Epiſcopus.

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

De Carolo-calvo qui Romæ Imperator proclamatus eſt poſt mortem Ludovici Imperatoris. De Synodo Pontigonenſi, ubi de primatu Anſegiſi Archiepiſcopi Senonenſis. De morte Ludovici Regis Germaniæ. De clade Caroli-calvi ad Andrnacum. De conventu apud Cariſiacum, ubi Ingelvvini Pariſienſis Epiſcopi honorifica mentio eſt. De profectione Caroli Regis in Italiam. De ejus morte & ejus præceptis.

CAROLINUM imperium, quòd in exitium ruere cœperat, ſeu poſteriorum principum inteſtinis odus, ſeu populorum profligatis moribus, qui dum domeſtica bella ſæviunt imperium detrectare & agere vitam, pro ut libido & flagitium quemque raperent in præceps, his poſterioribus Caroli-calvi temporibus, quaſi movere humeros, ac velut priſtinum Francorum ſplendorem recipere viſum eſt. Carolus enim, qui calvus dictus eſt, ſuis provinciis Lothariani regni magnam partem adjecerat: tum mortuo nepote Ludovico ipſum Italiæ principatum, aſſumptis imperii inſignibus aſſecutus eſt. Sed hæc velut fatiſcentis hominis ultimi vanique conatus extiterunt; quod quomodo actum ſit paucis expedio. Poſtquam Hadrianus PP. anno DCCCLXXII. obiit & in ejus locum Joannes Archidiaconus ſuffectus eſt. Ludovicus Imperator haud plures annos ſupervixit, anno enim DCCCLXXIV. è vita deceſſit; quod ubi Carolo nunciatum eſt, ſtatim ille cogitare de regno Italiæ recipiendo. In Duciaco villa tum verſabatur, unde ad Pontigonem cito perrexit: mandatque Epiſcopis & Comitibus aliiſque, qui re & opera ſua adjuvare conſilia poterant; ut ad ſe ſine mora veniant, neque abnuant ſibi ferre ſuppetias: uſus deinde celeritate Lingonas advenit, in eoque loco collectis copiis Italiam verſus iter facere inſtituit. Verum nequid novi in Galliis interim fieret, Ludovicum filium Regem creat, I.

LIB. VIII. CAP. I.

& Lotharianæ parti, quam acquiſierat præficit. His ita ordinatis Alpes ſuperat, & Italiam ingreditur. Ludovicus Germaniæ Rex interea non quieſcebat, fraternæ æmulus gloriæ Carolum filium cum exercitu in Italiam miſit, ut fratris auſis adverſaretur. Carolus Rex obviam factus illum repetere Germaniam compulit. Neque tamen ab incœpto Ludovicus deſtitie, alterum enim filium Carolomannum cum validioribus copiis in Italiam miſit. Neque Carolus his pariter territus obviam illi progreſſus eſt: Carolomannus patruo viribus inferior, cum illo congredi non eſt auſus, maluitque pacem cum illo paciſci, quam cum periculo vitæ & famæ diſpendio dimicare; data itaque fide in Germaniam & ipſe regreſſus eſt. Hæc annales Bertiniani. Verum auctor annalium Fuldenſium odio exitiabili in Carolum, qnem Galliæ tyrannum vocat, rem aliter narrat, ſcribit enim Carolomannum à patruo pecunia & muneribus victum abſtinuiſſe à bello & cum eo fœdus pepigiſſe. Ludovicus nihilominus Rhenum trajicit, & provincias Galliæ populat, & ad Attiniacum uſque pervenit. Carolus interea receptis pleriſque Italiæ primoribus Romam XVI. Calend. Januarias ingreſſus eſt, & à Joanne PP. ſollemniter in eccleſia beati Petri ſuſceptus eſt: die vero Natali Domini oblatis beato Petro muneribus unctus & coronatus eſt Imperator Romanorum. Hanc proclamationem accidiſſe ferunt annales Bertiniani anno DCCCLXXVI. ſi nempe, ut ſolebant, initium anni computes à Nativitate Domini. Carolus Roma profectus Ticinum venit, celebravitque Synodum menſe Februario & frequenti Synodo ejus electio confirmata eſt: alteram quoque Synodum habuit ad Pontigonem villam regiam. Sita eſt in pago Partenſi ad fluvium, qui haud procul à Victoriaco in Matronam devolvitur, huc Epiſcopi è Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neuſtria, ac Provincia convenerunt. Ingelvvinus Epiſcopus Pariſienſis Synodo adfuit & ſubſcripſit; quæ vero in ea acta ſint paucis memorabo. Huic quoque Synodo adfuit Joannes Tuſcanenſis Epiſcopus, legatus ſummi Pontificis. Undecimo Calend. Julii, quo die primùm in unum convenerunt Epiſcopi, is legit coram Synodo litteras Joannis PP. de primatu Anſegiſi Archiepiſcopi Senonenſis, quibus ſummus Pontifex decernebat, ut quoties exigeret utilitas Eccleſiæ, ſeu Synodus vocanda, ſeu alia contingerent negotia, in Gallia & Germania vices ageret ſummi Pontificis, ipſe decreta Synodorum ſignificaret, & ipſe ad eum referret, quæ geſta eſſent, & idem ad ſummum Pontificem referret majora negotia, & quæcumque ab eo ordinanda eſſent. Haud grata hæc Epiſcopis fuerunt; petierunt ſummi Pontificis à ſe legi litteras: prohibuit Imperator qui & ipſe Synodo aderat: Quæſivitque, quid de litteris apoſtolicis Epiſcopi cenſerent; reſponderunt parituros ſe mandatis apoſtolicis ſervato jure Metropolitanorum, & juxta canones & decreta ſummorum Pontificum. Frotarius Epiſcopus Burdigalenſis, qui deinde ad Bituricenſem cathedram tranſlatus eſt, dixit ſe facturum id quod lubitum Imperatori. Tum Imperator juſſit Anſegiſum ante omnes Epiſcopos, vel Archiepiſcopos, vel qui eum ordinatione præirent, ſedere, Hincmarus Archiepiſcopus id fieri contra canones palam conqueſtus eſt. Imperator in ſententia permanſit, & Epiſcopis exemplar litterarum petentibus denegavit, ſic ea die ſoluta Synodus. Decimo Calend. Julii altera ſeſſio celebrata eſt. Præter epiſtolas miſſas à Joanne PP. ad laicos lecta ſunt acta electionis Imperatoris, & ejus confirmatio ab Epiſcopis Italiæ peracta & canones Ticinenſis Synodi, ab Epiſcopis recepti confirmatique ſunt. V. Nonas Julii, auditæ ſunt cauſæ multorum ex diverſis provinciis preſbyterorum, & finitæ. Quarto Nonas ejuſdem menſis auditi Oratores Ludovici Germaniæ Regis, qui Ludovici Imperatoris hæreditatem poſcebant. Joannes Tuſcanenſis Epiſcopus legit epiſtolam Joannis PP. ad Epiſcopos Germaniæ, quam Vviliberto Archiepiſcopo alteri ex legatis dedit. Sexto Idus Julii Leo Epiſcopus & apocriſarius, atque nepos Joannis PP. Petrus Foriſempronii Epiſcopus à ſummo Pontifice novi legati advenerunt cum ejus litteris ad Carolum Imperatorem & Auguſtam ejus uxorem. Quarto Idus Julii lecta in Synodo eſt condemnatio Formoſi Epiſcopi cum ejus ſociis, oblataque munera ſunt Imperatori, quæ illi

Joannes PP. miſerat, ſceptrum ſcilicet & baculus aureus, & Auguſtæ pallia, armillæ cum gemmis. Pridie Id. Julii lecta deprimatu Anſegiſi Epiſtola, pollicitique ſunt Epiſcopi more majorum ſuorum ſe obedituros. Poſt aliquot cauſas presbyterorum lecta proclamatio Frotarii Epiſcopi, qui poſcebat ut, propter barbarorum infeſtationem, ſibi liceret Bituricenſem cathedram occupare, ſed unanimiter Epiſcopi refragati ſunt. XVII. Calend. Auguſt. conveniunt Epiſcopi & circa horam nonam Imperator more Græcorum Imperatorum indutus cum legatis apoſtolicæ ſedis Synodum ingreſſus eſt. Poſtquam quædam capitula lecta ſunt, quæ à populo haud approbata, & de primatu Anſegiſi habita quæſtio: ſed nihil aliud de ea re, quam antea, definitum eſt. Demum Petrus Foriſempronii & Joannes Tuſcanenſis Richildim Auguſtam coronatam ad Synodum adduxerunt, actiſque ſummo Pontifici gratiis Imperatori & Auguſtæ ſoluta eſt Synodus. In ea vero confirmata ſunt decreta XV. Concilii Ticinenſis, & repetita ipſa Imperatoris Caroli electio. Synodo Pontigonenſi ſubſcripſerunt præter duos legatos Joannem ſcilicet Tuſcanenſem, & Joannem Aretinum ſeptem Archiepiſcopi, Epiſcopi tres & quadraginta quorum nomina deſcripta ſunt in collectione Conciliorum inter quos Ingelvvinus Epiſcopus Pariſienſis reperitur, hujus Synodi apud veteres mentio eſt: ſed inprimis in chronico ſancti Petri vivi quod habetur in ſecundo Spicilegio. *Obtinuit Domnus Anſegiſus archiepiſcopus Senonenſis à beatiſſimo Ioanne PP. & à Carolo Auguſto, ut eſſet primus poſt PP. & teneret primatum totius Galliæ & Germaniæ, & fortiora quæque, & graviora dijudicaret, Synodumque evocaret, ſi quælibet inſurrexerint, cunctique ei obediant Galliæ & Germaniæ Epiſcopi, ſicut Epiſcopo Romano. Voluit autem ei reſiſtere Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, ſed minime potuit convictus apoſtolica auctoritate: ſuo enim tempore eccleſia Senonica magno & pacifico viguit honore.* LIB VIII. CAP. I.

Anſegiſus miſſus fuerat Romam à Carolo poſt mortem Ludovici Imperatoris, II.
& tantum effecit apud Joannem PP. ut Carolus diceretur Imperator, ille accepti memor beneficii obtinuit, ut contra morem Galliarum Primas à Joanne PP. novo inſtituto crearetur: de eo negotio ad Pontigonenſe Concilium relatum eſt, moleſte id tulerunt Epiſcopi, cum nec refragari ſummo Pontifici vellent, nec Imperatorem offendere, paſſi ſunt quidem Anſegiſum Primatem proclamari, & frui ſedendi prærogativa, hæc tamen ſalvo Metropolitanorum jure, & ſalva canonum, & eccleſiaſticorum decretorum auctoritate, quibus antiqua eccleſiæ Gallicanæ jura ſarta tectaque eſſe exiſtimabant. Olim quidem meminerant noſtri Gallicani Pontifices vicariatus Arelatenſis, legationis Bonifacii Epiſcopi Moguntini, & primatus Drogonis Mettenſis. Sed cum vicariatus ille Arelatenſis nullius in his citerioris Galliæ provinciis ponderis & auctoritatis fuiſſet, & legatio Bonifacii brevioris fuiſſet temporis, & Drogonis primatus plus habuiſſet honoris, quam poteſtatis, vix patiebantur aliquem Metropolitanum nova inuſitataque ratione ſuper alios extolli, cum inter ſe pari honorum & poteſtatis prærogativa frui antea ſoliti fuiſſent, nec niſi ætatis jure ſedendi honorem acciperent. Hincmarum inprimis nova hæc inſtitutio perculit, neque ſolùm obloqui contra præſente Synodo auſus eſt; ſed etiam ſcripto defendere Metropolitanorum auctoritatem ex Eccleſiæ ſtatutis, & ſummorum Pontificum decretis. Extat ea de re commentarius, quem cuique legere integrum eſt. Ob eam, puto, cauſam, ab eo exactum eſt novum juramentum, quod ad calcem Synodi Pontigonenſis legitur, & in operibus Hincmari cum ejuſdem animadverſione in hocce ſacramentum, cum enim id à ſe præſertim exigi cerneret, poſtquam ſuo juramento ſe aſtrinxit, ſcripto in illud animadvertere inſtituit, & ſingula ejus membra carpere, & nota inurere ac demum teſtari id fieri contra canones & contra conſuetudinem. *Sine cauſa*, inquit, *animus benignitatis veſtræ commotus, nunc à me requirit, quod nec pater veſter in vita ſua, qui mihi per octo circiter annos ſecreta ſua indubitanter credidit, requiſivit, nec vos per triginta & ſex annos hactenus requiſiſtis.* Ex quibus verbis colligo ab eo tantum non ab aliis exactum eſſe. Eum vero primatum uni Anſegiſo datum exiſtimant, immo poſt mortem Caroli Imperatoris extinctum arbitrantur, neque ejus ſucceſſori-

LIB VIII. CAP. I. bus fuiſſe conceſſum. Certe hoc licet elicere ex reſcripto Joannis PP. quo illum in Gallia & Germania Primatem creat; quod his verbis ſummus Pontifex ſignificat. *Talem illum quippe agnovimus, talemque circa ſedem apoſtolicam devotum, & in commiſſo fidelem reperimus, ut merito ei talia committi poſſe ducamus; pro ſua ſcilicet ſanctitate, & fidei merito, atque divinitus ſapientiæ dono conceſſo.* Neque in his, neque in aliis epiſtolæ locis, ulla ſucceſſorum ejus mentio eſt, neque honos ille Senonenſi Eccleſiæ tributus legitur; ita quoque in actis Pontigonenſis Synodi cernimus à Joanne PP. vices Anſegiſo delegatas, ipſum vicarium ſanctæ ſedis vocitari, & de ejus primatu haberi ſermonem: verum idem privilegium Senonenſis Eccleſiæ Epiſcopis ſervatum eſſe haud deprehendimus; & anno DCCCLXXVIII. in Concilio Tricaſſino, quod ipſe Joannes PP. convocavit, & ubi ipſe præſedit, allocutioni ſummi Pontificis præſente Anſegiſo Hincmarus vice totius Synodi reſpondit, & Hincmarus poſt Joannem PP. & ejus legatos ante Anſegiſum Synodi decretis pariter ſubſcripſit. Huc adde, quod ipſe Joannes eodem anno reſcribens ad quinque Archiepiſcopos Gallicanos, Hincmarum primo loco vocat, deinde Anſegiſum. Senonenſes nihilominus Archiepiſcopi hanc primatus dignitatem retinere ſtuduerunt; adeo ut ejus Eccleſiæ auctores dixerint, non ſolum Anſegiſo, ſed ſuis etiam ſucceſſoribus privilegium fuiſſe datum, quod Odorannus in chronico aſſerit: ſic enim in Synodo Pontigonenſi de Anſegiſo decretum ait. *Et ut ipſe primatum teneat Galliæ & Germaniæ decernimus, & ſancimus, cunctique ejus ſucceſſores, ut in propria urbe Senonica.* Quæ & habet Clarius in chronico ſancti Petri vivi, quæ neque in reſcripto Joannis PP. neque in ſincerioribus actis Synodi Pontigonenſis reperiuntur. Succeſſores tamen Anſegiſi, qui proxime ſecuti ſunt, jus Primatis ſibi tribuiſſe non invenimus. Archambaldus quidem Senonenſis Archiepiſcopus in Synodo pagi Meldenſis cauſam Hugonis cum Remenſis provinciæ Epiſcopis cognovit. Hic olim dejectus è ſede Remenſi poſt mortem Artaldi Epiſcopi reſtitui ſe poſcebat. Quo jure, inquies, extra provinciæ Remenſis cauſam hanc tractabat. Quia nimirum vicinior Remenſi provinciæ Senonia erat, & Metropolitani cauſa agebatur: huic Synodo aderant Epiſcopi Remenſis provinciæ ad quos maxime iſtud negotium ſpectabat, qui rem definiri cupiebant à præſide Archiepiſcopo vicino & coram alterius provinciæ Epiſcopis, ut judicium plus haberet roboris & auctoritatis, neque in ea cauſa egiſſe jure primatus ullo argumento probes; ſane de hocce primatu nihil ſcriptum, nihil auditum reperias, uſque ad annum DCCCCXCII. quo tempore Sevinus Archiepiſcopatum Senonenſem gerebat, qui à Joanne XV. PP. obtinuit, ut vices ejus in Galliis ageret; quo privilegio uſus eſt in Synodo Remenſi, quando Arnulfum depoſuit, & in ejus locum Gerbertum ſubrogavit. Quapropter Gerbertus hæc nomine Epiſcoporum ad ſummum Pontificem ſcribebat. *Certe Sevinus venerabilis vir, Senonenſium Archiepiſcopus domni Ioannis Papæ vices per Galliam ſibi creditas innovavit, & ita à latere Apoſtolici, cum decreto veniens, ejus vices uſque in præſens omnium Epiſcoporum Galliæ conſenſu proſecutus eſt.* Ex quibus intelligo tum innovatum Archiepiſcopi Senonenſis vicariatum ſeu primatum. Hoc ipſum monachus Autiſſiodorenſis memorat his verbis. *Hic etiam Sevinus Romæ per manum Ioannis PP. Archiepiſcopale pallium, quo anteceſſores ejus infulati ſunt, & primatum Galliæ ſuſcepit.* Ejus poſtea ſucceſſor Leothericus, qui ex Archidiacono Senonenſis Eccleſiæ ad cathedram hujus civitatis fuerat evocatus, cum complures malevoli homines ejus electioni adverſarentur Romam properavit, & à Gerberto, qui Silveſter PP. II. dicebatur, non modo confirmationem ſedis accepit, ſed etiam totius Galliæ primatum, quod Clarius in chronico

Spicileg. 2. ſancti Petri vivi ſcribit. *Anno milleſimo inquit adclamante clero & populo electus eſt in epiſcopatu domnus Leothericus ipſius Eccleſiæ Archidiaconus, cui reſiſtebant plurimi clericorum cupientes epiſcopium: qua de re Romam adiit Gerbertum Papam, qui & Silveſter dictus eſt, cujuſque diſcipulus in Remenſium urbe fuerat juvenis. Quem ille gratanter recepit cum benedictione apoſtolica remiſit, & totius Galliæ primatum dedit.* Ita itemtidem Senonenſes Archiepiſcopi ſolebant ſui primatus jura renovare,

receptis novis à ſummis Pontificibus epiſtolis. Hæc vero dignitas, quam ſibi Senonenſis Archiepiſcopus tribuebat, aliis metropolitanis æmulationem peperit, & præcipue Lugdunenſi Epiſcopo, qui antiquitate & nobilitate ſuæ civitatis, & eccleſiæ jura ſua tuebatur. Gibuinus igitur Lugdunenſis Archiepiſcopus à Gregorio VII. decretum obtinuit anno VI. ejus pontificatus, quo primatus in quatuor Lugdunenſes ſibi ſuiſque ſucceſſoribus aſſertus eſt. Richerius tunc intercedere, neque primatum Lugdunenſem agnoſcere, ut pote qui ſederet in cathedra, cui longe antea aſſerta, confirmataque multorum ſummorum Pontificum litteris primatus amplitudo. Cum inter has duas ſedes contentio exardeſceret, cauſa demum ad Synodum Claromontanam allata eſt, & judice Urbano PP. II. definita. Statutum, ut Archiepiſcopus Lugdunenſis jure primatus frueretur: Richerius qui parere abnuebat pallii privilegio decidit, vetitumque ne eum ſui agnoſcerent Epiſcopi, donec judicio acquieſceret. Richerio Dumbertus ſucceſſit, quem Hugo Lugdunenſis prohibuit ordinari à provincialibus, ille Romam profectus, ab Urbano II. ordinatus eſt, pollicituſque eſt agniturum, ſe jura Eccleſiæ Lugdunenſis, pariturumque ſe hujus Eccleſiæ Pontifici ut Primati. Hæc paucis de primatu Senonenſis Eccleſiæ, qui primum conceſſus Anſegiſo, & poſtea multorum cauſa jurgiorum extitit, multaſque lites excitavit, quæ etiam nondum ſedatæ ſunt, ut contendunt ii, qui pro primatu Senonenſi ſcripſerunt, quos ſuper hoc argumento conſulere oportet, legenda quoque eruditiſſima diſſertatio Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi qui fuſe hoc negotium pertractavit. Mihi & inſtitutis meis ſufficit rem paucis attigiſſe.

Soluta Synodo Pontigonenſi Imperator Catalaunos venit, & XIX. Septembris Remos perrexit, ac deinde miſſis ad Ludovicum legatis, ad Cariſiacum profectus eſt, quo in loco illi renunciatum eſt ejus fratrem Ludovicum Regem Germaniæ oppetiiſſe mortem, & poſtero die in monaſterio ſancti Nazarii ſepultum, tunc illi uti tempore propoſitum eſt, verſus Rhenum ire cœpit, Coloniamque ingredi; tum Ludovicus illi ex fratre nepos, cum Saxonibus & Thuringis, ne quid novi in Germania moveret, obviam illi progredi, legatoſque ad patruum mittere, ejuſque amicitiam pluribus flagitare. Imperator nihil motus preces ejus ſpernere. Ludovicus & jure petitionum, & copiarum audacia excitatus Rhenum ad Andrnacum trajicit, quod ubi Imperatori nunciatum eſt, ſtatim adverſus eum movere caſtra, & ſub ſpecie pacis mala tegere conſilia, intempeſta enim nocte ordinata acie adverſus Ludovicum impetum fecit. Juveni haud defuit animus: diſpoſitis enim quantum per tempus licuit copiis fortiter ſuſtinere impetum, conſertaque manu irruentem hoſtem frangere, ſumptiſque ex ſucceſſu animis fugare Carolinos & præclaram victoriam obtinere. In eum modum Carolus ambiens aliena fuſo cæſoque exercitu vix ſalvus evaſit. Hanc cladem accepit Imperator Nonis Octobris anno DCCCLXXVI. Res deinde Caroli penitus collapſæ ſunt urgente fato familiæ Caroli-magni, quæ ad ſummum olim evecta faſtigium cadere demum & ruere penitus cœpit, quæ viciſſitudo rerum humanarum eſt, quibus id autem acciderit caſibus paucis proſequendum eſt. Carolus accepta hac clade ad Antennacum, quo uxor Richildis fugerat, venit. Hæc territa Imperatoris victoriâ Ludovici, & conjugis fugâ peperit filium, qui à Boſone fratre Richildis ex fonte ſacro exceptus Carolus appellatus eſt, & paulo poſt extinctus, ac demum in baſilica ſancti Dionyſii ſepultus eſt. Anno DCCCLXXVII. legati à Joanne PP. ad Carolum Imperatorem venerunt Petrus Foriſempronii Epiſcopus & Petrus Senogalliæ. Carolum pluribus obteſtati ſunt, ut Romam veniret, ut eam à Sarracenorum incurſionibus defenderet. Annuit Carolus poſtulatis. Nulla igitur mora nequid novi ſe abſente moveretur rem ordinare prius ſtatuit; convocat ob eam cauſam conventum ad Cariſiacum villam ex Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, aliiſque regni proceribus. Sed quoniam in eo honorifica mentio eſt Ingelvvini Pariſienſis Epiſcopi, multaque ad rectam regni adminiſtrationem in eo præclare conſtituta ſunt; de eo paulo accuratius nobis agendum eſt. Hocque primum annotandum eſt, quod pleriſque capitulis pro- III.

LIB. VIII. CAP. I. ceres optimateſque regni reſponderint, eorumque reſponſio capitulis ſubſcripta ſit.

IV. Primum capitulum eſt de honore & cultu Deo deferendo, de protectione & tuitione Eccleſiarum, ut reipublicæ adminiſtratores curam gerant, & hæc præcipue conſervet filius Ludovicus; quod capitulum ab omnibus approbatum eſt. II. Carolus Rex Imperator monaſterium Compendii extruxerat in honorem beatæ Virginis, quod modo ſancti Cornelii monaſterium dicunt, multiſque redditibus & latifundiis dotaverat; quin & ipſam urbem magnificis operibus ornaverat, quam & Carlopolim vocitavit. Hoc igitur ſecundo capitulo ſtatuit, ut monaſterium Compendii conſtructum honoretur, ſuiſque gaudeat privilegiis, & ſuum decretum ab omnibus cuſtodiatur, & à filio [illegible]o firmetur: cui capitulo omnes quoque aſſenſi ſunt. III. capitulo Rex petit, ut ipſi eligant eos, qui ſe conſilio & opera in hoc itinere adjuvent. Reſpondent proceres regni tuitionem, & filii cuſtodiam, in ejus voluntate ſitam eſſe. IV. capitulo. Rex inquirit qua poſſit ratione ſe abſente regni incolumitatem, filii, ſubditorumque fidem aſſerere. Reſpondent proceres id poſitum in ſua voluntate, ut filium his, quibus velit imbuat documentis, ea eſſe ætate, ut nullius deinceps, niſi patris monita recipiat, quod ad ſe pertinet multis argumentis eorum approbatam fidem, & ſæpius juramento confirmatam, quam quiſquis violaverit per ſe non ſtare, quominus id ex auctoritate & conſuetudine emendet. V. capitulum eſt in gratiam Richildis uxoris ſuæ, cui multa in beneficium tribuerat, quæ omnia & à filio & ab his qui aderant poſcit confirmari. Honorifice reſpondent proceres, filium & ſe, ut juſſerit, facturos. VI. capitulo de filiabus ſtatuit, atque inprimis de parvula, ne præter matris voluntatem matrimonio jungatur, aut velamen accipiat. VII. Timebat Imperator ne dum Romam proficiſcitur nepotes regnum ſuum invaderent, aut iter impedirent. Reſpondent penes ejus arbitrium eligendi, qui maneant ad regni defenſionem & quos abducat, qui eum comitentur. VIII. Quærit quid facto ſit opus, ſi honores ſe abſente vacent. Reſpondent, quod ſi obierit Archiepiſcopus, ut provideat Epiſcopus vicinus cum Comite, donec Imperator id reſciert, & de epiſcopatu ſtatuerit. Si vero Epiſcopus, ut Archiepiſcopus viſitatorem ſecundum canones ſufficiat, qui rem Eccleſiæ cum Comite cuſtodiat, donec obitus Epiſcopi ad ejus notitiam pervenerit. Si Abbas aut Abbatiſſa obierit, Epiſcopus cum Comite monaſterio provideat, donec de eo decreverit Imperator. Ex hoc capitulo liquet, tum Reges, ut alias dictum eſt, providiſſe cathedris, ſi quando vacarent, obitum ſcilicet Epiſcopi ſtatim ſignificatum Regi, ut ipſe viduæ cathedræ alium aliquem ſtatim ſufficeret. Tanta erat id temporis in republica auctoritas Epiſcoporum, ut in conventibus publicis cum Rege, & cum Comitibus ſtatuta ſcriberent, ad bellum irent cum Comitibus & religionem ſimul & rempublicam pertractarent: ſumma igitur cura Reges providebant, ne quis ſine ſuo nutu Epiſcopus crearetur. IX. Capitulo ſtatuitur de Comitibus, ſi cum Imperator abeſt mortem obire illis contigit. Ut filius Ludovicus Rex cum Epiſcopo & miniſtris illius civitatis his provideat, donec ipſe aliter ſtatuerit. Alia deinde capitula, ita ab Imperatore conſtituta ſunt, ut his nulla procerum reſponſio ſit. Suis fidelibus, ſi renunciare ſæculo velint, poteſtatem facit ſuos honores uni ex propinquis tribuendi: & alios perturbari prohibet, ſi quiete in alode maneant, neque permittit ab iis quidquam requiri, niſi ſolummodo, ut pergant ad patriæ defenſionem. XI. Conſilium dat ne facile credant vanis de ejus morte rumoribus, ſi forte ſpargantur. XII. Sed ſi contigerit ipſum mori, jubet ab eleemoſynariis id præſtari, quod commendatum eſt, & libros ſuos diſtribui Eccleſiæ ſancti Dionyſii, & ſanctæ Mariæ in Compendio, & filio ſuo; ii vero, quibus hæc commendat, ſunt Hincmarus Archiepiſcopus, Franco & Odo Epiſcopi, Gauzlinus Abbas ſancti Germani à Pratis, & Comites aliquot. XIII. De regni hærede decernit, ſi moriatur. XIV. Filium adhortatur ad iter Romanum, cum redierit. XV. Capitulum notatu dignum eſt. Imperator enim decernit de his, quorum conſiliis utatur ejus filius, dum per Italiam iter facit, & primo loco Ingelvvinum

Ingelvvioum Epiſcopum Pariſienſem appellat, & Gauſlinum Abbatem ſancti Germani à Pratis. His verbis comprehenſum eſt capitulum. *Qualiter & quo ordine filius noſter in hoc regno remaneat, & qui debeant eſſe quorum auxilio utatur, & viciſſitudine cum eo ſint. Videlicet ex Epiſcopis aſſidue ſint cum illo Ingelvvinus & aut Reinelmus, ſive Odo, ſeu Hildeboldus. Ex Abbatibus, ſi alia neceſſitas non evenerit aſſidue ſint cum eo Vvelpho, Gauzlinus, & Folco. Ex Comitibus vero aut Theudericus, aut Balduinus, ſive Chuonradus, ſeu Adalelmus alternatim cum illo conſiſtent, & quanto ſæpius pro noſtra utilitate potuerint, Boſo & Bernardus: ſi verſus Moſam perrexerit, ſint cum eo Franco Epiſcopus, Ioannes Epiſcopus, Arnulfus Comes, Giſlebertus, Letardus, Matfridus, Vidricus, Gotbertus, Adalbertus, Ingelgerus, Rainerus, una cum prædictis. Si ultra Sequanam perrexerit. Hugo Abba, Vvaltherus Epiſcopus, Giſlebertus Epiſcopus, & ceteri noſtri fideles illius partis una cum prædictis; ſed de aliis fidelibus noſtris, ſecundum quod in unaquaque parte regni neceſſe fuerit.* Nominat Imperator Epiſcopos, Abbates & Comites, qui aſſideant & conſulant filio ſe abſente; & ex his tres veluti claſſes conſtituit, alios enim aſſidue oportebat ei aſſiſtere, alios alternatim, alios in quibuſdam ſolummodo locis. Certum eſt plus honoris delatum iis, qui aſſidue comitari Principem, & illi adeſſe jubebaotur, inter quos primus nominatur Ingelvvinus Pariſienſis Epiſcopus, cujus fuerit auctoritatis, & exiſtimationis ex hoc collige, quod velut princeps & conſilii caput nominetur à Rege apud Ludovicum filium, ut ejus ſe regat conſiliis in adminiſtraodo regno, dum ipſe Romam proficiſcitur; idque Imperator publicis regni comitiis profiteatur, quod omnes optimates approbant. Quamquam multi Pontifices ætate, ordinatione, prudentia, conſilio & doctrina, ut illa ferebant tempora clari eſſent, his tamen omnibus præponitur Ingelvvinus, & nemo Imperatoris ordinationi calculum apponere dubitat, quo nihil hooorificentius accidere Epiſcopo Pariſienſi potuit. Sequitur capitulum XVI. quo Imperator filium hortatur, ut ſi in aliqua parte regni bellum aut tumultus oriatur, ipſe continuo cum aliquot ex fidelibus eò advolet, & fortiter rem gerat. Cap. XVII. Traditur ſigillum Adalario Comiti, & in ejus locum Gerardo. Cap. XVIII. Præcipit, Imperator Comitibus, ut cootra perditorum hominum conatus, auctoritate & jure agant, & omnibus *qui hoſtem debent* id eſt, qui ad exercitum ire ex beoeficio tenebantur denuucient, ut parati ſint ad expeditionem. XIX. Quod ſi bellum excitetur, cui comprimendo impar ſit Comes, ut filius ſuus præſto ſit, qui obſtet principiis antequam malum latius ſerpat. XX. Ut filius ejus Ludovicus pro rerum opportuoitate in locis commoretur, eximitque villas regias à manſionatico, vetatque nequis villas Epiſcoporum & Abbatum deprædetur. XXI. litteris regiis auctoritatem eſſe vult. XXII. Admonet conſiliarios, ut libere filio conſulant. XXIII. Cum in Aremorica ii quibus regnum Britaooiæ, etiam addito jurameoto confirmaverat deceſſiſſent, jubet ut hæc provincia recipiatur. XXIV. De regno Aquitaoico eſt. XXV. Jubet ſe rerum omnium per curſores, & nuncios admoneri, & ut fideles ſibi adſint, ſi nepotes Reges Germaniæ ſibi adverſentur. XXVI. Filio commendat caſtellum de Compendio, ut cœptum à ſe, à filio perficiatur. XXVII. Similiter de civitate Pariſiis & caſtellis inſtaurandis ſupra Sequanam & Ligerim, atque de caſtellis ſancti Dionyſii. Sequentibus capitulis, quædam deinde mandat fieri, quæ non ſunt illius momenti, ut memorentur. Hæc acta ſunt anno DCCCLXXVII. & regni ejus XXXVII. Imperii II. XVII. Calend. Julias indictione decima. XVI. ejuſdem menſis Carolus Imperator profectionem populo annunciavit & à Gauzlino quædam ex capitulis pronunciari juſſit.

LIB. VIII. CAP. I.

Rebus in Gallia ordioatis in Italiam profectus eſt. Jam ultra Juram ad Urbam venerat, cum ecce illi Adalgarius Epiſcopus occurrit, quem prius menſe Februario Romam miſerat ad Synodum, acta ad Imperatorem referebat. In ea Synodo confirmata Imperatoris electio fuerat, & anathemate percuſſus, quiſquis contrà adverſari aggrederetur. Adalgarius Carolo renunciavit Joannem PP. Ticinum uſque obviam illi proceſſurum; ſed Imperator Vercellis illi occurrit, & Ticinum ſimul perrexerunt, ubi cum verſaretur rumor iocertus V.

 ſpargitur Carolomannum cum exercitu adventare, quo perculſi Tardunam fugerunt, ubi Richildis Auguſta, ſummi Pontificis manibus rite & ſollemniter coronata eſt: illic operiebatur Imperator primores regni, quos venire juſſerat. Verum audito pleroſque acta coitione, in ſeipſum conjuraſſe: & ex alia parte haud vana fama erat Carolomannum cum valido exercitu ad ſe magnis itineribus venire, poſt Richildem Auguſtam Galliam verſus iter ingreſſus eſt. Aliunde falsò Carolomanno nunciatum eſt ſummum Pontificem & Imperatorem junctis viribus adverſum ſe ſigna convertiſſe, quo nuncio & ille pariter vano terrore perturbatus in Germaniam quoque reverſus eſt. Interea Imperator febre correptus eſt, huic erat medicus Judæus religiône nomine Sedechias vir mentis improbæ, cui ſe credere æger conſueverat. Hic ad Principem pulverem veneno delibutum miſit, quo hauſto Rex & Imperator in viliſſimo tugurio infeliciter periit II. Nonas Octobris anno DCCCLXXVII. poſt mortem Imperatoris, qui eum comitabantur, uti moriens ipſe præſcripſerat, ad monaſterium ſancti Dionyſii corpus ejus deferebant, tantum vero fœtorem, ex putredine exhalavit, ut ferre nequirent qui illud comitabantur. Unde, ut habent annales Bertiniani, ad cellam quamdam monachorum Lugdunenſis Epiſcopi quæ Nantoadus dicitur ſeu Nantua, vix pervenientes, illud corpus, cum ipſa tonna terræ mandaverunt. Septem annos poſt ejus oſſa delata ſunt in baſilicam ſancti Dionyſii procurante Abbate Gualtero, & in choro monachorum, ſub altare ſanctæ trinitatis tumulata ſunt. Hodie viſitur hujus Imperatoris tumulus in medio choro hujus regiæ baſilicæ, extat deſuper ærea lamina, ubi jacet inſculpta Caroli effigies, ad quatuor angulos ſunt quatuor Eccleſiæ doctores, ad caput duo Angeli, quorum quiſque manu thuribulum gerit & circumquaque deſcripti hi verſus.

Imperio Carolus-calvus regnoque potitus
Gallorum, jacet hac ſub brevitate ſitus.
Plurima cum villis, cum clavo cumque corona
Eccleſiæ vivus, huic dedit ille bona,
Multis ablatis nobis fuit his reparator,
Sequanii fluvii, Rueliique dator.

VI. Carolus varia uſus eſt fortuna, vix octodecim annos natus erat, quando illi pro hæreditate aſſerenda contra Lotharium dimicandum fuit, & diviſo inter fratres regno variis quamdiu regnavit pulſatus eſt caſibus, ſeu Nortmannis Franciam vaſtantibus, ſeu Comitum ſuorum defectione, qui bellorum æſtu deflagrante ab imperio deſciverant, ſeu fratris ſui Ludovici æmulatione, qui ipſum ſine pulvere regno exuit, ſeu poſtmodum filiis adverſantibus. Inter hæc quam iniqua fuerint tempora poſſis æſtimare; etſi enim ſæpius leges contra improborum inſaniam latæ ſunt, nuſquam tamen plus ſcelus & flagitium valuerunt, ſacra profanaque promiſcue habita, monaſteria à laicis poſſeſſa, bona eccleſiarum impune direpta, nuſquam minus uſui fuerunt, aut querelæ Pontificum, aut conſtituta adverſus eorum audaciam decreta, vel ad nauſeam in publicis Galliarum conventibus repetita, quorum nulla omnino obſervatio fuit. Verum cum inter hos motus regnaſſet, ſub finem vitæ mortuo Ludovico juniore Imperatore, dum magnifico Imperatoris titulo magis gaudet, quam imperio potitur, ambitque Germaniæ principatum à nepote victus eſt: & paulo poſt caſu inopino ſublatus mortem inhoneſtam oppetiit, lacerum diſceptumque regnum filio Ludovico relinquens. Verum etſi noxa illorum temporum ſæpe Carolum vel renitentem impulit uti bonis eccleſiarum, & monaſteriorum facultates & poſſeſſiones in ſuas res & commoda reipublicæ impendere: regiam tamen beneficentiam in monaſterium ſancti Dionyſii haud ſemel approbavit. Extant ejus præcepta in antiquitatibus Dionyſianis, quæ legere cuilibet promptum eſt, quæque omnia referre haud mihi integrum eſt. Extat in opere de re diplomatica præceptum ejus, qua Dionyſiano monaſterio donat villam Scindelicias, ea conditione, ut in luminaribus vel monachorum ipſius monaſterii refectionibus, atque pauperum ſuſceptionibus, ſecundum diſpoſitionem regiam, &

dierum denominationem, ac numeri quantitatem reditus ipſius villæ à fratribus dicti monaſterii dividantur, ac ordinentur his ſcilicet diebus, quo eum naſci contigerat. VIII. Idus Julii, quo die unctus in Regem eſt. VIII. Calend. Febru. quo die pulſis hoſtibus regno reſtitutus eſt, quem diem jubet poſt obitum in diem depoſitionis commutari. Idib. præterea Decemb. quo die uxorem duxerat Hermintrudem, necnon & V. Calend. Octob. qui dies natalis Hermintrudis eſt, quem poſtea in diem anniverſarium ejus obitus converti jubet. His diebus præcipit in ſui memoriam refectiones monachis dari & pauperibus, hæc aliaque continet, præceptum datum eſt XIII. Calend. Octob. Indict. X. anno XXIII. regni Caroli. Extat in eodem opere præceptum ejuſdem Regis, quo Gerardo Decano, & monachis ſancti Dionyſii conceditur hebdomadalis mercatus apud Villam Cormelias in pago Vilcaſſino. Datum in monaſterio ſancti Dionyſii IV. Idus Aprilis. Indictione II. anno ejus regni XXIX. Extat tertium præceptum Caroli-calvi, quo villam Riogilum ſeu Ruolium monaſterio Dionyſiano concedit ea conditione, ut ſeptem luminaria ante altare ſanctæ Trinitatis infra quod ſe ſepeliri præcipit perpetuo ardeant; hæc aliaque quæ in charta continentur Rex præcipit, quæ in antiquitatibus Dionyſianis conſulas. His verbis charta concluditur. *Hæc nos Dei conſtitutione Rex, ipſiuſque & fratrum electione monaſterii magni Dionyſii Abba, à patre cauſa tutelæ traditus, ut hæc piæ confirmatio conſtitutionis per omnia tempora firmior habeatur, firmiuſque ab omnibus obſervetur, manibus propriis ſubterfirmantes bullis noſtris juſſimus. Signum Caroli glorioſiſſimi Regis. Adalgarius notarius ad vicem Gotzleni recognovit. Data VII. Id. Octob. anno XXX. regnante Carolo Rege in ſucceſſione regni Lotharii anno quinto. Actum ſancto Dionyſio monaſterio in Dei nomine feliciter. Amen.* Aiunt nempe nundinas Dionyſianas, quas vulgo Indictum vocant, ab eo initium cœpiſſe. Scribunt ſcilicet Carolum-calvum, poſtquam Imperator Romæ acclamatus eſt, reverſum in Galliam, & continuo ad baſilicam ſancti Dionyſii religionis ergo veniſſe, & grato memorique animo teſtificatum accepta ſe referre ſanctis martyribus inſignia imperii, & eccleſiam jam olim magnis & amplis locupletatam poſſeſſionibus, novis aliiſque redditibus amplificaſſe, ſpiritalibuſque cumulaſſe theſauris, profectum nempe Aquiſgranum & ex eccleſia Aquiſgranenſi in eccleſiam Dionyſianam tranſtuliſſe clavum unum ex his, quibus Dominus noſter Jeſus Chriſtus cruci affixus eſt, & partem ſanctæ ſpineæ coronæ, partem dominicæ crucis, brachium ſancti Simeonis, cum aliis rebus pretioſis, quas quondam Carolus ejus avus cuſtodiri eo in loco juſſerat. Hæc ferme auctor antiquitatum Dionyſianarum, qui hæc addit inſuper. *Nundinas etiam indicti, in platea quæ indictum dicitur, more quo Carolus-magnus Aquiſgrani indixerat, quolibet anno in ſecunda & quarta feria menſis Junii ob amorem beati Dionyſii peculiaris ſui patroni, fieri ſtabilivit. Tunc etiam à ſanctis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & à quam plurimis ſacerdotibus communis populo facta eſt benedictio, ex ſanctis reliquiis prænominatis.* Quæ Dubletus ait ſe exſcripſiſſe ex MS. Dionyſiano. De nundinis Dionyſianis aliàs à nobis dictum eſt, & de præceptis in hanc rem datis à Regibus primæ familiæ. Extat in chartulario Dionyſiano, quod modo habetur in bibliotheca Colbertina, charta, Caroli-calvi Regis, quam hic ob venerandam antiquitatem inſerere oportet, unde quædam poſſis eruere ad mores horum temporum cognoſcendos. Hæc quæ ſequuntur continet.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus Dei gratia Rex. Cum nos in Dei nomine Compendio palatio noſtro ſecus fluvium Iſarum ad univerſorum cauſas audiendas, & recta judicia terminandum reſideremus; ibique venerunt homines ſancti Dionyſii de villa de Mintriaco, de miniſterio Adeodato monacho his nominibus Ghauſſlenus, Geilda cum infantibus ſuis vel eorum, Sielefrida cum infantibus ſuis, Leutfridus, Tueotenimus, Theutardus, Theotalda cum infantibus ſuis. Tintinatus, Teufridus, Bernardus, Benegarius, Bernehardus, Grimbaldus notarius, Benechilda, Grinhilda, Alricus, Mantellus; Oſanna, Almaricus, Angheveitus, Vrivoldus, Grunna cum infantibus ſuis, Hanſulfus, Hairbardus, Servinus, Hadebertus, Leutgarius; Rogarius, Anſolda, Burduinus, cum infantibus ſuis, Hildeberga cum infanti- VII.

LIB VIII. CAP. I.

bus ſuis, Giſtinda cum infantibus ſuis, Haldennga, Chriſtiana, Reginaldus, Silvanus, Odelinda cum inſantibus ſuis proclamarunt ſe, dixerunt, eo quod ipſi & naſcendi liberi coloni, ſicut alii coloni ſancti Dionyſii, & prædictus Deodatus monachus eis per vim in inferiorem ſervitium inclinare vel affligere velit injuſte. Tunc interrogavit Fulco Comis palatii & Galenus memoratum Deodato, vel illum majorem de jam dicta villa nomine Antreveo quid contra iſta familia dicere, vel reſponſare vellebant. Tunc in illorum ſenſum dixerunt quod in præſente tales teſtes idoneis colonis de prædicta villa de Mintriaco habebant, per quem eis probare potebant, quem in tempore congenitoris noſtri bonæ memoriæ Ludovici ipſi, & illorum anteceſſores ſuperſcripti ſervi ad inferiorem ſervitium, de jam dicta villa ſemper fuiſſent, & plus per drictum, & per legem quam coloni, ſicut manifeſtum eſt, feciſſent. Hæc ſunt nomina, qui hoc teſtificaverunt, & de præſente ſuper ſanctas reliquias affirmaverunt. Paſcarius, Fulbertus, Adevertus, Ajurardus, Criſpoinus, Vitedulfus, item Paſcharius, Matalbertus, &c. Proinde nos una cum fidelibus noſtris Vido, Odbertus, Hugo, Davo, Gerardus, Eurebertus, Alcarius, Hubaldi Vaſſi dominici ſeu Gailenus, & Fulco Comis palatis & alii plurimi viſi fuimus judicaſſe, ut memoratus major nomine Antreveus antea adjeciſſet, & unuſquiſque de ſæpedictus ſervus ipſum ſervitium inferiorem, unde de legibus probatus homo malaſſet, vel repetiſſet, & ipſum ſervitium emendaſſent & revadiaſſent, ſicut etiam feeerunt; propterea dum ac cauſa ſit acta, vel perpetrata, vel de legibus definita eſſe cognovimus, ut inter memoratum Deodato monachum, una cum Antreveo majorem partibus ſancti Dionyſii, talem notitia recipere riximus, por quem ſupradictis ſervis ad ipſum ſervitium in antea teneant, atque elidicant: & ſit inter eis in poſtmodum ex hac re ſopita, & definita, atque inconvulſa cauſatio. Actum Compendio Palatio ſuper fluvium Iſara. Data Kalend. Julii anno XXII. regnante Domino noſtro ac glorioſiſſimo. Karolus Rex in Dei nomine feliciter, & ut hæc certius credatis, atque melius conſervetur, de annulo noſtro ſigillare juſſimus. Concharius notarius ſcripſit.

CAPUT II.

De Ludovico Balbo qui ad regnum evocatus, & inunctus eſt apud Compendium. De ejus mala valetudine. De Ioanne PP. VIII. *De Synodo Trecenſi. De morte Ludovici Balbi, & de ejus filiis Ludovico & Carolomanno, qui patris hæreditatem æqua portione dividunt. De expeditione Ludovici Regis Germaniæ in Gallias. De bello adverſus Boſonem Regem Provinciæ. De morte Ludovici Regis Francorum. De morte Ingelvvini Epiſcopi & de ejus ſucceſſore. De præceptis Ludovici Balbi.*

MORTUO, ut memoratum eſt, Imperatore Ludovicus ejus filius, cui administrationem regni adjectis conſiliariis diſcedens Carolus reliquerat, tum in villa Audriaca verſabatur, certus mortuum eſſe patrem nihil habuit antiquius, quam optimatum quorumdam, qui ſecum aderant conciliare voluntates, eoſque donis & muneribus ſibi devincire, quæ res aliter ceſſit, quam ſperaverat: complures enim ex primoribus moleſte tulerunt ſine ſuo aſſenſu data à Ludovico munera, honoreſque & comitatus diſtributos, tum tumultuari, & ab eo deficere. Verum pactis honoribus ſpe promiſſorum illecti Compendium ad eum advolarunt, & VI. Decembris omnium conſenſu ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo inunctus in Regem eſt. Omnes Epiſcopi, Abbates ceterique regni optimates ſe ſuaque illi ſacramento aſtringere, fidem & obſequium pro more polliciti. Viciſſim Ludovicus acturum ſe ex æquo & jure promiſit, privilegia ſuaque omnibus conſervaturum, quod juramento aſſeveravit, teſtatuſque eſt ſe Eccleſiarum fore defenſorem, ſe Pontificum tutorem, daturumque operam, ut magiſtratus & adminiſtratores reipublicæ ſua implerent munera, neque quidquam alieni à ratione aggrederentur, adeo ut neminem ſuæ adminiſtrationis pœniteret. Annales Bertiniani profeſſionem tam Regis quam optimatum ediderunt. Haud dubium eſt Ingelvvinum Pariſienſem Epiſcopum, quem Carolus Imperator conſiliis filii præfecerat conventui apud Compendium interfuiſſe. Anno ſequenti Ludovicus Rex in monaſterio ſancti Dionyſii Paſcha celebravit. Ultra Sequanam deinde perrexit hortante Hugone Abbate & Marchione. Verum cum Turonos acceſſiſſet in morbum incidit, ex quo paulo poſt contra ſpem convaluit. Id temporis Italia variis agitabatur motibus. Sarraceni Italiæ provincias infeſtabant, & nemine Imperii clavum tenente ipſa pluribus dominis præda & ſpolium erat. Lambertus inprimis Dux Spoletanus, & Adelbertus Marchio, qui Sarracenis ipſis præerat, non modo agrum Romanum hoſtiliter invaſerant, ſed Romam ipſam ceperant, & in I.

LIB VIII CAP. II. Joannem ipſum ſummum Pontificem manus injecerant, ex quibus exolutus in Galliam maritimo itinere tamquam in aſylum confugerat; ſcribit ad Ludovicum Regem, memorat ejus patris in Eccleſiam Romanam merita, hortaturque ad defenſionem Italiæ, quam tyranni deprædantur. Rex Turonis æger jacebat, cum ſummum Pontificem in Gallias adventaſſe nunciatum eſt, protinus obviam illi Epiſcopos miſit, qui ipſum Trecas honorifice duxerunt, donec ex morbo recreatus ad eum accederet. Joannes interea Epiſcopos Galliæ & Germaniæ ad Concilium generale convocat; habita eſt Synodus in eccleſia ſancti Petri, cœptaque III. Idus Auguſti. Tum ſummus Pontifex cauſas ſui itineris memorare, quæ mala, quoſque auctore Lamberto pertulerit labores, quæ immania perpetraverit ſacrilegia, retulitque jam antea latam in eum excommunicationis ſententiam, quam per omnes legi Eccleſias juſſiſſet. Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, cujus magna in Synodo propter ætatem ſingularemque doctrinam auctoritas, dixit damnare & ſe ferire anathemate quemcumque ſummus Pontifex dignum condemnatione & anathemate judicaſſet, ſimiliter ſe eos recipere quos reciperet, quod reliqui quoque Epiſcopi teſtati ſunt. Roſtagnus Arelatenſis Archiepiſcopus Synodo libellum obtulit, contra eos qui ex ſede in aliam tranſirent, & eos qui relicta uxore alteram ducerent. Vvalbertus Epiſcopus Portuenſis ſententiam Synodum rogavit. Hincmarus ad ſcribendos de eo negotio canones inducias petiit. Et Theodoricus Veſontionenſis Epiſcopus retulit de Verſinde femina, quæ olim ſe virginem profeſſa, poſtea per nefas ſe matrimonio junxit. Epiſcopi ſummo Pontifici porrexerunt libellum concordiæ & unanimitatis, cui ſummus Pontifex ſubſcripſit, & quem reddidit Epiſcopis. Plures deinde ſummo Pontifici dati libelli ſunt, ſed inprimis adverſus Hincmarum Remenſem, cui ad reſpondendum datæ induciæ, & contra Rotfredum Avenionenſem Epiſcopum, qui Synodo non aderat. Statutum deinde in pervaſores eccleſiarum, & contra excommunicatos. Tum coram Synodo lectæ promiſſiones, quas olim Pippinus & Carolus ſancto Petro obtulerunt. Lecta inſuper capitula Joannis PP. eaque confirmata ſunt; iterumque anathemate percuſſi ſunt Formoſus Epiſcopus, Georgius Romanæ ſedis nomenclator, & Gregorius magiſter militum, & lecta capitula de accuſatione fratrum, & expulſione Judæorum. Ottulfus Tricaſſinus Epiſcopus libellum reclamationis obtulit contra Iſaac de Venderevenſi villa, quem dicebat ſuam obtinere parœciam; & pariter Theodoricus Veſuntionenſis adverſus Epiſcopos provinciales libellum obtulit, qui vocati adeſſe contempſerant: lecti poſtea canones adverſus Epiſcopos, qui de minori eccleſia ad aliam migrarent. Joannes PP. his actis de Lantberto & Adalberto Synodum allocutus eſt, & in eos eorumque conſcios ſententiam excommunicationis dixit, cui Epiſcopi omnes ultro aſſenſi ſunt. Ita pariter in pervaſores eccleſiarum lata eſt excommunicationis ſententia. Iterumque in Formoſum & Gregorium decreta ſunt anathemata. Quemadmodum & in eos, qui vivente uxore alteram ducerent, & qui ex minore cathedra ad majorem traducerentur. Septem demum conditi ſunt canones, quorum primus annotandus eſt de honore, quem Epiſcopi ſibi tribui volunt à poteſtatibus, quos prohibent niſi ſe præcipientibus ſedere. II. Ut nemo à ſummo Pontifice poſſeſſiones eccleſiaſticas, monaſteria, manſa, cortes, villas, patrimonia petat, niſi prout canonica ſancit auctoritas. III. Recepta ſunt capitula, quæ apud Ravennam ſancita ſunt. IV. ut nemo Epiſcoporum vexationes Eccleſiarum negligat: ſed conjunctis animis auctoritate canonica repellat. V. Ut clerici & laici expulſi ab Epiſcopis ab aliis non ſuſcipiantur. VI. Ut nemo alterius hominem, ut illa ætate vocabant, contra leges recipiat. VII. Ut nemo Epiſcopum occulte accuſet, ne quis innocens condemnetur. His canonibus ſubſcripſerunt Joannes PP. cum tribus ſuis legatis Archiepiſcopi o[illegible], Epiſcopi octo & decem, inter quos ſubſcripſiſſe legitur Ingelvvinus Pariſiorum Epiſcopus. His ita peractis Sigebodus primæ ſedis Narbonenſis Epiſcopus conqueſtus eſt, quod in legibus Gothicis nulla contra ſacrilegia lex haberetur, unde multa Eccleſiis damna: conſtitutum eſt, ut triginta libris argenti ſacri-

legium emendaretur, & ea lex codici legum Gothicarum adjungeretur. Sed in hac Synodo memoranda maxime querela Hincmari Laudunenſis, qui libellum ſummo Pontifici obtulit contra Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum. Querebatur ſcilicet ſe ad Synodum Duziacenſem vocatum, ſe dum huc ire pergeret in itinere raptum ſpoliatumque rebus omnibus, & more hoſtili perductum ad eam villam: tum à Carolo Rege reprehenſum ſe, quod litteras Romam miſiſſet, & apud ſummum Pontificem Regem ipſum eſſet criminatus, ſe propterea ab ipſo Rege coram Synodo accuſatum, & ſe abnuiſſe reſponſionem dare; & in miſero illo, in quo verſabatur ſtatu, nudatum & detentum. Hincmarum prӕterea Remenſem ſibi manifeſtis odiis inſenſum eſſe, qui tamen in ea cauſa judex ſediſſet, Romanam ſedem ſe appellaſſe, quod nullo penitus habitum eſt loco: immo ſe nihilominus Synodali condemnatum judicio & à ſacerdotio amotum; in exilium poſtea ſe miſſum eſſe, ubi duos annos ſanus egerit, ſed demum excæcatum eſſe. Huc vero ſe acceſſiſſe, ut ſummum Pontificem obteſtaretur, ſummiſſiſque exoraret precibus, ut judicium ex auctoritate canonica in rem ſuam pronunciaret. Quid actum poſtea ſit, acta hujus Synodi non habent, ſed annales Bertiniani memorant Joannem PP. ſtatuiſſe, ut Hincmarus ſacra faciendi haberet poteſtatem, & ex Eccleſia Laudunenſi ſumptus deinceps reciperet, cui judicio Rex ipſe Ludovicus acquievit: Tum ecce Epiſcopi Hincmarum veſtimentis induunt ſacerdotalibus, adducuntque ad ſummum Pontificem, & inde in eccleſiam cum cantu traduxerunt; ab illoque datam populo benedictionem voluerunt. Iidem annales memorant Ludovicum à Joanne PP. ſollemni inunctum ritu, & coronatum VI. Idus Septemb. *Tunc Papa Joannes protulit exemplar quaſi facti præcepti à Carolo Imperatore de donanda Abbatia ſancti Dionyſii Eccleſiæ Romanæ, quod compilatum conſilio præfatorum Epiſcoporum, & aliorum conſiliariorum Ludovici Regis à plurimis credebatur, ut à Gotzlino ipſam abbatiam, velut ex ratione tollere & ſibi habere poſſet, & dicebat PP. Joannes, ut ſi vellet Ludovicus Rex, ut ſuper illud præceptum privilegium faceret, ſuo præcepto illud patris ſui præceptum firmaret, quod argumentum ſicut factio & non ratio imperfectum remanſit.* Extat in actis hujus Synodi epiſtola Joannis PP. ad Frotarium Burdigalenſem Epiſcopum, eumque arguit, quod vocatus ad Synodum venire diſtulerit, hortaturque, ut ſine mora accedat cum ſuffraganeis, ut ſe judicio Epiſcoporum ſiſtat propter ſedis mutationem, & referat ad Synodum privilegium de ſua ad aliam ſedem tranſlatione, ſi quod tamen à ſe aut à prædeceſſoribus ſuis obtinuerit. In ea pariter Synodo confirmata ſunt privilegia Eccleſiæ Turonenſis, & monaſterii Flortacenſis.

LIB. VIII. CAP. II.

Annales Bertiniani.

Soluta Synodo Joannes PP. in Italiam reverſus eſt, & Ludovicus Compendium venit, audiriſque legatis quos ad patrueles Germaniæ Reges prius miſerat. Calendis Novemb. habuit cum eis colloquium in loco qui Faronis dicitur. Collationi adfuiſſe Ingelvvinum Pariſienſem Epiſcopum putem: Non enim à comitatu diſceſſiſſe, ſed Regi Ludovico aſtitiſſe, etiam poſt mortem Caroli-calvi, quæ ſuperius dicta ſunt probant. Hujus conventus habentur capitula IX. Anno ſequenti DCCCLXXIX. cum ad comprimendam Bernardi Comitis rebellionem Auguſtodunum accurriſſet, & jam Trecas attigiſſet morbo ſe premi ſenſit, qui cum in dies ingraveſceret Ludovicum filium Bernardo Arvernorum Comiti commiſit, & ipſe per Jotrum monaſterium Compendium ægre ſe recepit. Cum intellexit brevi ſe moriturum Odonem Bellovacenſem Epiſcopum, & Comitem Albuinum ad ſe advocat, eoſque jubet ſumere regiam coronam cum gladio aliiſque regiæ dignitatis inſignibus, ut ea ad filium ſuum Ludovicum deferrent, eumque inungi in Regem & corona ſollemni ritu redimiri curarent. Ipſe paulo poſt exhalavit animam IV. Idus Aprilis & in eccleſia ſanctæ Mariæ ſepultus. Aiunt eum fuiſſe miti manſuetaque indole, religionis obſervantiſſimum, æqui juſtique tenacem ab adoleſcentia deperiiſſe dicitur nobilem puellam Auſgardam nomine *ſibi conjugii fœdere copulatam*, ut habent annales Mettenſes, ex qua duos forma liberali filios ſuſcepit, quam deinde patre auctore reliquit, quia nuptiis paternus non acceſſerat conſenſus. Adhalcidem poſtea II.

ex patris ſententia duxit, quam prægnantem moriens reliquit, quæ poſt ejus obitum filium poſthumum enixa eſt, quem avi nomine Carolum vocitarunt. Ludovicus, qui mortuus eſt, propter linguæ impedimenta balbus vulgo dictus eſt, huic ex prioribus nuptiis duo filii erant impuberes Ludovicus & Carolomannus. Etſi ad Ludovicum tantummodo regni miſerat inſignia, proceres tamen utrumque in hæreditatem regni vocaverunt; quod poſtea nonniſi ægre peractum eſt. Quidam enim ex proceribus, quod fere fit, quando filii impuberes paterno ſuccedunt regno, novas res moliri, auctorem factionis annales Bertiniani Gotzlinum Abbatem fuiſſe perhibent, qui Chounradum Comitem Pariſienſem in ſuas illexit partes, adjunctiſque ſibi pluribus ſociis Ludovicum Germaniæ Regem accerſunt, clamitant jam adeſſe tempus, quo Galliam invadat, nondum inunctis in Reges filiis Ludovici Balbi, cujus proles odio ſit regni optimatibus, qui omnes in ejus nomen jurent, ſi in Galliam cum exercitu ſine mora venerit; Epiſcopos, Abbates & Comites ad conventum vocaverunt, per ſpeciem ad conſulendum rebus Galliæ poſt obitum Ludovici: ſed revera, ut publicam rem Ludovico Regi Germaniæ, poſthabitis filiis Balbi proderent. Ludovicus uti tempore ſtatuit, præter ingenium ex natura gloriæ & regni cupidum, novos addebat ſtimulos uxor ejus impotens & dominationis avida. Nihil itaque cunctatus, quaſi ad certam victoriam Mettas venit, atque deinde Viridunum, ſed tanta mala Ludovici exercitus Galliæ intulit, ut ne Normanni quidem tantam fecerint vaſtitatem. Ex alia parte proceres, qui filios Balbi comitabantur, Meldis conventum indicunt, ut quid facto ſit opus inter ſe conſulant. Verum audita conjuratione Gotzlini, & Ludovicum in Gallias infeſto exercitu ingreſſum, Hugo Abbas, Boſo & Theodericus eorumque ſocii legatos ad Ludovicum mittunt. Gualterium Aurelianenſem Epiſcopum, Goiramnum, & Anſcherum Comites, rogant Ludovicum, ut à regno diſcedat eſſe hæreditatem Ludovici balbi, quam à patre Carolo acceperat; quod ſi ſuis finibus non ſit contentus, per ſe licet potiatur regni junioris Lotharii portione, quam Carolus à Ludovico Germaniæ Rege abſtulerat, & deinceps abſiſtat à bello. Ludovicus conditionem accepit, inconſultiſque ac ſpretis, qui eum acciverant Francoſurdiam rediit. Uxor ejus conjuratorum vocibus exſtimulata ægre tulit Ludovicum tam cito prædam reliquiſſe. Hugo interea ceterique regni principes, in monaſterio, quod Ferrarias vocant, ut modo memoratum eſt, per Anſegiſum alioſque Epiſcopos Ludovicum & Carolomannum Reges inungi procurant. Ludovico Regi Germaniæ tres fuerant filii Carolomannus, Ludovicus, qui junior dictus eſt, de quo modo ſermo fuit & Carolus qui craſſus poſtea appellatus eſt. His ferme temporibus Carolomannus Rex Bajoariæ diem obiit Arnulfumque ex pellice filium reliquit, qui partem illius regni cepit, reliquam partem Ludovicus junior habuit. Boſo, interea quæ erat licentia illorum temporum, Ermengardis uxoris ſermonibus illectus ſe Provinciæ Regem dixit, atque ita ab Epiſcopis, quos variis artibus ſibi devinxerat inunctus eſt. Dum hæc geruntur Ludovicus Germaniæ Rex in Galliam iterum venit Goſlini & Chuonradi vanis adductus promiſſis; ſtatim ubi intellexit proceres omnes in fide ſtare, retro referre pedem in Germaniam coactus eſt. Ludovicus & Carolomannus fratres paulo poſt Ambianos venerunt, habitoque cum proceribus conventu Balbi hereditatem bifariam partiti ſunt; Neuſtria cum iis provinciis quæ ex Francia reliquæ erant in ſortem Ludovici ceſſit: Burgundia cum Aquitania portio Carolomanni fuit, conventum quoque de proceribus, qui cuique ex regibus parerent, & fidem ſacramento aſſererent. Eodem anno apud Gundulfi villam ſollemne placitum celebratum inter Reges Germaniæ Ludovicum & Carolum, & Francorum Reges Ludovicum & Carolomannum; jurata inter eos amicitia, conventumque, ut junctis copiis hoſtes impeterent. In Hugonem Lotharii ex Vvaltrada filium armorum prima impreſſio fuit; cum ille fuga & latebris ſibi conſuluiſſet Theubaldum ejus ſororium conantem reſiſtere fundunt, & in fugam vertunt, conjunctis deinde viribus Carolus, Ludovicus & Carolomannus contra Boſonem profecti ſunt. Boſo ut impendentem tempeſta-

tem

tem depelleret, uxorem cum filia & valido præſidio Vienna incluſit, ipſe in montes fugiens ſe rupibus tamquam propugnaculis defendere inſtituit. Regibus tamen profligare tyrannum propoſitum eſt, Viennam inprimis obſidione cingere, dum Reges moratur longa obſidio, Carolo in mentem venit proficiſci in Italiam, ſane relictis ante Viennam aliis Regibus feſtinanter Romam properavit: ubi ipſo die Natali Domini à Joanne ſummo Pontifice Imperator inunctus eſt. Sequenti anno, qui octingenteſimus octogeſimus primus fuit, dum Carolomannus in Provincia remoratur ad comprimendam Boſonis ſeditionem; Ludovicus frater ejus adverſus Nortmannos aciem dirigit, hi in Franciam infeſtis armis profecti monaſterium Corbeienſe, Ambianos, aliaque loca ſancta deprædati ſunt, his inſiſtere Ludovicus, & cum his collatis ſignis confligere, ac demum pluribus occiſis aliiſque fuſis inſignem referre victoriam; verum paulo poſt fanatico pavore Franci perciti retro pedem tulerunt, quæ res audaciam Nortmannis addidit. Ludovicus peracta hac expeditione Compendium ſe recepit, ubi natalem Domini celebravit. Anno ſequenti DCCCLXXXII. Ludovicus Ludovici Germaniæ Regis filius moritur; plures ex optimatibus ſeu odio Imperatoris Caroli, ſeu adverſus Nortmannos opem peterent, in obſequium Ludovici Francorum Regis tranſire meditati ſunt. Rex conſilio cum primoribus habito abnuit eos in fidem recipere, ne juratam cum Carolo amicitiam frangeret; auxilium tamen non denegavit, quin & ipſe adverſus Nortmannos Turonos profectus eſt. Verum Rex ibi ſe gravi morbo appeti ſenſit, atque adeo ab expeditione prohibitus eſt; juſſit ſe ad monaſterium ſancti Dionyſii lectica deferri, ubi menſe Auguſto ſupremum diem obiit, & in baſilica hujus monaſterii ſepultus eſt. Interea Carolomannus Viennam longa premebat obſidione. Boſonis uxor incluſa mœnibus urbem haud muliebriter tuebatur, anxie Rex contra inſiſtere, tum nunciatum eſt fratrem Ludovicum gravi morbo ſublatum eſſe, peti eum ab optimatibus, non cunctandum eſſe, relinquendam Ducibus Viennæ obſidionem, irruiſſe Nortmannos in regnum, vaſtare omnia, feſtinato opus eſſe, peſſumdatam à barbaris Franciam, ni cito ferat opem. Properavit Carolomannus ad primores, acceptaque fide allatum eſt captam Viennam, Boſonis uxorem, & filiam in manus ſuorum veniſſe.

LIB VIII. CAP. II.

III. Nortmanni interim ſæviebant, Laudunum primo diripere, & terrorem late ſpargere, Noviomo, Sueſſionis minitari perniciem, ſed inprimis Remis incumbere. Audivit Hincmarus ſuam urbem peti, ille illico etiam vel æger ſe ſubducere cum pavido monachorum virginumque comitatu, vixque incolumis è barbarorum manibus evadens in villam Sparnacum ſe recepit, ubi laboribus, ſenio, morbo, intempeſta fuga fractus demum animam exhalavit anno DCCCLXXXII. menſis Septembris die quarto, ut Flodoardus memorat, Fulco vir nobilis illi ſucceſſit, poſt mortem Hincmari ſparſus per provinciam Remenſem & per regnum rumor eſt, ſubrogatum à clero Epiſcopum alterum, vel antequam viſitator ad civitatem à Rege miſſus ſit, quod fieri ſolebat. Remenſis Eccleſiæ clerus de ea re ad provinciales Epiſcopos ſcripſit, & Guntramnum monachum ſacerdotem atque præpoſitum Alto-Villarenſis monaſterii ad eos miſit, ut depelleret calumniam, certoſque faceret nihil à ſe actum eſſe agendumque, donec pietas divina & regia clementia conceſſiſſet viſitatorem. Extat epiſtola encyclica de hac re ad Epiſcopos Eccleſiæ Remenſis, quam Sirmondus edidit, in ea honorifica mentio eſt Ingelvvini Pariſienſis Epiſcopi, unde patet, quo in honore, & quo in pretio fuerit id temporis. Eccleſia enim Remenſis, quod ſcribit ſuæ provinciæ Epiſcopis, id notum eſſe vult Hugoni Abbati & Ingelvvino Epiſcopo. Quid eſt vero, quod ita eſſe memorat? quoniam Hugo & Ingelvvinus magna id temporis auctoritate in aula valebant, ex quo ab Imperatore Carolo-calvo conſiliis præeſſe publicis regni comitiis ordinatus eſt Ingelvvinus; ſub Ludovico Balbo magnæ poteſtatis fuit, ac deinde ſub ejus filiis: quo etiam tempore conſtat Hugonem Abbatem clarum in regia fuiſſe, ceteroſque optimates potentia & amplitudine præſtitiſſe. Ex ea quoque epiſtola intelligimus, quo ferme tempore obierit, conſtat enim hanc

 epiſtolam anno DCCCLXXXIII. ſcriptam quæ ſcilicet data eſt Nonis Februarii, cum vero Hincmarus menſe Septembri deceſſerit anno DCCCLXXXII. neceſſe eſt anno, quem aſſignamus exaratam epiſtolam, cumque anno ſequenti qui DCCCLXXXIV. Gozlenus Epiſcopus Pariſienſis curaverit fieri translationem ſancti Mederici, ut poſtea memorabimus; haud dubie Ingelvvinus hoc intervallo mortem oppetiit: quo vero die obierit nondum reperi, & ſi puto hoc anno DCCCLXXXIII. è vita deceſſiſſe, ſed ecce tibi epiſtolam Remenſis Eccleſiæ ad Hildeboldum, & ceteros provinciæ Remenſis Epiſcopos in qua de Ingelvvino ſermo eſt.

Sanctiſſimo & reverentiſſimo patri, domno Hildeboldo venerabili Epiſcopo, una cum ceteris Epiſcopis hujus ſanctæ ſedis metropolis Eccleſiæ, canonici, & monachi, & etiam quidam laici ſanctæ ſedis Remenſis Eccleſiæ, quorum nomina ſubter adſcripta patebunt, præſentem felicitatem, æternamque beatitudinem.

IV. *Noverit paternitas veſtra, ad exiguitatem noſtram perveniſſe, quoſdam, qui, ſicut ait Apoſtolus, in hac parte ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, vobis nuper, & domno Hugoni Abbati, & Angelvvino venerabili Epiſcopo, & aliis quibuſque, de parte noſtra generale mandatum pertuliſſe: videlicet à majori uſque ad minimum omnes electione facta, contra omnem conſtitutionem canonicam, antequam viſitator ad nos perventus ſit, conſenſiſſe, & nomine tenus quendam deſignaſſe; & hanc falſitatem uſque ad regias aures jam perveniſſe. Quod nos non tam præſumptioſe, &, ut apertius dicamus, ſtolide ullo modo egiſſe, quæſumus vos primum ſcire, ac per vos, & præfatum domnum Abbatem, vel Epiſcopum Angelvvinum, ceteroſque omnes, ad quos hæc pravitas divulgari potuit, certos reddere flagitamus: & ſicut hactenus abſtitimus ab ullius certæ perſonæ electione, ita deinceps, donec pietas divina & regia clementia nobis conceſſerit viſitatorem, abſtinere pro certo noveritis. Unde & uno parique conſenſu unum è nobis, non minus fidum, quam fidelem, fratrem noſtrum nomine Guntramnum, venerabilem monachum, & ſacerdotem, atque præpoſitum cœnobii Altivillarenſis, cum his pariter apicibus vobis direximus, qui viva voce ea etiam, quæ hic longum fuit inſerere, verbis per ſingula manifeſtet, & hæc ſunt nomina eorum, qui hujus excuſationis, & præfatæ culpationis, uno conſenſu ad vos hæc dirigunt. Valeat ſancta paternitas veſtra ad vota noſtra ſemper in Domino. Data Nonis Februarii.* Sequuntur deinde nomina canonicorum, monachorum, vaſſalorum, qui huic epiſtolæ ſubſcripſerunt, quæ ſi quis legere cupit conſulat Sirmondum. tom. II. Concil. Ex his, quæ modo relata ſunt, conſtat Ingelvvinum his temporibus diem obiiſſe, huic vero haud dubium eſt, ſucceſſiſſe Gozlinum Abbatem ſancti Dionyſii & ſancti Germani à pratis, de quo ſequenti capite ſermo erit. Quod ad Ingelvvinum pertinet habentur in parvo chartulario Eccleſiæ Pariſienſis duo præcepta alterum Caroli-calvi, alterum Ludovici Balbi, in quibus illius mentio eſt, utrumque hic deſcripſimus.

V. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolus Dei gratia Rex. Si Eccleſiarum negotiis conſulendo eorum ſtatum ad emendationem ob Chriſti amorem deducimus, ab ipſo non dubitamus accipere retributionem, pro cujus hæc peragimus honore. Noverit itaque omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorumque ad præſens, & ſubſecutura ſagacitas. Quoniam Engelvvinus venerabilis ſanctæ Eccleſiæ Pariſienſis antiſtes ad noſtræ humiliter accedens ſublimitatis manſuetudinem, deprecatus eſt ob noſtræ mercedis, conjugiſque Reginæ noſtræ Richeldis, ac virginis intemeratæ genitricis Dei Mariæ emolumentum abbatiam ſancti Eligii in poteſtate Eccleſiæ ſibi creditæ ſitam, eique jure beneficiario noſtra munificentia conceſſam jam dictæ Eccleſiæ genitricis Dei ſanctæ Mariæ, ſibique poſt ſe Dei nutu futuris paſtoribus in poteſtatem & jus eccleſiaſticum habendum concederemus & concedendo inprævaricabili noſtræ auctoritatis præcepto confirmaremus. Cujus petitionibus conceſſimus libentius, quo noſtræ utilitati profuturum perſpeximus, amplius & ob Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſuæque Virginis Mariæ amo-*

rem, atque ob aliarum Eccleſiarum olim à paganis devaſtatarum invicem emeliorationem, & utiliſſime nobis in ſalutem populi Chriſtiani à genitrice virgine prolis attributionem, hæc noſtræ privilegitatis præceptum fieri & ſigillari juſſimus, per quod ſupradictam abbatiam cum omni ſuarum integritate rerum, jamdictæ Eccleſiæ præſenti futuriſque paſtoribus delegando perpetualiter ad habendum concedimus, & concedendo inviolabiliter manere decernimus, atque de noſtro jure in jus ac dominationem Dominæ meæ genitricis Dei mei Mariæ ſollemni more transferimus taliter, ut quidquid ex inde ſtatutus à Deo præſul ſecundum Dei ſuamque voluntatem facere voluerit, quemadmodum ex aliis ſibi creditis eccleſiaſticis rebus canonico in faciendo potiatur arbitrio. Eo ſi quidem pacto ut diem depoſitionis patris noſtri præcellentiſſimi Imperatoris Ludovici. Quod eſt x i i. Kalend. Maii & matris noſtræ glorioſiſſimæ Imperatoris Iudith quod eſt x i i i. Kalend. Aprilis, diem quoque nativitatis noſtræ Idibus Iunii, necnon & diem adeo nobis conceſſæ unctionis qui poſt obitum in diem ipſum in celebrando transfundetur, nativitatem præterea amabiliſſimæ conjugis noſtræ Richeldis Reginæ Kalend. Auguſti, & copulam ſecundum Dei voluntatem noſtræ conjunctionis, inſuper & ortum prolis noſtræ, ſi à fœcunda virgine impetrando data fuerit, ſub continua orationum Miſſarumque aſſiduitate cum omni clero ſibi commiſſo præſens futuruſque antiſtes celebret & refectio in utraque congregatione in die ortus prolis noſtræ, ſi ut diximus à genitrice Dei data fuerit ſtudioſiſſime peragatur. De cetero vero pro hac utriuſque Eccleſiæ majorata emendatione omnis Præſul pro nobis, conjuge & prole, regnique ſtatu Dei miſericordiam exorare indeſinenter accedat. Vt autem hujus noſtræ piiſſimæ largitionis auctoritas potiorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem de bulla noſtra inſigniri juſſimus, & manu propria eum ſubter firmavimus. Signum Karoli glorioſiſſimi Regis. Adalgarius Notarius ad vicem... recognovit. Datum i v. Idus Maii Indictione i v. anno v i.* regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Actum ſilvagio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

LIB. VIII. CAP. II.

* 31.

Præceptum alterum Ludovici Balbi Regis Francorum pro Eccleſia Pariſienſi.

VI.

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Ludovicus miſericordia Dei Rex. Si eccleſiaſticis negotiis conſulendo quorum ſtatum ad emeliorationem ob Chriſti amorem deducimus, ab ipſo non dubitamus accipere retributionem pro cujus hoc honore peragimus. Noverit igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque præſens & futura ſagacitas. Quoniam Adelaidis cariſſima noſtra conjux, & Gauzlinus venerabilis Abbas ad noſtram accedentes manſuetudinem deprecati ſunt, ut in noſtræ mercedis augmentum ſemperque virginis intemeratæ genitricis Mariæ emolumentum, Ingelvvino venerabili Pariſienſis urbis Epiſcopo, & ſuæ Eccleſiæ quæ eſt in honore ſanctæ Mariæ matris Domini ædificata, per noſtrum denuo præceptum patris noſtri imitantes liberalitatem, Abbatiam ſancti Eligii, quæ eſt infra muros Pariſii civitatis, ad jus eccleſiaſticum habendam & ab ipſo ab omnibus ſucceſſoribus ſuis æternaliter poſſidendam reconcederemus, ſed jam dictus venerabilis Epiſcopus Ingelvvinus deprecatus eſt, ut ex ipſa abbatia quamdam villulam, quæ vocatur Gentiliacus cum Eccleſia & omnibus ad eamdem villulam pertinentibus memoratæ ſuæ matri Eccleſiæ ad luminaria per hoc ipſum noſtræ auctoritatis præceptum perpetualiter habendam concederemus, cujus etiam preces ſpernere noluimus, unde ob Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuæque genitricis amorem noſtræ conceſſionis iterum fieri præceptum & jam dicto Ingelvvino venerabili Epiſcopo, atque ſuæ matri Eccleſiæ dari juſſimus, per quod ſupradictam abbatiam cum omnium ſuarum rerum integritate, tam ipſe, quam & omnes poſt eum futuri Pontifices libere teneant, ſicut à genitore noſtro inſtitutum eſt & more eccleſiaſtico perenniter poſſideant, eo ſcilicet ordine, ſicut & alias res quæ eidem matri eccleſiæ conceſſæ habentur, verum præfatam villulam Gentiliacum proprie ad luminaria jugiter teneat; quam volumus, ut nullus Epiſcoporum per accedentes tempora ad ſuam proprietatem detentet, aut alicui dare præſumat, ſed tantum ad luminaria deſerviat, eo ſi quidem pacto, ut diem à Deo nobis conceſſæ unctionis, quæ eſt v i. Idus Decembris & diem futuri noſtri obitus Præſul memoratus atque ſui ſucceſſores ſub

continua orationum Miſſarumque aſſiduitate cum omni clero ſibi commiſſo celebret, & refectiones, ut jam dictis diebus in utraque congregatione ſtudioſiſſime peragantur. Ceterum pro præſenti utriuſque Eccleſiæ emolumento à nobis reſtabilito omnis Præſul pro nobis conjuge & prole regnique ſtatu domini miſericordiam indeſinenter exorare procuret, & ut hæc noſtræ denuo reconfirmationis auctoritas per omnia tempora inviolabiliter conſervetur manu propria ſubter firmavimus, & anulo noſtro inſigniri juſſimus. Vulfardus Notarius ad vicem Gozlini recognovit & ſubſcripſit præceptum hujus exemplariæ. Datum IV. Nonas Aprilis Indictione XI. anno I. regni Ludovici glorioſiſſimi Regis. Actum Pariſius civitate in Dei nomine feliciter. Amen. Ingelvvinus porro Engelvvinus ſæpe ſcribitur aliquando Angelvvinus in tahulariis Eccleſiæ Pariſienſis dicitur, hujus mentio eſt in indice Colbertino, & in chartis haud paucis ut ſupra notatum eſt.

CAPUT III.

De inclinatione familiæ Carolinæ. De morte Ingelvvini Epiſcopi Pariſienſis, & de Gozlino ejus ſucceſſore. De Tranſlatione ſancti Mederici. De nova Nortmannorum infeſtatione. De celebri obſidione Pariſiorum, &c.

I. NON diu fratri Ludovico ſupervixit Carolomannus anno enim DCCCLXXXIV. cum venatione relaxaret animum ab apro graviſſimum vulnus accepit, paucíſque pòſt diebus ex vulnere moritur, aiebant aliqui eum ab armigero incaute percuſſum, quem Rex prodere noluit, ne qui imprudens ſe læſerat acerba morte afficeretur. Hic juvat pauliſper immorari, & miſerari ſimul infelicem familiæ Carolinæ ſortem, quam velut quædam immanis pernicies invaſerat. Ludovici pii filii Caroli-magni fuerant quatuor filii Lotharius, Pippinus, Ludovicus, & Carolus ex Judith. Lotharii qui Rex Italiæ, ac deinde Imperator fuit tres filii fuerunt, Ludovicus qui cum Italia nomen Imperatoris aſſumpſit, Lotharius qui Lotharingiæ nomen dedit, & Carolus Provinciæ Rex: horum nulla maſcula ſoholes ex legirimis nuptiis, Carolus enim Provinciæ Rex ſine prole deceſſit, Lothario unus ex Valtrada pellice Hugo ſuperſtes fuir, & Ludovico Imperatori una Ermengardis, quæ Boſoni Comiti nupſit; hæc Lotharianæ domus ſors fuit. Pippinus alrer ex filiis Ludovici ante parris ohitum è vita deceſſerat, duoſque filios hahuit Pippinum & Carolum, quos Ludovicus-pius paterna hereditate privavit; Carolus quidem Moguntinus Epiſcopus fuit, Pippinus ſæpius perturbata Aquitania, demum in manus Caroli-calvi venit, unde poſtea evadens indignam ſuo ſanguine transfuga ad Nortmannos mortem oppetiit. Neque felicior Ludovici Germaniæ Regis poſteritas fuit; tres quidem filios genuit Carolomannum, Ludovicum, & Carolum, qui trifariàm patris hereditatem partiti ſunt. Carolomanno Regi Bajoariæ nulla proles extirit, ſi Arnulfum nothum excipias, neque Ludovico juniori Regi Germaniæ, neque ipſi Carolo, qui quidem reſtituere Caroli-magni inclinaram domum viſus Germaniæ provinciis imperium regnumque Francorum primùm adjecit: deinde privatus imperio ſeu odio ſuorum, ſeu, ut plures memoranr, mentis imbecillitate; dominatio ad Arnulfum tranſlata eſt. Unicus ex univerſa Ludovici ſobole filius ex legitimis procreatus nuptiis Carolus

Ludovici Balbi filius ex alteris ejus nuptiis id temporis ſuperſtes fuerat, ex filiis enim Caroli-calvi ſolus Ludovicus hæres ſucceſſorque fuit, qui ex priori conjugio, de quo antea dictum eſt, Ludovicum & Carolomannum habuit, ex poſteriori Carolum poſthumum cui ſimplicis cognomen fuit, in eo uno ſpes omnis familiæ Carolinæ nixa erat. Vix quinquennis erat, quando frater ejus Carolomannus regnum cum vita reliquit, Tumque regni proceres inter ſe potentia & dominationis æmulatione diſſidebant. Inſignem inter eos locum tenebat Hugo magnæ vir illis temporibus inter Francos auctoritatis. In eo res ſtatu erant, cum Carolomannus è vita deceſſit, hic quemadmodum ejus frater Ludovicus in baſilica ſancti Dionyſii ſepultus eſt, horum habetur tumulus cum hac inſcriptione *Kallomannus Rex filius Ludovi Balbi. Ludovicus Rex filius Ludovici Balbi.* His ita expoſitis ad res Eccleſiæ Pariſienſis ſtylum & animum converto. LIB. VIII Cap. III.

Ingelvvino Pariſienſi Epiſcopo de quo ſupra memoratum eſt ſucceſſit Gozlenus aut Gauzlenus ſeu Gozlinus, hunc natalium ſplendore refulſiſſe ſcribunt annales Bertiniani, huncque aiunt Caroli-magni ex filia Rotrude nepotem fuiſſe, & Ludovici Abbatis ſancti Dionyſii, cujus antea mentio fuit, fratrem, hunc olim cum fratre Ludovico captum à Nortmannis, & magno redemptum pretio diximus, hic monaſteriis ſancti Dionyſii & ſancti Germani Abbas præfuit, & ſummus Regis Caroli Cancellarius fuit. Anno DCCCLXXVI. actis Synodi Pontigonenſis ſubſcripſit hoc modo, *Gaulzenus Abba & Archicancellarius.* Carolo-calvo proficiſcente in Italiam in Cariſiacenſi conventu anno DCCCLXXVII. inter Abbates, qui aſſidue Ludovicum ejus filium comitari debebant Gozlinus numeratur; in capitulo XV. ſic legitur. *Ex Abbatibus ſi alia neceſſitas non evenerit aſſidue ſint cum eo Vulpho Gauzlinus & Folco* &c. in eodem conventu juſſit Imperator capitula à Gauzleno Cancellario coram populo legi, & tunc juſſit Gauzlenum Cancellarium, ut hæc ſequentia capitula ad populum recitaret, cujus rei mentio facta eſt in conventu apud Compendium, quando Ludovicus filius Caroli-calvi Rex proclamatus eſt anno DCCCLXXVII. ſicut in conventu apud Cariſiacum quando Carolomannus alter è filiis Ludovici Balbi Rex ſalutatus eſt anno DCCCLXXXII. longum eſſet meminiſſe regiarum chartarum quibus ſubſcripſit, & ad ejus vicem Notarii ſubſcripſerunt. Is porro Gauzlenus alius eſt à Gozlino, de quo ſupradictum eſt, qui Foſſatenſis monaſterii Abbas fuit. Ille de quo hic ſermo acerbis temporibus Epiſcopus Pariſienſis dictus eſt, ſtatim enim atque ad cathedram evocatus eſt Carolomannus vita defunctus eſt, & regnum Francorum ſub Caroli pupilli principatu à Comitibus & præfectis provinciarum in fruſta diſcerpi cœptum eſt, quo tempore Nortmanni urbes inſignes & provincias, majoraque opida impune trucidatis civibus diripiebant, Gauzleni Epiſcopi commemoratio eſt honorifica in actis tranſlationis ſancti Mederici, quæ facta eſt anno DCCCLXXXIV. de qua hic modo mihi agendum eſt. II.

Erat quod à nobis aliàs relatum eſt Lutetiæ in ſuburbanis ad Septemtrionem cellula aliquot monachorum, in qua ſanctus Medericus dum Pariſiis egit diverſatus eſt & ubi diem obiit, & ſepultus eſt: illi poſtea cellulæ præpoſitus preſbyter. Sub Gozlino Pontifice Pariſienſi cellulæ & oratorio præerat Theodebertus preſbyter, hic cernens jacere corpus Mederici ad maceriam ſine honore in alium honoratiorem transferre ſtatuit; ob eamque cauſam Gozlinum Epiſcopum adiit, rogavitque, ut corpus pro ſua ſingulari pietate alio transferret, gratus ſermo pontifici fuit, pollicituſque eſt acturum ſe quod rogaret; tranſlationemque agi decretum eſt ipſo depoſitionis ejus die. Verum cùm eo die aliiſque diebus magnis regni negotiis Epiſcopus detineretur, & tranſlationem nihilominus fieri decretum eſſet, Archidiaconi, canonici & monachi tam qui Pariſiis, quam qui in locis vicinioribus verſabantur, huc magno numero acceſſerunt, peractaque ſollemni ritu tranſlatio, celebratæ Deo laudes, decantati hymni ſacri, publicæ precationes actæ, magna aderat clericorum turba, magna populi frequentia, poſitumque ſanctum corpus in loco idoneo, III.

ad cujus præſentiam Dei preces, & vota fundere fideles in poſterum ſoliti ſunt. Sed ecce tibi ipſa tranſlationis verba.

IV. *Anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti octingenteſimo octogeſimo quarto ſtudioſus Dei cultor ſacerdos Eccleſiæ ſancti Mederici nomine Theodebertus adiit venerabilem Gozlinum Abbatem atque urbis Pariſiacæ antiſtitem, ſuggeſſitque ei qualiter tanto paterno Mederico digna debuiſſet exhiberi reverentia in ſancto corpuſculo. Congruum enim ſacerdos locum præparaverat, ubi decentiſſime poneremus ſanctiſſima ejus membra, à loco tranſlata ubi juxta maceriam jacebant. Audito igitur præfatus Epiſcopus hoc gaudio gaviſus eſt, venienſque ipſe ad locum jam dicti ſacerdotis, gratiando factum collaudavit, ſeque benignum remuneratorem pro talibus repromittens hoc opus benevole expleturum per ſe dixit. Adveniente igitur die depoſitionis ſancti Mederici, in qua præfatus ſacerdos id facere diſpoſuerat ſæpe dictus Epiſcopus, variis regni utilitatibus occupatus adeſſe minime potuit: præcepit tamen condigno illuc miſſo exenio Archidiaconibus ſuis, & omni collegio ſervorum Dei tam monachorum, quam canonicorum Pariſius atque in circuitu commemorantium, ut hoc negotium digno perficerent honore, quod illi ſtudioſe curarunt implere. Convenientes namque tam clerici, quamque omnis Pariſiacæ urbis populus ad præfatam diem, cum omni religionis obſequio ad ſancta membra acceſſerunt ſicut aurum & gemmas rutilantia, levaveruntque cum timore magno & tremore, atque cum decantatione hymni Te Deum laudamus, & reliquorum hymnorum, pſalmorumque decantationibus, omni populo magna exultatione gaudente, & depoſuerunt eo in loco olim ſibi ut ſupra retulimus præparato, ubi nunc pro nobis, ut credimus, Dominum exorans cum honore quieſcit debito. Nec dubitandum eſt, quin quanto nobis vicinior eſt corpore, tanto erit proximior oratione, quo amplius ei fuerimus devotiores piæ venerationis ſtudio, eo plus exiſtet nobis, ut pote vicinus uberior in beneficiis.*

V. Cum quarto Cal. Septembris ſancti Mederici dies anniverſarius celebretur, oportet eodem pariter die tranſlationem ejus corporis peractam fuiſſe, quo die ejus memoriam celebrat eccleſia Pariſienſis ſancti Mederici: nihilominus tota diœceſi Patiſienſi agitur pridie Calend. Septembris, ita in eccleſiis collegiatis de Linais & de Campellis. Dies quoque ejus tranſlationis quotannis celebratur XI. Calend. Februarii in eccleſia Pariſienſi ſancti Mederici, ſeu hæc, ſeu alia, ut credibile eſt, ſit tranſlatio. De ſancto Mederico dictum eſt lib. 4.

VI. Poſt mortem Carolomanni Nortmanni, qui accepta pecunia exituros ſe ex regno polliciti fuerant, haud pactis ſteterunt, ejus morte ſe exolutos ſacramentis rati, incurſiones & deprædationes immaniter exercere, ut antea cœperant: tum optimatibus viſum eſt barbaram gentem ferro expellere. Verum neque illi propterea à cœptis deſiſtere: agros pro more vaſtare, monaſteria & villas & opida ferro & flammis abſumere, nihil ad ſummam crudelitatem reliqui facere. Sed his tempeſtatibus memorabilis obſidio Pariſiorum fuit, hanc urbem noſtri virtute & fortitudine contra audaces Nortmannorum impetus feliciter tutati ſunt, Abbo monachus ſancti Germani Pariſienſis verſibus, ut ferebant illa tempora, hanc deſcripſit, ex quibus pleraque hauſi, quæ modo memorabo.

VII. Jam ferme Quadraginta fluxerant anni & amplius, exquo Nortmanni Gallis infeſti cœperant eſſe, quando Godefridus & Sigefridus Reges Nortmannorum eaſdem invaſerunt. Anno ſcilicet DCCCLXXXI. collecta peditum equitumque innumerabili multitudine in Francorum provincias ingreſſi ſunt, & caſtris ad Moſam poſitis late ſpargere terrorem, finitima loca populare, ferro & igne abſumere opida, jugulare homines Leodium, Trajectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, vicinaque caſtella diripere & incendere. Anno ſequenti Prumiam monaſterium capiunt, quo tempore incondita ex agris hominum turba facto agmine in Nortmannos temere irruit, quos in morem pecudum mactant. His malis acceſſit mors Ludovici Regis, quæ barbarorum animis novam addidit audaciam. Nam continuo nonis Aprilis, quo die cœna Domini agebatur, Treviros occupant, agros circumquaque impune vaſtant, ac demum urbem Galliarum nobiliſſimam incendio perdunt, Mettas deinde infeſto

exercitu proficiſcuntur. Vvallo huic civitati Epiſcopus præerat: hic cujus muneris erat tollere in altum manus,& cœlum votis pulſare, adjungit ſibi Bertulfum Epiſcopum & Adelhardum Comitem collectaque militum manu Nortmannis it obviam conſeritque cum iis manus, ſed miſer vincitur, & ipſe in acie perimitur, fit magna Germanorum ſtrages, & barbari inſigni victoria potiuntur, lectis illi ab hoſte ſpoliis præda onuſti regrediuntur. Ex tribus Ludovici Germaniæ Regis filiis unus Carolus erat ſuperſtes, qui craſſus dictus eſt: hic nomen & inſignia Imperii aſſumpſerat, in hoc uno ſpes Germaniæ ſitæ erant, tum in Italia verſabatur, poſcebaturque à Germanis tamquam clara Carolinæ gentis ſoboles: ſed quæ graſſante vitio mortalium & ira Dei deflagrante in hanc progeniem longe à majorum virtute deſciverat. Ille ad præclaram evocatus hereditatem ſtatim paria dignitati conſilia concipere, longe maximum colligere exercitum ex ſubjectis nationibus Longobardis, Bajoariis, Alemannis, Thuringis, Saxonibus, & Friſiis aliiſque populis, ſed hæc majore ſtrepitu, quam conſilio & induſtria, vano enim inutilique conatu caſtra Nortmannorum obſidet, magno Imperii dedecore pacem cum hoſte paſciſcitur, Godefrido, qui ſuſcepturum ſe Dei religionem pollicebatur, dat Friſiam provinciam, & matrimonio jungit illi Giſilanem Hugonis ſororem, & Filiam Lotharii junioris, quam ex Valtrada ſuſceperat, Sigifridum aliosque Nortmannos, quoniam virtute non poterat, appenſo auri argentique immenſo pondere, ex finibus aliò divertit. Anno DCCCLXXXIV. Nortmanni duce Sigefrido in Galliam arma converterunt, & ad Somonam fluvium caſtra locant, & late prædas agunt, Galliis terrorem quoquo verſus ferunt. Sed quoniam Francos ea tempeſtate vel vis vel animus deficeret: eos quoque Carolomanno Regi pretio vincere decretum eſt; certe his XII. millia argenti pondo appendit; quo accepto ſolvunt navigia & ad oram maris tendunt. Carolomannus interea inopinatò moritur. Nortmanni audita morte Regis iter in Galliam remetiuntur, proceres regni ad eos mittunt legatos, conqueruntur, quod contra conventa data fide, accepto ex pactis pretio, iterum violato ſacramento hoſtiliter in provincias veniant. Reſpondent barbari exolutos ſe fide conventorum, poſt mortem Carolomanni, actum cum illo de pace, non pariter cum quovis alio, qui ſuccederet regno, ſi vellent pacem, daturos eo pretio, quo Carolomannus acceperat. Atrox viſa eſt reſponſio infidæ gentis, quorum perfidiam Franci exoſi ad Carolum Imperatorem legatos mittunt, rogantque, ut ſuppetias ferat, obſequio paratos eſſe, ſi eos in fidem recipere non deneget. Neque mora ei ad Gundulphi-villam adventanti occurrunt, datiſque pro more ſacramentis ei ſe ultro ſubjiciunt. In eum modum Carolus craſſus Imperator non modo Italiæ, & Germaniæ, ſed Galliarum imperium conſecutus eſt, & quodammodo labentis familiæ gloriam excitaturus videbatur, niſi conjurata in gentem fata, ita Deo decernente obſtitiſſent. Demum Nortmanni poſt aliquot expeditiones contra Carolum Imperatorem ad Somonam fluvium redeunt, atque ad Sequanam prædabundi accedunt, & magna vi Lutetiam Pariſiorum adoriuntur.

LIB VIII. CAP. III.

VIII. Lutetia Pariſiorum Neuſtriæ urbs clariſſima erat, ſub Regibus primæ familiæ caput regni. Verum ſub Carolina gente clara Synodis, & conventibus, multiſque aliis nominibus nobilis, urbs quidem etiam eo tempore ambitu ſuæ inſulæ continebatur, ſed aucta ſuburbanis aliquot ædificiis: ad auſtrum præter Regum palatium, baſilica erat ſanctæ Genovefæ, & paulo infra Occidentem verſus monaſterium ſancti Vincentii ſeu ſancti Germani, ad Septemtrionem, jam erecta erat ſancti Mederici baſilica, monaſterium ſancti Laurentii; ad Occidentem circa oram Sequanæ occurrebat baſilica ſancti Germani Autiſſiodorenſis, & quantum conjectura aſſequi mihi licet, privatis aliquot ædibus jam ſuburbana accreverant; quidquid fuerit, gemino ponte juncta continenti inſula erat, tam cis, quam ultra pontem turres adverſus Nortmannorum impetum à civibus extructæ fuerant; Urbis Epiſcopus erat Goſlinus de quo antea memoratum eſt. Odo vero Comes Pariſienſis urbis præfecturam gerebat,

LIB. VIII. CAP. III.

erant præterea in urbe viri nobilitate & animi magnitudine clari, inter quos habebatur frater Odonis Robertus, quibus decretum erat urbem tueri contra oppugnationem barbarorum, & quævis magis perpeti, quam urbem hoſtibus dedere. Nortmannorum aliàs erat ingens multitudo, triginta hominum millia, & amplius fuiſſe narrant ſcriptores antiqui. Abbo monachus ſancti Germani quadraginta millia fuiſſe verſibus ſuis cecinit, ſeptingentaſque naves, quæ operiebant alveum Sequanæ. Nortmanni ad Gozlinum urbis Antiſtitem ſtatim adeunt, rogantque, ut ſalva urbe liceat adverſo flumine præter urbem navigare, Reſpondet Gozlinus ſibi & Odoni Comiti urbem à Carolo Imperatore creditam, hancque omnes à periculo cunſervaturos facturoſque ſe, id quod facerent, ſi provincia eadem ipſis data ſit, quo reſponſo accepto Sigefridus perniciem urbi & civibus minitatur. Paulo poſt Nortmanni turris expugnarionem aggrediuntur, ſaxis & ſagittis pellere præſidium, opidani ferre auxilium properant, Odo inprimis & Robertus fratres, Ragenarius Comes & Ebolus Abbas Goz'ini ex ſorore nepos reſiſtere fortiter, plures ex utraque parte in prælio cecidiſſe auctor eſt Abbo. Nortmanni altera die eamdem turrim balliſtis immaniumque ſaxorum jaculatione aggrediuntur, alii ſuffodere turrim tentant, opidani injicere lapides, liquefactamque picem & ingentes molas, atque ita hoſtem à muro depellere. Cum hæc non ſuccederent foribus ignem ſubdere, noſtri aqua extinguere. Interea plures è barbaris ſaucii recedunt, alii exanimes cadunt, pauci ex noſtris. Annus interea DCCCLXXXVI. elabitur, neque propterea Nortmannis ſolvere obſidionem decretum eſt, ex ſaxis & ceſpite vallum erigunt circa muros ſancti Germani Antiſſiodorenſis, quem Abbo ob rotundam baſilicam Germanum teretem vocat; plures deinde ex paganis late per campos ſpatiantur, multoſque mortales perimunt, nullique aut ætati aut ſexui parcunt. Monachi qui extra urbem erant, aliò cum ſacris pignoribus fugere, plerique ad Fulconem Archiepiſcopum Remenſem quos benigne ſuſcepit & paterne fovit. Inter quos etiam monachos ſancti Dionyſii cum ipſius martyris pretioſo corpore, aliorumque ſanctis pignoribus recepit & aluit.

Flodard. lib. 4.

IX. Omnia barbaris cedunt una Lutetia barbarorum conatibus infracta ſtetit. Jam vero cum noſtri interriti in turre perſiſterent, barbari cum viribus non poſſent, eam arte & machinis moliuntur dejicere, carrum fabricant ingenti opere, quod ſedecim rotis habebatur, in eo tabulatum erat ex lignis compactum, quo tegerentur ſexaginta milites, qui ſub machina immunes à periculo turrim ariete, aliiſque machinis adorti ſunt; tres ejuſmodi machinas turri admovent. Atrox fuit pugna, quiſque animo & virtutem factis oſtentare, ipſe Gozlinus antiſtes aderat, cui pietatis loco habebatur animam pro aris & focis profundere. Odo aliique Comites præſto erant, ſed ſingularem in primis audaciam Odonis fuiſſe memorant. Nortmanni nihilo ſegnius perſiſtunt, arietibus pulſant turrim, noſtri ex alia parte mangonibus ſaxa projiciunt, & machinis dejicere aliorum machinas conantur. Sed ecce dum barbari nihil ariete proficiunt tres cymbas, quas lignis, arboribus, & ramorum faſciculis implent, & quibus ignem ſupponunt, demittunt ad turrim. Strues erat lapidum, qua ex altera parte pons fulciebatur, huc naves acceſſere, neque ignis nocuit. Interim ad naves ignitas noſtri deſcendere, & aquis eas immergere, tumque opidani renovare animos. Jamque menſis Februarius advenerat, cum hoc felici ſucceſſu res acta eſt. Turba Nortmannorum id temporis relicta obſidione populatum ad Orientem profiſciſcitur, jamque ad villam venit ubi Robertus erat, vir clarus nobilitate cum aliquot militibus; adventantem hoſtem conſpicit, it obviam nudato enſe percuſſiſque uno & altero, ipſe ſaucius cadit, cujus cædem multorum internecione Adalelmus ejus nepos poſtea ſæviſſime ultus eſt, Nortmanni deinde aliud ineunt conſilium in alteram fluvii ripam tranſire ſtatuunt, & baſilicam ſancti Germani Pariſienſis antiſtitis diripere, hujus corpus ad adventum barbarorum in urbem tranſlatum fuerat, & poſitum in eccleſia ſancti Germani veteris, ut vocant, ſcribit Mabillonius in mercedem hoſpitii relictum in ea

baſilica brachium hujus ſancti monaſterium clariſſimum erat, Nortmanni irruunt
ſubito in eccleſiam, Abbo refert quoſdam divinitus percuſſos, qui eccleſiam more
latronum diriperent. Dum hæc agerentur nocte pons aquis tumentibus dejici-
tur. Dani uſi tempore turrim, quæ ab urbe defendi non amplius poterat, rati-
bus circumeunt, & magno molimine hanc premunt, in ea duodecim ſtrenui
milites erant, quorum nomina Abbo recenſet; hi, cum neque ſperare auxilium
poſſent, nec faces turri admotas extinguere, præclaram pro patria mortem op-
petierunt. Capta turre plures è Nortmannis trajecto Sequana ad Ligerim ten-
dunt, onuſtique præda ad patriam remeant. Præclarum eo tempore factum Eboli
fuit, qui erumpens ex urbe hoſtium caſtra intrepidus oppugnat, & poſtquam ali-
quamdiu cum iis fortiter pugnavit, impar copiis ad ſuos incolumis regreſſus eſt.
Vix dici poteſt, quas prædas egerint barbari ex locis Lutetiæ adjacentibus, quam-
que vaſtitatem in agris fecerint, greges & armenta pecorum abducta, cumque
deficeret locus ad ſtabulandum, & monaſterium & ipſa baſilica ſancti Germani
nulla ſacrorum reverentia pro ſtabulo fuit, quæ paulo poſt cæde pecorum adeo
computruit, ut projicere in Sequanam tabida cadavera coacti ſint. Seſe diffun-
dere deinde in proximos pagos barbari, Carnotenum inprimis agrum populare.
Poſt aliquot pugnas demum mille & quingenti ex iis interfecti ſunt, quæ victo-
ria fuit Godefridi & Odonis egregiorum militum, quos Uddo Carnotenus, ut
exiſtimo, Comes adverſus Nortmannos oppoſuerat; prædicanda inprimis fuit
Odonis illius fortitudo & induſtria, abſciſſa fuerat olim in prælio ejus dextera,
cujus loco ferream manum affabre factam ſuppoſuerat, quâ haud ſegnius quam
propria utebatur. Hic ſæpius marte cum Nortmannis repetito multas de bar-
baris palmas retulit. Jamque Nortmanni vinci aſſueti, & apud Cenomannos
magnam cladem acceperunt, aliaque opida ad exemplum Pariſienſium rem
deinceps adverſus Nortmannos præclare gerere cœperunt. Eo ferme tempore
& Fulco Archiepiſcopus Remenſis ſcripſit de obſidione Lutetiæ, memoratque
civitatem Pariſiorum, quam caput aſſerit & introitum regnorum Neuſtriæ at-
que Burgundiæ, barbarica cingi obſidione, citoque capiendam, niſi Dei ſubven-
tum fuerit clementia, quæ ſi capta fuerit, totius diſpendium regni ſe perpeſſuros.
Gozlinus à Carolo Auguſto petierat auxilium, tum vernum tempus appetebat.
Nortmannis ſicut prius propoſitum erat obſidioni fortiter inſiſtere, nec niſi
capta direptaque urbe diſcedere, aut ibi arcem ſuæ gentis conſtituere.

Dum res in eo ſtatu verſarentur, Carolus Imperator obſeſſis auxilium mittit X.
Duce Henrico, hic ex Saxonibus ortus opportunam operam aliàs Carolo præ-
ſtiterat, in agrum Pariſienſem venit; ejus adventu crevit obſeſſis animus, &
ſane validis copiis inſtructus erat, & Nortmannos longæ obſidionis attriverat
labor. Henricum ſcribit Abbo ſub noctem invaſiſſe caſtra hoſtium, cædem præ-
damque magnam feciſſe, cives ob incondirum barbarorum clamorem ad mœnia
procurriſſe, & milites portis erupiſſe, quo tempore audax facinus Odo execu-
tus eſt; ille enim ſuperata ante alios per ſaltum foſſâ, ſolus ſtetit contra hoſtes
jaculum manu ferens, quæ res admirationi noſtris, & barbaris terrori fuit.
Narrat auctor annalium Mettenſium malis avibus Henricum ad ſolvendam
obſidionem acceſſiſſe, Nortmannos ſcilicet caſtris ſe continuiſſe, & circum
caſtra foveam latam unum pedem & tres altam egiſſe, quam ſtipula aliiſque
ejuſmodi quiſquiliis opperuerint; Henricum ducem cum paucis caſtra hoſtium,
& eorum munitiones circuiſſe, inſpexiſſe ſitum loci & vidiſſe, quo in loco
præſertim irruptio in caſtra facilis eſſet, ac demum acceſſiſſe ad caſtra, eoque
tempore quoſdam è barbaris, qui quaſi latrunculi in inſidiis latitabant, eum
convitiis, teliſque appetiiſſe, cumque ægrè tuliſſe nebulonum injuriam, in eoſ-
que dum impetum facit, equum in foveam inruliſſe pedem, ipſum ex equo de-
jectum corruiſſe, atque in eo ſtatu ab hoſte illicò confoſſum ſpectante exerci-
tu: vixque ejus corpus ab hoſtium ereptum manibus in baſilica ſancti Medardi
Sueſſionis ſepultum, & exercitum occiſo duce in Germaniam reverſum eſſe.

Paulo poſt propè ab obſidione diſceſſum eſt. Sigefridus tædio diuturnæ ob- XI.
ſidionis ex pactione inita cum Odone eam ſolvere parabat, conventumque

LIB VIII CAP. III fuerat de ſexaginta libris argenti, qua pecunia accepta barbarus diſceſſurum ſe pollicebatur, ſed interceſſerunt Dani, indignum eſſe rati poſt tot prælia totque labores infecta re abire. Lutetia in inſula poſita muris & turribus munita erat, adeo ut inter mœnia urbis & oram inſulæ ſpatium eſſet, quod ex Abbonis verſibus colligitur, ait enim Nortmannos in inſulam deſcendiſſe & circumdediſſe mœnia, ſed noſtros erupiſſe foras, circum turres ſtetiſſe, duos Reges occiſos, pluresque alios interfectos, alioſque hauſtos aquis Sequanæ dum fugere conarentur.

Inque ſulas urbis penetrant ſedes quibus extat,
Mœnia circumeunt trucibus gladiis onerati,
Digreſſique foras noſtri circumdare turres.
Occidunt reges geminos plureſque aliorum
Fallaceſque fugam diamant, verique triumphum.
Amnis in auxilium nobis Sequanæ fuit altus,
Quos ſorbens penitus merſit, tranſmiſit averno.

His ita peractis Sigeſridus contumaciam ſuorum criminatus eſt, & ipſe accepta pactione ab obſidione diſceſſit relictis tamen ſociis, quibus pertinaciter permanere decretum erat.

XII. Hoc tempore contigit mots Gozlini antiſtitis anno ſcilicet DCCCLXXXVII. de eo antea dictum, & præterea dicemus, poſtquam expoſita erunt ea, quæ ad obſidionem pertinent. Urbs interea premebatur à Nortmannis, peſtis inſuper graſſabatur, pluresque quotidie jugulabat, opidani in his anguſtiis Deum precari, ut ſibi opituletur, ſupplicationes publicas agere, mœſti circumſerre per muros ſancti Germani feretrum ad depellenda mala, quibus Lutetia affligebatur. Odo Comes anceps animi, quibus artibus reſiſteret, demum ad Carolum Imperatorem profectus eſt, rogavitque auxilium, Lutetiam armis Danorum premi, diu opidanos reſtitiſſe, & peſte & bello ita affligi, ut nulla ſpes ſuperſit ſalutis, niſi abſque mora auxilium ferat: Galliarum imperium in poteſtate barbarorum fore, ſi potiantur Lutetia. Ad ſummam malorum proceres, quorum virtute urbs tamdiu defenſa fuerat, ex urbe exeunt metu morbi deflagrantis, ſolus prope Ebolus monaſterii Pratenſis Abbas & nepos Gozlini Epiſcopi in urbe ex optimatibus remanſit, qui ſæpius ſuæ virtutis periculum fecerat. Ipſe igitur more Danorum ſex equites inſtruit, & erumpit portis, pluribuſque editis facinoribus nomen ſuum commendavit, quæ res acciſas ſpes Pariſienſium erexit. Sed opidanis nihil lætius accidit, quam adventus Comitis Odonis, qui in monte Martis, nos montem martyrum appellamus, conſedit auxilia urbi adducens. Barbari illico urbem cingere militibus, ne Odoni ad eam pateret aditus; nihilominus Odo urbi auxilia intulit favente Ebolo. Omnes ſtatim Odonis facinus prædicare, qui tam opportune urbi laboranti opem tulerat. Adalelmus Comes Odoni urbem ingredienti adfuerat. Barbari eum redeuntem inſequuntur, ille interritus converſis ſignis eos in ſua caſtra redire compulit pluribus occiſis. Ecce eodem tempore barbari alio caſu perculſi ſunt, inter eos erat Rex Sinric, qui cum quinquaginta ex ſociis cum trajiceret Sequanam naufragio periit. Demum aperta vi invadere urbem inſtituunt, circa meridiem igitur omnes ſimul urbem adoriuntur, & eodem tempore muris, turribus, & portis vim inferunt, ut ſaltem aliqua ex parte res ſuccederet, dubiis opidanis cui præſertim loco ſuccurrerent. Res plena periculi fuit, nullus circa urbem locus hoſte vacuus, tela grandinis inſtar per aërem ferebantur. Non tamen noſtris animus defuit, illi omni in loco vim vi repellere, ſagittis, catapultis, baliſtis & lapidibus agere, corpora hoſtibus opponere, implorare quoque divinum auxilium; reliquiæ ſanctæ Genovefæ ad urbis caput deferuntur, quod felix fuit, ea enim parte victoria fuit, & procul à mœnibus hoſtis fugatus eſt: non eodem ſucceſſu aliis in partibus pugnatum; prævalebant barbari, urbemque omnes ſpe ſalutis præciſa captam haud dubie exiſtimabant. Tum miſerrima urbis facies erat, audiebantur mulierum ejulatus, civium ora dolor & luctus occupaverat, clamores ubique perſtrepebant; omnes vocare in auxilium & defenſionem ſanctum Ger-

manum urbis antiſtitem, affertur corpus ſancti Germani, ubi noſtri inclinant. Dictu mirabile! ſubito redit noſtris animus, & barbari quoque quaſi divinitus perculſi animo cadunt, tum noſtri acrius inſtare, & denuo inſtaurare prælium, jam hoſtes exterritos facile fuit vincere; dejiciuntur è mœnibus, fugantur ex turre, quam prope ceperant, multi è barbaris confoſſi vulneribus exanimes ruunt, ingens barbarorum occiſio fuit, etſi barbari cedebant, non tamen res noſtræ in tuto erant, ignem portæ turris admoverant, ignis late graſſabatur, fiebatque hoſti aditus. Noſtri ne inulti morerentur valuas reſerant; hac eadem hora quidam è ſpecula ſtabat lignum ſanctæ Crucis manibus ferens, objicienſque incendio; illico ignis extinguitur, & noſtri in barbaros irruunt: hique demum receſſerunt onuſti ſuorum cadaveribus, dedecore & pudore ſuffuſi. Læti ex felici rerum exitu noſtrates ad baſilicam ſancti Stephani martyris venerandum ſanctæ Crucis lignum, & feretrum ſancti Germani deferunt, Deoque immortali gratias ob conſervatam urbem ſollemniter retulerunt. Paulo poſt Carolus Imperator cum validis copiis urbis ſubſidio accedit, ad radicem montis Martis caſtra locat. Urbs, ut prius relatum eſt, Pontifice vacabat; Carolus Anſchericum Pariſienſem Epiſcopum nominavit, electionem clerus populuſque comprobavit: de eo aliàs erit ſermo. Nortmanni ſeu longæ obſidionis ærumnas pertæſi, ſeu novis auxiliis perterriti, agere de pace cum noſtris cogitant, hiſque conditionibus conventum eſt; ut liceret illis aliò proficiſci, & Senonas petere, ut menſe Martio ſeptingentæ libræ argenti appenderentur, quo tempore Nortmannis ad ſuos regredi penates ſtatutum fuerat. Rhegino horum temporum ſcriptor Nortmannos rem eo tempore dictu incredibilem aggreſſos eſſe memorat; cum enim urbem non poſſe expugnari intelligerent, ſuaſque naves à tranſitu probiberi, claſſem integram ad continentem traduxiſſe, & inſtar quadrigarum per terram naves traxiſſe per duo & amplius milliaria, quas iterum Sequanæ immiſerint, & per Sequanam in alveum Icaunæ ingreſſos, & Senonas ſex menſes fruſtra obſediſſe; ſed omnem propè Burgundiam eorum prædationibus objectam. Corpus ſancti Germani ad ſuburbanam ſui nominis baſilicam rite delatum eſt; quo tempore plura edita ſunt miracula, quorum quædam Abbo monachus teſtis oculatus & horum temporum ſcriptor carmine cecinit. Nortmanni è mœnibus Senonarum Lutetiam iterum aggrediuntur, ſed non meliore quam antea ſucceſſu. Illi itaque aliò arma convertunt, in Matronam fluvium enavigant, Meldaſque oppugnant. Segemundus urbis erat Epiſcopus, & Tbetbertus frater Anſcherici Pariſienſis Epiſcopi Comes hujus civitatis. Dani die & nocte inſiſtunt obſidioni. Comes nihil reliqui facit ad repellendos hoſtium impetus, & ſæpius eruptione facta cum barbaris fortiter conflixit. Sed demum ipſe interfectus eſt, urbſque capta, & captus ipſe Epiſcopus Meldenſis. In antiquis annalibus legimus Meldenſes aliquandiu armis barbarorum obſtitiſſe, ſed demum fame & ferro prope enectos, omnes reliquos, cum nec auxilii, nec ſalutis ſpes ulla ſupereſſet, ex compoſito ſe dediđiſſe ea conditione, ut ſibi cum vita libertas ſervaretur. Sane egreſſos omnes ex urbe conſtat, ſed illico trajecto Matrona Epiſcopum cum populo violata pactorum fide comprehenſum. Magna interea rerum mutatio obtigit. Carolus Imperator à ſuis imperio abdicatus eſt, tranſlata ad Arnulſum ex fratre Carolomanno nepotem poteſtate. Aiunt id à ſuis factum, quod animi ægritudine laboraret. Franci, Carolo in ordinem redacto, regnum Odoni Comiti, cujus in obſidione Pariſienſi probata virtus poſthabito Carolo filio Ludovici Balbi, ad quem ex jure regni hæreditas redibat, unanimi conſenſu deferunt; de ea re inferius dicetur: nam & hoc negotium ad res Pariſienſes maxime pertinet. Nortmanni Meldis direptis incenſiſque Lutetiam denuo revertuntur, angebat vehementer barbaros dedecus ſolutæ obſidionis, neque facile patiebantur ſe à navigatione prohiberi. Meldarum igitur exitio feroces barbari urbem iteratò obſident. Odo jam Rex proclamatus ſtrenue agere ſtatuit, rem ſuam eſſe æſtimans Lutetiam non modò, ſed & regnum defendere, convocat igitur Francos Aquitanos & Burgundiones. Adfuerunt, ſed non paribus animis, Aquitani enim & Burgundiones non tam præ-

LIB VIII CAP III. ſtandi auxilii cauſa, quam ſpectandi, quo in ſtatu res Francorum eſſent, ſublato è regia familia, & in aliam gentem tranſlato imperio: nulloque præclaro facinore edito abiere. Dani nihilominus quibuſdam affecti cladibus terrore perculſi diſceſſerunt. Anſchericus, ne alia referam, eo tempore cum trecentis militibus ſexcentos è barbaris tumultuario certamine cecîdit, ſed hæc nihil ad victoriam quam Odo Rex de Nortmannis retulit. Erat extra Lutetiam Mons Falco dictus, cujus & nomen & mouticuli extant veſtigia, effoſſo enim ibi gypſo prope colliculus ad terram complanatus cernitur. Circa montem illum anniverſario die ſancti Joannis Baptiſtæ egregie à noſtris certatum eſſe narrant. Abbo rem hoc modo geſtam eſſe memorat. Odo extra urbem ſtipatus mille militibus egreditur, forte inter eos erat quidam juvenis, qui, ut moris eſt Francorum, nemus vicinum ingreſſus venationi vacabat, is ſubito advertit adventare equites Nortmannos magno numero, id ſine mora Odoni renunciavit, ille precatus Deum ſuos jubet eſſe animo forti, ſignificatque ſuis ſe montem conſcendere, ut quid rei ſit ex edito loco ſpeculetur, monetque, ut ad ſonitum tubæ omnes abſque mora ad montem advolent. Paulo poſt videt Nortmannorum peditatum lento greſſu incedere. Continuo tuba clangitur, omnes arma capiunt, in equos cito inſiliunt, in hoſtem eodem impetu feruntur. Initio pugnæ unus è Nortmannis impegit in cervicem Odonis ictum, quo depreſſa in humeros galea, quem confeſtim Odo ſuo gladio confecit: pugna deinde exardeſcit, barbari cæduntur, fugiunt, victoria penes Odonem fuit; tam in conflictu, quam in fuga aiunt novem & decem millia hoſtium cæſa fuiſſe, quod Odoni honorificum fuit; tumque Franci hac temporum acerbitate agnoverunt electionem Odonis utilem regno fuiſſe. Nortmanni de obſidendis Pariſiis nihil poſthac cogitare aggreſſi in fines Neuſtriæ evaſerunt. Hanc ferme obſidionis hiſtoriam ex Abbonis verſibus, qualeſcumque ſunt, collegimus, is monachus fuerat Pratenſis & obſidioni præſens aderat. De Gozlino pauca his adjicienda ſunt.

XIII. Gozlinum Pariſienſem dixi tempore obſidionis ſublatum eſſe, non quidem percuſſum ab hoſte, etſi nulli tempori, nullique loco deerat, ſed moleſtiis & laboribus fractum, ea qua erat ætate. Abbo ad ejus commendationem plures verſus condidit, quibus teſtatur quo dolore cives affecti ſint ob ejus mortem, quàm bonis ſanctiſque moribus fuerit, quod his miſerrimis urbis temporibus civium ſolatium & tutamen erat, & quaſi totius civitatis propugnaculum, ſed auctoris verſus juvat referre.

Terra gemat pontuſque, polum, latus quoque mundus,
Gozlinus Domini præſul mitiſſimus heros
Aſtra petit, Domino migrans rutilans velut ipſe,
Noſtra manens turris, clypeus, necnon bis acuta
Rumphea, fortis & arcus erat, fortiſque ſagitta.
Heu cunctis oculos fontes terebrant lacrymarum,
Atque pavore dolor contritis viſcera ſcindit.

Fuerat, ut diximus, Abbas ſancti Dionyſii, & ſancti Germani à pratis, & regni Archicancellarius: jam dixi alium fuiſſe à Gozlino Abbate Foſſatenſi: ſed & alius fuit à Gozlino, cui opus ſuum de obſidione Pariſienſi Abbo monachus dedicavit. Nam cum opus ſuum ſcripſerit jam ſoluta obſidione, & jam Rege Odone, ut ipſe teſtatur, is ſane Gozlinus non fuit, qui Pariſienſis Epiſcopus fuerat, quique è vita deceſſerat anno altero obſidionis, id eſt anno DCCCLXXXVII. ante mortem Caroli Imperatoris, & ante regnum Odonis, & conſtat ex epiſtola nuncupatoria Gozlinum ſuperſtitem fuiſſe, quo tempore opus illi ſuum Abbo dedicavit; adde quod illum Abbo fratrem appellat, quem titulum monachus diaconus non tribueret Epiſcopo, ſed hæc clariora ſunt, neque opus habent probatione. Extat in chartulario ſancti Germani à pratis Caroli-calvi Imperatoris præceptum datum Gozlino Abbati, quo conſtituit, ut feminæ, quæ de villis Abbatiæ ſunt, in poteſtate Abbatis & monachorum ſint, ut ad eorum arbitrium nubant, & matrimonium contrahant, neque quis ab illis capitalitium, neque aliud quodvis munuſculum repetat. Datum legitur Aquiſ-

Digitized by Google

grani, ad calcem hujus capitis integrum deſcriptum eſt. Gozlinum paucis annis
Epiſcopatum Pariſienſem geſſiſſe ex eo patet, quod anno DCCCLXXXIII.
Ingelvvinus deceſſerit, & ipſe Gozlinus anno DCCCLXXXVII. Neque,
puto, quatuor integros annos Epiſcopus Pariſienſis fuit: obiit circa menſem
Maium, quod colligitur ex Abbone, qui innuit id contigiſſe cum inſtaret dies
anniverſarius ſancti Germani. *Inſtabant ejus feſtæ ſolemnia lucis.* Necrologium
ſancti Germani Pratenſis ſcribit hunc mortuum eſſe XVII. Calend. Maii.

Verum cum Abbo fuerit ex monachis ſancti Germani à pratis, & ipſe tem- XIV.
pore obſidionis in urbe fuerit, quod etiam pluribus in locis memorat, adeo ut
quæ ipſe viderit & ſpectaverit, ſcribat, huic ſane multam fidem debemus, non
modo in bis quæ ad obſidionem, ſed etiam in aliis, quæ ad vetera urbis decora
pertinent, quæ in ejus leguntur verſibus, & quæ ſequenti capite illuſtrabimus.
De Anſcherico ſucceſſore Gozlini alias erit ſermo.

In nomine Domini & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Carolus divina ordinante pro- XV.
*videntia Rex Francorum cunctis ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, & noſtris notum eſſe
volumus, quemadmodum venerabilis vir Gozlinus Abbas monaſterii ſanctiſſimi præ-
ſulis Germani Pariſiacæ urbis noſtram adiit præſentiam, innoteſcens nobis ingentem
altercationem & ſcandalum, quæ erat inter ſuos milites & monachos ipſius ſancti præ-
ſulis Germani, videlicet propter feminas, quæ dicebantur de villis Abbatiæ tum dicti
Abbatis Gozlini, ſuorumque fidelium in poteſtatem monachorum uxorandi cauſa,
quas poſtea repetere volebant, & capitalitium ab eis requirebant. Nos quoque ex hac
altercatione, atque tam forti jurgio conſilium requirentes noſtrorum cum aſſenſu Prin-
cipum ac noſtri Archicapellani & Abbatis Gozlini tale reperimus conſilium, pro Dei
amore & ſancti Germani, quo omni tempore fuiſſet nobis propitius & miſericors, ut
feminæ quæ ex Abbatia dictæ fuerint in monachorum poteſtatem, à nullo unquam ex
ipſa poteſtate Abbatis repetantur, nec aliquid capitalitium neque ullum munuſculum
requiratur ab ipſis. Ergo præcipientes jubemus nobis hoc pietatis præceptum omni tem-
pore inconvulſum & intemeratum permanere, quemadmodum noſtri anteceſſores ſua
juſſerunt præcepta ſiſtere firma. Vt & hæc auctoritas firmior habeatur & per futura
ſæcula melius conſervetur, de annulo noſtro ſigillari juſſimus. Qui vero noſtro tempore
aliter facere præſumpſerit, ſive poſt diſceſſum noſtrum hanc confirmationem violare vo-
luerit, à Deo nunc extitit contemptor, pænis æternalibus ſe condemnandum cognoſcat
Hebroaldus ad vicem Gozlini Archicapellani recognovi. Signum Caroli Glorioſiſſ.
Regis. Datum IV. Idus Iulii anno Chriſto propitio .... Imperii domni Caroli sereniſſ.
Regis. Actum Aquiſgrani Palat. in Dei nomine feliciter. Amen.*

CAPUT IV.

De nomine urbis Pariſiorum. De baſilica beatæ Mariæ, de baſilica ſancti Germani Autiſſiodorenſis. De ſancta Opportuna & de ejus baſilica. De Anſcherico Epiſcopo Pariſienſi, & de Ebolo Abbate ſancti Germani de Pratis.

ABBO Lutetiam dictam Pariſios ſcribit ab Iſia, quam urbem Græcorum eſſe I.
vult, quaſi par Iſiæ, alii ab Iſide dictam Pariſios aſſerunt, & Iſidem in-
primis in ea civitate cultam eſſe exiſtimant. Qui olim inſignia urbi tribuerunt,
ob eam cauſam navim illi appinxerunt, rati urbem Pariſios ab Iſide ita vocita-

tam, ſane in antiquis numiſmatibus navis propter itinera & navigationes pro ſymbolo Iſidi tradita eſt. Verum cum inſignia urbis Lutetiæ recentioris ſint inſtituti, nec niſi diu poſt Capetianæ ſtirpis ortum inducta ſint, haud moror iſtud argumentum, neque vereor aſſerere iſtam utramque urbis Pariſienſis originem commentitiam & fabuloſam eſſe, cum enim florente Imperio Romano Gallia omnis in civitates ſeu populos LXX. & XVII. provincias diviſa ſit, & cuilibet populo urbs primaria eſſet, quæ erat civitatis caput, ſingulis opidis quemadmodum & populis ſuum nomen erat à ſe invicem diverſum: ita Remorum urbs Durocortorum fuit, Agendicum Senonum, Autricum Carnutum: ita Lutetia Pariſiorum. Poſteriori deinde ætate nomen civitatis ſeu populi urbi quoque datum eſt, ita Durocortorum poſtea Remi dicti ſunt, & Senonæ ſeu Senones Agendicum, dato opidis populorum vocabulo, pari ratione nomen Pariſii, quod populi fuerat promiſcue pro urbe Lutetia uſurpatum eſt. Jam vero ineptum eſt utriuſque nominis Lutetiæ & Pariſiorum originem inquirere, non enim hanc à Latinis aut Græcis repetas, cum certum ſit fuiſſe originis Gallicæ, & è fonte Celticæ linguæ utrumque vocabulum ortum eſſe, cum autem illius linguæ ne veſtigium prope extet, quis certò prodere Gallicorum nominum originem poſſit. Poſt multas ætates quidam ſane origines aut à Græcis aut Latinis petiverunt. Sed hæc meditantium magis inventa ſunt, quam allatæ è fontibus genuinis vocabulorum Gallicorum origines. Meminit quoque Abbo baſilicæ majoris, quam ait ſacratam fuiſſe beatæ Mariæ virgini, & quam verſibus celebrat. Unde patet jam anteà ſacram beatæ Virgini baſilicam.

Vrbs in honore micat celſæ ſacrata Mariæ
Auxilio, cujus fruimur vita modo tuti.

Cum res tempore obſidionis in periculo verſarentur, Gozlinus ejus auxilium ſuppliciter implorare, cives quoque, qua pietate in beatam Virginem erant, ad eam confugere, eam votis & precibus ſollicitare, ſane haud vanas precationes ſuas cives experti ſunt. Ejus enim maxime beneficio urbem è manibus impiorum ereptam haud temere crediderunt, illique propterea ſingulares gratias ſoluta obſidione reddiderunt. Unde Abbo hos verſus in ejus honorem cecinit.

Pulchra parens ſalve Domini, Regina polorum
Noſtra nites altrix, orbis conſtas dominatrix
Quæ ſævis manibus Danûm gladioque minace
Solvere Luteſiæ plebem dignata fuiſti,
Lutetiæque ſatis poteras conferre ſalutem,
Quæ lubrico Salvatorem coſmo genuiſti.

II. Juxta baſilicam beatæ Mariæ Virginis erat ſancti Stephani martyris baſilica, de qua ſuperius, ad quam reportaverant corpus ſancti Germani Pariſienſis, quod allatum fuerat ad mœnia civitatis, quo tempore Dani muros & turres invaſerant, & noſtri prope animo & viribus fracti conciderant, ut ſcilicet periclitante urbe noſtri ad præſentiam ſancti Corporis reciperent animos, & ejus excitati patrocinio vincerent, ſane virtute ſanctæ Crucis & meritis beati antiſtitis noſtri hoſtem longe à mœnibus expulerunt.

Hæc virtute Crucis ſanctæ victoria noſtris
Ceditur, & meritis Germani antiſtitis almi,
Quem revehunt ad baſilicam Stephani quoque teſtis
Gaudentes populi, præcelſa voce boantes,
Voce Deum te laudamus, Dominumque fatemur.

III. Magna ſane erga ſanctum antiſtitem civium Pariſienſium pietas fuit, ſæpe eum vocare ad auxilium tempore obſidionis, cum præſertim urbs premeretur, & humanis prope auxiliis noſtri deſtituerentur: ſæpius accidit, ut in ſummo diſcrimine plebs ejus nomen palam ad auxilium vocaret, quo tempore turris prope ambuſta eſt, cum omnes rem in ſummo poſitam diſcrimine crederent, ad eum confugerunt publica totius urbis comploratione.

Tunc trepidant cives cunctique vocant celebrandum
Germanum, miſerere tuis, Germane, miſellis.

Pariſius præſul fuerat ſanctiſſimus olim
Illuſtrabat eam, cujus venerabile corpus
Mœnia Germani nomen recinunt, & in omni
Exclamat miles ſpecula, primique virorum,
O famulis Germane tuis ſuccurrere diſce!

IV. Sæpius contigit, ut rebus deploratis clerici magno civium comitatu feretrum ſancti Germani circumferrent per urbem. Sed nuſquam auxilium ſancti Germani præſentius fuit, quam cum barbari in muros, & in turres irruperunt, in hoc enim diſcrimine omnes vocare ſanctum Germanum, & ſollicitis precibus auxilium ab eo poſcere.

Voce rogant lacrymoſa omnes, Germane beate,
Auxiliare tuis, alioquin nunc moriemur,
O pie! nunc ſuccurre, citus, ſuccurre perimus.
Germanum reboat tellus, necnon fluviuſque,
Littora, & omne nemus, pariter circum reſonabat:
O Germane ſacer nobis miſerere, rogamus.
Templorum campana boant, mærentia clamant,
Vocibus his, & humus tremuit, flumenque remugit.
Urbs extrema verens inſtantis carpere lucis
Omnia, lamentis lacrymas ſpargebat amaris.
Omnibus en Germanus adeſt recolendus in orbe
Corpore, ſubſidioque ſimul, nil vota moratus.

V. Sed in primis Abbo meminit baſilicæ ſancti Germani Autiſſiodorenſis, quæ jam eo tempore in eo, in quo cernitur loco, ſita erat. Nihil aut pauca hactenus de ea eccleſia dicta ſunt, quapropter data occaſione, de ejus origine mihi utique dicendum eſt. Haud facile dictu eſt, quæ ſit origo hujus eccleſiæ, nihil in antiquis monumentis de ejus initiis reperi, Tilius, Breuliuſque ſcribunt eam olim à Childeberto Rege & Ultrogotha conditam, dotatamque eſſe, ſane ad portam primariam baſilicæ quæ Occidentem ſpectat, circumquaque viſuntur icones inſculptæ lapidi, quæ id aperte indicant, à dextra ſcilicet habetur inſculpta imago ſancti Vincentii levitæ, qui hujus eccleſiæ etiam nunc habetur patronus, ejuſque dies anniverſarius ſollemniter colitur. Ad latus ſancti Vincentii eſt Childebertus Rex & Ultrogotha Regina. In parte ſiniſtra conſtituta eſt ex eodem opere imago ſancti Germani Epiſcopi Autiſſiodorenſis, qui & alter hujus baſilicæ patronus eſt, ad cujus latus ſancta Genovefa cum Angelo manu candelabrum ferente adjuncta eſt; ea quidem hodie etiam viſuntur, quæ antiquitatem quamdam redolent: ſed quæ poſt tertiam regum noſtrorum ſtirpem erecta fuiſſe haud dubium eſt, ex quibus certe apparet, eam antiquamque eſſe hujus Eccleſiæ traditionem, primum in honorem ſancti Vincentii à Childeberto erectam baſilicam, qui non modo monaſterium & baſilicam ad auſtralem Sequanæ oram in honorem ejuſdem ſancti levitæ, ſed & ad Septemtrionalem ripam in honorem ejuſdem ſancti Martyris alteram condidit. Nulla quidem in veteribus chartis de ea fundatione certa memoria eſt, haud dubie tamen baſilica jam ſub prima Regum noſtrorum dynaſtia celebrata erat. Antea diximus, & allatis certis inſtrumentis probatum eſt Landericum Epiſcopum in ea ſepultum, ac demum elevatum ex ſepulcro, & in ea eccleſia à fidelibus habitum in honore: mortuum autem conſtat hunc Epiſcopum, ut memoratum eſt, paulo poſt annum DCLII. ſed ecce tibi chartam veterem, quam Mabillonius in opere de re diplomatica deſcripſit, ſcripta eſt anno regni Theodorici Regis XVII. anno ſcilicet Domini DCCXI. cum Sigofridus Epiſcopatum Pariſienſem gereret; mutila quidem eſt pluribus in locis, ſed ex ea tamen apertum eſt duas fuiſſe baſilicas nomine ſancti Germani inſignitas, utrobique vero monaſterium fuiſſe, ex ea intelligimus, in ea charta legitur donatio Vandemiris viri illuſtris & Ercambertæ ejus uxoris: in ea hæc legas, *ſimili modo donamus ad baſilica Domnæ Germanæ, ubi vir venerabilis Landebertus Abba præeſſe veditur, villam cognomenante fraxineto in pago..... vel quidquid præſente tempore eſt poſſeſſum, ſimile modo donamus ad baſilica Domnæ Vincente vel*

Domni Germani, ubi vir venerabilis Audcharius Abba præeſſe villas &c. quæ ſi quis legere ſtudeat, adeat locum. Hæc ad noſtrum propoſitum ſufficiunt. Patet ex his duas fuiſſe baſilicas ſancti Germani, alteram, quæ & ſancti Vincentii dicebatur, cui Autharius præerat, neque dubium eſt, quin fuerit baſilica ſancti Germani à pratis, quæ ad auſtrum in ſuburbanis ſita erat: alteram ſancti Germani Autiſſiodorenſis, quæ ad Septemtrionalem oram Sequanæ eſt, & quod notatu dignum eſt, monaſterium ibi fuit, cui Landebertus Abbas id temporis præerat, neque mirum cuiquam id videatur, cum conſtet pluribus in locis, aut extra, aut intra pomerium urbis monaſteria & monachos fuiſſe. Alias diximus in baſilica beati Petri & Pauli ſeu ſanctæ Genovefæ fuiſſe monachos, ita in baſilica ſancti Laurentii monachos quoque extitiſſe alias probatum eſt, ita baſilicam ſancti Mederici primum fuiſſe cellulam monachorum accepimus: quiſquis quæ ſupra de canonicis attulimus legerit, quomodo tempore Caroli-magni monachi in pleriſque locis abjecto habitu, leges & ſtatuta canonicorum ſectari instituerunt; is haud ægre ſibi perſuadebit ſæculo ſeptimo monachos fuiſſe in baſilica ſancti Germani Autiſſiodorenſis, qui ſæculo nono canonicorum regulas repudiato monachatu profeſſi ſint: cum id accidiſſe in aliis locis haud incerta memoria ſit. Quando vero id in baſilica ſancti Germani Autiſſiodorenſis contigerit, neque me, neque quemvis alium id dicturum eſſe haud dubitanter aſſevero. Legitur in parvo Paſtorali eccleſiæ Pariſienſis charta Ludovici-pii data anno ejus Imperii VII. in qua eſt memoria baſilicæ ſancti Germani Autiſſiodorenſis, præceptum eſt hujus Imperatoris, quo confirmat privilegia & libertates Eccleſiæ Pariſienſis, & præſertim terræ eccleſiæ majoris, quam ſanctæ Mariæ vocat, hanc eximit à poteſtate & juriſdictione Comitis Pariſienſis, idque ad rogationem Inchadi Pariſienſis Epiſcopi: deſcribuntur in ea charta loca, quæ inprimis gaudere privilegio debent, eaque verba privilegii notanda ſunt, quæ ad propoſitum noſtrum maxime ſpectant. *Jubemus, ut de regali via ex parte ſancti Germani à ſancto Mederico uſque ad locum, qui vulgo vocatur Tudella, in ruga ſancti Germani, neque in aliis minoribus viis, quæ tendunt ad monaſterium prænominati ſancti Germani, ullus Miſſus dominicus aliquam judiciariam poteſtatem ibi exerceat, neque aliquem cenſum, neque ripaticum, neque foraticum, neque ullum Teloneum recipiat. Sed Miſſus Epiſcopi ſecundum propriam voluntatem ordinet, & advocatus ejuſdem Eccleſiæ, tam de ipſa terra ſancti Germani, quam de dicta ſanctæ Mariæ in inſula poſita rectam ac legalem rationem reddat, ſine aliqua judiciaria poteſtate* &c. Hæc vero dici de baſilica ſancti Germani Autiſſiodorenſis manifeſtum eſt, & ex litteris Benedicti VII. PP. in quibus iiſdem verbis de eadem Eccleſia mentio eſt. *Et de regali via è parte ſancti Germani rotundi à ſancto Mederico, uſque ad locum, qui vocatur Tudela in ruga ſancti Germani* &c. ex quibus liquet hanc ſancti Germani Autiſſiodorenſis baſilicam antiquam eſſe, & primitus fuiſſe monaſterium, ut ex charta Vandemiris prius probatum eſt, & jam à priſcis temporibus baſilicam ſancti Germani nominatam. Unde vero baſilicam Vincentio primum dicatam aſſerunt? iconemque ſancti Vincentii ad portam baſilicæ in priore loco poſitam? & feſtum illius ſicut primarii patroni celebratum? non id quidem dixerim, niſi forte à primordio hanc ſacratam utrique eodem tempore ſancto Vincentio, & ſancto Germano, & ex pietate noſtrorum erga pontificem Gallicanum nomen ejus præcipue retentum jam à primis temporibus, ut in charta Vandemiris & in præcepto Ludovici-pii legimus. Hujus quoque eccleſiæ mentio eſt apud Abbonem in opuſculo de obſidione Pariſiacæ urbis. Ait enim Nortmannos caſtra poſuiſſe, eaque muniviſſe vallo circa beatum Germanum teretem.

.... Sequanæ ripas & caſtra beatum
Germanum circa teretem componere vallis,
Commixto lapidum cumulo, glebiſque laborant.

& libro 2. ſcribit eoſdem diſceſſiſſe ex ripa quæ ſancti Germani Autiſſiodorenſis vicina eſt, & trajeciſſe Sequanam, & ex adverſo ad baſilicam ſancti Germani à pratis tranſgreſſos eſſe.

Germani

Germani teretis contemnunt littora, ſancti
Æquivocique legunt, cujus factis bene veſcor.

Abbo duas recenſet baſilicas ad utramque ripam Sequanæ, alteram ſcilicet in parte auſtrali, quæ eſt eccleſia ſancti Vincentii, ſeu ſancti Germani Pariſienſis Epiſcopi, quam vulgo nominamus ſancti Germani à pratis, alteram ad ripam Septemtrionalem Sequanæ, quam vocat baſilicam ſancti Germani Autiſſiodorenſis, quam Abbo eccleſiam ſancti Germani teretis vocat ob ſtructuram, quæ id temporis rotunda erat; eâdem ratione in privilegio Alexandri PP. III. dato anno MCLXV. appellatur Abbatia ſancti Germani rotundi. In litteris Innocentii III. mentio eſt eccleſiæ ſancti Germani Autiſſiodorenſis, quæ ſubjecta eſt Epiſcopo Pariſienſi. Litteræ ſcriptæ ſunt Stephano Epiſcopo Pariſienſi, his ſummus Pontifex confirmat quæcumque Eccleſia Pariſienſis poſſidet, atque inprimis eccleſiam ſancti Marcelli, eccleſiam ſancti Clodoaldi, cum villa & omnibus appenditiis ſuis, eccleſiam ſancti Germani Altiſſiodorenſis, eccleſiam ſancti Eligii, eccleſiam quoque de Campellis: & Helgaudus ſcriptor rerum noſtrarum ſub tertia ſtirpe, dum Roberti Regis Francorum pietatem laudat, ſcribit eum ædificaſſe in civitate Pariſius eccleſiam in honore ſancti Nicolai Pontificis in palatio, monaſterium ſancti Germani Autiſſiodorenſis, ſancti Michaëlis eccleſiam in ſylva cognominata Biera. Haud dubito, quin hic mentio ſit eccleſiæ ſancti Germani teretis, ſeu Autiſſiodorenſis, hoc ſcilicet monaſterium olim deſtructum fuiſſe à Nortmannis, cum nondum reſtitutum fuiſſet, hoc opus à piiſſimo Rege peractum fuiſſe. Quod vero monaſterium nominetur, id non prohibet, quominus canonici jam eo tempore in hac eccleſia ſacra Deo agerent. Cum antea monaſterium fuiſſet, etiam poſtea retinuit nomen, & ſæpius clauſtra canonicorum monaſteria dicerentur, & Abbates hi, qui illis præficerentur.

VI. Sed quoniam hujus eccleſiæ incidit mentio, eaque pluribus honoribus & prærogativis decorata eſt, aliorumque collegiorum patronatu gaudet, juvat & quædam hic adjicere de baſilica ſanctæ Opportunæ, quæ juris eſt eccleſiæ ſancti Germani, ex iis apparebit jam nono ſaltem ſæculo canonicos fuiſſe in Eccleſia ſancti Germani Autiſſiodorenſis. Sed cum de baſilica ſanctæ Opportunæ mihi dicendum ſit, pauca præmittenda de ipſa ſancta Opportuna, cujus vitam ſcripſit Adelhelmus Epiſcopus Sagienſis ſub finem ſæculi noni. Opportuna ex piis & nobilibus parentibus in Oximenſi pago nata eſt, illa juvenis ſponſam ſe Chriſto vovit, & paulo poſt mundi honores vanos eſſe reputans, virginem accepto ſancto habitu ſollemniter ſe profeſſa eſt in Monaſteriolo, quod Virginum cœnobium eſt in ſaltu Augiæ diœceſis Sagienſis, haud procul ab urbe remotum, quod poſtea à Nortmannis penitus deſtructum eſt, neque deinde reſtitutum accepimus. Sancta Virgo tum piis operibus ex inſtituto religioſæ diſciplinæ inſiſtere, alias omnes tantum præire virtutibus, quantum nobilitate, aliiſque ſæculi ornamentis anteibat. Poſt aliquot annos vitæ aſceticæ piis inſtitutis peractos, ex ſuffragio & voto unanimi virginum in locum Abbatiſſæ, quæ obierat, eligitur, etſi haud grata ſibi ſoli electio, munus tamen accepit, ne divinæ reſiſteret voluntati, in hoc magiſtratu ſe hoſtiam Deo pro omnibus offerre, dies noctеſque orationi vacare, corpus jejuniis aliiſque exercitiis excruciare, ſecum inclementer & dure, cum aliis humaniſſime agere, & magis manſuetudine & exemplo quam imperio præeſſe. Chrodegandus ſanctæ Opportunæ frater tunc erat Sagienſis Epiſcopus, qui ſororem precibus & conſilio adjuvare conſueverat, ille vero pro ſua ſingulari in Eccleſiam amore ire Romam inſtituit commendato epiſcopatu Chrodoberto, qui ſub mendaci vultu recondita animi vitia diſſimulabat. Chrodegando enim abſente ille perperàm agere, dilaniare, non paſcere gregem ſibi creditum, & in morem truculenti latronis patrimonium pauperum diſſipare, virginibus ſubtrahere alimoniam, ſacra profanaque juxta polluere, præterea invadere munus, quod ſibi commendatum fuerat, malis artibus ſurripere ordinationem, & falsò ſe prodere Epiſcopum. Chrodegandus ſeptimo demum anno à profectione in parochiam redut. Chrodobertus cum

ſciret unam Eccleſiam duorum Pontificum non eſſe, neque, Chrodegando ſuperſtite, ſe Epiſcopum eſſe, illi inſidias moliri ſtatuit, & eum de medio tollere, & nihil tale opinantem opprimere: ſane paulo poſt quidam, quem Chrodegandus ex fonte ſacro ſuſceperat, pretio corruptus, dum ad Monaſteriolum ad Alamanniſcas, quod & alterum cœnobium virginum eſt baud longe à Monaſteriolo, pergit, ecce ille infandus ac ferox ſicarius illius capiti ſecurim impingit, & ſanctum Epiſcopum trucidat. Opportuna jubet corpus efferri, & ſepeliri in Monaſteriolo. Dici non poteſt, quo dolore tunc pia virgo percita eſt. Ex eo tempore illa ferventius Deum precari, & enixe orare, ut ſe ex hoc corporis ergaſtulo eximeret, ejus votis Deus annuit, non enim diu fratri ſupervixit; allocuta prius ſuas ſorores, quas ad Chriſtianas virtutes egregie adhortata eſt, obiit, &, ut juſſerat, juxta fratrem tumulo condita eſt, ejus feſtum recolit Eccleſia Pariſienſis x. Calend. Maii: quo anno præciſe mortua ſit, difficile dictu eſt.
Acta Bened. ſecul. 3. part. 2. Chrodegandus ejus frater epiſcopatum Sagienſem gerebat anno circiter DCCLXV. & eum circa annum DCCLXXIII. interfectum fuiſſe, exiſtimo. Cum vero ſancta Opportuna unum tantum modo annum fratri ſupervixerit, arbitror eam deceſſiſſe circa annum DCCLXXIV. Adelhelmus Epiſcopus Sagienſis ejus vitam ſcripſit circa finem ſæculi ſequentis, & librum ejus miraculorum. Habentur in actis benedictinis ea, quæ de S. Opportuna in his locis deſcripta ſunt. Jam vero quomodo Eccleſiæ Pariſienſi in honore fuerit, breviter memorabo.

VII. Sancta Opportuna poſt obitum ſignis pluribus & admirandis refulſit; quapropter ſingularis adverſus eam pietas fuit. Plerique ejus auxilium in rebus acerbis implorare, cumque in dies ejus ſanctitas magis eluceret, populi quoque ardentioribus votis ejus opem invocare, cæci ejus beneficio viſum, claudi incedendi poteſtatem, & muti loquendi uſum receperunt, energumeni ad ejus invocationem purgati ſunt. Cum Nortmannorum tota ferme Gallia furor bacchharetur Carolo-calvo imperante, & gens Nortmannorum Sagienſem in primis regionem infeſtaret, Hildebrandus Sagienſis Epiſcopus fuga ſibi, & clericis ſuis conſulere decrevit, & cum reliquiis ſanctæ Opportunæ aliò migrare, tum Regi Ludovico filio Caroli, cui Opportunæ ſanctitas nota erat, locum nomine Monciacum in pago Pariſienſi ſitum refugii cauſa concedere placuit, eo in loco multa opera divinitus edita ſunt. Tum ejus ſanctitatis fama per totam diœceſim divulgata eſt. Ejus deinde corpus tranſlatum eſt Lutetiam, ſi tamen caput excipias, quod in vico Monciaco honoris cauſa in Oratorio, quod Opportunæ Virgini conſtructum fuerat, remanſit: ſacræ reliquiæ Virginis Pariſios allatæ in terra ſancti Germani Autiſſiodorenſis honorifice poſitæ ſunt, & brevi in eo loco ædificata eſt baſilica, cui nomen ſanctæ Opportunæ remanſit. Cumque is locus ſignis & miraculis illuſtraretur, Ludovicus Balbus Rex Hildebrando Epiſcopo Sagienſi, qui profugus Pariſios cum ſancto feretro venerat, quique eccleſiæ ſanctæ Opportunæ adminiſtrationem gerebat, prata ad montem Martyrum, & campos haud procul à porta urbis ſcripta donatione conceſſit, hujus reditus Hildebrandus in alimoniam canonicorum addixit. Quod Adelhelmus ſcriptor vitæ & miraculorum ſanctæ Opportunæ his verbis memoravit. *Quo viſo Ludovicus Rex cum ſupra ſcriptis donis prata juxta montem Martyrum, & campellos inſuper prope portam ejuſdem civitatis eccleſiæ attribuit. Quæ ſuſcipiens bonæ memoriæ Hildebrandus Sagienſis Epiſcopus Eccleſiæ, qui eo tempore eccleſiæ beatæ Opportunæ Pariſienſis regimen habebat, præfati Regis nutu in ſuſtamentum canonicorum præfatæ eccleſiæ ſervientium ſtabilivit.* Ex quibus verbis facile eſt colligere, quo tempore initia fuerint eccleſiæ ſanctæ Opportunæ, & quæ origo collegii canonicorum hujus baſilicæ: neque dubium eſſe arbitror, quin antea canonici in eccleſia ſancti Germani exiſterent. Imbertus Epiſcopus Pariſienſis, deinde Galo ejuſdem civitatis Antiſtes eccleſiæ ſancti Germani Autiſſiodorenſis jus patronatus in canonicatus & præbendas ſanctæ Opportunæ conceſſit, habetur ipſa Galonis charta, & ipſum autographum, in quo hæc legas. *Prædeceſſor noſter Imbertus Epiſcopus præbendas ſanctæ Opportunæ Canonicis ſancti Germani conceſſit habendas, ſcilicet, ut quibus vellent*

Digitized by Google

perſonis, idoneis tamen, prædictas præbendas donarent Ego igitur Galo Dei miſericordia Pariſienſis Epiſcopus anteceſſorem noſtrum imitatus, donum illius plena voluntate conceſſi, & manum noſtræ confirmationis adhibui. Alias de prærogativis hujus baſilicæ longior erit ſermo, ſed hæc libro alio bujus hiſtoriæ, ubi plura de hac ſancti Germani baſilica ſubjiciemus, ad alia nunc ſermonem converto.

Abbo præterea in ſuo de obſidione Lutetiæ carmine meminit Anſcberici, ſcribitque hunc à Carolo Imperatore ſubrogatum in locum Gauzleni ſeu Gozlini Epiſcopi, quem diximus tempore obſidionis fato defunctum eſſe. VIII.

En princeps, de quo canitur, circumdatus armis
Omnigenis, cœlum veluti ſplendoribus aſtreis
Indaperator adeſt Carolus comitatus opimo
Diverſi populo labii, tentoria figens
Sub Martis pedibus montis, ſpeculamque ſecundam,
Redditur Eccleſiæque diu Paſtor viduatæ
Nobilis egregiuſque ſacræ pompatus honore
Totius Anſchericus virtutis germine clarus.

Uſque ad adventum Caroli Craſſi Imperatoris ſedes Pariſienſis vacaverat ſex ferme menſes à menſe Maio ad menſem prope Novembrem; ſtatim enim Nortmanni receſſerunt ab obſidione, & Senonas profecti ſunt. Tunc vero, inquit Abbo, glaciabantur torpentis ſæcla Novembris. Id vero accidit anno DCCCLXXXVII. quo tempore ſoluta obſidio, quæ ſuperiore anno cœperat. Ex bis porro intelligimus electionem Anſcherici dilatam fuiſſe uſque ad adventum Caroli. Nam, ut alias dictum eſt, tantæ auctoritatis erant Epiſcopi in provinciis & civitatibus, ut Reges exiſtimarent è re ſua & commodo eſſe, ut nemo epiſcopatum niſi à ſe acciperet. Ad hunc quem diximus annum annales Mettenſes meminerunt Anſcherici his verbis. *His etiam diebus prædictus Gozlinus Epiſcopus inter ipſas obſidionis preſſuras migravit à ſæculo, in cujus loco ſubſtitutus eſt ab Imperatore Aſchiricus Epiſcopus.* Hunc nobilem fuiſſe Abbo ſcribit, habuit Fratrem Tetbertum Meldenſem Comitem, quem antea diximus in obſidione Meldorum, dum fortiter rem gereret, à Nortmannis interfectum, unde Abbo. IX.

Mœnia Meldis adhuc Danis ſtipantibus urbis
Cui præſul reſidens fuerat in ea Segemundus,
Præſulis Auſcherici Tetbertus belliger heros
Germanus Conſul &c.

Nulla id temporis religio erat Abbatibus & Epiſcopis arma tractare: etſi tempore Caroli-magni id maxime Epiſcopis vetitum fuerat, verum ea conſuetudo adeo invaluerat, ut non mirum videatur, cur Gozlinus, & poſtea Anſcheticus in defenſione urbis Pariſienſis neque operam, neque manum denegaverint. Cum aliquando Anſchericus & Ebolus ad menſam accumberent; nunciatum eſt adeſſe Nortmannos: illico uterque ſurgit, & telis arreptis contra barbaros feruntur, plures ex iis, qui in urbe remanſerant, interfecti ſunt, plures capti, quos Anſcbericus propter fœdus antea cum iis ictum juſſit abire liberos, quos tamen propter gentis perfidiam retinere, vel perimere debuerat. X.

Fœderis antiſtes cauſa permiſit abire
Auſchericus, tentos potius occidere debens.

Tum poſt urbis Meldenſis expugnationem, iterum cum Nortmanni Pariſios rediiſſent, Anſchericus cum trecentis militibus portis erumpit, barbaros fortiter aggreditur; ſexcenti interfecti ſunt. Quod Abbo his verſibus expreſſit. XI

Præterea quadringentis à mille remotis
Acephalos proſtravit humi peditum comitatus
Agmine tercentum paſtor, certamine acerbo
Nobilis Anſchericus, pollens ex virginis ore:
Sic alacres ſpolium revehunt ad mœnia multum
Vrbani præſtante Deo, qui regnat ab alto.

Sed hæc, quæ alias baud laudanda in Pontifice, hic omnino non criminanda ſunt, tum propter eam illorum temporum conſuetudinem, tum propter Pari- XII.

ſienſis urbis obſidionem, quam adverſus paganos vel Epiſcopo defendere licitum, promptumque fuit, eoque magis, quod aiunt primùm Gozlino Pariſienſi Epiſcopo, tum ipſi Anſcherico vicecomitatum civitatis Pariſienſis commiſſum fuiſſe; neque abnuam ego iis aſſentiri, qui aſſerunt Odonem, poſtquam Rex acclamatus eſt, antequam in Aquitaniam expeditionem faceret, præfecturam ſeu Comitatum urbis, aut ſaltem vicecomitatum Anſcherico reliquiſſe. Maguo in honore Cathedra Pariſienſis erat, cui præfuerant ſummi totius regni Cancellarii Ludovicus & Gozlinus, ſanguine Reges & Imperatores attingentes; quibus ſi Anſchericus inferior claritate gentis, certe iis par honoribus, nam præter ſedem Pariſienſem, illi quoque contigit obire munus ſummi Cancellarii ſub Carolo III. Ernuſtum Notarium ſæpius in ejus vicem chartis regiis ſubſcripſiſſe ex antiquis tabulariis intelligimus, ita præcepto, quo Carolus Rex confirmat privilegia ſancti Germani Pratenſis, datum eſt anno XI. regni ejus, indictione VI. redintegrantis ejus anno VI. cui Ernuſtus ad vicem Anſcherici ſubnotavit. Idem Rex, ad petitionem Anſcherici Pariſienſis Epiſcopi, Epiſcopis Pariſienſibus donat Abbatiam Reſbacenſem, ad damna reſarcienda, quæ Pariſienſis Eccleſia tulerat deflagrante Danorum bello. Præceptum his conceptum verbis legitur in Gallia Chriſtiana.

XIII. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus divina propitiante clementia Rex. Si locis ſanctis & ſanctis cultibus mancipatis opem noſtræ impendimus munificentiæ profuturum nobis, & ad præſentem vitam proſpere tranſiendam, & ad perpetuam facilius obtinendam omnino confidimus. Quo circa omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorum præſentium ceu futurorum noverit religioſitas, quod Anſchericus Pariſiacæ urbis præſul venerabilis noſtræ adiens præſentiam ſerenitatis, felicibus intimavit vocibus noſtrorum coram præſentia fidelium Eccleſiam ſanctæ Mariæ prædictæ videlicet urbis, qua eiſdem præſul eſſe dignoſcitur, Nortmannica penitus infeſtatione deſtructam, atque ſævitia conſueta prope ad nihilum redactam: unde interventu quorumdam Principum vicinorum nobis aſſiſtentium, Frederunæ videlicet conjugis cariſſimæ, necnon & dilectæ Giſlæ Abbatiſſæ, atque venerandi Comitis Roberti & Adelæ Comitiſſæ, Altmari quin etiam atque Erchengarii Comitum, & Roberti nobis dilecti humiliter expetiit, ut ad ſupplementum deſolatæ Eccleſiæ, Abbatiam ſancti Petri Resbacis nomine dictam, & quondam Hieruſalem cognominatam in comitatu ſitam, quam iſdem Epiſcopus in beneficium hactenus habere dignoſcitur, per noſtræ auctoritatis præceptum concedere dignaremur, quatenus eidem præſuli ſuiſque foret augmentum ſucceſſoribus, quo noſtræ liberius poſſint ſervitutis explere negotia. Præfatorum igitur Principum cognoſcentes conſilia eſſe ſalubria, eorum benigne acquievimus poſtulationibus, atque communi conſenſu fidelium jam dictorum ſancti Petri Abbatiam, quo fiat perpetuum eccleſiæ ſanctæ Mariæ urbis dumtaxat Pariſiacæ, & Epiſcopis ejuſdem loci adminiculum, regia concedimus auctoritate; & ut hæc noſtræ auctoritatis conceſſio firmior habeatur, omnibus temporibus à noſtris conſervetur ſucceſſoribus, continuumque in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propria ſubter firmavimus, & de annulo noſtro ſigillari juſſimus. S. Caroli glorioſiſſimi Regis. Ernuſtus Notarius ad vicem Anſcherici ejuſdem Epiſcopi recognovit. Datum XI. Kalend. Iunii Indictione X. anno XV. regnante D. Carolo glorioſo Rege, redintegrante X. Actum in villa Diſiaco in Dei feliciter. Amen.*

XIV. Alterum ejuſdem Regis præceptum accipe ex majori Eccleſiæ Pariſienſis chartulario, quo Carolus, qui ſimplex dictus eſt, donationem pontis urbis, arearum & molendinorum Eccleſiæ Pariſienſi factam confirmat, ita ſe habet.

XV. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina propitiante clementia Rex, omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorum fidelium præſentium ſcilicet futurorumque religioſitas noverit, quoniam Anſchericus Pariſiacæ urbis Præſul venerabilis innotuit ſerenitati noſtræ, qualiter avus noſter dignæ memoriæ Rex Carolus, pontem jamdictæ urbis cum areis molendinis eccleſiæ ſanctæ Mariæ necnon & Epiſcopis ejuſdem loci pro animæ ſuæ remedio per præceptum propria manu corroboratum condonavit perpetualiter poſſidendum. Vnde & tam humiliter petiit, ut præfatum pontem, cum areis & molendinis fratribus ibidem Domino militantibus, pro noſtræ remedio animæ, necnon & ipſius præſulis per noſtræ auctoritatis præceptum dignaremur concedere jugiter haben-*

dum, eorumque ſtipendiis ac neceſſitatibus ſine intermiſſione deſerviat, ſine alicujus venturi Epiſcopi, Comitis quoque, aut Vicecomitis, aut alterius reſpectu perſonæ vel contradictione. Nos vero præfati præſulis juſtam & ſalubrem cognoſcentes fore petitionem, concedimus memoratis fratribus, per hoc noſtræ auctoritatis præceptum ſupradictum pontem, cum areis & molendinis, præcipientes regiaque auctoritate interdicentes, ut nullus Epiſcopus, Comes, vel Vicecomes, aut aliquis ejuſdem loci miniſterialis, præfatis fratribus de ſæpe dicto ponte, areis vero aut molendinis aliquam præſumat facere inquietudinem, ſed quod benigne concedimus jugiter habeant, quiete teneant ac perpetualiter poſſideant, & quidquid exinde facere voluerint, ſecundum canonicam auctoritatem liberam & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem, pro noſtra dumtaxat ſalute & conjugis quoque & prolis ac totius regni ſtatu Dei miſericordiam exorantes: & ut hæc noſtræ auctoritatis conceſſio firma jugiter & ſtabilis permaneat, manu propria ſubterfirmavimus, & annuli noſtri ſigillari juſſimus impreſſione. Datum XVI. Calend. Octobr. indictione XII. anno XVII. regnante Carolo Rege glorioſiſſimo, redintegrante XII. LIB. VIII, CAP. IV.

In verſibus Abbonis honorifica mentio eſt Eboli Abbatis, de eo quoque pauca adjicienda ſunt: is erat Gozlini Epiſcopi Pariſienſis ex ſorore nepos, & avunculo ſucceſſit in monaſterii ſancti Germani, & ſancti Dionyſii adminiſtratione; hunc antea diximus egregie rem geſſiſſe in obſidione Lutetiæ, Abbo ejuſdem monaſterii aſceta, de quo antea dictum eſt, in carmine pluribus eum laudat. Cum Nortmanni ſtatim ab initio obſidionis turrim extra pontem aggreſſi ſunt, ipſe cum comitibus rem egit ſtrenue, & leviter Ebolus ictus eſt, & miles, qui aderat, occiſus eſt gladio. XVI.

Hic Comites Odo, fraterque ſuus radiabant,
Robertus, pariterque Comes Ragenarius illic,
Pontificiſque nepos Ebolus fortiſſimus Abba,
Hic modicum Præſul jaculo palpatus acuto,
Hic ejus juvenis miles ſimili Fredericus
Eſt ictus gladio, miles periit, ſeniorque
Convaluit ſeſe medicante Dei medicina.
Fortis Odo innumeros tutudit; ſed quis fuit alter?
Alter Ebolus huic ſocius fuit, æquiperanſque
Septenos una potuit terebrare ſagitta;
Quos ludens alios juſſit præbere coquinæ.

Et rurſus, cum iterum Dani magnis conatibus turrim invaderent, & comites fortiter ictus repellerent, inter Comites, qui tum egregia ediderunt facinora, Ebolus aonumeratur, & propter fortitudinem appellatur Abbas mavortius.

Hic proceres multi forteſque viri renitebant,
Antiſtes Gozlinus erat, primas ſuper omnes
Huic erat Ebolusque nepos mavortius Abba.

Cum vero Ebolus exiſtimaret Danos omnes trajeciſſe Sequanam, & caſtra, quæ ad Septeotrionem erant, ab iis relicta, prope ſolus huc venit jaculum manu ferens, adjunctis deinde nonnullis comitibus jubet eos pugnare. Barbari magno oumero adverſus noſtros feruotur. Cumque noſtri referrent pedem, adverſus hoſtium turbam ſtetit Ebolus, nec quiſquam auſus eſt illum aggredi, ſed cum hoſtium numerus prævaleret, diſceſſit ille, & in urbem regreſſus eſt.

Interea ſperans Ebolus fortiſſimus Abba
Gentiles, quod in hanc iſſent cuncti, prope ſolus
Arce ruit, dardumque ferens caſtella petivit
Illorum, haſtamque vibrans projecit in ipſa,
Non ſontes retulit nobis, hunc nec tulit illuc
Confeſtim ſocium nixus munimine, ſæva
Caſtra petit, muroſque ferit quo lemnius adſit.
Ipſe jubet, pugnant noſtri, conſtantius illi
Argutus nimium fremitus jam ſumat ab illis,

Exiliuntque foras, vulguſque fugant ſine tactu,
Extiterant plures, quoniam nobis, tamen illis
Obvius hic Ebolus, ſociique ſimul ſtetit heros.
Haud illum fuerant audentes tangere ferro,
Quingentis etiam ſi tunc ſubnixus adeſſet,
Qualis & ipſe fuit, caſtris ſeſe daret ultro,
Aſt animas propria de ſede repelleret omnes,
At quia militibus caruit, ſic ludere ceſſat.

Jam alias dictum eſt, quod, cum peſtis urbem affligeret, optimates metu graſſantis mali egreſſi ſunt ex urbe, & Ebolus prope ſolus ex proceribus in urbe remanſit, qui multa egregia facinora edidit.

Poſt nullus procerum remanet, niſi martius Abba,
Sæpe ſupra cujus memoratio ſcripta relucet.
Ipſe equites ex more Danûm veſtire coegit
Sex ſolos redeunte die quadam, ſuper arva
Tranſque volant illi Sequanam, campoſque peragrant:
Et variis plenos armis ſævoque ſopore
Nortmannoſque necant totidem fuerant quot & ipſi,
Naſcitur hinc ſtrepitus caſtris, horum reſonante
Voce truces carpunt clypeos, noſtrique carinam.
Noſtra Dionyſii tondebant littora ſancti
Pecora, quæ duxere ſibi crebro ſpeculata
Verum illis Ebolus jugiter fuit obvius Abba,
Qui quorum Comitem quadam ſtravit vice telo,
Unde Dani linquunt ripam, referuntque cadaver.
Mox Ebolus ſenos equites dimiſit ab arce,
Quatuor biternoſque necant certamine diro &c.

XVII. Cum vero Odo Comes Pariſienſis rediiſſet à legatione, iverat enim ad Imperatorem, ut peteret ſuppetias, ſecum adduxerat auxilia. Cumque hoſtes obſtruerent omnes aditus, Odo nihilominus Eboli beneficio urbem ingreſſus eſt.

Reddidit Odo tamen Caſtellanis equitando
Se medios inter ſævos Ebolo reſerante
Hinc portas, cunctique ſtupent hoc nobile factum.

XVIII. Cum Dani relictis Senonis Pariſios rediiſſent, Pariſienſes inopinato barbarorum adventu terrefacti arma capiunt, tota urbe diſcurrunt, ſi forte quoſdam inveniant, quos trucident. Aliqui enim è barbaris antea icto fœdere urbem intraverant, quingentos ferme inveniunt, quos occidunt: verum Anſchericus fœderis & pactorum memor alios, qui ſuperſtites erant, intactos abire juſſit, quos tamen propter fœdus violatum interficere debuerat; in his Eboli audacia celebrata, qui promptus ad audendum erat, & ad egregia quæque facinora paratus, ſic enim hæc verba interpretor, *nimium laſcivus & omnibus aptus*, Neque enim Abbo, qui tantopere commendavit Ebolum, vult eum nimiæ laſciviæ arguere: ſed potius eum commendare, quod omnibus in locis rei bene gerendæ adeſſet, & multis eſſet adjumentis inſtructus, quod hoc vocabulo, laſcivus, ſignificat. Vide igitur ne hanc vocem in pravum ſenſum detorqueas, nam monachus Abbatem ſuum, quem multis ornat laudibus, non eodem ipſum tempore infami nota inureret: audi Abbonis verſus.

His micuit præſtans Ebolus mavortius Abba
Ni cupidus, nimium laſcivus & omnibus aptus,
Nam pulchre nituit ſtudiis, quæ gramma miniſtrat.

XIX. Inter eos, qui rem bene geſſerunt, Ebolus clarus fuit, is vero bellicis artibus & ſtudiis literarum præſtans fuit, qui quidem non vana impulſus gloriæ cupiditate, ſed egregia inſtructus natura adeo dotibus & ornamentis abundavit, ut his quodammodo laſcivire videretur, hæc Abbo de Ebolo Abbate ſancti Germani à pratis, & ſancti Dionyſii, ut dicemus poſtea. Nam regnante Odone Rege ſummus Cancellarius fuit. Utinam vero iſte monachus Abbatem ſuum

ob navatam egregie in rebus Chriſtianis operam commendaſſet magis, quam ob virtutes bellicas, ſed borum bæc erat corruptela temporum, ex quo enim Pontifices & Abbates rem geſſerunt publicam, & diſcordiæ domeſticæ graſſari cœperunt, tum præſules neglectis Conciliorum decretis bellicas artes exercere, comitari Reges in expeditionibus, diſſipare patrimonium pauperum, neque amplius gregem paſcere, ſed ſævientibus vitiis tamquam lupis ferocibus permittere. Abbo præterea multa in commendationem Odonis Comitis Pariſienſis memorat, de eo ſequenti capite dicemus.

CAPUT V.

De Odone Rege Francorum. De varia Nortmannorum fortuna. De rebellione adverſus Odonem Regem. De morte Regis Odonis, & de Carolo III. Rege Francorum. De ſancta Honorina, & ſancto Leutfredo, & de eorum tranſlationibus. De Abbatibus monaſterii ſancti Germani. De præcepto Odonis, & manumiſſione Alberti. De præpoſitura de Sodobrio, quæ eſt Eccleſia ſancti Martini Turonenſis.

I. ODO Comes Pariſienſis, ut Abbo memorat, rem fortiter geſſit in obſidione Lutetiæ, &, poſt exauctorationem Caroli-craſſi, ad regnum votis & ſuffragio Francorum evectus eſt: etſi hæc non omnino ad Eccleſiam Pariſienſem, ad urbem certe Lutetiam pertinent, hujus enim fuit Comes, & quando regnum adeptus eſt, ibi ſedem regni poſuit, & ſuæ gentis Regibus conſtituendæ eo in loco Regiæ cauſam, vel exemplum dedit. Ex illuſtri loco ortus erat, Roberti Comitis, quem vulgo fortem dixere, filius fuit, quem Carolus-calvus Andecavenſem Comitem fecerat, ut, qua erat animi magnitudine, & rei bellicæ peritia, adverſus rebellis Britonis, & Danorum incurſiones limitem defenderet. Antiqui auctores eum ob res præclare geſtas cum Machabæis comparant. Verum, poſt multa prælia egregie decertata, poſtque plures victorias, demum à Nortmannis interfectus eſt; duos filios impuberes moriens reliquit, Odonem & Robertum. Odonis clarum nomen fuit, poſt Chuonradi Comitis vel abdicationem, vel obitum Pariſienſis Comes fuit: quod Lutetiæ tam utile, quam Odoni honorificum. Cum enim anno, ut dictum eſt, DCCCLXXXVI. Dani Lutetiam obſiderent, tanquam propugnaculum pro defenſione urbis ſeſe objecit, impetuſque hoſtium, qua pollebat virtute, contudit, & induſtria militari compulit barbaros ſolvere obſidionem, & infecta re abire. Ob eamque cauſam Abbonis monachi verſibus celebratur: hunc conſulem, & urbis tutorem vocitat; hunc inter alios ob turrim defenſam commendat, & quod in eo prælio plures ſua manu interfecerit, hunc demum memorat rebus præclare factis alios Comites anteiviſſe.

Hic Robertus Odo Ragenarius Utto, Erilangus

Hi Comites cuncti, ſed nobilior fuit Odo,
Qui totidem Danos perimit, quot ſpicula mittit.

II. Neque juvat hic denuo inculcare, quæ antea in honorem hujus Comitis pluribus allata ſunt, neque ut ille pluribus in locis rem ſtrenue geſſit, neque ut commiſſo certamine multa barbarorum millia cum minore militum numero cecîdit, de his aliiſque ſermo fuit antea; ſufficit, ſi dixerim Odonem egregiis facinoribus urbis liberatæ & profligati hoſtis laudem, & præmium tuliſſe. His factis ad ſolium gradum ſibi fecit, cum Carolus, qui craſſus ſeu ob imbecillitatem mentis, ſeu per ſubditorum contumaciam, è ſolio fuiſſet dejectus, & in ejus locum ſubrogatus Arnulfus à Germanis fuiſſet. Franci tum de Rege conſtituendo cogitaverunt his temporibus miſerrimis: cum Carolus ob ætatem deſpectui eſſet: Comites & ſubditi imperium abnuerent, & perpetui Francorum hoſtes Nortmanni Galliam devaſtarent. Quiſque in Odonem conjicere oculos, quem modo patriæ vindicem & liberatorem fuiſſe ultro faterentur. Profecto præter bellicas artes, quibus inprimis inſtructus erat, eximiis corporis & animi valebat adjumentis, ſumma quidem illi prudentia, adeo ut nihil inconſulto ageret, ſingularis quoque in exequendo induſtria, ita ut nullam rei gerendæ occaſionem omitteret, his adde egregiam corporis formam, qua omnes vel inimicos conciliabat, & corpus, an aſſuetudine, vel bono habitu aptum vigiliis & laboribus, his quidem aliiſque dotibus ornatus omnium æſtimationem acquiſiverat: cum res in eo ſtatu eſſent, & Franci habito conventu de Rege deligendo, qui ſuas defenderet fortunas, conſulerent; nemo calculum illi adjicere recuſavit. Quod Abbo in ſuo carmine cecinit.

Interea Carolus regno vita quoque nudus,
Viſcera Opis Divæ complectitur abdita triſtis:
Lætus Odo Regis nomen regni quoque numen
Francorum populo gratante, faventeque multo,
Ilicet, atque manus ſceptrum diademaque vertex.
Francia lætatur, quamvis is Neuſtricus eſſet:
Nam nullum ſimilem ſibimet genitum reperire.

III. Et annales antiqui ita de eo loquuntur. *Interea Galliarum populi in unum congregati, cum conſenſu Arnulſi Odonem Ducem filium Roberti, de quo paulo ſuperius mentionem fecimus, virum ſtrenuum, cui præ cæteris formæ pulchritudo, & proceritas corporis & virium, ſapientiaque magnitudo inerat; Regem ſuper ſe pari conſilio & voluntate creant, qui rempublicam viriliter geſſit, & contra aſſiduas deprædationes indefeſſus propugnator extitit.* Neque modò Odo Rex acclamatus, ſed etiam anno DCCCLXXXVIII. Senonis à Vvalterio Senonenſi Archiepiſcopo inunctus in Regem eſt. De hac re mentio eſt in Chronico ſancti Petri vivi his verbis. *Eo igitur anno*, inquit, quo ſcilicet Nortmanni Senonas obſederunt, & ab obſidione diſcedere coacti ſunt, *Franci, Burgundiones, Aquitanenſes proceres congregati in unum cum Vvalterio Archiepiſcopo, Odonem principem ſibi elegerunt in Regem: unxit autem eum Domnus Vvalterius Archiepiſcopus.* Quo tempore hanc promiſſionem Odo fecit. *Promitto & perdono unicuique veſtrum & Eccleſiis vobis commiſſis, quia canonicum privilegium & debitam legem atque juſtitiam conſervabo, & contra deprædatores & oppreſſores Eccleſiarum veſtrarum, & rerum ad eaſdem pertinentium defenſionem ſecundum miniſterium meum, quantum mihi poſſe Deus dederit, exhibebo, & jus eccleſiaſticum & legem canonicam vobis ita conſervabo, & res Eccleſiarum veſtrarum, eam à Regibus, vel Imperatoribus, quam à reliquis Dei fidelibus collatas, ſub integritate & immunitate abſque aliqua inhonoratione permanere concedam, quas modo juſte & legaliter veſtræ retinent Eccleſiæ; & eas augmentare & exaltare ſecundum debitum uniuſcujuſque ſervitium, pro ut ſcire & poſſe mihi Deus rationabiliter dederit, & tempus dictaverit, ſtudebo, ſicut mei anteceſſores, qui hoc bene rationabiliter obſervaverunt veſtris prædeceſſoribus; in hoc ut vos mihi ſecundum Deum & ſecundum ſæculum ſic fideles adjutores & conſilio & auxilio ſitis, ſicut veſtri anteceſſores boni meis melioribus prædeceſſoribus extiterunt; ſecundum ſcire & poſſe. Et quæ retro malo ſunt ingenio depravata, in meliorem & priſtinum gradum, adjuvante me divina clementia,*

reformabo

reformabo cum veſtro & aliorum noſtrorum fidelium conſilio & auxilio. Hæc annales LIB VIII. CAP. V.
Mettenſes ad annum DCCCLXXXVIII. referunt.

Dum hæc geruntur, Nortmanni Pariſios redeunt, quod à nobis antea annota-
tum eſt. Cumque opidani ſe ſtrenue defenderent, & à deſcenſu hoſtes prohibe-
rentur, magnis laboribus, ſicut prius, ad terram navigia pertrahunt, & infra
urbem in profluentem Sequanæ ea injiciunt, & delapſi ſecus flumen Oceano
ſe permittunt, advehunturque ad fines minoris Britanniæ, & caſtello ſancti
Laudi capto, in Aremoricam ipſam copias traducunt, ubi duobus præliis fuſi
ſunt: & amiſſo magno ſuorum numero naves repetere coacti ſunt. Meliore
fortuna in regno Lotharii uſi ſunt, cum enim illuc appuliſſent, circa Trajectum,
Leodium, & Aquiſgranum agros vicoſque vaſtant. Arnulphus adverſus bar-
baros mittit copias: ad Guliam pugnatur, Germanorum exercitus fuſus eſt, &
Dani potiti ſunt victoria. Arnulphus Imperator cognita ſuorum clade, collecto
iterum ex ſuis provinciis exercitu, trajicit Rhenum, ad Moſam caſtra locat;
Nortmanni ſuperiore pugna feroces, Auguſto inſultant, eumque contumeliis
& conviciis impetunt, & facto aggere ſe vallo communiunt. Arnulphus exacer-
batus ſuorum clade & hoſtium ferocia, jubet equites ex equis deſcendere, &
in morem peditum hoſtem adoriri. Illico Germani exiliunt ad terram, & in
vallum irrumpunt, tantaque vi hoſtem feriunt, ut barbari impetum non fer-
rent, omneſque inopinato incurſu territi victoriam Germanis relinquerent;
hique omnium pæne internecione ſtragem heſternam ulciſcerentur. Hæc vi-
ctoria de Nortmannis relata eſt anno DCCCXCI. qui remanſerant nihil-
ominus expeditionibus aliquot peractis naves conſcenderunt, & copiis longe
debilitati in patriam regreſſi ſunt; hæc ſors fuit Nortmannorum, qui Pariſios
obſederant.

Anno ſequenti, ut fere fit, quando novi ex aliena gente Reges principatum IV.
occupant, adverſus Odonem mota rebellio, cujus auctor Vvaltgarius Comes
filius Adalhelmi. Ille ſeu regnandi cupiditate, ſeu novæ poteſtatis æmulatione
adjunctis ſibi ſuæ conjurationis ſociis, Lugdunum clavatum occupat. Odo ni-
hil moratus, opidum obſidet, brevique ad deditionem cogit, Vvaltgarius ipſe ſe
victoris arbitrio permittit. His novi regni initiis rebellem plecti oportuit, Rex
propterea conventum ex primoribus congregat, omnium judicio capitale de-
cernitur ſupplicium, neque mora capite plectitur. Etſi Odoni omnia ex votis
cadebant, quidam tamen ejus dignitati adverſabantur; in hac itaque conſpiratio-
ne in Aquitaniam profiſciſcuntur, & arma adverſus eum concitant. Duces con-
jurationis erant Arnulfus, Gozbertus ejus frater, & Ebulo ſeu Ebolus Abbas,
de quo præclara in obſidione Pariſienſi mentio fuit, & alii, qui imperium ab-
nuebant, Odo huc cum copiis advolat. Dum ille in Aquitania rem gerit, novi
tumultus his in partibus excitantur, optimates in fide non ſteterunt, defectio-
nis concitator erat Fulco Remenſis Archiepiſcopus; moleſte ferebat Carolo im-
puberi, cui jus regnandi ex patris hæreditate competebat, ereptum imperium.
Conqueſtus apud primates injuriam, Heribertus & Pippinus Comites in re-
bellionis ſocietatem venerunt, aliorumque ex primoribus conciliatis animis,
Carolum filium Ludovici ad regnum evocat, & Remis menſe Januario
anni DCCCXCIII. ſacra inunctione, his præſentibus faventibuſque, illinit.
Odo nihilominus in Aquitania rebus pacandis remanet. Tum accidit, ut
Ebulo ſancti Dionyſii Abbas occideretur. Quoddam caſtellum oppugnabat,
dum rem exequitur ardentius, ictu lapidis graviter percuſſus eſt, adeo ut paulo
poſt ex vulnere occumberet; auctor annalium Mettenſium ſcribit monaſterium
ſancti Dionyſii ab Odone ad ſuum ſervitium revocatum. Odo rebus in Aquita-
tania compoſitis cum fratre Roberto magnis itineribus in has provincias redit,
infeſtis ſignis adverſus Carolum profiſciſcitur, & provinciæ Remenſi multa
damna infert, quæ Fulco Archiepiſcopus in epiſtolis pluribus deflebat, ut
Flodoardus ſcribit, Carolumque cum exercitu obviam euntem fugat. Carolus
impar Odoni ad Arnulfum fugit auxilium poſcens, juſſi ſunt Epiſcopi & Co-
mites, qui ad Moſam erant, illi præſto eſſe, exercitus conflatus eſt. Itum eſt

 contra Odonem, intrepidus hoſtem ad Axonam opperiebatur: hoſtes nihil ſine pulvere & ſanguine ſe aſſequuturos rati, confeſtim domum redierunt, abnuentes alieno commodo periclitari. Carolus ipſe relictus in Burgundiam abiit. Odo pacatis rebus Pariſios reverſus eſt. Anno DCCCXCV. Arnulphus Vvormatiæ conventum ex Epiſcopis, Comitibus, aliiſque proceribus habuit, ubi Zuentibolchum filium Lotharii regno ex aſſenſu optimatum præfecit, ad conventum perrexit Rex Odo cum regio comitatu, aiunt antiqui ſcriptores honorifice ſuſceptum ab Arnulfo: in reditu offendit Fulconem Archiepiſcopum Remenſem, qui Caroli non modo partes ſectatus fuerat, ſed & rebellionis faces primus ſubdiderat, hunc comitabatur Adelongus Comes ſui manſionarii; ferebant ad Arnulfum munera, ut eum adverſus Odonem excitarent. Odoniani ſubitò in eos impetu facto irruerunt; Fulco impat viribus fuga ſibi conſuluit, Adelongus accepto in conflictu vulnere moritur; direptæ ſunt ab Odonianis ſarcinæ. Odo deinde in Aquitaniam profectus eſt, ut provinciam pacatis tumultibus ſuo ſubjiceret imperio. Interea Zuentibolchus Arnulfi filius, avidus gloriæ juvenis, & amplificandi regni cupidus, collecto ingenti exercitu, in fines Francorum irrumpit, Lugdunum clavatum obſidet, urbs valido præſidio firmata erat. Opidani fortiter obſtiterunt, & qua erant audacia, quibuſque valebant viribus, conatus hoſtium fregerunt. Odo audita Lugduni obſidione ad ferendam opem accelerat, ad cujus nuncium Zuentibolchus, cujus copiæ vel ad unius urbis expugnationem haud idoneæ etant, ſolvit obſidionem, & ſine mora in ſuas ſe recipit provincias. Cum Odoni omnia ex votis cederent, & partum virturibus regnum egregie tueretur: ecce mors inopina ejus conſilia interrupit, morbo enim interiit Feræ ad Iſaram III. nonas Januarii, anno DCCCXCVIII. & in baſilica ſancti Dionyſii cum honore ſepultus eſt, ejus regnum decem annorum fuit & octo ferme menſium. Scriptores nonnulli ſcribunt Odonem gubernatorem regni, tutorem Caroli pueri, & precarium Regem dictum, dum Nortmanni in Gallia ſævirent, & pueritia Caroli obſtaret, quominus his difficillimis temporibus regno adminiſtrando idoneus eſſet, & ab Odone poſtea reſtitutum regnum. Quæ nequaquam his, quæ memorata ſunt, congruunt, & omnino à vero aliena ſunt, ut ex ſincerioribus hiſtoriis longe manifeſtiſſimum eſt. Ceterum, etſi hæc Odonis ad regnum evocatio Caroli pueri ſucceſſioni & juribus regni adverſa fuit, tempori tamen & rebus commoda, dum Nortmanni in Gallis ſæviunt, & obſequium Comites recuſant, & quiſque rebus turbidis diſcerpere regnum, & rempublicam peſſumdare ſtudet. Odone mortuo regni proceres in unum conveniunt, & Carolum unanimi conſenſu Regem conſtituunt. Acta Caroli propterea duplici anni annotatione inprimis conſignata ſunt, anno ſcilicet, quo à Fulcone Remenſi Archiepiſcopo inunctus eſt, & quinquennio poſt, quando poſt Odonis obitum regno reſtitutus eſt. Ad hæc ferme tempora referendam eſſe exiſtimo tranſlationem ſanctæ Honorinæ ad confluentes Iſaræ & Sequanæ, de qua hic mihi paucis dicendum eſt.

V. Quæ fuerit ſancta Honorina, quibus orta parentibus, & quæ ejus patria ſit, non aſſeram, obſcurum quoque ejus certaminis genus. Quidam ſcribunt in Cappadocia defunctam martyrio, & percuſſam gladio, aliqui in ea parte, quæ Neuſtria tunc erat, & quæ poſtea Nortmannia, paſſam, atque adeo ibi quoque natam eſſe, & crematam memorant: ſed quo tempore certamen fecerit, non ſcribunt. Etſi hæc in incerto ſunt, certa tamen & antiqua memoria martyrem fuiſſe, & hoc nomine his in locis honoratam. Cum vero Nortmanni vaſtarent Gallias, & omnia ſacra profanaque pro more ſuo polluerent, ſacræ hujus virginis reliquiæ aliò tranſlatæ ſunt, hanc vero Nortmannorum infeſtationem ſcribit Ordericus accidiſſe ſub principatu Caroli ſimplicis: quando Brierius filius Haſtingi Danorum Regis in Gallias venit, & vaſtitatem quócumque in ferret, baſilicas & diriperet, & crem aret. Aiuntque id temporis effoſſa ſanctorum corpora, tranſlataque in loca, in quibus pax & ſecuritas erat. Refert hiſtoria ejus tranſlationis eo tempore corpus ſanctæ Honorinæ in vico, cui nomen Gerardi villa, qui ad oſtium Sequanæ ſitus eſt, fuiſſe conditum. Tum cle-

ricos, ne à perfidis ſacrum pignus temeraretur, abſtuliſſe corpus Honorinæ, & equo impoſitum detuliſſe Confluentium, ubi ſcilicet Iſara Sequanæ miſcetur, poſitumque in vetere hujus loci baſilica, quæ Deo ſub nomine ſanctæ Mariæ ſacra erat, ibique etiam rebus tranquillis remanſiſſe, & pluribus ſignis & miraculis illuxiſſe. Chronicon Beccenſe, additum operibus Lanfranci, narrat ab Ivone de Bellomoote ad Iſaram & ab Adelide ejus uxore monaſterio Beccenſi datam baſilicam, ubi ſancta Honorina colebatur, pietatique monachorum non modo corpus, & reliquias ſanctæ virginis tribuiſſe, ſed & omnia, quæ ad eccleſiam pertioebant, Abbatibus Becceoſis monaſterii ea ſubjeciſſe, facta donatione anno M L X X X I I. *Anno*, inquit Chronicon, *M L X X X I I. tranſlatio monachorum Becci apud Confluentium commorantium à veteri eccleſia, quæ capella dicitur, ad novam eccleſiam cum corpore ſanctæ Honorinæ, cum Ivo de Bellomonte ſuper Iſaram & Adelidis uxor ejus, volentes in eccleſia beatæ Honorinæ de Confluentio à monachis Deo deſerviri, dederunt eam, & omnia ad eam pertinentia monaſterio Beccenſi.* Sollemnis ſanctæ Honorioæ fit memoria in Eccleſia Pariſienſi III. Calend. Martii, & locus habet etiam hodie ejus nomen, Confluentium ſanctæ Honorinæ, & monaſterii Beccenſis prioratus eſt.

Bolland. ad 27. Februa. & ſæcul. quarto actor. Bened. part. 2.

VI. Ad hæc quoque tempora referenda eſt tranſlatio ſancti Leutfredi, cujus corpus graſſante Nortmannorum furore Pariſios tranſlatum, uoà cum corpore ſancti Agofredi ejus fratris, & cineribus ſancti Audoëni Rotomagenſis Pontificis, & Thuriani Epiſcopi Dolenſis: quis ſanctus Leutfredus fuerit, quæ cauſa tranſlationis ſit, & quæ tranſlatiooem conſecuta ſint, paucis expono. Leutfredus io Ebroicenſi pago natus eſt ex nobili familia, è domo paterna ſeceſſit, ut ſtudiis litteratum, & piis vitæ Chriſtianæ exercitatiooibus vacaret, Carnutumque venit, poſteaque ad natale ſolum rediit. Cum ibi aliquamdiu pueris docendis fuiſſet commoratus, & alta pietatis jeciſſet fundamenta, profectus eſt Rotomagum, ut præceptis beati Sidonii imbueretur, cujus tunc temporis celebris ſaoctitas, poſt tempus aliquod in patriam reverſus eſt, cellamque condidit, & oratorium in loco, ubi olim ſanctus Audoënus crucem poſuiſſe dicebatur; locus hic erat io Madriacenſi pago haud procul ab Auctura fluvio, qui poſtea memorabilis fuit mooachorum frequentia. Auctor ejus vitæ ſcribit eum ſignis & miraculis, etiam dum viveret, clarum fuiſſe: obiit, ut Mabillonius computat, anno D CC X X X V I I I. poſtquam, teſte Orderico Vitali, ſuo monaſterio XLVIII. annos præfuiſſet, in eodemque loco ſepulrus eſt, ubi propter inſignem ejus ſanctitatem multis probatam miraculis in honore habitus eſt. Cum vero ſub principatu Caroli III. Dani Neuſtriam vaſtarent, & ſancti Leutfredi monaſterium ferro & flammis perderent: ecce monachi hujus loci, ne barbari etiam io ſanctorum reliquias ſævirent, corpus ſancti Leutfredi, & ſaocti Agofredi ejus fratris, cum corporibus ſanctorum Pootificum Audoëni Rotomagenſis Archiepiſcopi, & ſancti Thuriani Dolenſis Epiſcopi Lutetiam Pariſiorum, tamquam in munitiſſimam adverſus Nortmannos arcem, tuleruot, eaque in baſilica ſancti Germani à pratis depoſuerunt, ubi & monachi cum ſanctis pignoribus hoſpitio excepti ſunt, ita ut poſſeſſiones illius monaſterii, quod ira Danorum everterat, ad monaſterium ſancti Germani redirent. Extat apud Breulium privilegium Caroli III. Regis Francorum, de donarione abbatiæ Crucis ſancti Audoëni, quæ hodie eſt Crucis ſancti Leutfredi, monaſterio ſancti Germani à pratis. Id vero ad petitionem Roberti Abbatis hujus monaſterii ſancti Germani. Datum eſt præceptum III. Idus Martii, Iodictione VI. regnaote Carolo Rege glorioſo XXVI. redintegrante XXI. largiore vero hæreditate indepta VI. Actum Compendio palatio. Cum paulo poſt provincia Rotomagenſis, quæ ſecunda Lugduoenſis fuit, Rolloni fiduciario jure à Carolo data eſſet, eaque conceſſio pacem, & tranquillitatem provinciæ attuliſſet, Madriaceoſibus venit io mentem ſuas ſedes repetere, & reficere ruinas ſui monaſterii, quod ultro Pratenſes monachi coonceſſerunt, ne tameo memoria præſtiti hoſpitii aboleretur, retiuuerunt corpora ſancti Leutfredi & Thuriani, alia relara io pri-

ſtinas ædes ſunt. Fuit capella, ſeu oratorium ſancti Leutfredi Pariſiis juxta Pariſienſe Caſtelletum. Quidam ſuſpicantur huc primum allatas ſancti Leutfredi reliquias, antequam monaſterio Pratenſi immitterentur. Breulius his quædam adjecit, quæ omittenda eſſe non cenſeo, quamquam ab his, quæ agitamus, temporibus diſſita ſunt. Anno MCCXXII. quo tempore Galterus Abbas erat monaſterii ſancti Germani à pratis, corpus ſancti Leurfredi ex vetere capſa, quæ lignea erat, in aliam ligneam pariter, ſed laminis ex argento circumtectam tranſtulerunt, miniſterio piam manum præſtitit Guido Epiſcopus Carcaſſonenſis. Aderat Abbas ipſe ſancti Leurfredi, cui petenti datum eſt os illud brachii, quod radium vocant, cum duobus pollicis oſſibus, quæ argento includi juſſit, quæque in monaſterium Madriacenſe tranſlata ſunt: cujus rei in martyrologio hujus loci memoria eſt. *VI Idus Junii relatio reliquiarum ſanctiſſimi Leutfredi Abbatis à Pariſius civitate in cœnobium illud, quod idem vir præclariſſimus in honore ſanctæ Crucis fundaverat.* Facta eſt autem hæc relatio regnante Ludovico, non juniore, ut habet martyrologium, ſed Ludovico VIII. Rege Francorum, tempore Rodulfi Ebroicenſis Epiſcopi, anno ab Incarnatione Domini MCCXXII. Eo ipſo tempore Guidoni Epiſcopo Carcaſſonenſi os unum conceſſum eſt, & una è coſtis eccleſiæ Suriſnarum. Carolus ſcilicet III. ad rogationem Roberti Abbatis monachis ſancti Germani à pratis dederat villam in pago Pariſiacenſi, Suriſnas nuncupatam, & alia prædia, quatenus ſingulis annis III. Idus Februarii anniverſarium conjugis Friderunæ celebrent, & ſuum quando contigerit, &c. *Idcirco autem*, inquit charta, *res prælibatas eiſdem jam dictis fratribus tradere decrevimus, quatenus ſingulis annis quarto Idus Februarii anniverſarium noſtræ dilectiſſimæ conjugis Friderunæ, & noſtrum, cum contigerit, ſollemnitatem etiam ſanctæ Agnetis cum vigiliis, miſſarumque oblationibus, & cum ſumma refectione celebrent. Ergo hæc noſtræ auctoritatis præceptio, ut firmiter continuationis vigorem obtineat, ac veraciter per curricula annorum ſuccedentium credatur, manu propria ſubterfirmantes, annulo etiam noſtro eam juſſimus inſigniri. Datum II. Idus Maii Indict. VI. anno XXVI. regnante Carolo Rege glorioſiſſimo, redintegrante XXI. largiore vero hæreditate indepta VI. Actum Compendio palatio.* Vicus habet patronum ſanctum Leutfredum. Aliæ præterea fuerunt capſarum mutationes, & diſtractiones reliquiarum, quas memorat Breulius, quem cuique conſulere integrum eſt; ſed, ut rem abſolvam, primæ & ſollemnis tranſlationis Pariſios meminit appendix ad Aimoinum his verbis. *Ea tempeſtate Aſtingo cum Normannis ubique ſæviente, multa corpora ſanctorum à propriis locis in Franciam delata ſunt. Tunc etiam corpus ſancti Leutfredi Abbatis à Normannis in quibuſdam partibus Franciæ circumquaque delatum, ad ultimum unà cum oſſibus beati Goffridi fratris ſui, necnon & corpore ſancti Thuriani Dolenſis Archipræſulis, apud monaſterium ſancti Germani in ſuburbium Pariſienſe, ubi Deo diſponente adhuc requieſcunt, tranſlata ſunt.* Sed quoniam ſermo eſt monaſterii ſancti Germani Pratenſis, pauca adjiciam de ejus Abbatibus.

VII. Antea memoratum eſt Gozlino ſucceſſiſſe Ebolum ejus nepotem, an vero ſucceſſerit, poſtquam renuntiatus eſt Epiſcopus, an poſt obitum? varia fama eſt: ego crediderim haud multo poſtquam Gozlinus fuit Pariſienſis Epiſcopus, eum huic monaſterio præfuiſſe, nam Abbo in carmine de obſidione Lutetiæ ſtatim eum appellat Abbatem, neque memorat hanc conſequutum dignitatem poſt ejus avunculi mortem, quod monachus ſancti Germani non omiſiſſet, eo præſertim tempore, quo plura de eo refert: conſule ſi lubet, quæ antea de Ebolo dicta ſunt. Sufficit hic meminiſſe eum, non modo avunculo ſuo ſubrogatum præfecturæ monaſterii ſancti Germani, ſed & ejus dignitatis ſucceſſorem fuiſſe: accepimus enim ex actis veteribus, eum ſub Odone ſummum fuiſſe Cancellarium. Extat præceptum monaſterii Sollemniacenſis, actum in monaſterio ſancti Maximini, Idibus Januarii anno 2. regni Odonis, ubi Throannus notarius ad vicem Eblonis recognovit: alterum datum Carnuti anno 2. regni Odonis in gratiam baſilicæ ſancti Hilarii Pictavenſis, in quo hæc leguntur. *Troannus notarius ad vicem Eboli recognovit.* Poſtquam Ebolus eſt morte defunctus, Adalgarius illi in hoc munere ſucceſſit, hocque vetera acta probant; Adalgarii enim ſummi

ſub eodem Odone Cancellarii mentio eſt in præcepto illius Regis pro Cormerſacenſi monaſterio, ubi Ernulfus notarius ad vicem Adalgarii recognovit. LIB. VIII. CAP. V. De morte Eboli paulo poſt certiora dicemus, nam & eum fuiſſe Abbatem ſancti Dionyſii poſtea oſtendemus. Hucboldus, ut habet appendix ad Aimoïnum, Ebolo ſucceſſit, & Abbas ſancti Germani à pratis fuit. Nulla aliàs illius eſt memoria, adeo ut, an vere Abbas fuerit dubium ſit? Robertus deinde frater Odonis, de quo dictum eſt, quando de obſidione Lutetiæ ſermo fuit, poſt fratris obitum uſu peſſimo illorum temporum, licet laicus tamen abbatiam à Carolo Rege obtinuit, & ſub nomine Abbatis fruebatur redditibus hujus monaſterii, providit tamen ille, ne propterea diſciplina monaſterii peſſum iret, conſtituit ſcilicet in monaſterio Decanos, qui monaſterium regerent, & vice Abbatis omnes monachos ſub inſtitutis, & arctiore diſciplina retinerent. In appendice ad Aimoïnum hujus rei memoria eſt his verbis. *Robertus Comes nomen Abbatis aſſumpſit, ſtatuens Decanos, qui curam haberent monachorum, quorum primus nomine Remigius extitit, quo obeunte Abbo ſucceſſit, ipſoque decedente, Goſmarus Archiclavis decaniam habuit.* Etſi Robertus contra Eccleſiæ conſuetudinem, & contra canones Abbas fuit, haud tamen uſquequaque monaſterio ejus electio detrimentoſa fuit, nam plura à Carolo III. obtinuit præcepta: diximus antea, ad ejus rogationem monaſterio ſancti Germani poſſeſſiones monaſterii Madriacenſis, & villam Suriſnas datam. Neque modo Robertus Abbas ſancti Germani fuit, ſed etiam monaſterii ſancti Dionyſii. Abbatum hujus monaſterii ſeries hic mihi repetenda eſt. Poſt Carolum-calvum Gualterius abbatiæ adminiſtrationem cepit, ille ut memoratum eſt, corpus Caroli-calvi ſeptem poſt ejus mortem annos è Nantuâ in baſilicam ſancti Dionyſii tranſtulit. Gualterio ſucceſſit Gozlinus, ille Abbas ſancti Germani, & poſtea Epiſcopus Pariſienſis fuit, qui in urbis obſidione mortuus eſt: de quo ſuperius plura locuti ſumus. Ebulo ſeu Ebolus huic ſucceſſit, illius mentio eſt in annalibus Mettenſibus, ea occaſione. Poſt abdicationem Caroli-craſſi Imperatoris, cum eo tempore Nortmanni Galliam vexarent, Franci Odonem virum ſtrenuum, poſthabito Carolo puero, ad quem hæreditas regni jure natalium pertinebat, Regem creaverunt; non omnibus approbata electio eſt, immo aliqui Odoni adverſari, & qua valebant poteſtate arma movere, ut regnum Carolo aſſererent. Duces rebellionis erant Arnulfus, frater ejus Gozbertus, & Ebulo Abbas ſancti Dionyſii, adverſus quos Odo, compreſſa Vvaltgarii conjuratione, in Aquitaniam profectus eſt: *poſt hæc*, inquit auctor annalium Metenſium. *Odo in Aquitaniam proficiſcitur contra Arnulfum, & fratrem ejus Gozbertum, & Ebulonem Abbatem de ſancto Dionyſio, & alios nonnullos, qui ejus imperiis obtemperare renuebant; ut eorum inſolentiam reprimeret.* Ea vero ad annum DCCCXCII. referuntur. Ad annum ſequentem idem ſcribit Ebulonem in oppugnatione cujuſdam caſtelli lapidis ictu periiſſe. *Odo*, inquit idem auctor, *compoſitis rebus in Aquitania in Franciam revertitur, & cum Roberto fratre Carolum fugat, defectores perſequitur. Ebulo Abbas de ſancto Dionyſio, cum quoddam caſtrum in Aquitania ſitum ardentius expugnaret, ictu lapidis periit, monaſterium ſancti Dionyſii Odo ad ſuum ſervitium revocat:* id eſt poſſeſſiones monaſterii, quæ tribuebantur Abbati, ſibi retinuit, earumque, quamdiu vixit, potitus eſt. Poſt ejus mortem abbatiam, quaſi regium aliquod beneficium, Robertus frater Odonis à Carolo III. petiit, obtinuitque; ita facile ad laicos monaſteriorum poſſeſſiones redibant, quod jam à temporibus Caroli-calvi cœptum fuerat, mala enim conſuetudine factum fuerat, ut, quemadmodum Abbates & ipſi Pontifices ſæcularia & militaria tractabant, ita laici homines facultates eccleſiaſticas uſurparent. Legitur in antiquitatibus ſancti Dionyſii præceptum conceſſum ad petitionem Roberti Abbatis, quo confirmantur monachis Dionyſianis, quæcumque olim Fulradus Abbas ex teſtamento monaſterio legaverat, ut ea juxtà teſtamentum in ſtipendiis victualium, in luminaribus, & receptione pauperum impenderentur. Actum eſt Metlagio villa, & datum Nonis Junii Indict. v. anno x. regnante Carolo glorioſiſſimo Rege, redintegrante vi. Ernuſtus notarius ad vicem Aſcherici Epiſcopi relegit. Extat præ-

 ceptum alterum ejuſdem Regis ad petitionem Guilelmi, & Roberti Comitis & Marchionis, quo Carolus Rex villam quamdam, nomine Patriacum, ſitam in Lemovicenſi agro, olim è monaſterio ſancti Dionyſii ſublatam, ſed modo à Guilelmo Comite redditam, confirmat. Præceptum actum eſt Compendio palatio, & datum Idibus Febr. Indictione octava, regnante Carolo glorioſiſſimo Rege XIII. redintegrante VIII. Ernuſtus notarius ad vicem Aſcherici Epiſcopi ſubnotavit. Extat tertium præceptum ab eodem Rege monachis Dionyſianis conceſſum, ad rogationem Roberti Comitis, quo villa Latiniacum nomine ad Matronam fluvium ſita ipſis redditur, *ea ratione*, ut habet præceptum, *ut ab hodierna die prædictus Abbas Robertus, conſanguineus noſter de prædicta terra, quidquid exinde venire poterit, teneat. Actum Attiniaco palatio. Gozlinus notarius ad vicem Archiepiſcopi & ſummi Cancellarii recognovit. Datum eſt v. Calend. Iunii, Indict. v. anno XXV. regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Redintegrante XX. & majore hæreditate indepta VI.*

VIII. Antequam hoc caput abſolvam, adjiciam hic præceptum Odonis Regis, in quo habetur antiqua Alberti cujuſdam manumiſſio, eſt autem ejuſmodi.

IX. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Odo Dei gratia Rex. Notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Domini Eccleſiæ, & noſtris præſentibus ſcilicet atque futuris: quia nos ob amorem Dei, æternorumque remunerationem præmiorum, perque deprecationem Raimonis Epiſcopi, ſervum juris noſtri, nomine Albertum, aſtantem in conſpectu noſtro, & fidelium procerumque noſtrorum, manu propria à manu ejus excutientes denarium, ſecundum Salicam libertum fecimus, atque ab omni ſervitutis vinculo abſolvimus, ejus quoque abſolutionem per hanc præſentem auctoritatem noſtram confirmavimus, & noſtris futuriſque temporibus firmiter, atque inviolabiliter gratam eſſe voluimus. Præcipientes ergo jubemus, ut, ſicut reliqui manumiſſi, qui à Regibus anteceſſoribus noſtris hoc modo noſcuntur eſſe relaxati ingenui, ita deinceps jam nominatus Albertus per hoc noſtrum præceptum ſollemniter in Dei nomine confirmatus, nemine inquietante, ſed Deo auxiliante perpetuis temporibus valeat permaneere bene ingenuus, atque ſecurus. Et ut hæc noſtræ mercedis relaxatio per omnia tempora inviolabiliter conſervetur, annulo noſtro ſubter ſigillari juſſimus. Truannus notarius ad vicem Rollonis*, ſeu potius Eblonis, *recognovit & ſubſcripſit. Data IV. Idus Ianuarii anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXXVIII. anno ſecundo regnante Odone glorioſiſſimo Rege. Actum Aurelianis feliciter. Amen.*

X. Multis modis fiebat olim apud noſtrates manumiſſio, aliquando ex lege Romana per tabulam, aliquando ex lege Salicâ, id vero per denarium, & ille, qui hoc modo libertatem conſequebatur denarialis dicebatur. Ejuſmodi autem manumiſſio ita fiebat. Coram Rege vel ab ipſo Rege excutiebatur è manu ſervi denarius, & ſic abſolvebatur à vinculo ſervitutis. De hujus & aliarum manumiſſionum formulis lege notas doctiſſimi Bignonii in Marculfum, qui ſimilem huic, quam tibi exhibemus manumiſſionis formulam ex tabulario ſancti Martini Turonenſis deſcripſit.

XI. Lector æqui bonique conſulat, ſi dum res Pariſienſes commemorare ſtudeo, hîc à propoſito diſcedam, ut paucis verbis nonnihil adjiciam de præpoſitura de Sodobrio, quæ ad inſignem ſancti Martini Turonenſis eccleſiam pertinet, ut de ea ſcribam, duo præſertim me admonent: primum, quod vetus chronicon illius meminit, ad annum DCCCXCV. alterum eſt, quod illi præpoſitus ſim jam à pluribus annis, liceat certe mihi res Pariſienſes longo ſermone pertractanti, pauciora de meis rebus ſubjungere. Præpoſituræ in eccleſia ſancti Martini plures ſunt. Origo earum eſt ejuſmodi. Cum olim canonici hujus celebratiſſimæ eccleſiæ, non modo eodem clauſtro continerentur, ſed iiſdem ædibus, eademque uterentur menſa, poſſeſſiones haberent in variis locis, diverſiſque ſitas provinciis, neque unus eas propter locorum diſtantiam adminiſtrare poſſet: rem omnem familiæ ſancti Martini in plures, eaſque diverſas portiones pro locorum opportunitate diviſerunt, & ſingulis portionibus quoſdam ex ſuo collegio canonicos ſelegerunt, quibus adminiſtratio hujus partis ex officio incumberet, & qui his in locis rei judiciariæ præſiderent, adminiſtrandæ

Digitized by Google

rei familiaris curam caperent, & rei geſtæ rationem redderent: & quoniam in earum rerum regimine ſumptus faciendi erant Præpoſitis, quædam iis jura relicta ſunt, & quidam redditus attributi, qui impenſis exolvendis ſufficerent. Hi vero, quibus rerum gerendarum cura mandata eſt, Præpoſiti propterea appellati ſunt. Iis, ut moris fuit collegiis canonicorum, honos propter munus, & prærogativa quædam tributa eſt: poſtquam aliquamdiu in eo ſtatu res canonicorum permanſit, accidit, ut, labente canonica diſciplina, longe ii à priore legum ſuarum ſeveritate recederent, &, qui antea ſimul habitarent, & ſimul ex facultatibus eccleſiæ conveſcerentur, & ſub Abbatis aut Decani adminiſtratione Deo militarent, in eodem quidem clauſtro, ſed ſeorſum in ſua quiſque familia degerent, & ſuo quique modulo ex ſtipendiis Eccleſiæ viverent. Eo tempore collegium ſuarum facultatum curam gerere cœpit: Præpoſitis adempta eſt ſua adminiſtratio, eſt relictus tamen iis honos cum nomine Præpoſitorum, relicta quoque iis illa jura, quibus ad impenſas tolerandas, & tuendam dignitatem uti conſuetum erat; tumque illud munus, quod negotii erat, honoris tantummodo fuit. Hæc modo ratio eſt præpoſiturarum ſancti Martini Turonenſis, inter præpoſituras vero hujus inſignis eccleſiæ celebrata eſt præpoſitura de Sodobrio, quæ originem habet, & initium à Garnegando viro illuſtri, & Elena ejus uxore, qui eccleſiam, quæ eſt ſancti Leobini apud Sodobrium, & eccleſiam ſancti Dionyſii in villa Voginato dederunt, ut habet vetus chronicon ex bibliotheca Thuanea, quod in tomo tertio Ducheſniano reperitur his verbis. *Garnegandus & Elena dederunt ſancto Martino eccleſiam ſancti Martini*, vel potius ſancti Leobini, ut eſt in charta Garnegandi, *apud Sodobrium, & eccleſiam ſancti Dionyſii in villa Voginato, anno Verbi incarnati DCCCXCV.* Ex ea donatione, aliiſque rebus aut donatis, aut acquiſitis, quæ ſunt in aliis pluribus vicis, qui oppidò Sodobrio adjacent, conflata eſt illa præpoſitura, quæ certe antiqua eſt, & cujus apud Ivonem Carnotenſem, & alibi clara eſt memoria. Sodobrium oppidum habet tres baptiſmales eccleſias, ſitumque eſt ad dextram Ligeris, quâ parte Belſia eſt inter Balgentiacum, & Bleſas. Verum etſi propius Bleſis accedit, tamen eſt juriſdictionis Præpoſiti Aurelianenſis, ad quem è Sodobrienſi judice in cauſis civilibus appellatio eſt. Hanc præpoſituram olim mihi per reſignationem, ut vocant, tribuit Carolus Urbanus de Laval de Boiſdauphin, juvenis nobiliſſimus, qui claro Lavalliorum ortus ſanguine, & more ſuorum majorum militiam ſecutus, in expeditione Batavica, dum fortiter rem gerit, glande fatali ad Voerdam percuſſus, mortem præmaturam oppetiit anno MDCLXXII. Hoc illi grati animi monumentum conſecro, voveoque; necnon matri ejus optimæ, Margaritæ Barentin mulieri nobiliſſimæ, quæ filium liberaliter educaverat ad bonos mores, & ad honeſtatem erudierat: quæ, poſtquam filii mortem amare flevit, hanc vitæ diſciplinam, quam vidua olim inſtituerat, ſecuta eſt ardentius, & ſe totam pietatis & religionis operibus amplius addixit. Sed quoniam ſpatium in paginis vacuum ſupereſt. Ecce chartam Garnegandi tibi ſubjicio.

Ego Garnegandus ſimulque uxor mea Helena, ut perpetuæ beatitudinis & gloriæ comparticipes, & cohæredes, intercedente piiſſimo Confeſſore Chriſti Domino noſtro Martino, effici mereamur; donamus & damus, donatumque in perpetuum eſſe volumus eidem omnipotenti Deo, & piiſſimo Confeſſori ejus Martino, in uſus canonicorum ibidem Domino ſervientium alodum juris noſtri proprium, quem per præceptum à glorioſiſſimo ac piiſſimo Domino Rege Odone, per deprecationem interventu eximii ſenioris noſtri Roberti Comitum potentiſſimi & ejuſdem Regis germani, obtinuimus, & quieto ordine poſſidemus, ſitum in pago Bleſenſe in vicaria Sodobrinſe, id eſt, eccleſias duas, unam earum ſitam in ipſa villa Sodobria, conſtructam & dedicatam in honore ſancti Leobini, cum omnibus rebus ad eandem pertinentibus, & alteram ſitam in eodem pago in villa, quæ dicitur Vognantus, conſtructam in honore ſancti Dionyſii, ſimiliter cum omnibus rebus ſibi pertinentibus. Reddit unaquæque per ſe cenſum proveredum unum, aut pro eodem ſolidos argenti X. *Et excepto hoc paſcant ſingulæ omni anno equum unum diei* XL. *aut reddant ſingulæ ſolidos quinque. Exceptis etiam iis eccleſiis, donamus*

LIB VIII CAP. V.

inſuper manſos quatuor reddentes* ſitos in jam dicto pago inter villam ſcilicet Praxeam, & villam Villagonis, cum domibus ædificiis, vineis, pratis, terris cultis & incultis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, mobilibus, immobilibus, & mancipiis utriuſque ſexus deſuper commorantibus, quæſitis & inquirendis, & illorum omnibus adjacentibus, & utilitatibus, ad quos pertinet vinea indominicata de Aripennis vini ſitos in præſcripta villa Sodobria. Ex his vero præfatis rebus omnibus piiſſimum Chriſti antiſtitem Martinum, & ejus venerabilem baſilicam hæredes facimus, & ea quidem ratione in uſus canonicorum ibidem Domino Deo ſervientium cedimus & condonamus: & ipſi canoniti illorumque ſucceſſores pro eorum libitu & permiſſione pro abſolutione animarum noſtrarum, & etiam præfatorum principum, quamdiu ſæculum ſteterit, decantent ante ſanctum Martinum poſt horam primam pſalmum unum, ſcilicet, Ad te levavi oculos meos, & quamdiu unus aut alter de nobis advixerit, eaſdem res omnes, pro voluntate & conſenſu eorundem fratrum, teneat & poſſideat, reddens omni anno, quamdiu advixerit, eiſdem fratribus cenſum ad conſolationem in Miſſa ſancti Martini hiemali libram argenti unam, & poſt noſtrorum amborum diſceſſum, res præfatæ in eorum integerrimum ſervitium revocatæ ſine alicujus expectantium ſignatione habeantur, ſed ex ipſis ſimiliter rebus precantes ſtatuimus, ut annis ſingulis, non in die ſancti Martini ut ſupra, ſed in die obitus noſtri, quocumque advenerit tempore, ut eodem die in illorum ſacris orationibus noſtrorum memoriam habeant, ſimiliter libram unam accipiant, cæteris aliis ſervitiis pro eorum voluntate & habitu in eorum ſtipendiis deputatis. Hæc vero omnia ita à nobis ordinata, de noſtro jure in jus & poteſtatem ſancti Martini ſuorumque canonicorum à die præſenti ad poſſidendum prona devotione tradimus, & condonamus, ut quidquid ex jam dictis rebus facere voluerint ſecundum propriam legem liberam & firmiſſimam habeant poteſtatem faciendi. Si autem fuerit aliquis ullo unquam tempore, quod venturum fore nullatenus credimus, ſi nos ipſi, aut aliquis ex hæredibus aut prohæredibus noſtris, uti etiam qualibet intromiſſa perſona, quæ contra hujus noſtræ piæ devotionis eleemoſynam, aliquam repetitionis calumniam movere tentaverit, inprimis ira omnipotentis Dei & beati Martini, niſi ſe citiſſime correxerit, ſe ſentiat mente depravatum, & inſuper ſancto Martino contra quemlibet auri ad purum excocti ſecundum immunitatem ſibi conceſſam LX. coactus exſolvat, & ejus repetitio nullum effectum habeat, ſed noſtra devotiſſima eleemoſyna noſtris, ac ſenioris noſtri Domini Roberti glorioſi Comitis, aliorum nobilium virorum manibus corroborata, firma & inviolabilis ac diuturna permaneat. Amen. Signum Garnegandi Vicecomitis, & uxoris ejus Helenæ, qui hanc donationem pretioſiſſimo Confeſſori Chriſti Martino humili devotione fieri, & affirmari rogaverunt. Signum † Domini Roberti incliti Comitis & Abbatis Regis germani. Signum Ardradi Comitis &c.

LIBER

LIBER NONUS.

CAPUT PRIMUM.

De Carolo Rege, & de bello cum Zuentibolcho Rege. De nova Nortmannorum irruptione duce Rollone, cui ſecunda Lugdunenſis conceſſa. De morte Anſcherici Epiſcopi. De Theodulfo ejus ſucceſſore, & aliis Eccleſiæ Pariſienſis Epiſcopis. De ſancto Gerardo Abbate Bronienſi. De Abbatibus Foſſatenſis monaſterii.

CAROLUS mortuo Odone regnum Francorum recepit. Princi- I.
pes enim habito ſollemni conventu, eum Regem ſalutant; is tunc temporis maturus idoneuſque Imperio erat, reſtituruſque regnum videbatur, ſi optimatum acclamationi par obſequium fuiſſet. Verùm proceres ipſi lacerare regnum, civitates, & provincias, quas precariò receperant, tanquam patrimonium retinere: Duces Comiteſque detrectare imperium, neque amplius publicis ſervire utilitatibus, ſed omnia ex commodis æſtimare, quæ res deinde in cauſa fuit, cur & regnum Caroli malis inteſtinis premeretur, & Comitum ſeu ambitione ſeu contumacia diſtraherentur provinciæ, atque demum Carolina gens privaretur imperio. Etſi omuia hæc ad hiſtoriam Pariſienſem non ſpectant, ea tamen haud penitus aliena à propoſito, nam referre regni Francorum præcipuas viciſſitudines nobis conſuetum eſt, & noſtrarum rerum maxime intereſt occaſum Carolinæ familiæ commemorare, & Capetiorum ortum, ut quiſque videat, quibus gradibus Deus Hugonem, & ejus hæredes ad regnum evocaverit. Cum præſertim ipſe caput ſit auguſtiſſimæ Regum noſtrorum familiæ, & Reges hujus gentis continuata ſerie, neque interrupto regnandi tenore, octingentis annis ſceptrum Francorum feliciter moderati ſint, Pariſiis ſedem Regni hoc quantocumque tempore poſuerint, & ſub illorum principatu tum civitas, tum Eccleſia Pariſienſis mirum quantum amplitudine & honoribus accreverint: eóque libentius in illam eo ſententiam, quod res paucæ memoratu hac miſera & infelici ætate dignæ ſint, aut ſi fuerint, haud memoriæ commendatæ ſunt, tantum inſcitia illorum temporum ſterilitatis & inopiæ rebus attulit.

Statim atque Carolus Rex, omnium Francorum conſenſu, dictus eſt, diſſidia II.

inter eum, & Zuentibolchum orta ſunt. Zuentibolchus Lotharingiæ Rex Reginarium Ducem, cujus maxime conſiliis utebatur, bonis & honoribus privatum è regno exire jubet; ille adjunctis quibuſdam ex amicis, Odacro inprimis Comite, in caſtrum, cui nomen Durfos, ſeſe recepit; huc Rex protinus accedere, locum obſidione circumdare. Verum cum caſtrum ſeu propter ſitum, ſeu propter eos, qui ſe munitionibus incluſerant, quibus conſtitutum erat mori potius, quam ſeſe dedere, expugnari non poſſet, obſidionem ſolvit. Comites poſt diſceſſum Regis ad Carolum deficiunt, & eum cum copiis in regnum Zuentibolchi adducunt. Tum prope fuit, ut à Carolinis circumventus Rex caperetur: verum ille receptis animis congregatiſque optimatibus, qui in fide ſteterant, adverſus Carolum haud impar viribus proficiſcitur, neque Carolus detrectare pugnam, audita enim Zuentibolchi profectione, à Neomago Prumiam venerat, unde Lotharianis obviam profectus eſt. Jam utrimque exercitus in conſpectu erant, & prælium poſcebant cognatæ acies, cum ecce legati tantum egerunt apud Reges, ut pax, datis utrimque ſacramentis, fieret. Carolus poſtea in regnum trajecto Moſa reverſus eſt. Sequenti anno DCCCXCIX. Zuentibolchus cum proceribus ſui regni publicum colloquium habuit apud ſanctum Goarem, legati tam ex regno Arnulfi, quam Caroli huc acceſſerunt, Arnulfus Hattonem Moguntinum Archiepiſcopum, Chonradum & Gebehardum Comites miſit; & nomine Caroli Anſchericus Pariſienſis Epiſcopus, & Odacar Comes colloquio adfuerunt: quid in eo pertractatum ſit, auctores non memorant. Inclinante eodem anno Arnulfus Imperator obiit, & anno ſequenti Zuentibolchus commiſſo prælio cum Gerardo & Matfrido Comitibus, qui defecerant ad Ludovicum filium Arnulfi, quem Germani Regem fecerant, interficitur.

III. Carolum id temporis magnopere angebant continuæ incurſiones Nortmannorum, ii jam à quinquaginta & amplius annis vexabant Galliam, ſeu diſſidiis, ſeu ſocordia noſtrorum, qui à priſtina virtute deſciverant, invitati, metum & terrorem populis & Principibus ipſis injecerant: eoque magis Carolus eorum adventu terrebatur, quod Comites ſibi potius, & provinciis ſuæ familiæ aſſerendis, quam publico bono conſulerent. Neque eo tempore tam validæ opes regni, ut unus Rex hoſti prædationibus & victoriis ſuperbo par eſſet. Carolus itaque cum aliter non poſſet, ut ſe ab hoſte eximeret, rem facere aggreſſus eſt, quam illi vitio vertit poſteritas, negotium hoc modo peractum narrant antiqui ſcriptores. Rollo Danorum Dux, qui opibus & auctoritate plurimum valebat, domeſticis diſſidiis è patria pulſus, cum magno popularium numero ad exteras gentes, non modo, more aliorum Nortmannorum, ut prædas ageret, verum ut poneret ſedem, ire conſtituit. Aiunt aliqui Rollonem continuo invectum navibus, per Sequanæ alveum vi cepiſſe Roromagum, & adverſo flumine adnavigaſſe Pariſios, & anno integro incaſſum obſediſſe: ſed Meldenſem urbem ab eo expugnatam, Bajocenſemque & vicinas provincias populatas, ac demum trajeciſſe in Angliam, & poſt annum elapſum in Franciam reverſum. Sed hæc non ita accidiſſe mihi perſuadent alii auctores, apud quos nulla horum reperitur memoria, & quiſquis meminerit eorum, quæ antea ſcripta ſunt de obſidione Lutetiæ, & de expugnatione Meldorum, haud ægre fatebitur promiſcue ab indiligenti ſcriptore permixta cum iis, quæ Rollo poſtea geſſit. Rem igitur, ut alii ſcripſerunt geſtam eſſe, hîc relatam malim. Rollo, ut memorant, odiis domeſticis, quia potentia & opibus pollens erat, pulſus è patria, cum magna Danorum manu, adornata ingenti claſſe naves conſcendit, appulitque primum in Angliam, & cum Alſtemo Anglorum Rege amicitiæ fœdus pepigit, tum repetita claſſe ad Valgros orta tempeſtate dejectus eſt, unde ad Scaldim adnavigavit, atque inde ad oſtium Sequanæ, & vento afflante per alveum Sequanæ ad Gemeticum pervénit. Ea tempeſtate Franco Rotomagenſis Eccleſiæ Pontifex, territus inopinato Danorum adventu, quorum ſævitiam toties experta fuerat Neuſtria, atque inprimis Rotomagus, à Danis ſæpius capta direptaque urbs, tum facilis expugnatu, cujus mœnia proſtrata; quæ ſapiens

præſul ſerio cogitans, Duci Normannorum occurrere maluit, quam populum gladio barbarorum objicere. Percuſſit itaque cum Rollone fœdus, & urbem, quam aliàs tueri non poterat, amice dedidit. Rollo non, ut ſoliti erant antea Nortmanni, tam prædæ avidus, quam cupidus in Gallia ſedis demum conſtituendæ, coloniam Nortmannorum ibi ordinare cœpit, & hanc urbem arcem Danicæ gentis facere ob ſitum loci terra marique opportunum. Hanc igitur præſidio militum & munitionibus inſtruit, ut facile poſſet defendi. Rolloni poſtea propoſitum eſt provinciam dilatare. Archas igitur, deinde Mellentum capit, fugato Rainaldo, quem Carolus adverſus Rollonem miſerat. Rainaldus pudore fugæ, & exiſtimationis recipiendæ avidus, novis auctus ſupplementis, Rolloni obviam proceſſit: ſed iterum fuſus eſt, & ipſe fugiens à quodam piſcatore, qui Rollonis partes ſequebatur, occiſus eſt. Scribunt alii ipſum in conflictu cæſum, & ejus morte exercitum perterritum fugam cepiſſe. Rollo gemina ferox victoria, magna volvere animo cœpit conſilia, & Galliam omnem armis ſubigere inſtituit. Scribunt rerum Nortmannicarum auctores Lutetiam claſſem adveniſſe, & urbem obſeſſam fuiſſe: verum cum Pariſienſes, urbem defendere aſſueti, fortiter eam tuerentur, & aliunde hoſtes omni commeatu intercluderentur, Bajocaſſes relicta Lutetia profectos eſſe, eamque oppugnaſſe, ſed re infecta, aiunt continuo Lutetiam iterum rediiſſe, rati, ſi urbe Galliarum primaria potirentur, opida alia, immo & provincias reliquas facile recepturos: ſed ipſi iterum ab urbe repulſi, Bajocaſſes revertuntur, opidumque omnibus denuo conatibus oppugnant, ac demum vi capiunt. Urbs diruta eſt, opidani complures gladio perempti perierunt, capti aliquot ſervituti addicti ſunt, in numero captivorum fuit virgo Poppa nomine, ætate, ſanguine, & forma præſtans, quam Rollo thoro aſcivit, ex qua Guilelmum filium ſuſcepit. Ebroicas deinde expugnavit. Sed Dani animo inſidebat Lutetia toties fruſtra obſeſſa. Pariſios itaque rediit, ſed nulla vi, nulliſque machinis urbs capi potuit. Interea multa opida, & multæ urbes exoluto pretio ſe à direptione eximunt. Dum ille Lutetiam premit, ecce legati ex Anglia adveniunt, rogant nomine Alſtemi Regis auxilium adverſus rebelles. Rollo ſolvendæ obſidionis occaſione capta, conſcendit naves, & in Angliam trajicit. Rebelles audito adventu Nortmannorum, ſtatim ſe Regis arbitrio permittunt. Rebus in Anglia pacatis, Rollo ex ſupplementis auget exercitum, & in Galliam ferox reverſus eſt, trifariamque partito exercitu, per oſtia Sequanæ, Ligeris, & Garumnæ Galliam ſimul adoritur, ipſe Sequanâ fluvio invectus, Lutetiam, quam multoties petiverat, aggreditur, & viciniores terras populat. Carolus Rex interea anceps animi cogitabat quibus modis hoſtem propelleret, conventum ex optimatibus habet, & Franconem Rotomagenſem Epiſcopum ad ſe accerſit, ut, quid facto ſit opus, videat. Itum eſt in eam ſententiam, inducias trium menſium petendas à barbaro, quem, ſi Chriſti religionem profiteatur, beneficiis conciliandum, & donandum ſecunda Lugdunenſi cenſent. Franco illico ad Rollonem miſſus, cum eo de trium menſium induciis agit, remque pactione tranſigit. Burgundiones, Aquitanique ægre tulerunt his pactionibus agi cum Rollone, & hoc pretio pacem redimi: Francos itaque ad rem fortiter agendam adhortantur, ſummiſſuros ſe auxilia ad propellenda Danorum arma, ſi animo virili ſint, & reſiſtere fortiter parent. Noſtri his accenſi vocibus, armis Rollonem occupant. Rollo exacerbatus, quod tempus fruſtra conſumpſiſſet, more leonis, quem hiantem præda deluſit, crudeliter ſævire, provincias latrociniis & cædibus implere, ſpargere populis & urbibus terrorem, quócumque vagari, & Galliam late vaſtare, modo Burgundiam armis aggredi, modo petere Alvernos: mox Stampas accedere, ut Lutetiam impetat. Cùm Rollo hæc meditaretur, ecce ruſtici facto agmine Danos invadunt, incondita erat agreſtium hominum turba, neque aſſueti ferrum tractare, neque gnari bellicarum exercitationum, quos frangere, & delere haud ardui ſcientibus militiam operis fuit. His ita peractis, Danus ſub ejuſdem Dùcis auſpiciis in Dunenſem comitatum, & Carnotenſem agrum infeſtis ſignis ingreditur, & paulo poſt obſidere Carnutum cœpit. In opido erat Vvaltelmus

LIB. IX. CAP. I.

LIB. IX. CAP. I. urbis Epiſcopus, religione inprimis clarus, qui nihil reliqui fecit, ut urbem ab hoſte defenderet: is petiit auxilium à Richardo Burgundionum Duce, & ab Ebolo Pictavenſi Comite: & ad Francos, ad Carolum Regem ſcilicet, & ad Robertum Pariſiorum Comitem nuncios miſit, qui omnes urbi laboranti ferre ſuppetias haud abnuerunt. Conjunctis viribus præliati, auſpicibus Roberto & Richardo, decretum eſt. Carnutum illi ſine mora acceſſerunt, & cum Rollone manus conſerunt: haud ſegniter pugnatum eſt, inclinata tamen Francorum acies eſt; Francus, viribus & animis receptis, inſtaurat pugnam, fit cædes utrimque, multaque corpora tam barbarorum, quam noſtrorum jacent occiſa, ancepſque nutat victoria. Interim opidani è portis erumpunt duce Vvaltelmo Epiſcopo, qui vexillum Crucis, & tunicam beatæ Mariæ Virginis, ſacerdotali indutus habitu manibus ferebat, ſequebatur clerus, & pone urbis præſidium cives armis ſuccincti, hi foras egreſſi hoſtem averſum feriunt, cadebant multi è barbatis; Rollo ſenſit periculum, exercitumque à fronte, & à tergo cædi cernens, copias, facta ſibi per noſtros via, reduxit ad montis jugum; tunc intellexerunt Rollonem marte non eſſe inſuperabilem; integra fuiſſet victoria, ſi noſtri ea uti ſciviſſent. Ebolus Pictavenſis Comes nondum acceſſerat, quando commiſſum eſt prælium, ſtatim poſt pugnam advenit: ut in partem victoriæ veniret, hoſtem cum copiis deturbare è monte aggreſſus eſt. Facile fuit Danis pugnantibus ex edito loco, telis, jaculis, & lapidibus noſtros obruere. Verum Franci, Burgundioneſque opitulari Aquitanis, montem cingere, & obſtruere egreſſus omnes. Rollo in his anguſtiis, virtute & dolo agere inſtituit. Nocte intempeſta, mittit ad caſtra Francorum tubicines, qui terrorem hoſtibus injiciant, ſonitu quiſque pavidus expergiſcitur; barbarus interim per medios hoſtes ſibi viam facit, & ſic evadit è monte, & greſſu citato ad Auturam fluvium pervenit, ſigna defigi jubet in loco, quem palus ambibat. Noſtri quoque ſublatis ſignis eos perſequi, & in ſuis adoriri caſtris meditantur. Nortmanni, ne expugnarentur, novum munitionis genus comminiſcuntur: innumerabilem animalium multitudinem ex prædationibus ceperant: ea mactare incipiunt, & pellem detrahere, deinde nudam carnem, oſſaque alia ſuper alia aggeſta imponunt, & ex iis murum novo genere ædificant, quem coriis tegunt. Franci advenere, novum admirati propugnaculum, ſolo ex ſanie lubrico pedem inferre non auſi ſunt, neque cruentum aggredi munimentum; his noſtri à perſequendo hoſte deterriti, in ſuas quique provincias redierunt, & victoriam, quæ in eorum manibus erat, ultro dimiſerunt; quæ infelicitas illorum erat temporum: dum quiſque rempublicam ex commodis, & privata utilitate metitur. Rollo amotis Francis, qui patriam defenderent, bacchari per provincias, & perniciem omnibus in locis inferre. Incredibile dictu eſt, quæ ſtrages hominum, quæ provinciarum vaſtitas fuerit, homines more pecudum cædebantur, monaſteria, baſilicæ, vici, opida impune cremabantur, jacebant opes Galliarum, corruebantque decora Francorum Regum, parta noſtrorum majorum ſanguine. Dum barbarus impune ſævit, populi extorres Regem adeunt, petuntque auxilia, quibus hoſtem retundant; aut ipſe fœdere icto cum Rollone pacem componat. Rex adhibito Francorum conſilio, & Francone Rotomagenſi Pontifice accito, de concordia agitat: demum inter Regem & Rollonem conventum eſt, ut acciperet terram, quæ à flumine Epta ad Oceanum patet, eaque jure beneficiario potiretur, Giſlamque filiam Caroli, ejecta è thoro Poppa, duceret uxorem. Rebus in hunc modum conſtitutis, Rex cum Roberto Comite Pariſiorum & Duce Francorum, & multis proceribus ad vicum, cui nomen ſancti Cleri, accedit cum magno hominum militumque comitatu: ex altera parte Rollo aderat, ubi demum his, quas dixi, conditionibus jurata pax, additaque illi minor Britannia, ob cujus donationem Berengarius & Alanus Duces ei fidem jurarunt. Rollo illico Regi juramenta perſolvit more Francorum, & pollicetur ſe accepturum cum gente religionem Dei. His geſtis Rex diſcedit. Robertus Comes Pariſienſis, & Rollo ſimul Rotomagum veniunt. Anno DCCCCXII. luſtralibus ſancti Baptiſmi undis Rollo ablutus eſt à Francone Archiepiſcopo

Rotomagenſi: eum excepit è lavacro Robertus Dux, qui ſuum ei nomen impoſuit. Ita Nortmanni venerunt in poſſeſſionem provinciæ, quam Romani olim Lugdunenſem ſecundam appellaverunt, quæque deinceps à Nortmannis Nortmannia dicta eſt. Ita quoque Nortmannorum natio, quæ in Gallias prædandi gratia venerat, Chriſtianam religionem ſuſcepit. Ceteri enim ad exemplum Rollonis, melioribus documentis inſtituti, & ſancto baptiſmo abluti, Chriſti religionem amplexi ſunt. Atque adeo per damna noſtra accrevit Chriſti imperium. Rollo potitus provincia, hanc ordinare, & populum licentia bellorum ferocem, legum ſeveritate ad manſuetudinem, & morum honeſtatem revocare ſtuduit. Etſi his infauſtis temporibus opportunum remedium fuit: haud tamen Francis gratum, qui Caroli memoriam nota ſimplicitatis & oſcitanciæ inuſſerunt, quaſi Caroli magis culpa fuerit, quàm omnium Comitum, qui tueri pattiam adverſus barbaros duce Carolo debuerant. LBI. IX. CAP. I.

IV. Dum hæc cum Nortmannis agerentur, & Lutetia Pariſiorum, quæ toties batbarum à mœnibus depulerat, libera non modo à periculo, ſed etiam à metu eſſet, Anſchericus Epiſcopus Pariſienſis, cujus ſæpius opportuna urbis defenſioni opera fuit, moritur, anno ſcilicet DCCCCX. Ut ejus obitum hoc anno conſignem, perſuadent veteres chartæ. Extat in majori paſtorali Eccleſiæ Pariſienſis charta, qua Carolus III. ad rogationem Anſchetici confirmat donationem pontis, cum areis, & molendinis hujus urbis, factam ptius à Catolocalvo: hæc vero charta data eſt XVI. Calend. Octobris, indictione XII. anno XVII. regnante Carolo Rege, redintegrante XII. qui annus incidit in annum æræ Chriſtianæ DCCCCIX. Ex quo liquet Anſchericum vixiſſe uſque ad eum annum, neque ultra annum ſequentem vitam protraxiſſe, cujus rei fidem facit altera charta, data ab eodem Rege, anno DCCCCXI. ad petitionem Theodulfi Pariſienſis Epiſcopi ejus ſucceſſoris, cui chartæ ſubſcripſit Hugo regiæ dignitatis notarius ad vicem Herivei Archiepiſcopi, data eſt XV. Calend. Julii, indictione XIV. hanc chartam mox integram referemus. Ex ea porro patet, & ex ejus ſucceſſore Theodulfo, cujus in ea mentio, & ex Hetiveo ſummo Cancellario, qui in hoc magiſtratu Anſcherico ſucceſſit, Anſchericum jam è vita deceſſiſſe. Ex his quoque patet, Anſchericum aut anno DCCCCX. aut circa initia anni DCCCCXI. mottuum fuiſſe, neque ullo inſtrumento conſtat, aut antea obiiſſe, aut poſtea ſuperſtitem fuiſſe. Theodulfus huic ſucceſſit, quis vero fuerit, & qua ratione ad Pariſienſem Epiſcopatum pervenerit, haud dicam. Obtinuit à Rege Carolo privilegium immunitatis pro clauſtro & ædibus canonicorum: hoc vero è parvo deſcriptum paſtotali proferimus.

V. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Karolus divina propitiante elementia Rex &c. Igitur ſanctæ Eccleſiæ Dei fidelium, noſtrorumque tam præſentium, quam futurorum noverit induſtria, quoniam adiens ſerenitatis noſtræ præſentiam, dilectus noſter ac venerabilis Theodulfus Pariſiacenſis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ perpetuæ virginis Epiſcopus, humiliter deprecatus eſt, quatenus fratribus ejuſdem eccleſiæ inibi Domino famulantibus, ex clauſtro eorum hoc noſtræ auctoritatis præceptum fieri juberemus: ita ut illud ſine ullius Epiſcopi, aut cujuſlibet perſonæ inquietudine: ſicut à priſcis temporibus ad cohabitandum eis pro obſervando licentius ſuæ religionis propoſito conceſſum eſt, perpetim ſimul poſſidere valerent, atque cohabitationes domorum ſuarum inibi conſtructas, immo & impoſterum conſtruendas abſque alicujus calumnia, jugiter quietè obtinere poſſent, inſuper, & cuicumque conſodalium ſuorum, aut pro ſuæ neceſſitatis negotio, aut noſtræ auctoritatis arbitrio ſigillatim eaſdem concedere & vendere vellent, liberaliſſimam id agendi poteſtatem haberent. Hujus namque congruam, ac neceſſariam conſiderantes petitionem: necnon & proavi noſtri Ludovici Imperatoris, cujus edictum optimatum Imperii ſui conſilio exiit, ut univerſa canonicorum clauſtra abſque cenſus exactione abſoluta permanerent, & inclytæ prolis ipſius avi noſtri ſcilicet Karoli Regis, id præcepto roboratum eſt, inſuper & quidquid iidem canonici infra clauſtra ædificarent, licentiam haberent inde faciendi quod voluerint, veſtigia imitantes; placuit ſerenitati noſtræ ejuſdem Epiſcopi Theodulfi acquieſcere poſtulationibus, & munificentiæ noſtræ præcepto concedimus eiſdem fratribus ſanctæ*

LIB. IX. CAP. I. *Mariæ, & prædictum clauſtrum illorum, tam ipſi, quam ſucceſſores eorum Domino ſervientium, ab hodierna die & deinceps abſque alicujus ſenioris, vel ullius hominis impulſione, ſimul cum domibus ſuis, infra & extra exiſtentibus, indeſinenter, libere ac quiete poſſideant, & quicquid ex iis videlicet omnibus, ut dictum eſt, agere voluerint, & Chriſto propitio in omnibus habeant poteſtatem faciendi, pro noſtri tantummodo ſalute conjugiſque noſtræ Friderunæ, ac prolis, totius quoque regni ſtatu Domini clementiam propenſius obſecrantes, ut autem hujus auctoritatis præceptum, per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatis vigorem, manu propria ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Signum Karoli Regis glorioſiſſimi. Hugo regiæ dignitatis notarius ad vicem Hervei Archiepiſcopi recognovi, & ſubſcripſi. Datum xv. Kalend. Iulii, indictione xiv. Anno Incarnationis dominicæ DCCCCXI. regnante Domino Rege xix. Redinteg. xiv. Actum villa Cangiaco. In Dei nomine feliciter amen. Renovatio ejus ſcripturæ facta per Philippum Regem Pariſius, anno MCCCIX. menſe Februario &c.*

VI. Theodulfi Pariſienſis Epiſcopi memoria eſt in vita ſancti Gerardi Abbatis Bronienſis. Sed quoniam ille ſanctus monaſticæ vitæ tyrocinium poſuit apud ſancti Dionyſii monaſterium, & res haud paucæ ad noſtrum ſpectant propoſitum, de eo loquendum mihi eſt. Gerardus ex nobili loco, patre Stantio, ortus eſt in vico, cui nomen Stabecellæ, qui locus inter Moſam & Sabim ſitus eſt, haud procul à Bronio. Cum Gerardus pietate plurimum & religione valeret, divinitus admonitus eſt, ut oratorium, quod Pippinus Princeps Bronii extruxerat, rurſus ædificaret, & ex eo baſilicam conderet, & ſub titulo ſancti Eugenii Deo dedicaret. Eccleſiam quidem extrui juſſit, ſed cogitanti quomodo reliquias ſancti Eugenii martyris eccleſiæ, quam inſtauraverat, inferret, ecce ſeſe occaſio ſponte obtulit. Berengarius Lemacenſis Comes erat, in cujus comitatu Bronium erat, inter eum & Gerardum intercedebant amicitiæ; eum enim, tum propter ſenilem annis florentibus ſapientiam, caſtigatoſque mores, vehementer diligebat, ejuſque conſuetudine inprimis delectabatur. Cum vero id ætatis Robertus Comes Pariſienſis auctoritate in regno, & gratia apud Principem valeret, ad eum Berengarius Gerardum, qui de negotiis cum eo ageret, miſit. Gerardus igitur acceptis mandatis, ſe itineri committit, & fortuitò, cum ad opidum ſancti Dionyſii jam die inclinante divertiſſet, ipſe, qua erat pietate, ad baſilicam ſancti Dionyſii martyris precandi gratia accedit. Tum agebantur veſpertinæ precationes, acciditque, ut pro more ſancti Eugenii in precando à monachis fieret mentio: perſolutis Deo precibus, monachos adiit. Rogat ecquis fuerit ille Eugenius, cujus, dum Deum orant, meminerint; aiunt illi unum ex comitibus ſancti Dionyſii fuiſſe, ſub cujus auſpiciis militaverit, qui olim primus Toletanæ Eccleſiæ Pontifex fuerit, quique huc reverſus, apud Diogilum certamine glorioſo mortem oppetierit: petit Gerardus reliquias hujus ſancti Martyris; ad hæc monachi rem difficilem eſſe memorant; quotidie ſanctum corpus coruſcare miraculis, neque magis ſuam rem eſſe, quàm totius provinciæ, ab omnibus haberi ſicut loci & civitatis Pariſienſis defenſorem; cumque ille propterea à propoſito non diſcederet, auctores illi ſunt, ut ſe in baſilica monachorum numero adſcribat: poſſe tum ejus petitionem perfici, ſi in ædibus Dionyſianis, tempus & momenta rei perficiendæ exploret. Hæc ille poſtea animo revolvens, cœpit res caducas contemnere, & deſiderio rerum cæleſtium affici, abſolutaque, ut par erat, legatione, factaque ſibi à Tungrenſi Epiſcopo poteſtate, in Dionyſiana baſilica monachum induit. Ibi piis ſe operibus exercere, litteras, quas neſciebat, ſtudio addiſcere, & poſtea ſacris codicibus tempus & operam ponere, labore & ſtudio aſſequi omnia, adeo ut ſeniores non modo pietate, ſed doctrina aſſequeretur, vel etiam anteiret. Decanus, cui cura monaſterii erat, Gerardum virtutibus & ſcientia refulgentem adhortatus eſt, ut ſe ſacro Eccleſiæ miniſterio addiceret; ille, etſi de ſe abjectiſſime cogitabat, & tanto ſe indignum reputabat munere, repugnare tamen juſſis præpoſiti non auſus eſt. Acolythus itaque à Theodulfo Pariſienſi Epiſcopo eſt ordinatus. *Anno igitur converſionis ejus ſecundo*, inquit auctor ejus vitæ, *Pariſius ordinatur acolythus ab*

Acta bened. ſæcul. 5.

Epiſcopo ejuſdem urbis Theodulfo, à quo etiam hypodiaconus conſecratur, *ſub-
ſequente anno tertio. Sub ejus vero ſucceſſore Fulrado aſcendit gradum diaconii quarto.
Anno autem nono, virtutum faſtigio ſublimatur & ſacerdotio ab ipſius Fulradi ſuc-
ceſſore Adelhelmo.* Horum Epiſcoporum ſeriem poſtea, eorumque ætatem ex-
pendemus, cetera proſequor. Etſi monaſterii Abbas erat laicus, tamen ſub
præpoſito, qui Decanus vocatur, diſciplina florebat, multique monachi ſecun-
dum vitæ ſeverioris inſtituta vivebant: alios omnes præibat pietate, & virtutum
ſtudio Gerardus, quod illi tantum auctoritatis conciliavit, ut omnia ex ejus
ſapientiſſimis conſiliis gererentur. Gerardus uſus tempore petiit, obtinuitque à
Dionyſianis reliquias ſancti Eugenii, quas Bronium tranſtulit cum XII. mona-
chis, quos amor diſciplinæ monaſticæ magis commendabat, quorum opera
Bronienſe monaſterium condidit, pulſis clericis, quibus oratorium commenda-
verat. De ſancto Eugenio, ejuſque tranſlationibus actum eſt libro primo, neque
neceſſarium eſſe duco, ea iterum repetere. Jam redeo ad tres Epiſcopos, quo-
rum memoria eſt in vita ſancti Gerardi Abbatis Bronienſis: ex hoc enim loco
eorum ætatem, & annos Pontificatus facilius diſcutiemus; apparet ex vita hu-
jus ſancti Abbatis, Theodulfum anno Chriſti CMXXI. Epiſcopatum Pari-
ſienſem geſſiſſe, rationem hujus temporis ſic deduco. Gerardus è Bronio ſe-
ceſſit ad Dionyſianos anno CMXVIII. quod ex publico inſtrumento cer-
tum eſt, quod ita ſe habet.

Ego in Dei nomine Gerardus, cogitans de æterna retributione, dono, conſentiente VII.
*patre meo Statione, & fratre meo Vvidone, aliquas res meas ad eccleſiam, ubi cupio
conſtruere monaſterium, ac meipſum in ſervitio omnipotentis Dei militaturum, quæ eſt
ſita in pago Lemacenſi, in loco nuncupato Bronium ſuper fluvium Bornon, dono jus quod
in Romerias &c. Actum in villa de Bronio anno DCCCCXVIII. Anno Karoli
octavo Regis excellentiſſimi.* Id eſt poſt receptam ampliorem hæreditatem, quo Ge-
rardus monachum apud Dionyſianos induit, ubi cum Gerardus unum & alterum
annum egiſſet, ab Epiſcopo ejuſdem urbis Pariſienſis, ſcilicet Theodulfo acoly-
thus factus eſt, & ſubdiaconus anno tertio, poſtquam monaſterium Dionyſianum
ingreſſus eſt: Et quarto anno ſub Fulrado Epiſcopo Pariſienſi ad diaconatum ad-
ſcendit. Unde patet Theodulfum è vita deceſſiſſe anno Chriſti CMXXI. Necro-
logium Eccleſiæ Pariſienſis mihi præterea diem ejus obitus ſuppeditat, ad VIII. Ca-
lend. Maii, *obiit Theodulfus Epiſcopus, qui firmavit clauſtrum noſtrum ſub Carolo Re-
ge, cujus anniverſarium debet ſollemniter fieri.* Ex quibus necrologii Pariſienſis ver-
bis intelligimus, clauſtrum canonicorum clauſum fuiſſe ſub pontificatu Theodulfi,
cui Fulradus ſucceſſit; indicibus Eccleſiæ Pariſienſis illius nomen inſcriptum eſt,
& vita Gerardi Abbatis Bronienſis illius meminit, memoratque ipſum ſucceſ-
ſiſſe Theodulfo. Habetur in Foſſatenſi chartulario præceptum Rudolfi Regis,
in quo Fulradi Epiſcopi Pariſienſis mentio eſt. Eſtque ejuſmodi.

In nomine Dei æterni, annuente pietate Dei Teudo Pariſiorum Vicecomes notum VIII.
*fieri volumus omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, quia quidam venerabilis Abbas
Adhelneus cœnobii ſancti Petri Foſſatenſis, unà cum quibuſdam ejuſdem cœnobii mo-
nachis, accedens ad nos, humiliter deprecatus eſt; quatenus quamdam aream terræ ex
noſtro beneficio conſiſtentem infra urbem Pariſiacam, cùm quadam cellula in honore
ſancti Petri funditus deſtructa, ad refugium ſupradictorum monachorum, rerumque
ſuarum jure cenſuali concedere dignaremur. Nos autem rationabilem ejuſdem Abbatis
Adhelnei conſiderantes petitionem, pro amore Dei ſanctique Petri Apoſtolorum prin-
cipis, peccaminum meorum abſolutione, pari aſſenſu Domni ac præſtantiſſimi Mar-
chionis Hugonis ſenioris noſtri, ſeu ejuſdem civitatis Epiſcopi Fulradi, prædictam
aream terræ conceſſimus &c. Nullam inquietudinem ab aliquo homine inibi patian-
tur, nec vigilias civitatis, nec receptionem hominum faciant, &c. & ut hæc noſtræ
conceſſionis chartula firmum & ſtabilem obtineat vigorem, manibus Domni, ac ſenio-
ris noſtri Hugonis, ac præfati Epiſcopi Fulradi, ſeu plurimorum bonorum hominum
laicorum roborandam tradidimus. Actum Pariſius ſub die x. Calend. Septemb. Signum
Hugonis Comitis, atque Marchionis ſeu Abbatis, ſignum Teudonis Vicecomitis, qui
hanc chartulam fieri juſſit, atque firmavit. Signum Theubaldi Vicecomitis, & aliorum*

viginti unius. Anno tertio regnante Rodulfo Rege, Ercamfredus Cancellarius ſcripſit. Hæc charta data eſt anno Chriſti DCCCCXXVI. ad hæc certe tempora pervênit Fulradus Epiſcopus. Superſtitem fuiſſe huic anno, vita ſancti Gerardi Broníenſis Abbatis facile perſuadet. Anno enim poſtquam ingreſſus eſt Dionyſianum monaſterium quarto, id eſt anno DCCCCXXII. diaconatum ſuſcepit à Fulrado, & poſt annos novem ab ingreſſu monaſterii, preſbyter ordinatus eſt ab Adelhelmo Epiſcopo Pariſienſi Fulradi ſucceſſore, id eſt anno DCCCCXXVII. Jam igitur Fulradus obierat, quem vel anno ſuperiore, vel certe initio hujus anni DCCCCXXVII. obiiſſe oportet. Fulrado vero ſucceſſit Adehelmus, ſic enim in ſincerioribus exemplaribus legitur, non vero, ut habet ſancti Gerardi vita apud Surium, Adelelinus, quod ex mala lectione depravatum fuiſſe haud dubium eſt, ut patet ex veteri indice Colbertino, ſicut ex antiquitatibus Pariſienſibus, & ex tabulariis Eccleſiæ Pariſienſis, ubi Adalelmus vocatur; in Gallia Chriſtiana Roberti, Adelinus dicitur: omittitur in Gallia Chriſtiana ampliore. Hæc de Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis.

IX. Pauca, antequam caput abſolvam, ſubjicicienda ſunt de Abbatibus Foſſatenſis monaſterii, de quibus jam dudum ſermo fuit, in eum modum eorum catalogum texit Brolius in ſupplemento antiquitatum Pariſienſium, hique poſt Ingelbertum numerantur, Godefredus, Ebbo, Otheleius, Alveus, Aymo, Otheleius II. & Magenardus &c. Quæ quomodo cohæreant cum chartis, veteribuſque actis, non intelligo. Conſtat Ingelbertum vixiſſe adhuc anno octavo Caroli-calvi, ut ex donatione Anouvarechi Britonis, quam Baluzius retulit in appendice veterum actorum tom. 2. Capitularium, manifeſtum eſt: ſed, quod alias annotavi, certum eſt ejus obitum eodem anno, qui DCCCXLVII. eſt, contigiſſe. Eginardus enim Abbas Foſſatenſis celebratur in charta ejuſdem Regis Caroli, hoc ipſo ejuſdem regni anno VIII. quemadmodum habetur in chartulario Foſſatenſi, & in loco memorato apud Baluzium. Poſt Eginardum, Einardus Abbas fuit anno DCCCLV. ut patet ex altera charta ejuſdem chartularii, in qua confirmatur à Rege permutatio facta inter Hermintrudem Reginam conjugem ſuam, & Einardum Abbatem cœnobii Foſſatenſis, data eſt XVII. Calend. Januarii, regni Caroli-calvi XVIII. huic, puto, ſucceſſit Godefredus Abbas Foſſatenſis, de quo Odo, ejuſdem loci Abbas, in præfatione de everſione monaſterii ſancti Mauri ſcribit, inter eos enim, à quibus didiciſſe profitetur

Supplement. antiq. Pariſ.

res, quas memorat, primo loco Godefredum nominat, his verbis. *Horum primus & ordinis dignitate, & perfectioris vitæ ſanctitate Godefredus venerandus Abba Foſſatenſis monaſterii extat, qui prolixiori tempore ſub regimine ſanctæ recordationis*

Acta bened. ſæcul. 4. part. 2.

Theodradi in eodem ſancto deguit cœnobio. Ejuſdem meminit auctor vitæ Burchardi Comitis, his verbis. *Si quidem illuc in pago Remenſi quædam poſſeſſiuncula, quam glorioſus Rex Carolus-calvus eccleſiæ Foſſatenſi, Abbatique venerando Godefredo refugii cauſa propter Nortmannorum perſecutionem dedit, in qua etiam corpus ſancti*

Beſly. hiſt. Comit. Pictav.

Mauri multis annis reverenter traditur conſervatum. Godefredo Odo ſucceſſit, auctor illius hiſtoriæ, quam modo memoravi, ſcriptorque vitæ, tranſlationis, & miraculorum ſancti Mauri. Extat præceptum Caroli-calvi, exſcriptum ex tabulario ſancti Mauri ad Ligerim, datum Non. Feb. anno Caroli Regis XXVIII. in monaſterio Foſſatenſi, quo Odonem Abbatem huic præfuiſſe conſtat, anno ſcilicet DCCCLXVIII. Et ex altero præcepto, dato anno ſequenti ab eodem Rege in eodem monaſterio Foſſatenſi, quibus præceptis confirmatur donatio, olim à Ludovico-pio monaſterii Glannafolienſis facta Abbati, & monachis monaſterii Foſſatenſis. Odoni vero ſucceſſiſſe puto Rainaldum, ſeu Rumaldum, cujus mentio habetur in præcepto Caroli III. datum eſt Compendii X. Calend. Maii, anno Caroli Regis XXIX. redintegrante XXIV. anno ſcilicet Chriſti DCCCCXXI.

X. *Karolus divina propitiante clementiâ Rex Francorum &c. Quia præſul reverendiſſimus Abbo, unàque Comes venerabilis Hagano, atque reverendus Abbas Rumaldus, noſtræ ſtuduerunt innoteſcere ſerenitati, qualiter cœnobium Foſſatenſe, ubi nunc præeſt præfatus Rumaldus Abbas, conſanguineus ex noſtræ genitricis parte Adeleiſiæ,*

olim

olim deſtructum, iidem reædificantes reſtauraverunt ad integrum, reſtitutionem ſub monachi ordine æqualiter roboraverunt, per præcepta Regum prædeceſſorum noſtrorum à proavo noſtro Ludovico, atque avo noſtro Carolo, aliiſque Regibus: quidquid eidem monaſterio collatum eſt, & quod Abbas Rumaldus cùm ſua congregatione expeteret noſtri præcepti novationes, ſub tenore priorum Regum idem monaſterium ſe velle à nobis haberi. Vnum quidem noſtris obtutibus obtulerunt auctoritatem domni primi Ludovici Auguſti, qua continebatur, qualiter ipſum monaſterium Bego, genitricis noſtræ proavus, penitus deſtructum reſtauraſſet ad priſtinum ſtatum religionis, &c. Volumus, ut jam dictus Abbas, & ſub ſe monachi conſtituti, ſub noſtræ immunitatis defenſione pleniter perſiſtant. Præterea in pago Andegavenſi ſuper Ligerim monaſterium ſancti Mauri ſitum, Foſſatenſi cœnobio à fratre noſtro quondam Carolomanno ſubjectum, ut unum eſſent, & ſub uno gubernarentur Abbate, in eadem ratione commendamus perſiſtere, denique prælibatus Abbas Rumaldus cum ab hac luce migraverit, licentiam habeant monachi horum monaſteriorum ex ſeſe eligendi Abbatem, niſi inveniri potuerit ibidem ex noſtræ genitricis progenie regulariter ipſe vivens, qui ſemper inibi fungatur Abbatis officio: quæ omnia verbo auctoritatis noſtræ, & ſcripto horum apicum rata decernimus perſiſtere, quatenus præſcripti monachi pro noſtra valeant ſalute omni tempore Dei exorare clementiam: ſed ſpecialiter dum vixerimus, quinto Februarii, quo die uncti ſumus in Regem, agant ſui noſtri memoriam ſuis precibus, & poſt noſtrum deceſſum has mutent preces ad anniverſarium obitus noſtri diem, ſeu conjugis olim noſtræ Friderunæ anniverſarium faciant, quarto Idus Februarii, addita in his ſemper memoria noſtrorum conſanguineorum, qui ſuum extraxerunt locum, inſuper cum omni prole noſtra, pro Comite Haganone nobis bene fideli habeant continuare orationem &c. S. Caroli glorioſiſſimi Regis, Gauzlinus notarius regalis edicti vice Rogeri Archiepiſcopi recognovit. Datum x. Calend. Maii, Indictione VIII. anno XXIX. Carolo Rege glorioſiſſimo regnante, XXIII. redintegrante, & largiore indepta hæreditate x. Actum Compendio regalis ſedis Palatio, feliciter. Amen.

XI. Abbo Epiſcopus Sueſſionenſis, & Comes Hagano reſtituerant monaſterium Foſſatenſe, quod antea deſtructum à Nortmannis fuerat. Hi itaque hoc privilegium obtinuerunt à Carolo III. anno DCCCCXXI. Rumaldus ille, ſeu Rainaldus, ut alii, dicitur Abbas Foſſatenſis, & Caroli Regis conſanguineus ex genitricis ſuæ Adeleiſiæ parte. Rainaldo ſubrogatus eſt Adhelneus, cujus meminit charta Theudonis Pariſiorum Vicecomitis, quam ſupra retulimus; ex ea intelligimus aream quamdam in urbe Foſſatenſis monaſterii fuiſſe, in quam, ſi quando Danus agros Pariſiorum vicinos vaſtaret, confugerent monachi Foſſatenſes. In eo olim loco fuit quoddam oratorium, ſancto Petro Apoſtolorum principi dedicatum, & cellula, in quam aliquot monachi ſe recipere conſueverant; qui vero Abbates Rainaldo ſucceſſerint, non reperio, niſi ii fuerint, quos è Brolio ſuperius memoratos ultimo loco attulimus, hique ſunt Aymo ſcilicet, Othelcius & Magenardus.

XII. Hæc de Abbatibus Foſſatenſibus dicta ſunt; jam vero videamus, quæ regni, rerumque noſtrarum viciſſitudines fuerint.

CAPUT II.

De defectione optimatum adverſus Carolum III. Regem. De Roberto, qui Rex ſalutatus eſt, & de ejus morte. De Rodulfo, qui in ejus locum ſubrogatus eſt, de ejus & Caroli Regis morte. De diverſa Ludovici Vltramarini fortuna, ubi plura de Hugone magno. De Lothario Rege Francorum, & de pluribus Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis.

I. COMPOSITA cum Rollone pace, Nortmanniſque relicta patte Neuſtriæ, haud tamen in Galliis otium à turbis fuit. Nam Nortmanni infeſtis ſignis Aremoricam invaſerunt, & Hungari novus hoſtis, trajecto Rheno in regnum Lotharii irruerunt, perniciemque & vaſtitatem provinciis Lotharianæ Franciæ intulerunt; ſed his incommodis mala acerbiora coquebantur. Proceribus regni Carolus deſpectui erat, moleſte ferebant nobiliſſimam Galliæ provinciam conceſſam barbaris, idque in dedecus regni verti criminabantur; odium accendebat potentia Haganonis Comitis, quem Carolus ſuis præfecerat conſiliis: illum è mediocri loco ad hoc honoris faſtigium Rex evocaverat. Proceres, quæ erat licentia temporum, expelli hunc à Rege poſcebant; haud æqua poſtulatio viſa eſt. Verum Regi plus animi erat ad reſiſtendum, quam virium. Proceres repulſam paſſi, facta coitione ab eo pene omnes deficiunt. Tum Rex Sueſſionis verſabatur. Herivei Remenſis Archiepiſcopi eo tempore ſpectara fides: cavit enim maxime, ne quid mali Rex pateretur: eum ſcilicet è manibus factioſorum ſurripuit, deſertumque in villas ſuæ Eccleſiæ, ac tandem Remos traduxit, & tantum effecit, ut poſt ſeptem menſes proceres anteacta deprecarentur, & Rex regno reſtitueretur. Biennio poſt, nova odiorum ſemina exorta ſunt, Carolus monaſterium Calæ, pro more illorum temporum, Haganoni dedit, hoc Rothildis ſocrus Hugonis habebat. Robertus hanc injuriam ſuam reputans, Hugonem filium cum copiis in agrum Laudunenſem miſit. Carolus haud tutus, cum Comitibus Heriberto & Haganone egreſſus Lauduno, trans Moſam fugit. Hugo fugientem inſequitur, ſed ecce fit illi obviam Giſlebertus Comes Lotharienſis, opportune in auxilium Caroli accedens. Robertus Hugonis pater eodem tempore ad auxilium filii feſtinabat: jamque ad Axonam fluvium haud procul à Lauduno conſederat, cum multa volvens animo, Hugonem ad colloquium vocat. Reditus Hugonis pro fuga à Carolo habitus eſt; cœpit itaque ipſe Rex Remenſem agrum vaſtare, incendere villas & opida, & hoſtiliter deprædari provinciam, cujus defenſorem & vindicem eum eſſe oportebat. Altimontem inprimis, quod caſtrum erat munitiſſimum, cepit, & diripuit. Rodulfus interea cum auxiliis ad Robertum veniebat, erat filius Richardi Burgundiæ Ducis, qui Roberti filiam uxorem duxerat, Robertus ei ad Matronam obviam profectus eſt. Carolus eum inſecutus, Matronam cum exercitu trajicit, Haganoque Sparnacum caſtrum direptioni militum tradit, Robertus cum Rodulfo & Burgundionibus haud procul caſtra locat, ibique tota hebdomada utrique exercitus conſident; proceres interim undequaque ad

colloquium accedunt; poſt multas vero caſtrametationes, tumultuariaſque aliquot pugnas, quas deſcribere non inſtitui, Carolus inferior viribus cum Haganone ultra Moſam fugam capeſſit. Robertus fugato Rege majora concipit conſilia, tempus occupandi principatus ratus, id facile Francis perſuadet, qui nihil cunctati ultro eum Regem ſalutant, eique omnes fidem ſacramento pollicentur, & poſtero die Remis in baſilica ſancti Remigii, præſentibus regni optimatibus & Epiſcopis, ab Heriveo Remenſi Archiepiſcopo ſollemni ritu Rex inungitur. Inauſpicatò id factum eſſe ſtatim creditum eſt; Heriveus enim triduo poſt moritur, ſexto Nonas Julii, anno DCCCCXXII. *Eo tempore*, ut refert chronicon Frodoardi ad eumdem annum, *in pago Pariſiaco, in villa quæ dicitur Geſedus, multa miracula in eccleſia ſancti Petri, à quarto ſuperiore anno, ex quo ſcilicet reliquiæ de barba ipſius Apoſtoli illuc ſunt relatæ, facta memorantur, ita ut inter cæcos & claudos vel contractos, amplius quam centum ſeptuaginta ſanitate donati referantur. Dæmoniaci vero, quotquot illò abierunt, ſano ſenſu pulſis dæmonibus redierunt, præter alia innumerabilia, quæ ibidem ſunt acta.* LIB. IX. CAP. II.

Annus nongenteſimus vigeſimus ſecundus Roberto funeſtus fuit. Is primum in Lotharingiam profectus eſt, ut cum Henrico Germaniæ Rege amicitiæ vincula necteret, ad fluvium Ruram uterque acceſſit, & coram de publicis rebus collocuti, datis manibus pactoque fœdere uterque diſceſſit. Lothariani, qui à Carolo ſtabant, inducias à Roberto ad Calendas Octob. obtinent, quas paulo poſt infringere haud religio fuit; Carolus enim, collecto ex his aliiſque exercitu, Robertum inopinatò, & induciarum pactione nimis fidentem adoriri ſtatuit. Moſam itaque nihil moratus tranſit, & ad Attiniacum, quæ villa regia eſt, venit. Robertus tum ad Axonam cum paucis conſederat: ubi intellexit Carolum adventare, quod per tempus licuit, ſuos colligit. Carolus interea haud impiger Robertum adoriri tendit, & in Robertianos nihil tale cogitantes infeſtis irruit ſignis: hora tum erat meridiana, pluresque menſis accumbebant, cum audiunt clamorem militum fragoremque armorum, & hoſtem adeſſe intelligunt. Robertus illico arreptis armis, ſuiſque ad pugnam advocatis, ſtetit intrepidus adverſus Carolum, ferox Carolinorum impreſſio fuit. Robertiani audacia haud diſſimili reſiſtunt, fit atrox pugna, magnaque hominum cædes; multi utrimque cadunt, inter quos pariter Rex Robertus cecidit, hunc lanceis fuiſſe perfoſſum Frodoardus memorat. Duce ſublato Robertianis non defuit animus ad vindictam, ſeu eos ſtimularet mors Principis, ſeu Hugonis filii Roberti virtus eos accenderet: is enim & Heribertus Comes facto in Carolinos impetu, inſignem retulerunt victoriam, & Carolum cum Lotharianis fuga ſibi conſulere coëgerunt. Similis cladi victoria fuit, perempto Roberto Rege, in quo ſumma rerum ſita erat. Lothariani, qui ex pugna ſupererant, in ſuam provinciam reverſi ſunt. Carolus in his anguſtiis conſtitutus, Seulfum Archiepiſcopum Remenſem, qui Heriveo ſucceſſerat, Heribertum Comitem, alioſque primates per legationes ſollicitat, & ut ad ſe redeant enixe rogat: illi, ſeu ira, ſeu contemptu Principis, alia moliuntur; Rodulfum Ducem Burgundionum advocant, qui ad eos nulla mora cum copiis accedit. Carolus interea Nortmannos, quos maximis auxerat beneficiis, in auxilium vocat, promiſſiſque allicit. Franci, ne Nortmanni Carolum adjuvent, cum Burgundionibus ad Iſaram conſident, & ſe medios ponunt inter eos & Carolum, & cum ſociorum acies jungi non poſſent, Carolus inferior viribus ultra Moſam fugit. Francorum exercitûs nullus Dux, nulluſque princeps habebatur, conſilio Comitum omnia regebantur: Rege opus erat, cui alii obtemperarent. Hugonis ætas imperio haud videbatur opportuna, Rodulfus aderat, maturus ætate, rebus bellicis inclytus, Burgundiæ, quæ potens erat provincia, Dux; animi omnium in eum proclives erant. Unanimi itaque conſenſu eum Regem eligunt, continuoque in monaſterio ſancti Medardi ſollemni ritu ipſe inungitur. His actis, Heribertus Comes rem aggreditur, quam illi poſtea vitio verterunt, Bernardum Comitem, cum aliis ad Regem Carolum mittit, perſuadet illi, ut in fidem & manus Heriberti ſe tradat, daturum operam, ut dignitatem auctoritatemque recipiat, idque II.

LIB. IX. CAP. II. ſacramento pollicetur. Rex in his poſitus anguſtiis, nihil perfidiæ ſuſpicatus, ad Heribertum cum paucis comitibus accedit. Heribertus ei occurrit ad opidum ſancti Quintini, & in caſtello ejus loci eum ſuſcipit. Carolus ſtatim ſe proditum intellexit: pulſi enim ſunt qui eum comitabantur; ad caſtellum, quod Theodorici vocant, ducitur, quod ſitum ad Matronam eſt, ibique Rex infelix à ſuis relictus, & proditus ſub cuſtodia detinetur. Ragenoldus interea Nortmannus ex iis, qui ad Ligerim conſidebant, trajecto Iſara agros Francorum populat. Heribertianorum eo tempore claruit induſtria, illi enim è caſtris, quibus præerant, egreſſi, junctis armis Nortmannos adoriuntur, iſque impetus fuit, ut eos frangerent, funderentque, & demum reciperent prædam qua onuſti erant, & captivos liberarent: neque aliàs felicior ſors Ragenoldi fuit in agro Atrebatenſi, quem Adelelmus Comes pluribus occiſis ex hac provincia fugavit. Rodulfus ad hæc ex Burgundia accitus, venit Compendium, dumque agrum Bellovacenſem Nortmanni vaſtant, Nortmanniæ fines ingreditur, & vaſtitatem, quócumque progreditur, infert. Lothariani eo tempore haud quieti erant, in ea rerum perturbatione, ſe quoque Rodulfo Regi dedere, & ſubjicere ſtatuunt: dumque adverſus Nortmannos proſpere rem gerit, ipſum adeunt, roganrque, ut eos in fidem recipiat. Ille, ut his gratum faceret, à perſequendis hoſtibus abſiſtit, relictiſque Hugone & Heriberto, qui contra Nortmannos agerent, in Lotharianum regnum abiit, quo tempore Emma Regis Roberti filia Rodulfi uxor à Sculfo Archiepiſcopo Remis conſecratur: longus ſim, & extra propoſitum loquar, ſi varia bella dixerim, quæ geſſit Rodulfus cum Nortmannis, Lotharianis, & Aquitanis. Dum hæc aguntur, Carolus Rex clauſus in caſtro detinebatur ab Heriberto Comite, &, quæ erat hominum noſtrorum ſocordia, nemo ejus ſortis miſerabatur, nulluſque ejus libertatem armis repoſcere audebat. Joannes PP. unus dolore & miſericordia tactus eſt. Hærebant ejus animo Caroli-magni in ſedem Romanam merita, moleſte patiebatur hujus hæredem, unicumque ex ejus familia ſuperſtitem, multorumque Imperatorum nepotem haberi in cuſtodia ab uno ex ejus ſubditis, qui fidem illi juraverat. Scribit igitur ad Heribertum Comitem, adhortatur, ut continuo Carolum Regem in libertatem aſſerat, & ſuis reſtituat honoribus, minaturque interdictionem à ſacris, ſi obtemperare differat; paruit mandatis ſummi Pontificis Heribertus, eique per litteras ſignificavit Carolum ſui jam eſſe juris, & priſtinæ dignitati reſtitutum. Heribertus exemptum à cuſtodia Regem ad opidum ſancti Quintini deducit, quo tempore Rodulfus in Burgundiam profectus. Sed paulo poſt in Franciam cum copiis rediit, ortæ ſcilicet fuerant ſimultates inter eum & Heribertum Comitem, quem ad obſequium Rex reducere ſtatuerat. Hugo Comes Pariſienſis Roberti filius obviam Rodulfo procedit, eorumque animos maxime reconciliare ſtuduit, diſſentioneſque publico conventu componendas eſſe utrique perſuaſit; habitis comitiis, Heribertus illi fidem pro more obligavit ſacramento. Rebus ita ordinatis Heribertus Carolum Remos duxit: unde colligas Carolum Regem, non adeo ſui juris factum eſſe, ut omnia ex arbitrio gereret, non amplius quidem carcere compactum detineri, ſed tamen in ſpeciem honoris cuſtodia militari, quam illi Heribertus adjunxerat, præcinctum fuiſſe; cumque vereretur, ne tandem corruptis cuſtodibus evaderet, eum compingi ſub arcta cuſtodia denuo juſſit; ne quid novi, ut puto, moveret: in Burgundiam deinde Rodulfus proficiſcitur. Haud multo poſt ſolutus è cuſtodia Rex eſt. Paulo poſt Rodulfus Remos cum veniſſet, reconciliatis animis cum Carolo pacem compoſuit, reddiditque illi Attiniacum villam regiam, & pluribus eum donavit muneribus. Verum quæ pacis illæ conditiones fuerunt? Carolus Rex Francorum & jure natalium, & ex conſenſione optimatum, qui illi olim fidem juraverant, eum in ſtatum adductus eſt, ut una alteraque villa ejus regni limites ex arbitratu contumacis ſubditi definirentur. Tandem vero Rex miſerandus ex hac mortali vita ereptus eſt. Parronæ obiiſſe ſcribunt, Nonis Octobris, anno DCCCCXXIX. in baſilica ſancti Furſei ſepultus eſt. Poſt mortem Caroli, res in Gallia turbidæ fuerunt, Rodulfo, Hugone, & Heriberto Comite Veto-

manduorum inter ſe diſſidentibus. Demum Rodulfus anno DCCCCXXXVI. LIB IX.
moritur, ſepultus eſt Senonis in baſilica ſanctæ Columbæ. Poſt ejus obitum CAP. II.
Hugo rem magnificam exequi exorſus eſt, quam illi poſteri laudi duxernnt.

Carolus III. duas uxores habuit, Frederunam primùm aſcivit thoro, ex qua III.
liberos aliquot ſuſcepit, poſt ejus obitum nuptias alteras contraxit cum Odgiva filia Edoüardi & ſorore Adelſtani Anglorum Regis. Illa poſtea cum cerneret Carolum Regem contumacia ſubditorum premi, immo & captum in cuſtodiam conjici; verita eſt, ne ſecum & filio ejus Ludovico peſſime ageretur; quamobrem ipſa cum filio in Britanniam trajecit, & ſalutem apud fratrem Adelſtanum Regem ſibi & Ludovico filio procuravit. Sublato poſtea Carolo, Hugo Pariſiorum Comes habito ex optimatibus conventu, de revocando ex Britannia Ludovico filio Caroli conſtituit, honorificamque illi legationem mittit, cujus princeps erat Guilelmus Senonenſis Archiepiſcopus, qni ab Adelſtano Anglorum Rege Ludovicum poſceret hæredem regni Francorum, quem ultro illi conceſſit, illum ſocioſque adhortatus, ut fidem illi cuſtodirent, neque unquam, ſicut à patre, ita ab eo deficerent. Ita annitente præſertim Hugone Ludovicus in Galliam reverſus, & paterno ſolio reſtitutus eſt. Quæ omnia chronicon ſancti Petri vivi complectitur his verbis. *Poſt mortem Rodulfi Hugo magnus una cum Francis accerſiens Vuilelmum Archiepiſcopum, miſit illum ad Ogivam uxorem Caroli-ſimplicis, ut inde reduceret Ludovicum filium ejus, fugerat enim ad patruum ſuum Regem Anglorum, ob timorem Heriberti & Hugonis. Veniens Vuilelmus Archiepiſcopus, datiſque obſidibus ſub ſacramenti titulo Ogivæ matri ejus, reduxit Ludovicum in Franciam. Igitur XIII. Calend. Iulii unctus eſt in Regem HLudovicus filius Caroli-ſimplicis apud Laudunum.* Eum inunxit Artaldus Remenſis Archiepiſcopus, ejus conſecrationi XX. & amplius Epiſcopi interfuerunt. His peractis Ludovicus Rex, & Hugo Comes in Burgundiam profecti ſunt, ut provinciam Regis imperio ſummitterent. Lingonas primum obſident, eamque urbem ſine cæde & pulvere recipiunt, obſidibuſque acceptis ab Epiſcopis & optimatibus in Galliam remeant, & ſeſe ambo Lutetiam Pariſiorum conferunt. Paulo poſt Hugo magnus Roberti filius Comes Pariſienſis cum altero Hugone Rodulfi, qui nuper obierat, fratre, & filio Ricbardi Ducis Burgundiæ integram hanc provinciam partitur, & cum eo pace compoſita amicitiam pepigit. Tum Ludovicus potentiam Hugonis ſuſpectam habere cœpit, rememorans Odonis ejus patrui patriſque Roberti magnos auſus, qui etiam regnum ſuperſtite Carolo patre invaſerant, hunc ægre videbat quotidie poteſtate & amicitiis creſcere, quaſi his adminiculis ad ſolium ſibi gradum faceret, ab eo itaque diſcedere conſtituit, Laudunumque ad matrem illico advolat. Hugo eo tempore affinitate bonorifica ſuam tueri dignitatem ſtatuit, nuptias namque contraxit cum filia Henrici, & Odonis Regis Germaniæ ſorore: aucta deinde odia inter Regem Ludovicum, & Hugonem. Hic adjunctis ſibi ſociis Heriberto Comite, & Guilelmo Duce Nortmannorum Remos obſidet, & ſexto die Heribertus urbem ingreditur: Artaldus tunc Archiepiſcopus Remenſis ſe in publico antiſtitum & procerum conventu à pontificatu abdicat, & in monaſterium ſancti Baſoli ſecedit. Laudunum deinde illi profiſciſcuntur, quam urbem cum obſident, Rex collectis copiis ex Burgundia adventat, ad cujus adventum Hugo & Heribertus obſidionem ſolvunt, ad Othonem, quem ex Germania acciverant, properant, ejuſque fidei ſe committunt. Anno vero DCCCCXLI. iidem Hugo & Heribertus iterum ad obſidendum Laudunum redeunt. Ludovicus iterum ſolvere obſidionem parat: illi relicta obſidione obviam Ludovico eunt, eumque nihil tale cogitantem occupant: regius exercitus cæſus, & fuſus eſt, Rex ipſe cum Artaldo Archiepiſcopo, & Rotbario Comite fuga ſibi conſulit, Ludovicus rebus acciſis Viennam ſe recipit: huc Aquitani eum adeunt, & fidem & obſequium illi ſacramento pollicentur. Interea nomine Stephani ſummi Pontificis Damaſus legatus Roma in Galliam profectus eſt: mandata afferebat Galliæ principibus, ut ſe regis Ludovici imperio ſummitterent, quod ſi detrectarent, à ſacris ſe ſcirent rite prohibendos. Legati iterum alii à ſummo Pontifice eadem mini-

 tati ſunt, niſi ante natalem Domini, cum Rege reconciliata pace, fidei ejus ſe ſubjicerent; hæc quidem magni momenti ad mitigandos principum animos: ſed his auctoritatem addidit Otho Rex Germaniæ, Hugonem enim & Heribertum factionis duces ad obſequium Ludovici Regis pertraxit. Hæc anno DCCCCXLIII. acta ſunt, omnia narrare, quæ conſecuta ſunt, non eſt animus, ſatis erit mihi, ſi commemorem ea, quæ ad continuandam rerum noſtrarum ſeriem neceſſaria penitus videbuntur. Nortmanni, non hi, qui Dei religionem profeſſi fuerant, ſed qui etiamnum in gentilitatis errore verſabantur, id temporis in Galliis ſæviebant, quos pluribus prælis Hugo Dux Francorum attrivit. Ebroicas eorum urbem cepit, quam deinde Ludovico Regi ultro ceſſit. Rex paulo poſt Pariſiis morbo tota ferme æſtate detentus eſt, neque amplius verebatur ſe Hugoni credere, immo arcta ſe cum illo neceſſitudine colligavit. Namque Regis Ludovici filium ex ſacro fonte Hugo excepit, Rexque illum donis & beneficiis cumulavit. Illi Franciæ ducatum delegavit, ejuſque ditioni Burgundiam ſubjectam eſſe voluit. Verum haud diu pax inter eos permanſit: ſeſe offerentibus variis diſcordiarum cauſis. Idem auctor memorat, anno DCCCCXLIV. Pariſiis fœdam incubuiſſe tempeſtatem, inter varia incommoda quæ intulit, domum quamdam, quæ ad Montem martyrum ſita erat, jamque pluribus annis immota adverſus turbines ſteterat, dejectam, additque viſos dæmones, qui eccleſiam everterent; certe in eo loco radicitus evulſæ vites, ſataque omnia vi procellarum corrupta ſunt. Ludovicus adverſus Nortmannos rem gerere aggreſſus eſt, ſtatimque nullo negotio Rotomagum occupavit. Ebroicas Hugoni dederat, ſi ferret adverſus Nortmannos auxilium. Cum Rex Rotomago fuiſſet potitus, Hugo ad expugnandas Ebroicas profectus eſt. Rex Hugonem mutata ſententia jubet ab obſidione diſcedere; quo amoto urbem in fide recepit: hinc fomes odiorum Hugonem inter & Ludovicum. Gerberga Regina paulo poſt, anno ſcilicet DCCCCXLV. Lauduni filium peperit, quem Carolum vocaverunt. Nortmanni eodem ferme tempore in fines Hugonis irruptionem faciunt, quos Hugo clade ingenti affectos repulit. Ludovicus interea Rotomagi morabatur, qui fraude Nortmannica circumventus eſt. Haigroldus, qui Bajocarum præfecturam gerebat, ſcribit ad Regem daturum ſe illi fidem, ſi ad ſe accedere non abnuat. Rex nihil doli ſuſpicatus, adjunctis ſibi paucis comitibus, ad eum proficiſcitur. Haigroldus uſus opportunitate incautum Regem aggreditur, ejus comites gladio perimit, vix Rex evaſit inſidias, Rotomagumque cum fido Nortmanno ſe recepit: ſed miſer Princeps in alia imprudens ſe conjicit retia, Nortmanni quippe eum comprehendunt, & in cuſtodiam violata fide detrudunt. Hugoni haud placebat Regem à Nortmannis detineri, perniciemque illis minitatus eſt, niſi Regem redderent: verùm hunc non potuit obtinere, niſi dato filio minore obſide. Labes id temporis fœda graſſabatur in agro Pariſienſi: fervens ignis membra mortalium, quaſi peſtis quædam, depaſcebatur: conſumptique vi mali plurimi mortales interibant. *Quidam*, inquit vetus chronicon, *nonnulla ſanctorum loca petentes evaſere tormenta, plures tamen Pariſius in Eccleſia ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſanati ſunt, adeò ut, quot quot illò pervenire potuerint, aſſerantur ab hac peſte ſalvati: quos Hugo quoque Dux ſtipendiis aluit quotidianis. Horum dum quidam vellent ad propria redire, extincto referveſcunt incendio, regreſſique ad eccleſiam liberantur.*

IV. Ludovicus Rex à Nortmannis Hugoni redditus fuerat; non propterea data illi fuerat libertas, ſed Thetbaldi Comitis commiſſus cuſtodiæ, anno integro permanſit, quem demum liberum abire Hugo permiſit, ultroque illi fidem iterato ſacramento pollicitus eſt. Verùm Hugo pretium datæ libertatis Laudunum recepit. Ludovicus accepta libertate injuriam, quam paſſus fuerat, ulciſci in hunc modum ſtatuit. Gerbergam uxorem ad fratrem Othonem mittit, ut petat ab eo auxilium contra Hugonem, qui fidei immemor, Ludovico Regi viro ſuo toto anno abſtulerat libertatem, qua eum frui non permiſit niſi dato Lauduno caſtro, quod unum Regi ſupererat. Otho ſorori grata reſpondet, collectoque ingenti exercitu ſuppetias Regi ferre parat, in Galliam trajecto Rheno

LIB. IX. CAP. II.

venit, Remoſque obſidet, & paucis diebus capit. Non mei inſtituti eſt ſingula enarrare, quæ ad hoc pertinent negotium. Hærebat Ludovici animo facinus Hugonis, neque apud Ottonem injuriam modo cooqueſtus eſt, ſed etiam apud ſummum Pontificem, cui tumultus Galliarum pacare demum propoſitum eſt. Agapitus cathedram Romanam obtinebat, is qua valebat auctoritate, Marinum legatum in Gallias miſit, qui lites componeret. Remenſis Eccleſia diro ſchiſmate tunc diviſa erat. Hugo filius Heriberti Comitis ſedem Remenſem, Artaldo Pontifice pulſo, invaſerat. Hugo Dux Francorum Hugoni Epiſcopo favebat, iſque jamdiu ſedem tenebat. Verum cum Remi ab Othone capti ſuot, Hugo effugerat, Artalduſque priſtinæ ſedi reſtitutus eſt. Et, ut res canonice fieret, habitæ ſunt Synodi Virduni & Moſomi, ubi Artaldo vindicata Remenſis cathedra, & Hugo Epiſcopus, qui Synodis adeſſe contempſerat, communione privatus, donec in Concilio univerſali cauſa definiretur. Marinus in has partes delegatus, ad hæc ſedanda diſſidia generalem Synodum vocat ex Germaniæ & Galliæ Epiſcopis, Engilenhemii indicit: quidam ex Gallia, plures ex Germania acceſſerunt Epiſcopi, habita eſt Synodus anno DCCCCXLVIII. indictione VI. VII. Idus Junias. Synodo aderant Otho Imperator & Rex Ludovicus, qui adverſus Hugonem magnum plurima locutus eſt: aſſerta Remenſis cathedra Artaldo. Hugo Epiſcopus extra communionem Eccleſiæ judicatus eſt, donec reſipiſceret. In eadem Synodo Epiſcopi Hugonem Principem excommunicationis gladio percutiendum cenſent, niſi ſe ſiſtat Synodo, & damna Ludovico Regi illata reſarciat: eademque de eodem ſtatuunt, quod Rodulfum Epiſcopum Lugdunenſem * è ſede expuliſſet, quia partibus Ludovici Regis faverat. Hugo propterea non à cœptis abſiſtit; immo conſcripto ex Francis Normanniſque exercitu Sueſſionas obſidet: ſed irrito conatu, ſoluta obſidione in Remenſi agro plurima perpetrat mala. Paulo poſt habetur Treviris Synodus, ubi, ut refert Frodoardus, *inſiſtente præcipue Luitdulfo legato, & capellano Regis Othonis, quoniam idem Rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo inimicus Ludovici Regis pro ſupradictis malis ab ipſo perpetratis.* Marinus demum legatus Apoſtolicæ ſedis exacta hieme Romam redit. Summus Pontifex ſequenti anno Romæ Synodum congregat, & quæ adverſus utrumque Hugonem peracta fuerant, confirmat. Demum anno DCCCCLIII. ineunte, Hugo cum Rege reconciliatur, & anno ſequenti, *Ludovicus Rex egreſſus Lauduno, Remenſem, velut ibi moraturus, repetiit urbem. Antequam vero ad Axonam fluvium perveniret, apparuit ei quaſi lupus præcedens, quem admiſſo inſecutus equo prolabitur, graviterque attritus Remos defertur, & protracto languore decubuit, elephantiaſis peſte perfunditur. Quo morbo confectus diem clauſit extremum, ſepultuſque eſt apud ſanctum Remigium.* Gerberga Regina dolore percita, ad Hugonem magnum mittit nuncios, qui Regis mortem referant, & ſuo nomine ab eo auxilium conſiliumque poſcant, ac deinde ad eum luctu deformis accedit. Hugo miſeratus ſortem Reginæ, eam cum honore ſuſcipit, plurimoque ſermone ſolatur, daturumque operam ſpondet, ut ejus filius paterno ſuccedat regno. Certe paulo poſt Lotharius filius Ludovici, ſuffragante inprimis Hugone Principe, & præſente magna antiſtitum & procerum corona, Remis ab Artaldo Remenſi Archiepiſcopo ſollemni ritu Rex inungitur. Pretium fidei fuit Aquitania & Burgundia, quas ultro Lotharius Hugoni conceſſit. Anno DCCCCLV. Rex Lotharius cum Gerberga matre Pariſios ingreſſus eſt, quos Hugo pluribus honoribus proſecutus eſt. Cum res pro votis Hugoni fluerent, mors ejus conſilia interturbavit; anno enim DCCCCLVI. obiit, & in baſilica ſancti Dionyſii ſepultus eſt. Vulgo hunc Hugonem magnum à rerum geſtarum magnitudine vocitarunt, alias Hugonem album appellaverunt. Abbas laicus fuit monaſteriorum ſancti Dionyſii, & ſancti Germani à pratis. His ita compoſitis ad res Eccleſiæ ſtylum convertamus, & pauca de Epiſcopis Pariſienſibus, quod noſtri eſt propoſiti, adjiciamus.

* *Laudunenſem*

V. Adelelmo Epiſcopo Pariſienſi Gualterius ſeu Vvalterius ſucceſſit, hujus meminerunt veteres Indices, & tabularia Eccleſiæ Pariſienſis, hunc Galterum vocant: illius præterea mentio eſt, in veteri charta Ludovici Tranſmarini, quæ

LIB. IX. CAP. II.

ad baſilicam ſancti Mederici attinet; ſic ſe habet. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ludovicus Dei gratia Rex; quæcumque pro amore Dei, & reverentia ſanctorum ejus, efficere bonæ devotionis ſtudio contendimus, profutura nobis ad æternæ beatitudinis gloriam facilius obtinendam, & ad præſentem vitam felicitor tranſigendam omnino confidimus. Noverit igitur omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque tam præſentium, quam futurorum ſolertia, quia adeuntes præſentiam noſtræ ſerenitatis illuſtres fideles noſtri, Hugo Comes, necnon Galterius Pariſiorum Epiſcopus, atque Teudo Vicecomes humiliter petierunt, ut eccleſiæ ſancti Petri, in qua ſanctus Medericus corpore quieſcit, manu firmas quas fecerunt Comes Adalardus, & Acbo vaſſus; unde & præcepta corroboraverunt Charlomannus & Odo glorioſiſſimi Reges, præcepto noſtræ authoritatis renovaremus, atque confirmaremus; placuit itaque celſitudini noſtræ, eorum ſaluberrimis acquieſcere poſtulationibus, ideo præceptum ex hoc noſtræ altitudinis fieri, & Ioanni, matrique ſuæ Alberadæ, filioque ejus nomine Gaulterio dari juſſimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut tam ipſæ prænominatæ perſonæ &c. quam ſucceſſores eorum prædicti, eccleſiæ ſancti Petri, & pretioſiſſimi confeſſoris Chriſti Mederici, abbatiolam ubi adſpiciunt in villa Linatas manſelli xx. in Vivarias ſimiliter manſelli xx. in manſo Villare III. in Iuriaco manſos, &c. hæc omnia in utilitatibus eccleſiæ jam dictæ, in ſuorum uſibus omni tempore poſſideant, abſque ulla dominatione, neque theloneum, neque portaticum, neque piraticum, ſeu viaticum, nec etiam vultaticum exinde aliquid accipiat poteſtas judiciaria. Vt autem hoc præceptum noſtræ authoritatis inviolabilem in Dei nomine obtineat perpetuitatis vigorem, manu propria ſubterfirmavimus, atque annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Signum Ludovici glorioſiſſimi Regis. Geraldus Cancellarius ad vicem Artoldi Archiepiſcopi recognovi. Actum Lugduni Clavati, Cal. Februarii anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVI. Indict. autem v. anno vero primo, Ludovico Rege glorioſiſſimo.* De ea baſilica antea diximus, & aliàs dicemus.

VI. Legitur præterea nomen ejuſdem Gualterii in Pancharta nigra ſancti Martini Turonenſis: ſubſcripſit enim litteris Hugonis magni, cujus erat Cancellarius, quibus reddidit canonicis ſancti Martini portariam quamdam pro anima genitoris ſui Roberti, & avunculi Odonis Regis, *teſtibus Tetolone Turonum Archiepiſcopo, Ernulfo Aurelianorum, Guidone Sueſſionenſium præſulibus, Hugone Remenſi Archiepiſcopo, Erberto & Bernardo Comitibus. Datum auctoritatis præceptum VII. Idus Ianuarii. Pariſius regnante H Ludovico Rege, Gualterius Cancellarius per juſſionem Hugonis Abbatis.* Haud facile dixerim, quot annis Gualterius Pontificatum Pariſienſem geſſerit, neque enim vetera monumenta id produnt, nec ex ullis chartis antiquis conjici poteſt, quis huic ſucceſſerit controverſia eſt, utrum Aſcelinus, ſeu Adelinus, Albericuſve? Indices veteres, & tabularia Eccleſiæ Pariſienſis habent Albericum, omiſſo Aſcelino, id quoque Breulius, & Gallia Chriſtiana Roberti profitentur. Sed Gallia Chriſtiana Sammarthanorum, opus immenſi laboris, & paris doctrinæ, Aſcelinum Gualterii ſucceſſorem, & Alberici deceſſorem fuiſſe ſcribit. Sane Belgici ſcriptores ejus meminerunt, hunc etiam alio nomine Adalbertum vocant, & inter Præpoſitos Trunchinienſes annumerant. Jacobus Meyerus in annalibus rerum Flandricarum illius mentionem facit ad annum DCCCCLI. *Reinerus*, inquit, *Præpoſitus Truncinienſis obiit, ſucceſſit Albertus, qui & Aſcelinus, Pariſiorum Epiſcopus, qui ſpoliatus epiſcopatu Pariſienſi, rediit ad fratrem ſuum Comitem Flandriæ, qui dedit illi redditus omnes opidi Truncinienſis, ac præpoſituram illius eccleſiæ, ubi tunc canonici erant ſexdecim.* De eodem Aſcelino Epiſcoporum Cameracenſium libro primo cap. 110. hunc in modum ſcriptum reperio. *Aſcelinus cognomine de Truncinis villa, Balduini Flandrenſium Comitis ex concubina filius, poſtea tamen Pariſienſium Epiſcopus, Sophiam, ſororem juniorem Imperatoris, pecunia adorſus eſt, ut ejus obtentu Pontificii culmen ſortiretur, ſed Imperator, Sophia ſorore neſciente, Mathildæ amitæ ſuæ conſenſit,* quæ Herluinum Cameracenſibus præfici Epiſcopum petebat. Sanderus in Flandria illuſtrata indicem Præpoſitorum Trunchinienſium texit; ſcribitque Reinerum obiiſſe anno DCCCCLI. & huic ſucceſſiſſe Albertum, ſeu Aſcelinum Pariſiorum Epiſcopum, eumque vita defunctum anno DCCCCLXXVII.

De

De Alberico verò nihil aliàs reperi, niſi quod nomen illius omnes indices habent. Conſtantius Alberico ſucceſſit, ut habent tabularia Eccleſiæ Pariſienſis, illius mentio eſt in ſubſcriptionibus chartæ Ragenfredi Epiſcopi Carnotenſis, quam reperias in ſæculo v. actorum Benedictin. quamque Mabillonius exſcripſit ex libro Aganonis Epiſcopi ejuſdem loci; ſubſcriptio autem eſt ejuſmodi. *Conſtantius Pariſiorum Epiſcopus.* Hæc vero charta ſcripta eſt anno DCCCCL. Conſtantius ſucceſſorem habuit Garinum, ut habent omnes indices, ſed nulla præterea de eo memoria eſt. LIB. IX. CAP. III. VII.

CAPUT III.

De filiis Hugonis-magni. De Synodo Meldenſi, ubi retractata Hugonis Archiepiſcopi depoſiti cauſa. De bello inter Richardum Ducem Nortmanniæ, & Theobaldum Carnotenſem Comitem. De tranſlatione corporum ſanctorum Samſonis & Maglorii & aliorum. De capella ſancti Bartholomæi. De bello cum Othone Imperatore. De Lothario & Ludovico Regibus Francorum, & de eorum morte. De Lizierno, ſeu Elyſiardo Epiſcopo Eccleſiæ Pariſienſis.

QUI familiæ prioris Regum Francorum finis, is prope ſimilis exitus ſtirpis Carolinæ fuit: nam utramque domum, ſeu ſocordia poſteriorum Regum, ſeu præfectorum & Ducum auctoritas evertit. Priorem quidem perdidit poſteritas Arnulfi Mettenſis Epiſcopi, quæ ſæpius tentatum ſolium tandem Pippino duce invaſit: alteram è regno deturbavit Roberti fortis Comitis Andegavenſis progenies, quæ poſtquam Odonem Pariſienſium Comirem & Robertum ejus fratrem Reges prodidit, demum, recepta ſuprema auctoritate, poſteris regnum Francorum aſſeruit. Ea vero quomodo contigerint deinceps memorabimus. Hugoni magno, de quo antea dictum eſt, tres fuerunt filii ex Hadvvige Othonis Regis Germaniæ ſorore, Otho, Hugo Capetus, qui poſtea Rex Francorum fuit, & Henricus, quem & Odonem vocant. Otho major natu Burgundiæ Dux fuit: eoque paulò poſt ſublato, Burgundiæ ducatum accepit Henricus; Hugoni vero comitatus Pariſiorum ceſſit, Duxque Franciæ, ſicut pater, appellatus eſt, ac demum regnum ipſum conſecutus eſt. Id temporis regnum Francorum habebat Lotharius è Carolina ſtirpe, cui prærer nomen regium quantula regni portio ſupererat? cum Duces & Comites, qui antea ad nutum Regum provinciarum civitatumque præfecti erant, eaſdem ſuo regerent arbitrio, & ſuis filiis ramquam hæreditatem & patrimonium relinquerent: atque adeo Carolinis nihil relictum erat præter magni nominis umbram. Ea vero ſigillatim exponere, neque expeditum, neque eſt hujus loci. Anno DCCCCLXII. in pago Meldenſi ad Matronam celebrata Synodus, ubi Epiſcopi duarum pro- I.

LIB IX. CAP. III. vinciarum Remenſis & Senonenſis adfuerunt. Hæc Synodi celebrandæ fuit cauſa. Supra memoratum eſt Remenſem Eccleſiam ſchiſmate laboraſſe, Hugonemque Heriberti Comitis filium, pulſo Artaldo, in hanc intruſum cathedram: ſed illum poſtea rite & canonice condemnatum, reſtitutumque Artaldum: hunc vero mortem oppetiiſſe tradunt anno DCCCCLXI. pridie Calend. Septemb. Quidam provinciæ Remenſis Epiſcopi anſam ceperunt reſtituendi Hugonis, quem & à ſacerdotio & à communione alienum Synodi judicaverant, cum & nonnulli ejuſdem provinciæ Pontifices contrà reclamare, atque palam intercedere haud dubitarent, collecta Synodus eſt ex duabus provinciis; quatuor-decim convenerunt Epiſcopi ex Senonenſi & Remenſi provinciis. Nomina aliquot Epiſcoporum provinciæ Remenſis habentur: ſed non utique Senonenſis provinciæ, cujus Epiſcoporum nullum habetur nomen, credibile tamen eſt Epiſcopum Pariſienſem Synodo cum aliis provincialibus conſediſſe. In Synodo agitata Hugonis cauſa eſt, deque eo reſtituendo pluribus diſputatum eſt. Contrà obnitebantur inprimis Rorico Epiſcopus Laudunenſis & Gibuinus Catalaunenſis, conteſtabanturque à numero minore Epiſcoporum abſolvi non poſſe, quem plures Epiſcopi à cathedra & conſortio Eccleſiæ expulerant, poſtquam diutius protracta altercatio eſt, itum eſt in eam ſententiam, ut ſummus Pontifex litem dirimeret, & ejus ſtaretur judicio. Joannes audita legatione reſpondet Hugonem quidem Epiſcopum, tum à Romano Pontifice, tum à Romana Synodo privatum communione, & Papiæ iterum frequenti Synodo condemnatum eſſe, atque adeo indignum ſacerdotio & cathedra. Bruno Archiepiſcopus Colonienſis reſponſionem Joannis PP. retulit, continuoque Remenſis provinciæ Epiſcopi in unum coacti, Odalricum magni nominis clericum ordinant: is hujus Synodi eventus fuit. Vvido Archiepiſcopus Senonenſis Concilio præfuit, Lotharius Rex Odalrici electionem aſſenſu ſuo pro more illorum temporum confirmavit. Habita eſt hæc Synodus anno DCCCCLXII.

II. Eo ferme tempore graves diſcordiæ exarſerunt Richardum inter Ducem Nortmanniæ & Theobaldum Carnotenſem Comitem. Richardus nepos erat Rollonis, de quo ſuperius dictum eſt. Rollo filium habuerat Guilelmum, cui moriens Nortmanniam reliquerat, Guilelmo poſtea à Comite Flandriæ Arnulfo per proditionem perempto Richardus puer ſucceſſerat; is demum poſt multos varioſque caſus Nortmanniæ ducatum tranquille regebat, cum ecce Theobaldus Comes in ejus fines irruit: Richardus fortiter irruptionem ſuſtinuit, impar Theobaldus Richardi viribus, plures in Ducem concivit qui virtute aut dolo illum opprimerent, Lotharium Regem inprimis, Balduinum Comitem Flandriæ, Goffredum Andegavenſem, qui ſimul in ejus conſpirant caput. Lotharius Rex collectis ex Francia & Burgundia copiis Nortmanniam ingreditur, Ebroicaſque opidum capit, & Theobaldo auctori diſcordiarum tradit. Dux ab Haraldo Daniæ Rege auxilium poſcit, ingentemque barbarorum numerum obtinet, qui Nortmanniam ingreſſi innumerabilia mala provinciis intulerunt. Lotharius & Theobaldus perculſi barbarorum furore, quorum impetum ſæpius experti Franci, pacem, redditis caſtellis & opidis quæ occupaverant, cum Richardo ſanciunt. Ea vero à me relata eſſe oportuit, quoniam occaſione barbarorum, qui Britanniam, ſeu Aremoricam ea tempeſtate infeſtabant, corpora ſanctorum Samſonis, Maglorii & aliorum, monachi Lutetiam deportant; quod ad res Pariſienſes maxime attinet, ut ex ſequenti commemoratione notum erit; ſed antequam hanc tranſlationem referam, de ſancto Maglorio nonnihil breviter commemorandum eſſe cenſeo.

III. Maglorium & Samſonem ſcribunt in Britannia duxiſſe originem, & utrumque ab Helluto diſcipulo ſancti Germani Autiſſiodorenſis epiſcopi, quem hujus operis initio diximus eò ad perimendam Pelagianam hæreſim profectum, inſtitutum fuiſſe, & liberalioribus litteris, & piis vitæ monaſticæ documentis informatum; aiunt porro utrumque in Aremoricam conceſſiſſe, Samſonemque ad Dolenſem cathedram ſtatim evocatum, procurante inprimis Childeberto Rege,

addunt acta Maglorium Samſoni ſubrogatum, verùm abdicaſſe ſe ultro à Pontificatu amore monaſticæ vitæ, ſuffectoque alio in Pontificem ſeceſſiſſe in Sargiam inſulam, & monaſterium extruxiſſe, ibique virum ſanctum piis aſceticæ diſciplinæ inſtitutis clarum inprimis fuiſſe, adeo ut fama ejus ſanctitatis per vicinas provincias late divulgaretur, poſt aliquod tempus Maglorium mortuum narrant nono Calend. Novemb. quo die anniverſaria ejus memoria recolitur. Corpus ſancti Maglorii primùm in Sargienſi monaſterio conditum eſt, tum anno DCCCLVII. ſub Nomenoio Duce, ex eo loco in prioratum Lehonium tranſlatum eſt; demum ſub Rege Lothario filio Ludovici tranſmarini graſſantibus Nortmannis, quos Richardus acciverat, Lutetiam delatum eſt: quod modo mihi exponendum eſt; acta ſancti Maglorii habentur in actis Benedictinis, quæ certe medica manu opus habent; namque Nomenoio Duce, hoc eſt nono ſæculo, haud vetuſtiora eſſe exiſtimo.

IV. Cum igitur, ut memoratum eſt, odia deflagrarent inter Richardum & Theobaldum, accerſitique è patria Dani vexarent fines Aremoricæ: Salvator Epiſcopus ſanctorum reliquiis conſultum volens, ſacra eorum oſſa inſaniæ barbarorum ſubtraxit: pauciſque adjunctis comitibus, ea Lutetiam tamquam ad ſecurum portum detulit. Tum cives ſacra corpora deoſculari, & veneratione proſequi, hoſpites novos fovere, & commoda vitæ iis abunde ſufficere. Verum cum Salvator Epiſcopus intelligeret gentis ferociam, neque tempore, neque commercio nationis noſtræ miteſcere, neque modum patriis malis poni, Pariſiis permanere conſtituit, ſi Hugo Dux Francorum & civitatis Comes poteſtatem ibi commorandi faceret, & tribueret locum, ubi ſanctorum componeret reliquias. Adit igitur Hugonem Ducem, qui, qua religione pollebat, ultro Salvatori Epiſcopo, ipſiuſque comitibus baſilicam ſancti Bartholomæi contulit, quæ juxta Ducis palatium ſita erat, in qua canonici ſolebant Deo immortali laudes quotidianas perſolvere, in eaque ſacra æde ſanctorum pignora xvi. Calend. Novembris collocata ſunt, corpus inprimis ſancti Samſonis Dolenſis Epiſcopi, & ejuſdem loci Pontificis ſancti Maglorii, Macuti Epiſcopi, Senatoris Epiſcopi, Leonorii Epiſcopi, Leviani Epiſcopi, Ciferiani Epiſcopi & aliorum, ac deinde partes ſanctorum corporum Melori & Tremori, Vviunganatoni Abbatis, Scophili Abbatis, pars corporum Paterni & Scabilionis, dens ſancti Budoci. Jam vero in eadem eccleſia religioſe aſſervabantur aliorum ſanctorum reliquiæ, quas pietas Regum fideliumque huc contulerat. Reddita pace, nonnulli ex iis, qui ex Aremorica ſeu Britannia Lutetiam Pariſiorum confugerant, vel redire in patriam, vel aliò commigrare ſtatuerunt, quod Hugo ægre quidem, ſed tamen permiſit. Ex iis, qui corpus ſancti Samſonis deferebant, neſcio an morbo, an alio aliquo impediti caſu, Aurelianis permanſerunt. Pariſiis remanſit corpus ſancti Maglorii Epiſcopi, cum oſſibus ex aliorum ſanctorum corporibus. Hugo propterea baſilicam ſancti Bartholomæi novis auxit redditibus, monachoſque loco canonicorum in ea conſtituit, qui laudes Deo perſolverent, quibus tam ex regia, quam ex Pontificis auctoritate Abbas præpoſitus eſt. Hugo Adelaiſque ejus uxor Pictavenſis Comitis filia, ob eam cauſam huic eccleſiæ donationes prædiorum poſſeſſionumque ſcripſerunt, quas poſtea Lotharius & Ludovicus Reges Francorum ratas habuerunt, & regio ſigillo obſignatas eſſe voluerunt. Ea vero omnia excerpta ſunt ex fragmento hiſtoriæ Francicæ, à Ludovico-pio uſque ad Robertum. *Verum*, inquit, *dum per triennium hæc aterrima perduraret guerra, Richardus Comes Danos, Alanos, & Deiros in auxilium advocavit, à quorum infeſtatione cum Gallia diverſis concuteretur incommodis, venerandus Salvator Epiſcopus, de quo longe ſuperius ſermo habitus eſt, cum multorum ſanctorum pignoribus, paucis fidelibus ſuo comitatui junctis ob imminentem rabiem barbarorum, Pariſius urbem nobilem munitiſſimamque abierunt; quam ingreſſi, cùm, ſicut moris eſt ipſius gentis, eorum deſolationi dulciſſimo affectu compateretur, eorum inopia caritate quorumdam fidelium ſatis abunde ſupplebatur. Aliquantiſper denique ibidem demorati, cum paganorum immanitatem in Chriſtianos crebrius graſſari conſpicerent, omni ſpe ſibi abſciſſa in patriam remeandi, provida diſpenſatione omnium rectoris & creatoris, hinc ſe nequa-*

 quam ulterius receſſuros elegerunt, ſi factrice divinitate, ab ipſo civitatis principe, videlicet Hugone Francorum Duce, locus ad tantorum ſanctorum corpora digne collocanda largiretur: & inito conſilio ipſum Ducem in hac urbe demorantem adierunt, ſecum quorumdam ſanctorum pios cineres deferentes. Ingreſſi autem Principis aulam, eum ſecretius de quibuſdam negotiis repererunt pertractantem: ſed cum Ducis colloquium diutiſſime protelaretur, forte ſuper menſam ſanctorum corporum globam depoſuerunt, Principis præſtolantes adventum. Interim vero hora prandii imminente, cum is qui principalibus præerat epulis, ad procurandum Ducis convivium aulam fuiſſet ingreſſus, ad viros Dei ubi reſidebant devenit, & virga, quam manu geſtabat, ſuper corpora ſancta percutiens, ut egrederentur procacibus verbis admonuit. Nec tanti ſceleris temeritatem impune tulit. Extemplo ergo à dæmone corripitur, & huc illucque debacchando diſcurrens furioſus, atrociter vexatur. Dumque alii ab eo pugnis tunduntur, alii diverſis contumeliis afficiuntur, ingens per regiam tumultus exoritur, & ob hoc dæmoniacus vinculis adhibetur. Sanctorum corpora ab omnibus venerantur, & tanti prodigii novitas Principis aures aggreditur, qui illico nimio terrore compulſus, mox cum ſuis ad ſanctorum corpora progreditur, atque coram eis humi proſtratus, ne ſibi quod factum fuerat in peccatum reputaretur, ipſis apud Deum ſuffragantibus humili ſuffragatione precatur. Sublatis autem inde in eccleſiam ſacris ſanctorum artubus, ab ipſo Hugone ſtrenuiſſimo Duce, quæ Regum antiquitus munificentia fuerat conſtructa, & in honore beati Apoſtoli Bartholomæi conſecrata, in qua canonicorum ordo divinum celebrabat officium, ſunt deportata, atque ibidem XVI. Calend. Novembris cum digno honore collocata, corpus videlicet beati Samſonis Dolenſis Archipræſulis, Maglorii ejuſdem Archipræſulis, Macuti Epiſcopi, Senatoris Epiſcopi, Leonoris Epiſcopi, Vveniali Sacerdotis, reliquiæ Vriomacli & Corentini, Leutherni Epiſcopi, Leviani Epiſcopi, Ciferiani Epiſcopi, partes corporum pretioſorum Melorii & Tremori, Vvingantoni Abbatis, Scophili Abbatis, pars corporum Paterni & Scabilionis, dens ſancti Budoci. Erant autem in ipſa eadem eccleſia aliorum ſanctorum reliquiæ & corpora, quæ tam Regum, quam fidelium manibus, ut in regali capella, inantea fuerant delata. His ita explicitis præfatus Dux ab urbe egreſſus, ad alia ſeſe procuranda convertit. Poſtmodum itaque conſilio Lotharii Regis procerumque Francorum, pace facta inter Theobaldum Comitem & Richardum Normanniæ Comitem, Ebroicenſe urbe reddita, barbari, à quibus crudeliter populabatur Gallia, ipſa relicta, reverſi ſunt ad propria.

V. *Pace itaque in tota Gallia & Normannia vigente & florente, quidam eorum qui de Britanniis Pariſius advenerant, nutu, ut credimus, divino ſumptis ſanctorum corporibus, quæ illuc ſecum detulerant, almi videlicet Samſonis & beati Leonoris, necnon & ſancti Guenaili, aliorumque quorumdam ſanctorum, quidam eorum patriam repedare, quidam ad alia Galliæ loca migrare diſpoſuerunt. Quod cum Duci nunciatum fuiſſet, licet ægre tuliſſet, vim tamen eis nolens inferre, retentis quibuſdam membris ſanctorum, abire permiſit. Qui recedentes, alii Corboilum caſtrum, alii Bellum montem expetierunt, ubi & quieverunt, alii etiam ad alia Galliæ loca abierunt. Sancti vero corporis Samſonis procuratores, quia in Britanniam redire volebant, maxima parte ipſius corporis retenta, & alia cum capite conceſſa, remeare conceſſit. Qui abeuntes, cum per Aurelianenſem urbem iter facerent, in ipſa urbe quibuſdam incommoditatibus detenti, diu multumque morati ſunt. Dux autem eccleſiam beati Bartholomæi Apoſtoli, quæ tantorum ſanctorum reliquiis illuſtrata videbatur, ampliavit: quam poſtmodum in honore prædicti Apoſtoli, atque beatiſſimi Maglorii, eò quod poſt beatum Samſonem in Archipræſulatu Eccleſiæ Dolenſis meruiſſet ſublimari, dedicari fecit. In qua etiam monachos ad divinum officium peragendum conſtituit, quibus ſemper Abbatem ex propria congregatione præeſſe, tam regali quam ſacerdotali auctoritate ſtabilivit. Qui etiam cum ſua venerabili conjuge, Adelaide nomine, filia Pictavorum Comitis, de progenie Caroli-magni Imperatoris, eidem Eccleſiæ magna dona poſſeſſioneſque & prædia obtulit, quæ ſub nomine Lotharii Regis, & Ludovici filii ejus, deſcribi, & confirmari præcepit, regioque ſigillo muniri conſtituit.* In chartulario ſancti Maglorii habetur ipſa charta regia, in qua, quæ auctor de monaſterii ſancti Maglorii fundatione deſcripſit, referuntur, hanc & hic referre operæ pretium eſſe exiſtimo.

VI. *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Lotharius & Ludovicus*

Digitized by Google

LIB. IX. CAP. III.

divina ordinante providentia Reges Auguſti ; dum petitionibus Hugonis Franciæ Ducis rationabilibus & juſtis divini cultus amore favemus, ſuperna nos gratia muniri non dubieamus ; proinde noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum ſollertia, quia vir prætaxatus honorabilis noſtram petiit clementiam, præceptum firmitatis à nobis fieri ex rebus, quas idem pie monaſterio ſanctorum Bartholomæi Apoſtoli, & Maglorii archipræſulis Britanniæ urbis, ſcilicet Dolenſis, contulit, quod fundavit in urbe Pariſiaca, ad ſanctorum corpora, quæ ut peregrini hoſpitabantur per aliorum rura. Eſt autem prius terra, in qua ipſum ſitum eſt monaſterium & donum, quod datum eſt ipſo die conſecrationis ejuſdem, videlicet redibitiones noſtrarum præbendarum, quas libere tenemus, alodus quoque, quem dedit ipſo die tranſlationis ſanctorum ex poteſtate Mildunis cum omni integritate, quæ ad ipſum pertinebat, & capella inibi ſita & conſecrata in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ. Item aliæ res, quæ prius datæ ſunt ; unde prior eſt capella in ſuburbio Pariſiaco, haud procul à mœnibus in honore ſancti Maglorii dedicata, cum terra inibi adjacenti, in qua ipſorum eſt ſepultura monachorum ; clauſus etiam vineæ juxta ſancias ſitus ; quem dedit bonæ memoriæ Hugo filius Roberti Regis. Item pars terræ juxta Montem martyrum, quam Comes Fulco dedit, parvus & alodus, quem dedit Guilelmus, juxta eumdem ſitus ſupra ſcriptum Montem : necnon & alodus in comitatu Meldico, qui dicitur grandis campus : ſed & eccleſiæ in Pinciacenſi comitatu, prima in poteſtate Medriaca in honore ſancti Dionyſii dicata, cum capella in Marois ſita, in ſancti Martini honore fundata, alia in Vernolio eccleſia in honore ſancti Stephani dedicata, & in eadem villa capella S. Hilarii nominata, denique capella in villa, quæ dicitur ſancti Leodegarii, in cujus nomine & honore benedicta conſtat, etiam manſa III. quæ tenuit Ritulfus in beneficio & ſupradicta poteſtate Madreia ; in epiſcopio Pariſiaco & comitatu eccleſia ſanctæ Mariæ nomine ſanctificata, & in eodem comitatu in poteſtate Yſiaca vineæ, unde exit cenſus ſolid. XI. in comitatu etiam Mildunenſi in poteſtate Saviniaca manſum I. Hæc omnia ſupradicta, vel quæ deinceps à catholicis viris eidem collata fuerint eccleſiæ, ob amorem Dei, & reverentiam ipſorum ſanctorum confirmamus auctoritate noſtra, quatenus ſemper ſub pleniſſima defenſione & emunitatis tuitione corroborata permaneant. Ita videlicet ut nullus abhinc ad cauſas exigendas, aut freda, aut tributa exigenda, aut manſiones, vel paratas faciendas, vel fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem eccleſiæ tam ingenuos, quam ſervos ſuper terram ipſorum dominantes injuſte diſtringendos, nec villas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſupra memorata ſunt exigere præſumat, ſed liceat Abbati, ſuiſque ſucceſſoribus res prædicti monaſterii ſub emunitatis noſtræ defenſionem quieto ordine poſſidere, ad ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium perennibus proficiat temporibus in augmentis. *Volumus etiam ut noſter ac veſter, ô Dux clariſſime, omniumque Epiſcoporum ac Comitum in hoc concordet aſſenſus, ut idem locus ſemper Abbatem habeat ex propria congregatione, qui ipſam cauſam Dei & monachos degentes cum normali honore cuſtodiendo tractet, ſimulque volumus, ut nullus metropolitanus, aut aliquis ſubjectus, etiamque Pontifex Pariſiacus cauſa alicujus ordinationis illuc ingredi præſumat, niſi vocatus venerit, aut ad ſanctam miſſam celebrandam, aut ad eccleſias conſecrandas, aut ad benedictiones clericorum faciendas, & quod debitum excuſare non debet, qui vocatus fuerit ; & quoniam peregrini atque alienigenæ eſſe noſcuntur, benigne miſericorditer ac pie à bonis & catholicis viris ſemper tractari ac contineri debeant, pro Chriſto, à quo & nos peregrinamur in mundo. Decrevimus etiam pro noſtri auctoritate præcepti, ut nemo ſuper ipſos ſervos Dei poteſtatem exerceat, aut quempiam inter eos contra voluntatem ipſorum imponere temptet, ſed in eorum ſemper diſpoſitione, ordinatione, & electione intus & foris omnia conſiſtant, quatenus ſervos Dei, qui inibi Deo famulantur, pro nobis & conjuge, necnon & prole, vel ſtabilitate totius regni à Deo nobis conceſſi, proque remedio animarum eorum, qui pro amore Dei, & ſanctorum inibi ſua tradidere donaria, eorum quoque, qui futuris temporibus daturi ſunt præmia* & hanc auctoritatem, ut firmior in Dei nomine habeatur, à fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris diligentius conſervetur, manu propria ſubterfirmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.*

Ex his, quæ à nobis modo relata ſunt, apparet allata Pariſios corpora ſancti VII.

 Samſonis, Maglorii & aliorum, dum Theobaldus aliique, de quibus antea dictum eſt, adverſus Richardum Ducem Nortmanniæ vexilla erexiſſent, ejuſque provinciam bello impetiiſſent; & ipſe Danos ad auxilium advocaſſet, qui ingreſſi Nortmanniam, fines Britanniæ populare, & ſacra profanaque juxta habere cœperunt, quod accidit anno circiter DCCCCLXIV. Anno ſequenti, ut exiſtimo, Salvator Alethenſis Epiſcopus cum aliquot monachis Lutetiam Pariſiorum detulit corpora ſancta eorum, quos ſupra memoravimus. Advenas perhumane ſuſcepit Hugo Dux Franciæ, & baſilicam ſancti Bartholomæi novis hoſpitibus tradidit. Quæ vero fuerit iſthæc baſilica ſancti Bartholomæi, auctor qui vixit tempore Roberti Regis memorat, dicitque ab anterioribus Regibus fuiſſe conditam, hancque fuiſſe regalem capellam; à quibus vero Regibus fuerit condita, non memorat. Ædes regias ſeu palatium Regum primæ familiæ juxta hanc baſilicam non fuiſſe conſtructum, ex his quæ aliàs dicta ſunt perſpicuum eſt: intra inſulam commoratos aliquando fuiſſe non exiſtimo, immo arbitror in ſuburbanis ad auſtrum domum regiam poſitam fuiſſe, uti alias probatum eſt. Reges vero ſecundæ familiæ egiſſe Pariſiis non reperio: hi enim ſæpius variis impediti expeditionibus, aliò commeabant, aut in villis regiis commorari conſueverant, ita Pippinum & Carolum variis ſubinde in locis manſiſſe auctores ſcribunt: Aquiſgrani inprimis Carolum verſatum eſſe, & hac civitate delectatum eſſe certa memoria eſt; vix vero veniſſe Pariſios reperias. Ludovicum-pium aliquando in baſilica Dionyſiana commoratum eſſe, antea narratum eſt; verum vix legas eum Pariſiis verſatum fuiſſe. Ita Carolum-calvum varia pro rerum negotiorumque opportunitate habuiſſe domicilia legimus: Compendio maxime delectatum, & ad monaſterium Dionyſianum ſedes ſubinde collocaſſe certum eſt, ſed diu permanſiſſe Pariſiis non aſſeram. Aliorum vero Regum, qui ſecuti ſunt, aut breve imperium fuit, vel ſors haud æqua prohibuit, quominus certam Pariſiis ſedem figerent; Lauduni ſæpius commoratos eſſe hiſtoria illorum temporum fidem facit. Eo tempore celebrata Comitum Pariſienſium auctoritas, Odoniſque præſertim filii Roberti Andegavenſis Com tis, is, egregie propugnata adverſus Nortmannos Lutetia Pariſiorum, Regis nomen ſumpſit, eoque ſublato, Robertus ejus frater pariter Rex proclamatus eſt. Illi porro non amplius loca Lutetiæ ſuburbana incolere, ſed ob. ſtrepentibus undequaque barbaris, ſeſe intra ſepta inſulæ includere, &, ut exiſtimo, primi palatium intra inſulæ ambitum condiderunt, & eodem opere capellam regalem juxta regias ædes conſtruxerunt, cujus miniſterio inſtituti ſunt canonici. Hæc ſub ſancti Bartholomæi nomine Deo conſecrata eſt. Quod, ut puto, intelligit auctor, qui ſupra allatus eſt; non enim alios Reges invenio, qui hanc ſancti Bartholomæi capellam extruxerint, adde quod capellæ vocabulum nonniſi à tempore Caroli-magni in uſu fuerit. Cum Reges Carolinæ gentis vix Lutetiæ commorati ſint, argumentum eſt non ab iis Regibus, ſed ab Odone & Roberto capellam prius fuiſſe ædificatam, quam & ab Hugone magno donationibus auctam ipſa charta refert: cum verò ſeſe tempus obtuliſſet, Hugo avi & propatrui exemplum ſecutus, hanc ipſam amplificare non modo ſtructura & ſpatio, ſed dotare redditibus inſtituit. Hanc porro capellam Salvatori Epiſcopo & monachis, qui ipſum ex Aremorica Lutetiam uſque comitati ſunt, amotis canonicis conceſſit, exinde ſancti Bartholomæi & ſancti Maglorii nomen baſilica retinuit, & ob primam baſilicæ conſecrationem & corpus ſancti Maglorii, quod in eo collocatum, & in poſterum in ea eccleſia venerandum fuit, & ex capella quæ prius fuerat, monaſterium evaſit. In alimoniam vero monachorum, & quotidianas monaſterii impenſas, illas poſſeſſiones, quas habet charta donationis, Hugo-capetus tribuit. Inter donationes, quæ prius datæ fuerant, habetur capella in ſuburbio urbis, haud procul à mœnibus, quæ primum ſub nomine ſancti Georgii, tum ſancti Maglorii dedicata fuerat, ad capellam adjacens terra pertinebat, in qua cœmeterium monachorum, & clauſus erat juxta ſaucias ſitus, cui annexa erat vinea: hæc verò ab Hugone magno filio Roberti Regis, & Hugonis Regis patre capellæ ſancti

Bartholomæi olim donata ſunt. Illa capella ſuburbana, quæ Hugonis magni LIB IX. donatio fuerat, quæque poſtea monachis Maglorianis ad ſepeliendos mortuos cum terra adjacenti uſui fuit, ſita erat in eo urbis loco, ubi modo commorantur puellæ, quas vocant Pœnitentes vici Dionyſiani. In chartulario ſancti Maglorii reperio, anno M C X V I I. attributos duos monachos preſbyteros ad hujus capellæ miniſterium, illiſque aſſignatam alimoniam, id vero ad petitionem Guinebaldi Abbatis ſancti Maglorii; quod Rex Ludovicus VI. confirmavit. Poſtea tamen cum monachi ſancti Maglorii adverterent locum monaſterii & pro populi & ædium frequentia coarctatum, in ſuburbana ſedem monaſterii transferre ſtatuunt. Anno itaque M C X X X V I I I. ad oratorium ſeu ad capellam ſancti Georgii commigrarunt, & ſecum corpus ſancti Maglorii aliaſque reliquias tranſtulerunt, baſilica vero ſancti Bartholomæi deinceps parœcia fuit, ſeu eccleſia baptiſmalis, ad cujus regimen preſbyter præpoſitus eſt; ita tamen, ut ex monachis quidam relinqueretur, qui Prior diceretur, & eo nomine multa jura obtineret, unde diſſidiorum cauſa, quæ actis conventionibus terminata ſunt. Anno M D L X X I I. cum Catharina Regina mater Regis monaſterium Pœnitentium puellarum ad conſtruendas ædes, quas modo Sueſſioneoſes vocant, delegiſſet, puellas ad monaſterium Maglorianum, quod in vico Dionyſiano huc uſque permanſerat, transferre ſtatuit. Quapropter XVII. Septembris ejuſdem anni, ad domum hoſpitalem ſancti Jacobi de alto paſſu, quæ ad ſuburbium auſtrale urbis ſita eſt, Magloriani monachi tranſlati ſunt. Sed cum portio Abbatis ſancti Maglorii redditibus Epiſcopi Pariſienſis jam antea acceſſiſſet, Henricus S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Pariſienſis, ſuppreſſo penitus Magloriano monaſterio, ſeminarium ad informandos eo in loco clericos ex auctoritate Gregorii PP. XV. inſtituit anno M D C X X I. huicque moderando præpoſiti ſunt preſbyteri congregationis Oratorii D. Jeſu anno M D C X X I I. ſed de his ſuo loco dicemus amplius. Ut redeam ad litteras Lotharii & Ludovici Regum, ambo ſimul donationem Hugonis confirmant, quod fieri non potuit ante annum D C C C C L X X I X. quo Ludovicus à patre Lothario Rege Francorum in conſortium regni aſſumptus eſt, & Compendii à Francis elevatus eſt in Regem.

Anno ſequenti Lotharius Rex cum Othone Imperatore reddita Lotharingia VIII. pacem componit, ſed ea res paulo altius repetenda eſt. Biennio antè jacta fuerant inter eos rixarum diſcordiarumque ſemina: Lotharius enim Rex, quo tempore Otho Imperator quietus agit, Lotharingiam ex improviſo invadit, proceres ſibi ſacramento obligat, & Imperatorem nihil tale expectantem aggreditur, cogitque Aquiſgrano excedere, populataque urbe & vaſtatis agris, Rex in Franciam re feliciter geſta regreditur. Otho iræ & vindictæ impotens collecto ingenti exercitu Franciam populabundus ingreditur, Pariſios uſque cum copiis venit, & late perniciem agris opidiſque infert; quin etiam fama eſt ab eo crematum ſuburbium Lutetiæ Pariſiorum. Othonem, his rebus geſtis, copias reducere in Germaniam coegit conflatus ex Francis ingens exercitus: Lotharius enim, Hugo Dux Francorum, Henricus Dux Burgundiæ, Gauffridus Comes Andegavenſis, aliique conjunctis ſimul viribus adverſus Othonem ſigna convertunt; impar ille numeroſis copiis, ſibi ſuiſque reditu conſulere ſtatuit, verùm, dum fugienti ſimilis copias reducit, & per Axonam fluvium exercitum trajicit: Franci in eum præcipites irruunt, exercitumque gravem impedimentis cædunt, & prædatorem ſuis latrociniis ſpoliant. Lotharius felici eventu ferox tribus eum diebus inſequitur, magnamque cladem varia conflictatione infert hoſtibus. Hæc Lotharius, qui biennio pòſt res præclare geſtas inhoneſto fœdere corrupit: anno enim D C C C C L X X X. ut ſcribit Sigebertus, Lotharius habito cum Othone conventu Lotharingiam ei ceſſit. Alii vero ita inter eos conventum eſſe volunt, ut Carolus Lotharii frater Lotharingiæ partem, quæ ad meridiem ſpectat, haberet, Otho quæ ad aquilonem. Quidquid fuerit, Lotharingiæ maxima parte Otho potitus eſt: quæ res haud gratæ Hugoni & Henrico ejus fratri aliiſque Comitibus fuerunt. Verum ipſe Lotharius mutata paulo poſt ſententia Lotharingiam iterum invadit, Virdunum occupat, Godefridumque ipſum urbis Comitem bello

captum abducit. Biennio poſt Lotharius Remis moritur anno DCCCCLXXXVI. die ſecunda Martii, ſepultus eſt in baſilica ſancti Remigii, unum & triginta annos, & quatuor menſes regnum gubernavit. Ejus filius Ludovicus v. illi ſucceſſit, quem parer moriens Hugoni Francorum Duci commendavit; verum ille patri non diu ſupervixit, anno enim ſequenti mortem oppetiit. Ultimus Regum Carolinæ gentis fuit. Hugo enim Francorum Dux ei ſucceſſit, & Regum Capetiorum caput princepſque fuit, de hac rerum noſtrarum viciſſitudine ſequenti libro dicemus. Jam vero, quantum in hac illorum temporum incuria licebit, de Epiſcopis pauca hic ſubjicienda ſunt. Garino Epiſcopo Pariſienſi, de quo ſuperius dictum eſt, ſucceſſit Elyſiardus Epiſcopus, veteres Eccleſiæ Pariſienſis indices Lyſiardum vocant, necrologium Eccleſiæ Pariſienſis Lyſiernum eum appellat, laudatque inprimis, quod ejus operâ clauſtrum matris eccleſiæ Pariſienſis, in quo degunt canonici, clauſum fuerit; dictum eſt ſuperius, jam antea à Theodulfo Epiſcopo Pariſienſi clauſum fuiſſe: oportet igitur, ut vel maceriæ, vel portæ, quibus munitum fuerat, poſtea dejectæ ſint, ita ut neceſſe fuerit, ut reficerentur, uti revera ſub ejus Epiſcopatu refectæ ſunt auctoritate ipſius ſummi Pontificis, cautumque ne amplius everterentur. Lyſiardus è vita deceſſit XIII. Calend. Maii, quod habet Eccleſiæ Pariſienſis necrologium, his verbis: *XIII. Calend. Maii de domo ſanctæ Mariæ obiit Liſiernus Epiſcopus, cujus precibus Benedictus PP. firmavit clauſtrum iſtud.* Quo verò obierit anno non aſſeram, extant de eo chartæ.

IX. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Lotharius genitor, genituſque ejus Ludovicus, utrique opitulante gratia Dei Francorum Reges &c. Notum eſſe volumus omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, tam noſtris præſentibus, quam ſcilicet & futuris, quia vir venerabilis Elyſiardus Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus noſtræ innotuit ſerenitati, ſuggerentibus itaque ac intervenientibus dilectis filiis noſtris, videlicet dulciſſima conjuge Emma, atque Hugone excellentiſſimo Duce, egregiiſque præſulibus Alberone Remenſi, Gibuino Cathalaunenſi, quod pro Dei omnipotentis amore, & futuro ejuſdem congregationis cavendo periculo, ne aliqua ſucceſſorum ſuorum, aut ſæcularium perſonarum negligentia, vel parcitate, ordo in ea ſede commemoratâ futuris temporibus perturbaretur canonicus, quandam poteſtatem, Spedonam nomine, cum eccleſia in honore ſancti Beati dicata, ac villam vocabulo Maſciacus cum terris cultis & incultis, vineis, ſylvis, molendinis, pratis, paſcuis, piſcariis, aquis, aquarumve decurſibus, & cum omnibus inibi juſte legaliterque aſpicientibus, quam idem prælibatus præſul Elyſiardus amore Dei ductus, tam à ſuo, quam à ſucceſſorum ſuorum dominio auferens, in fratrum ſanctæ Mariæ præfatæ ſedis delegavit uſus, per hoc regale præceptum ſtabili jure eis concederemus. Præterea humiliter exorantes petierunt, ut pro divino intuitu, & pro ipſius congregationis cavenda neceſſitate, avorum noſtrorum præcepta Regum ex ſtipendiis ipſorum fratrum, quæ in membranulis vetuſtiſſimis continebantur inſerta, in hujus corpore præcepti breviter accumulata regali auctoritate reconfirmaremus ad integrum; ob firmitatem tamen religionis petiit memoratus Elyſiardus Epiſcopus, ut & clauſtrum ipſius congregationis, ſicut ab avo noſtro Rege Carolo, ſupplicante Theodulfo ejuſdem loci Epiſcopo, confirmatum eſt, jure perpetuo ac ſtabili ordine corroboraremus, quò abſque ullius inquietudine, tam ipſius ſedis Epiſcopi, quam aliarum perſonarum ſecuri viverent, & unuſquiſque canonicus ſuam propriam domum cum omni ſubſtantiâ dare, vel vendere valeat, cuicumque voluerit tantum ex fratribus, velut conſtitutum eſt à priſcis temporibus. Nos vero petitioni eorum, quia neceſſaria & rationabilis erat, aſſenſum præbentes, velut poſtulaverunt fieri adjudicamus, quatinus nulla occaſione, nec Reipub. ſervitio quiſquam ex ſucceſſoribus, ſeu ſæcularibus perſonis impedimentum in futuro eis inferre potuiſſet, pro quo à via rectitudinis & obſervatione canonica eos oberrare neceſſe foret, ſed deputatis ſibi rebus contenti, abſque neceſſitate & inopia canonicum ordinem tenere, & ſine prævaricatione, quantum humana ſinit fragilitas, obſervare quiviſſent, ex ſemetipſis ſemper per communem omnium aſſenſum eligentes Præpoſitum & Decanum, qui & eorumdem provideant villas, & debita ſtipendia, fratribus fideliter adminiſtrent. Quapropter ſtatuimus atque jubemus, & noſtra præceptione confirmamus eis villas, quas dudum per privilegia, & per præ-*

cepta

cepta Regum habere noſcuntur, ad eorum neceſſitates procurandas, & metu futurorum caſuum, propellendo, videlicet Andreſiacum, cum eccleſia & altare omnique integritate, & ſuis adjacentiis, Aureliacum cum eccleſia & altare ſuiſque appenditiis, Civiliacum cum eccleſia & altare & omnibus inibi adjacentibus, Laiacum, Caſtanetum cum eccleſia & altare omnibuſque adjacentibus, Baniolum cum eccleſia & altare cæteriſque appenditiis, Sulciacum cum eccleſia & altare & Reſinlarziaco & in Lotueo villa, cum omnibus ad uſus fratrum pertinentibus, Chriſtoilum cum eccleſia & altare, vel quidquid inibi ad prædictorum ſtipendia pertinet. Hæc autem ſeptem altaria Pariſiacæ ſedi attinentia, prædictus præſul Elyſiardus, ex proprio dominio ſuo, ſine ſua ſuorumque venditione, nullo contradicente ſtipendiis perpetualiter attribuit ipſorum fratrum. Aleriacum videlicet, Steovillam, Roſetum, Cellas, & Vernon, Machelum, & Sameſium, Mintriacum, & Mauriacum cum eccleſiis, & univerſis ad ſe pertinentibus. Viriacum cum omnibus, quæ videntur ad prædictorum uſus fratrum aſpicere; ſed & medietatem nonæ ac decimæ, quæ de rebus ipſius Eccleſiæ, quæ abſtractæ fuerant ab iis, qui eis utuntur accipi ſolent. Hanc ergo prædictam poteſtatem Spedonam, & has nominatas villas cum omnibus appenditiis, & redditibus ſuis, ut diximus, ad omnes ejuſdem congregationis neceſſitates, & ſubſtentacula mortalis vitæ miniſtranda, vel quod à longo ibidem ſunt aſpicientia, vel ad præſens aſpicere videntur, aut deinceps à Domino timentibus additum, vel collatum fuerit, regali auctoritate & indulgentia, per hoc præceptum confirmationis noſtræ ſtabili jure eis concedimus, ac confirmamus. Præcipientes, ut nullus Epiſcoporum, per ſucceſſiones ſubtrahere, minuere, aut ad uſus ſuos retorquere, vel alicui in beneficium tribuere, neque ullum impedimentum ex prædictis rebus eis inferre, ſed nec ſervitia ex eiſdem villis exactare, neque ullas in aliqua re exactiones inde exigere præſumant; ſi augere eis aliquid placuerit licitum habeant; diſtrahendi autem, vel minnendi ea, quæ pro Dei ſtatuta ſunt amore, nequaquam valeant. Eo namque ordine præcipimus & corroboramus pro ſalutis noſtræ remuneratione, & pro ſanctæ Eccleſiæ Dei ſtatu, reipublicæ gubernatione, velut anteceſſoribus noſtris confirmatum eſt, ut nullus unquam ex judiciaria poteſtate accinctus, vel quocumque modo, nulliſque ingeniis in prædictis villis aliquam judicandi poteſtatem inibi exerceat, neque aliquem cenſum, neque teloneum, neque ripaticum, neque rotaticum, neque portaticum, neque bannum, nec freda, nec ullas diſtrictiones faciendas, nec ullas paratas requirendas, nec foraticum, nec pulveraticum, nec ullas leges faciendas, nec de liberis hominibus, albaniſque, ac colonibus in dicta terra commanentibus aliquem cenſum, vel aliquas redibitiones accipere præſumat, ſed quicquid fieri noſcitur, inde exigere aut ſperare præſentialiter potuerit, requirere non præſumat. Etſi forte calliditate judicis ipſæ emunitates alicubi interruptæ fuerint, priſcorum lege id eſt ſolidis DC. mulctetur. Petimus ergo ſucceſſores noſtros, ut hanc noſtram liberaliſſimam ita conſervent conceſſionem, ſicut ea, quæ ob amorem Dei æternamque mercedem ſtatuerint, à ſuis voluerint ſucceſſoribus eſſe ſervanda. Et ut hæc auctoritas, quam ob dilectionem Dei & animarum noſtrarum remedium ſtatuimus, firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem manibus propriis eam ſubterfirmavimus. Signum H Lotharii glorioſiſſimi Regis, filiique ejus Ludovici. Arnulfus Cancellarius ad vicem Alberonis Archiepiſcopi recognovit. Actum compendio palatio. LIB. IX. CAP. III.

Benedictus Epiſcopus *ſervus ſervorum Dei &c. Noſcat igitur veſtræ excellentiæ laudabilis manſuetudo, quod Elyſiardus Pariſiacæ ſedis Epiſcopus adiens limina beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ inſtantia oſtendens regalia præcepta, quæ pro remedio animarum ſuarum, necnon & anteceſſorum noſtrorum privilegia eccleſiæ beatæ Dei genitricis Mariæ & ſancti Protomartyris Stephani præfati loci, firma conſcriptione tradiderunt. Hac autem ratione commotus ſupplici devotione deprecatus eſt nobis, quatinus ei apoſtolica auctoritate reconfirmaremus prædictas conceptiones, & epiſcopatum præfatæ ſedis, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis, videlicet Abb. ſancti Eligii, Abb. ſancti Germani Rotundi, Abb. ſancti Marcelli, Abb. ſancti Clodoaldi, atque ſancti Martini, Abbat. ſancti Petri quæ dicitur Resbacis, Abbat. ſancti Saturnini de Cauroſa, Abbat. quæ dicitur Nigella, Abbat. ſancti Martini, quæ eſt in campellis, Abbat. ſancti Petri quæ dicitur Caziacus ſuper Matronam cum omnibus adjacentiis earum, & quicquid tam in præſens quam in futurum* X.

præfata Eccleſia poſſeſſura eſt. Simili modo de ſtipendiis fratrum ipſius loci ſcilicet Spedonam poteſtatem, cum eccleſia ac villula nomine Macerias, cum omnibus inibi juſte legaliterque aſpicientibus, quam idem prælibatus Præſul Elyſiardus, amore Dei ductus, tam à ſuo, quam à ſucceſſorum ſuorum dominio auferens, in fratrum ſanctæ Mariæ præfatæ ſedis delegavit uſus. Andreſiacum cum eccleſia & altare omnique integritate & ſuis adjacentiis, Aureliacum cum eccleſia & altare ſuiſque appenditiis, Civiliacum, Laiacum cum eccleſia & altare omnibuſque inibi adjacentibus, Caſtenetum cum eccleſia & altare ſuiſque appenditiis, Baniolum cum eccleſia & altare & ſuis appenditiis, Sulciacum cum eccleſia & altare cum omnibus ad uſus fratrum pertinentibus, Chriſtoilum cum eccleſia & altare, vel quicquid inibi ad prædictorum pertinet ſtipendia. Hæc enim ſeptem altaria præfatæ ſedi attinentia memoratus præſul, ex proprio dominio ſine ſua ſuorumque ſucceſſorum venditione, nullo contradicente ſtipendiis perpetualiter ipſorum attribuit fratrum; Aleriacum & Steovillam, Rozetum, Cellas, & Vernou, Machellum, & Samezium, Nintriacum, Mauriacum cum univerſis eccleſiis ad ſe pertinentibus, Viriacum cum omnibus quæ videntur ad prædictorum uſus fratrum aſpicere, ſed & medietatem nonæ & decimæ, quæ de rebus ipſius eccleſiæ abſtractæ fuerant, ab iis qui eis utuntur, accipi ſolent. Fontenetum cum eccleſia, Vilcenam cum omnibus inibi adjacentiis, ob firmitatem religionis, prout ſuperius taxatus Elyſiardus Epiſcopus, ut & clauſtrum ipſius congregationis jure perpetuo confirmaremus, quo abſque ullius inquietudine, tam ipſius loci Epiſcopi, quam aliarum perſonarum ſecuri vivant, & unuſquiſque canonicus ſuam propriam domum, cum omni ſubſtantia dare vel vendere valeat, cuicumque canonico voluerit ex ipſa congregatione, nullique alio velut inſtitutum eſt à priſcis temporibus. Nos inſpectis piiſſimorum auctorum, & paternis præceptionibus, libuit nobis petitionibus ejuſdem Epiſcopi aſſenſum præbere, ut ſub jure & patrocinio ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſancti Matris Eccl. omnia firma atque inviolata jugiter maneant, præcipientes apoſtolica auctoritate jam dictis canonicis, eligentes ex ſemetipſis per communem omnium aſſenſum præpoſitos, & Decanos, qui & eorum provideant villas, & debita ſtipendia, eis adminiſtrent fideliter. Cumque ordine præcipimus, ut nulli Epiſcoporum per ſucceſſiones ſubtrahere, minuere, aut ad uſus ſuos retorquere, vel alicui in beneficium tribuere, neque ullum impeditum ex prædictis rebus fratrum inferre, ſed nec ſervitia ex eadem terra exactare, neque ullas in aliqua re exactiones inde exigere præſumant, ſi augere eis aliquid placuit, licitum habeant; diſtrahendi autem vel minuendi, ea quæ pro Dei amore ſtatuta ſunt, ne quidquam valeant; ſtatuimus namque ſub divini judicii intuitu, obteſtatione & B. Apoſtolorum Petri & Pauli noſtræque humilitata juſſione, ut nullus unquam ex Imperatoribus, Regibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Principibus, vel ex omni judiciaria poteſtate accinctus, ſeu in quolibet ordine & miniſterio conſtitutus, in ſupradictis Epiſcopi vel canonicorum rebus, nec in ipſa inſula, ubi civitas Pariſius videtur eſſe poſita, & de regali via ex parte ſancti Germani Rotundi à ſancto Mederico uſque ad locum, qui vulgo vocatur Tudella in ruga ejuſdem ſancti Germani, nec in aliis minoribus viis, quæ tendunt ad idem monaſterium, aliquam judicandi poteſtatem inibi exerceat, nec aliquem cenſum, neque Theloneum, neque ripaticum, neque roraticum, neque poſtaticum, neque bannum, freda, vel ullas diſtrictiones faciendas, nec ullas paratas, requirendas, nec foraticum, nec pulveraticum, nec ullas leges faciendas, nec de liberis hominibus albaniſque ac colonibus in ſupradicta terra commanentibus, aliquem cenſum, vel aliquas reddibitiones accipere præſumant, nec quamlibet maliciam, nec jacturæ moleſtiam, ibidem ſive pacis ſive belli tempore inferre conetur, dum profecto à modo uſque in finem ſæculi, ut prædictum eſt, ſumma ſtabilitate ſub patrocinio & juriſdictione S. Rom. matris Eccleſiæ permanendo, cuncta decernimus. Si quis autem, quod non optamus, hæc quæ à nobis ad honorificentiam ſanctæ Dei Genitricis Mariæ & beati Protomartyris Stephani, ceterorumque ſanctorum, qui ibi venerantur, pro ipſius ſtabilitate Epiſcopatus ſtatuta ſunt, tranſgredi auſu nefario præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo & omnibus impiis æterni incendii atrociſſimo ſupplicio deputatum. At vero, qui pio intuitu cuſtos & obſervator horum præceptorum extiterit, omnimodæ benedictionis gratiam, omniumque peccatorum ſuorum abſolutionem & indulgentiam,

& cæleſtis vitæ beatitudinem cum ſanctis & electis à miſericordiſſimo Domino noſtro conſequi mereatur in ſæcula ſæculorum Amen. Datum III. Kal. Ianuar. per manum dom. Stephani bibliothecarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

CAPUT IV.

De majore baſilica beatæ Mariæ virginis, de ejus nomine & antiquitate. De vetere baſilica ſancti Stephani martyris, & de baſilica ſancti Chriſtophori. De canonicorum Eccleſiæ Pariſienſis inſtitutione, de eorum moribus & de claris Epiſcopis ejuſdem Eccleſiæ Pariſienſis, qui ſub ſecunda Regum Francorum familia floruerunt.

I. AD tertiam demùm regum Francorum ſtirpem hiſtoriam Eccleſiæ Pariſienſis perduximus. Quantum hæc Eccleſia dignitate & amplitudine ſub Carolina ſtirpe accreverit, ex his quæ ſuperius à nobis commemorata ſunt, quiſque facile aſſequi poſſit. Etſi Reges hujus gentis per ducentos & quadraginta ferme annos vix Pariſiis commorati ſunt: Eccleſia tamen Pariſienſis, ſi quæ aliàs, in Galliis longe honoribus amplificata eſt; habita Pariſiis Concilia rerum negotiorumque momentis celebrata, magni Pontifices, fide, doctrina, moribus & natalium ſplendore commendati hanc rexerunt: monaſteria & aſcetarum & præpoſitorum pietate, doctrina, & rerum geſtarum magnitudine clara extiterunt; clerus jam olim frequens & celebris, nova canonicorum inſtitutione multum gloria & pietate accrevit; urbs ipſa, quæ jam extra inſulam ædificiis privatiſque domibus auctior fuerat, Nortmannorum infeſtatione iterum anguſtiori inſulæ pomerio coarctata, fortiter ſeſe contra barbarorum oppugnationem tutata eſt, & primùm docuit Francos Nortmannorum retundere ferociam. Tum quidem Carolinæ familiæ honos Pippini & Caroli-magni duris laboribus, crebriſque victoriis acquiſitus cecidit: ſed Comitum Pariſienſium domus cœpit eſſe in honore. Antequam vero ad Capetiorum ætatem veniam, quaſi in tabella oculis ſubjicere inſtitui, quæ decora Eccleſiam urbemque Pariſienſem ſub principatu Regum antecedentium ornaverint. Eccleſia Pariſienſis jam numero baſilicarum & monaſteriorum florentiſſima erat. Major eccleſia, ſeu mater baſilica ſub nomine beatæ Mariæ virginis, jam à primis Regum noſtrorum temporibus dedicata erat, quod aliàs à nobis annotatum eſt; nam in charta Childeberti majoris data ſancto Germano Epiſcopo Pariſienſi, illius utique mentio eſt. *Condonamus etiam*, inquit charta, *& Salinas, & in Maſſilia cum ædificio, quod ſupereſt ædificatum, omnia & ex omnibus, ſicut ſuperius inſertum eſt, à die præſenti, ut ſupra, matri eccleſiæ Pariſiacæ, quæ eſt dedicata in honore ſanctæ Mariæ D. noſtri Ieſu Chriſti, ſeu & eccleſiæ ſanctorum martyrum Stephani atque Vincentii, necnon & Apoſtolorum duodecim, ac reliquorum SS. Dominorum, quorum ibi pignora continentur &c.* Addita Stephani & Vincentii aliorumque nomina, ſeu eccleſia pluribus dedicata fuerit; ſeu foris, attamen intra ſepta baſilicæ majoris, in loco, cui modo Parviſium nomen eſt, minores extructæ fuerint, eccleſiæ; ſeu, quod aliqui putant, præcipuarum Eccleſiarum ejuſdem civitatis nomina majori

LIB. IX. CAP. IV. baſilicæ tribuerentur. Auctor vitæ ſancti Chlodoaldi meminit baſilicæ S. Mariæ virginis, quæ major civitatis Pariſienſis erat eccleſia, cui ex teſtamento multas poſſeſſiones legavit. *Condidit*, inquit, *monaſterium in loco, cui olim vocabulum Novigentum nunc ob inſigne ejus meritum ſanctitatis, vocatur monaſterium ſancti Chlodoaldi, quod & ſufficientibus ditavit opibus: atque matri eccleſiæ ejuſdem civitatis, videlicet ſanctæ Mariæ, perpetuo habendum delegavit.* Hanc quoque eccleſiam celebrat ſub titulo ſanctæ Mariæ Aimoïnus monachus Floriacenſis lib. III. hiſtoriæ Francorum. *Interea Fredegundis*, inquit, *Regina marito viduata, ad baſilicam Pariſiacæ urbis in honore ſanctæ Mariæ dicatam cum theſauris, quos ſecum habebat, ſe conferens, à Ragnemodo ſuſcipitur Epiſcopo, cumque plures illic pœnis & contumeliis affeciſſet &c.* Hæc Aïmoinus ſubjungit. *Nec verebatur Dominum, aut ejus Genitricem, in cujus manebat baſilica, dum perverſa ageret &c.* Unde certo colligas, jam tum eccleſiam majorem ſub beatæ Mariæ virginis nomine fuiſſe dedicatam. Multæ præterea veteres chartæ fidem faciunt, eamdem matrem, ſeu majorem eccleſiam eo nomine ſanctæ Mariæ virginis fuiſſe appellatam. Legitur in parvo paſtorali charta Stephani Comitis Pariſienſis, qua ipſe ejuſque uxor Amaltrudis donant eccleſiæ ſanctæ Mariæ Dei genitricis res, quas poſſidebant, in loco qui vocatur Sulciacus, ſic charta incipit. *Domno ſancto & apoſtolico ſacro-ſanctæ Mariæ eccleſiæ Deique genitricis & ſancti Stephani Protomartyris, ſeu domni Germani, ubi Inchadus Pariſiacæ urbis rector præeſſe videtur, quæ eſt infra murum Pariſii conſtructa &c.* & pauló inferiùs. *Hos dies per juſſionem domni Imperatoris Karoli de præſentibus ſanctæ Mariæ, & ſancti Stephani, vel domni Germani de reb*[illegible]*noſtris propriis examinavimus. Igitur ipſas res ſuperius nominatas ad ipſam ſan*[illegible] *matrem eccleſiam ſuperius nominatam à die præſente perpetualiter tradidimus* [illegible] *poſſidendum, hæc charta data eſt Caroli Auguſti anno* XLIII. *regni ejus in Francia* XXXVI. *in Italia &* XI. *Imperii.* Ex ea porro manifeſtiſſimum eſt ſub principatu Caroli magni &c. & ſub Inchado Epiſcopo Pariſienſi eccleſiam matrem Pariſienſis civitatis nomine beatæ Mariæ virginis fuiſſe decoratam. Is poſtea titulus in chartis uſitatiſſimus eſt; ſimiliter à Ludovico-pio datum eſt Inchado privilegium pro terra ſanctæ Mariæ, ubi hæc habentur. *Nos vero per hanc noſtram auctoritatem eaſdem res & mancipia, ac telonea ipſius eccleſiæ confirmavimus ac roboravimus, ut in poſterum rectores ipſius eccleſiæ, abſque ullius inquietudine, vel injuſta interpellatione, quietè teneant, & ſecurè poſſideant. Inſuper etiam eidem jam nominato Ynchado, ſuiſque ſucceſſoribus conceſſimus, atque more paterno per noſtram auctoritatem confirmavimus, ut nullus Comes, neque ulla judiciaria poteſtas in terra ſanctæ Mariæ in ipſa inſula conſiſtente, ullum cenſum de terra ſanctæ Mariæ accipiat, nec de familia ipſius eccleſiæ, neque de aliis liberis hominibus, vel incolis, qui ruſticè Albani appellantur, in ipſa terra ſanctæ Mariæ manentibus, hoc agere præſumant.* Hæc & alia, quæ clarè probant eccleſiam matrem ſub nomine beatæ Mariæ virginis fuiſſe dedicatam: cur enim fundi, qui ad hanc attinebant eccleſiam, in privilegio dicuntur & appellantur, terra ſanctæ Mariæ? ex eo certe, quod illa baſilica beatæ Mariæ diceretur, unde & poſſeſſiones dixerunt eſſe ſanctæ Mariæ. Ex his quoque apparet eccleſiam illam à priſcis temporibus eo nomine appellatam, ex qua fundi & poſſeſſiones nomen habuerunt: adeo ut non modo baſilica ſanctæ Mariæ diceretur: ſed etiam terra ipſa, quæ ad ipſam majorem eccleſiam ſpectabat, terra ſanctæ Mariæ appellaretur, & ita in ipſis præceptis regiis nominaretur, quod nonniſi plurium annorum ſpatio in uſum & conſuetudinem abire potuit. Sed & alia poſteriorum Regum præcepta ſunt, ex quibus hoc ipſum liquidò conſtat. Carolus-calvus in præcepto, quo Eccleſiæ Pariſienſis Epiſcopo tradit pontem, Æneæ Epiſcopo & matri eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſic loquitur. *Placuit nobis extra prædictam urbem de ærarii noſtri ſcato, ſupra terram monaſterii ſancti Germani ſuburbio commorantis, quod à priſcis temporibus Autiſſiodorenſis dicitur ſubjectum, & matri eccleſiæ ſanctæ Mariæ commemoratæ urbis opportunum facere pontem.* Idem Rex ſic in alio præcepto, quo jubet reſtitui Eccleſiæ Pariſienſi villam Nantriacum. *Notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus. Quod venerabilis vir Æneas Pariſii Epiſcopus culminis noſtri reverenter adiens ſublimitatem, deprecatus eſt*

humiliter, ut eccleſiæ ſibi commiſſæ ſanctæ ſedis, in honore Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ fundatæ, auxilium præberemus. Ex his duobus præceptis, primum datum eſt pridie dus Julii, Indict. III. anno XXII. domni Caroli in palatio Compendio. Alterum vero, quod ſuperius memoratum, datum eſt XV. Calend. April. Indict. I. anno XXVIII. regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Actum Silvanectis. Omiſeram aliam ejuſdem Regis chartam, datam quoque Æneæ Epiſcopo Pariſienſi, qua reſtitui jubet inſulam in orientali plaga civitatis vicinamque eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis virginis Mariæ. *Itaque notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus &c. Quod ad ſupplicem petitionem Æneæ venerabilis Pariſienſis Epiſcopi reddimus inſulam quamdam, eidem civitati in orientali plaga contiguam, atque viciniorem eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ &c.* Datum eſt præceptum X. Calend. Maii, Indict. XV. anno XXVII. regnante Carolo. Actum Compendio. Hæc, quæ deſcripta ſunt ex ipſis Eccleſiæ Pariſienſis tabulariis, id eſt ex ipſa Pariſienſis Eccleſiæ vetuſtate decerpta, certiſſime probant, & jam ſub principatu Regum ſecundæ familiæ, immo & primæ, baſilicam matrem ſeu majorem, ſub titulo beatæ virginis Mariæ fuiſſe dedicatam. Sed ſi hæc deeſſent monumenta, Abbo monachus certa nobis ſuppeditaret teſtimonia in libris de obſidione Lutetiæ Pariſiorum; verbis enim conceptis ait Lutetiam ſacratam eſſe in honore ſanctæ Mariæ.

Urbs in honore micat celſæ ſacrata Mariæ,
Auxilio cujus fruimur vita modo tuti.
Hinc indicibiles illi, ſi forte valemus,
Reddamus grates, placidas reboemus & odas.
Vox excelſa tonet, laudeſque ſonet, quia dignum.
Pulchra parens ſalve, Domini regina polorum.
Noſtra nites altrix, orbis conſtas dominatrix,
Quæ ſævis manibus Danûm, gladioque minace
Solvere Lutetiæ plebem dignata fuiſti,
Lutetiæque ſatis poteras conferre ſalutem,
Quæ lubrico Salvatorem coſmo genuiſti.

Frodoardum & antea diximus baſilicæ majoris civitatis Pariſienſis mentionem feciſſe, cum enim, ut antea memoratum eſt, malum quoddam fervens mortales, quaſi peſtilentia quædam, perimeret, chronicon ait plures Pariſios confugiſſe, & in eccleſia ſanctæ Mariæ genitricis ſanatos eſſe. Ex iis omnibus, quæ allata ſunt, intelligis Pariſiis eccleſiam matrem, jam inde à principio Deo ſacratam, ſub nomine ſanctæ Mariæ virginis. Quid eſt vero, inquies, quod ſæpius actis antiquis præter nomen beatæ Mariæ adjectum legimus nomen ſancti Stephani? Dicam quod ſentio. Poſt inventionem corporis ſancti hujus Protomartyris, per totum ferme orbem delatæ ejus reliquiæ ſunt, tum pluribus in locis titulo ſancti Stephani decoratæ ſunt primariæ civitatum eccleſiæ. Neque dubito, quin & allatæ Pariſios hujus ſancti martyris reliquiæ ſint, quin & ob eam cauſam mater ſeu major Pariſiorum eccleſia non ſolum ſanctæ Mariæ, ſed & ſancti Stephani: immo & hæc ſanctorum aliorum titulo fuerit inſignita, propter eorum reliquias, ſicut legimus baſilicam ſancti Germani à pratis dictam fuiſſe non modo ſancti Vincentii eccleſiam, ſed etiam ſanctæ Crucis, & poſtmodum ſancti Germani. Forte, quod magis probem, & hoc ſancti Stephani nomine decorata eſt, quoniam juxta eamdem majorem eccleſiam, non modo intra ipſa clauſtri ſepta, ſed in ipſo eccleſiæ Parviſio, ut vocant, erecta olim viſebatur baſilica ſancti Stephani, quæ propter vetuſtatem ſancti Stephani veteris nomen habuit, ut alias memoratum eſt, & hic denuo data occaſione repetere, & inculcare non pigebit, chartam Childeberti Regis Francorum olim edidimus, cujus vetuſtiſſimum habetur exemplar in archivis capituli eccleſiæ Pariſienſis, & ſuprà quaſdam chartas attulimus datas eccleſiæ Pariſienſi, in quibus & nomen beatæ Mariæ virginis & ſancti Stephani celebratur: ſed prætcrea illius veteris baſilicæ ſeorſum memoria eſt in aliquibus locis. Charta Vandemiris & Ercambertæ, quæ cum ſuis mendis in libro rei diplomaticæ refertur, meminit eccleſiæ ſancti Stephani. *Donamus,*

LIB. IX. CAP. IV. *donatumque in perpetuo eſſe volemus ad baſilica ſanctæ Stephanæ in Pariſius, ubi domnus Sigefridus Pontifex præeſſe veditur villa cognomenante in pago Camliacenſi* &c. boc inſtrumentum eſt anni DCXC. Concilium Pariſienſe anno DCCCXXIX. cujus acta extant in collectione Conciliorum, habitum eſt quoque in ea ſancti Stephani baſilica, ut ex charta Inchadi Epiſcopi Pariſienſis manifeſtum eſt. *Ego Ynchadus divina ordinatione Pariſiacæ civitatis Epiſcopus &c. Igitur cognoſcat omnium ſecutura poſteritas, præſulumque nobis ſuccedentium pia paternitas, quia petierunt à noſtra exiguitate fratres noſtri ſanctæ matris eccleſiæ, cui miſerante Deo deſervimus, ut metu futurorum caſuum propellendo, attribueremus eorum ſtipendiis quaſdam villas de rebus ipſius matris eccleſiæ, quarum redditibus & ipſi ſuam neceſſitatem propellerent, & Epiſcopum multorum moleſtiis aſſidue exagitatum, non inquietarent. Quorum petitioni aſſenſum præbentes in eccleſia, quæ eſt in honore ſancti Stephani Protomartyris coram ipſo ſancto altari in præſentia venerabilium virorum &c.* Vides celeberrimum boc Concilium Pariſienſe habitum eſſe in eccleſia ſancti Stepbani, quæ ſcilicet prope majorem & matrem eccleſiam extructa erat, ut amplius & clarius modo explicabimus. Abbo monacbus ſancti Germani à pratis, lib. 2. de obſidione Lutetiæ Pariſiorum, mentionem facit & ipſe baſilicæ ſancti Stepbani. Cum Nortmanni facta in urbem irruptione mœnia ſcandere, & vi capere urbem niterentur, continuò cives vim repellere, & armorum corporumque objectu propellere boſtem longe à mœnibus. Tum tota urbe trepidatio fuit, clerici per urbem circumferre ſanctorum reliquias, per eaque præſertim loca, ubi acrior erat oppugnatio. Ita ſanctæ Genovefæ feretrum circum mœnia perlatum eſt, ſimiliter ſancti Germani corpus devexerunt in locum nbi periculum gravius erat, & ardebat ſæviot pugna.

Omnibus en Germanus adeſt recolendus in orbe,
Corpore ſubſidioque ſimul, nil vota moratus,
Quo majora tenebantur certamina Martis,
Signiferoſque Danûm lucrari à morte coegit &c.

III. Cumque poſtea turri ſuppoſitus fuiſſet ignis, & Nortmanni ſibi hâc iter ad capiendam urbem facerent, tum oppoſito ligno ſanctæ crucis, quod & illuc deportatum eſt, ad ferendum noſtris auxilium, ſubito flamma concidit, & ignis penitus extinctus eſt, & Dani onnſti ſuorum cadaveribus, relicta oppugnatione abierunt, neque amplius pugna fuit. Noſtri egregie defenſa urbe ſancti Germani reliquias detulerunt ad baſilicam ſancti Stephani.

Hæc virtute crucis ſanctæ victoria noſtris
Ceditur, & meritis Germani antiſtitis almi,
Quem revehunt ad baſilicam Stephani quoque teſtis,
Gaudentes populi, præcelſa voce boantes.
Voce Deum te laudamus, Dominumque fatemur.

IV. Hæc baſilica ſancti Stepbani ciſmurana fuit, non ſuburbana, quomodo enim cives, qui in defendenda urbe vires & conatus tota die impenderant, qui ab oppugnatione Nortmannos poſt multas uſquequaque pugnas tamdem expulerant, eo ipſo tempore, quo ab oppugnatione diſceſſum eſt, nondum ſedato pugnandi æſtu, extra portas progredi, & baſilicam ſuburbanam boſtibus apertam petere potuerunt, ut ſancti Germani reliquias in ea reponerent. Immo, quod tutò & facilè fieri poterat, itum eſt ad baſilicam ciſmuranam, quæ & ſancti Stephani teſtis ſeu martyris dicebatur. Si vis noſſe quæ fuerit hæc eccleſia, paucis auſculta. Illa, uti dictum eſt, juxta majorem eccleſiam ædificata erat in loco Parviſii eccleſiæ è regione noſocomii, & tempore Ludovici ſexti, cum olim alia ſancti Stepbani baſilica ad auſtralem plagam fuiſſet erecta, illa vetus baſilica ſancti Stepbani dicta eſt, babetur ſcilicet charta in parvo Paſtorali Eccleſiæ Pariſienſis, ex qua intelliges, quæ diximus. Hanc tibi ſubjicimus.

V. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Quoniam immenſis adverſitatum procellis multis modis exactionum generibus ſancta Dei Eccleſia frequenter concutitur, nos quidem ſpecialiter, quos Deus aliis voluit præeſſe, & prodeſſe, ipſis meis periculis opponere debemus, ut quod aut negligentia com-*

miſſum, aut inordinate præſumptum fuerit, in meliorem ſtatum Deo juvante reformantes, Eccleſiam Dei ex tantis curarum fluctibus ad tranquillitatis portum valeamus perducere, & ſervitium Dei, cui ſervire regnare eſt, liberum & quietum omnino efficere. Volumus itaque viaturam quamdam à Pariſienſibus Epiſcopis antiquitus poſſeſſam, ſed noſtris temporibus temere à quibuſdam uſurpatam præſenti ſcripto determinare, & certis eam limitibus ac terminis diſtinguere, ut jus ſuum ex integro Pariſienſis obtineat eccleſia, ac de cetero totius altercationis ſopiatur moleſtia. Terra igitur illa, quæ incipit à porta clauſtri beatæ Mariæ, ab illa ſcilicet porta, quæ proxima eſt domibus Stephani Archidiaconi, illa inquam terra à ſiniſtro exiſtens latere, ſicut publica diſtinquit via, uſque ad domum Anſoldi, & ab illa domo lineatim uſque ad caput eccleſiæ ſancti Chriſtophori, & à capite illo uſque ad muros veteris eccleſiæ ſancti Stephani, tota, inquam, terra illa cum ædificiis, quemadmodum à prædicta circumcingitur & clauditur via undique, uſque ad muros clauſtri beatæ Mariæ ſub poteſtate Pariſienſis Epiſcopi, & viatura tantummodo illius jure antiquitatis exiſtit. Ita ſcilicet, quod ſi aliquis, in tota terra illa, quicquam foris-fecerit, quod ad viaturam pertineat, remota omnino Regis poteſtate, Epiſcopo tantum, aut his qui per Epiſcopum tenent, debet emendari. Ad removendum etiam totius ambiguitatis ſcrupulum conſuetudines viarum, quæ in prædicta terra continentur diſtincte & aperte volumus explanare, ut cognita veritate, quaſi quodam rationis fræno uſurpantium violontia refrænetur. In omnibus ergo viis, quæ ſunt intra ſupradictam terram, ſi quis viaturam infregerit, nulli dubium eſt, ad ſolum epiſcopum pertinere. Banleugam vero tam in viis, quam in prædicta terra ſiquis infregerit, quamvis tam ad Regem, quam ad Epiſcopum foris-factura illa pertineat, tamen ſi Regi cauſam illam audire placuerit, & Epiſcopo mandaverit; Epiſcopus audito Regis mandato placitum illud ante Regem convocabit, ibique Rege præſente cauſa tractabitur. Rege vero abſente coram Epiſcopo definietur. Sciendum eſt quia ſpatium illud, quod eſt infra portas veteris eccleſiæ, ſicut totus interior murorum ambitus continet, ſub jure eſt Epiſcopi. Quemadmodum nova eccleſia à Regis poteſtate omnino excluſa eſt. Spatium vero illud, quod eſt à capite fracti muri veteris eccleſiæ uſque ad Sequanam, tranſeundo ſcilicet ante curiam Epiſcopi, hinc & inde eſt viatura ejuſdem Epiſcopi, banleuga vero ad ſimilitudinem ſupradictæ terræ ante Regem tractari debet & emendari. Notandum quidem eſt, quia ſpatium iſtud, & prædicta terra illam habent banleugæ conſuetudinem, quæ eſt in burgo ſancti Germani, qui ad Epiſcopum pertinet. Solebant propterea Pariſienſes Epiſcopi ex antiquo eccleſiaſticæ conſuetudinis uſu tam ſuos, quam ſuarum eccleſiarum ſervos, vel ancillas, ſancti ſcilicet Germani Pariſienſis, ſancti Marcelli, ſancti Clodoaldi, ſancti Martini de campellis abſque ullo Regis aſſenſu, abſque ulla Regis calumnia vinculis ſervitutis omnino abſolvere, & privilegio libertatis eos honorare. Ego igitur Ludovicus Dei gratia Francorum Rex Eccleſiarum conſuetudines, quas pro lege debent venerari, non ſolum non violare: ſed ab aliorum violentia eas defendere, dignum & neceſſarium æſtimans, ſupra memoratam illius terræ viariam & locorum ſpatiis, & metarum terminis diſtinximus, ſervata quam diximus viarum vetuſta conſuetudine, ſervata etiam in omnibus Epiſcoporum antiqua dignitate & poteſtate Galoni venerando Pariſiorum Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus irrefragabiliter habendam, & perpetuò poſſidendam concedo. Ita ſcilicet, ut præfatam viaturam cum prædictis conſuetudinibus tam ipſe, quam ſucceſſores ipſius abſque ulla retractatione, ſicut determinatum eſt de cetero poſſideant, & ſervos ſancti Germani & ceterarum, quas prælibavimus eccleſiarum, omnes inquam, tam ſuos, quam ſuarum eccleſiarum ſervos vel ancillas manumittendi licentiam habeant, & in illa manumiſſione Regis aſſenſum nullatenus expectantes, plenam & perfectam poteſtatem exerceant &c. Nomina vero procerum noſtrorum, qui huic inſtituto aſſenſum præbuerunt, huic chartæ inſeruimus eamque ſigillo noſtræ majeſtatis corroboravimus, aſtantibus de palatio noſtro quorum nomina ſubſcripta ſunt & ſigna. Signum Anſelli de Garlanda dapiferi noſtri. Signum Hugonis Conſtabularii. Signum Giſleberti de Garlanda Buticularii. Signum Guidonis Camerarii noſtri. Hæc charta ſcripta eſt à Ludovico ſexto, cui Regis miniſtri ſubſcripſerunt. Quæ vero vetus illa ſancti Stephani eccleſia eſt? niſi ea, in quam tempore obſidionis Pariſiorum tranſlatæ ſunt reliquiæ ſancti Germani,

LIB IX CAP. IV. uhi habitum eſt Concilium. Anno DCCCCXXIX. & de qua in antiquiſſimis chartis ſermo eſt, quæ quo in loco fuerit ex hac charta facile addiſcas.

VI. Sed quoniam in ipſa eadem charta de eccleſia ſancti Chriſtophori mentio eſt, & ea proxima baſilicæ majori eſt, paucis de ea quoque mihi dicendum eſt. Hanc eccleſiam veterem eſſe & domus hoſpitalis ſeu noſocomii oratorium, & eccleſiam fuiſſe charta teſtatur, huc vero ſtatis diehus canonici heatæ Mariæ ire conſueverant, ut pro ſua ſingulari pietate pedes pauperum lavarent, cujus rei meminit eadem, quam diximus datam canonicis beatæ Mariæ chartam, quam olim integram retulimns ex parvo paſtorali, in ea hæc verba leguntur. *Decima quoque earumdem villarum, id eſt de indominicato tantum detur ad integrum ad illud hoſpitale pauperum, quod eſt apud memoriam beati Chriſtophori, ubi fratres tempore ſtatuto pedes pauperum lavandi gratia confluunt &c.* Jam igitur tempore Caroli-magni, quo pontificatum iniit Inchadus, erat eccleſia, ſeu ut præceptum Inchadi dicit, memoria ſancti Chriſtophori, quæ proxima erat baſilicæ ſanctæ Mariæ, ut ex charta Ludovici ſexti, quam ſupra retulimus, manifeſtum eſt, hahet enim hæc verba. *Illa, inquam terra à ſiniſtro exiſtente latere, ſicut publica diſtinguit via, uſque ad domum Anſoldi, & ab illa domo lineatim uſque ad caput eccleſiæ ſancti Chriſtophori.* Ejuſdem domus hoſpitalis ſancti Chriſtophori meminit necrologium vetus beatæ Mariæ. *Pridie Idus Septembris de domo ſanctæ Mariæ Raynaldus præſul & Elyzabeth mater ejus, qui dederunt Liricantum. Idem etiam Raynaldus dedit nobis medietatem hoſpitalis ſancti Chriſtophori, quæ erat Epiſcoporum propria.* Et in archivis eccleſiæ Pariſienſis habetur charta, qua anno MIC. Guilelmus Epiſcopus Pariſienſis eccleſiam heari Chriſtophori martyris canonicis beatæ Mariæ conceſſit. *Ego igitur Guilelmus Dei miſericordia Pariſiorum Epiſcopus ante mentis oculos diem illum reducens, & periculum animæ meæ accuſante conſcientia metuens, canonicis beatæ Dei genitricis Mariæ quamdam eccleſiam infra muros civitatis Pariſius ſitam, & in honore beati Chriſtophori martyris Deo conſecratam, precibus noſtrorum amicorum, & aſſenſu domini Vulgrini ejuſdem civitatis archidiaconi liberam, & quietam epiſcopali auctoritate concedimus, & quidquid in ea juris obtinuimus perpetuò eis habendum donamus. Actum Pariſius in capitulo ſanctæ Mariæ anno ab incarnatione MIC. regnante Philippo Rege anno XXXVIII. Guilelmi vero Epiſcopi anno I. ſignum Guilelmi Epiſcopi. Signum Fulconis Decani. Signum Gualteri præcentoris. Signum Vulgrini archidiaconi, & aliorum. Amelinus Cancellarius ſcripſit.* Hæc ex majore Paſtorali deſcripta eſt. Huic eccleſiæ duo addicti fuerant presbyteri, & utrique curam pauperum hahehant, & per vices alter eorum per hehdomadam eccleſiæ ſancti Chriſtophori miniſtrabat, iique à capitulo inſtituehantur. *Duo presbyteri ſancti Chriſtophori inſtituuntur à capitulo,* inquit quædam charta majoris Paſtoralis, *& habent curam pauperum hoſpitalis beatæ Mariæ. Iurant quoque fidelitatem & obedientiam capitulo. Debent etiam eccleſiæ ſuæ ſervire viciſſim. Vnus ſcilicet in una ſeptimana, & reliquus in altera. Ita quod uno deſerviente in eccleſia ſancti Chriſtophori, alter tenetur in eccleſia beatæ Mariæ quotidianis intereſſe officiis, & etiam ille idem, cum ei vacaverit.* Hæc de ſancto Chriſtophoro, quæ ex variis locis collegimus. Aliæ duæ ſunt eccleſiæ intra ſepta eccleſiæ majoris, eccleſia ſancti Joannis rotundi, & eccleſia ſancti Dionyſii de paſſu: de hac jam dictum eſt in principio hujus operis, & amplius poſtea referetur, de altera ſuo loco à nohis dicetur. Poſtquam ea de antiquitate majoris eccleſiæ expoſita ſunt, juvat & adjicere pauca de canonicis illius Eccleſiæ.

VII. Suh Pippini Regis principatn, quod aliàs à nobis annotatum eſt, Chrodegangus Epiſcopus Mettenſis ad reſtituendam diſciplinam eccleſiæ, quæ ſuperiori ætate collapſa fuerat, diſperſos clericos in unum colligere ſtatuit, & ita traditis vitæ regularis præceptis ad honeſtatem morum & ſanctioris vitæ diſciplinam eos informare, iique, quos in unum congregaverat collegium canonici dicti ſunt, quod iis facultatibus alerentur, quæ olim deſtinatæ ſtipendiis clericorum, qui canoni & albo eccleſiarum inſcripti erant, ſeu, quod poſtea magis receptum eſt, quod ex canonum inſtitutis vitam ordinarent. Permulti deinde Pontifices

hanc

hanc reſtituendi cleri rationem æmulari ſtuduerunt, quod diximus; eam quoque ordinandi cleri formam præcipuè imitati ſunt Pariſienſes Epiſcopi, ex clericis enim congregationem inſtituerunt, ut ſimul iiſdem regulis & communi menſa veſcerentur. Clerici Eccleſiæ Pariſienſis jam olim præclaris vitæ eccleſiaſticæ documentis bene inſtituti fuerant, ex quo beatus Germanus Pontifex eos congregatos tum factis, tum dictis edocuit. Fortunatus presbyter inſignis illorum temporum poëta & poſtea Pictavenſis Epiſcopus egregio carmine clerum Pariſienſem id temporis celebravit: celebrati quoque ex clero Pariſienſi Archidiaconi, qui pietate, religione, præclaris factis, & eccleſiaſticis honoribus floruerunt, inter quos clarus maximè Berthramnus, qui primùm diſcipulus ſancti Germani & clericus eccleſiæ Pariſienſis, tum ejuſdem Eccleſiæ archidiaconus: demum ad Cenomanenſem cathedram evocatus virtutibus inſignis fuit. Aëtius ejuſdem loci archidiaconus, qui cauſam Pretextati Archiepiſcopi Rotomagenſis in baſilica ſancti Petri frequenti Synodo defendit. Et Blidegeſilus pariter ejuſdem parrochiæ eumdem atque ille archidiaconatus honorem conſecutus Foſſatenſe inſtituit monaſterium & redditibus dotavit. Ita olim Eccleſia Pariſienſis ſuorum clericorum magnis virtutibus illuxit. Poſtmodum inducta à Chrodegango in Mettenſem Eccleſiam canonicorum congregatione, Pariſiis ſimiliter cœpta eſt eorumdem canonicorum ſocietas ſub auſpiciis Pariſienſium Pontificum. Quæ quo tempore primùm in hac eccleſia inſtituta? Quo Rege, quo Pontifice primùm celebrati Pariſienſes canonici? haud polliceor me certò dicturum. Aliàs dictum eſt canonicorum cœtum à Chrodegango, qui ſub Pippino Rege vixit, duxiſſe originem. Verùm ſub ejus principatu Pariſiis extitiſſe canonicos non comperi, neque ullis documentis adduci me poſſe arbitror, ut credam initia canonicorum tempore Caroli-magni, atque Pontificatum Erchanradi ſenioris præceſſiſſe. Jam ſub Inchado Pontifice, in baſilica ſanctæ Mariæ extitiſſe canonicos certa memoria eſt, & indubitatis teſtata monumentis. Hic aurea Caroli-magni ætate iniit epiſcopatum, & anno, uti memoratum eſt, DCCCXI. Certè notandum eſt, quod Epiſcopi, qui congregationem ex canonicis in majoribus baſilicis fecerant, iis alimoniam ſufficerent ex reditibus eccleſiæ. Verùm poſtea in pleriſque eccleſiis Pontifices quandam portionem ex fundis & poſſeſſionibus facta inter eos bonorum diviſione ſubminiſtrarunt. Hanc verò factam cum canonicis eccleſiæ Pariſienſis ab Inchado fuiſſe bonorum partitionem edito ex tabulariis eccleſiæ Pariſienſis inſtrumento oſtendimus. Idque actum fuiſſe anno DCCCXXIX. retulimus. Ex ea intelligimus canonicos jam antea inſtitutos, loquitur enim de iis, non ut modò aggregatis, ſed priùs in cœtum coactis, *petierunt*, inquit, *à noſtra exiguitate fratres ſanctæ matris eccleſiæ, cui miſerante Deo deſervimus*. Cetera deinde, quæ in eadem charta continentur demonſtrant jam antea in congregationem coaluiſſe, quos dicit ſolitos fuiſſe ſtatuto tempore ad memoriam ſancti Chriſtophori confluere, ut pedes pauperum lavarent. Fratrum verò nomine intelligi canonicos charta Caroli-calvi data Erchanrado juniori demonſtrat, diſertis enim verbis eoſdem fratres canonicos vocat. *Idcirco notum eſſe volumus*, inquit, *omnibus ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, ac noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quia vir venerabilis Erchenradus Pariſienſis eccleſiæ Epiſcopus noſtræ innotuit ſerenitati, quod pro Dei omnipotentis amore, & futuro ejuſdem congregationis cavendo periculo, ne aliqua ſucceſſorum ſuorum negligentia, aut parcitate ordo in eâ futuris temporibus perturbaretur canonicus, quaſdam villas anteceſſor Ynchadus ejuſdem ſedis quondam Epiſcopus, fratribus per privilegium Epiſcoporum manibus roboratum, ſpecialiter futuris temporibus neceſſitatibus canonicorum ibidem Deo famulantium deſerviendas conſtituiſſet atque deputaſſet, unde debita ſtipendia habere debeant.* Ex his igitur notum eſt canonicis ipſis factam ab Inchado bonorum diſtributionem, qui cum jam antea coaluiſſent in congregationem, oportet eos habuiſſe exordium jam à principatu Caroli-magni. Quo tempore, quove anno cœpta canonicorum congregatio ſit, haud dixero. Si tamen conjecturæ locus ſit, facilè mihi perſuadebo initia canonicorum Pariſienſium fuiſſe ab epiſcopatu Erchanradi majoris, & ut id aſſeram, facit charta Inchadi de partitione bonorum LIB. IX. CAP. IV.

LIB. IX. CAP. IV. facta canonicis anno DCCCXXIX. ubi ſermo eſt de canonicis jam in unam congregationem coalitis, qui quaſdam conſuetudines jam obſervabant, ex quibus argumentis adducor, ut ante Inchadum exordium canonicorum fuiſſe exiſtimem: cum vero Epiſcopi Ermanfredi, qui immediatè Inchadum præceſſit nulla propè in actis Eccleſiæ Pariſienſis memoria ſit, & aliunde ex actis publicis conſtet Erchanradi majoris ſub Carolo-magno celebratam memoriam, & eum Eccleſiæ Pariſienſis conſervandæ ſedulam dediſſe operam, credo & ab ejus pontificatu inſtitutionem canonicorum habuiſſe originem. Neque quis me redarguat, quod partitio bonorum ab Inchado canonicis facta ſit, cum conſtet, non ſtatim poſt inſtitutos canonicos in ſingulis eccleſiis poſſeſſionum & fundorum diſtributionem ab Epiſcopis habitam eſſe: ſed paulo poſt, cum antea tantummodo veſcerentur ex portionibus, quæ ſportulis & ſtipendiis aliquot clericorum tribuebantur. Canonici Eccleſiæ Pariſienſis ſub præpoſiti, ſeu magis ſub Decani regimine degebant, quod & regiæ chartæ, & perpetua Decanorum ſucceſſio ad nos uſque propagata oſtendit. Canonici in ſuis eccleſiæ Pariſienſis ædibus manebant, in unoque triclinio, ſeu ut vocant refectorio, menſam communem habebant, quod ex multis locis poſtea probabimus, eaque communis menſa diu permanſit. Singulis diebus laudibus Deo in eccleſia publicè concinendis vacabant, & ſtatis horis preces, ſeu horas, quas vocant canonicas cantabant. Pietatis & caritatis officiis ſeſe invicem ad virtutem provocabant. His inprimis conſuetum erat externos canonicos, & ipſos monachos hoſpitio recipere: annotatum eſt ſuperius eos ſtatis diebus ad publicum ſancti Chriſtophori noſocomium ire ſolitos, ut pedes pauperum lavarent. Septis unius clauſtri canonici omnes continebantur, ægre quemquam ex laicis intra ea ſepta noctu commorari ſinebant, niſi ex eccleſiæ, aut ex ſuis eſſent miniſtris, ut ex his, quæ poſtea memorabimus notum erit. Plura deinceps ad commendationem illius eccleſiæ & canonicorum referemus, eaque ex publicis decerpta monimentis. Hæc ſummatim ex his, quæ ſparſim diſtributa collegimus. Sæpius Epiſcopis comites & adjutores fuerunt, quando iis contigit ſanctius aliquod opus peragere. Erchanrado adfuerunt in tranſlatione corporis ſanctæ Bathildis. Æneam comitati ſunt feretrum ſancti Mauri ad Foſſatenſem baſilicam humeris deferentem, & publicis negotiis impedito Gozlino ipſi ſancti Mederici corpus ex humo eductum tranſtulerunt in locum honorificentiorem, & cum corpus ſancti Germani alio tranſlatum eſt, ipſi redeunti cum Ænea pontifice occurrerunt, & ſancto ſuæ Eccleſiæ Pontifici reditum piè gratulati ſunt. Sed ea aliaque ſupra retulimus.

VIII. Jam verò qui Epiſcopi ſub Carolinorum Regum principatu Eccleſiæ Pariſienſi præpoſiti ſunt, Erchanradus ſenior canonicos inſtituit, Inchadus præter plures Synodos, quibus interfuit, celebratiſſimo inprimis adfuit Concilio, ubi diſciplina egregiè reſtituta eſt, præclaraque ſancita præcepta ad vitam bene inſtituendam, reformandos mores, & Imperatori ſanctiora tradita ſunt conſilia ad rempublicam rectè ordinandam. Ipſe eſt Inchadus, qui vel oculis orbatus diſciplinam regularem cum aliis Epiſcopis in monaſterio Dionyſiano reſtituit. Erchanradi junioris præclara quoque mentio eſt in actis antiquis, ut amplius antea memoratum eſt. Ille in ſancti Dionyſii baſilica, & poſtea Mettis Ludovici piiſſimi Principis reſtitutionem & præſentia & calculo approbavit. Ille in Aquiſgranenſi Synodo canonicorum, & monachorum mores ſanctiſſimis munivit documentis: ille nomine Synodi ad Pippinum Regem Aquitaniæ delegatus eſt, & commonitorium Epiſcoporum ad eum detulit, quo nihil honorificentius Erchanrado accidere potuit, quàm à celeberrimo cœtu ad hanc legationem deligi. Sed cujus eſſet prudentiæ Ludovicus oſtendit, cùm eum judicem cum aliis epiſcopis & optimatibus in cauſa Aldrici Cenomanenſium Epiſcopi & Aniſolenſium monachorum eſſe voluit. Sed cujus fidei fuerit non modò erga Ludovicum-auguſtum, ſed etiam in Carolum-calvum palam oſtendit; dum enim Gerardi Comitis, & Hilduini Abbatis in eum dubia eſſet fides, ſtetit interritus, neque in Lotharianas partes malo ſe exemplo rapi paſſus eſt. Multis præterea Synodis & Conciliis interfuit, in quibus & dignitatem

ſui muneris & pontificatus amplitudinem honorificè ſuſtinuit. Quid memorem ejus ſucceſſorem Æneam, quem ſuus metropolitanus, quem comprovinciales Epiſcopi, quem clerus Pariſienſis jam electum laudibus cumularunt, qui fidem & religionem magnis præclariſque operibus teſtatus eſt. Æneas calumnias & convicia Photii docto eruditoque opere retudit. Æneas corpus ſancti Mauri ſuis humeris tulit, & Foſſatenſem eccleſiam inſigni dotavit privilegio. Cum Ludovicus Rex Germaniæ adverſus fratrem Carolum ſuſtuliſſet ſigna, & poſtea regnum ejus invaſiſſet, & tunc temporis optimatum titubaret fides, Æneas infracto ſtetit animo, audaxque nomine plurimorum Pontificum, Ludovicum violati fœderis & fraternæ amicitiæ conculcatæ coràm arguit: & in Concilio apud Saponarias in Epiſcopum ſuæ provinciæ metropolitanum, qui unus ex Epiſcopis invaſioni Ludovici faverat ferre judicium non veritus eſt. In Synodo Sueſſionenſi Vulfadum alioſque Remenſis Eccleſiæ clericos cum aliis Epiſcopis reſtituit, & in Trecenſi Synodo Ebonis dejectionem & ordinationem Hincmari confirmavit. Cumque diſſiderent inter ſe duo Hincmari avunculus Remenſis Archiepiſcopus, & nepos Epiſcopus Laudunenſis, Æneas non modo Synodis adfuit, ſed etiam nepotem avunculo reconciliare plurimùm ſtuduit. His ornatus adjumentis Æneas felicem oppetiit mortem, & ſuæ Eccleſiæ claram ſui reliquit memoriam. Ingeluvinus Pariſienſi cathedræ ſucceſſit, cujus exiſtimationis fuerit Carolus-calvus oſtendit, qui ſollemni conventu eum filii ſui Ludovici-balbi conſiliis præfecit, dum Romam proficiſcitur, quod teſtimonium Imperatoris publicis approbatum comitiis tanti eſt, ut omnem ſuperet laudationem. Quid quod mortuo Hincmaro, cum rumor ſparſus per Galliam eſſet alterum Pontificem à clero ſubrogatum, vel antequam à Rege pro more illorum temporum ad civitatem viſitator mitteretur: clerus Remenſis ad Epiſcopos provinciales de ea re ſcribit, idque falſum eſſe renunciat, quod inprimis notum eſſe vult Hugoni Abbati, & Ingeluvino Epiſcopo Pariſienſi. Quid ita hoc ſciri ab utriſque cupit? quoniam uterque ſumma apud Principem valebat auctoritate. Hugonis Abbatis notiſſima eſt poteſtas, ad hujus enim arbitrium totius regni adminiſtratio ſpectabat. Ingeluvinum quoque eadem gratia fuiſſe apud Regem, eaque auctoritate in regno, ex his quæ retulimus, extitiſſe oportet. Neque hìc referam conventus publicos & Synodos Epiſcoporum, quibus Ingeluvinus interfuit, & ubi ſe eccleſiaſticæ diſciplinæ vindicem, & legum morumque noſtrorum tutorem eſſe multis argumentis probavit. Goſlinus poſtea Epiſcopus Pariſienſis fuit, qui qualiſque vir fuerit paucis accipe. Is ex regia ortus familia Abbas ſancti Germani Pratenſis & ſancti Dionyſii & regni Archicancellarius fuit ac demum Epiſcopatum Pariſienſem adeptus eſt: is Nortmannis urbem obſidentibus viriliter obſtitit. Nihil magnificentius in Pontificibus illorum temporum reperias. Anſcherico poſt Goſlini mortem eadem ſedes & par gloria fuit. Is cum Odone Rege Lutetiam ab oppugnatione defendit, & Archicancellarius regni fuit. Immo cùm Odo aliò arma converteret; ipſe Pariſiis non modo Pontificis, ſed & Vicecomitis officium implevit. Sed ne longiùs procedat oratio, eo tempore, quo reipublicæ & ipſius eccleſiæ acta in obſcuro ſunt, Pariſiis neque ignoti neque ignobiles extiterunt Pontifices. His ita expoſitis de Pontificibus Eccleſiæ Pariſienſis, quantùm ex conventibus publicis & ſollemnibus Conciliis ſub Carolina gente Eccleſia Pariſienſis inclaruerit breviter expono. Quo tempore Pippinus rem cœpit gerere, apud Gentiliacum villam regiam parrochiæ Pariſienſis habita illa celeberrima Synodus, ubi primùm in Occidente de proceſſione ſancti Spiritus acta quæſtio eſt, & in Galliis primùm de ſanctarum imaginum cultu diſputatum eſt, de qua controverſia iterum ſub principatu Ludovici-pii Pariſiis conventus magna frequentia celebratus eſt. Sed quid de illo celebri Concilio memorem? quod Ludovicus-pius Pariſiis juſſit fieri, quodque in baſilica ſancti Stephani peractum diximus, cujus acta per partes, ſeu per libros diviſa ſunt, quæque adjecta Conciliorum collectionibus illuſtre redhibent Eccleſiæ Gallicanæ monumentum. Sub Carolo-calvo habitæ quoque Pariſiis Synodi anno DCCCXLVI. ubi perfecta abſolutaque ſunt,

LIB. IX. CAP. IV.

Bbbb ij

LIB. IX. CAP. V. quæ anno ſuperiore Meldis incepta fuerant. Anno pariter ſequenti Pariſios convenerunt Epiſcopi, eorumque judicio Ebbonis cauſa penitùs profligata eſt, & Hincmari ordinatio confirmata. Lutetiæ pariter Pariſiorum de provinciæ Turonenſis Epiſcopis actum eſt adverſus Nomenoium Ducem, qui epiſcopatus minoris Britanniæ creato in ſuis locis metropolitano Epiſcopo à metropoli Turonenſi ſubſtraxerat. Hæc inſignia Pontificum Pariſieuſium & Eccleſiæ Pariſienſis decora ſunt, quæ ſparſim toto opere deſcripta quiſque poſſit inſpicere. Jam de aliis eccleſiæ Pariſienſis baſilicis & monaſteriis ſermonem inſtituamus.

CAPUT V.

De baſilica ſancti Marcelli, ſancti Iuliani martyris, ſancti Mederici, ſancti Gervaſii & Protaſii & aliis eccleſiis, quarum memoria intercidit.

I. QUoniam de baſilicis inſtituta commemoratio eſt; quædam de baſilica ſancti Marcelli oportet adjungere; illa & antiquitate, & ſancti Marcelli ſepulcro veneranda eſt. Antiquam fuiſſe Gregorii Turonenſis teſtimonium probat. Immo aiunt, eam olim à ſancto Dionyſio primò conditam extructamque ſub nomine ſancti Clementis Pontificis. Launoius in diſſertatione de baſilicis exiſtimat diutius eam baſilicam majorem fuiſſe, in eaque primos Chriſtianorum conventus factos eſſe; & ad tempora Childeberti Regis eccleſiam ea prærogativa decoratam; ad probationem hujus rei primùm Fortunati verſus adhibet, quos infrà referemus.

II. Baſilica ſcilicet major primùm, ut ait, extructa eſt extra urbem in vico ſuburbano, ubi erant ſoliti fideles agere ſacras ſynaxes: verùm poſt tempora ſancti Marcelli alia poſtmodùm intra inſulam extructa eſt in honore ſancti Dionyſii, hancque Launoius exiſtimat fuiſſe baſilicam ſancti Dionyſii de paſſu, quam & à Childeberto Rege ait fuiſſe ædificatam. Quod primùm in ſuburbio ſita fuerit eccleſia mater, inde elicit, quoniam in eo loco ſepultus eſt ſanctus Marcellus. *Marcellus*, inquit Gregorius Turonenſis lib. de gloria Confeſſorum cap. LXXXIX. *Pariſiacæ urbis Epiſcopus, qui quondam, ut in ejus vita legitur, ſerpentem immenſum hoc depulit ab opido, & nunc in ipſius civitatis vico quieſcit. Ad cujus tumulum, cum Ragnemodus presbyter, qui nunc ejus municipii habetur ſacerdos, quartano typo veniens decubaſſet, totaque die jejunio & orationi vacaſſet, facto veſpere obdormivit. Expergefactus verò poſt paululum à ſomno, incolumis ſurrexit à tumulo.* Credibile, inquit Launoius, admodum eſt hunc, qui confeſſor exceſſit, ibi ſepultum eſſe, ubi ſacris operari conſueverat, & fideles precibus ac myſteriis vacare: additque eſſe eccleſiam illam ſeniorem, cujus idem auctor poſtea mentionem facit, cap. CV. *Tumulus erat in vico Pariſiorum haud procul à loco, in quo ſenior, ut aiunt, eccleſia nuncupatur, nullo opertus tegmine, ibique ſcriptum habebatur. Hic requieſcit Creſcentia ſacrata Deo puella, ſed nulla ætas recolere poterat, quale fuerat ei meritum, vel quid egiſſet in ſæculo.* Ex his Launoius ſibi perſuadet hunc Creſcentiæ tumulum proximum fuiſſe eccleſiæ ſeniori, id eſt, ut modo vocant, cathedrali; quod Gregorius inſinuat, dum Ragnemodum illius, in quo Marcellus quieſcit, municipii ſacerdotem, id eſt Epiſcopum, appellat. Huc accedit, quod vulgata perſuaſio eſt, hanc ſancti Marcelli eccleſiam eſſe veterem Epiſcopi Pariſienſis ſedem, quæ perſuaſio, dum contrarium aliud nihil occurrit, etiamſi annorum vices & temporum detrimenta ſenſerit, ex prima tamen rei traditione videtur emanaſſe, hæc idem auctor. Etſi Launoius huic opinioni ſtabiliendæ operam ponit, fatetur

tamen hæc duo momenta ejus non eſſe ponderis, ut factum ante oculos conſtituant. Valeſius & plerique alii non ſequuntur ſententiam Launoii, validiſque argumentis ejus opinionem deſtruunt. LIB. IX. CAP. V.

Certum eſſe aiunt in carmine Fortunati, ubi de baſilica ſancti Dionyſii loquitur, non de baſilica Pariſienſi, ſed de quadam baſilica parrochiæ Burdegalenſis haberi ſermonem. Illius auctoris verſus refero. III.

Qui cupis egregii ſtructorem noſcere templi:
Tam pia non patiar vota latère tibi.
Longius hinc olim ſacra cum delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter.
Exiguam dederat hic præſul Amelius arcem,
Chriſticolam populum nec capiente loco.
Quo vita claudente diem, præ lege gradúque
Venit ad hæredem hoc opus atque locus.
Fundavitque piam dehinc Papa Leontius aulam,
Obtulit & Domino ſplendida dona ſuo.
Quam venerandus habet propriam Dionyſius ædem,
Nomine ſub cujus ſanctificata nitet.

Fortun. lib. 2 carm. 11.

In Aquitania Amelius Burdegalenſis Epiſcopus, cum baſilica conventibus faciendis remotior eſſet, & populus huc ire commodè non poſſet, dedit locum eccleſiæ faciendæ. Sed cum iterum locus eſſet anguſtior ad capiendum populum, Leontius antiſtes ejuſdem eccleſiæ, ampliorem baſilicam extruxit, quam ſancti Dionyſii nomine dedicavit. Eam verò non Pariſiis, ut exiſtimat Launoius, ſed in Burdegalenſi parrochia poſitam fuiſſe manifeſtum eſt ex conditore Leontio Burdegalenſi Epiſcopo, & ex aliis Fortunati verſibus, quibus eodem in loco Leontium laudat ob plures baſilicas, quas Epiſcopus Aquitanus in Aquitania extruxerat. Ita ille in pago Burdegalenſi fecit baſilicam ſancti Martini, eodem modo baſilicam ſancti Vincentii Vernemetis extruxit in eodem pago, & baſilicam ſancti Nazarii, baſilicam ſancti Bibiani & ſancti Eutropii, quæ eccleſiæ cum ſint in Aquitania, non eſt cur dicas baſilicam ſancti Dionyſii Pariſiis fuiſſe, ſed in Aquitania, ubi alias condidit. Certè non omiſiſſet id in verſibus annotare Fortunatus, qui Leontium laudat ob eccleſiam apud Sanctonas extructam. Quod verò ſanctus Marcellus in eo loco fuerit ſepultus, non ideo inferas illam eccleſiam tempore Marcelli Pontificis majorem fuiſſe baſilicam, quemadmodum nec eccleſiam ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli majorem eccleſiam fuiſſe nuſquam dixeris, etſi ſepultus in ea eſt olim Prudentius Epiſcopus Pariſienſis. Neque eccleſiam ſancti Vincentii matrem eccleſiam appellaveris, quoniam ſanctus Germanus Pariſienſis Epiſcopus in ea pariter ſepultus eſt: non igitur credibile eſt ſanctum Marcellum ibi ſepultum eſſe, ubi ſacra peragere conſueverat, ſed magis ibi eum in tumulo poſitum fuiſſe, ubi corpora fidelium humo mandari conſueverant. Neque dubito, quin his in locis Chriſtianorum cœmeterium fuerit; nam & veteres Chriſtiani ſepulchreta extra urbium ambitum habebant. His in locis fuiſſe antiquitus cœmeterium oſtendunt ſepulcra vetuſta ex lapide cavato, aut ex gypſo, quæ ſæpius ex his locis effodiuntur, & eruuntur quotidie. Quod verò narrat Gregorius de Creſcentia virgine, quam in vico memorat ſepultam fuiſſe haud procul à loco, in quo habebatur ſenior eccleſia. Quid Gregorius, & quem locum, & quam eccleſiam denotet, dici non poteſt, cum id nemo ex verbis Gregorii vel conjectura aſſequi poſſit & nulla illius ſuperſit memoria. Seniorem porro illam eccleſiam dici aſſeram, quod illa ratione alterius ſenior & primaria fuerit. Sed hîc referam verba viri rerum noſtrarum ſcientiſſimi, qui hoc argumentum adverſus Launoium doctè pertractavit. *An igitur*, inquit, *aut quomodo eccleſiam ſuam, in vico ſuburbano habuere Pariſiaci, etiam à Conſtantini maximi ortu uſque ad annum DXXX? An, inquam, credibile eſt Pariſiacos per annos amplius ducentos libera ac florente religione Chriſtiana nullam intra muros eccleſiam habuiſſe? cum ætate Germani Autiſſiodorenſis Nemetodorenſibus vicanis in agro Pariſiaco ſua eſſet eccleſia; & cum exempli cauſa*

in plerisque vicis Turonum nimirum in xxi. ante Chlodovei Regis Francorum principatum ædificatæ eſſent eccleſiæ. Deinde baſilica ſancti Marcelli abeſt à civitate inſulave Pariſiorum Lutetia duo circiter paſſuum millia, & Pariſiacos jam ſub Prudentio, Marcelloque Epiſcopis omnes Chriſtianos extitiſſe, apertè indicat Fortunatus in libello de vita ſancti Marcelli. Quis ergo præter Launoium credat eos in pace Eccleſiæ ſingulis dominicis, & feſtis diebus ad miſſas audiendas civitate exceſſiſſe cum conjugibus & liberis, & in vicum ſuburbanum, ab inſula ſua adeo remotum, per æſtus & frigora, per imbres procellaſque ventitaſſe? quod facere ipſos oportuit, ſi nullam intra muros habebant eccleſiam. Cur autem non habuiſſent, cum nemo eos habere vetaret? aut cur commoditati ſuæ non conſuluiſſent nova extructione baſilicæ, cum regnantibus chriſtianis Principibus, tam liceret Pariſiacis domi eccleſiam ædificare, quàm foris: tam liberum eſſet intra mœnia civitatis, quàm procul à mœnibus convenire; adde, quod non animadvertit Launoius, dum tamdiu in ſuburbano vico civitatis noſtram ponit eccleſiam, ſe ex Epiſcopis urbis noſtræ vicanos quodammodo presbyteros, facere, quales vulgò presbyteri ruris, aut agrorum vocabantur. Quid quod & major Pariſiorum eccleſia ætate Prudentis ac Marcelli Epiſcoporum poſita erat ad ripam fluminis Sequanæ, in quo ipſo videlicet nunc eſt loco: quippe ſi qua Fortunato fides habetur, Marcellus ſubdiaconus die Epiphaniorum hauſit aquam de fluvio Sequana, quam Prudentio Epiſcopo miſſam celebraturo, ad manus abluendas offerret. Quod citò, ut debuit, facere non potuit, ni proximum eccleſiæ ac præterfluentem Sequanam habuiſſet. At baſilica ſancti Marcelli diſtat à Sequana paſſibus plus minus octingentis. Et videri quidem poſſit Marcellus conditor baſilicæ, quæ ab ipſius tumulo cognominata eſt ſancti Marcelli. Crediderim tamen potiùs multò poſt obitum magni Epiſcopi ob miracula atque virtutes ſepulcro ejus eſſe circumdatam. Nihil enim Gregorius ceterique veteres hiſtorici de ea ſcripſerunt: nec Launoius demonſtrare valet, ante Chlodovei regnum, aut ſub Chlodoveo ejuſque liberis ac nepotibus & pronepotibus ullam ibi baſilicam fuiſſe, ita ut non potuerit eſſe major Pariſiorum eccleſia, ſi ne tum quidem fuit, &c.

V. Quidquid fuerit, certum eſt baſilicam ſancti Marcelli antiquam eſſe, & ſub priore Regum Francorum familia, jam fuiſſe ædificatam, celebratamque ob ſigna & virtutes, quæ ad tumulum ſancti Marcelli fiebant. Exiſtimo vel ante obitum ſancti Marcelli ibi fuiſſe oratorium, quemadmodum in cœmeteriis antiquitus fideles illud extruere ſolebant, cui presbyter ab Epiſcopo præficiebatur: divulgata deinde ſanctitate Marcelli Pontificis, in eo loco extructam eſſe eccleſiam. Scribit Breulius jam à tempore Caroli-magni inſtitutus in ea baſilica canonicos à Rotlando Comite, additque ab eo novam conſtructam eccleſian ſuper cryptam, ubi habebatur tumulus ſancti Marcelli, & ubi oratorium vetus erat, Deoque ſub titulo ſancti Clementis dedicatum, & dotationem longè à Carolo-magno amplificatam. Ex eo tempore baſilica ſancti Marcelli dicta eſt, & collegium canonicorum magnis honoribus & prærogativis decoratum eſt. Collegium habet duodecim canonicos, quibus Decanus præpoſitus eſt, habet plures capellanos: præterea collegii juriſdictio temporalis late patet, neque ſolum in ſuburbana loca, ſed intra urbis pomerium in aliquot vicos intramuranos ſeſe diffundit: & latè per rura in plurimas villas & vicos extramuranos extenditur. De illa eccleſia plura dicemus aliàs. Antequam tamen ultrà progrediar, ecce tibi diploma Adriani iv. Papæ, ex quo maximè diſces, quæ ſint hujus eccleſiæ prærogativæ.

VI. *Adrianus Epiſcopus ſervus ſervorum. Dilectis filiis Guidoni Decano eccleſiæ ſancti Marcelli Pariſienſis, ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris canonicè inſtituendis in perpetuum. Effectum juſta poſtulantibus indulgere & vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præſertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat & veritas non relinquit. Quocirca dilecti filii noſtri Thomæ, canonici veſtri precibus inclinati, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus: ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona tam in vineis, quàm in terris cultis vel incultis, paſcuis, pratis & aquis eadem eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum,*

largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Burgum videlicet, in quo ipſa eccleſia ſita eſt, cum omnibus appendiciis ſuis, curiam de Canſilo cum pertinentiis ſuis, & villam Callonei tum pertinentiis ſuis, quidquid habetis in villa de Miſeri, quidquid habetis in territorio de Vitherlo, & quidquid habetis in territorio de villa Iudæa. Terram quam habetis in terriſorio de Bertholdi curte, terram quam habetis in territor o de Caſtreio, & terram quam habetis in territorio de Chezy, eccleſiam ſancti Petri de Iury cum cimiterio, eccleſiam ſanctorum Gervaſii & Prothaſii de Vitry, cum cimiterio & decimis ad ipſam pertinentibus, eccleſiam de Piroi cum cimiterio & decimis ad ipſam pertinentibus, & capellam de Santrio, eccleſiam de Aſneriis, cum cimiterio & decimis ad ipſam pertinentibus, & eccleſiam de Charenton, cum cimiterio & decimis ſuis atque terris, quas ibidem habetis. Statuimus inſuper, ut ſecundum antiquam & rationabilem eccleſiæ veſtræ conſuetudinem libere vobis liceat Decanum eligere, qui aſſidue debeat eccleſiæ deſervire. Clerici quoque ipſius eccleſiæ, qui ad ordines fuerint promovendi per Decanum ejuſdem eccleſiæ Epiſcopo præſententur. Præterea omnes illas libertaees, & priſcas ac rationabiles conſuetudines, quas infra ambitum clauſtri veſtri, aut in Burgo, in quo ipſa eccleſia ſita eſt, ſeu in villis & poſſeſſionibus veſtris, vel in capellis ipſius Burgi, videlicet ſancti Martini & ſancti Hipoliti, & in capella ſancti Hilarii de monte, quas hactenus canonice habuiſtis, vobis auctoritate apoſtolica confirmamus. Nulli etiam liceat in parrochiis præfatæ eccleſiæ, niſi cum veſtro & Epiſcopi veſtri aſſenſu eccleſiam ædificare, neque alicui licitum ſie ſervos ejuſdem eccleſiæ ab utilitaste & ſervitio veſtro vobis invitis ſubtrahere vel auferre. In parrochialibus vero eccleſiis, quas tenetis, liceat vobis libere ſecundum antiquam inſtitutionem eccleſiæ veſtræ, ſicut hactenus feciſtis, ſacerdotes eligere, & Epiſcopo præſentare, quibus, ſi idonei inventi fuerint, Epiſcopus curam animarum committat, & vobis quidem de temporalibus, Epiſcopo verò de ſpiritualibus iidem ſacerdotes debeant reſpondere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione aut ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate, & Pariſienſis Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, niſi præſumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat; cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æterna pacis inveniant. Amen. Signatum, ego Adrianus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Et in calce ſcripta ſunt quamplurima nomina & ſigna Cardinalium & aliorum. Datum Sutrii per manum Rolandi S. R. E. presb. Card. & Cancellarii VII. Calend. Iuli Indict. VI. Incarnat. Dom. anno MCLVIII. pontificatus vero dom. Adriani IV. Papæ anno IV. & ſigillatum in plumbo.

LIB. IX. CAP. V.

Antiqua eſt & vetus eccleſia Pariſiis ſancti Juliani martyris, is Viennæ ortus ſancti Ferreoli Viennenſis martyris comes fuit: deflagrante Diocletiani perſecutione, ſub qua ſanctus Ferreolus Viennæ martyrio defunctus eſt, ad Arvernos abiit, ſed cum perſecutio. & his in locis exarſiſſet, ille ſub militari habitu Chriſtianum agens capite abſciſſo pro Chriſto martyrium fecit in vico Arvernorum, cui nomen Brivas, ubi ejus ſepulcrum exinde ſignis & virtutibus inſigne fuit. Clara poſtea ejus memoria non ſolum apud Arvernos, ſed & per omnes Galliæ provincias, pluribuſque in locis ſub titulo & nomine ſancti Martyris Deo dicatæ eccleſiæ ſunt. Quin etiam Lutetiæ Pariſiorum ſub ejus nomine ædificata eccleſia eſt, ad auſtralem partem urbis, quæ etiamnum appellatur eccleſia ſancti Juliani pauperis, cujus mentio eſt apud Gregorium Turonenſem, primùm illius me- VII.

LIB IX. CAP. V. minit, lib. VI. cap. XVII. his verbis. *Cumque die ſabbati Priſcus Iudæus præcinctus orario nullum in manus ferens ferramentum, Moſaicas leges quaſi impleturus ſecretiora competeret: ſubitò Phatir adveniens, ipſum gladio cum ſociis, qui aderant, jugulavit. Quibus interfectis ad baſilicam ſancti Iuliani cum pueris ſuis, qui ad propinquam plateam erant, confugit.* Ex his colligitur, ut Valeſſius optime annotavit, baſilicam ſancti Juliani vicinam fuiſſe Synagogæ Judæorum. Cum ille Phatir, qui Priſcum Moſaicas leges enarraturum interfecit, nullum habuerit locum propiorem quò confugeret, & ubi loci religione ſibi & vitæ conſuleret: fuiſſe quidem circa hæc loca Synagogam haud dubium eſt. Et fortè fuit illa Synagoga, quam Philippus Auguſtus dedit Mauritio Epiſcopo anno MCLXXXIII. cujus donatio legitur in majore chartulario Archiepiſcopi Pariſienſis.

VIII. Sed & illius baſilicæ idem Gregorius meminit lib. IX. cap. VI. ubi loquitur de quodam ſeductore, qui tempore Ragnemodi Epiſcopi Pariſienſis Lutetiam venerat, de quo aliàs habuimus ſermonem. His verbis de eo loquitur Gregorius. *Sed hic iterum facta altera cruce, cœpit, quæ geſſerat exercere, captuſque ab archidiacono, & catenis vinctus, juſſus eſt cuſtodiri. His diebus Pariſius adveneram, & ad baſilicam beati Iuliani martyris metatum habebam. Nocte igitur inſequenti erumpens miſer iſte de cuſtodia, cum ipſis quibus nexus erat catenis ad antedictam baſilicam ſancti Iuliani properat, atque in pavimento, in loco in quo ego ſtare eram ſolitus, ruit, ac ſopore vinoque oppreſſus obdormivit.* Ex hoc loco intelligis eccleſiam ſancti Juliani antiquam eſſe. Hæc vulgò appellabatur eccleſia ſancti Juliani martyris. Sita autem erat hæc juxta parvum pontem, ubi etiamnum viſitur; hæc eccleſia undecimo ſæculo in manus laicorum venit, medietatem hujus eccleſiæ Stephanus miles de Vitri filius Raynardi dedit monachis de Longo-ponte, quod hæc charta, quam ex chartulario monaſterii Longi-pontis deſcripſi, teſtatur, his verbis continetur. *Stephanus miles de Vitri filius Raynardi de Pleſſeys rediens de Hieruſalem, cum per mare navigaret, Dei nutu admonitus dedit eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Longo ponte medietatem eccleſiæ ſancti Iuliani Martyris, quæ Pariſius apud parvum pontem ſita eſt: hujus rei teſtis & legatus eſt Stephanus Adrachepel, qui tunc erat ſocius ejus. Dei autem miſericordia, maris atque infirmitatis, totiuſque itineris evadens pericula, donum iſtud, ſicut ſuprà diximus, ſe feciſſe recognovit, atque etiam libenti animo iteravit: ponens illud in manus Theodorici monachi, qui ejus præcepto illud ceteris fratribus apud Longum-pontem converſantibus detulit, hujus rei ſunt teſtes Robertus famulus, atque Philippus de Balignez.* Puto reliquam partem hujus eccleſiæ datam ab Hugone de Montoler, cujus donationem etiam tibi deſcribimus ex eodem chartulario. *Hugo de Montoler dedit Deo & ſanctæ Mariæ de Longo-ponte & monachis ejuſdem loci eccleſiam quamdam apud Pariſios, quæ conſtructa eſt in honore ſancti Iuliani Martyris Brivatenſis, atque Iuliani confeſſoris Cenomanenſis Epiſcopi cum terra, quam præfati monachi jam poſſidebant juxta eandem eccleſiam, retento ſibi cenſu ſuo de ipſa terra, quamdiu placuerit. Hoc donum conceſſit Heluyſa uxor ejus, atque Petrus filius amborum, & ſimul cum prædicto Hugone ſuper altare ſanctæ Mariæ poſuerunt, quod viderunt & audierunt hi teſtes, Robertus cognomento Syrot, Guido frater Thomæ de Caſtro forti, Gaufredus de Mala terra &c.* Unam eamdemque eſſe eccleſiam, quæ utraque charta continetur, ex hoc non modò aſſero, quod utraque Pariſiis ſita ſit, quod utraque Juliani Martyris Brivatenſis nomine appelletur, ſed etiam quod in recenſione eccleſiarum monaſterii Longi-pontis, quas Theobaldus Pariſienſis Epiſcopus ſua auctoritate, ſuoque munit privilegio, una tantummodo ſancti Juliani martyris eccleſia juxta parvum pontem recenſeatur. *Sub noſtra protectione*, inquit Theobaldus Epiſcopus, *& Pariſienſis Eccleſiæ conſtituimus, & auctoritate munimus eccleſiam de Longo-ponte cum decima & atrio. Eccleſiam ſancti Iuliani Pariſius juxta parvum pontem ſitam cum atrio &c.* Non alterius eccleſiæ ſancti Juliani fit mentio, unde apparet unam eamdemque eſſe eccleſiam, quæ his duabus chartis continetur. Hæc charta protectionis, quam Theobaldus conceſſit, data eſt anno MCL. & Epiſcopatus anno VIII. Hæc de ſancti Juliani baſilica.

Antiqua eſt quoque eccleſia ſancti Mederici, de qua aliàs plura diximus, quæ LIB. IX. CAP. V. IX.
hic paucis rememorare oportet, & quædam hic adjicere, quæ nondum memorata ſunt. Hanc eccleſiam veterem eſſe conſtat ex actis ſancti Mederici, quæ inter acta Benedictini ordinis habentur. Anrequam ſanctus Medericus Pariſios veniſſet, erat cellula in ſuburbanis Lutetiæ Pariſiorum, ubi nunc cernitur baſilica ſancti Mederici. Is primum in Æduenſe ſancti Martini monaſterium ſeceſſit, ubi poſtea electus eſt Abbas. Sed ſolitariæ vitæ cupidus, poſtea in cellam ad tertium ab urbe milliarium ſe contulit, ibique remotus ab urbano ſtrepitu, Deo ſoli vacare ſtudebat, locum poſteri cellam ſancti Mederici dixerunt. Poſtquam aliquot annos in ea cella commoratus eſt, in monaſterium à ſuo Epiſcopo revocatus eſt. Inde Medericus Lutetiam Pariſiorum orationis gratia profiſciſcitur. Sed Campellis, quod monaſterium erat in Briegio morbo derinetur. Demum Pariſios accedit, ubi, poſtquam loca ſanctorum corporibus veneranda perluſtravit, irerum in morbum graviſſimum incidit, obiitque in cellula ſuburbana ſub nomine ſancti Petri dedicata, ubi diverſabatur, quod auctor ejus geſtorum his verbis deſcribit. *His itaque ſupra dictis ſanctus vir Medericus peractis, venit ad ſuburbana Pariſii urbis, in cellula, quæ ſub nomine Petri Principis Apoſtolorum fuerat conſecrata: inqua jam dicta infirmitate gravatus, Deo militavit duobus annis, & menſibus novem, bene recolens vir Dei, ejus ſe poſſe foveri tutamine, cujus ope ac merito claudus ex utero matris greſſum meruit recipere*, & paulo poſt. *Cumque iſdem beatus vir, longæva ætate gravatus, ſeu infirmitate, finem viæ carnis proximum adeſſe cerneret, Domino ſibi crebrius dicente; veni, care meus, poſſide paratum tibi locum à conſtitutione mundi, quia jam tempus eſt, ut laboris tui recipias præmium, epulans cum fratribus tuis, ſervili labore certantibus; vocatis diſcipulis indicavit noviſſimum obitus ſui diem.... Omnibus ergo, quæ ad tam ſacratiſſimum diem pertinebant expletis, vale dicens eis, inter verba orationis feliciter migravit ad Dominum die quarto Calendarum Septembrium.* Ex his perſpicuum eſt in ſuburbanis Lutetiæ Pariſiorum fuiſſe olim eratorium aliquod ſancti Petri nomine Deo dedicatum. Cumque ſanctus Medericus in eo ſepultus ſit, hoc demum oratorium propter ejus ſepulcrum eccleſia ſancti Mederici appellata eſt. In ea cellula primùm monachi verſabantur: quibus clerici, ſeu magis canonici ſucceſſerunt. Anno DCCCLXXXIV. Theodebertus preſbyter huic eccleſiæ præerar, is ſancti Mederici reliquias è loco ignobiliore in locum decentiorem tranſtulit eo die, quo humi olim mandatum eſt ejus corpus, tranſlationis acta olim à nobis relara ſunt, tranſlatio peracta eſt ſub epiſcopatu Gozlini Pariſienſis Pontificis. Acta his verbis incipiunt. *Anno autem Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti octingenteſimo quarto. Studioſus Dei cultor ſacerdos memoratæ eccleſiæ nomine Theodebertus venerabilem Gozlinum Abbatem atque Pariſiacæ urbis antiſtitem adiit, ſuggeſſitque ei qualiter tanto patrono Mederico digna debuiſſet exhiberi reverentia in ſancto corpuſculo. Congruum enim idem Sacerdos locum præparaverat, ubi decentiſſime poneremus ſanctiſſima ejus membra, à loco tranſlata, ubi juxta maceriam jacebant.* Aiunt corpus ſancti Mederici in crypta ſubterranea illius eccleſiæ, ut modo extructa eſt, ſepultum eſſe. Aliis in locis factam hujus eccleſiæ memoriam reperio, longe ante tempus tranſlationis tempore Ludovici-pii appellata eſt eccleſia ſancti Mederici, ut licet intelligere ex charta, quam deſcripſimus lib. VI. cap. II. in qua hæc quæ ſequuntur habentur. *Præcipimus etiam atque jubemus, ut de regali via ex parte ſancti Germani à ſancto Mederico uſque ad locum, qui vulgo vocatur Tudella in ruga ſancti Germani, neque in aliis minoribus viis, quæ tendunt ad monaſterium ejuſdem prænominati ſancti Germani, ullus Miſſus dominicus aliquam judiciariam poteſtatem ibi exerceat &c.* Vides his verbis *à ſancto Mederico* ſignificari eccleſiam ſancti Mederici, perinde ac ſi diceret ab eccleſia ſancti Mederici *uſque ad locum qui vulgo vocatur Tudella.* Sic pariter in litteris Benedicti PP. quas infra referemus, mentio eſt ejuſdem eccleſiæ. *Et de regali via ex parte ſancti Germani rotundi à ſancto Mederico uſque ad locum, qui vocatur Tudella in ruga ſancti Germani.* Clerici qui hanc moderabantur eccleſiam, immo & ipſa eccleſia ſub poteſtate Epiſcopi Pariſienſis erat. Sub undecimo ſæculo ubi mos invaluit dare eccleſias,

& altaria monachis & canonicis, & ipſis laicis. Raynaldus Epiſcopus Pariſienſis canonicis eccleſiæ majoris, ſeu beatæ Mariæ virginis altare & eccleſiam ſancti Mederici addixit. Litteræ conceſſionis ſic ſe habent.

X. *Raynaldus non meis meritis exigentibus, ſed gratia præveniente Redemptoris, Pariſienſis Epiſcopus, notum fieri volo omnibus coëpiſcopis noſtris, presbyteris, diaconibus, ſeu cunctis utriuſque ordinis clericorum ſcilicet ac monachorum, tam præſentibus, quam & futuris per ventura tempora ſuccedentibus, qualiter canonici ſanctæ Mariæ Pariſiacæ ſedis noſtram ſerenitatem adierunt humiliter deprecantes, ut ob amorem Dei omnipotentis, & ſanctæ M riæ ejus genitricis, atque ſancti Petri Apoſtoli & ſancti Mederici confeſſoris, & ut memoria noſtra, ac ſucceſſorum noſtrorum in eorum loco perpetualiter habeatur, quoddam altare in honore ſancti Petri Apoſtoli & ſancti Mederici confeſſoris, dedicatum in ſuburbio Pariſienſi eis in perpetuum poſſidendum concederemus. Quod ita & fecimus archidiacono noſtro Elyſiardo ex cujus miniſterio eſt, aſſenſum præbente, eo videlicet ordine, ut quandiu Herbertus noſter canonicus advixerit, præfatum altare teneat. Poſt diſceſſum vero ejus canonicis ſanctæ Mariæ perpetualiter concedo abſque alicujus contradictione, vel donatione, ſeu venditione. Et ut numquam amplius nobis, ſeu poſterioribus noſtris aliquod debitum, vel ſervitium perſolvant, niſi tantum Eulogias, ſed abſque ulla inquietudine alicujus Epiſcopi, ſeu archidiaconi ab hodierno die: & deinceps ſupradicti canonici ſanctæ Mariæ præfatum altare, cum eccleſia, & quidquid ad eum pertinere videtur, ſecure teneant atque poſſideant, & ut hæc deſcriptio majorem per tempora obtineat vigorem, coram noſtris fidelibus, & ſancta Synodo manu propria eam ſubterfirmavimus, manibuſque archidiaconorum noſtrorum, cæterorumque clericorum corroborandam tradidimus.*

XI. Oſtendit hæc charta rationem, qua eccleſia ſancti Mederici in poteſtatem capituli beatæ Mariæ Pariſienſis venerit, quod ad noſtra uſque tempora permanſit. Multa nihilomious huic eccleſiæ ſerie temporum acciderunt. Primùm inſtituti ſuot in ea canonici, id vero factum eſſe exiſtimo à capitulo majoris eccleſiæ. Huc accedit, quod urbs longe ædificiis aucta eſt, adeo ut eccleſia, quæ primo fuit oratorium, quod Breulius vult primùm ſitum in nemore, poſtea in ſuburbio, ac demum io ipſa urbe fuerit. Nam poſtquam à barbaris non amplius metus & periculum fuit, & Reges domus Caperianæ frui otio & creſcere poteſtate cœperunt, urbs quoque creſcere ædibus & frequentia populi cœpit. Suburbia orbi adjuncta ſuot & baſilica ſancti Mederici, quæ in nemore, vel forte in campis fuit, extructis undequaque ædibus populoſum ſuburbium fuit, & eccleſia ſancti Mederici non modo collegiata, ſed fuit etiam eccleſia baptiſmalis. Tum ordinatio eccleſiæ mutata eſt, illa eoim, quæ ſolummodo canonicorum precationibus addicta erat, plebi quoque, cujus ædes citcumquaque adjacebant, attributa eſt. Hic ſacris peragendis cooventus & in ea ſyoaxes fieri cœptæ ſunt, & ſacra myſteria celebrari, & populo res ſacræ adminiſtrari. Nullus tamen certus preſbyter ſacris faciendis primùm addictus eſt, ſed canonici ex ordine & per vices ſacra obibant, & ſacro miniſterio addicebantur. Verum cum ſingulis hebdomadis pteſbyteri mutatio fieret, plebs conquerebatur, quod nullus ex officio præficeretur miniſterio eccleſiæ. Regimini animarum demum unus aliquis canonicus præpoſitus eſt, iſque quoniam plebis curam habuit, plebanus dictus eſt, ut patet ex litteris quæ ſub Philippo Aug. anno MCCXIX. datæ ſunt, quaſque hic tibi ſubjicimus. *Scephanus Decanus totumque capitulum Pariſienſis Eccleſiæ volentes ſtatum eccleſiæ ſancti Mederici Pariſienſis, præcipue circa regimen animarum plebis illius eccleſiæ in melius corrigere, deliberatione habita, de prudentum conſilio ſtatum ſupradictum ordinavimus in hunc modum. Statuentes ad petitionem illius eccleſiæ canonicorum & de communi aſſenſu eorumdem, ut præbenda, quæ fuit defuncti Henrici quondam canonici dictæ eccleſiæ, & modo eſt Stephani de Ponte presbyteri ſucceſſoris ejuſdem, ſemper & perpetuo connexa ſit parrochiæ, & verſa vice parrochia præbendæ, & cuicunque contulerimus illam præbendam, conferemus ſimul & parrochiam, nec præbenda à parrochia, nec parrochia à præbenda ullatenus poſſunt ſeparari. Et quicunque reſignabit alterum, neceſſe erit, ut reſignet & reliquum, ſex aliis canonicis illius Eccleſiæ à cura animarum eccleſiæ penitus abſolutis. Et quoniam maxima portio præbendarum illius eccleſiæ conſiſtit*

in proventibus parochialibus ejuſdem, viſum fuit nobis æquum & juſtum, ut ſex canonici, qui abſoluti ſunt à cura animarum de dictis proventibus percipiant ſingulis annis à plebano canonico dictæ eccleſiæ, per quatuor terminos anni, viginti & quatuor libras Pariſienſis monetæ, videlicet ad octavas ſancti Ioannis Baptiſtæ ſex libras, ad octavas omnium ſanctorum ſex libras, ad octavas Epiphaniæ ſex libras, & ad octavas Paſchæ ſex libras. Præter hæc autem iidem canonici ſex habebunt in duabus feſtivitatibus anni, ſcilicet in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, & in feſto ſancti Leonardi totam ceram & pecuniam, quæ in illis feſtivitatibus offerentur, & plebanus canonicus illius eccleſiæ cum eiſdem ſex ex æquis partibus ſuam percipiet, tota vtra cera, quæ in dicta Eccleſia offeretur per totum annum abſque ulla contradictione & exceptione erit plebani canonici, præterquam in duabus feſtivitatibus ſupradictis, ſcilicet in feſtivitatibus Apoſtolorum Petri & Pauli, & in feſto ſancti Leonardi; præterea ſex alii canonici ſinguli in ſingulis ſeptimanis ſuis totam pecuniam, quæ offeretur in magna miſſa ad majus altare habebunt, ſimiliter & plebanus canonicus in ſeptimana ſua, panis & vinum, quandocumque offerentur in eccleſia, erunt plebani canonici illius eccleſiæ, & ſex canonici in his nihil commune habebunt cum plebano canonico, thure excepto, quod commune erit tam plebano canonico, quam aliis ſex canonicis ad ſervitium majoris altaris, & ex æquis partibus dividetur. Oportebit etiam, quod plebanus canonicus inveniat totum luminare conſuetum ab antiquo in eccleſia illa, de communi vero invenient tam plebanus, canonicus, quam alii canonici chordas campanarum, & oleum ad ſervitium unius lampadis coram majori altari. Et in tribus anni feſtivitatibus ſcilicet in Paſcha, Pentecoſte, & in natali Domini reddet idem plebanus nummos vicariorum quibus debentur, his ſcilicet, qui intererunt ſervitio, abſentibus vero nihil dabitur. Et in vigiliis æſtivalibus cantatis matutinis dividitur ſextertia vini inſimul ad bibendum, & ſingulis canonicorum & clericorum de choro dabit unam candelam, de quibus tres dantur pro nummo. Hæc autem facimus ſalvis antiquis aliis eccleſiæ conſuetudinibus; ſalvo quoque ac retento, ut proceſſu temporis, ſi expedire viderimus, aliter de præmiſſis & aliis diſponere valeamus, actum anno Domini MCCXIX. Is plebanus canonicus cum oblationes populi reciperet, ceram propterea horis canonicis, & faciendis ſacris ſufficere ex inſtituto ſolitus eſt, aiuntque ob eam cauſam capicerium vocatum eſſe. Succedente deinde tempore, neſcio quomodo factum eſt, ut duo capicerii uni & eidem eccleſiæ & collegio diviſo miniſterio, & diviſis honoribus præeſſent, ita tamen, ut alter ſedendi prærogativâ & ordine dignitatis alterum præcederet, quæ res variis contentionibus obnoxia fuit, quid enim aliud accideret, dum duo paſtores unum gregem regerent, & animi diverſis ſtudiis agerentur. Verum hiſce diebus res ad unum eumdemque parochum deducta eſt, opera inprimis D. Blampignon clariſſimi capicerii & eccleſiæ vigilantiſſimi paſtoris, qui nulli labori, operæ nulli pepercit, ut tam ſanctum propoſitum ad exitum perduceret. Quod demum perfecit; hocque felix & fauſtum parœciæ ſancti Mederici fuit. Hac enim ratione conjuncti animi ſunt, occaſio turbarum ſublata eſt, & eccleſia ſub unius regimine, totius eccleſiæ unitatem æmulabitur.

Antiquiſſimam quoque eſſe baſilicam ſancti Gervaſii & Protaſii Fortunati Epiſcopi Pictavenſis teſtimonium probat; bis ille hujus baſilicæ meminit in vita ſancti Germani Pariſienſis Epiſcopi. Primum his verbis. *Item cum ad baſilicam beatiſſimorum Gervaſii & Protaſii vigilaturus accederet, quidam cæcus inſtitit, miſericordiam poſtulans, cui vir Dei præcepit inter altare & ſanctorum reliquias, ut jaceret. Quo peracto primo diluculo mox ſuper oculos ſignum crucis intulit, lux effulſit, & totus labor medici curam virtute Crucis impendit.* Hanc eccleſiam Pariſiis ſitam fuiſſe locus alter oſtendit, ſic enim idem auctor in eodem libello cap. LXVI. ſcribit. *Itidem cum Pariſius ad baſilicam ſanctorum Gervaſii & Protaſii orandi cauſa procederet, januis obſeratis ingreſſus illi negatus eſt. Tunc requiſitis clavibus, nec ipſis aperientibus, ſic reſeravit peſſulum, facto Crucis ſignaculo. Stupor animos invaſit præſenti miraculo aperiri de virtute, quod clave duce non potuit. Hæc quoque veneranda coram me geſta ſunt.* Breulius & alii quidam aſſerunt illam eſſe quæ modo baptiſmalis eſt eccleſia. Sane illius mentio eſt in teſtamento Ermentrudis XII.

LIB IX. CAP. V.

quod ad calcem libri de liturgia Gallicana edidit Mabillonius.

XIII. Nihil huc uſque dictum eſt de baſilica ſancti Germani veteris. Cum Nortmanni urbem obſidione cingere cœperunt : & tormentis machiniſque bellicis oppugnare monachi Pratenſes tranſtulerunt corpus in urbem, quod Abbo his verſibus teſtatur.

Tunc trepidant cives, cunctique vocant celebrandum
Germanum, miſerere tuis, Germane miſellis.
Concurrunt matres, pariter juveneſque puellæ
Ad ſancti tumulum, ſuffragia poſcere grata.
Hic jacuit ſuimet jugiter venerabile corpus,
Nobiliuſque monaſterium cunctis fuit illud
Hinc propriis fuerat famulis geſtatus in urbem.

XIV. In eccleſia ſancti Germani veteris depoſitum eſt corpus, hujus rei meminit appendix ad hiſtoriam Francorum Aimoini. *Tunc corpus*, inquit, *beatiſſimi Germani in aſceterium ejuſdem ſancti Pontificis in civitate prædicta ſitum, ab ipſis monachis delatum fuit.* In gratiam dati hoſpitii relictum eſt in eo loco brachium ſancti Germani. Vocat auctor appendicis hanc eccleſiam aſceterium. Breulius cellam Pratenſium monachorum fuiſſe aſſerit : in eumque locum ait ſeceſſiſſe primùm ſanctum Germanum, cum ex Æduenſi monaſterio Pariſios venit, in eoque permanſiſſe, cum Epiſcopus Pariſienſis renuntiatus eſt : idem ſcriptor addit hanc baſilicam dictam ſancti Germani veteris, ob longævam ſancti Germani Pariſienſis Epiſcopi ætatem. Sed cum id nulla auctoritate approbet : malim dicere cum Valeſio viro doctiſſimo id nominis tributum huic eccleſiæ ab ipſa baſilicæ vetuſtate. Hæc baſilica fuit olim juris monachorum Pratenſium, & poſtea neſcio quo caſu, aut qua conventione ceſſit in jura academiæ Pariſienſis, quæ modo in eam eccleſiam jus habet patronatus : quædam Pariſiis olim extiterunt baſilicæ, quæ jam diu deſtructæ ſunt, & quorum memoria penè abolita eſt.

XV. Apud Gregorium Turonenſem fit mentio oratorii ſancti Martini. Antea memoratum eſt à ſancto Martino curatum olim ad portam urbis leproſum, & in eo loco ædificatum in honore ſancti Martini oratorium, de quo Gregorius in hiſtoria Francorum libro VIII. cap. XXXIII. *Igitur*, inquit, *cum per totam civitatem huc atque illuc adflante vento flamma ferretur, totiſque viribus regnaret incendium, appropinquare illuc aliam portam cœpit, in qua beati Martini oratorium habebatur, quod ob hoc aliquando factum fuerat, eo quod ibi lepram maculoſi hominis oſculo depuliſſet. Vir autem qui eum intextis virgultis in ſublime conſtruxerat, confiſus in Domino, nec de beati Martini virtutibus diffiſus, ſe reſque ſuas intra ejus parietes ambivit, dicens : credo enim, & fides mea eſt, quod repellat ab hoc loco incendium, qui ſæpius incendiis imperavit, & in hoc loco leproſi hominis cutem oſculo medente purgavit. Appropinquante enim illuc incendio ferebantur validi globi flammarum, qui percutientes parietem oratorii protinus tepeſcebant. Clamabat autem populus viro ac mulieri, Fugite ò miſeri, ut evadere poſſitis. Ecce jam ignium pondus ſuper vos deruit : ecce favillæ incendii cum carbonibus tamquam validus imber ad vos uſque diſtenditur ; egredimini ab oratorio, ne cum eodem incendio concrememini. At illi orationem fundentes, numquam ab his vocibus movebantur. Sed nec mulier ſe umquam à feneſtra, per quam interdum flammæ ingrediebantur, amovit, quæ erat ſpe firmiſſima de virtute beati antiſtitis præmunita. Tantaque fuit virtus beati Pontificis, ut non ſolum hoc oratorium cum alumni proprii domo ſalvaret : verum etiam, nec aliis domibus, quæ in circuitu erant, nocere flammis dominantibus permiſiſſet. Ibique cecidit incendium, quod ab una parte portis cœperat deſævire.* De hoc incendio ſuo loco locutus ſum, & de oratorio ſancti Martini, cujus modo memoria intercidit, quod tamen propter memoriam ſanati à ſancto Martino Leproſi, erat Pariſiis venerabile. Sanctus Audoënus in vita ſancti Eligii meminit baſilicæ ſanctæ Columbæ virginis cap. XXX. *Alio*, inquit, *tempore Pariſiis degente illo, mane ad eum tremebundus advolavit cuſtos baſilicæ ſanctæ Columbæ virginis, provolutuſque pedibus ejus nunciavit, eadem nocte, ſe quieſcente ſpoliatam omni ornatu baſilicam. Quod Eligius audiens triſtis admodum effectus, cito tamen ad ſolitæ ſpei præſidia clementer refovet cuſtodem. Deinde ad ſanctæ Columbæ oratorium pergens,*

oratione præmiſſa, in hæc prorupit verba. Audi, ſancta Columba, quæ dico, novit Deus LIB. IX. CAP. VI.
meus redemptor, niſi ornamenta hujus ædis furto ablata cito reduxeris, me vepribus allatis, ita hanc januam obſtructurum, ut deinceps numquam tibi in hoc loco veneratio exhiberi poſſit. Dixit, & receſſit. Et ecce ſequenti die cuſtos maturius ſurgens, invenit vela omnia uſque ad minimam pallam, ſicut prius fuerant reſtituta. Hæc baſilica minor fuit; hanc enim appellat & baſilicam & oratorium: verum ita ejus memoria abolita eſt, ut neque quo in loco ſita fuerit, neque quid de ea factum, quiſquam vel conjectura id aſſequi poſſit.

In teſtamento Vandemiris quod lacerum mutilumque deſcripſit Mabillonius in opere de re diplomatica, ſit mentio domni Chriſtivili, quod erat monaſterium puellarum Pariſiis extructum, ubi Landetrudis Abbatiſſa præerat, quæ ſit baſilica ſeu monaſterium domni Chriſtivili baud facile, neque ego, neque quiſquam alius dixerit, ſuſpicatur Mabillonius fuiſſe cœnobium virginum ſanctæ Aureæ. Caſtellanus vir clariſſimus canonicus Eccleſiæ Pariſienſis in rebus eccleſiaſticis verſatiſſimus exiſtimat eſſe baſilicam ſancti Chriſtopbori, aitque nomen Chriſtivili aliis in locis idem ſonare, atque Cbriſtophori. Verum hæc explicatio parum congruit cum his, quæ de ea baſilica modo dicta ſunt. XVI.

CAPUT VI.

De Gloria & nobilitate monaſteriorum ſanctæ Genovefæ, ſancti Germani à Pratis, ſancti Dionyſii, & Foſſatenſis monaſterii; & de pluribus Abbatibus, qui his in locis clari extiterunt. De viris doctrina & ſcientia conſpicuis: & de ratione ſtudiorum tempore Carolinæ familiæ.

PRæter Eccleſias de quibus ſuperius relatum eſt, aliæ baſilicæ, alia quoque monaſteria Pariſiis erant, quæ & antiquitate & nobilitate longe celebratiſſima ſunt. Antiquiſſima inprimis erat baſilica beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, de ea ejuſque fundatione olim à nobis dictum eſt, & Cblodoveum cum Chrotilde Regina in ea ſepultum eſſe; & ſanctam Genovefam in eodem loco tumulatam diximus, & pluribus ſignis refulſiſſe. Aſſerunt nonnulli baſilicæ regimen datum clericis. Initio tamen monacbos in ea fuiſſe Valeſius pluribus probat, neque nos ab ejus opinione diſcedimus. Nam & hujus monaſterii mentio eſt in vita ſanctæ Batildis, quod antea admonuimus, & in libello de miraculis ſanctæ Genovefæ Abbatum & fratrum hujus loci habetur memoria, & antea meminimus Abbatiæ ſanctæ Genovefæ, quod teſtimonium eſt monaſterium extitiſſe, quod tamen poſtea collegium canonicorum fuit, ac demum celebris Abbatia regularium canonicorum, qui hodie reſtituta vetere diſciplina, quæ collapſa fuerat, religione, pietate, & doctrina maximè clarent, de bis ſuo loco multa eaque magnifica dicemus. Propè eſt ut antiqua incuſem tempora, etenim poſt Chlodovei & ſanctæ Chrotildis obitum illius baſilicæ clericorum & monacborum ad tertiam uſque Regum noſtrorum familiam rara memoria eſt. Si enim excipias, quæ de tranſlatione ſanctæ Genovefæ, dum Normanni furerent, referunt, & quæ de eadem in obſidione Lutetiæ à nobis relata ſunt, vix quidquam reperias, quod de baſilica ſanctæ Genovefæ in acta poſſis referre. Hæc I.

LIB. IX. CAP. VI. pauca de antiquiſſima eccleſia, de qua inſuper plura memorabimus.

II. Baſilica ſancti Vincentii ordine ætatis ſequitur, eaque à Childeberto fundata longe celeberrima fuit, & ſub Carolina gente notiſſima: Abbateſque habuit auctoritate & nobilitate refulgentes. Droctovei Abbatis clara eſt apud Fortunatum, & in faſtis eccleſiaſticis memoria, de Lantfredo memoratum eſt, qui ſub Pippini Regis principatu corpus ſancti Germani Pariſienſis Epiſcopi ex oratorio ſancti Symphoriani in ipſam baſilicam tranſtulit, unde poſtea ex pietate populi nomen huic baſilicæ ſancti Germani fuit. Hunc Abbatem notum legationibus & moribus conſpicuum antiqua monumenta tradunt, & ſupra id à nobis relatum eſt. Imperante vero Ludovico-pio Hilduini inſignis memoria eſt, qui tribus præfuit monaſteriis, monaſterio ſcilicet ſancti Germani, ſancti Medardi & ſancti Dionyſii, de hoc aliàs plura dicemus, & jam multa dicta ſunt. Ille primum partitus eſt bona monaſterii ſancti Germani cum monachis. Ex præcepto, quod Ludovicus edidit, patet tunc temporis in hoc monaſterio fuiſſe centum & viginti monachos. Certe præter portionem Abbatis totidem monachis ad alimoniam præſtitum eſt. Infauſti omnis illa partitio fuit: poſtquam enim bona inter Abbatem & monachos diviſa ſunt, non amplius præpoſiti Abbates, ut monaſteria regerent, ſed ut bona Abbatibus retenta poſſiderent, & rei monaſticæ præpoſiti decani ſunt, penes quos regimen totius monaſterii erat. Qui vero portione Abbatis perfruebantur, ii quoque Abbatis nomen retinebant. Non ſolum portio Abbatum in manus clericorum, aut Epiſcoporum venit, ſed etiam in manum Laicorum, qui vel conjugati & nomen Abbatis & portionem obtinuerunt, inter quos celebris Ebroinus Epiſcopus Pictavenſis Abbas monaſterii ſancti Germani de pratis fuit, qui multis clarus ornamentis extitit. Ille Archicapellanus Caroli-calvi Regis olim fuit, ille reliquias ſancti Germani propter infeſtationes Normannorum aliò tranſlatas ac domum reportatas ſuſcepit. Quid juniorem Hilduinum nominem, ſub cujus præpoſitura allatæ ſunt in Pratenſe monaſterium ex Hiſpania reliquiæ ſanctorum martyrum Georgii monachi, Aurelii & Nataliæ. Quo tempore vixit Uſuardus, qui edito martyrologio cœnobium hoc doctrina & pietate illuſtravit. Gauzlinus huic ſucceſſit, qui quis vir fuerit accipe. Is ex alto regum Francorum ſanguine ortus eſt, & regni Archicancellarius fuit, & ad epiſcopatum Pariſienſem evocatus eſt, demum obiit, dum re & opera Pariſios adverſus Normannos defendit. Eboli ejus nepotis, qui avunculo ſucceſſit magnum quoque nomen; ceteros abbates nihil attinet nominare, quoniam ii longe ab Abbatum moribus & inſtitutis alieni, rei bellicæ fama & reipublicæ honoribus magis inclaruerunt, & hujuſce monaſterii regimen ceperunt Decani, qui ceteros pietate quidem & regulari diſciplina præibant.

III. Etſi hæc quæ modo memoravi monaſteria & ſuo & Abbatum nomine, immo & monachorum numero, & Regum beneficentia valde commendata ſunt. Nihil tamen hæc omnia ad inſignia Dionyſiani monaſterii decora, quibus ſub Carolinis Principibus refulſit. Hoc monaſterium, ut diximus, Dagoberti Regis fundatione primùm amplificatum eſt, ex eo tempore longe nobiliſſimum fuit. Stephanus PP. ſub Pippino Rege in eo dum in Galliis agit commorari dignatus eſt, & Longobardorum armis Roma pulſus in eo loco aſylum nactus eſt; immo vi morbi prope è vita dejectus, ſanctorum Martyrum præſens expertus eſt auxilium. Carolus-martellus in eo ſepultus eſt, & poſtea Pippinus Regum ſecundæ familiæ auctor ad limen baſilicæ illius monaſterii ſepultum ſe voluit. Ludovicus pius filium Carolum ſub tutela ſanctorum Martyrum educari curavit, & poſtea ipſe factioſorum improbo facinore Imperio abdicatus: iterum inſignia Imperii per injuriam ſibi ablata in eadem baſilica frequenti cœtu recepit. In eo quoque loco Carolus-calvus commorari conſueverat, & cum optimatibus Paſcha & Natalem diem ſæpius peragere, & poſt mortem in eam baſilicam demum allatus & ſepultus eſt. Neque hic mihi prætereundus eſt Odo Francorum Rex, quem in ea quoque baſilica ſepultum fuiſſe antea memoravimus. Verum quis Abbatum Dionyſianorum ſplendor, quæ exiſtimatio-

fuit; quot quantaque Fulradi ornamenta, qui nobiliſſimo procreatus ſanguine, & magnarum hæres poſſeſſionum ſuis ſumptibus extruxit monaſteria & dotavit: qui pluribus & honorificis perfunctus eſt legationibus, quem Rex Francorum Pippinus in Italia reliquit, ut donatas Eccleſiæ Romanæ civitates & provincias ordinaret, quem ſummus Pontifex in Galliis apocriſarium fecit, cujus quoque ſanctitas antiquorum monumentis prædicata eſt. Neque innominatum relinquam Fardulfum, qui licet alienigena Auguſto fidem & obſequium magno argumento approbavit, & propterea maximi Imperatoris meruit judicium. Eum enim non modo Dionyſiano monaſterio præpoſuit, ſed etiam eum Miſſum dominicum, quod munus maxime honorificum erat, in provinciis eſſe juſſit. Hilduini pariter celebre nomen fuit. Is trium monaſteriorum Abbas & regni Archicapellanus fuit; is Lothario comes adjunctus, cum Romam profectus eſt ad capiendam regni Italiæ poſſeſſionem. Cum monachi Dionyſiani abdicato monachatu canonicorum habitum cepiſſent, & eorum ſequerentur inſtituta: Ille diſtrictioris obſervantior diſciplinæ cum Epiſcopis, qui & in ejus ibant vota, tantum effecit, ut repudiata nova vivendi inſtitutione, priſtinum reciperent habitum, & veterem vitæ formam iterum profiterentur. Hilduino ſubrogatus Ludovicus vir ſummæ amplitudinis Caroli magni ex filia Rotrude nepos, Regum & Imperatorum propinquus, & ſummus Regni Cancellarius. Quo in honore, quo in pretio eſſet tempore Caroli-calvi? diſce ex litteris Lupi Ferrarienſis Abbatis, viri illo tempore magni nominis, qui ſæpius ejus opem imploravit pro monaſterio Ferrarienſi, quique magnificis exornat eum titulis in epiſtolis, quas illi mittit, & modo ſummum Abbatem ac præcellentiſſimum nominat, & quod alio in loco non invenias, in Concilio Vernenſi annumeratur inter eos, qui Concilio huic præſidebant. Et in conventu apud Sylvacum laudatur inter Miſſos dominicos. Eo Abbate Dionyſiani monachi mortuo Erchanrado Epiſcopo Pariſios convenerunt, & calculum pro electione Æneæ cum clero Pariſienſi appoſuerunt, quæ tunc temporis monaſterii Dionyſiani ad cathedram Pariſienſem ratio erat. Eo ſublato Carolus-calvus Rex, & poſtea Imperator monaſterii Dionyſiani curam cepit, relicto familiæ regulari regimine Decanis ſeu præpoſitis. Qui deinde ſecuti ſunt Abbates ſæculi quidem honoribus refulſerunt, ſed ii neque clerici, neque monachi extiterunt, adeo ſuis opibus & magna rerum poſſeſſionumque copia corruerat diſciplina regularis. Is ſtatus Dionyſiani monaſterii fuit ſub Carolina gente. Sed & pauca adjicienda ſunt de Foſſatenſi monaſterio, quod & parrochiæ Pariſienſis eſt, & hac pariter Carolinæ gentis ætate celebratum eſt.

IV. Monaſterium Foſſatenſe à Blidegeſilo diacono Pariſienſi olim conditum eſt, ut alias retulimus. Etſi pietate monachorum florebat, ſucceſſu tamen temporis illa priſcæ ætatis diſciplina ſeverior inclinaverat, & res monaſterii prope ceciderant, collapſumque vetuſtate & ſenio monaſterium fuerat. Beggo Comes vir illuſtris res monaſterii ipſumque monaſterium reſtituere aggreſſus eſt, annitente inprimis Benedicto Abbate, qui & ipſe familiam monaſterii ad antiquos mores revocavit: unde poſtea monaſterium Foſſatenſe ſub Ingelberto Abbate aliis monaſteriis forma & exemplum fuit. Rorigo enim Comes cum ſuis ſumptibus reſtituiſſet Glannafolienſe monaſterium, huic ſubjectum eſſe voluit, ut Foſſatenſes Abbates, præpoſitos, & rectores huc ſummitterent, quæ res honorifica Foſſatenſibus fuit, quorum ea tunc temporis fama virtutis ac diſciplinæ erat, ut alia monaſteria ſe illorum regimini traderent, & inde magiſtros vivendi & morum inſtitutores expoſcerent. Poſtea cum Nortmanni Ligeris oram devaſtarent, Glannafolienſes monachi oſſa ſancti Mauri ſurripere & alio deportare, ut ea vindicarent à Nortmannorum injuria, poſt multa itinera multaſque circumitiones, demum ſollemni ritu ad Foſſatenſe monaſterium delata ſunt. Godefridi Abbatis tunc clara memoria, qui graſſante Danico furore in agrum Remenſem oſſa ſancti Mauri deportavit. Odo quoque memorandus, qui de everſione monaſterii ſancti Mauri ad Ligerim ſcripſit, pariter tranſlationem ſancti Mauri & ejuſdem miracula memoriæ prodidit. Aliàs & ſuis locis dicemus, quo in honore hujus

monaſterii Abbates fuerint; & quibus commendati ornamentis, & quæcumque egregia huic monaſterio acciderint.

V. De Latiniacenſi monaſterio jamdiu ſilentium eſt, neque ut de eo dicamus antiqua monumenta quicquam nobis proferunt, neque ulla nobis prodita ſunt. Pauca & addere licet de aliis monaſteriis, cellis & baſilicis, pauca, inquam, quoniam antea, aut de his fuſe diximus, aut pauciora de bis in veteribus actis reperiuntur. De eccleſia ſancti Germani Autiſſiodorenſis paulo ante memoratum eſt, quis fuerit hujus baſilicæ auctor haud dixerim, vulgo Childebertum Regem cum Ultrogotha conditorem nominant. Sed nullis id antiquis monumentis approbatum eſt. Initio monaſterium fuiſſe ex pluribus actis retulimus, & poſtea ſubſtitutos eſſe canonicos. Ceterum baſilica illa vetus eſt & celebris, præter collegium canonicorum habet parœciam, ſeu eccleſiam baptiſmalem, ampliùs de ea celebri baſilica ſequentibus libris afferemus. Nemo vero id reprehendat, quod dixerim monaſterium primùm fuiſſe, & poſtmodum ſucceſſiſſe canonicos. Hoc certe pluribus aliis locis accidit. Sic in eccleſia ſanctorum Petri & Pauli, ſeu, ut modò loquimur, ſanctæ Genovefæ, primùm inſtitutos fuiſſe monachos, tum ſubrogatos fuiſſe canonicos dictum eſt. Ita in cella, ubi ſanctus Medericus diem obiit, fuerunt primo monachi, ac deinde canonici. Et pariter apud Novigentum opidum, quod modò ſancti Chlodoaldi nomen habet, primum monachos extitiſſe conſtat & poſtea canonicos, qui modò etiam hodie perſeverant. Cum enim aut injuria, aut diuturnitate temporum corruiſſet apud monachos vigor priſcæ ſeveritatis: ac ſubinde clerici familias & ſocietates cogere inſtituiſſent; & hac nova vivendi forma, æſtimationem pietatis & religionis fuiſſent conſecuti. Plerique monachi, quorum mores longe ab aſperitate monaſtica deſciverant, ultrò hanc novam vitæ inſtitutionem amplexi ſunt; rati ſcilicet haud male acturos, ſi relictis acerbioribus inſtitutis per apertiorem callem ad honeſtatem morum eniterentur. Patres haud omnino approbabant monachos ita ab inſtitutione, quam teſte Deo profeſſi fuerant, deficere: eoſque tanquam deſertores & transfugas habebant, & pœnitentiæ ſubjiciebant, cogebantque primum habitum & priorem vivendi normam reſumere, ut antea de monachis Dionyſianis, qui ad canonicos tranſierant, memoratum eſt. Etſi hanc vitæ mutationem improbabant, haud tamen monachi omnes deſtiterunt ab illo canonicorum propoſito, ſeu quidam Epiſcopi haud omnino ab illis moribus alieni erant, credebantque id venturum in commodum Eccleſiæ, ſi monachi in clericos evaderent, & poſſeſſiones & prædia alimoniæ clericorum inſumerentur. Seu, quod magis crediderim, inferiore illa ætate, qua res publicæ & res eccleſiæ bellis & prædationibus Nortmannorum, & Comitum contumacia perturbatæ erant, cum Epiſcopi & Abbates rebus magis bellicis, quàm eccleſiaſticis operam navarent, facile fuerit pleriſque monachis ſubducere humeros diſciplinæ, & nemine repugnante ad canonicos transfugere, & abjecto propoſito aliam vivendi normam ſequi.

VI. De eccleſia ſanctæ Opportunæ ſuperius quoque dictum eſt, quando de baſilica ſancti Germani Autiſſiodorenſis ſermo fuit. De monaſterio quod condidit ſanctus Eligius nihil his locis referemus, alias fuſe dicemus, ſicut & de Calenſi monaſterio. Sunt autem aliæ baſilicæ, de quibus quoque ſermo erit, cum ſeſe de his dicendi locus obtulerit. Jam verò mihi aliquid adjiciendum eſt de viris doctis qui ætate Carolinorum Principum floruerunt.

VII. Ex quo Carolus-magnus Muſas deperire cœpit, plures, ut fit, æmulati ſunt ſtudia Principis, rati hanc viam pronam expeditamque ad conciliandam Regis gratiam, & ad honores conſequendos. Antea ſqualentes jacebant litteræ, nullaque iis nota ingenuitatis ſupererat. Clerici ſolummodo & monachi qualicumque modo eas excolere ſolebant, ſed non ita, ut ſitum & pædorem ab iis detergerent. Cum diſciplinæ in eo verſarentur ſtatu, Carolo venit in mentem, eas ex angulo erigere, & priſtinum illis decorem reſtituere, quamobrem magiſtros ſacrarum, profanarumque litterarum accivit in Galliam, & in ſingulis civitatibus ſcholas fieri imperavit. Ea quidem utilia reparandis damnis, quæ longa barbaries intulerat, ſed non uſquaque apta ad detergendam penitus labem, quæ

litterarum

litterarum pulchritudinem corruperat. Litteræ enim tunc temporis ſimiles iis, qui recens ex longo diuturnoque morbo recreati fœdæ ægritudinis ſigna & notas habent, quæ os, vultum bonumque habitum corporis depravant; qui enim hac Caroli ætate ſcripſerunt, etſi magni Principis voce & exemplo incitati, longiſſime tamen ab elegantia priorum temporum diſtabant, quidquid ad ſummum enitebantur, in ſalebras nihilominus ſuæ ætatis inciderunt; quod licet perſpicere in operibus Alcuini, & in epiſtolis ipſius Caroli-magni ad Hadrianum ſummum Pontificem, & ad Felicem Urgellitanum Epiſcopum. Pro ratione igitur illorum temporum ſcriptores illius ætatis æſtimandi ſunt. Qualeſcumque ii fuerunt aliquot à me enumerandi ſunt, qui præſertim Pariſiis floruerunt. Ne Theodulfum Jonamque Aurelianenſes Epiſcopos appellem, qui in viciuia Eccleſiæ Pariſienſis clari carmine proſaque extiterunt. Hilduinus Abbas Dionyſianus nobis renunciandus, qui græce & latine noverat, quantum ea patiebantur tempora: is reſcriptum ad Ludovicum Imperatorem ſcripſit, & opus in honorem ſancti Dionyſii, quod Areopagitica nuncupavit. Abbas erat Dionyſianus, cum anno DCCCXXIX. habita Pariſiis celeberrima Synodus, in qua conſtitutum eſt, ut tribus in locis publicæ inſtituerentur ſcholæ, nemo dubitavit, quin ex tribus illis locis Lutetia Pariſiorum haberetur, unde poſtea plures ſcientiis tum profanis tum ſacris inſtituti exierunt. Neque ſolum Lutetiæ apertæ ſcholæ, ſed etiam in monaſterio Dionyſiano, quò Hincmarus juvenis ſeſe recepit, ubi ille & litteris & rebus ſacris operam poſuit, unde poſtea ad cathedram Remenſem evocatus, inter eruditiſſimos ſui temporis Pontifices habitus eſt, habentur ejus opera duobus diſtincta tomis à Sirmondo edita. Non mihi reticendus eſt Æneas Pariſienſis Epiſcopus vir ſanctitate morum, & probitate vitæ commendatus, qui, quam in lectione Patrum & antiquæ diſciplinæ inſtitutis verſatus eſſet, præclaro & inſigni adverſus ſchiſma Photianum opere oſtendit. Jam antea à nobis laudatus eſt & vindicatus ab injuria. Hæc vero tempora excepit varium & multiplex bellum; quod non modo reipublicæ, ſed etiam litteris noxium fuit. Poſtquam enim filii adverſus Patrem moverunt arma, vix deinceps à bellis otium & quies fuit, ſeu fratribus inter ſe de principatu certantibus, ſeu Nortmannis Galliam infeſtantibus. Tunc litterarum ſtudia, quæ nuper ſub Carolo-magno revixerant, roburque & vires paratura videbantur, ſi quies fuiſſet, relicta ſunt, & in ſuo ſepulta ſitu iterum delituerunt. Quis enim inter turbas civiles & inter arma barbarorum non potius vitæ conſulat, quam litteris appellat animum. Nonnulli tamen quantùm ætas hæc patiebatur, vel inter domeſticos externoſque tumultus ſcriptis ſe utcumque commendaverunt. Uſuardus monachus ſancti Germani de Pratis pietate inſignis ea rerum perturbatione ſcripſit martyrologium, cujus pene omnes eccleſiæ Gallicanæ uſum adhibuerunt, quodque velut publico approbaverunt calculo. Ex eodem prodiit monaſterio Aimoinus, qui eadem ætate duos compoſuit libros de miraculis ſancti Germani, quos parte ſecunda ſæculi tertii actorum Bened. Mabillonius edidit. Duos hos de ſancti Germani miraculis libellos ſcripſit Aimoinus ſub regimine Gozlini Abbatis. Rem ipſe in hunc modum narrat. Cum Nortmanni in monaſterium ſancti Germani deſævirent, Carolus qui calvus dictus eſt juſſit deſcribi ſancti Germani Pariſienſis Epiſcopi virtutes, Ebroino Pictavenſi Epiſcopo, cui tunc cura cœnobii erat, data hæc provincia. Ille huic operi exequendo duos monachos præfecit, qui ſeorsùm opus pro ſuo modulo perfecerunt, ſed cum alterum alteri præferretur, neutrum placuit emitti in lucem, poſtmodum Gozlinus Abbas illius loci juſſit Aimoinum utrumque opus recognoſcere, & ex ambobus unum opus excudere caſtigatius & elegantius, quod ipſe demum perfecit. Idem ſcriptor fecit pariter duos libros de translatione ſancti Vincentii, quos Bernoni Abbati Caſtrenſi nuncupat. Duos quoque libellos de eodem argumento verſu exaraviſſe aiunt. Huic Aimoino Abbo monachus ejuſdem monaſterii carmen dactylicum ſcripſit, quod præfixit duobus libris de obſidione Lutetiæ, de quibus antea dictum eſt, & de quibus iterum dicturus ſum. Ceterum hic Aimoinus alius eſt ab Aimoino Floriacenſi monacho, qui res Franco-

Digitized by Google

rum memoriæ commendavit. Sed hoc argumentum alias tractavimus, locus conſulendus eſt. Tertius eſt demum monachus ſancti Germani à Pratis, qui hac ætate opuſculum ſcripſit, Abbo is vocatur, cujus extant duo libri de obſidione Lutetiæ Pariſiorum, is ſcripſit quæ viderat, etenim in urbe verſabatur tempore obſidionis, opus carmine texuit, quod offert Gozlino, neque Abbati, neque Epiſcopo, ſed monacho, ut alias probatum eſt. Qualis ſit ratio illius carminis, quiſque poteſt cognoſcere ex ipſa lectione: habet vitia ſuæ ætatis. Nihilominus hoc opus haud contemnendum eſt, ſi enim diſplicet aſperitas orationis, & incondita locutionum verſuumque compoſitio, placet vetus commemoratio rerum, quas non habeas aliunde, eſt & ſua veteribus vel rudibus impolitiſque operibus reverentia. Abbo porro ſcribit ſe multis in locis ſcholis inſtituendis ſedulo vacaſſe. Sane inter ſtrepitus armorum à ſtudiis non omnino quies & otium fuit; quoquo modo enim vel ſub principatu Caroli-calvi litteræ excultæ ſunt, ut ex his quæ jam attulimus facile intelligas, ex iis etiam quæ modo memorabimus.

VIII. Caroli-calvi ætas plurimis difficillimiſque bellis impedita fuit, litteræ tamen non propterea neglectæ ſunt. In Tullenſi Concilio anno DCCCLIX. ubi Æneas Pariſienſis interfuit, Patres rogant Principes, ut ubique ſcholas publicas erigi jubeant. *Deprecandi ſunt pii Principes noſtri, & omnes fratres & coepiſcopi noſtri inſtantiſſime commonendi, ut ubicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt fideliter & veraciter intelligentes donare dignetur, conſtituantur ubique ſcholæ publicæ, ſcilicet ut utriuſque eruditionis divinæ ſcilicet & humanæ in Eccleſia Dei fructus valeant accreſcere &c.* Quantam vero præſtiterit operam reſtiruendis ſtudiis Rex Carolus hoc utique intelligas ex Errico ſeu Heirico monacho Autiſſiodorenſi, qui ſub principatu Caroli-calvi ſcribebat; is geſta ſancti Germani Autiſſiodorenſis verſibus deſcripſit, opuſque obtulit Regi Carolo; præfixa huic eſt epiſtola nuncupatoria ad Carolum, in ea vero magnifice loquitur de ſtudiis litterarum, quæ Rex promovere ſummopere conabatur. Laudat igitur hunc Regem, quod diſciplinas beneficentia & auctoritate excitare vehementius ſtuderet, & ipſe præeundo, quaſi aliis præferret facem, arteſque præmiis & honoribus aleret. Quod ipſe ad publicam omnium eruditionem conducere magiſtros & doctores diſciplinarum dignaretur, qui ſcientias excolerent, ut Græcia ipſa noſtris Galliis invideret, doleretque ſibi præreptam ſcientiarum palmam. Addit præterea gentes exteras ex Hibernia inprimis philoſophos ad ipſum, quaſi ad Salomonem ſolitos confluere, ut ſuo ſe ſubjicerent imperio, & illi ad nutum obtemperarent, prope eſt, inquit, Rex inviƈtiſſime, ut omnes orbis nationes adverſum te excitentur, qui te regnumque tuum aliarum gentium ſpoliis exornaſti, dum ſcholas externas, præclaraque aliorum populorum ingenia ſuſtuliſti. *Ita namque ſpretis cæteris, in eam mundi partem quam veſtra poteſtas complectitur, univerſa optimarum artium ſtudia confluxerunt: ut veriſimile habeant jamdudum eas humanæ peroſas inertiæ terris penitus exceſſiſſe, niſi tuæ integritatis amplitudine tenerentur, in qua etiam unicum ſuæ profeſſionis culmen ac faſtigium, palam eminet, mirabiliter collocarunt. Hinc eſt, quod cum ſit perantiqua ſententia, ſilent leges inter arma, hæ tamen tam belli, quam pacis tempore apud te plurimum ſemper obtinent dignitatis. Ita ut merito vocitetur ſchola palatium, cujus apex non minus ſcholaribus conſueſcit quotidie diſciplinis. Quidquid igitur litteræ poſſunt, quidquid aſſequuntur ingenia tibi debent. Tibi, inquam, qui natus ad agendum ſemper aliquid dignum viro cum virtute, tum etiam ſapientia refulges.* Hæc verba Errici plane oſtendunt Carolum-calvum inter diſſidia tum domeſtica, tum externa barbarorum bella haud litteras neglexiſſe, qui aliunde accerſeret magiſtros diſciplinarum, quos præmiis & muneribus afficeret. Verum illius conatus non effecerunt, ut diſciplinæ ex ſuis emergerent ſalebris, & priſtinum reciperent nitorem. Certe ſcientiis renaſcentibus plurimum obfuit quoque mors Caroli-calvi, eo enim mortem oppetente Gallia fuit præda barbaris, ipſaque Lutetia caput regni longa obſidione à Nortmannis vallata, tumque abolitæ Pariſiis ſcholæ, & litteræ inter bella obmutuerunt. Paulò poſt Remis utcumque excitatæ ſunt Fulcone

Flod. lib. 4. cap. 9.

Archiepiſcopo procurante. Remigium enim Autiſſiodorenſem monachum liberalibus diſciplinis eruditum Remos advocavit, qui clericos adoleſcentes humaniores litteras edoceret, Hucbaldum pariter ſancti Amandi monachum Philoſophiæ ſcientiis apprime imbutum, quibus magiſtris inſigniter Remenſem eccleſiam illuſtravit, ſed trucidato crudeliter Fulcone Pontifice, Remigius Pariſios venit, ſcholamque aperuit. Eo tempore Pariſios acceſſit Odo, qui poſtea Cluniacenſis Abbas fuit, ut Remigium audiret, quod Joannes monachus in ejus vita commemorat. *Odo igitur*, inquit, *vir beatiſſimus ex Francorum proſapia extitit oriundus, ſed intra domum Gulielmi robuſtiſſimi Ducis Aquitaniæ eſt altus. Nono decimo ætatis ſuæ anno apud beatum Martinum Turonis eſt tonſus, ibique grammaticæ artis liberalibus ſtudiis educatus, deinde apud Pariſium dialectica muſicaque à Remigio doctiſſimo viro eſt inſtructus, & triceſimo ortus ſui anno Burgundiam petiit, ibique per quindecim annos ſub Bernone Abbate monaſticam vitam duxit. Poſtmodum vero Abbas ordinatus, Franciarum, Aquitaniarum, Heſperiarumve partium, atque urbis Romanæ conſiſtentium cænobiorum dux effectus & pater dulciſſimus.* Et paulo poſt de eodem Odone idem auctor ſic ſcribit. *His diebus abiit Pariſius, ibique Dialecticam ſancti Auguſtini Deodato filio ſuo miſſam perlegit, & Martianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit: præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium.* Ex his manifeſtum eſt ineunte ſæculo decimo litteras Pariſiis floruiſſe ſub magiſterio Remigii monachi Autiſſiodorenſis, ut illa ferebant tempora, docti, de quo Sigibertus in libro de eccleſiaſticis ſcriptoribus. Eo ferme tempore Abbo monachus Floriacenſis, quique poſtea hujus loci Abbas fuit, Pariſios venit ad audiendum magiſtros diſciplinarum, ut ab iis inprimis Philoſophiam edoceretur. *Cum vero*, inquit Aimoinus vitæ Abbonis ſcriptor, *jam ad tantæ profeciſſet faſtigium ſcientiæ, ut aliis quoque percepti talenti valeret donativum erogare, imbuendis præficitur ſcholaſticis, quos ille per aliquot annorum curricula, lectione ſimul & cantilena, cum tanta erudivit cura, ut palam ſe gaudere monſtraret, quod pecuniæ ſibi creditæ lucra augmentare valeret. Verum ipſe adhuc majora gliſcens ſcientiæ ſcrutari arcana diverſorum adivit ſapientiæ officinas locorum; ut quia grammaticæ, arithmeticæ, necnon dialecticæ jam ad plenum indaginem attigerat, ceteras ingenio ſuo pergeret ſuper adjicere artes. Quapropter Pariſios atque Remos ad eos, qui philoſophiam profitebantur, profectus aliquantulum quidem in aſtronomia, ſed non quantum cupierat apud eos profecit.* Ex iis quoque intelligas Pariſiis id temporis ſcholas & philoſophiæ magiſtros extitiſſe. Exactis ſcilicet Nortmannis Odo Rex renunciatus Lutetiam regni ſedem fecit, hancque ſimul ornare ſtuduit, ejuſque ſucceſſores Robertus primùm Comes Pariſienſis, tum Rex appellatus, & Hugo magnus, qui patris honoribus, ſi regiam tollas dignitatem, ſucceſſit, in eam quoque urbem doctrinis amplificandam operam omnem contulerunt: quapropter quiſque hujus ætatis eruditus huc accedere ſolebat, ut publica ſcientiarum profeſſione aliquod ingenii ſpecimen ederet. Hinc accidit, ut plures diſcendi gratia Pariſios advolarent. Ita Odo & Abbo, de quibus antea memoratum eſt, huc acceſſerunt, ut audirent profeſſores, & ex eorum doctrina fructum aliquem caperent. Plura de ſcholis Pariſienſibus addere non licet, his præſertim temporibus, quibus omnia perturbata erant, quibus corruptela graſſabatur, & inſcitia tanquam quædam rubigo omnium corruperat animos. Sed hæc infeliciſſima tempora rememorare neque mei operis, neque mei inſtituti, ad meliora tempora traducenda mea oratio eſt.

CAPUT VII.

De Comitibus, & quibus gradibus ad ſummam magnitudinem pervenerint.

I. QUA felicitate Hugo Comes Pariſienſis Regnum Francorum adierit, & ſinæ aſſeruerit familiæ mihi modo memorandum eſt. Sed prinſquam rem aggredior, pancis præfari oportet de Comitibus, qui hanc Pariſiorum civitatem ſub anteriorum Regum principatu rexerunt, ut lector intelligat, quibus gradibus ſolium Hugo conſcenderit. Sed quoniam inclinante fortuna gentis Carolinæ plurimum auctus honos Comitum, de his quædam ſubjiciam. Primùm itaque dicere incipiam, quæ fuerit Comitum origo, quodque munus eorum olim extiterit, & quomodo mutato rerum ſtatu ex rectoribus provinciarum, aut civitatum ſuas ſibi ſuiſque hæredibus civitates & provincias tranſmiſerint, ortumque tradiderint inſignibus familiis, quæ ſub tertia Regum Francorum familia longe celebratiſſimæ fuerunt. Comites jam inde ab Imperio Romano notiſſimi. Primam eorum originem penitus indicare difficile eſt, dicam nihilominus, quod veriſimilius eſſe exiſtimo. Poſtquam reſpublica in unius dominatum incidit, Principes quibus reipublicæ cura erat ſibi ſocios & Comites in expeditionibus adjungere conſueverunt. Suetonius ait Tiberium Imperatorem ita tenacem & parcum fuiſſe, ut Comites peregrinationum & expeditionum numquam ſalario, cibariis tantum ſuſtentaret, illi vero Comites poſtea non modo Imperatori præſto fuerunt, ſi expeditionem faceret, ſed etiam moderandæ reipublicæ faciendiſque judiciis adhibebantur ab Imperatore. Ita dicitur Hadrianus adſciviſſe optimos quoſque de Senatu in contubernium imperatoriæ majeſtatis, iique amici & Comites dicebantur; unde Spartianus annotat ab eo non modo cum judicaret habitos in conſilio amicos & Comites, ſed etiam Juriſconſultos. Celebrata deinde Comitum dignitas fuit, adeo ut, qui in aula gererent officia, Comites vulgo dicerentur, & qui magiſtratus ſeu domi, ſeu militiæ obtinerent, hoc quoque vocabulo appellarentur; id eſt tam, qui in aula munus exercerent, quam qui ex aula & comitatu aut militiæ, aut rei gerendæ præfecti in provincias mitterentur.

II. Etſi illi Comites jam inde à principatu Hadriani Imperatoris noti fuerunt, maxime tamen celebrati ſunt, poſtquam Conſtantinus tranſlata ſede imperii novam ordinandæ reipublicæ formam inſtituit. In aula enim frequens Comitum uſus fuit, iique majoribus officiis præpoſiti ſunt. Palatii Comites fuerunt, Comites largitionum, Comites domeſticorum, ne ſingulos enumerem, Comites maxime ii dicti ſunt, qui civitatibus & provinciis præerant, quorum ſæpius in antiquis ſacrarum conſtitutionum codicibus memoria eſt. De Ducibus quoque nonnulla addere oportetet. Namque in nova Imperii ordinatione recenſiti ſunt, & provinciis regendis & limitibus præpoſiti, & rei militari præfecti, quorum & in codicibus legum, & in notitia Imperii mentio eſt. Sed eorum originem, eorumque officia accuratius obſervare omittimus, eoque libentius, quod modò, quando res noſtras pertractabimus, de Ducibus Galliarum longior futurus ſit ſermo. Permanſit ille ordo à Conſtantino conſtitutus ſub principatu poſteriorum Imperatorum, & in ipſis Galliis perſeveravit uſque ad tempora Honorii & Valentiniani tertii; cum Franci Gallias trajecto Rheno invaſerunt, & his in locis poſuerunt ſedes & regnum fundaverunt. Tum enim Franci permixti Gallis nova jura officiaque nova inſtituerunt. Immo Romana inſtituta Romanaſque leges ſuis moribus permiſcere cœperunt. Duces inprimis Comiteſque regendis provinciis civitatibuſque præfecerunt, de his modò mihi

erit ſermo. Duces provinciarum ſub Francorum imperio extitiſſe in Galliis haud dubium eſt. Horum certe, vel apud antiquiſſimos noſtrarum rerum ſcriptores frequens mentio eſt. Libet igitur diligentius inquirere, qui Duces, qui Comites apud noſtrates fuerint, quodnam inter utroſque diſcrimen fuerit; à Comitibus initium erit. LBI. IX. CAP. VII.

Etſi Comites erant in palatio, & honorifica in aula gerebant munera, plerumque tamen præfecti urbiumque rectores erant, quibus & juris dicundi, & tractandæ militiæ poteſtas erat. Ejuſmodi Comites complures apud Gregorium invenias, Firminum Comitem Arelatenſis urbis memorat, Palladium Gaballitanæ, Pæonium Mummoli Ducis patrem: Nantinus pariter ab eodem celebratur Engoliſmenſis urbis Comes, Vvaddo Sanctonum, Ollo Biturigum, Theodulfus Andegavenſis, Gundobaldus Meldenſis, longior ſim, ſi alios omnes enumerem, quorum antiquus rerum noſtrarum ſcriptor meminit. Illi porro Comites, ut à Regibus creabantur, ita pariter tollebantur pro nutu & arbitrio Principum. Palladius Comes Gaballitanæ urbis à Sigiberto Rege loco pulſus eſt, quod conviciis Parthenium Epiſcopum affeciſſet: ne plures alios memorem, ut Gregorius refert, novi Comites à Chilperico præpoſiti ſunt fratris ſui civitatibus, quas invaſerat; & ipſo Chilperico interfecto Guntchramnus Rex urbibus Chlotarii nepotis alios Comites præfecit, Theodulfumque Andecavis Comitem eſſe juſſit. Et Gundobaldus Comitatum Meldenſem, quem Guerpinus obtinebat, vel ipſo renitente accepit. Hæc Gregorius: ex quibus manifeſtum eſt Comites ad Regum voluntatem civitatibus & urbibus præpoſitos fuiſſe. Comitibus vero, non modo rerum publicarum cura erat, ſed etiam privatarum, his juris dicundi munus incumbebat, & vicinos pagos circumeundi ad ordinanda civitatis diſſidia, Gundobaldus, de quo modo ſermo fuit, pulſo è Comitatu Meldenſi Guerpino Comite urbem ingreſſus eſt, *& cauſarum actionem agere cœpit*, inquit Gregorius. *Exinde dum pagum urbis in hoc officio circumiret, in quadam villa à Guerpino interficitur.* Hoc præſertim officium obibant Comites, ut judicia in civitate exercerent, quod poſtea fuſius dicemus, cum de Comitibus ſub ſecunda Regum familia ſermo erit; de hoc eorum munere agit Fortunatus ad Galactorium Comitem. III.

Veniſti tamdem quod debebaris, amice,
Ante Comes merito, quam datus eſſet honor.
Burdigalenſis eras, & cum defenſor amator
Dignus habebaris, hæc duo digna regens
Iudicio Regis voluiſti creſcere Iudex,
Famaque quod meruit, regia lingua dedit &c.

Præter hoc munus, cui exercendo domi operam navabant; aliud præterea hoc eorum erat, quod rebus turbidis militiam agerent. Cum Regi Chilperico nunciatum eſſet Aſclepinm irruiſſe in pontem Urbienſem interfectoſque cuſtodes, quos poſuerat, & pagum populatum eſſe; hand mora *mittit nuncios Comitibus, Ducibuſque, & reliquis agentibus, ut collecto exercitu in regnum Germani ſui irruerent.* Non ſolum Ducibus, ſed Comitibus etiam mandata eſt belli gerendi cura. Cum ſub principatu Theodorici Childeberti filii Alemanni irruptionem feciſſent in pagum Aventicenſem & ipſum deprædarentur; *Abbelenus & Herpoinus Comites, cum cæteris de ipſo pago Comitibus, cum exercitu pergunt obviam Alemannis*, hæc Fredegarius. Et pariter cum Vaſcones rebellarent, Rex Dagobertus Chadoindum referendarium virum bello, & rebus præclarè geſtis inclytum cum pluribus Ducibus plurimiſque Comitibus, quibus Dux non præerat, ad conterendam eorum audaciam adverſus eos miſit. Hæc ſaris oſtendunt Comitibus rei bellicæ provinciam datam eſſe, ſed de his quoque amplius dicemus. Illi quoque ad publica regni comitia ſeu placita, uti vocabant, ire conſueverant, & cum Regibus & palatii præfectis de republica ordinanda ſtatuebant, & tributa & collecta in civitatibus & pagis dona deferebant ad Reges. Ducum pariter a ætate maxima auctoritas erat, hi poteſtate & honoribus Comites longè anteibant. In hoc Comitum Ducumque diſcrimen erat, quod illi civitati, hi IV. Fredeg. anno Dagob. 6. 14.

LIB. IX. CAP. VII. provinciæ pluribuſque urbibus præficerentur. Et ſane è Comitibus plerumque Duces fiebant. *Itaque*, inquit Gregorius, *Nicetius per emiſſionem Eulali à Comitatu Arverno ſummotus ducatum à Rege expetiit, datis pro eo immenſis muneribus*: ex quibus verbis haud dubie hoc colligas, quod diximus, Duces dignitate Comitibus anteire, eoſdemque pluribus urbibus præſidere ſolitos. Idem auctor ſcribit, quod

Greg. lib. 9. cap. 7. *Ennodius cum ducatum urbium Turonicæ atque Pictavæ adminiſtraret, adhuc & vici Julienſis atque Benarnæ urbium principatum accipit. Sed euntibus Comitibus Turonicæ atque Pictavæ urbis ad Regem Childebertum obtinuerunt à ſe removeri.* Ex quibus verbis intelligas Ennodium Turonorum & Pictavorum Ducem fuiſſe. Cumque harum urbium Comites cernerent ſe ob eam cauſam poteſtate diminutos, Regem adierunt, & ſollicitis precibus obtinuerunt, ut amoveretur, neque alius conſtitueretur, ſub cujus poteſtate civitates regerent. Haud dubium eſt Duces & poteſtate & honoribus præſtitiſſe, quod Fortunatus poëta illorum temporum verſibus ſignificat de Comite Galactorio.

Lib. 8. car. 20.

Cumque domo, ſocius, antiſtite, conjuge, natis
Vive Comes, cui ſint jura regenda Ducis.

Venantius Galactorio, quem Rex præfectum civitatis, ſeu Comitem fecerat, precatur, ut brevi adminiſtrandæ provinciæ munus, ſeu ducatum obtineat, quod ſimiliter Sigoaldo Comiti ſcribit.

Rex Childebertus creſcens te creſcere cogat,
Qui modo dat Comitis, det tibi dona Ducis.

V. Hi Duces provinciis præficiebantur ex nutu & arbitrio Regum, & pariter muneribus abdicabantur, ita Childebertus Gundulfum Ducem Maſſilienſium ejecto Dinamio conſtituit. *Hæc cernens Childebertus*, inquit Gregorius, *Gundulfum ex domeſtico Ducem factum de genere ſenatorio Maſſiliam dirigit, ejicit Dinamium rectorem provinciæ.* Illis ſicut Comitibus in civitatibus cura belli erat, illi publicis conventibus aderant, & de republica ſimul cum Regibus, Epiſcopis & Comitibus agebaut. Plures ſub prima Regum Francorum familia Duces ejuſmodi fuiſſe notiſſimum eſt ex Gregorio, Fortunato, Fredegario, aliiſque noſtrarum rerum ſcriptoribus. Memorat inprimis Gregorius Duces Mummolum, Gundobaldum, Sigivaldum, Bappolenum, Guntchramnum Ducem Arvernorum, Ennodium Ducem Turonorum & Pictavorum, Dinamium Ducem provinciæ Maſſilienſis, Lupum Ducem Campaniæ, quem etiam Fortunatus verſibus celebrat, & Bodegeſilum, cujus laudes idem auctor cecinit: quid referam Leudegiſilum Ducem, cui Guntchramnus Rex Arelatenſem provinciam commiſit, Bappolenum, qui à Fredegunde ad Guntchramnum Regem tranſiit: Deſiderium, quem, Chilpericus cernens diſcordias pullulare inter fratres & nepotem, ad ſe evocavit: Bobonem Ducem filium Mummoleni, qui Rigunthem filiam Chilperici comitatus eſt; neque libet amplius his enumerandis immorari, quorum magnus erat in regno Francorum numerus, adeo ut Childebertus cum adverſus Longobardos expeditionem faceret, plurimos Duces ad bellum in Longobardia gerendum delegerit. Præter illos Duces, qui ex nutu Regum aſſumebantur removebanturque, alii Duces erant, qui majori provinciæ præerant, ſuberantque Regibus Francorum, ita tamen, ut eorum filii, aut hæredes alii illis ſuccederent, provinciamque ex hæreditate caperent, tales fuerant Duces Aremoricæ, ſeu Duces Britannorum, & Duces Bajoariæ, qui & Comites, immo & aliquando Reges à noſtris auctoribus appellantur. Duces quoque Aquitaniæ, poſtquam hæc in provinciam ordinata eſt, ſibi jus omne in eam ac ſummam poteſtatem exercere inſtituerunt, ex quo præſertim præfecti regiæ domus, ſeu uti vocabant Majores palatii turbare rem gallicam cœperunt, & mutuis adverſum ſe invicem odiis decertare, ac tandem non modo cum regia poteſtate nomen quoque dejectis regibus ſibi ſuiſque poſteris aſſerere. Id enim temporis, Eudo, Hunaldus, & Vvaifarius Duces Aquitaniæ ſubtrahere ſe ab imperio Francorum, cum & eodem tempore Dux Bajoariæ Odilo & Taſſilo, poſtea ejus filius Regi Francorum parere abnuerunt, quos tamen Carolus-martellus, & Pippinus & Carolus-magnus oppreſſerunt. Sed his breviter & curſim

Digitized by Google

de Ducibus enarratis ad Comites redeo, quorum magnum nomen fuit ſub Prin- LIB. IX.
cipibus Carolinæ familiæ, quemadmodum ad tantam ad quam poſtea evecti ſunt CAP. VII.
magnitudinem ſibi gradum fecerint memorare aggredimur.

Duces olim & Comites, quemadmodum antea memoratum eſt, à Regibus VI.
provinciis & civitatibus præponebantur, ad eorum quoque nutum & arbitrium
ab honoribus dejiciebantur. Hanc rei gerendæ formam receptam à Romanis,
Reges Francorum in provinciis, quas diſcerpto Romano Imperio ſubegerant,
æmulari ſtuduerunt; hancque ordinationem Chlodoveus Rex maxime ſecutus
eſt. Certe hæc ratio reipublicæ gerendæ imperio ſub unius poteſtate retinendo
videbatur opportuna: ne ſi perpetua provinciarum & civitatum adminiſtratio
fieret, facile regnum in partes diſtraheretur, & quiſque provinciam aut civita-
tem non tamquam reipublicæ partem, ſed tamquam hæreditatem, & patrimo-
nium retineret. Chlodoveus igitur, qui primus res Francicas maxime ordinare
cœpit, prout lubitum erat, præfectos rectoreſque provinciarum, quos Duces
& Comites vocabant, conſtituere & mutare ſolitus erat; & quamdiu is ſtatus
regni fuit, tamdiu res apud Francos florentiſſimæ fuerunt. Ejus pariter filii eam
adminiſtrandi regni formam adhibuerunt, in Comites enim & Duces ſummo
jure & ſumma uſi ſunt poteſtate, ad eorumque voluntatem provinciarum civi-
tatumque adminiſtratio fuit. Verum hæc præclare compoſita non diu perſtite-
runt, Comites enim, hos dumtaxat vocabo, eorumque nomine Duces pariter
intelligam, Comites inquam ſenſim majorem auctoritatem aſſumpſerunt. Seu,
ut tunc fieri ſolitum erat, fratres inter ſe provincias dividerent, & æmulatio
pariter & cupiditas regni ampliandi inteſtinæque diſcordiæ facerent Comitibus
locum augendæ poteſtatis; ſeu varia rerum temporumque viciſſitudo iis creſ-
cendi auctoritate opportunitatem daret: ſeu dum bella ſæviunt, & reſpublica
externis premitur armis, Comites inter turbas imperii detrectandi, & honoris
amplificandi occaſionem captarent; ſeu Regum ætas, aut ipſa Principum ſo-
cordia abnuendi imperii, & res privatas cum damno reipublicæ amplificandi
tempus præberet. Certe progreſſu temporum ita honoribus accreverunt, ut
poſtea ſummam in provinciis uſurpare auctoritatem non veriti ſint. Sed hæc
ſigillatim annotare, & quomodo ſucceſſione temporum acciderint commemo-
rare difficillimum eſt; id tamen aggrediar, ut pateat per quos gradus ad ſum-
mam poteſtatem Comites pervenerint, ita tamen hoc negotium pertractabo,
ut cauſas auctæ magnitudinis attingere potius, quam ad longum explanare &
diſcutere omnino videar.

Cum primum Chlodovei, & pariter Chlotarii majoris filii & hæredes re- VII.
gnum Francorum quadrifariàm partiri inſtituiſſent, & ſinguli in provinciis ſum-
ma uti poteſtate: Æmulatio potentiæ, immoderata regni augendi cupiditas,
fratrum odia, graſſanteſque diſcordiæ bella domeſtica excitarunt. Tum Comi-
tes præpoſiti copiis adverſus Reges gerere bellum aſſueverunt, & regium no-
men, quod antea illis reverendum erat, deſpicere, tumque illi provincias non
tam regere ex legum uſu, & Principum auctoritate, quam ex æſtimatione
commodi & effræna temporum licentia. Sed duo his temporibus inprimis acci-
derunt, quibus illis haud parum acceſſit auctoritatis; cædes ſcilicet duorum
Regum Sigiberti & poſtea Chilperici. Cum malis artibus Fredegundis Victo-
riaci Sigibertus occiſus eſſet, Childebertus ejus filius, qui vix quinquennis erat,
à Gundobaldo Duce ereptus è manibus matris, rex ſalutatus eſt, & ille educa-
tus eſt ſub tutela procerum, qui impotenter neglecta Brunichilde regnum ad-
miniſtrarunt, illi cum Lupum Ducem Campaniæ collecto exercitu interficere
aggrederentur & Brunichildis iniquum facinus prohibere tentaret, Urſio unus
è proceribus. *Recede à nobis, ò mulier, ſufficiat tibi ſub jure tenuiſſe regnum. Nunc
autem filius tuus regnat, regnumque ejus non tua, ſed noſtra tuitione ſalvatur. Tu
vero recede à nobis, ne te ungulæ equorum noſtrorum cum terra confodiant.* Audaciam
ſcilicet ceperant ex auctoritate, quam ſub pupillo Principe aſſumpſerant. Paulo
poſt confoſſus eſt ad villam Calenſem Chilpericus Rex, continuo primates re-
gni ſub auſpicis Auſovaldi filium ejus Chlotarium puerum quatuor menſium

LIB IX. CAP. VII. Regem appellaverunt, & pet opida & urbes diſcurrentes fidem & ſacramentum ejus nomine receperunt: neque dubium eſt, quin ii, qui ejus tutelam ſuſceperunt & provincias illius, cum pupillus erat, adminiſtrarunt, multum ex tutela Regis & regni gubernatiooe poteſtatis acquiſiverint, & Comites alii multum iis temporibus ſibi tribuerint auctoritatis ſub precario tutorum imperio. Poſt mortem Childeberti: cum ejus filii Theodobertus & Theodoricus diviſa patris Childeberti hæreditate, ille in Auſtria, bic in Burguodia regnaret, & avia Brunichildis omnia permiſceret, & fraterna bella accendiſſet, in conſpectum exercitus venerunt; hortabanturque proceres Tbeodoricum, ut pacem reconciliatis cum fratre animis faceret. Solus adverſabatur Protadius Major domus, reſiſtentem proceres commoto exercitu confodiunt. Audax facious fuit & peſſimi exempli, hominem ea gratia eoque præditum munere ante conſpectum Regis interficere. Compoſita quidem pax eſt, ſed brevi odia iterum exarſerunt; aſperaque bella ſecuta ſunt, quæ clade & cæde Tbeodoberti finem habuerunt; bæc vero baud parum auctoritatem Conutum auxerunt. Sed nihil plus eorum magnitudini contulit, quam illa rerum viciſſitudo quæ ſecuta eſt: Cum Chlotarius aliquot tantummodo pagorum dominus potius quam Rex, factione Auſtraſiorum & Burgundionum Brunicbilde ejuſque nepotibus ſublatis, ſubito Rex Auſtriæ, Burgundiæ, & totius Neuſtriæ evaſit. Ea res auxit plurimùm potentiam Cblotarii Regis, qui ex hac ſubita rerum mutatione factus eſt potentiſſimi regni dominus, ea tamen omnia in reipublicæ damnum verterunt, namque honoribus fuerunt cumulandi, qui Reges, qui tegnum & provincias prodiderant: iique proditæ reipublicæ non pœnam, ſed præmium & mercedem immeriti receperunt. Vvarnacharius pretium petfidiæ tulit perpetuo aſſertam Burgundiæ præfecturam. Namque ille, inquit Fredegarius, *in regno Burgundiæ ſubſtituitur Major domus, ſacramento à Chlotario accepto, ne umquam vitæ ſuæ temporibus degradaretur. In Auſtria Rado idem hunc honoris gradum aſſumpſit.* Neque dubium eſt, quin ceteri Comites, quemadmodum illi habita ſui muneris & redditi officii raoone pretium proditionis retulerint. Publicum boc malum his peſſimis temporibus utile & opportunum fuit, ut res publica rediret ad optimum Regem & regiis ornatum virtutibus, qui regnum Francorum anteriorum Regum oſcitantia lacerum perditumque, parta ubique pace, conſtitutis bonis legibus & æqua moderatione reſtitueret. Quod tamen non prohibuit, quominus Comites memores Chlotarium ſuo regnare beneficio motus aliquot excitarenr, & ipſam regiam deſpicere majeſtatem viderentur. Iniqua fuit Dagoberti poſtulatio, qui in villa Clippiaco Auſtraſiorum optimatum impulſu, poſtquam Auſtriæ regnum à patre accepiſſet, etiam antiquam Auſtriaci regni poſſeſſionem omnino repoſcebat, adeo ut controverſiam Pootificum optimatumque judicio definitam eſſe oportuerit. Nibilominus tam prudenter rem geſſit, ut filio Dagoberto recuperandæ regiæ poteſtatis & agendi ſummo jure viam fecerit. Prope fuit enim, ut ille Rex ad priſtinum ſtatum Comites, & optimates quoſque prudentia & magnitudine animi redigeret: ſed probibuit mors immatura Dagoberti, quominus banc ſuam auctoritatem filiis tranſmitteret. Pueros enim reliquit Reges Sigibertum ſub tutela Pippini in Auſtria regnantem, & Cblodoveum Regem Neuſtriæ & Burgundiæ ſub tutela Nantildis Reginæ & Ægæ præfecti palatii. Hìc penitus regia concidit auctoritas. Si enim hujus præfecti & Erchinoaldi majoratum excipias, quorum temporibus quantùm ſub pupillis Regibus licuit, ſua quoquo modo iis reverentia & auctoritas ſalva & iotegra permanſit. Reliqua certè tempora ſub Majoribus regiæ domus turbis domeſticis & civilibus diſcordiis magnopere petturbata ſunt, tuncque Regum auctoritas corruit, & conculcata penitus eorum majeſtas eſt, permixta omnia ſunt, Reges nomen, præfecti auctoritatem regiam aſſumpſerunt, neque percurrere libet peſſimam illam ætatem, qua jura abolita ſunt, proſtratæ leges, ſcelus & flagitium prævaluerunt. Quiſque bæc aoimo perpendens intelligere poteſt, quo uſque effrænata his temporibus proruperit audacia. Pudet bæc me referre & obductam longa annorum ſerie cicatricem tenovare.

Ceterum

Ceterum his temporibus Comites & præfecti provinciarum uſi tempore lon-giſſime honoribus & poteſtate aucti ſunt, eoque imprimis tempore quo conſue-tudo ea erat apud Francos, ut ſingulis annis primùm ad Calendas Martias, tum ad Calendas Maias publici conventus, ſeu regni haberentur placita, huc Epiſco-pi, Duces & Comites accedebant, donaque, pro more, civitatum & provincia-rum nomine ad Reges deferebant, in his conventibus majora regni negotia ex optimatum judicio finiebantur, ea magnam Ducibus & Comitibus pepe-rerunt auctoritatem, quæ ex rerum negotiorumque viciſſitudine maxime aucta eſt. Ut alia mittam, dum Reges ob ætatem reipublicæ adminiſtrandæ haud idonei erant: ſed cuncta pro nutu regebant Præfecti palatii, qui deinde æmu-latione & odio adverſus ſe invicem perciti, ingentes turbas horridaque bella concitarunt, Comites civitatum & provinciarum præfecti inter diſſidia reipu-blicæ honoribus & amplitudine augebantur, eoque maxime tempore, quo Pippinus abdicato Childerico Rege ſummam rerum regiumque nomen aſſum-pſit; namque non ex hæreditate, ſed ex ambitu & optimatum conſilio ad re-gnum evocatus locum fecit Comitibus amplificandæ dignitatis, facile enim Reges patiebantur eos dignitate creſcere, quorum auxilio ad regnum evaſe-rant: illos quippe non modo ad annuos conventus convocabant, ſed ſi quid rei-publicæ conſultum eſſe volebant, tum ab iis etiam ſuam poſcebant ſententiam, eorumque conſiliis utebantur, adeoque extra ordinem ſæpius agebantur pu-blici cœtus. Hunc morem Pippinus induxit, qui regnum affectans Comitum voluntates ſibi his artibus allicere, eoſque cum Epiſcopis ad conventus vo-care cœpit, ut ederent capitula, quod deinde alii Reges æmulari ſtuduerunt. Ita Pippinus antequam Rex renunciatus fuiſſet, ad annum DCCXLIV. teſtatur ſe Sueſſionis Concilium vel Synodum feciſſe, ſeu *cum conſenſu Epiſcoporum ſive ſacerdotum, vel ſervorum Dei conſilio, ſive Comitum & optimatum Francorum congregaſſe conventum.* Similiter cum anno DCCLXVIII. Pippinus febre ve-xatus ſe deferri ad baſilicam ſancti Dionyſii juſſiſſet, cumque morbus in dies ingraveſceret, Rexque ſupremum diem imminere intelligeret, *omnes proceres ſuos, Duces & Comites Francorum, tam Epiſcopos, quam ſacerdotes ad ſe venire præcepit, ibique una cum conſenſu Francorum, & procerum ſuorum, ſeu & Epiſcoporum regnum Francorum, quod ipſe tenuerat, æquali ſorte inter prædictos filios Carlum & Carlo-mannum, dum adhuc inter eos viveret, inter eos diviſit*, felicitas quidem & magni-tudo animi Caroli-magni prohibuit, ne Comites ſua poteſtate abuterentur, ille tamen magnus Imperator permiſit eos ſuis honoribus frui, Comitumque po-tentiam ſi non auxit, certe diminutam eſſe noluit. Cum iis communicabat ma-jora Regni negotia: illi viciſſim huic præſto erant, obſequium & operam rebus arduis exequendis reddebant. Carolus, quemadmodum conſuetum erat, Co-mites ad generales conventus advocabat ad annum DCCLXXIX. Epiſcopos Abbates, viroſque illuſtres, Comites ad Synodum convocavit, & cum iis pluri-ma ſcripſit capitula, quæ tam ad Eccleſiæ, quam reipublicæ commoda ſpecta-bant. Haud pauca ejuſmodi reperias inter capitularia Regum, quæ omnia com-memorare longum eſt; mihi ſatis erit quædam ſollemnia negotia referre, ex quibus intelligas, quæ fuerit ſub principatu Caroli-magni Comitum auctoritas. Anno DCCLXX. mortuo Carolomanno Carolus ad villam Carbonacum venit, eo ſtatim Comites, qui fratris fuerant, ad eum adierunt, ejuſque provin-cias ſuæ ſubjecerunt poteſtati. Cum Adrianus Pontifex adverſus Longobardo-rum opes ab eo auxilium per legatos poſceret, ille haud mora coacto procerum Epiſcoporum ſcilicet & Comitum Concilio ſe ad Italicam expeditionem accin-xit. Taſſilo Dux Bajoariæ à fide deſciverat, & arma contra Carolum concita-verat. Non tulit perfidiam Carolus, conventum ex proceribus Francis, Bajoa-riis, Longobardis, Saxonibus cogit; ſiſtitur Taſſilo, perduellionis inſimulatur, & capitali ſententia condemnatur, vitam tamen clemens Princeps Duci con-donavit. Hæc apud Ingelheim geſta ſunt anno DCCLXXXVIII. qua-driennio poſt Regenſburgi, quo coram Comitibus aliiſque optimatibus addu-ctus eſt Pippinus filius Regis, accerſituſque eſt parricidii, capitale ſtatutum eſt

LIB IX. CAP. VII. VIII.

LIB IX. CAP. VII. ſupplicium: donata tamen illi vita eſt, ſed in monaſterium tanquam in perpetuum carcerem compactus eſt. Nonne ad ſanciendam pacem cum Hemmingo Danorum Rege primores regni duodecim ſcilicet Comites delegati ſuot. Sed ut demum abſolvam, eodem anno DCCCXI. ſcripſit Catolus litteras, quibus theſaurum, pecuniam, veſtes, aliamque ſupellectilem partiebatur. *Hanc vero conſtitutionem atque ordinationem coram Epiſcopis, Abbatibus, Comitibuſque, qui tunc præſentes eſſe potuerunt, quorumque nomina hic deſcripta ſunt, fecit atque conſtituit.* Ea omnia magnifica Comitibus erant, quid enim illis honorificentius poterat contiogere, quam in magnis rebus magno Principi adeſſe, ejus conſiliis calculum & nomen dare, Comites quibus antea ſub prima ſtirpe civitatem regere, civibus jus dicere conſuetum erat, & ſingulis annis publicis conventibus intereſſe, ut annua dona Regibus deferrent: quos pro nutu & arbitrio magiſtratu abdicare Reges ſolebant: jam mutato rerum ſtatu ſub potentiſſimo Principe ad graviſſima & intima Regum negotia adhibebantur, neque amplius unius, aut alterius civitatis cauſas cognoſcebant, ſed ipſi rerum maximarum judicia exercere, de belli paciſque vicibus cum Regibus decernere inſtitueruot. Sub magni Regis potentatu facile fuit Comites his decoratos hooonibus in officio continere, ea res haud ſine periculo erat ſub aliis Principibus, quorum anceps dubiaque auctoritas inter ſubditos eſſet: immo metuendum rebus perturbatis exemplum fuit, ut ex his, quæ modo ſubjiciemus, facile quiſque intelliget.

IX. Ludovici-pii læta fuerunt initia. Primum Comites eodem modo ſe geſſerunt, quo ſub Caroli-magni ætate. Verum paulo poſt elati potentia & auctoritate, quam acquiſiverant, in contemptum regiæ dignitatis facile ſub optimo Principe venerunt. Illi in civitatibus omnia ad libidinem gerere, non amplius ex æqui juſtique legibus, ſed ex gratia & commodis privatorum fortunas æſtimare; frequentes ea de re querelæ, quibus in conventibus publicis & ſollemnibus placitis mederi pluribus modis inſtituerunt. Primum leges & decreta contra Comites haud raro ſancita ſunt, quibus admonebantur jus ſervare, cauſam pupillorum & viduarum ſuſcipere, coercere injuriam, & vim ſumma poteſtate repellere. Deinde in provincias Miſſi dominici delegati, qui in facta Comitum inquirerent, & de iis ad Principem referrent. Sed alterum Comites contempſerunt, alterum amplificandæ Comitum potentiæ haud mediocriter contulit, plerumque eoim Miſſi dominici ex Comitibus creabantur, uode accidit, ut ex novo munere potentia & auctoritate creſcerent. Sed nihil eorum augendæ dignitati magis opportunum fuit, quam reipublicæ vulnera, ſeu dum filii adverſus patrem arma movent, & ipſi Francorum imperium, quod defendi ab iis oportebat, contumacia & rebellione diſtrahunt, ſeu dum Fratres adverſus ſe invicem pro aſſerendo ſibi regno ferociter pugnant, & externus hoſtis provinciis Galliarum vaſtitatem infert. Tum enim Comites non tam publicis, quam privatis commodis ſervire ſtuduerunt, & ea rerum perturbatione obſequium & fidem denegare, ſummam in civitatibus potentiam adipiſci; quæ quomodo contigerint libet paucis inveſtigare.

X. Ex damnis turbiſque Imperii Francici auctam inprimis Comitum poteſtatem eſſe conſtat, prima amplificandæ auctoritatis occaſio fuit, poſtquam Ludovicus-pius nuptias cum Juditha cootraxit, & paulo poſt ex eo conjugio natus eſt Carolus, qui deinde calvus dictus eſt. Tum accidit, ut Beroardus Barcinonenſis Comes apud Auguſtum gratia & auctoritate valeret. Quæ res poſtea magnos tumultus in regno concitavit: proceres enim æmulatione & invidia perciti primùm adverſus Auguſtam & Bernardum improbos rumores ſpargere, tum apertis deflagrare odiis. Interim dum Auguſtus contra Britooes proficiſcitur; primores regni inita conjuratione plebem concitaot, Pippinum accerſunt ex Aquitania, & Lotharium ex Italia, & prope abfuit, quin Auguſtum ex Imperio dejicerent, paulo poſt Noviomagi habito conventu factiooe Germanorum reddita Imperatori ſua auctoritas eſt, coojurationis Principes leviore pœna mulctati ſunt. Etſi hæc conjuratio brevi ſedata eſt, in perniciem tamen & damnum

Imperii ea res vertit, ita enim ſeditioſorum factio extincta, ut brevi validior excitaretur, & aliunde cumulandi erant beneficiis & honoribus, qui in fide ſteterant, hæc anno DCCCXXX. Triennio poſt filii iterum adverſus patrem bellum renovant, patremque à ſuis deſertum ad ſe tranſire & ſeſe dedere compellunt, ille Lothario traditus cuſtodiæ mandatur, ac demum ante ſancta Dei altaria, præſente filio, perfido Ebone facinoris opifice exauctoratur optimus Imperator. Tum Comites miſerari ſortem Imperatoris, quem ſua manſuetudo & filiorum contumacia perdiderant, tacti dolore ſe cohortati ſunt ad eximendum è cuſtodia Principem, filii quoque Ludovicus & Pippinus caſu paterno & populorum comploratione exciti arma capiunt, & è manibus Lotharii patrem eripiunt. *Et quidem*, inquit auctor vitæ & actorum Ludovici pii, *in Franciam Eggebardus Comes, & Vvillelmus Comes ſtabuli, quos poterant ſibi in unione voluntatis reſtituendi Imperatoris coadunabant.* Non inſtitui dicere quid hinc inde Comites geſſerint, nec quamdiu filiorum adverſus patrem perduraverit impietas. Sed certum eſt, ſeu dum excitant, ſeu dum ſedant bellum, plurimum poteſtate & honoribus accreviſſe. Paucis poſt annis moritur Ludovicus; Gallia continuo inteſtinis bellis laboravit; Lotharius, Ludovicus & Carolus mutuis odiis exarſere, ac demum ordinata acie ad Fontanetum pugnatum eſt. Victoria quidem Ludovici & Caroli fuit. Sed cum uterque uti victoria neſcierit, Lotharius reparato exercitu fratres ad æquam regni diviſionem compulit. Dum bella domeſtica deflagrarent, omnia in regno Franciæ, ut fit, his temporibus erant turbatiſſima, quiſque pro ut affectus erat diverſis ſtudiis agebatur. Provinciæ & civitates plerumque eò ſequebantur, quò Comites inclinabant, Reges dubiam eorum fidem honoribus, præmiis & beneficiis redimebant. Scribit Nithardus Gerardum Comitem Pariſienſem & Hilduinum Dionyſiani monaſterii Abbatem ad Lotharium tranſiviſſe, etſi illi in portione & regno Caroli verſabantur. Narrat idem auctor Bernardum Septimaniæ Ducem, quo tempore dimicatum eſt à loco, ubi fuit pugna, tres tantummodo leucas conſultò abfuiſſe: ſed poſtquam accepit cladem Lotharii, illico miſiſſe ad Carolum, filium Vvilelmum, qui illi victoriam gratularetur, & fidem ſacramento pollic retur, ſi honores, quos habuerat in Burgundia, illi concederet, præpoſtera quidem legatio, Rex tamen ultro illi omnia conceſſit, & ut erant ea tempora, diſſimulavit injuriam, etenim inter hæc diſſidia quiſque ex Ducibus & Comitibus fidem commodaque reipublicæ quæſtui habebat, & Principes non amplius auctoritate, ſed donis & pollicitationibus ſubditos in fide continebant. Demum Reges facta Provinciarum diviſione in publicis conventibus res ſuas ordinare ſtuduerunt. Carolus cum optimatibus in villam Coloniam venit, Rexque pollicitus eſt ſe omnibus Comitibus inprimis ſuos honores ſuaque munera ſervaturum, qua lege factum eſt, ut non amplius Comites pro nutu & arbitrio Principum ſuo loco moverentur, & à ſuis provinciis & civitatibus pellerentur: atque adeo accidit, ut præfecturas quilibet Comes quamdiu viveret etiam ex lege & inſtituto retineret. LIB IX. CAP. VII.

Poſtquam Comites ſuos ſibi honores aſſeruerunt, facile fuit ad filios & hæredes tranſmittere, & eos novis augere incrementis. Nortmanni id temporis infeſtabant Galliam, neque una aut altera incurſio barbarorum fuit, ſed aſſidua, & nullis prope propulſanda viribus. Miſerandus ea tempeſtate rerum ſtatus fuit, Reges odio, æmulatione & cupiditate adverſus ſe invicem accenſi locum & tempus injuriæ quærebant, Nortmannus hoſtis perpetuus vaſtabat provincias, Comites dicto audientes non erant, Carolus omnes adhibeoat artes, ut eos in fide retineret, modo publicis conventibus illis omnia, quæ contra fidem egerant, condonabat, plures, quorum fides dubia erat, datis comitatibus & monaſteriorum redditibus ad officium revocabat, nulla tamen ratione contumaciam ſuorum coercere potuit, Comites ad Ludovicum Germaniæ Regem ex compoſito deficiunt. Rex Germanorum Galliam cum validis copiis ingreſſus facile omnes provincias in ſuam redigit poteſtatem, & Carolus à ſuis deſertus fuga ſibi conſulit. Hanc Comitum defectionem his verbis deſcribunt annales Bertiniani ad annum DCCCLVIII. *Interim Comites ex regno Caroli Regis* XI.

Eeee ij

Ludovicum Germanorum Regem, quem per quinque annos invitaverant adducunt, qui Calendas Septembris Ponteonem villam regiam, per Catalaunos & Cupedenſes Agedincum Senonum pervenit; inde Aurelianenſem pagum adiens receptis ab Aquitania & Neuſtria atque Britonibus, qui ad eum ſe venturos ſpoponderant, eadem pæne via ad Cupedenſes remeat. Quibus Carolus Rex compertis, per Catalaunos uſque ad Breonam villam feſtinus graditur: ubi concurrentibus ad eum Burgundiæ primoribus Ludovicum inſequentem præſtolatur: ſed intercurrentibus nunciis, cum nulla pacis compoſitio fieret, tertio tandem die, id eſt pridie Idus Novembris præparatis hinc inde aciebus, videns Karlus ſe à ſuis deſeri, receſſit, & partes Burgundiæ petiit. Ludovicus vero receptis his, qui à Karolo defecerant, Auguſtam Tricorum adit; ibique diſtribuit invitatoribus comitatus, monaſteria, villas regias, atque proprietates, ad Attiniacum palatium revertitur. Neque multo poſt, cum neque ſua fortuna uti noviſſet Ludovicus, & Carolo quædam aura felicior afflaſſet, hic æque feſtinanter ſuas recepit provincias, quàm eas facile amiſerat. Ea Comitum maxime conjuratio fuit, nam præter Vvenilonem Archiepiſcopum Senonenſem nullum ex Epiſcopis hujus conſcium fuiſſe accepimus. Quemadmodum autem oportuit à Ludovico rebellionis principes donis, comitatibus & præfecturis provinciarum compenſatos eſſe; ita Carolus iiſdem artibus ſuos retinebat, & eos, qui erant dubiæ fidei, eodem modo alliciebat, atque adeo per vulnera reipublicæ ſenſim Comites ad ſummam poteſtatem enitebantur. Ea ſane Comitum auctoritas fuit: ut poſtquam Carolus Imperator Romæ renunciatus eſt, in Cariſiaco villa publico ſollemnique conventu capitula ediderit, quibus proceres reſponſionem aut approbationem coram adjecerint. Ex his porro capitulis apparet, quæ fuerit ſub principatu Caroli-calvi rerum adminiſtratio, Carolus enim profecturus in Italiam rem ordinare cœpit, & cum optimatibus decernere, quæ forma adminiſtrationis foret ſub Ludovico ejus filio, cui adjectis conſiliariis regimen regni Francorum ſe abſente permittebat. In hac regni ordinatione licet colligere, quibus gradibus Comites ſummam rerum in comitatu adepti ſint, & facile ſuis hæredibus ſuos honores tranſmiſerint, ſtatuitur enim, ut ſi Comes obierit, cujus filius profectus ſit in Italiam cum Imperatore, Ludovicus cum propinquis illius Comitis, & illius comitatus Epiſcopo de rebus illius loci decernat, donec de morte Comitis ipſe Carolus certior ſit, qui ſtatim filium ſui itineris comitem paternis ornet honoribus. Quod ſi Comes filium habuerit puerum adhuc & impuberem, tum Epiſcopi erit rebus comitatus providere cum filio & ipſius comitatus adminiſtris, donec obitus Comitis ad aures Imperatoris pervenerit, cujus poteſtate filius paternis ſuccedet muneribus, ſi vero contigerit Comitem abſque liberis mori, Imperatoris erit, prout viſum fuerit, alium quemlibet ejus honoribus ſubrogare. Hæc ab ipſo Imperatore conſtituta ſunt, ex quibus perſpicuum eſt, jam eo tempore ſolitos eſſe filios ſuccedere parentum muneribus, ſed tamen id ex conceſſione Regum, qui filiis capiendi muneris paterni poteſtatem faciebant, neque vacuus exiſtimabatur comitatus, niſi Comes abſque liberis moreretur. Ex his perſpicis, quibus gradibus Comites ad faſtigium honorum ſenſim irrepebant. Jam prope erat, ut Comites, qui precariò & ad nutum Principis olim civitatum rectores erant, omnes præfecturas & civitates ipſas ſuo annumerarent patrimonio, ita ut Rex ad filium tanquam paternam hæreditatem tranſmittere ex lege publicis conventibus ſancita teneretur. Tum Comites ita ſui juris erant, ut vel Carolo Imperatori obtemperare negligerent. Ille cum in Italia verſaretur, & nunciaretur adventus Carolomanni Germaniæ Regis Comites è Gallia accerſivit, qui ſibi opem ferrent, verum illi mandata exequi neglexerunt. Poſt mortem Caroli, quæ paulo poſt accidit. Comites nullum amplius in publicis rebus ſervabant modum ſub Ludovico-balbo Caroli-calvi filio. Tunc ille in Audriaca villa verſabatur, ubi audita patris morte nihil antiquius habuit, quam Comitum ſibi conciliare voluntates, eoſque donis & honoribus ſibi allicere, ſane iis, qui ſecum aderant, nihil denegare decretum eſt. Verum ſua beneficentia alios, quos pariter donis non cumulaverat offendit. Conquerebantur comitatus & abbatias ſine ſuo conſenſu donatas eſſe. Res ad defectionem ſpe-

ctabat, niſi & illorum animos aliis pactis donis & honoribus placare ſtuduiſſet, ita demum Rex VI. Idus Decembris Compendii ab Hincmaro inunctus eſt. Jam audacia Comitum eo proruperat, ut ad condictum diem, & locum non accederent, niſi illecti donationibus, neque novum regni agnoſcerent hæredem, niſi prius devincti Regis beneficentia. Balbi imperium breve fuit: huic ſucceſſerunt filii impuberes Ludovicus & Carolomannus, quorum initia maxime perturbata ſunt defectione Chonradi Comitis Pariſienſis, & Gozleni Abbatis, ſed tum celebrata fides multorum, atque inprimis Hugonis Abbatis viri & potentia & nobilitate illis temporibus clari, ſed & nota pariter Theodorici & Bozonis Comitum fides fuit, qui junctis animis regnum Regibus aſſeruerunt, & tempeſtatem à malis hominibus excitatam ſingulari prudentia ſedaverunt. Etſi hæc laudanda & hac tempeſtate neceſſaria, tamen in perniciem regni vertebantur, illi enim ex his vulneribus creſcebant, & ex damnis reipublicæ dignitate & potentia longiſſime augebantur. Tum facile fuit Comitibus ſuas ſibi præfecturas ſuoſque retinere comitatus, quos jam ante obitum haberi à filiis Carolus-calvus edito capitulo definierat. Regnum Ludovici & Carolomanni paucorum annorum fuit. Supererat ex Carolina gente unus filius Ludovici-balbi Carolus, qui poſt mortem patris natus adhuc puer erat, atque adeo impar gubernando regno ea præſertim tempeſtate, qua Nortmanni cum validis copiis ipſa regni viſcera crudeliter lacerant; & Comites publicam rem ex privatis commodis æſtimant, & nemo ita auctoritate aliis præcellit, ut nomine regio alios ſubjiciat. In hac rerum perturbatione ad Carolum Imperatorem Germaniæ Regem filium Ludovici confugere decretum eſt. Verum nihil ille par nomini majorum & Francorum expectationi præſtitit. Odo Comes Pariſienſis tum inſignis virtutis ſpecimen dedit, defenſa Lutetia ab obſidione Nortmannorum, quo præclaro facinore poſt mortem Caroli-craſſi omnium vocibus Rex Francorum ſalutatus eſt, res utilis ea ætate regio nomini conſervando, ſed noxia genti Carolinæ & regiæ auctoritati: ſtatim Comites in ſuis civitatibus & provinciis uti ſumma poteſtate & ſuprema ſibi jura tribuere, & omnia ea ſuis velut proprium patrimonium in hæreditatem relinquere. Ita Carolo Balbi filio regnum paucarum civitatum remanſit variis obnoxium tempeſtatibus, quæ demum ejus poſteros ad ſummas anguſtias conjecerunt. Cum interea Comites novos quotidie honores acquirerent, & Regibus non inferiores poteſtate labentem domum regiam contemnerent. Inter Comites quorum aucta gloria eſt nulli decore & poteſtate præſtantiores fuerunt Comitibus Pariſienſibus. Odo ſua virtute ſibi regnum paraverat, poſt obitum ejus frater Robertus ejus honoribus ſucceſſit, non ejus felicitati, percuſſus enim in pugna Sueſſionenſi interiit, ejus filio Hugoni-magno nihil ad ſummam gloriam, ſummamque poteſtatem defuit, præter regium nomen, quod demum ſuo filio Hugoni Capeto, ſuiſque poſteris aſſeruit. Sed quoniam ab iis initium ducit Capetiana gens, & de his nobis perquirendum, neque modo de his unde habet originem regia familia, ſed etiam de his, qui Odonis ætatem præceſſerunt; de primis itaque Comitibus civitatis Pariſienſis ſermo erit.

LIB. IX. CAP. VIII

CAPUT VIII.

De Comitibus Pariſienſibus.

I. Qui Comites primi Pariſiorum ſint ægre dixerim, ſub primis Francorum Regibus nomen Comitum Pariſienſium apud antiquos ſcriptores non invenio, dubius itaque incertuſque animi ſum, unde id factum ſit? cum Comitum aliarum civitatum ſit frequens memoria: quid eſt quod non referuntur Comites, qui regiam urbem rexerint. Gregorius Turonenſis antiquiſſimus rerum noſtra-

rum ſcriptor ſæpius Lutetiæ Pariſiorum meminit, neminem è Comitibus Pariſiorum refert, neque ejus continuator Fredegarius. Unde id acciderit non intelligo, an id caſu & fortuito ſit? quoniam de iis habendi ſermonem non ſeſe obtulerit opportunitas: an forte aliquos nominaverit non expreſſo Pariſiorum nomine. An quod magis approbem? Dum Reges Lutetiam ſedem regni ponunt, non alii eſſent Pariſiorum, quam ipſius palatii Comites, qui lites & negotia in urbe regia dirimerent, hi certe plerumque cauſas definiebant, quæ ad palatium referebantur. Hi quoque, ut exiſtimo, quoniam Regum domicilium Pariſiis erat, de civium Pariſienſium cauſis cognoſcebant, aut hi, aut qui ejus, ut hoc tempore vocabant, miniſteriales erant; quod ut ita fuiſſe mihi perſuadeam facit inprimis ſilentium de Comitibus Pariſienſibus apud noſtr·s auctores obſervatum. Quid eſt enim? quod eorum non meminit Gregorius, qui ſæpius res hujus regiæ urbis memorat, qui multarum civitatum Comites honorifice appellat. Quid eſt inquam? quod poſtquam exarſete bella, quæ præfecti palatii commoverunt, & Reges plerumque in villis egerunt, aut raro, aut non amplius Pariſiis verſati ſunt, tunc Comitum Pariſienſium frequens mentio ſit, niſi quod amoto palatii Comite, qui Reges ſequebatur, tum ſuus quoque civitati Pariſienſi Comes fuit: namque ſub finem prioris Regum familiæ eorum nomina in chartis veteribus reperiuntur, & deinde ſub principatu Regum alterius ſtirpis frequentiſſima eſt eorum memoria. His omnibus argumentis adducor, ut credam ſub priorum Regum Imperio, cum ſedes Regum Pariſiis eſſet Comites Pariſienſes eoſdem fuiſſe, atque Comites palatii. Siquis tamen aliter ſentiat & afferat certiora, polliceor me haud diſſenſurum, immo id mihi gratum fore profiteor, quippe qui rei inveſtigandæ locum fecerim, & hoc vel irrito conatu doctorum hominum eruditionem excitaverim. His in hunc modum expoſitis, de Comitibus Pariſienſibus loqui aggredior.

II. Primum invenio fieri mentionem Gairefredi Comitis Pariſienſis ſub Carolimartelli præfectura in chartis, quarum paulo inferius erit ſermo; tum ſermo eſt alterius Comitis Pariſienſis in actis, quæ Mabillonius edidit lib. VI. de re Diplomatica, edidit enim Childeberti III. Regis Francotum placitum de mercato ſancti Dionyſii. In ea vero charta, quæ an ſincera ſit & indubitata non diſcutio, ne ſuſpicionis conſcientia ſit, in ea, inquam, charta Gairini quondam Comitis Pariſienſis ſermo eſt, arguitur, quod antea à monachis Dionyſianis per vim ſuſtulerit jus telonei, quod ipſi tempore nundinarum Dionyſianarum ex conceſſione Regum exigere ſolebant, in eodem diplomate fit mentio alterius Comitis Pariſienſis, cujus nomen non dicitur, hocque antiquiſſimum, quod ſciam, de Comitibus Pariſienſibus teſtimonium eſt. Hæc charta data eſt anno DCCX. In eodem opere extat & altera charta anni DCCLIX. qua idem teloneum eidem Dionyſiano monaſterio vindicatur contra Gerardum Comitem Pariſienſem, de quo alias abunde à nobis dictum eſt. Gerardus Comes Pariſienſis ſibi tribuebat jura telonei à die anniverſario feſti ſancti Dionyſii, quæ Dionyſiani monachi ex conceſſione Regum & antiquo uſu ſua eſſe contendebant. Cauſam, quæ ad Pippinum Regem delata eſt, obtinuerunt Dionyſiani, nam ſecundum eorum jura pronunciatum eſt. In hac porro charta hoc annotandum eſt, quod Gerardus Comes ipſum teloneum aliter non contendebat, niſi quomodo anteceſſores illius, qui Comites fuerant ante illum. Unde quidem colligo, quod jam dixi, Pariſiis Comites fuiſſe ante tempora Pippini, ſed non exiſtimo aliquos in ea civitate fuiſſe, niſi jam inclinante familia Merovingiorum, cum Reges ſub Majorum palatii impotentia gemerent, & in villas regias traducerentur. Gerardi Comitis mentio eſt, quod à nobis antea relatum eſt in lib. I. cap. IV. de miraculis ſancti Dionyſii. *Gerardus*, inquit, *qui Comes Pariſienſis erat ſub principatu Pippini Regis habuit uxorem Rotrudem, quæ ſpreta religione in ſanctum martyrem Dionyſium juſſerat puellas operari in vico, cui Riogilum nomen, quo die agebatur ſancti Dionyſii anniverſaria ·elebritas: verum illico pœnam ſpretæ religionis mulier tulit orta ſubito tempeſtate, quæ domum dejecit & ſupellectilem totam domus aquis corrupit.* Tempore igitut, inquit auctor, ſupradicti Regis Pippini, quidam erat.

Comes nomine Gerardus Pariſienſis, cujus uxor Rotrudis nuncupabatur &c. Hæc alias fuſius memorata ſunt. LIB IX. CAP VIII

III. Legitur in Dionyſianis antiquitatibus charta Pippini Regis Francorum, ubi etiam agitur de jure telonei, quod idem Gerardus Comes die feſto ſancti Dionyſii exigere conſueverat à negotiatoribus, qui ex provinciis longinquis huc mercimonia deportabant, jura tuebatur Gerardus ex conſuetudine, & præſertim ex conceſſione Sonachildis, qua uſus fuerat Gairefredus Comes Pariſienſis, quo tempore Carolus-martellus dejectus fuerat per ipſius Sonachildis cupiditatem, & Gairefredi Comitis inſidias. Cum propter illas exactiones longe diminutus eſſet negotiatorum numerus, unde magnum Dionyſianis accedebat detrimentum, illi petierunt, ut conſuetudo hæc tolleretur, quod per chartam illis Pippinus conceſſit anno ſecundo ſui regni. Hæc quidem charta ſuſpecta eſt Cointio, Mabillonius in opere de re diplomatica hanc tueri aggreſſus eſt, ad cujus confirmationem profert præceptum Carolomanni Regis fratris Carolimagni, quo eadem jura ſarta tectaque cuſtodiuntur, datumque eſt præceptum anno primo ejus regni, in eo memoria eſt Sonachildis & Gairefredi Comitis Pariſienſis, & conſuetudinis ſupra memoratæ. Ex his intelligimus Gairefredum fuiſſe Comitem tempore Caroli-martelli, ſi modo illæ chartæ ſinceræ ſint, ut Mabillonius aſſerit, neque de ea re cum eo pugnare adoriar. Comes ille Gerardus vivebat adhuc ſub Pontificatu Erchanradi Senioris Pariſienſis Epiſcopi, quod manifeſtum eſt ex lite, quam habuit Erchanradus cum Fulrado Abbate Dionyſiano, in qua agebatur de Placicio monaſterio; inter judices, qui cauſam cognoverunt, Gerardus Comes annumeratur.

IV. Antiqua monimenta non patiuntur referri ex ordine ſeriem omnium Comitum Pariſienſium, nam plerique jacent incogniti, cæcaque ſepulti oblivione, ſiqui tamen ſint, quos velut ab interitu excitare poſſimus, eorum hoc in loco memoria erit: præter eos, de quibus modo locuti ſumus, memorandus eſt maxime Stephanus Pariſienſis Comes de Eccleſia Pariſienſi bene meritus, ille cum Amaltrude uxore Sulciacum villam huic Eccleſiæ donavit, extat in parvo Paſtorali antiqua hæc charta, quam lib. v. cap. VIII. retulimus; hoc Comitis & Comitiſſæ pietatis teſtimonium eſt, hujus donationis facta eſt mentio in Concilio Pariſienſi, hæcque confirmata eſt anno DCCCXXIX. ſub Ludovico-pio. Stephanus Comes commendatione virtutis & gratia apud Carolum-magnum valebat, illum olim cum Fardulpho Abbate creavit Miſſum dominicum. Cum capitula à Carolo-magno legi ſalicæ addita fuiſſent, ea ad Comitem Stephanum, ut promulgarentur directa ſunt, ſed quod magnæ exiſtimationis argumentum eſt, ipſe ſubſcripſit breviario, quod Carolus-magnus de diviſione bonorum paulo ante mortem ſcripſit. Beggo poſt Stephanum anno III. Ludovici Imperatoris Comes Pariſienſis fuit, & ut id credam, faciunt chartæ Ludovici conceſſæ Foſſatenſi monaſterio ad precationem Beggonis Comitis. Monaſterii Foſſatenſis ædes & baſilica ſenio & vetuſtate attritæ pæne collapſæ fuerant, Comes ædificia multis impenſis, magniſque laboribus refecerat, deinde privilegiis & immunitatibus locum inſtructum eſſe voluit, quamobrem ad Ludovicum-Auguſtum, qui tunc temporis Aquiſgrani verſabatur, perrexit, obtinuit duo privilegia, quæ capite primo libri ſexti à nobis deſcripta ſunt. Unde vero, inquies, in animum tuum inducis hunc fuiſſe Pariſienſem Comitem, fateor equidem me, id tantummodo ex conjectura aſſequi, ſed hæc his innixa eſt argumentis. Stephanum puto Comitem paucis annis poſt obitum Caroli-magni deceſſiſſe: neque enim quicquam amplius de eo relatum eſt: huc accedit, quod curam Foſſatenſis monaſterii inprimis Beggo habuerit, quoniam ſui erat comitatus, & eo libentius ipſi Comiti litteras mundeburdii & defenſionis Ludovicus conceſſerit, quod eas Comiti ad quem id maxime ſpectabat, traderet. De illo vero Beggone in aliis locis nulla memoria eſt, neque alicujus alterius loci, in quo Comes fuerit habita mentio, quandiu vixerit, & quo anno mortem obierit, conjicere non licet. Certè difficile eſt Comitum omnium, eorum ſcilicet qui rem Pariſienſem geſſerint, meminiſſe. Sæpius enim ſcriptores quando Comitum me-

minerunt locum comitatus non tradunt, unde magna nominum rerumque perturbatio eſt.

V. Poſt Beggonem Eggebardus Comes Pariſienſis fuit, idque habemus ex auctore, qui Ludovici acta memoriæ commendavit, ad annum enim DCCCXXXIV. ſic de Lothario, qui patrem Ludovicum per provincias captivum circumducebat, loquitur, ſcribitque eum egiſſe cum multis aliis ex Pariſienſi agro pro libertate Ludovici-pii, collegiſſe copias, & inſtituiſſe certamen pro eo vindicando, ſed prohibitum fuiſſe ab Ludovico, ut ſubditorum ſuæque conſuleret ſaluti. *Et quidem*, inquit ſcriptor vitæ Ludovici-pii ad annum DCCCXXXIII. *Et quidem in Franciam Eggebardus Comes, & Vvilelmus Comes ſtabuli, quos poterant ſibi in unione voluntatis reſtituendi Imperatoris coadunabant.* Et paulo poſt ad annum ſequentem. *Hieme autem exacta, & vere jam roſeam faciem prætendente, Lotharius patre aſſumpto per pagum Haſbanienſem iter arripuit, & Pariſiorum urbem petiit, ubi obviam ſibi fore cunctos fideles præcepit; cui Eggebardus Comes, atque alii illius pagi proceres cum magna coacta manu obviam pro libertate Imperatoris pugnaturi præceſſerunt: perveniſſetque res ad effectum, niſi piiſſimus Imperator cavens & multorum periculum ſimul & proprium ab hoc incepto, præcepto & obteſtatione eos inhibuiſſet. Tandem ergo perventum eſt ad monaſterium ſancti Dionyſii.* Ex hoc loco facile intelligis Eggebardum fuiſſe Comitem Pariſienſem, quem ſcriptor tradit illius pagi proceres congregaſſe, ad quem amabo ſpectabar eos ad arma convocare, niſi ad Comitem illius loci, nonne eum Pariſienſem Comitem dicit, cum eum nominat una cum aliis ejuſdem loci proceribus, nonne bæc verba, *Eggebardus Comes, atque alii illius pagi proceres*, denotant eum, cum aliis optimatibus ejuſdem fuiſſe pagi Comitem. Certe laudandus fuit hujus Comitis conatus, qui periculo vitæ bonum piumque Principem è manibus filii illiberalis eximere tentavit, copias & proceres ſui pagi impulir ad Imperatorem ſuorum perfidia exauctoratum in libertatem aſſerendum, & reſtituendam illi ſedem, ex qua filiorum contumacia dejectus fuerat.

VI. Gerardus Comes Pariſienſis, qui Eggebardi ſucceſſor fuit, non pari fide adverſus Carolum-calvum fuit, atque Eggebardus adverſus Ludovicum ejus patrem. Dum enim Lotharius cum Ludovico Bajoariæ Rege & Carolo de principatu contenderet, Gerardus Comes qui primum fidem Carolo obligaverat, quippe qui comitatum in ejus portione tenebat, ſtatim ubi Pariſios Lorharius contendit, ad ejus partes cum Hilduino Abbate tranſiit, ſuoque exemplo plures ad defectionem compulit. *Per idem tempus*, ait Nithardus, *cum Lotharius à Lodhuvico reverteretur, & omnes circa Carbonarias ad illum venirent, Moſa trajecta, ratum duxit, ut Sequanam uſque procederet. Quo dum tenderet Hilduinus Abbas ſancti Dionyſii, & Gerardus Comes Pariſii civitatis, à Carolo deficientes, fide fruſtrata ad illum venerunt. Quod quidem Pippinus filius Bernardi Regis Longobardorum, ceterique cernentes, elegerunt potius more ſervorum fidem omittere, juramenta contemnere, quam ad modicum tempus facultates relinquere, &c.* Gerardus poſtea pro Lothario pugnare, & operam vireſque Carolo opponere, & nihil reliqui facere, quo res illius profligaret. Atque inprimis, cum Carolus ex Aquitania, Burgundia, lociſque, qui inter Ligerim & Sequanam ſunt, copias collegiſſet, ad Sequanæ ripam acceſſir, quæ oppoſita agro & civitati Rotomagenſi eſt, Multi Comites, Abbates & Epiſcopi partium Lotharii ex adverſo cum militum haud contemnenda manu ſtabanr, inter quos maxime erar Gerardus Comes, qui tranſitum navibus immerſis aut contritis prohiberet. Nihilominus Carolus ea felicitate uſus eſt, ut adductis ab oſtio Sequanæ navibus copias contra hoſtium expectationem ultra rranſmitteret; quod Gerardo, aliiſque tantum injecit terroris & metus, ut ſine mora ad aſpectum navium ſtationem relinquerent, fugamque citra pugnam caperent. Hæc pluribus verbis Nithardus proſequitur. *Cumque Carolus ad Sequanam veniſſet, reperit Guntboldum, Vvarnarium, Arnulfum, Gerardum, necnon & omnes à Carbonariis & infra Comites, Abbates, Epiſcopos, ob hoc videlicet, à Lothario inibi relictos, ut ſi abſque ſuo conſenſu tranſire vellet, minime poſſet. Accedebat inſuper, quod amnis inundans vada ubique denegaverat.*

Cuſtodes

Coſtodes autem fluminis omnes naves, aut contriverant, aut certe ſubmerſerant. Gerardus quoque pontes, quoſcumque repperit deſtruxit. Igitur ſupra modum tranſitus difficilis effectus, non modicam tranſire cupientibus importabat moleſtiam. Cum autem tot difficultatibus animi multimodis agitarentur, conſiliis tandem mercatorum, naves ab oſtio, quo Sequana mare influit ferventi æſtu abductæ, propterque Rotomagenſem urbem expoſitæ nunciantur, quo veniens harum duas minus de triginta Karolus armato milite complet, idemque ingreſſus præmittit, qui ſe venturum prænuncient, unicuique volenti delicta cedens, nolentibus autem, ut abeant, regnumque & Deo ſibi datum illi relinquant. Quæ dum ſprevìſſent, claſſiſque appropinquare videretur, crucem in qua juraverant, & Karolum ut cognoverunt, relicto littore protinus fugerunt. Trajecto amne, ubi Carolus agnovit hoſtes fuga ſibi conſuluiſſe, ad baſilicam ſancti Dionyſii voti & precationis cauſa ire perrexit, quo cum veniſſet, accepit Gerardum Comitem, ſocioſque ejus, qui fugam cepiſſent: rurſum conjunctis armis adverſus Teutbaldum, Vvarinum, Otbertum, alioſque, qui in ſubſidium Caroli ferebantur, veniſſe. Carolus votis Deo nuncupatis in baſilica ſancti Germani ad ſuburbana Lutetiæ nihil moratus, vel ipſa nocte iter ingreditur, & ſub auroram Vvarinum aſſequitur, huncque ſuis copiis lætus adjungit, noviſque auctus ſupplementis rectà Senonas proficiſcitur. *Quos quoniam*, inquit Nithardus, *quod in trajiciendo equi moram fecerant, conſequi nequibat, ad ſanctum Dionyſium laudis obſecrationiſque cauſa iter direxit, quo veniens, comperit, quod hi, quos fuga diſperſerat, in unum una cum Arnulfo & Gerardo coiiſſent, & ſuper Teutbaldum, Vvarinum, Otbertum, ceteroſque, qui uti mandatum fuerat, ad Carolum veniebant, irruere vellent. Quamobrem ad ſanctum Germanum cauſa orationis perrexit, ac per totam noctem iter faciens, aurora diluteſcente, ubi Luva Sequanæ confluit, Vvarinum cum ſociis ſalvum recepit, ac ſic uno eodemque itinere Senonicam adiit urbem &c.* Hæc auctor horum temporum de Gerardo Comite Pariſienſi memorat. Quid deinde de Gerardo factum ſit, an ille cum pluribus aliis in Fontanetica pugna interierit, an idem cum Gerardo Viennenſi ſit, qui ſcilicet hunc geſſerit comitatum Lotharii beneficentia, cujus partes contempto Carolo ſecutus fuerat, haud dixero, certe non amplius comitatum Pariſienſem rexit. Sed neque reperio, quis ejus locum ceperit, quantumvis enim inquiſiverim ejus ſucceſſorem, mihi eum offendere non licuit. Evolui annales antiquos, antiquas rerum Pariſienſium chartas ſedulò perlegi, capitularia Caroli-calvi inſpexi accurate, nihil ad manum venit, quod ejus nomen indicaret. Eum igitur aliis, aut qui felicius, aut accuratius vetera ſcrutabuntur acta, relinquo, mihi alio properanti ſufficit hanc meam qualemcumque in eo inveſtigando operam perdidiſſe.

VII. Ab anno igitur DCCCXLI. ad annum DCCCLX. non poſſum vaticinari quis fuerit Comes Pariſienſis. Sed poſtmodum Chuonradum extitiſſe Pariſiorum Comitem certa monumenta tradunt, uti mox referemus; illius memoria eſt in capitularibus Caroli-calvi, quando Reges Ludovicus Rex Germaniæ, Carolus-calvus, & Lotharius junior ſimul ad Confluentes convenerunt, & in baſilica ſancti Caſtoris pacem & concordiam abolitis diſſidiorum cauſis inierunt. Inter Comites, qui præſentes aderant, Chuonradus nominatur, neque dubito, quin is ſit, quem Pariſienſem Comitem fuiſſe reperio. In conventu apud Cariſiacum ad annum DCCCLXXVII. Chuonradus Pariſienſis Comes habetur, nominatur inter Comites, à quibus vult Carolus-calvus fieri diſtributionem librorum, ſi in itinere, quod Rex ſuſcepturus erat, mortem obiret. *Si nos*, inquit Imperator Carolus, *in Dei ſanctorumque ipſius ſervitio mors præoccupaverit, eleemoſynarii noſtri, ſecundum quod illis commendatum habemus, de eleemoſyna noſtra decertent, & libri noſtri, qui in theſauro noſtro ſunt, ab illis ſicut diſpoſitum habemus, inter ſanctum Dionyſium, & ſanctam Mariam in Compendio, & filium noſtrum diſpertiantur. Id eſt Hincmarus venerabilis Archiepiſcopus, Franco Epiſcopus, Odo Epiſcopus, Gauslinus Abba, Arnulfus Comes, Bernardus Comes, Chunradus Comes, Adalelmus Comes &c.* Chuonradus pariter appellatur inter eos Comites, qui Ludovicum-balbum, Carolo Imperatore abſente, comitari & conſiliis adjuvare debebant. *Qualiter*, inquit idem Imperator, *& quo ordine filius noſter in hoc regno*

remaneat, & qui debeant eſſe quorum auxilio utatur, & viciſſitudine cum eo ſint, videlicet ex Epiſcopis aſſidue ſint cum illo aut Ingelwinus, aut Reinelmus, ſive Odo, ſive Hildebaldus. Ex Abbatibus ſi alia neceſſitas non evenerit, aſſidue ſint cum illo Vvelpho, Gauzlinus & Fulco. Ex Comitibus vero, aut Teudericus, aut Balduinus, ſive Chuonradus, ſeu Adalelmus, alternatim cum illo conſiſtent &c. Ex his colligere licet Chuonradum Comitem apud Carolum-calvum magno in pretio habitum eſſe, quem conſtituit ſui filii conſiliarium, dum Romam proficiſcitur. Paulo poſt Carolus Imperator in eo itinere mortem oppetiit. Huic ſucceſſit Ludovicus-balbus, cujus imperium breve fuit; poſt ejus mortem, antequam ejus filii Reges ſollemni ritu renunciarentur, Gozlenus Abbas memor laborum, quos pertulerat, iræ & vindictæ animum permiſit. Is ad Andrenacum captus fuerat, cum Carolus-calvus eo in loco male pugnavit, ultra Rhenum traductus, cum Ludovico Germaniæ Rege ejuſque uxore amicitiæ vinculo ſe junxerat, pluresque è primoribus Germaniæ ſibi pariter devinxerat, his fretus ulciſci veteres
Bertin. annales ad 879. inimicitias parat, rebellionem meditatur; utque rem ad exitum perducat, *Chuonradum Pariſienſem Comitem*, cujus magna erat auctoritas, in ſuas allicit partes: projectam Caroli-calvi familiam eſſe ait, imbelles ſupereſſe Balbi filios adminiſtrando regno ineptos, Ludovicum Germaniæ Regem eſſe Caroli-magni prolem ingenti gloria decoratum, qui olim ad Andrenacum illuſtrem retulit de Calvo victoriam, ab eo expectandos honores, & parem ſuis votis mercedem. Gozlenus narrat inſuper artes, quibus ad promovenda negotia utatur, tantum ſuis rationibus, ſuiſque verbis efficit, ut Chuonradus cum eo fœdus inire non detrectet. Id temporis res in eo ſtatu erant. Balbus paulo antequam moreretur, Ludovico filio regni inſignia miſerat, mandaveratque, ut ſtatim poſt mortem Rex ſalutaretur. Poſtquam vero Rex fato defunctus eſt, optimates illi, qui cum Ludovico ejus filio erant, Meldis conventum publicum indicunt, ut quid factu optimum ſit inter ſe conſulant. Gozlenus & Chuonradus interea & ipſi optimates quoſcumque convocant, conciliumque publicum congregant in loco, ubi Thara in Iſaram influit, publicam rem commodaque regni prætexentes. Habitus eſt ille conventus, antequam alii, qui Ludovico Balbi filio favebant Meldos convenirent. Gozlenus & Chuonradus in eo cœtu facile omnibus perſuadent, omnem Imperii poteſtatem ad Ludovicum Germaniæ Regem eſſe tranferendam, remque omnes non tam ex publica utilitate, quam ex privatis commodis æſtimantes, in verba Ludovici Germaniæ Regis jurant: mittunt itaque ad eum nuncios, & ad ejus uxorem, rogantque uti Mettas uſque accedant: ad eum optimates quoſque, ſeu Epiſcopos, ſeu Abbates, ſeu Comites venturos. Ludovicus ſine mora cum magna militum manu illuc proficiſcitur: Mettas venerat, cum ecce ad illum nuncii veniunt, rogant iterum, ut Viridunum uſque pergat, ut ſua præſentia dubitantis populi conciliet voluntates. Huc etiam Ludovicus adventavit cum exercitu, qui effuſus Gallicanos agros populare, & omnibus in locis perniciem inferre in modum barbarorum non deſtitit. Ex alia parte Hugo, Bozo & Theodericus, illorumque ſocii, qui partes filiorum Balbi tuebantur, audita conjuratione Gozleni & Chuonradi, habito conſilio ad Ludovicum legatos mittunt Gualterium Epiſcopum Aurelianenſem, Goiramnum ac Anſcherum Comites. Hi Viridunum veniunt, rogantque Ludovicum Germaniæ Regem, uti abſtineat à bello, pollicentur reddituros portionem Lothariani regni, quam Calvus à Ludovico ejus patre abſtulerat. Ludovicus maluit conditionem accipere, quam incertæ armorum ſorti ſe ſuaque committere, recepta itaque regni parte Gozlenum & Chuonradum cum probro deſpiciens, Francofurdiam regreſſus eſt. Gozlenus & Chuonradus, poſtquam nihil à Ludovico obtinere poſſunt, in Galliam redeunt, nunciantes Ludovicum brevi rediturum in Galliam, ut ſibi Francorum regnum vindicet. Hugo interim & alii, quibus promptum erat hæreditatem Balbi filiis aſſerere, Ludovicum & Carolomannum ad Ferrarias monaſterium agri Senonenſis ducunt, & ne amplius de regni ſucceſſoribus certamen ſit, utroſque in Reges ab Anſegiſo Archiepiſcopo inungi curant. Hæc annales Bertiniani ad annum DCCCLXXIX. ſequenti anno

Ludovicus ſollicitatus conjuratorum precibus in Galliam cum uxore iterum venit, primum Aquiſgranum profectus eſt, tum ad Duciacum villam agri Remenſis, ultraque progreſſus ad Rabodimontem uſque perrexit. Gozlenus & Chuonradus illi occurrerunt, ſed cum parvo comitatu, plerique enim iis relictis ad obſequium redierant, quæ res à propoſito Ludovicum Germaniæ Regem deterruit, pace igitur cum filiis Balbi compoſita in Germaniam re infecta reverſus eſt. Nihil poſthæc acta antiqua de Chuonrado Comite memorant, ſeu paulo poſt obierit, ſeu quod magis crediderim comitatu ob rebellionem privatus ſit: Odonem enim paulo poſt comitatum Pariſienſem geſſiſſe ex certis monumentis conſtat, huncque exiſtimo ad hanc provinciam evocatum auctoritate Hugonis Abbatis, quicum ſanguine conjunctus erat, cujus id temporis in regni adminiſtratione ſumma poteſtas erat. De Odone pluribus verbis modo agendum eſt.

VIII. Odo filius fuit Roberti Andegavenſium Comitis, & Francorum Ducis. Certúm eſt hunc ex illuſtri ortum eſſe loco, ſed de ejus majoribus inſtituere diſceptationem non decrevi. Ille bellicis artibus exercitatus: cum Nortmanni effuſi per oſtia Ligeris urbes & agros popularent, & Britanni ex Aremorica Duce Nomenoio jugum Francorum excutere, & vicinas Aremoricæ provincias vaſtare cœpiſſent, Carolus-calvus, ut fines & à Britannorum & Nortmannorum incurſionibus defenderet, Robertum, quem vulgo fortem vocant, finibus regni præfecit, juſſitque & Andegavenſium Comitem & Ducem Francorum eſſe: multas ille deinde clades barbaris intulit, præclaraque edidit facinora, quapropter eum antiqui annales Machabeum ſui temporis vocant, mortuum aiunt annales Bertiniani anno DCCCLXVI. Hoc patre orti ſunt Odo & Robertus, de quibus poſtea erit ſermo. Paulo poſtquam Odo Comes Pariſienſis extitit, Nortmanni cum copioſo exercitu, & navium magno numero Lutetiam obſidere incipiunt. Tum Odoni aliiſque proceribus, qui Pariſiis verſabantur, urbem adverſus conatus barbarorum defendere decretum eſt. Quando Nortmanni turrem ponti annexam oppugnare cœperunt, Odo dux belli ipſe conatus hoſtium fortiter retundere, & barbaros longe propulſare. Cum poſtea Nortmanni conſtructis machinis iterum turrem adorti eſſent, inter eos, qui vim referre & frangere impetum hoſtium conabantur, inſignis eminebat Odo, *qui totidem Danos perimit, quot ſpicula mittit.* Cumque urbs ad ſummas redacta eſſet anguſtias, Odo clam urbe egreſſus ad Carolum Imperatorem properavit, auxilium poſcens, rediensque ſub monte Martis, ſeu magis Martyrum viſus eſt, & paulo poſt fruſtra aditum claudentibus barbaris urbem audax ingreſſus eſt. Carolus Imperator poſt mortem filiorum Balbi, ad regnum Francorum fuerat advocatus, Rexque ſalutatus, nemine ex Carolina gente in Francia ſuperſtite, præter Carolum puerum, quem mater poſt obitum Ludovici-balbi enixa fuerat, quique Francorum imperio regendo propter ætatem haud idoneus habebatur. Cum præſertim opus eſſet Rege annis & armis maturo contra barbarorum aſſiduas infeſtationes: ille itaque ad ſolvendam Pariſiorum obſidionem, cum numeroſo ex variis gentibus exercitu acceſſit. Nortmanni paulo poſt ſpe ablata potiundæ urbis, de ſolvenda obſidione cum Odone paciſcuntur. Narrant annales Mettenſes tempore obſidionis Lutetiæ, Hugonem Abbatem virum magnæ poteſtatis & magnæ prudentiæ Aurelianis è vita deceſſiſſe, & Odonem Pariſienſem Comitem ejus ducatu donatum fuiſſe à Carolo Imperatore, quem Franci in hæreditatem regni appellaverant. Pauco temporis interjecto ſpatio, Carolus ipſe invaletudine mentis laborans à ſuis deſpectus mortem haud ſatis Imperatori honeſtam oppetiit. Cum res in eo ſtatu eſſent, neque amplius Rex Francorum eſſet, neque in Galliis quiſquam è ſtirpe Carolina ſupereſſet præter puerum imbellem Carolum, obſtrepentibus undequaque barbarorum armis in Regem electus eſt Odo, quem proceritas corporis, ſparſuſque per ora decor commendabat. Ille propugnata fortiter adverſus Nortmannos Lutetia magnam virtutis acquiſiverat exiſtimationem. Huc adde, quod ſumma pollebat nobilitate & ſingulari prudentia. His inclitum virtutibus Franci haud dubitarunt eum

LIB IX. CAP. VIII Regem ſalutare. Poëta illorum temporum dicit diadema conſecutum eſſe favente & applaudente populo. Paulo poſt Senonis à Gualterio Senonenſi Archiepiſcopo inunctus in Regem eſt, anno DCCCLXXXVIII. Extat capitulum quod die inunctionis ſcripſit, cujus antea meminimus. De hac Odonis electione Regino Abbas Prumienſis ſic loquitur. *Interea Galliarum populi in unum congregati, cum conſenſu Arnulfi Odonem Ducem filium Ruperti &c. virum ſtrenuum, cui præ cæteris formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ſapientiæque magnitudo inerat, regem ſuper ſe pari conſilio & voluntate creant; qui rempublicam viriliter rexit, & contra aſſiduas deprædationes Nortmannorum indefeſſus propugnator extitit.* Ita non modo Odo, non ſub pupillo Carolo regni tutelam cepit, ut quidam male tradiderunt, ſed ipſum regnum ex conſenſione optimatum, & ex populi votis adeptus eſt, cum reipublicæ ſtatus poſceret, ut vir manu promptus, & virtutibus clarus ad propugnandum regnum haberetur. Quæ deinde addimus his, probant non precarium ejus imperium fuiſſe, quod deinde ultro ceſſerit adulto Carolo. Regni ſcilicet dignitatem præclare tutatus eſt Odo, ſeu bellum gereret adverſus Nortmannos quos ad montem Falconem prope Pariſios conſertis manibus vicit, novem decemque millia proſtravit, ſeu magna celeritate & felicitate comprimeret rebellionem Vvalgarii Comitis, qui ſe Lauduno fruſtra incluſit, quemque captum Odo habito conventu publico ex judicio Francorum juſſit interfici. Neque ſorte infeliciore adverſus Aquitanos, qui rebellaverant expeditionem fecit. His debellatis novus extitit hoſtis Carolus, qui jure natalium repetiit regnum. Is à Fulcone Remenſi Archiepiſcopo in regem inunctus eſt, quidam ex optimatibus illi favebant, ut antea à nobis memoratum eſt. Odo itaque infeſto exercitu in agros Remenſes irruit, Remoſque urbem obſidione vallat, ſed paulo poſt ſolvere obſidionem cogitur. Cum verò Arnulfus Imperator ingentes copias adverſus Odonem miſiſſet, ille intrepidus conſtitit, hoſtem re infecta redire domum compulit. Odo paulo poſt reconciliatis cum Arnulfo animis ad conventum Vvormatienſem venit. Ibi regio comitatu adfuit, & ab Arnulfo, ut decebat, honorifice ſuſceptus eſt. His peractis in Aquitaniam, ubi excitati fuerant tumultus, reverſus, dum rem feliciter gerit, audit Zuentibolcbum Arnulfi filium irrupiſſe in regnum, & Lugdunum clavatum obſeſſum, advolat ſine mora, & ad ejus adventum ferox juvenis relicta obſidione in fines ſuos ſe recepit. Demum cum omnia illi ex votis caderent, ex morbo mortem obiit anno DCCCXCII. Hic ex Comite Pariſienſi dum nullus ſuppeteret, qui regnum ab invaſione barbarorum defenderet, Rex ex optimatum conſenſione renunciatus eſt, partumque virtute imperium ſapientia & fortitudine tutatus eſt.

IX. Ejus bonoribus ſucceſſit ejus frater Robertus, qui quidem comitatu Pariſienſi ſtatim potitus eſt. Ille primum contentus in conſortium fraternæ gloriæ venire, illi comes ſemper adhæſerat, egregiam operam obſeſſæ Lutetiæ præſtitit, quod antea à nobis dictum eſt, dum Nortmanni urbem premerent. Sed id vivo fratre, qui omnem gloriam ſervaræ urbis retulit. Verum illi poſtea contigit urbem haud ſemel ab oppugnatione Nortmannorum defendiſſe. Cum Rollo numeroſo milite ſtipatus hanc urbem vicibus repetitis eſſet adortus, ille jam aſſuetus Nortmannos vincere ſæpius hoſtem ab urbis mœnibus repulit. Sed præclarum facinus Roberti extitit, cum obſeſſis Carnutis opem opportune tulit. Rollo urbem oppugnabat, ſed ecce Robertus Comes Pariſienſis cum Richardo Burgundionum Duce, illi hoſtem ſuis circumſeptum caſtris adoriuntur, ac fortiter impetere incipiunt, ſed demum barbari coacti cedere, in montis jugum ſe recipiunt, unde Rollo vallatus undequaque armis Francorum, cum vi non poſſet, dolo evaſit, concidiſſetque penitus vis Nortmannica, ſi tantum animi aliis ad perſequendum hoſtem fuiſſet, quantum Roberto conſtantiæ & fortitudinis fuit: neque Carolus Rex, quem omnes poſt obitum Odonis Regem agnoverant, cum barbaro de provincia pepigiſſet ad obtinendam pacem. Carolus jam antea ſæpius cum Nortmaonis fœdus inire voluerat, quod ex Flodoardo accepimus, verum ſemper prohibitus fuerat ab Epiſcopis, qui inique ferebant Chriſtianum Regem jungi amicitia cum impio Duce, qui idololatriæ addictus erat. Cum

poſtea de deferenda impietate Rollo egiſſet, ictum fœdus cum eo eſt, relicta eſt illi provincia, quæ Nortmannia poſtea dicta eſt, & ipſe demum Rollo ſalutaribus baptiſmi undis ablutus eſt. His omnibus Robertus, cujus id temporis magnum nomen erat, adfuit. Cum pacto ad ſancti Clari vicum peracta eſt, Robertus cum multis proceribus regni aderat, qui & ipſe anno DCCCCXII. Rotomagi Rollonem ex ſacro fonte ſuſcepit, illumque ſuo nomine appellavit, quod à nobis antea memoratum eſt. Carolus compoſita cum Nortmannis pace non propterea quievit. Plures è proceribus querebantur datam immerito barbaris provinciam, quos vi & ferro è Gallia expulſos oportebat, adhæc accedebat Haganonis gratia, qua plurimum apud Carolum valebat. Optimates his accenſi cauſis facta conjuratione ab ipſo deficiunt. Quin & ipſe Robertus Haganonis auctoritate offenſus adverſus Carolum ſigna convertit, ac demum poſt aliquot bella, quæ prius relata ſunt, regia inſignia nomenque regium aſſumpſit, & ab Heriveo Remenſi Archiepiſcopo Rex Francorum inunctus eſt anno DCCCCXXII. & ipſe continuò cum Henrico Germaniæ Rege fœdus icit, & paulo poſt datis induciis Carolo & Lotharianis, qui ab ejus partibus ſtabant, ipſe ſecurus, ad Axonam fluvium conſidet. Carolus nihil moratus pactas inducias, adverſus Robertum infeſtis ſignis proficiſcitur, eumque nihil tale cogitantem invadit. Robertus collectis ſine mora copiis fortiter ſuſtinet impetum, ſed ecce lancea in conflictu percuſſus interficitur. Sui ſeu indignati Regem mortuum, ſeu excitati audacia Hugonis ejus filii præclaram retulerunt victoriam. Ita mortuus eſt Robertus Rex Francorum & Comes Pariſienſis. LIB. IX. CAP. VIII

Poſt mortem Roberti Regis Hugo ejus filius Comes Pariſienſis fuit, is regium nomen non aſſumpſit, ſed Rodulfo Burgundionum Duci deferri curavit: quæ Carolo Regi poſtea acciderint non memorabo, ea paucis ſuperius narrata ſunt. Poſt Caroli Regis & Rodulfi mortem, rem commendatione dignam Hugo Pariſienſis Comes fecit. Capto, ut alias dictum eſt, Carolo Rege ab Heriberto Veromanduorum Comite, Odgiva uxor Caroli ſibi ſuoque filio metuens ad fratrem Adelſtanum Anglorum Regem ſe recepit, ibique cum filio remanſit. Quin etiam mortuo Rodulfo Rege, neque illa, neque filius remeare in Franciam audebant. Hugo, qui tum ea qua auctoritate valebat, convocavit proceres regni, & Regem filium Caroli Ludovicum ſcilicet Ultramarinum ſalutari, legationemque ad eum honorificam, ut in Franciam reduceretur, mitti, reverſumque in Galliam inungi ab Artaldo antiſtite procuravit. Gratus ob eam cauſam primum Ludovico Robertus fuit, memor ejus artibus, ejuſque beneficio ſe ſolio reſtitutum; quin & poſtea Rex illi Burgundiam donavit, & poſtea cum Hugone Rex Pariſios venit. Verum haud diuturna amicitia fuit, Rex auctoritatem Roberti ſuſpectam cœpit habere, quæ res cauſa multorum bellorum fuit. Tum Hugo amicitia & ſocietate plures aſcivit, qui potentia inprimis & auctoritate pollebant, affinitate ſe junxit cum Othone Imperatore, Hadvigiam enim filiam Henrici Imperatoris uxorem duxit, cum Heriberto, quicum ſimultates habuerat, reconciliatus eſt, & cum Guilelmo Nortmanniæ Duce, icto fœdere ſeſe conjunxit. His fretus contra Ludovicum bellum geſſit, Remos cum Guilelmo Duce obſidet, & capit, Laudunumque obſidione cingit, ſed Ludovico cum copiis adventante ſolvere obſidionem cogitur. Dumque iteratò urbem obſidet, ecce iterum Ludovicus cum multis copiis, cui Hugo relicta obſidione obviam fit. Conflixere acies, fuſus eſt Ludovicus, qui fuga ſibi conſuluit, ardebat in dies bellum acrius, acciſæ Ludovici res erant. Cum Otho Imperator turbas ſedare aggreſſus eſt, ejus judicio pacem componi omnes paſſi ſunt. Rebus compoſitis obſtrepebant etiamnum Nortmanni, non ii quidem, qui religionem Dei ſuſceperant, ſed quos adhuc falſorum numinum error detinebat, adverſus illos Hugo ſigna convertit, eoſque felicibus præliis attrivit, quin & Ebroicas urbem vi cepit, quam & Regi tradere haud dubitavit. Sed demum Hugo inſignem commiſſo prælio retulit de Nortmannis victoriam. Dum hæc agerentur Ludovicus fraude Nortmannica circumventus à Nortmannis capitur. Hugo nihil reliqui fecit, ut Ludovicum ex eorum manibus eriperet, quin & X.

 pro ejus libertate aſſerenda filium obſidem dedit. Quæ cauſa fuerit, cur Hugo receptum Ludovicum non ſtatim in libertatem vindicaverit haud dixerim, ſed demum Ludovicus reſtitutus contra Hugonem arma Imperatoris Othonis concivit; & apud ſummum Pontificem injuriam expoſtulans, obtinuit, ut Hugo ſacris interdiceretur, niſi à bello abſiſteret. Ac demum anno DCCCCLIII. reconciliantur animi, & pax componitur. Anno ſequenti Ludovicus Rex è vita deceſſit. Tum Hugonis præclarum factum fuit; Gerberga enim ab eo liberaliter ſuſcepta eſt cum Lothario filio: & ille advocatis regni proceribus Lotharium ſollemniter Regem ſalutari & inungi procuravit. Anno DCCCCLV. Lotharius cum Gerberga Pariſios ingreſſus eſt, quos Hugo magnis honoribus proſecutus eſt. Anno ſequenti Hugo mortem obiit, & in baſilica ſancti Dionyſii ſepultus eſt. Hic Comes magnis præclariſque virtutibus ornatus erat, quibus cognomen magni meruit, ſumma animi magnitudine præditus erat. Cum ejus pater ejuſque patruus regiis decorati inſignibus refulſiſſent, ipſe nihilominus nomen regium non ambivit, quod ſibi comparare multoties data occaſione potuiſſet, maluit alios Reges eſſe ſuo beneficio, quàm ipſe ſibi regnum vindicare. Rebus præclare geſtis in bello felix fuit, ſæpius certamine commiſſo hoſtes fudit, ſæpiuſque inſignes retulit victorias. Aderat cum ejus pater lancea confoſſus eſt: ſed ille juvenis reſtituta acie proſtravit hoſtes, & patris mortem edito immani hoſtium ſtrage ferociter ultus eſt, effecitque, ut ejus pater ſuo ſepeliretur trophæo. Quoties deinde felici marte pugnavit? modo contra Carolum, aut Ludovicum ejus filium, aut adverſus Nortmannos, quos multis afflixit plagis. Quid & ejus pietatem commemorem? cujus inſigne argumentum eſt, quod cum lues quædam his in locis graſſaretur, multitudo ingens populi Pariſios confluxit ad majorem baſilicam beatæ Dei genitricis, ibique experta eſt rebus in arctis ſolatium. Ille providit, ne miſeris deeſſent ſumptus, immo annonam omnibus abunde ſuppeditavit. Abbas laicus fuit monaſteriorum, ſancti Dionyſii, ſancti Germani à pratis, & ſancti Martini Turonenſis.

XI. Hugo ejus filius huic ſucceſſit, quemadmodum ejus pater comitatum Pariſienſem geſſit, hic Lothario ſuppetias tulit, cum Otto Imperator in Galliam pro aſſerenda ſibi Lotharingia venit, & uſque Pariſios cum ingenti exercitu prædabundus progreſſus eſt. Tum collectis ex variis locis copiis, Ottonianos non modo regredi coegit: ſed etiam eos magnam partem fugientes gladio peremit. Sed hæc fuſius antea memorata ſunt. Lotharius paulo poſt moriens filium Ludovicum Hugoni commendavit, quem ſciret & auctoritate & potentia in Gallia pollere: ſed Ludovici breve imperium fuit; etenim poſt anni ſpatium è vita ſine prole deceſſit. Huic vero Hugo Capetus ſucceſſit, regnumque deinceps ſuæ aſſeruit familiæ. Et quemadmodum primus Rex Francorum familiæ tertiæ extitit, ita poſtremus Comes Pariſienſis fuit. Ex his, quæ à nobis memorata ſunt, facile quiſque intelliget, quibus gradibus Comites ad ſuos hæredes comitatus tanquam patrimonium tranſmiſerint, & quibus gradibus Roberti Comitis Andegavenſis poſteritas ad ſolium aſcenderit. Odo Pariſienſis Comes defenſa Lutetia, cum nullus è Carolina gente ſupereſſet præter Carolum, qui poſtea ſimplex dictus eſt, quique defendendo regno ob ætatem impar erat, optimatum & populi votis Rex renunciatus eſt. Poſt ejus mortem ejus frater Robertus ex ſuffragio quoque procerum Rex ſalutatus eſt. Hugo deinde magnus, qui ſecutus eſt nomen Regis non aſſumpſit, parem tamen Regibus poteſtatem adeptus eſt. Hugo demum Capetus decedente Ludovico v. unanimi pariter procerum, populique ſuffragio regnum Francorum conſecutus, ſibi ſuiſque poſteris hoc aſſeruit, quod modo memorabimus.

LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Hugone Capeto, & initiis ejus regni, de Roberto ejus Filio & ejus inunctione. De Arnulfo Archiepiſcopo Remenſi, & de ejus depoſitione & reſtitutione. De Burchardo Comite Corbolienſi, de monaſterio Foſſatenſi, quod illius & ſancti Maioli opera ad meliorem diſciplinam revocatum eſt. De monaſterio Cluniacenſi & quibuſdam illius loci Abbatibus. De donatione Hugonis facta huic monaſterio. De Giſleberto & Rainaldo Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis. De Concilio Senonenſi & Dionyſiano. De Abbatibus ſancti Dionyſii & ſancti Germani. De morte Hugonis Regis &c.

POST Carolinæ familiæ occaſum novam in ſolium Francorum familiam felicitas Hugonis induxit, hæcque familia diuturnitate regni, felici longaque Regum ſucceſſione, magnitudine rerum geſtarum, & numero magnorum Principum longe præſtantiſſima fuit; immo & hoc nomine utraque clarior extitit, quod continuata per plures ætates regni poſſeſſione, non modo ſimul ambas ſuperaverit, ſed quod poſt propagatum octingentos annos imperium non inclinata, & quaſi attrita vetuſtate & ſenio domus ſit; immo ſub felici Ludovici-magni principatu, frui flore ætaris videatur, & viriles Caroli-magni annos revocare. Neque aliud bene & fauſte recepti imperii argumentum proferre licet, quàm illud certum divinæ voluntatis teſtimonium. Non enim quiſquam aſſerat, id ſine Dei nutu factum, ut per longa anoorum & ætatum ſpatia una gens Francis non interrupto regoandi tenore imperaret. Hugo Capetianæ princeps familiæ mortuo Ludovico v. Rex Francorum eſt renunciatus. Carolum I.

LIB X. CAP. I.

quidem Lotharingiæ Ducem hæreditas regni ſpectabat, erat quippe frater Lotharii Francorum Regis, & patruus Ludovici, qui nuper è vita deceſſerat, ſed Regis & optimatum ſibi conciverat odium, recepta in beneficium ab Ottone Germaniæ Rege Lotharingia, huic fidem, & obſequium dato juramento obligaverat. Poſt mortem Ludovici adeo deflagrarunt adverſus eum odia, ut optimates, Epiſcopi ſcilicet & Comites continuo Noviomum convenerint, & Hugonem Hugonis magni filium, Ducem Francorum & Comitem Pariſiorum ſollemniter Regem ſalutaverint, & pro more illi fidem adſtrinxerint. In Regem eum continuo Remis inunxit v. Nonas Julii anno DCCCCLXXXVII. Adalbero Remenſis Archiepiſcopus, promiſitque Rex acturum ſe omnia ex conſilio & ſententia optimatum, aſſerens uſurum poteſtate ex commodo & utilitate reipublicæ. Carolo tamen haud animus defuit ad recipiendum regnum, Laudunum urbem id temporis regiam occupat, Emmamque Reginam capit, & Epiſcopum conjectum in carcerem in ſua jurare verba cogit. Hugoni nihilominus decretum erat ſua jura defendere, Laudunum igitur obſidere adortus eſt, ſed infauſtis auſpiciis, dum Capetiani ſegniter rem gerunt, & ſecuri obſidionem premunt, ecce è portis inopinatò erumpunt opidani, & hoſtes otio, vino, ſomnoque torpentes perimunt, caſtra diripiunt, & omnem bellicam ſupellectilem incendio perdunt. Hac plaga percuſſus Hugo, ſolvere obſidionem coactus eſt. Ineunte anno DCCCCLXXXVIII. Robertus Hugonis filius regiis ornatus virtutibus à patre in conſortium regni adſcitus, & in Regem à Siguino Archiepiſcopo Senonenſi Aurelianis inauguratus eſt. Atque ita Hugo regnum poſteris aſſeruit, ita Pippinus olim cum Rex dictus eſt, per Stephanum ſummum Pontificem filios inungi juſſerat, ut ſecuri regiæ dignitatis ſibi ſuccederent. Carolus interim agros Lauduni finitimos infeſtare non deſinebat, Remos inprimis urbem dolo recepit. Adalbero Remenſis Archiepiſcopus è vita deceſſerat: Hugo Rex effecerat, ut Arnulfus nothus ex Lothario Rege, qui ſibi filioque Roberto fidem juramento promiſerat, ad cathedram Remenſem eveheretur. Verum ille poſtea fidem violare haud dubitavit, Carolo enim urbem ipſam prodidit per Adalgerum preſbyterum; non diu præda Dux Carolus potitus eſt. Ecce enim Hugo & Robertus adjunctis regni primoribus, collecto exercitu adverſus Carolum proficiſcuntur. Ille impar viribus ſe iterum mœnibus Lauduni includit. Hugo iterum pariter urbem oppugnat: aiunt illius ætatis auctores urbem Hugoni traditam artibus Aſcelini Epiſcopi Laudunenſis, quem alii Adalberonem vocant, hac ratione brevi bellum confectum eſt. Hugo enim non modo ſine cæde urbe potitus eſt, ſed etiam Carolum Ducem cepit cum uxore, quem Aurelianos duci, & turre includi, & cuſtodiri juſſit. Hærebat Hugonis animo proditio Arnulfi Archiepiſcopi, qui ejus beneficio pontificatum fuerat adeptus, fidemque ſollemniter datam fregerat: jubet itaque Epiſcopos Remos ad cognoſcendam cauſam convenire. Sed rem ab origine repeto. Arnulfus ad prodendam urbem Remos uſus inprimis fuerat opera Adalgeri preſbyteri, qui Carolum per portam receperat, Caroli milites ingreſſi urbem ſacra profanaque promiſcue polluerant, ædes ſacras & pariter domos privatas tanquam datas direptioni invaſerant, & Arnulfum ipſum ſine ulla ſui pontificatus reverentia conjecerant in vincula, ex quibus ille exolutus, ut amoveret culpam proditæ urbis, ex provinciæ Epiſcopis Synodum Sylvanectis cogit, & acerbe in Adalgerum invehi cœpit & in eos, qui tanquam ſacrilegi raptores urbem vaſtaverant. Nihilominus Hugo quid rei eſſet agnovit, quam ob cauſam jubet Epiſcopos Remos convenire, adfueruntque ex variis provinciis Pontifices, ſcilicet ex provincia Remenſi, ex Bituricenſi, Lugdunenſi, & Senonenſi, Seguinus præſertim Archiepiſcopus aderat; Arnulfus perfidiæ acceſitus, ſtatim coram Epiſcopis culpam fateri, & confeſſionis libellum tradere, & propria confeſſione ſeipſum à pontificatu abdicare, & facere poteſtatem alterum in ſuum locum ordinandi. Continuo Gerbertus in ejus locum ſubrogatus eſt. Is, ut ea ferebant tempora, doctus erat, & philoſophiæ diſciplinis inſtitutus, erudieratque Robertum Regem Hugonis filium, omnium ſuffragiis

electus

electus eſt, ediditque coram Epiſcopis fidei profeſſionem. Hoc Concilium ce- LIB X. CAP. I.
lebrarum eſt Remis anno DCCCCLXXXXI. in baſilica ſancti Baſoli, ubi
dejectus eſt è ſede Arnulfus, & Aurelianis carcere compactus. Scribunt au-
ctores Seguinum Archiepiſcopum in Arnulfi depoſitionem non conſenſiſſe.
Quidquid fuerit, certe Romæ improbara condemnario eſt. Joannes enim ſum-
mus Pontifex retractari cauſam voluit, & Arnulfum dejectum reſtitui, Epiſ-
copiſque omnibus, qui ejus condemnationi ſubſcripſerant, ſacris interdixit,
quoniam ejus cauſam ſine venia & poteſtare ſummi Pontificis tractaverant.
Cum diſſidia exardeſcerent, ſcripſit Hugo Rex Francorum, miſitque litteras per
Archidiaconum Remenſem, memoravitque, ſe jam rationes exp anaſſe, quibus
Arnulfus condemnatus fuerat, nunc vero obſecrare, ut juſte decernat, nec
dubia pro certis recipiat, neque quidquam actum contra apoſtolicam ſedem;
ſin ſibi abſenti non credat, rogat ut Gratianopolim tendat, ad quam Reges
Francorum ire obviam ſummis Pontificibus conſueverant, ſe ſummum Pontifi-
cem debitis honoribus proſequuturum, eumque cogniturum coràm, ſe non eo
eſſe animo, ut ejus judicia fugiat. Quid Joannes reſcripſerit haud certum,
ſed hoc haud dubium eſt Leonem Abbatem Legatum miſſum in Gallias, qui
anno DCCCCLXXXXV. Moſomi IV. Nonas Junii Synodum habuit, ubi
Gerbertus luculentam pro ſua cauſa dixit orationem, quæ extat. Nihilominus
ſequenti anno celebrata eſt Remis Synodus, ubi Gerbertus præſente Legato à
pontificatu dejectus eſt, & in priſtinum locum reſtitutus eſt Arnulfus, qui edu-
ctus eſt è carcere. Hæc continuatio hiſtoriæ Aimoini. Coſſartius in ultima Con-
ciliorum collectione annotat non exolutum è carcere Arnulfum, neque ſuo loco
reſtitutum, niſi aliquot annis poſt Leonis legationem, & jam mortuo Hugone
Rege, hocque ex Abbonis Abbatis vita approbat, quam Aimoinus ſcripſit, in
ea autem hæc verba reperiuntur, *paucis labentibus annis*, inquit cap. XI. *occaſio
ſe præbuit, ut rogatu ac precibus glorioſi Regis Roberti Abbo Romuleam repedaret ad
urbem, præcipua vero earum, pro quibus directus eſt cauſarum hæc fuit, quia Arnulfus
Remorum Archiepiſcopus abſque juſta audientia ſede ſua privatus, cuſtodiæque fuerat
mancipatus, ob hæc Gregorius, qui Ioanni in Apoſtolica ſucceſſerat ſede, non ſolum no-
bilitate generis, verum etiam probitate clarus mentis toti regno Francorum anathema
ſe invecturum comminatus eſt. Hac igitur ex re Italiam repetere ſervus Dei cogitur*,
& cap. XII. *Regreſſus itaque honorabilis Abbo ad Regem, à quo miſſus fuerat, cuncta
pro quibus ierat perfecta nunciat, Arnulfum Remenſem Pontificatui reſtituit, pallium
illi à Domino Papa directum reddidit. Poſthæc per internuncios ipſi venerabili Domino
Gregorio amicabiles plenaſque reverentiæ dirigit litteras, in quibus innoteſcit ſe cuncta,
uti juſſerat, perfeciſſe, quarum iſtud eſt exordium, Domino ſemper in Chriſto venerabili
Gregorio ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis præſuli, ac ideo univerſalis Eccleſiæ do-
ctori ſuus illius Abbo Floriacenſium rector ſalutem in Chriſto. Sæpius contingit, ut puri-* Hæc epiſt.
tas integræ veritatis vacillet ſententia malefidi interpretis; quod ego, venerabilis pa- edita eſt è
ter, cavens veſtri animi ſenſa fideliter ſimpliciterque, ut præcepiſtis, deprompſi, nec animo- reg. typogr.
ſitatem Regis perhorrui, dum fidem, quam vobis promiſeram, ex aſſe ſervavi. Quando- anno 1687.
*quidem nihil addidi, nihil minui, nihil immutavi, nihil reliqui. Horum omnium ipſe
Arnulfus è cuſtodia liberatus, & abſolutus teſtis eſt, cui veſtrum pallium coopertum ob-
tuli, quomodo illud acceperam ex ſanctis manibus veſtris.* Ex hoc teſtimonio manife-
ſtum eſt liberatum eſſe Arnulfum ex carcere opera Abbonis Abbatis Floriacenſis
ſub Gregorio Joannis ſucceſſore, cum Robertus ſolus regnaret, jam antea
mortuo Hugone Rege, unde certò colligas Hugonem in prima perſtitiſſe ſen-
tentia, neque propter Leonis legationem deterritum à propoſito. Sed hæc ex-
terna ſunt & aliena quodammodo ab Eccleſia Pariſienſi, quæ tantummodo re-
tulimus, quia maxime ſpectabant ad initia principatus Hugonis, qui ex Comite
Pariſienſi ad regnum ſollemniter evocatus eſt, nunc ad res Eccleſiæ Pariſienſis
ſtylum convertamus.

Sub Hugonis Regis principatu celebris fuit & ſanctimonia vitæ & honori- II.
bus ſæculi Burchardus Corbolienſis Comes, de quo modò multus erit ſermo.
Hujus geſta ſcripſit monachus Foſſatenſis, qui ſub Henrico Rege Francorum

vixit. Hanc vitam in ſupplemento antiquitatum Pariſienſium reperies. Ex eo eruimus pleraque, quæ à nobis memorabuntur. Burchardus ex illuſtri loco ortus eſt, in familia Hugonis Pariſienſis Comitis, & poſtea Regis Francorum nutritus eſt. Ex quo Odo Rex, & poſtea ejus frater Robertus renunciatus eſt: plures ex proceribus & regni optimatibus ad eorum comitatum venire, immo & multi ex iis ad eos filios mittere, ut in eorum aula educarentur, & iis tanquam Regibus miniſtrarent. Sub Hugone quoque frequens comitatus fuit: etſi enim regium nomen nuſquam aſſumpſit, magnis tamen honoribus plerumque pollens fuit & auctoritate adeo valuit, ut etſi Rex non dicebatur, regium tamen haberet comitatum. Capetus pariter ejuſdem filius regia gaudebat familia: in ejus itaque domo Burchardus juvenis innutritus eſt, florenteſque adoleſcentiæ annos peregit, poſuitque ſub eo principe & ſummæ honeſtatis & militaris diſciplinæ tyrocinium, jamque ea ætate morum & integræ vitæ exemplar erat: vix adoleſcentiæ annos exceſſerat, cum Haymo Corboilenſis Comes ad limina Apoſtolorum pietatis ergo profectus in itinere moritur, tum Burchardus perſuadetur ab Hugone viduam Comitis nomine Elizabetham ducere. Celebratis nuptiis Hugo illi Corboilum caſtrum, Milidunumque conceſſit, ut non modo thoro Haymonis, ſed & ejus honoribus ſuccederet. Addit auctor vitæ Burchardi illi datum comitatum urbis Pariſiacæ, atque ita regalem Comitem aſſertum, quod non ita intelligas, quaſi ipſum comitatum Pariſienſem illi Hugo tradiderit; ſed quod illi regalis caſtri, quod ad comitatum urbis Pariſienſis pertinebat, conceſſerit. In eo honorum poſitus loco, non ita bellicis exercitationibus animum appulit, ut pietatis officia negligeret; immo nihil reliqui faciebat quo Deo gratus haberetur, protectorem vindicemque Eccleſiarum, ſe pauperum, inopumque patrem oſtendebat: viduis ac virginibus patrocinium, clericis & monachis præſidium præſtabat. Eo tempore monaſterii Foſſatenſis diſciplina longe à priſca deſciverat ſeveritate; bella continua adverſus Nortmannos, crebræque barbarorum infeſtationes rectam monachorum vitam profligaverant. Huc accedebat quorumdam Abbatum ſocordia, qui coercere laxiorem vitæ rationem neglexerant, immo ipſi in proclive corruerant, & lapſu ſuo alios in malum & perniciem projecerant. Magenardus tunc temporis illi monaſterio præpoſitus erat, vir in quo nihil præter gentis nobilitatem æſtimes: filius erat Auſoaldi civis Pariſienſis quem opes copioſæ commendabant. Magenardus Abbas relictis ſancti Benedicti acerbioribus inſtitutis, alienam à monaſtica inſtitutione vitam ſectabatur, magiſque illi erat corporum, quam animorum cura. Illi conſuetum erat animum ſæcularibus exercitationibus oblectare, venationi tempus impendere, feras inſequi, aucupari volucres, à quo vitia noxioſque affectus perimi tantum oportebat. Si quando illi clauſtris exire contingeret non fulvo nigrove habitu induebatur, ut monachum decet, ſed pellibus pretioſis, variiſque in morem militis ſplendidus incedebat: hanc conſuetudinem omnes prope monachi illorum temporum, quæ erat hujus ætatis corruptela, cuſtodiebant. Cum res in eo eſſent ſtatu, Adicus quidam hujus monaſterii monachus reputans ſecum, quantum à priſco vitæ monaſticæ inſtituto hujus loci monachi deflexiſſent, neſciis Abbate & monachis ad Burchardum adiit, profligatamque ſui aſceterii diſciplinam memorat, rogatque, ut pro ſua ſingulari pietate rem monaſticam reſtituat: neque ſinat malum hoc longius ſerpere. Comes illi ultro aſſenſus, pollicituſque eſt operam. Regium erat monaſterium, Regem adiri oportebat, ad Hugonem itaque Regem Burchardus acceſſit. *Cui venerandus Comes non valde multum larga, ſed parva videtur res eſſe, quam requiro: Oro namque, ut Eccleſiam Foſſatenſis Cœnobii, quæ regali ſubjecta eſt dominio, veſterque fiſcus ferre videtur mihi ſervitutis veſtræ obſequiis parenti, tua præcelſa majeſtas concedere dignetur.* Cui Rex ait, *cum omnibus conſtet prædeceſſorum noſtrorum temporibus regalem ſemper fuiſſe abbatiam, quomodo valet fieri, ut à regali poteſtate noſtra ſeparetur. Si enim hoc à nobis actum fuerit, forte poſt tui corporis obitum, hæredis ſive ſucceſſorum tuorum nequitiis ſubvertetur, atque tunc culpabuntur, detrimentumque animæ patientur, cum nullus fuerit locus, fratribuſque in eo degentibus, infinitum acciderit detrimentum. Ad*

hoc Comes reſponſum reddidit, dum minime tunc impetrare valeo, ut mihi perpetuali concedatur dono, ſaltem hoc tribuatur, ut emendationis ac reſtaurationis gratia, cauſa quoque ſalutis animarum, hoc petitionis donum ſuſcipere merear. Valde enim delector tam pretioſum locum ad emendandum ſuſcipere, veſtroque ſuffultus auxilio honoribus ac poſſeſſionibus plurimis, ſi vita Deo propitio comes fuerit ſublimare, atque in priſtinum ſtatum erigere, ſalutemque meæ animæ atque ſcelerum & peccatorum meorum diminutionem eleemoſynarum largitione per ipſum locum Deo annuente ſpero conſequi, & poſt hujus caduci ſæculi decurſum fragilia noſtri corporis membra volo ibidem tumulari. Cernens itaque Rex ex Dei voluntate eſſe, quod à tanto poſcebatur viro, cauſa emendationis ac benefaciendi ſicut pollicebatur, ejus providentiæ commiſit, ut ſublevator fidelis, atque defenſor ipſius eccleſiæ adverſus hoſtes malignos, terrarumque invaſores exiſteret. Quod alacri cordis gaudio ſuſcipiens, gratiarum Deo laudes Regi mortali reddidit &c. LIB. X. CAP. I.

Ea ætate florebat maxime regularis diſciplina in Cluniacenſi monaſterio. III.
Hinc religioſus Comes Burchardus monachos ad reſtituendum monaſterium Foſſatenſe advocare inſtituit, opemque Maioli Abbatis, cujus tunc celebrata ſanctitas, implorare. Sed antequam ulterius pergam, paucis excurrere licet, & breviter de illo monaſterio dicere. Cluniacenſe monaſterium condidit Vvilelmus Aquitaniæ Dux ſub Carolo III. Rege anno DCCCCX. primumque huic præpoſitus eſt Berno, vir ſanctitate & regularibus inſtitutis clarus. Berno ex monaſterio Balmenſi, cui præerat huc tranſlatus eſt. Sed mirum in modum inſtitutio monaſtica celebrata eſt ſub Odone Bernonis ſucceſſore: ille ex baſilica ſancti Martini Turonenſis ad Cluniacum profectus, monachum induit ſub Bernonis præpoſitura, poſt ejus mortem omnium votis Abbas Cluniacenſis renunciatus eſt: inſignis fuit monaſtici ordinis reparator, quo tempore inſtituta monachorum collapſa fuerant, ſeu injuria malorum temporum, ſeu corruptela, vitiiſque gliſcentibus, Odo igitur in Cluniacenſi monaſterio priſcam monaſticæ ſeveritatis inſtitutionem reſtituit: & monaſterium hoc toto orbe ita celebratum eſt fama ſanctitatis, ut omnes crederent Ægyptiacæ eremi revocata tempora, ea ſub Odonis præpoſitura Cluniacenſium aſcetarum exiſtimatio fuit. Odoni ſucceſſit Aymardus, vir ſumma probitate & ſingulari morum innocentia commendatus, cui magis curæ fuit inſtituta Odonis ſervare, quàm novis ea virtutum & inſtitutorum augmentis amplificare. Sed inprimis Maioli Abbatis, qui ſecutus eſt, prædicata ſanctitas, & ſub ejus regimine Cluniacenſis ordo & fama honeſtatis & regularis diſciplinæ exiſtimatione longe accrevit. Hic nobilibus ortus parentibus, primùm Matiſconenſem archidiaconatum conſequutus eſt, profeſſus deinde monachum in cœnobio Cluniacenſi, Aymardo ſucceſſit, quartuſque Abbas hujus monaſterii extitit. Sub hujus ſancti Maioli magiſterio Cluniacenſis ordo haud mediocriter propagatus eſt, hic multa monaſteria, quæ ab antiqua ſanctitate deciderant, ad meliorem vitæ frugem, melioremque diſciplinam revocavit: ſed inprimis Foſſatenſe monaſterium; quod quomodo factum ſit, quoniam id ad res noſtras pertinet, breviter diſſeram. Modo dicebamus hocce monaſterium ab Hugone Rege Burchardo Comiti datum. Cum igitur cerneret pius Comes profligatam in eo monaſterio ſancti Benedicti regulam, neglecta monachorum inſtituta, & pravas inductas conſuetudines, cogitare cœpit, qua ratione malis graſſantibus mederetur. Maiolus Comiti venit in mentem, cujus id temporis memorata per orbem ſingularis pietas, illum itaque adiit, memoravitque mala, quibus monaſterium Foſſatenſe affligebatur, rogavit, ut graſſanti morbo remedium adhiberet. Pater Maiolus modeſte reſpondet eſſe quærendum auxilium à vicinioribus, qui facilius operam præſtarent; ſed demum cum inſtaret Comes, & ſollicitis precibus eum invitaret, Abbas ſe vinci paſſus eſt, & cum pluribus monachis ſecutus eſt Comitem, jam ad fluvium Matronam pervenerant, vicinamque monaſterio villam attigerant, cum Burchardus Comes jubet Foſſatenſes monachos ire obviam Maiolo, iique neſcii rerum ultro ejus mandatis obtemperare ſtuduerunt. Jam Maiolus ingreſſus erat monaſterium, cum ad illud ordinandum Comes & Abbas ſe accingunt. Jubet Comes monachos adeſſe, renunciatque Maiolum ad reſtituendam rem monaſterii acceſſiſſe,

ſingulis fieri poteſtatem manendi, ſi ſuis, Maiolique conſiliis ſuffragari velint, ſin abnuant, dari cuilibet abeundi veniam. Ita otio & deſidia torpentes erant monachorum animi, & à rerum divinarum exercitatione abhorrentes, ut omnes à monaſterio ſecedere magis eligerent, quam mores & vitam emendare, & quemadmodum inſtituta Patris Benedicti jubent, vitæ ſeverioris aſperum iter ſectari. Magenardus, cui cura monaſterii erat, ad Glannafolienſe monaſterium mittitur, ut præpoſituram eo in loco haberet. *Cumque cuncti adunati fuiſſent, præcepit, ut qui cum Abbate Maiolo manere in cœnobio voluiſſent, ejuſque juſſis in omnibus obedire liberam haberent licentiam revertendi, qui vero nollent, abirent, quo vellent. Illi autem triſtes admodum effecti, utpote omni humano deſtituti auxilio, magis elegerunt vias cordis proprii appetere, quam cum Abbate vel monachis ſibi in votis ad eccleſiam redire. Abbas autem Magenardus, qui, ut diximus, nobilis progenie erat, ex ſanguine enim Auſoaldi divitis Pariſiacæ civitatis exiſtebat, in cœnobio ſancti Mauri, quod Glannafolium dicebatur, tranſmiſſus eſt, ut ibidem paſtor fratrum illic degentium exiſteret. Qui, quamdiu vixit, in eodem loco converſatus eſt. Quo defuncto ante vultum crucifixi Domini in eccleſia corpus ejus ſepultum eſt &c.* Hoc auctor geſtorum Burchardi Comitis. Monachi Cluniacenſes hoc modo monaſterio Foſſatenſi potiti ſunt, tum illi præeunte Maiolo Abbate rigidiorem ſancti Benedicti regulam amplecti, & nihil de ſumma ſeveritate remittere. Maiolus rebus in monaſterio ordinatis ab Hugone ſuppliciter petit, ut copioſiorem monachis ſufficeret alimoniam, annuoſque redditus nova aliqua donatione augeret, quod Rex facere haud abnuit, donavitque villam, quæ Manſiones dicitur; de ea donatione auctor vitæ Burchardi ſic loquitur. *Cumque regulariter intus & exterius cuncta ibidem agerentur, ac ſollicite omnia, ut poſſibile erat, emendata fuiſſent; Maiolus accedens ad Hugonem Francorum Regem exoraſus, ut victus alimoniam ſervorum Dei ſub eo converſantium multiplicando adaugere dignaretur, cujus preces Rex benigne ſuſcipiens adhortante eum Comite Burchardo, contulit Eccleſiæ Foſſatenſi villam, quæ dicitur Manſiones cum eccleſiis, & cum cunctis ſibi adjacentiis, ſitam in Pariſiaco inter Sequanam & Matronam, ſicut ipſe eam regali jure habere videretur. Facto itaque teſtamento monogrammate firmatur, & in eo ſigillum regalis majeſtatis à Rагеnaldo Cancellario filio Comitis, poſtea Pariſiorum præſule imponitur anno incarnati verbi DCCCCLXXXVIII. ſub die XII. Calendarum Iuliarum, perpetuoque in eodem monaſterio conſervatur. Ob hoc etiam dies obitus ipſius Regis IX. Calend. Novemb. uſque hodie in ipſo monaſterio ſollemniter celebratur.* Ecce eam ipſam chartam, quam ex Chartulario Foſſatenſi olim deſcripſimus, tibi exhibemus.

IV. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Hugo gratia Dei Rex, quidqoid locis divino cultui mancipatis largiendo conferimus profuturum, nobis ad æternam beatitudinem obtinendam, & ad præſentem vitam felicius tranſigendam omnino confidimus. Itaque noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque præſentium ac futurorum induſtria. Quia pro abſolutione peccatorum noſtrorum ad deprecationem venerabilis Abbatis monaſterii Foſſatenſis nomine Maioli & monachorum ejoſdem congregationis, quod eſt dedicatum in honore ſanctæ virginis Mariæ ac principis Apoſtolorum Petri, conſiderantes eorum non modicas neceſſitates, propter hoc complacuit celſitudini noſtræ in quadam villa in comitatu Pariſiaco ſita, cui eſt vocabulum Manſiones manſum indominicatum cum pratis & terris arabilibus, cultis & incultis & farinariis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus cum mancipiis utriuſque ſexus deſuper commorantibus, ſive cum omnibus appenditiis ſuis, videlicet eccleſias duas, quarum una eſt mater eccleſia in honore ſancti Remigii, & alia capella in honore ſancti Germani, & omnem vicariam in ea poteſtate habendam prædicto Abbati, vel fratribus tradere atque delegare. Unde etiam hoc celſitudinis præceptum fieri, prædictoque Abbati vel congregationi dari juſſimus, per quod memoratas res omnes ad ſupradicti monaſterii, fratrumque ſubſidium juſte, legaliterque pertinentibus, omniumque rerum ſumma integritate tradimus ac delegamus: ut ſecundum eorum diſpoſitionem, ſucceſſorumque ſuorum adminiſtrationem per futura tempora ordinentur, eiſque pro ſua opportunitate utantur, noſtrum memoriale conjugiſque meæ, ſeu filii noſtri Roberti ac conſortis regni noſtri æternaliter fundendo pro nobis preces inibi habeatur, & ut hæc auctoritatis noſtræ largitio noſtris futuris tem-*

poribus diligentius conſervetur, atque ab ipſis fratribus ſecurius poſſideatur, manu propria ſubtus eam firmavimus, annulique noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Signum Hugonis glorioſiſſimi Regis anno II. regnante Hugone Rege, ad latus extat ſigillum ceræ rubræ impreſſum, in quo viſitur imago Regis Hugonis erecta dextera, & circum habentur hæc verba. *Hugo Dei miſericordia Francorum Rex*, ad latus ſigilli Reginaldus Cancellarius ſcripſit. *Datum XII. Calend. Iul. Indictione II. acta publice Pariſius urbe anno incarnati verbi DCCCCLXXXVIII.* Error eſt in indictione, aut in anno, nam non hic annus, ſed ſequens Indictioni ſecundæ convenit, neque convenit dies hujus anni ſecundo anno Hugonis. LIB X. CAP. I.

His ita ordinatis Maiolus ad ſuos rediit, nullo relicto Abbate, qui monaſterium ſe abſente regeret, ſed præpoſito tantummodo. Cluniacenſes enim monachi cellam in eo loco ordinare conſtituerant, & locum ſui juris facere; ſed hæc poſtea mutata ſunt, ut alias fuſe exponemus. Quoniam vero ſancti Maioli incidit mentio, addam & eum magno in honore habitum ab Hugone Francorum Rege, qui & ipſum advocaverat, ut Dionyſianum monaſterium ad meliorem formam reduceret. Maiolus ſe huic operi accinxerat, jamque Sylviniacum pervenerat, cum morte vir ſanctus præventus eſt. Sanctus Odilo ſcriptor ejus vitæ rem in eum modum memorat. *Hugo Rex Francorum quoties illum vidit, humili devotione ſuſcepit, & cum magno honore tractavit, tempore vero ſuæ vocationis, ad ſe venire rogavit ea intentione, ut monaſterium ſancti Dionyſii ejus conſilio & adjutorio melius, quam tunc erat, ordinari poſſet. Ille ſciens dictum à Domino reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Et illud Apoſtoli præceptum, Deum timete, Regem honorificate, ad illud negotium peragendum gaudens iter ſuſcepit, uſque ad locum Sylviniacum pervenit, ubi ſe Deo vocante plenus dierum ex hac vita obiit quinto Idus Maii inluceſcente feria ſexta poſt celebrationem ipſius ſacratiſſimæ ſollemnitatis, qua Chriſtus Ieſus Dominus noſter ſubacto mortis principe ad dexteram patris aſcendit, & fideli ſuo Majolo aſcendenti poſt ſe iter oſtendit. Poſt cujus tranſitum ſupradictus Rex Hugo adventus ſui præſentia & regalibus donis exequias ejus honoravit & tumulum, ubi præſtante Domino multa patrata ſunt & patrantur miracula.* Hæc pariter, ſed brevius Syrus auctor geſtorum Maioli commemorat. His de Comite Burchardo & de Foſſatenſi monaſterio enarratis, ad Epiſcopos Pariſienſis Eccleſiæ tranſeo, eoſque maxime, qui ſub Hugone hujus Eccleſiæ Pontificatum geſſerunt. V.

Superius de Elyſiardo dictum eſt, de ejus ſucceſſore haud mediocris controverſia eſt: tabularia Eccleſiæ Pariſienſis, Colbertinus index, aliique indices Raynaldum Elyſiardo ſufficiunt: Glaber tamen antiquus auctor Giſlebertum medium inter utrumque Epiſcopum Pariſienſem fuiſſe ſcribit, ejuſque mortem tempore Hugonis Regis accidiſſe memorat, *per idem tempus*, inquit ille auctor, *obierunt in Italia & in Galliis, qui præcipui erant Pontifices & Duces, necnon & Comites. Primitus quoque Papa Ioannes, deinde Hugo Marchionum optimus. Poſthæc vero per Italiam quique nobiliores. In Galliis namque Odo & Heribertus, quorum prior Turonorum Carnotique, ſequens vero Meldorum atque Trecorum Comes extitit. Tunc temporis etiam Dux Rotomagorum Ricardus obiit, qui monaſterium ædificaverat nimium locuplex in loco, qui dicitur Fiſcampus, in quo etiam ſepultus quieſcit. Viellermus quoque Pictavorum Dux ſub eodem tempore vitam finivit. Pontifices item in Galliis, quique religioſiores à ſæculo exceſſerunt, Manaſſes videlicet vir ſanctitate plenus Trecorum Epiſcopus, & Giſlebertus* ſeu Engelbertus *Pariſiorum, necnon & Gebuinus Catalanorum, cum aliis pluribus: inter quos etiam bonæ memoriæ ſanctus videlicet Majolus apud Silviniacum cœnobium vitæ præſentis terminum conſecutus eſt &c.* Ex his verbis colligo Giſlebertum Pariſienſem Epiſcopum pietate & religione clarum fuiſſe. Nomen illius Epiſcopi non reperitur in indicibus Eccleſiæ Pariſienſis, neque in aliis antiquis catalogis. Dum hæc animo recolo, & prohibet ſcriptor antiquus, quominus nomen ejus expungam ex albo Epiſcoporum Pariſienſium, & antiqua Eccleſiæ Pariſienſis monimenta voluo ſedulus & revoluo, illius demum Pontificis nomen reperio in veteri ejuſdem Eccleſiæ necrologio ad ſecundum Nonas Februarii, ubi habentur hæc verba, *de* VI. Glaber lib. 2. cap. 7.

LIB. X. CAP. I. *domo ſanctæ Mariæ obiit Gelebertus Epiſcopus, qui dedit nobis caſulam & duas cappas pallii cum bibliotheca.* Quin & Giſleberti quoque meminit Chronicon Flaviniacenſe, ex quo & ex his, quæ inferius dicentur, apparet hunc deceſſiſſe anno DCCCCXCIII. *eoque tempore*, inquit, *ibi erant Odo Comes Turonorum, Heribertus Meldorum & Trecorum, Vuilelmus Pictavorum, Manaſſes Epiſcopus Trecorum, Giſlebertus Pariſiorum.* Ad eum, puto, ſcripta eſt Gerberti epiſtola CXLV. quæ eſt hujuſmodi.

Epiſcopo Pariſienſi Gerbertus.

VII. *ETſi omnis Eccleſia catholica una atque eadem, ſingulis tamen ſacerdotibus modus quidem præſcriptus eſt, quo ſe extendere, ubi terminos debeant collocare. Itaque in cauſa Roberti Abbatis, ob eam quam ſervamus ac ſemper vobis volumus ſervare fidem, hæc tria conſultando proponimus. Primum non eſſe noſtri juris falcem in alienæ meſſe ponere, in quo multiplices rependimus grates, etiam indebito dignari nos honore. Secundum ſancti Dionyſii cœnobium ejus eſſe reverentiæ ac dignitatis, ut nullus ibi magiſtratus debeat deponi, aut imponi ſine comprovincialium, quorum intereſt conſenſu ac favore ſollemni. Tertium proponimus, ſi rem in dilatione ponitis veſtræ manſuetudini ſuggerendum quidquid honeſtius & utilius cum religioſiſſimis & ampliſſimis viris inveniemus.*

VIII. Apparet neque tunc temporis illam eccleſiam à juriſdictione Epiſcoporum liberam & immunem fuiſſe, cum controverſiam ex judicio provincialium Epiſcoporum definiendam Gerbertus dicat, & id non propter privilegia & immunitates illius baſilicæ, ſed propter dignitatem & reverentiam regii monaſterii; de Roberto Abbate Dionyſiano mox dicemus. De eodem Giſleberto mentionem fieri exiſtimo in Gerberti epiſtola LXI. ubi dicit ab Hugone Duce advocatum Ayrardum Abbatem Aureliacenſem propter diſſidia, quæ erant inter Epiſcopum Pariſienſem & Gualonem Abbatem ſancti Germani à Pratis. Giſlebertum mortuum anno DCCCCLXXXXIII. charta, quæ inferius refertur, probat. Huic ſucceſſit Raynaldus, quem plures Renoldum vocant, aliqui aut Reginaldum aut Raginaldum, pro ut quiſque nomen Gallicum latine diceret. Raynaldus filius fuit Burchardi Comitis Corboilenſis, & Elizabethæ, quam Aimo Comes viduam reliquerat, hunc Vindocinenſem & Melodunenſem Comitem fuiſſe narrant. Regis Hugonis Cancellarius fuit, ut antea relatum eſt anno DCCCCLXXXXIII. ad cathedram Pariſienſem evocatus eſt, ut conſtat ex ſequenti charta.

IX. *In nomine Regis æterni Raynaldus Dei clementia Pariſienſis Epiſcopus. Notum fieri volumus omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus tam præſentibus, quam futuris. Quia per deprecationem fratrum congregationis ſanctæ Mariæ cuidam fœminæ cujus vocabulum eſt Oda quandam terram conſiſtentem in pago Volcaſſino ex Andreſiaca poteſtate, videlicet dimidium manſum cum ſuis appendiciis, terris cultis & incultis, una cum aſſenſu canonicorum noſtrorum jure cenſuali conceſſimus, & litteras manus firmitatis exinde ei fieri juſſimus, eo vero ordine, ut quamdiu ſupradicta mulier Oda cum filia ſua Ermengarde, unuſque earum hæres quemcumque elegerint, advixerit, omnia ſupradicta ſecure teneant & poſſideant &c. Actum Pariſius pridie Calendas Aprilis anno quinto regnante Hugone ſereniſſimo Rege, Epiſcopatus noſtri anno primo. Ego Raynaldus Pariſienſis Epiſcopus ſubſcripſi. Signum Hilarii Decani. Signum Adelini Cantoris. Signum Albrici Archidiaconi.* Hujus Decani Hilarii memoria eſt in necrologio ſæpe laudato his verbis *Idibus Ianuarii de domo ſanctæ Mariæ obierunt Hilarius Decanus & Robertus ſacerdotes, qui nobis dederunt domum in clauſtro ad ſtationem quatuor ferculorum.* Quo vero anno haud dixerim. Quod ad Raynaldum attinet ejus geſta memoriæ commendare ſibi propoſuerat Odo Foſſatenſis monachus, ſed rem non perfecit, utinam perfeciſſet, ſupereſſet nobis egregium Eccleſiæ Pariſienſis monimentum. Nam cum Raynaldus jam à puero ad honeſtatem, bonoſque mores inſtitutus fuerit, haud dubium eſt multa egregie ab eo peracta, quæ ſi ſcirentur, multum ornamenti huic hiſtoriæ afferrent, quæ quo-

niam oblivione ſepulta ſunt, & penitus antiquorum incuria abolita ſunt, cogimur quædam ex actis antiquis tanquam ex naufragio tabulas colligere, in quibus illius memoria celebrata eſt. Sed hæc inprimis ſub Roberto Rege alias referemus. LIB. X. CAP. I.

Anrequam ulterius ſermonem converto, pauca hic libet adjicere de Concilio Senonenſi, de quo in chronico ſancti Petri vivi habetur mentio, habitum legitur anno DCCCCLXXX. Indictione octava, his verbis incipit. *Cum ſederem ego Sevinus Archiepiſcopus Senonenſis & circumſederent quidam ex Coepiſcopis noſtris cum perſonis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ virginis ſanctique Stephani protomartyris, quorum conſilio & actu vigor eccleſiaſticus vigere debet, venerunt ante noſtram præſentiam Abbas monaſterii ſancti Petri vivi & ſancti Saviniani martyris, cum turma monachorum ejuſdem eccleſiæ &c. Subſcripſerunt Concilio, ſeu privilegio Sevinus Archiepiſcopus, Odo Archiepiſcopus Carnotenſis*, ſic legitur in antiquo codice, *Rainoldus Pariſiorum Epiſcopus, Manaſſes Aurelianenſis Epiſcopus, Theodorus hujus ſedis Archidiaconus &c.* Admonet me Sauſſeius annalium Eccleſiæ Aurelianenſis graviſſimus ſcripror, ne facile hoc Concilium admittam, ſuſpectum ſibi videri. Manaſſem ſcilicet, non eo tempore Aurelianenſem Epiſcopum fuiſſe, ſed Arnulfum id temporis geſſiſſe epiſcopatum illius Eccleſiæ, eumque immediate Ermenteo ſucceſſiſſe, haberi ſcilicet privilegium monaſterii Miciacenſis datum anno DCCCCLXXIII. cui Arnulfus epiſcopus Aurelianenſis ſubſcripſir & alia ejuſmodi acta, ex quibus perſpicuum eſt initia Epiſcopatus Arnulfi hoc Concilium præceſſiſſe. Addit Sauſſeius hæc. *Sed ut verum fatear mihi ſuſpectiſſimus eſt ille Manaſſes, cum hoc anno Arnulfus jam ſederet, & alios ab iſto Manaſſem primum, & Manaſſem ſecundum nominatim vocatos reperiamus in dedicatione altarium Curiæ Dei anno MCCXVI.* X.

Sed neque Raynaldus anno DCCCCLXXX. Epiſcopus erat Pariſienſis, ut ſole clarius patet ex his, quæ antea relata ſunt, ex quibus lector intelligit, quæ fides & Concilio & privilegio ſit. Ecce tibi ſincerius Concilium, quod tempore Hugonis Regis in Dionyſiano monaſterio peractum eſt, quod antequam profero, paucis præfari me oportet, ut dicam breviter, quis ſtatus in Galliis Eccleſiarum eſſet. Gravia bella tam domeſtica, quam externa, variæque regni viciſſitudines non modo ea ætate rempublicam afflixerant, ſed etiam eccleſiaſticam vehementer turbaverant. Comites enim ſumpta ex turbidis rebus audacia, nihil ſancti habere, ſacra juxta & profana polluere. Eccleſia, quæ ſub imperio Caroli Auguſti magnitudine & opulentia vehementer accreverat, ſpolium & præda magnatum fuir, & quo quiſque plus poteſtate & viribus valebat, eo avidius poſſeſſiones Eccleſiæ invadere audebat, Comites Eccleſiarum, Epiſcoporumque redditus per fas & nefas ſolebant uſurpare, & ſæpius rapere fundos monaſteriorum, & ſeipſos iis præponere, neque amplius eas facultates in alimoniam pauperum, aut monachorum, & ſtipendia clericorum impendere, ſed ea in uſus profanos, illicitaſque voluptates profundere. Huc accedebat aliud malum longe graviſſimum, ſacerdotia quippe & epiſcopatus vendebantur, fiebatque ſacrilega rerum ſacrarum nundinatio; ſuccedebantque, ut plurimum, epiſcopatibus, aliiſque magiſtratibus eccleſiaſticis, non qui plus virtutibus erant ornati, ſed qui plus pecuniarum haberent, non ad vota populi & cleri ſuffragia ſeligebantur antiſtites, ſed quo quiſque plus ambitu & muneribus pollens erat, facilius ſibi munera Eccleſiæ comparabat. Principes, Comites, aliique optimates jus & poteſtatem ea pro arbitratu daudi ſibi arrogabant, nullus rei eccleſiaſticæ gerendæ modus erat. Qui vero bis peſſimis artibus ad faſtigia honorum eccleſiaſticorum evadebant, nulli pretio nullique honori apud plebem erant, quî enim ſibi exiſtimationem comparare poterant? qui cum bono exemplo aliis eſſe debebant, cupiditati, avaritiæ, aliiſque vitiis laxabant habenas, & profligatis moribus irrepſerant ad honores. Hanc vulgo corruptelam ſcriptores hujus ætatis deflent. Glaber hæc vitia palam redarguit. Abbo in apologetico illam perniciem verbis acerbis inſectatur. Fulberti palam eſt adverſus hanc graſſantem peſtem in epiſtolis querimonia, & Henricus Imperator publice hoc vitium, vel in ipſo patre condemnavit. Etſi hanc pravitatem induxerant projecti illorum temporum mores, non-

LIB. X. CAP. I.

nulli tamen æqui juſtique tenaces ſe ab hoc malo exemerant, hique improbitatem horum temporum redarguere haud verebantur. Erat præterea aliud malum, quod corrupta ætas invexerat, multi nobiles decimas, quæ clericorum erant, invaſerant, hique miniſtris Eccleſiarum ſuam alimoniam abſtulerant, frequentes contra hos raptores fuerant clericorum queſtus. Nobiles ſeu horum clamoribus excitati, ſeu ipſi percuſſi conſcientiæ ſtimulis, monachis decimas plerumque pretio vendebant, aut ipſis monaſteriis ipſas in oblationes tribuebant. Ægre patiebantur Pontifices hæc fieri, ea in detrimentum Eccleſiæ cedere querebantur, hanc eſſe portionem clericis ex præcepto divino conceſſam vociferabantur; cur aliò, inquiebant, transferre presbyterorum hæreditatem? Malum emendare in Concilio meditantur. Indicunt itaque Synodum, monaſteriumque ſancti Dionyſii ad hanc celebrandam ſeligunt, convenerunt haud pauci Pontifices, de decimis primo actum eſt, inquirebantque Pontifices, qua ratione eas è manibus laicorum & monachorum aufferrent. Dum ea controverſia pertractatur, Abbo Floriacenſis, qui in Synodo aderat, aſſurgit, & defenſionem monachorum ſuſcipit, & vehementi oratione cauſam decimarum, quæ ad eos pertinebant, tuetur. Hujus ſermonibus Dionyſiani monachi incitati cum pluribus, tum ex plebe, tum ex domeſticis famulis obſtrepere, exacerbatique invicem edere tumultus, & ſeditionem concitare, nulla loci, nulla Synodi, nulla pontificum ratio, reverentia nulla extitit, impetus in Patres factus eſt, illi frangere iram tumultuantium haud valentes, ſuæ obliti dignitatis in fugam ſe præcipites conjicere, & hac via ſibi ſalutique conſulere. Inter hæc Seguinus vir ætate, annis, pontificiaque dignitate reverendus, etiam cum aliis lentius fugitabat. Cum ſeditioſi, bacchantum in morem in ſenem infeſtis telis irruunt, unuſque ex his eum fugientem inter ſcapulas ſecuri percuſſit, dum alii ſacras ejus veſtes luto inficiunt, albentemque venerabilis verticis canitiem ſordibus & cœno contaminant, & eum prope exanimem relinquunt: hujus tragœdiæ meminit Aimoinus ſcriptor vitæ ſancti Abbonis, vellemque plus gravitatis & modeſtiæ fuiſſet in eo ſcriptore, qui in narratione tam fœda, tamque horrida, ubi proculcata ſacerdotum dignitas eſt, ubi immaniſſime actum eſt cum Pontifice ſenio annis & morum gravitate venerando, etiam ludere & intempeſtive jocari haud veretur. Rem his verbis deſcribit. *In illis ſane diebus*, inquit, *in monaſterio ſancti Dionyſii haud procul à Pariſiis Concilium aggregatum eſt quamplurium Epiſcoporum, qui cum de fidei puritate, de corrigendis tam ſuis, quam ſubditorum pravis moribus, ſermocinari debuiſſent, juxta vulgare proverbium, cunctum ſuum ſermonem ad decimas verterunt eccleſiarum, quas laicis & Deo ſervientibus monachis aufferre moliti, aſſiſtente eis in hac re hoc venerabili Dei cultore Abbone, promiſcuam in ſe vulgi concitavere manum; ortaque ſubito ſeditione tantus in Epiſcopos timor, ut publica ſtatione relicta, paſſim quiſque diffugeret, inter quos Seguinus Senonum Archiepiſcopus, primatum Galliæ in ea Synodo ſibi uſurpans, primatum quoque fugæ arripuit, & inter fugiendum ſecuri inter ſcapulas ictus, lutoque à popularibus oblitus ægre evaſit, uni quoque Epiſcoporum fugienti timor tam veloces addidit alas, ut affluentiſſimo prandii apparatu, quem ſibi extruxerat relicto, vicinæ urbis Pariſiorum mœnia fugitabundus expeteret.* Collectorque Conciliorum hoc addit ex MSS. ſchedis, quas habebat. *Apud cœnobium Dionyſianum conventus factus eſt plurimorum Epiſcoporum de rebus eccleſiaſticis. Cumque de decimis, quæ à laicis ut plurimum occupabantur, à monachis paſſim detrahebantur, ad parochos reducendis quæſtio in medium eſſet propoſita, Abboque monaſterii Floriacenſis cœnobiarcha reſiſteret: is monachos ſancti Dionyſii, & ceteros familiares illorum contra Epiſcopos concitavit. Seditione gravi orta, Pontifices re infecta huc illucque diffugere coacti & fuga ſibi ſalutem quærere. Seguinus Senonenſis Archiepiſcopus canitie venerandus fugiens inter ſcapulas ſecuri ictus à populo cœno & luto oblitus pene mortuus relictus eſt, nec eum dignitas ſacerdotalis protexit, aut canities, quin pene occideretur.* Hujus cauſam concitationis in Abbonem omnes rejecerunt, & de ea apologetico ad Reges Hugonem & Robertum ſcripto ſe purgare nititur.

XI. In morem latrocinii finitum eſt Concilium. Sed quid poſtea acciderit, hoc vero memoriæ non eſt traditum, haud dubium eſt facti auctores artificeſque

immaniſſimi

Digitized by Google

immaniſſimi flagitii eccleſiaſticis pœnis regulariter fuiſſe ſubjectos; præcipuæ querelæ adverſus Abbonem Floriacenſem Abbatem fuerunt. Is, ut dictum eſt, vehementius pro decimis monachorum locutus erat, &, ut exiſtimo, adverſus presbyteros & Epiſcopos ſui temporis liberius fuerat locutus, quod modo oſtendemus, cum deinde ſecuta ſeditio ſit, culpam in eum Pontifices refuderunt; quapropter librum apologeticum ad Reges Hugonem & Robertum ſcripſit, quo ſe vindicaret à calumnia. Arnulfus Aurelianenſis Epiſcopus Dionyſiano Concilio aderat, & perpetrati facinoris teſtis fuerat, & auctorem facti Abbonem, ſicut plures alii, reputabat, ob eamque cauſam in eum acerbè agere inſtituit, quippe qui monaſterio Floriacenſi præerat, quod parochiæ Aurelianenſis eſt. Aymoinus in vita Abbonis haud diſſimulat à multis eum reprehenſum, quod auctor tumultus fuiſſet, *totam ergo tantæ calumniam injuriæ, tam à præfato Arnulfo, quam à reliquis Pontificibus ſub ſemet devolvi perpendens hic Deo devotus Abbo, in eodem apologetico, non ſolum ab hoc, verum & à quibuſdam aliis hoc modo ſe purgat objectis.* Extat ille apologeticus libellus nuper ex regia typographia editus cum aliquot ejuſdem Abbonis epiſtolis. In eo conqueritur Abbo, eorum ſe injuriis objectum, quod defendiſſet monachos, quod augmentum monaſteriorum quæſiviſſet, quod reſtitiſſet his, qui inſidiarentur ſibi, *nec aliud*, inquit, *immurmurant, niſi quod monachorum ſenatum ſalvum eſſe volui, noſtræ reipublicæ augmentum quæſivi, ac cavillationi inſidiantium auctoritate, qua valui, contradixi, nec abſcondi omnino miſericordiam & veritatem à conſilio multo, pro hujuſmodi meo inſidiantur ſanguini, me ſuccenturiatis inſequuntur odiis, adeo ut nec regia majeſtas eos deterreat, quin me clanculo trucident, ſi eis locus tempuſve arrideat.* Alludit Abbo ad ea de quibus adverſus Arnulfum Aurelianenſem Epiſcopum conquerebatur, & de quibus Aymoinus ſcribit. *Nunquam tamen*, de Arnulfo ſic loquitur, *ad purum cœnobii Floriacenſis Abbates dilexit, contentionem enim habuit cum Abbone Floriacenſi Abbate, qui Epiſcopo ſubjici, eique jura poſtulanti denegabat. Itaque familia Epiſcopi Abbonem Abbatem ad ſancti Martini feſtum Turonis properantem aggreſſi gravibus affecerunt contumeliis, & quamvis Antiſtes actibus ſuis, honeſtis ſemper ſe demonſtraſſet pollere moribus, nequaquam tamen, ut par eſt, familiæ delictum indigne tulit.* Et ita ipſe Abbo contra Arnulfum ſcribit. *Quod excommunicatis me miſcuiſſe aſſerit, ejus utique exemplo feci, qui filios Belial nocturno latrocinio in meam necem graſſantes recepit, poſtquam eos anathematizaverat ſuus Archiepiſcopus ſingularis meriti Sevinus, & Odo Carnotenſium Epiſcopus, necnon & alii magnæ vitæ & religioſi viri.* Et ex his, quæ in apologetico ſcribit contra emptores ſacerdotiorum & rerum eccleſiaſticarum ſacrilegos negotiatores, conjicere licet & in Dionyſiano Concilio invectum acerrime in eos fuiſſe. *Videte, æquiſſimi Principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigeſcit caritas: ex dono omnipotentis Dei, quæ gratis accipiuntur, mercatores efficimur, & vendere conamur, quod profecto non poſſidemus. Nihil enim pene ad Eccleſiam, quæ eſt ſolius Dei, pertinere videtur, quod ad pretium non largiatur, ſcilicet epiſcopatus, presbyteratus, diaconatus, & reliqui minores gradus, archidiaconatus quoque & decania, præpoſitura, theſauri, cuſtodia, baptiſterium, ſepultura, & ſi qua ſunt ſimilia, & hujuſmodi negotiatores ſubdola reſponſione ſolent aſtruere, non ſe emere benedictionem, qua percipitur gratia Spiritus ſancti, ſed res Eccleſiarum vel poſſeſſiones Epiſcopi, cum certum, ſit quod in catholica Eccleſia alterum altero carere non poſſit.* In hoc ipſum poſtea vehementiſſimis verbis invehitur, deinde longe amovet à ſe cauſam Dionyſianæ ſeditionis. *Nec me veſtro*, inquit, *aliorumque ſapientum examini ſubduco, qui contra canones ſenſiſſe ſuſpicor, in Epiſcopos monachorum manum moviſſe accuſor, veſtram benevolentiam proprio Epiſcopo abſtuliſſe blaſphemor, quibuſdam excommunicatis participaſſe criminor. Sed eſto, cui ſententiæ canonum contradixi? qui nullo Concilio vix apertum librum videre potui? aut quod Concilium illud fuit, ubi conciliati venerunt, & diſconciliati receſſerunt, cum ibi diſcordes reconciliari debuerint, aut canonica diſtrictione mulctari? quid in me ſingulariter commiſerunt Epiſcopi, ut eis ſaltem cogitatione obeſſe voluerim; præſertim cum non inimicum, ſed fide & opere amiciſſimum graviora pericula pertuliſſe contigerit. Ecce coram Deo in Chriſto non mentior, quia audita inſequentium conclamatione, ultra quam dici poſſit*

LIB. X. CAP. I. *indolui, recordor priſtinæ amicitiæ & beneficiorum tanti viri, cujus nix capitis reverendum oſtendit, excepta Primatus prærogativa & ſacerdotali infula. Qua ſuggeſtione vos decepi, ut veſtram benevolentiam optimis aufferretis, male meritis conferretis. Num ego Deus ſum, qui mutat mentes, mutat regna & tempora. Vere fateor me magicam ignorare, nec aliquid malarum artium didiciſſe: unde ille, qui de hac re contra me queritur, neminem præter vos incuſare videtur, qui relicto tramite æquitatis, beneficiorum ejus viciſſitudinem rependere neglexiſtis.* Sunt & alia multa ejuſmodi in apologerico Abbonis, quæ quiſque legere facile poſſit: hæc de Concilio Dionyſiano nihil alias de eo legimus.

XII. Pauca hic quædam adjicienda ſunt de Abbatibus ſancti Dionyſii & ſancti Germani Pratenſis: diximus ſuperius datum monaſterii regimen Decanis, cum primùm Odo, deinde Robertus, Hugo magnus & Hugo-capetus portione Abbatum in utroque monaſterio fruerentur. Hugo vero, vel antequam Rex eſſet, rem gratam facere monaſteriis inſtituit, poteſtatem enim fecit Dionyſianis habendi ex ſuo monaſterio Abbatem. Abbas Dionyſianus electus eſt Robertus, cujus memoria eſt in epiſtola CLV. Gerberti, quamque ſuperius retulimus, habuit ille diſſidia cum Pariſienſi Epiſcopo, hæcque Gerbertus referenda cenſebat ad Synodum provincialem: de his ſupra actum eſt. Poſtquam Hugo regnum adeptus eſt de monaſterio Dionyſiano ad meliores mores informando agere inſtituit: decreveratque uti opera Maioli Abbatis Cluniacenſis ad hoc opus perficiendum, jamque ſe ad iter accinxerat Maiolus, immo & iter ingreſſus fuerat, ut ad monaſterium Dionyſianum ſe conferret, cum apud Silviniacum ſupremum diem obiit: neque propterea Hugo Rex à propoſito deterritus eſt. Cum Odilo à Cluniacenſibus Abbas Maiolo ſubrogatus fuiſſet, & illius quemadmodum Maioli pervulgata ſanctitas eſſet, Hugo Rex ejus auxilium advocavit ad reformandos mores Dionyſianorum, qui longe à priſca inſtitutione deſciverant. Sanctus Abbas votis Regis paruit, rem monaſterii & monachos ipſos ad meliorem formam revocavit, id vero accipimus ex MS. Ademari monachi ſancti Martialis Lemovicenſis, cujus in bibliotheca Cluniacenſi his verbis mentio eſt. *Beati Dionyſii cœnobium, quod jam priſtinam monaſticam corruperat regulam, Rex Hugo regulari honeſtate, ſicut in eccleſia Domini rectum erat, honeſtius reſtauravit per manum venerabilis Odilonis Abbatis, & alia ſanctorum nonnulla monaſteria in decorem priſtinæ diſciplinæ revocavit.* Neque dubito, quin ſicut Maiolus Abbas Cluniacenſis rexerat Foſſatenſe monaſterium, cum illud ad Comitis Burchardi rogationem reſtituit, & eo nomine ab Hugone Rege donationem recepit, ita Odilo nomine Abbatis per aliquod tempus monaſterium recens reformatum moderatus ſit. Extat in antiquitatibus Dionyſianis pag. 814. charta Roberti Regis, in qua Odilonis Abbatis Dionyſiani mentio eſt. Hugo-capetus poſt mortem patris ſui Hugonis magni Comes Pariſiorum fuit, neque modo extitit Abbas Dionyſiani monaſterii, ſed etiam monaſterii ſancti Germani à Pratis, quo tempore hujus loci Decani extiterunt Galterius & Albericus, qui adminiſtrationem ſpiritualem in hoc monaſterio habuerunt. Habetur charta ſub Alberico Decano data anno Lotharii Regis nono, cum Hugo-capetus adhuc Comes Pariſiorum & Dux Francorum exiſteret. Demum Hugo & præſentibus monachis ſubrogandi ſibi regularem Abbatem poteſtatem fecit. Valdo, ſeu Vvalo, aut Gualo Abbas omnium calculis electus eſt, poſſeſſiones ſub regimine laicorum Abbatum alio diſtractæ fuerant, huic inprimis curæ fuit res diſſipatas colligere, & magnis laboribus ſuum patrimonium monaſterio aſſerere, ſub Lothario Rege mortem obiit. In monaſterio Pratenſi eſt vetus Calendarium à tempore Lantfredi Abbatis ad hanc ferme uſque ætatem obitum Abbatum aliorumque annotans, ubi dies obitus ejus legitur XV. Calendas Februarii his verbis. *Depoſitio domni Vvalonis Abbatis & levitæ.* Gualonis mentio eſt in epiſt. Gerberti his verbis. *Dux Hugo nacta occaſione ex diſſenſione Epiſcopi Pariſienſis, & Abbatis Gualonis Abbatem noſtrum Airardum inter ceteros ad ſe venire orat.* Huic ſucceſſit Albericus Abbas, qui regimen monaſterii tenuit ad tertium uſque annum Hugonis & Roberti Regum, obiiſſe dicitur VII. Calend. Septembris. Morardus huic ſubrogatus eſt. Eccleſia

ſancti Germani ſæviente Nortmannotum tempeſtate bis terve exuſta fuerat, LIB. X.
etſi poſtea refecta fuit, reliquias tamen damnorum, quæ incendia intulerant, CAP. I.
paſſim oſtentabat. Morardus veterem baſilicam evertere penitus, novamque
extruere inſtituit, turrim quoque novam ædificaſſe dicitur, & in ea collocaſſe
ſigna & campanas; quæ vero ſit illa turris Breulius ignorare ſe narrat, nam
quæ liminibus baſilicæ imminet Morardi ætate illi vetuſtior videtur eſſe. Calen-
dis Aprilis è vita deceſſit anno M XIV. ut ſcribit Breulius, qui & aſſerit hunc
ſepultum eſſe ante chori ſuperiorem ingreſſum.

Anno nongenteſimo nonageſimo ſeptimo Hugo Rex moritur. Sigibertus ta- XIII.
men ejus obitum ad annum ſuperiorem annotat, in baſilica Dionyſiana ſepul-
tus eſt. Hic feliciter confecit, quod ſæpius ejus majores exequi tentaverant,
aſſeruit ſcilicet Regnum Francorum ſuæ familiæ. Nangius refert, ut habet
MS. codex collegii Pariſienſis Societatis Jeſu, Hugonem, ut exploraret opti-
matum animos, Duces & Comites regni Pariſios advocaſſe, Ricardum inpri-
mis Ducem Nortmanniæ, alioſque regni proceres ad diem & dictum locum
acceſſiſſe, excepto Arnulfo Balduini filio Flandriæ Comite; cumque Rex ro-
gaſſet, ecquid agendum cenſerent? optimates reſpondiſſe iterum illum advo-
candum, ut diceret cauſam, cur adeſſe abnuiſſet, pollicitoſque omnes auxilium,
ſi contumaciter ag:re pergeret, dataque fide, domum quemque rediſſe: Hu-
gonem vero infeſtis ſignis in Flandriam profectum, Atrebatum cepiſſe, aliaque
vicina municipia, cumque Rex eum penitus è comitatu depellere ſtatuiſſet;
Arnultum opera Ricardi pacem reddito obſequio, dataque fide compoſuiſſe.
De Hugone & Roberto ſic Malleacenſe chronicon. *Hugo Rex Francorum ama-
tor ſanctæ Eccleſiæ, & ſervantiſſimus æqui mortuus eſt, & regnum pro eo filius ejus
Robertus vir claræ honeſtatis & magnæ pietatis, ornamentum clericorum, nutritor mo-
nachorum, pauperumque pater aſſiduus, vere cultor Dei, Rex non tantum populorum,
ſed etiam morum ſuorum.* Certe quæ de Hugone-capeto narrantur in relatione
corporis ſancti Vvalarici hiſce, quæ modò retulimus, congruunt. Res eſt hujuſ-
modi, Arnulfus ſenior Comes Flandriæ, direpto Monaſteriolo opido, corpora
ſanctorum Vvalarici & Richarii in monaſterium ſancti Bertini tranſtulerat, quo
tempore regnabat Lotharius filius Ludovici-tranſmarini. Hugo Dux Franco-
rum & Comes Pariſienſis noctu admonitus eſt referre ad ſuum locum corpora
ſanctorum Vvalarici & Richarii, ſanctique hæc inſuper adjecerunt, per noſtras
orationes Rex efficieris Galliæ, & poſtea hæredes uſque ad ſeptimam genera-
tionem poſſidebunt gubernacula totius regni. Dux confeſtim nihil dubitans col-
lecto ingenti exercitu Monaſteriolum ſine ſanguine recipit, nuncioſque ad Ar-
nulfum juniorem mittit, qui ſuo nomine repetant corpora ſanctorum, alio-
quin illi perniciem minentur, quibus demum acquievit Comes, quæ deinde
Hugo reverenter & honorifice recepit, magnoque comitatu in ſuum locum de-
portavit, tranſlatio die ſecunda Junii magna cum celebritate peracta eſt; huic
ſanctæ expeditioni adfuit Burchardus Comes Corboilenſis. Hæc ſummatim ex
actis relationis deſcripta ſunt: ex quibus corriges, quæ in Burchardi vita ab
Odone ſcripta ſunt, relationem enim ſanctorum corporum factam narrat à
Burchardo Comite ſub Roberto, quæ omnia annis Arnulfi Comitis non con-
veniunt, qui mortuus eſt anno DCCCCLXXIX. Sed ecce tibi antiquum
certumque pietatis Hugonis & ſingularis ejus in Eccleſiam amoris monimen-
tum, quod ex ſchedis Jacobi Sirmondi habuimus.

In Dei nomine omnibus præſentibus & futuris Hugo Dei gratia Francorum Rex. XIV.
*Cum ſit dignum Deo omnia bona referre, & quæ ſunt Dei Deo dare, ut divina bo-
nitas multiplicet ſemen regale noſtrum in ſui honorem, & utilitatem gentium, om-
nes eccleſiarum libertates dona & privilegia firmiter & devote confirmamus. Volumus
autem, ut charta glorioſæ memoriæ Caroli Francorum Regis de poſſeſſionibus Diis
gentium quondam datis, & divino cultui applicandis in omnibus obſervetur. Qui au-
tem de his aliquid ſubtrahere voluerit, vel aliquo tempore chartam hanc regulis reſ-
criptionis violare præſumat, ſentiat in omnibus rebus ſui detrimentum & partem ha-
beat cum ſatana principe tenebrarum. Factum hoc ad aram beatorum Apoſtolorum,*

 Pariſius ſub ſigillo noſtro & infra ſcriptorum. Signum Roberti filii noſtri. Signum Roberti de Nogeria. Signum Gemelini Silvanectenſis Buticularii. Signum Camerarii. Signum Genſelini referendarii.

CAPUT II.

De Roberti Regis initiis & de Berta Regina. De Hæreticis, qui Aurelianis cremati ſunt. De Fulberto Carnotenſi Epiſcopo. De virtutibus Roberti Regis. De Conſtantia altera ejus uxore. De Hugone Roberti filio & de ejus & Roberti Regis morte. De donationibus Burchardi Comitis & aliorum Monaſterio Foſſatenſi. De Abbatibus illius monaſterii. De morte Burchardi Comitis & ejus uxoris. De Rainaldo Epiſcopo Pariſienſi & ejus charta in gratiam Foſſatenſis monaſterii.

I. REgnum, quod Capetus potentia & magnitudine animi acquiſiverat, armiſque aſſeruerat, Robertus ejus filius religione, Chriſtianiſque virtutibus firmavit, ea enim pietate claruit, ut quantum alii ſcriptores laboris adhibuerint in geſtis clariſſimorum principum deſcribendis, tantum ſtudii & operæ contulerint, qui facta Roberti memoriæ commendarunt, in rebus ab eo pie & religioſe geſtis memorandis. Robertus, paulo poſtquam Hugo ejus parer Rex Francorum ſollemniter Remis ſalutatus eſt, Aurelianis in Regem inunctus eſt: & aſſumptus eſt à patre in conſortium regni: neque multo poſt Bertam duxit uxorem, filiam Conradi Regis Burgundiæ, quæ prius Odoni Trecenſi Comiti nupſerat, cum hacce quidem conſanguinitate & affinitate ſpirituali conjunctus erar: verum Gallicani Pontifices non tanti duxerant affinitatem cognationemque, ut propterea nuprias Robertus omitteret: immo Erchembaldus Turonenſis Pontifex, aliique plures Epiſcopi religionem hanc ſuſtulerant, conjugiumque præſentia & aſſenſu approbaverant. Haud placuit tamen Gregorio v. qui nuptias ob eam, quam diximus cauſam inceſtas reputavit, eaſque anno DCCCCXCVIII. celebrato Romæ Concilio condemnavit, &, ut erant mores illorum temporum, optimum Principem percuſſit anathemate, niſi relicta Berta pœuirentiæ legibus ſe ſubmitteret, & pariter Erchembaldum Pontificem Turonenſem, alioſque Pontifices, qui in nuprias conſenſerant, abſtinuit à communione, donec Romam accederent, ut Eccleſiæ reconciliarentur. Scribit Petrus Damiani, & alii nonnulli ſcriptores, non ob eam rem Robertum deterritum à propoſito, neque ejectam è toro Bertam, niſi poſtquam ipſa in partu monſtrum pro puero enixa eſt. Vera ſit an conficta hæc narratio, viderint alii: certe ſi conſulam Helgaldum auctorem ejus vitæ, non ob eam cauſam Berta ejecta eſt: ſed Rex reſipuit admonitus ab Abbone Floriacenſi Abbate, viro illa tempeſtare ſanctiſſimo, comparatque Robertum David, quem dicit per prophetam Nathan

emendatum; *iſtum æque per domnum & venerabilem Abbonem Floriacenſem à Deo* LIB. X. CAP. II.
præelevatum Abbatem, nunc Chriſti favente gratia miraculis coruſcum, ſpreta mortis formidine dure increpatum privatim & publice: cujus ſancti viri increpatio tamdiu perſtitit, donec Rex mitiſſimus reatum ſuum agnoſceret, & quam male copulaverat ſibi mulierem, prorſus relinqueret, & peccati maculam grata Deo ſatisfactione dilueret. Illa vero quid congruunt cum his, quæ Petrus Damiani de Roberto commemorat, qui dicit hunc ex uxore ſuſcepiſſe filium anſerinum per omnia collum & caput habentem, Robertumque propterea cum uxore ab omnibus Galliarum Epiſcopis privatum communione, hancque ſententiam tanti ponderis fuiſſe apud populum, ut omnes penitus ab eo receſſerint, duoſque tantummodo famulos ejus relictos obſequio, qui vaſa ipſa, in quibus Rex potaret, aut ederet, quaſi ejus contactu polluta flammis traderent, hiſque oppreſſum anguſtiis. Regem ſaniora cepiſſe conſilia. Quiſque intelligit, quantum hæc abhorrent ab iis, quæ accuratus ſcriptor de Roberti geſtis verius certiuſque locutus eſt. Quidquid fuerit, repudium Bertæ remiſit, Conſtantiamque filiam Comitis Arelatenſis mulierem haud ſuis moribus ſimilem uxorem duxit.

Etſi Roberti animus ad pietatem proclivior, promptus tamen ad tuenda re- II.
gni jura, & aſſerendam armis hæreditatem, ſi quando opus fuit. Henricus Capeti frater, Dux Burgundiæ, id temporis moritur ſine liberis. Verumtamen Vvilelmum Gerbergæ uxoris filium ferunt ſcripſiſſe hæredem ducatus. Nihilominus Henrico decedente in Burgundiam Robertus profectus eſt, hancque provinciam tanquam patrimonium repetiit, collectoque ex Francis & Nortmannis exercitu, obſidet Autiſſiodorum, Avallonem capit, totamque denique provinciam vel vi vel voluntate ſuis ſubjicit legibus. Odo Comes Trecenſis Milidunum proditione Galterii occupaverat, ad auxilium Burchardi, ad quem caſtrum pertinebat, Rex illico advolavit, caſtrum multo milite circumdedit: Odo, qui ſe loco incluſerat, intelligens caſtrum defendi non poſſe, è caſtro clanculum evaſit, & Comiti Burchardo prædam, quam ceperat reliquit, hic Galterio proditori, & ejus uxori vitam laqueo ademit. Neque propterea quievit Odo: dies & locus ad pugnam ex condicto conſtituitur, Burchardi victoria fuit, fuſis cæſiſque multis hominum millibus, Odonem in fugam inhoneſtam conjecit. Demum Rex procurante inprimis Rainaldo Pariſienſi Epiſcopo Senonas ex manibus Rainardi Cõmitis viri impiiſſimi eripuit. De ea re chronicon ſancti Petri vivi ad annum MXV. ſic ſcribit. *Mortuo Frotmundo Senonum Comite, & ſepulto in capitulo ſancti Eraclii, ſucceſſit ei Rainardus filius ejus nequiſſimus, qui perſecutionem intulit Eccleſiis Chriſti, & Leoterico Archiepiſcopo, in tantum, ut etiam, quod dicere & audire horribile eſt, quando ille divinum officium celebrans, vultumque dans populo ſalutabat, ille vultum avertens in poſterioribus ſuis ei pacem offerebat, nonnumquam in faciem ejus ſpuebat, homines ejus interficiebat, eumque modis omnibus injuriabat, ob propter conſilio Romani Pontificis & Abbatis Eccleſiæ Cluniacenſis, necnon ſuffraganeorum Epiſcoporum & optimorum procerum, præcipueque Rainaldi Pariſienſis Epiſcopi anno ab Incarnatione Chriſti M XVI. x. Calendas Maii civitatem Regi Roberto reddit. Ipſe vero Comes nudus evaſit &c.* His breviter memoratis ad res Eccleſiæ deſcribendas ſtylum & orationem converto.

Ex vita Burchardi Comitis.

Abbo in apologetico ſcribit ſparſum jam ſuo tempore rumorem ad annum III.
milleſimum adventurum Antichriſtum, neque multo poſt ſucceſſurum univerſale judicium, neque ſolum ii vaniſſimi ſermones per ora inſanientis plebeculæ jactabantur, ſed etiam ex umbone in ipſis baſilicis publice ſerebantur. Scribit Abbo Floriacenſis ſe iſthæc adoleſcentulum quemdam concionantem audiviſſe, quibus ait ſe quantum potuit refragatum ex Evangeliorum, Apocalypſis, & libri Danielis auctoritate. *De fine quoque mundi*, inquit, *coram populo ſermonem in eccleſia Pariſiorum adoleſcentulus audivi, quod ſtatim finito mille annorum numero Antichriſtus adveniret, & non longo poſt tempore univerſale judicium ſuccederet: cui prædicationi ex Evangeliis ac Apocalypſi & libro Danielis, qua potui virtute reſtiti. Denique & errorem, qui de fine mundi inolevit Abbas meus beatæ memoriæ Richardus ſagaci animo propulit, poſtquam litteras à Lothario accepit, quibus me reſpondere*

 juſſit. Nam fama pene totum orbem impleverat, quod quando Annunciatio dominicæ in Paraſceve contigiſſet, abſque ullo ſcrupulo finis ſæculi eſſet. De initio etiam Adventus, qui ante Nativitatem Domini per ſingulos annos agitur, aliquando error graviſſimus extitit, aliis inchoantibus poſt v. Calend. Decembris, aliis ante, cum nunquam plus quatuor hebdomadas, ſaltem unam diem Adventus habeat. Cumque de hujuſmodi diverſitate ſoleant contentiones in Eccleſia creſcere, Concilio determinandum eſt, ut omnes, qui in ea vivimus unum ſapiamus, quod veſtra induſtria concedat, qui nos unanimes vult habere in domo ſua. Hæc Abbas Floriacenſis in apologetico.

IV. Anno MXVII. vel, ut habent acta vetera, anno MXXII. Aurelianis infandam hæreſim clam graſſari, & late virus ſpargere compertum eſt, cui malo, ut occurreret Rex Epiſcopos & Abbates haud paucos in hanc urbem advocavit, rem ita accidiſſe Glaber Rodulfus memorat. Quædam mulier ex Italia peſſima labe infecta in Galliam primum, tum Aurelianos ſe contulit, cœpitque nefariæ doctrinæ venenum fundere, quod ſenſim per membra Eccleſiæ vilia non ſolum abjectaque ſerpebat, ſed ſinceras nobiliſſimaſque Eccleſiæ Aurelianenſis partes corrumpere aggrediebatur. Vix credibile eſt externæ mulieris impuris erroribus clerici genere, dignitate, & doctrina clari ſe permiſerunt. Heribertus inprimis unus ex clericis baſilicæ majoris ſanctæ Crucis, alter Liſoius præpoſitus ſcholæ canonicorum ſancti Petri Puellaris, quos Rex, qui propter amœniorem urbis ſitum, & quod ibi natus & inunctus erat, Aurelianis delectabatur, ſua honorare amicitia dignabatur, & quibuſcum palatii proceres conſuetudinem familiariter habere conſueverant. Clanculum malum ſerebatur, eoque nocentius erat, quod non in propatulo graſſabatur. Sed demum Deo permittente hac ratione parefactum eſt. Hæretici, etſi clam virus ſpargebant, ſectam tamen augeri & numero creſcere optabant, neque labem urbis mœnibus ſinebant includi: immo hanc in vicinis regionibus late propagatam volebant. Rotomagi erat preſbyter, qui jam nonnullis ex iis notus erat, quem in ſua conjicere retia conati ſunt, ad eum quoſdam ſuis imbutos erroribus mittunt, qui preſbytero propinent hæreſis ſuæ pocula, & illi occultiora ſuæ inſaniæ arcana retegant: illum adeunt, docentque ſuæ impietatis occulta myſteria, aſſeruntque brevi futurum, ut hæc ſua fallax doctrina totius orbis religio ſit. Preſbyter flagitii certus, ad Richardum Ducem rem defert, renunciatque pravitatem doctrinæ; jam plures Aurelianis ea labe infectos eſſe, morbum ultra proceſſurum, ni occurratur, docetque, quæ præcipua impietatis capita ſint. Richardus de his plura ad Robertum Regem ſcribit. Ille ſine mora Aurelianos proficiſcitur, Epiſcopos & Abbates huc accedere jubet; tunc cœtu facto, inquirit in clericorum fidem. Heribertus & Liſoius haud diffiteri inſaniam. Ii igitur rogati, quid ſentirent? à quibus, & unde profecta impietas ſit? hoc eorum reſponſum fuit. *Diu eſt, quod ſectam, quam vos jam tarde agnoſcitis, amplectimur, ſed tam vos, quam cæteros cujuſcumque legis, vel ordinis in eam cadere expectavimus, quod etiam adhuc fore credimus.* His dictis expoſuerunt ſuæ improbitatis præcipua capita. Mera deliria eſſe reputabant, quæcumque de ſancta Trinitate pie ſancteque credimus, & quæcumque ad hanc fidem aſtruendam ex ſanctis ſcripturis hauſimus. Cælum & terram negabant eſſe opus Dei, hocque carere initio, & ab æterno conditum eſſe affirmabant, nullam inſuper flagitiis pœnam infligendam à Deo fore exiſtimabant, quapropter haud verebantur inconceſſis voluptatibus ſeſe turpiter dedere, ac præcipites ruere in flagitia; bona quoque Chriſtianæ virtutis & juſtitiæ opera inutilia ſuperfluaque æſtimabant, alios ejuſmodi profligatæ doctrinæ articulos paſſim promulgabant. Horruere, qui aderant ad flagitiorum confeſſionem. Tum quiſque præcipue in hoc incumbere, ut projectas mentes ad veritatis ſemitam reducerent, & ad doctrinam catholicam revocarent. Verum nulla ratione eorum contumacia frangi potuit, & nullis ſermonibus adduci ſe paſſi ſunt, ut ejurarent impietatem. Poſtquam verbis nihil proficitur, minis actum eſt, neque ullo ſuppliciorum metu terreri ſe permiſerunt. Ignem & flammas illis intentant, niſi redeant ad ſanitatem. Hoc eſſe imperium Regis & votum popularium, ut flammis expient perfidiam. Verum quæ veſania excæ-

Glaber. Rodulf. lib. 3. cap. 8.

catarum mentium fuit; ii minitantibus illudunt, pollicenturque jactabundi ſe coràm ex accenſa pyra incolumes & integros abituros. Poſtquam diu fruſtra certatum eſt, ut meliora perſuaderentur, Rex haud procul ab urbe jubet ingentem lignorum ſtruem componi, ut aſpectu præſentis ſupplicii tandem reſipiſcerent. Ducuntur illuc hæretici. Immane dictu eſt iſpectaculo, haud deterriti flammas ſe poſcere dictitant, ſeſe ipſos è manibus trahentium ereptos ultro flammis inferunt: duodecim ferme traduntur, dum ſe ignibus acrius peti, & reipſa uri ſentiunt: clamant ex ignibus ſe artibus diaboli fallaciter deceptos, fatentur crimen, deteſtantur maleſanam doctrinam, emendationem profitentur, miſerrimos ſe clamitant, qui his æterniſque cruciatibus addicantur. Aderat ſpectaculo ingens hominum multitudo, quidam miſerati eorum ſortem eos vel ſemiuſtos è flammis fruſtra conati ſunt eripere, verùm flamma brevi depaſcente perfidorum corpora, omnes perierunt. Sed ecce tibi alteram hujus rei narrationem proferimus ex chartulario Carnotenſi. LIB. X. CAP. II.

Rurſum quoque duxi dignum memoriæ tradendum de præfato viro, ſcilicet Areſaſto, quomodo in Aureliana urbe divina ope, ſuique ingenii ſalubri acumine hæreticam pravitatem latenter pullulantem, jam jamque per Galliarum provincias nefandi erroris venena exitialia propinantem, non ſolum deprehenderit, ſed etiam omnino compreſſerit. Erat enim de genere Comitum Nortmannorum, eloquio nitidus, conſilio providus, bonis moribus comptus, ac idcirco legationis officio, tam apud Francorum Regem, quam apud proceres notiſſimus extitit. Hic in domo ſua quemdam clericum habuiſſe dicitur nomine Herbertum, qui lectionis gratia Aurelianam urbem adire decreverat. Verum dum veritatis auctores quærere ſatageret, cæco itinere in totius hæreſis baratro dilabitur. Nam ea tempeſtate in eadem civitate duo clerici Stephanus & Lizoius apud omnes ſapientia clari, ſanctitate ſeu religione magnifici, eleemoſynis largi opinione habebantur vulgi, eoſdem memoratus expetiit clericus, & parvo temporis interſtitio, docilis diſcipulus tum divini verbi dulcedine ab eis debriatur mortifero nequiciæ hauſtu, qui dementia errore diabolico irretitus, totius divinitatis expers ſapientiæ arcem conſcendiſſe ſe credidit, qui patriam repedans, dominum ſuum, quem ſingulari affectu diligebat, ſubtilitate verborum in erroris viam ſenſim admovendo ſecum attrahere cupiebat; teſtificans Aurelianum urbem præ cæteris coruſcare luce ſapientiæ, atque ſanctitatis lampade. In cujus verbis dominus ejus intellectuali auditu ipſum animadvertit à via juſtitiæ devium, & cito Comiti Richardo cauſam innotuit, atque rogavit, ut Rodberto Regi literis peſtem in regno ejus adhuc latitantem, antequam propagaretur patefaceret, & ut Rex eidem Areſaſto ad expellendam eam opportunum auxilium non denegaret. Itaque Rex inſperata re attonitus, mandavit, ut idem vir cum clerico ſuo ad Aurelianum urbem cito greſſum dirigeret, pollicens omnimodis in hac re ſuum auxilium. V.

Cumque jubente Rege iter ageret, Carnotis devenit Fulbertum venerabilem antiſtitem ſuper hac re conſulturus, qui forte tunc aberat, nam Romam gratia orationis abierat. Tunc cauſa ſui itineris cuidam ſapienti clerico ſuo Ebrardo nomine Carnotenſis Eccleſiæ ſacriſcrinio innotuit flagitans ſui conſilii opem, qualiter deberet ſtare in acie, & quibus armis ſe muniret contra multimodas artes diabolicæ fraudis. Qui ſapienti uſus conſilio eum prædocuit, ut quotidie primo mane omnipotentis opem quæſiturus eccleſiam devotus adiret, orationi incumberet, atque ſacro ſancta communione corporis & ſanguinis Chriſti ſe muniret, deinde fidenter ad audiendum pergeret: nihil horum, quæ ab iis audiret, contradiceret, ſed ſimulato diſcipuli vultu omnia tacitus in domicilio pectoris conferret. VI.

Igitur Aurelianis deveniens, uti edoctus fuerat, quotidie ſacra communione ac ſupplici oratione munitus, ad eorum doctrinam veniens, adinſtar rudis diſcipuli ultimus intra domum erroneorum aſſidebat. Cumque primum divinorum voluminum exemplis eum & quibuſdam rerum ſimilitudinibus informarent, atque more perfecti diſcipuli ſubdita aure intentum viderent, inter alias ſimilitudines ſilveſtris arboris ſimilitudinem ei proferunt. Tractandus es, inquiunt, à nobis ut arbor ſilveſtris, quæ tranſlata in viridarium tamdiu aquis perfunditur, donec humo radicetur, dehinc ſpinis & rebus ſuperfluis emundatur, ut poſtmodum terræ tenus truncata ſarculo meliori inſeratur ramuſculo, VII.

quæ poſtmodum fertilis ſit melliſluo pomo. Itaque tu ſimili modo tranſlatus de iniquo ſæculo in noſtro ſancto collegio aquis perfunderis ſapientiæ, donec informeris & gladio verbi Dei vitiorum ſpinis carere valeas, ac inſulſa doctrina tui pectoris ab antro excluſa noſtram doctrinam à ſancto Spiritu traditam, mentis puritate poſſis excipere. At ille de omni verbo, quod proferebant, ſemper Deo gratias referebat: unde rati ſunt eum converſum eſſe in errorem, jamjamque ſuæ nequitiæ ſentinam verbis divinorum librorum antea coopertam ſecuri aperiunt, dicentes: Chriſtum de Virgine Maria non eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, nec vere in ſepulcro poſitum, nec à mortuis reſurrexiſſe. Addentes, in baptiſmo nullam eſſe ſcelerum ablutionem, neque ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti in conſecratione ſacerdotis, ſanctos martyres, atque confeſſores implorare pro nihilo ducebant.

VIII. *Cumque hæc & alia execranda perditi & miſerrimi homines à fœtido pectore evomerent, Areſaſtus ſic ad eos dixiſſe fertur, ſi in his, quæ enumeraſtis, ſalus hominum, quæ ſperatur nulla, ut dicitis, eſſe poteſt, à vobis obnixe rogo mihi aperire in quibus ſperari poterit, ne meus animus in dubio poſitus cito cadat in deſperationis ruinam. Proculdubio frater, inquiunt, in carybdi falſæ opinionis hactenus cum indoctis jacuiſti, nunc vero erectus in culmine totius veritatis integræ mentis oculos ad lumen veræ fidei aperire cœpiſti. Pandemus tibi ſalutis oſtium, quo ingreſſus per impoſitionem videlicet manuum noſtrarum, ab omni ſcilicet peccati labe mundaberis, atque ſancti Spiritus dono repleberis, qui ſcripturarum omnium profunditatem ac veram dignitatem abſque ſcrupulo te docebit. Deinde cæleſti cibo paſtus, interna ſatietate recreatus, videbis perſæpe nobiſcum viſiones angelicas, quarum ſolatio fultus, cum eis quovis locorum ſine mora vel difficultate, cum volueris, ire poteris, nihilque tibi deerit, quia Deus omnium tibi comes numquam deerit, in quo ſapientiæ theſauri, atque divitiarum conſiſtunt. Interea Rex & Conſtantia Regina, ſicut vir memoratus mandaverat, ad urbem Aurelianam cum Epiſcoporum collegio venientes die ſequenti illo ipſo ſuggerente omnis illa nequiſſima congregatio ſimul per officiales regios de domo, ubi erant congregati, abſtracti, & in eccleſia ſanctæ Crucis ante Regem, atque Epiſcoporum, ac clericorum cœtum adducti.*

IX. *Sed antequam ad conflictum veniamus, de cibo illo, qui cæleſtis ab iis dicebatur, quali arte conficiebatur neſcientibus demonſtrare curabo. Congregabantur ſi quidem certis noctibus in domo denominata, ſinguli lucernas tenentes in manibus, adinſtar litaniæ dæmonum nomina declamabant, donec ſubito dæmonem in ſimilitudine cujuſlibet beſtiolæ inter eos viderent deſcendere: qui ſtatim, ut viſibilis illa videbatur viſio, omnibus extinctis luminaribus, quamprimum quiſque poterat mulierem, quæ ad manum ſibi veniebat ad abutendum arripiebat, ſine peccati reſpectu, aut utrum mater, aut ſoror, aut monacha haberetur, pro ſanctitate & religione ejus concubitus ab illis æſtimabatur: ex quo ſpurciſſimo concubitu infans generatus octava die in medio eorum copioſo igne accenſo probabatur per ignem, more antiquorum paganorum, & ſic in igne cremabatur: cujus cinis tanta veneratione colligebatur & cuſtodiebatur, ut Chriſtiana religioſitas corpus Chriſti cuſtodiri ſolet ægris dandum de hoc ſæculo exituris ad viaticum. Inerat enim tanta vis diabolicæ fraudis in ipſo cinere, ut quicumque de præfata hæreſi imbutus fuiſſet, & de eodem cinere quamvis ſumendo parum prælibaviſſet, vix umquam poſtea de eadem hæreſi greſſum mentis ad viam veritatis dirigere valeret; de qua re parum dicere ſufficiat, ut chriſticolæ caveant ſe ab hoc nefario opere, non ut ſtudeant ſectando imitari. Verum quia digreſſionem feciſſe videor, ad eadem modo, quæ dimiſi vertatur oratio, ac ſuccincto curſu infidelium crudelitas tranſcurrendo peragatur, ne prolixior controverſiæ ſermocinatio faſtidium generet delicato lectori.*

X. *Igitur ut dictum eſt, illis introductis ante Regem, & Epiſcoporum conventum, prior Areſaſtus Regem allocutus eſt dicens. Domine mi Rex miles ſum Richardi tui fideliſſimi Comitis Nortmanniæ, & immeritus teneor vinctus & catenatus ante te. Cui Rex ita reſpondit: cauſam tui adventus cito nobis indica, ut ea cognita aut reus in vinculis tenearis, aut innoxius à vinculis dimittaris. Ad hæc ille reſpondit. Audita ſapientia & religione horum qui vincti aſtant mecum ante te, ad hanc urbem venire volui, ut inde exemplo bonorum operum, atque doctrina eorum delioratus redirem. Hæc quidem cauſa eſt pro qua de patria mea exire volui, & hanc urbem petii. Quod ſi reatu aliquo*

pro

pro hoc opere teneor, præſules tibi aſſiſtentes videant & judicent. Tunt præſules dixerunt: ſi ſapientiæ ac religionis modum, quem ab his didiciſti, nobis proferas, noſtro judicio facile dignoſcetur. At ille ait, regia majeſtas & veſtra auctoritas eis jubeat ut, quæ me docuerunt, ea ipſi coram vobis dicant, quatenus audita à vobis, aut digna laude habeantur, aut oblivioni tradantur. Quibus Rex atque antiſtites, cum juberent, ut ſuæ fidei normam referendo patefacerent, totius veritatis inimici alia pro aliis ditentes, intra ſuæ hæreſis fœditatem nulla adita introire volebant; ſed ut ſerpens quanto plus in manibus ſtringitur, tanto amplius elabitur, ita & iſti quo amplius concludebantur, veritatis ſermonem, tanto magis labiliores videbantur effugiſſe. Tunc Areſaſtus videns, quod redimerent tempus, & ſermonum tlypeo feſtinarent obnubilare ſuæ fidei errorem, ad eos eſt converſus, dicens. Veritatis magiſtros, non erroris habere putavi, dum conſtanter illam mihi doctrinam, quam ſalutiferam evangelizabatis, viderem vos docere, atque pollicebamini pro pœnis inferendis, & etiam pro morte toleranda numquam eam eſſe à vobis denegandam. Nunc vero oblita fide, quam promiſiſtis, ut videor timore mortis ab illa doctrina longe vultis fieri; meque adhut rudem diſcipulum in periculo mortis dimittere parvi penditis. Vnde regiæ juſſioni parendum eſt, & obedire tantorum præſulum auctoritati oportet, ut in his, quæ à vobis did ci, ſi qua ſunt religioni Chriſtianæ contraria, iſtorum judicio cognita, quæ ſequenda ſunt, & quæ reſpuenda agnoſtam. Docuiſtis equidem me nullum in baptiſmo promereri veniam peccatorum, neque Chriſtum de virgine eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, neque panem & vinum, quod ſuper altare manibus ſacerdotum ſancti Spiritus operatione effiti videtur ſacramentum converti poſſe in corpore & ſanguine Chriſti. LIB. X. CAP. II.

Cumque hæt Areſaſtus una vote peroraſſet, Guarinus Belvacenſis præſul interrogavit Stephanum, & Liſoium, qui hujus erroris videbantur eſſe magiſtri, ſi ita ſentirent & crederent, quæ ab Areſaſto erant memorata. At illi cum diabolo in inferno jam manſionem paratam habentes vera eſſe memorata, & ita ſe ſentire, & credere conſtanter aſſerunt; quibus cum præſul diteret, voluiſſe Chriſtum naſci de virgine, quia potuit, & pro noſtra ſalute pati in humanitate, ut tertia die devicta morte reſurgeret in ſua deitate, noſque doceret eſſe reſurrecturos in reformatione: viperino ore reſponderunt dicentes: nos neque interfuimus, neque hæc vera eſſe credere poſſumus. Ad hæc præſul eos, inquit, interrogans. Carnales parentes habuiſſe creditis an non? Cumque ſe credere aſſererent. Præſul reſpondit, ſi ex parentibus vos eſſe procreatos creditis, cum non eratis ante ſæcula, Deum de Deo genitum ſine matre in fine temporis ſancti Spiritus obumbratione de virgine natum, tur credere reſpuitis? At illi dixerunt. Quod natura denegat, ſemper à creatione diſcrepat. Quibus præſul reſpondit dicens. Antequam quicquam fieret per naturam, non treditis per filium Deum patrem feciſſe omnia ex nihilo? Cui alienati à fide dixerunt. Iſta illis narrare potes, qui terrena ſapiunt, atque credunt figmenta carnalium hominum ſcripta in membranis animalium: nobis autem qui legem ſcriptam habemus in interiori homine à Spiritu ſancto, & nihil aliud ſapimus, niſi quod à Deo omnium tonditore didicimus, incaſſum ſuperflua, & à divinitate devia profers; idcirco verbis finem impone, & de nobis quidquid velis facito. Iam Regem noſtrum in tæleſtibus regnantem videmus, qui ad immortales triumphos dextera ſua nos ſublevat, dans ſuperna gaudia. XI.

Cumque ab hora diei prima uſque ad horam nonam multifariam elaborarent omnes, ut illos à ſuo errore revocarent: & ipſi ferro duriores minime reſipiſcerent, juſſi ſunt ſinguli ſacris veſtibus indui in ſuo ordine, ſtatimque ab Antiſtitibus à proprio honore ſunt depoſiti, & Rege jubente, Conſtantia Regina ante valuas baſilitæ ſtetit, ne populus eos intra eccleſiam interfiteret; & ſit de gremio ſanctæ Eccleſiæ ejecti ſunt. Qui cum ejicerentur, Regina Stephani ſui olim confeſſoris cum baculo, quem manu geſtabat, oculum eruit. Deinde extra civitatis educti muros, in quodam tuguriolo copioſo igne accenſo, præter unum elericum atque unam monacham, cum nefario pulvere, de quo ſupra diximus, cremati ſunt. tlericus enim & monatha divino nutu reſipuerunt. XII.

Hoc peſſimo exitu conſummati ſunt hæretici, quos diabolus artifex impietatis ſuis deluſerat præſtigiis. Inquiſitio ſimilis aliis in locis facta eſt, ſimilique pœna rei impietatis multati ſunt. Qui Epiſcopi, & qui Abbates huic conventui interfuerint? ſcriptor hujus narrationis non memorat. Leothericum Synodo adfuiſſe vetus XIII.

chronicon ſuggerit. Sed haud dubito, quin Epiſcopus Pariſienſis quiſquis fuerit examini hæreticorum interfuerit, cum præſertim res in vicinia & in eadem provincia ageretur. De illa hæreſi ſic ſcriptum reperio in chronico ſancti Petri vivi. *Sub ipſo tempore exorta eſt magna hæreſis, nova & inaudita in urbe Aurelianenſi. Quapropter accerſiens Rex Archiepiſcopum*, Leothericum ſcilicet, *juſſit congregari in eadem urbe Synodum. Erant autem ipſi hæretici, ex melioribus ipſius civitatis clericis. Communi vero conſenſu & voluntate omnium convicti, omnes perpeſſi ſunt ignis incendium.* Rex ita doctrinam univerſæ Eccleſiæ ſartam, tectamque cuſtodiebat, & in agris Domini lolium inter bonas fruges ſuccreſcere haud patiebatur. Sed quoniam Leotherici Senonenſis Archiepiſcopi facta eſt mentio, pauca hic de eo adjiciam. Audiit Rex eum in pravas quaſdam conſuetudines inclinare, is ſcilicet ad probationem & examinationem reorum corpus Domiui adhibebat, haud tulit pius Rex id fieri, ſcripſitque ad eum, ut ſententiam mutaret, & pravam illam omitteret conſuetudinem, quod Archiepiſcopus à Rege ſapientiſſimo admonitus facere non recuſavit, habentur ipſius Regis verba apud Helgaldum ejus vitæ ſcriptorem. *Præſuli cuidam*, inquit, *de Domino non bene ſentienti & quærenti pro quibuſdam cauſis probationem in corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti, indignè tulit amator bonitatis, & ſcripſit ei in his verbis. Cum ſit tibi nomen ſcientiæ, & non luceat in te lumen ſapientiæ; miror qua ratione quæſieris pro tuis iniquiſſimis imperiis, & pro infeſtato odio, quod erga Dei ſervos habes examinationem in corpore & ſanguine Domini: & cum hoc ſit, quod à dante ſacerdote dicitur. Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſit tibi ſalus animæ & corporis; cur tu temerario ore & polluto dicas, ſi dignus es accipe, cum ſit nullus, qui habeatur dignus, cur divinitati attributis ærumnas corporis, & infirmum humani divinæ connectis naturæ? Iurans Domini fidem Princeps Dei privaberis, inquit, honore Pontificis, niſi ab his reſipueris, & damnaberis cum his, qui dixerunt Domino, recede à nobis, & non communicabis his, quibus dicitur appropinquate Deo & appropinquabit vobis. His verbis præſul non bene doctus, à Rege pio ſapienter inſtructus quievit, & obmutuit, & ſiluit à dogmate perverſo, quod erat contrarium omni bono, & jam creſcebat in ſæculo.*

XIV. Sub principatu Roberti floruit Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis vir diſciplinis divinis humaniſque eruditus, cujus extant epiſtolæ, inter quas haud paucæ reperiuntur ad Regem Robertum. In tertia epiſtola à Roberto Rege poſcit auxilium contra Gaufridum Vicecomitem. Quarta epiſtola de eodem argumento eſt, ſed aliæ plures ſunt, quas quilibet poſſit annotare; ſed hæc memorabilis, quæ numero nonageſima ſeptima eſt. Argumentum hujus epiſtolæ petendum eſt ex epiſtola ipſius Regis ad Guarlinum Bituricenſem Archiepiſcopum; allatæ fuerant ad Regem litteræ ex Aquitania à Guilelmo Comite de portento quodam, quod acciderat in quibuſdam Galliarum partibus, ſed præſertim in locis maritimis Aquitaniæ pluerat ſanguine, qui ſi incideret in lapidem & carnem, homines, aut veſtes attigiſſet, nulla lavatione mundari poterat: contrà vero facile tollebatur ſanguinis macula ex ligno. Comes Regem rogaverat, ut à ſapientiſſimis regni ſciſcitaretur, ecquod genus portenti eſſet? quidve mali aut boni portenderet? De ea re Rex ad Guarlinum Bituricenſem Archiepiſcopum, & Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum ſcripſit. Extant in epiſtolis Fulberti utriuſque reſponſiones. Reſpondent ſæpius ſimilia ejuſmodi prodigia contigiſſe, idque allatis ex auctoribus exemplis approbant, tum illi pro modulo hujus explicationem tradunt. Fulbertus ſcribit ex pluvia ſanguinis portendi ſtragem & multam hominum cædem; quid eſt vero, quod ſanguis, qui cecidiſſet ſupra petram & ſupra carnem, ablui non poſſet? quid? qui ſuper lignum, facile ablueretur. Per hæc tria hominum genera ſignificata eſſe vult, per lapidem impios, quorum corda ſaxea, per carnem fornicarios, qui carni labefactandæ licentius indulgent, per lignum eos, qui neque molles, neque duri ſunt, quorum maculæ pœnitentia elui facile poſſint. Hæc & alia pius Pontifex exponebat.

XV. Hæc Rex inquirebat quibus utiliter utebatur ad moderandum regnum. Certe eximiis præſtantiſſimiſque dotibus erat præditus, religione, pietate, prudentia, fortitudine & juſtitia, aliiſque inſigniter pollebat virtutibus, à juvenilibus

annis Gerberto viro illis temporibus doctiſſimo traditus fuerat, eo uſus præceptore haud mediocriter in omnibus diſciplinis profecerat. Haud ingratum LIB. X. CAP. II. puto videbitur, ſi ex ejus factis ſeligam aliquot ex iis præſertim, quæ Pariſiis contigerunt, quæque Helgaldus commemorat. Habebat, inquit is auctor, Rex Robertus Pariſiis inſigne palatium, quod ejus juſſu fuerat conſtructum, quod die Paſchatis ingreſſus eſt, ut eo in loco hac ſollemni die menſæ accumberet, dum ille aqua manus abluit, ecce illi cæcus quidam è multitudine pauperum, qui ei pro more aderant, ſupplex poſcit ab eo, ut aquam in ejus faciem projiciat, Rex ioco excipiens precem pauperis, in ora illius jactat aquam. *Qui mox*, inquit auctor, *videntibus cunctis optimatibus, qui aſtabant, cum aſperſione aquæ amiſſa oculorum cæcitate congratulantibus cunctis in Domino lætior inter convivas diſcubuit prandio:* certe non poteſt explicari, quam largus & miſericors fuerit erga pauperes, Helgaldi hic teſtimonium ejuſque verba proferam. *Quis autem*, inquit, *ei mos fuerit dandæ eleemoſynæ in ſui regni ſedibus non prætermittimus. In Pariſius civitate, Sylvanectis, Aurelianis, Divione, Autiſſiodoro, Avalone, Miloduno, Stampis, in unaquaque harum ſede trecensis, vel quod eſt verius, mille pauperibus dabatur panis & vini abundantia, & hoc ſpecialius ipſo, quo ad Deum tranſiit anno, qui eſt Incarnationis milleſimus triceſimus-ſecundus. Præter hæc quo ibat quotidie in ſancta quadrageſima centum, aut ducentis pauperibus jubebat dari panis, piſcium, & vini cibaria. In die autem cœnæ Domini non videntibus incredibile, videntibus vero & ſervientibus in tali negotio admirabile. Cum non minus trecenti ipſa die ſua providentia, congregati de ejus ſancta manu flexo poplite in terram unuſquiſque legumen, piſcem, panem, denarium unum ſumebat in manibus; & hora diei tertia. Hora itidem ſexta, itidem centum clericis pauperibus præbendam panis, piſcis & vini concedebat, duodecim unumquemque honorans denariis, corde & ore Davidicos ſemper decantans pſalmos. Poſt menſam vero præparans ſe ad Dei ſervitium, Rex humilis ponebat veſtimenta ſua, indutus ad carnem cilicio, adjunctoque clericorum collegio ſexaginta & eo amplius numero, ad exemplum eorum pedes lavans, capillis capitis ſui tergebat, & ad mandatum Domini ſingulos eorum duobus ſolidis remunerans, clero præſente, diacono aſtante, qui lectionem legeret ſecundum Ioannem in cœna Domini dictam & factam.* Hæc ſcriptor ejus vitæ: quæ ſequuntur excerpta ſunt ex lib. MS. de reliquiis eccleſiæ ſancti Dionyſii Epiſcopi & martyris. *Conſuevit venerabilis conventus eccleſiæ beati Areopagitæ Dionyſii annuatim in Idibus Auguſti ſollemnitatem pretioſi martyris Hyppoliti ſociorumqne ejus facere ad ejus oratorium in medio navis eccleſiæ. Ad hoc feſtum univerſi convenire ſolent monachi, tam Baillivi, quam etiam longe commorantes præpoſiti. Illuſtriſſimus vero Rex Francorum Robertus ſuo tempore Chriſtianiſſimus huic ſollemnitati ſingulis annis, omni occupatione ſepoſita, intereſſe conſueverat: ut ex tanti viri præſentia ipſa ſancti ſollemnitas ſollemnior haberetur, qui inter celebrandum divina miſſarum myſteria ſtans in choro cum cantore cæteriſque chorum tenentibus, indutus cappa ſerica pretioſa, quam ipſe ſibi ad hoc ipſum comparaverat, tenens ſceptrum regale aureum in manibus, totum chorum immò totam eccleſiam illuſtrabat, & pſallens cum pſallentibus, & gaudens cum gaudentibus, cantando cum aliis ſollemniter, & alios ad cantandum hilariter exhortando: erat enim idem Rex optime litteratus ſubtiliter intelligens, Deum ad ſanctos ejus ardenter diligens, qui ſuavi modulamine vocis ſuæ cum clamore cordis ad aures æterni judicis continuo perſonabat, & ita permanebat uſque dum ſacratiſſima divini myſterii ſollemnia finirentur.* Helgaldus enumerat baſilicas, quas pius Princeps extruxit, narratque quibus ſumptibus, & quanto opere ædificaverit Aurelianis eccleſiam ſancti Aniani, cujus dedicatio magna celebritate peracta eſt. Sed ne ſingulas enumerem, quas quiſque apud Helgaldum legat. Extruxit, quod alias à nobis annotatum eſt. *In civitate Pariſius eccleſiam in honore ſancti Nicolai Pontificis in palatio, monaſterium ſancti Germani Autiſſiodorenſis, ſancti Michaelis eccleſiam in ſilva cognominata Bieria. Item monaſterium ſancti Germani Pariſienſis, cum eccleſia ſancti Vincentii in ſilva cognominata Ledia &c.*

Etſi tantis virtutibus Robertus erat decoratus, quædam tamen illi domi XVI.
contigerunt, quæ ejus regni felicitatem magnopere turbaverunt. Duxerat, ut

LIB. X. Cap. II

dictum eſt, Conſtantiam Guilelmi Comitis Arelatenſis filiam, quæ mulier impotentis ac ſuperbæ mentis erat. Gratia apud Robertum id temporis valebat Hugo quidam, quem Belvacenſem vocabant, quem Rex ad ſummos honores extulerat, ipſum namque palatii Comitem creaverat. Regiua haud facile patiebatur hunc honoribus creſcere, odioque exitiabili eum proſequebatur, reputans ab eo jactari ſemina diſcordiarum, quæ in aula alebanrur, ejuſque auctoritate ſuam minui; hunc itaque tollere mulier vindictæ cupida decrevit; ſcribit ad Fulconem Andegavenſem Comitem avunculum, pluribuſque de Hugone conqueritur, ab eoque opem adverſus Hugonis potentiam poſcit. Ille, ut Reginæ gratum faceret, immane facinus aggreditur. Mittit duodecim milites viros projectæ audaciæ, qui Hugonem, cum forte Regem pro more ad venationem comitaretur, in ipſo Regis conſpectu ſine ulla illius majeſtatis reverentia crudeliter confodiunt. Rex ob immane factum tædio & dolore perturbatus, aliquamdiu infenſo in Reginam animo fuit: ſed demum Reginæ reconciliatus eſt. Ex Conſtantia quatuor Rex ſuſcepit filios, quorum major natu Hugo dictus eſt, quem Rex matre inprimis rogante facere regni conſortem inſtituit. Conſilium haud omuino proceres approbabant, quia tanrummodo decennis erat, ſuadebantque Regi, ut prius morum faceret periculum: vicit tamen rogatio matris, & Compendii ſollemniter inunctus eſt. Cum puer adoleviſſet, cœpit conqueri nihil ſibi à patte relictum præter regium nomen, poſcebatque ad dignitatem ruendam ſibi & reditus & poſſeſſiones attribui: obnit. batur inprimis Regina ſeu animo parcitatis, nt mulieres ſunt, ſeu metu, ne juvenis opibus auctus contumaciter ageret, ſæpius Hugo apud matrem injuriam conqueſtus erat; Conſtantia tantum abeſt, ut his commoveretur, quin immò convicio & contumelia juvenis animum ad iracundiam excitare ſolebat, qui demum adjunctis ſibi ſuæ ætatis ſociis, res paternas diripere cœpit, & moleſtiam patri faceſſere. Extant epiſtolæ Fulberti Epiſcopi, qui filii cauſam ſuſcipit, expoſtulatque, quod juvenis à Regibus oriundus & regio gaudens nomine iis careat, quibus & dignitatem ſuſtineat, & vitæ commodis ſufficiat. *Ceterum ſereniſſimam pietatem veſtram appellamus pro eodem Rege filio veſtro, qui ſatis ſuperque deſolatus incedit, neque enim in domo veſtra cum ſecuritate, vel caritate licet ei manere, neque foris ei unde vivat cum honore Regi competente. Vnde vos oportet aliquid boni conſilii reperire, & illi impendere, ne dum ille quaſi peregrinus & profugus agit paterni fama animi vobis depereat.* Haud dubito, quin & ſanctiſſimus Pontifex juvenis animum ad meliora converterit; paulo poſt enim patris imperio, culpam deprecatus, ultro ſe ſubjecit, obedientiaque ita parentem ſibi devinxit, ut Rex nihil illi denegaret, ſineret nomine Regis uti, & in ſocietatem regiminis eum adhiberet, quo in negotio cœpit regius adoleſcens agere moderate, æqui juſtique leges ſtatuere, ſe pauperum defenſorem oſtendere, monachos pariter & clericos diligere, ſe patronum miſerorum profiteri; ita ſua facta ad honeſtatem & virtutem componere, ut apud exteras nationes ejus fama divulgaretur. Itali ſane eum ſibi dari Imperatorem rogaverunt. Extat epiſtola Fulberti Epiſcopi, qui admitti rogationem auctor eſt, ſi commune omnium procerum votum ſit. Cum res tam domi, quam foris ex votis Roberto fluerent, ecce mors Hugonis pacem domeſticam perturbavit. Hugo magnus nomine proavi vocabatur. Compendii ſepultus eſt in baſilica ſancti Cornelii, mortuus eſt anno MXXII. ætatis XXVIII. ut Glaber cecinit. Mors Hugonis magnarum fuit cauſa diſcordiarum. Ad paternam hæreditatem ex jure natalium propius accedebat Henricus alter ex filiis Roberti, hunc itaque Regem ſollemniter ſalutari Robertus pater rerum æquus æſtimator cupiebat, matris animus in Robertum tertium ex filiis erat proclivior, vicit tamen patris ſententia, qui ſequenti anno Henricum accitis regui primoribus inungi Remis juſſit: paulo poſt fratres Henricus Rex & Robertus, quia utrique mater iniquior erat icto fœdere adverſus patrem malefidi juvenes arma capiunt. Henricus Drogas caſtrum occupat, Robertus iu Burgundia bellum movet. Rex collecto exercitu adverſus eum proficiſcitur. His bellis ſævientibus, ut fit, domeſtico furore populatæ provinciæ ſunt, ac demum res ad

Fulberti. epiſt. 4.

quietem & otium pace compoſita redierunt. Anno vero MXXXI. Robertus LIB. X. CAP. II.
ſupremum diem obiit Meloduni, elatum eſt corpus in baſilicam ſancti Diony-
ſii, & juxta Hugonem patrem ante altare ſanctæ Trinitatis ſepultum eſt. Om-
nium animos dolor invaſerat, monachorum aderat ingens turba, clericorum
magnus numerus, conferta plebis multitudo cælum gemitibus implebant, &
contenta voce inclamabant. *Rex magne, Deus bone! ut quid nos interficis? cum
nobis bonum patrem abſtrahis, & tibi adjungis?* omneſque in hanc acclamationem
proruperunt. *Roberto imperante & regente ſecuri viximus, neminem timuimus, patri
pio, patri ſenatus, patri omnium bonorum, felix anima, & ſalus felix ad ſuperna aſcen-
ſus, felix cum Chriſto Rege Regum per ſæcula cohabitatio.* Hæc de Rege Roberto,
quæ à noſtris rebus non abhorrent. Jam & alia referemus, quæ ad res Eccleſiæ
Pariſienſis penitus attinent, quæque ſub ejuſdem Regis principatu acta ſunt,
de Burchardo Comite Corboi..nu, de q..o alias dictum eſt, primum dicemus.
Burchardus Comes, ut antea relatum eſt, Foſſatenſe monaſterium uſus opera XVII.
Maioli Cluniacenſis melioribus imbuerat inſtitutis. Ex eo tempore locum præci-
puo proſecutus eſt affectu, multaſque poſſeſſiones monaſterio contulit. Uxor ejus
Elizabetha, & filius eorum Rainaldus Pariſienſis Epiſcopus donationibus ultro
aſſenſi ſunt, & ſubſcripſerunt, ille deinde, ut res vim & auctoritatem haberet,
Robertum Regem rogavit, ut regio eas præcepto confirmaret, cujus rogationi
Rex libentiſſime annuit. Hæc ad longum in vita Burchardi Comitis deſcripta.
Venerabilis autem Comes, inquit, *de ſalute ſuæ animæ valde ſollicitus, ſancto eum
Spiritu adhortante contulit dilectæ ſibi eccleſiæ, ſanctæque matri Domini Mariæ, &
Apoſtolis ejus Petro & Paulo, necnon venerabili Mauro confeſſori res poſſeſſionis ſuæ,
quæ pretioſæ ſibi eſſe videbantur. Helizabeth quoque Comitiſſa ſociali conjugio illi jun-
cta, cum Ragenaldo ſuo filio jam præſule urbis Pariſii effecto, talis facti aſſenſores &
deſiderii ſui participes extiterunt. Accedens ergo ad Regis præſentiam exoratus eſt, ut
regali more hoc & ipſe annueret, teſtamentumque ſuæ auctoritatis juberet fieri, & ſuo
ſigno muniri: quatenus per futura tempora eiſdem rebus prædictum frueretur monaſte-
rium, & ejus memoriale in orationum precatibus ſemper haberetur. Hortante itaque
Regis clementiam ejus genitrice Adelaide, & eju conjuge Regina Berta, quæ à tanto
poſcebatur viro libentiſſime annuit. Dedit itaque ſæpedictus Comes Burchardus ec-
cleſiæ Foſſatenſi has poſſeſſiones de rebus ſuæ proprietatis, villam quæ Nobiliacus dici-
tur in Epiſcopatu Pariſiacenſi, ſuper flumen Matronæ ſitam, cum advocatione & vi-
caria, cum eccleſia & altari, & cum omnibus, quæ ad ipſam aſpiciunt. Item in eodem
pago in comitatu Corboilenſis caſtri, in villa quæ vocatur Licias manſum Algardis,
cum omnibus ad ipſum pertinentibus. In Vvaſtinenſi quoque pago, in comitatu Nan-
tonenſi, atque in epiſcopatu Senonenſis urbis prædium juris ſui, quod nuncupatur Seia,
cum advocatione & vicaria atque eccleſia, & cum cunctis, quæ ad ipſum aſpiciunt. In
comitatu etiam Milodunenſi alodum, qui vocatur Curciacus, cum advocatione & vica-
ria, & cum omnibus ad eum pertinentibus. Hanc ergo ſanctæ devotionis voluntatem
plurimi Francorum videntes & audientes erga eundem locum, & ipſi ex propriis rebus
multa conferebant. Inter quos Comes Milodunenſis caſtri nomine Ioſcelinus exoratus eſt
Deo devotum Comitem, ut ei eccleſiam, quæ ſita eſt in vico, qui Noſiacus ſiccus dicitur,
quam de ejus beneficio poſſidebat, Deo & ſanctis ejus concedere dignaretur. Comes vero
gaudio repletus, & hoc ipſum libenti animo conceſſit. Ipſe quoque Vicecomes cingulum
militiæ pro Chriſto deponens, in eodem cœnobio monachus poſt modum eſt effectus, ibi-
dem obiit ſub die XIV. Calend. Aprilium. Super his ergo omnibus inclytus Rex Rober-
tus auctoritatis ſuæ teſtimonium fieri juſſit, traditionemque Abbati Teutoni, ſeu reli-
quis monachis fecit, & præfatæ eccleſiæ munificentiæ ſuæ præcepto confirmavit, per
quod præcepit jubens, ut uſque in finem ſæculi cœnobitæ illius loci hæc omnia tenerent,
atque pleniter poſſiderent: nulluſque Rex, nullus Epiſcopus, nullus Comes, aut ulla
mortalis poteſtas illas res diſponere, aut in ſua poteſtate quicquam horum decernere, aut
delegare præſumeret: ſed perpetua ſoliditate in ipſorum jure conſiſterent diſponendi at-
que faciendi ad utilitatem loci quidquid elegiſſent. Ut vero illius præceptionis atque
roborationis edictum per cuncta ævi tempora inviolabilem obtineret firmitatis vigorem,
more regali manu propria confirmavit & annuli ſui impreſſione inſigniri juſſit.* Quod

LIB X. Cap. II *Rogerius Cancellarius devote peregit, qui poſtea Deo concedente ad honorem pontificatus in urbe Belvacenſi ſublimatus eſt. Acta autem ſunt hæc in civitate Pariſius anno incarnati verbi DCCCCXCVIII. anno vero Roberti Regis x. ſub die XIII. Calend. Maiarum.* Sed ecce tibi præceptum Roberti Regis olim à nobis ex chartulario Foſſatenſi deſcriptum.

XVIII. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Robertus divinæ providentiæ clementia Francorum Rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eorumque in iiſdem locis famulantium beneficia opportune largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit ſagacitas, ſeu induſtria omnium noſtrorum fidelium tam præſentium, quam futurorum, quod quidam venerabilis Epiſcopus nomine Renoldus, & pater ejus Deo amabilis Comes nomine Burchardus adierunt ſerenitatem noſtram, humiliter petentes, quatenus res de beneficiis eorum, quas monaſterio Foſſatenſi, quod eſt dedicatum in honore beatiſſimæ Virginis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſeu beati Mauri patris Benedicti diſcipuli, qui in eodem loco requieſcit, contulerant, & Abbati ejuſdem loci nomine Teutoni & fratribus ibidem Deo militantibus pro æternæ remuneratione vitæ, & pro animarum ſuarum abſolutione & animæ Elizabeth Comitiſſæ tradiderunt, auctoritatis noſtræ præcepto concedere & confirmare dignaremur. Suggerentibus itaque ac intuentibus dilectis noſtris, videlicet dulciſſima genitrice noſtra Adelaide, atque conjuge noſtra Berta, hoſpitibus eorum libentiſſime faventes traditionem Abbati, ſeu reliquis monachis præfatæ eccleſiæ munificentiæ noſtræ præcepto confirmamus, per quod præcipimus atque jubemus, ut ab hodierna die ac deinceps prædictus Abbas, aliique monachi præfati monaſterii illas res, quæ ſunt in monaſterio in pago Pariſiacenſi, libere poſſideant villam videlicet, quæ vocatur Nobiliacus, cum advocatione & vicaria, cum eccleſia & altari abſque Synodo & circada, cum ſilvis, vineis, pratis, terris cultis & incultis, cum omnibus ſuis appendiciis. Item in eodem pago eccleſiam, quæ ſita eſt in vico, qui Noſiacus dicitur, per deprecationem Ioſcelini Vicecomitis Milodunenſis tradiderunt, qui eam de illorum tenebat beneficio. Item in eodem pago eccleſiam, quæ vocatur Licias, manſum Algardis, cum vineis, terris cultis & incultis, cum omnibus ad illum pertinentibus, & in Comitatu Milodunenſi alodum unum, qui vocatur Curciacum, cum advocatione & vicaria, cum pratis, terris cultis & incultis, & cum his quæ ad ipſam reſpiciunt, & in Vaſtinenſi pago alium alodum, qui nuncupatur Seia, cum advocatione & eccleſia & aqua, cum piſcaria, pratis, terris cultis & incultis, abſque ulla vicariorum poteſtate congruere teneant atque poſſideant. Et ob hoc præcipimus etiam, ut nullus Rex, nullus Epiſcopus, nullus Comes, aut ulla poteſtas illas res diſponere, aut in ſua poteſtate quicquam horum decernere vel delegare præſumat. Sed perpetua ſoliditate in ſupradictorum fratrum poteſtate conſiſtat diſponendi, aut faciendi ex his quidquid elegerint. Vt autem hujus noſtræ præceptionis edictum atque corroborationis præceptum, per cuncta tempora inviolabilem obtineat firmitatis vigorem manu propria ſubter confirmavimus, & annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus data XIII. Calend. Mai. Indictione XI. regnante Roberto Rege actæ publice in Pariſiaca urbe anno incarnati Verbi DCCCCXCVIII.*

XIX. Proſequitur Odo Foſſatenſis monachus in vita Burchardi Comitis. *Fuit etiam ipſis diebus Miles egregius potentiis & divitiis ſæculi valde ſublimis, venerandoque Comiti fidelis, nomine Ermenfredus, fideliter Deo complacere deſiderans. Hic itaque pavore æterni ſupplicii perterritus, & exemplis jam dicti viri religioſe animatus, retulit ei multum locum ſibi commiſſum diligere, ac de propriis poſſeſſionibus ſe velle in eo largiri. Deprecatus eſt itaque eum, quatenus villam, quam de ejus beneficio tenebat, quæ Licias appellatur, eccleſiæ Foſſatenſi daret: ita ut etiam prædium ſuæ poſſeſſionis, quod Aureum dicitur, ſpontanea voluntate ſimul tribueret. Ille vero, qui optabat, ut Milites Francorum ſimilia peragerent, liberam dedit illis facultatem dandi, quidquid ejus animo placitum fuiſſet. Veniens itaque ad ſibi dilectum præ ceteris locum, cum ſua conjuge, quæ Ermenſendis dicebatur, innotuit religioſo Abbati Teutoni, ac ceteris fratribus ſui cordis ſecretum. Qui gratias Deo agentes in ſuis orationibus prædictos conjuges ſuſcipiunt: ſicque familiares Dei ſervorum effecti ſunt, atque locum ſuæ tumulationis poſt reſolutionem corporum acceperunt. Dederunt ergo ibidem prædium*

ſuperius nominatum Aiureum ſuper flumen Sequanæ ſitum diſtantem à caſtro Corbolio milliario & dimidio, eccleſiam quoque & vicariam, & advocationem cum omnibus ad eum pertinentibus. Simili etiam modo donationem fecerunt de villa jam dicta, quæ vocatur Licias in prædicto pago ſita diſtante à caſtro milliario & dimidio, quam de beneficio Burchardi Comitis & filii ejus honore pontificali prælucentis Rainaldi tenebant: quorum conſenſu & voluntate hoc donum fecerunt pro æternæ vitæ remuneratione, ſive Gelonis, atque parentum eorum abſolutione, cum advocatione atque vicariorum poteſtate, & cum cunctis, quæ ad ipſam aſpiciunt. Donum ergo harum rerum ſuper altare ſanctæ Mariæ, ſanctique Petri Apoſtoli poſuerunt tenore tali, ut annuatim recognitionem ex ipſis haberent denominatam, ambobus vero ab hac luce demigrantibus, perpetuo habendas poſſiderent, poſt hæc etiam Regis adeuntes præſentiam, deprecati ſunt, ut hæc dona præcepti auctoritate roboraret & annuli ſui impreſſione munire dignaretur. Ipſe quoque ſuæ matris Adelaidis, uxoriſque Bertæ ſuggeſtionibus, uti precatus fuerat, peregit. Conſcripto itaque teſtamento ac monogrammate Regis manu facto, Franco tunc Cancellarius, poſtea vero Epiſcopus Pariſii factus imaginem Regis impoſuit. Factum eſt autem hoc in prædicta urbe anno Incarnationis Chriſti M. Indict. x i i. anno vero inclyti Regis Roberti x i i. feliciter. Charta hujus donationis & legitur in chartulario Foſſatenſi, eamque aliquando deſcripſimus, quam tamen hic libens prætermitto, ne hiſtoriam his omnibus nimio plus impleam. Sed quoniam de hoc Foſſatenſi monaſterio ſermo incidit, de hoc pauca addere placet, eaque præſertim, quæ ad Abbates & Comitem Burchardum pertinent.

Teuto, ut dictum eſt, monachis Foſſatenſibus petentibus à Roberto Rege datus Abbas fuerat: is à Maiolo Abbate in monaſterio Foſſatenſi præpoſitus relictus eſt: ſed Robertus hunc ad monachorum vota juſſit eſſe Abbatem, in hoc magiſtratu egregie ſe geſſit, inclinatas monaſterii ædes reſtituere magnis laboribus ſtuduit, jejuniis nihilominus, orationibus, vigiliis, aliiſque pietatis exercitiis impenſius vacabat. Verum in hoc poſitus loco, cum ſe in diverſa actum pius Abbas animadverteret, ratus id detractum Deo, quod ſui regiminis officiis impenderet, pertæſus harum occupationum inveſtigare ſemitam anguſtiorem, iterque magis arduum ſectari ſtuduit. Quapropter abdicare præpoſituram ſtatuit, & in locum ſecretiorem ſecedere. Carolus-calvus Rex Francorum dederat Foſſatenſibus monachis prædiolum aliquod in agro Remenſi, quo ſe Foſſatenſes monachi reciperent ingruente Nortmannorum tempeſtate. Teuto hunc locum ſeceſſioni idoneum reputans huc ſe contulit. Verum, ut amotus à negotiis ibi ſoli Deo vacaret, *baculum curæ paſtoralis per ſui ſervitii miniſtrum nomine Walterum, quem ipſe in Domini timore nutriverat*, tanquam teſtimonium abdicationis *fratribus tranſmiſit.* Robertus horum admonitus conſuluit cum Burchardo & Raynaldo ejus filio Pariſienſi Epiſcopo, quid facto opus eſſet. Erat in Cormaricenſi monaſterio Theobaldus ex matre frater Raynaldi & filius Aymonis Comitis Corboilenſis & Elizabethæ. Is monachum apud Cluniacum egerat ſub diſciplina Maioli Abbatis, & ſub ejus magiſterio ſeverioribus vitæ monaſticæ documentis imbutus præpoſitus Cormaricenſi monaſterio fuerat, hunc Rex accerſi juſſit *huicque domum Abbatis Foſſatenſis dedit, eumque patrem monachorum Foſſatenſium conſtituit*, iſque deinceps monaſterii adminiſtrationem geſſit. (*Odo in vita Burchardi Comitis.*) Sed ut ad Teutonem redeam. Ille interea in ſeceſſu ſolus morabatur fame, & duris ſe aſceticæ vitæ laboribus macerans: poſt aliquod tempus illi propoſitum eſt fratres Foſſatenſes reviſere, Novigentumque ideo ad Matronam ſe contulit, haud longe à monaſterio Foſſatenſi, fratribus ſignificavit adventum. Plerique monachi inexpectato nuncio attoniti à reditu prohibendum hunc dixerunt, munus, quod gereret ab eo ſponte & ultro relictum, alium Abbatem ſubrogatum, huic locum non ſupereſſe, qui ſe officio abdicaverat. Teuto accepta reſponſione dubius ancepſque remanſit, quid ageret, demum ad Cluniacenſe monaſterium, ubi primo monachum egerat, ſe recepit, ibique permanſit, feliceemque in ſanctis exercitationibus vitam egit, ac demum Idibus Septembris diem obiit, ad cujus poſtea ſepulcrum Deus multas edidit virtutes, celebrataque piiſſimi Abbatis poſt obitum ſanctitas, quo tempore in monaſterio Foſſa-

 tenſi duo alius ex alio extiterunt Abbates, qui quinque tantummodo annos vixerunt. Poſtquam hæc de Abbate Teutone dicta ſunt, de Burchardo Comite pauca adjicienda ſunt ex eodem Odone monacho Foſſatenſi.

XXI. Comes his peractis, quæ ſuperius retulimus, in morbum incidit, & in ea ægritudine cogitans ſerio, quam fluxæ res hominum eſſent, rerum cæleſtium amore vehementius uri ſe ſenſit, quapropter jam vel ætate vel ægritudine confectus, monachi habitum popoſcit, recepitque, ut vel hoc faſtidium honorum, divitiarumque contemptum ſignificaret. Ea res multorum mentes perculit, proceres intimo quodam dolore afficiebantur, cum virum nobilem cernerent magnis defunctum honoribus, ſubjectum imperio Abbatis, aſceticam vitam eſſe profeſſum, dolebant inprimis Milites & pauperes, illi quod ducem fortiſſimum, hi quod vitæ ſolatium præſidiumque ſalutis amitterent. Sed eodem tempore monachis præbebat inſigne pietatis exemplum, ut ad ſanctioris vitæ exercitationes ardentius incitarentur, quis enim erat eorum ſenſus, cum haberent ante oculos Comitem nobiliſſimum, qui projecto ſago, annis & meritis graves humeros cucullæ monachicæ ſuppoſuit. Comes eo tempore vaſa aurea & argentea, pretioſamque ſuppellectilem monaſterio liberaliter contulit: magnum præterea ſervorum ancillarumque numerum eidem loco tribuit. Accepta deinde veſte aliquo tempore in ædibus, quæ juxta eccleſiam erant æger decubuit, ſed poſtea incolumitatem conſecutus exercebatur more cœnobitarum, nihilque ſui officii vir nobiliſſimus prætermittebat. Cumque monachi admonerent, ne hac ætate, & iis quibus præditus fuerat honoribus ſeipſum excruciaret, neque humilibus ſe ſubjiceret obſequiis, reſpondebat. Si quando Comitem agerem, haud me pigebat Regi quidem, ſed viro mortali miniſtrare, & operam, ſi res poſceret, humilem præſtare, quanto magis haud me pudeat ante Regis immortalis conſpectum vel humilem miniſtrum me oſtendere, & vilioribus me in ejus domo ſubdere obſequiis, quod aliis magnum erat virtutum incitamentum. Poſtquam aliquo tempore hunc vitæ tenorem egiſſet, in morbum Burchardus incidit: intellexit pius Comes ſupremam ſibi horam imminere, more itaque Chriſtianorum ſe corpore & ſanguine Jeſu Chriſti rite munivit, ac demum animam exhalavit IV. Calend. Martias anno MVI. poſt mortem adeſt illico Reginaldus Epiſcopus Pariſienſis ejus filius, Abbas Theobaldus, & agmen monachorum, qui lachrymis perfuſi juſta Burchardo perſolverunt. Sed, quod vice inſignis monumenti æſtimo, fuit publica omnium comploratio, ubi enim ejus mortis rumor per vicinitatem pervagatus eſt, nobiliſſimi quique & ditiſſimi Milites ad monaſterium advolare, pauperes quoque & conferta utriuſque ſexus hominum multitudo, omnes ſimul promiſcue parentem deflere, pectus plangere, & dolorem variis ſignis teſtificari. Intellexere poſtea monachi quanto detrimento patronum protectoremque amiſiſſent, ſepultum eſt ejus corpus, ut Odo narrat, *ante vultum noſtri Redemptoris in domo, ubi fratres ad matutinum & ſerotinum conveniebant ad capitulum.* Ejuſque tumulum his verſibus exornatum voluerunt.

Hic vir magnus erat quondam du[illegible] corpore vixit,
Nomine Burchardus per mundi climata notus,
Celſus erat meritis, dictis factiſque modeſtus,
Pauperibus largus, viduis per cuncta benignus,
Ipſius en corpus tumulo requieſcit in iſto,
Martius oſtendit quarto migraſſe Calendas.

XXII. Addit Odo monachus Elizabetham ejus uxorem multa quoque huic monaſterio contuliſſe, eamque in eo loco ſepultam, ejuſque obitus diem anniverſarium celebrari XV. Calend. Februarii & ſcriptos ejus ſepulchro hos verſus.

Hoc placuit Domino vivos conjungere binos
Et Polyandra ſimul jungere ſic voluit.
Hoc quicumque legis perſolve carmina pſalmi,
Spiritus ut valeant ſcandere regna poli.

Odo monachus Foſſatenſis vitam Burchardi ſcripſit anno MLVIII. anno Henrici

Henrici Regis Francorum XXVIII. Dies anniverſarios eorum obitus diligenter LIB X.
celebratos ait. Ut abſolvam res Burchardi Comitis, ecce tibi chartam, quam CAP. II.
ſcripſit in gratiam Foſſatenſis monaſterii ex chartulario illius loci.

Ego Burchardus nutu Dei gratia Domini noſtri Francorum Regis Roberti caſtri Comes Corbolii, una cum filio meo Rainoldo venerabili Pariſienſium Epiſcopo concedimus, & juris perpetui dono acquieſcimus, ac acquieſcendo favemus, ut omnis cujuſcumque ordinis militiæ ſit, quia de noſtro beneficio aliquid in feodum, quamvis magnum vel parvum poſſideat, licentiam dandi, aut relinquendi partem ex illo eccleſiæ Foſſatenſi & Theobaldo, qui & ipſi eccleſiæ præeſt, cunctiſquè ejus ſucceſſoribus & monachis, illic Deo ſanctiſque omnibus militantibus, habeant, & hoc abſque ſcitu & aſſenſu Dominorum, de quibus videntur poſſidere, ſemper faciant. Hoc itaque donum tam peculiare & maximum Foſſatenſi eccleſiæ ob amorem Dei, & ſanctæ ejus genitricis Mariæ, ac ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſancti quoque Mauri dilecti confeſſoris Chriſti concedimus, quod nulli alii ſancto, vel eccleſiæ fecimus. Inſuper etiam addentes, ut ſi quis clericorum, aut canonicorum ejuſdem caſtri voluerit monachus effici, Foſſatis efficiatur, ſive dives ſit, ſive pauper: laici denique extra ſuas parochias ad nullam aliam eccleſiam admittantur, niſi ad Abbatiam Foſſatenſem, quia hoc in mandatum à Dominis & Principibus, Regibuſque noſtris Hugone atque Roberto ipſius filio accepimus, ut omne bonum, quod ipſi eccleſiæ quomodo poterimus, eorum fulti auctoritate & auxilio faciamus. Vt igitur noſtri memoria à cœnobitis ſemper habeatur & recolatur in eadem eccleſia hanc, ut tanti taliſque doni hujus conceſſionis componere & deſcribere chartam, ne unquam per futura ævi tempora labatur à memoria paſtorum, & ut ſecurius & firmius à noſtris ſucceſſoribus obſervetur, manibus propriis eam firmavimus, fidelibuſque roborandam tam clericis, quam laicis dedimus, quorum nomina reſcribi juſſimus. Actum publice in curia noſtra Corbolii anno Incarnati Domini MVI. XXIII.

Ex bac charta intelligimus, jam tunc temporis canonicos in caſtro Corboi- XXIV.
lenſi extitiſſe, ſed quod maxime annotandum ducimus, Theobaldus Abbas eo anno MVI. mortem oppetiit: nam cum in ea cbarta illius mentio ſit, & in alia, quam modo deſcribemus, charta, quæ eodem anno data eſt, ſit memoria Hildeberti ejus ſucceſſoris, oportet Theobaldum eo anno MVI. è vita deceſſiſſe, quod convenit cum his, quæ in vita Burchardi Comitis leguntur, auctor enim ait Teutonem Abbatem, cum ſe demum ad Cluniacum recepiſſet, duobus Abbatibus Foſſatenſibus, qui ſuum locum acceperant, ſupervixiſſe. Ex his quoque chartis facile cognoſcas, quo anno Comes Burcbardus mortuus ſit: annum enim ejus obitus ita reperio. Quando Burcbardus mortuus eſt, Theobaldus ſeu Theodabaldus Abbas Foſſatenſis ejus obſequiis interſuit. Anno MVI. Burchardus Comès ſcripſit litteras in gratiam monaſterii Foſſatenſis, eodem anno MVI. Hildebertus Tbeobaldi ſucceſſor jam regimen monaſterii Foſſatenſis ſuſceperat, oportet igitur & Burcbardum & Theobaldum hoc anno MVI. deceſſiſſe. Harum denique litterarum, quas modo retulimus, meminit Odo monachus, *ſtatuit denique*, inquit, *decretum, ut quicumque fidelium ſuorum ex ſuis caſtris vellet aliquam partem terrarum eccleſiæ Foſſatenſi tribuere, liberam haberet licentiam dandi abſque juſſione ſuorum ſucceſſorum, quidquid animo libuiſſet.* Sed ecce tibi deſcribimus chartam Rainaldi Epiſcopi Pariſienſis in gratiam Hildeberti Abbatis.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Noverint univerſi tam præſentes, quam futuri, quod ego Rainaldus Dei gratia Pariſiorum Epiſcopus, aſſenſu omnium Archidiaconorum, ceterorumque clericorum noſtrorum, præbendam, quam Foſſatenſis eccleſia integerrime ab anteceſſore noſtro beatæ memoriæ Ænea in ſede noſtri epiſcopatus, ſibi dudum traditam poſſidebat, Deo cooperante præfatæ monachis eccleſiæ annuerim. Ita quidem, ut quotieſcumque Abbas præfatæ eccleſiæ, qui nunc præeſt Hildebertus, aut ejus ſucceſſores vicarium pro ſe in eccleſia beatæ Mariæ ſerviturum pro ſe poſuerint, nullam à nobis eligendi licentiam requirant, ſed poteſtatem habeant & licentiam dandi eam, cui clericorum voluerint, aſſenſu tamen capituli ſui. Inſtituimus denique, & prorſus jubemus, ut idem clericus in Foſſatenſi eam capitulo requirat: & de manu Abbatis illam recipiat: ea autem ſuſcepta ab uno fratrum Foſſatenſium, cui ab Abbate juſſum fuerit, ad capitulum beatæ Mariæ die alia abducatur, atque Decano tamen fratrum- XXV.

que communi conventui præſentetur, qui mox ab ipſo Decano introducatur, & ab aliis, velut unus noſtrum in conventu devote ſuſcipiatur. Suſceptus autem nil muneris, nilque præmii in recompenſatione tantæ gratiæ ab eo exigatur, neque fratrum paſtus, qui communiter ab omnibus datur, decernimus. Ita ut clericus, de quo agimus, bis per annum ad Foſſatenſe cœnobium veniat, ad feſtum ſcilicet Apoſtolorum Petri & Pauli III. Calend. Iulii, & ad tranſitum beati Mauri XVIII. Calend. Februarii, qui ſi diſſimulata incommoditate aliqua non venerit, & tardus negligenſque, niſi Abbatis licentia remanſerit, ab eo vel ab ejus monitus nuntio ad Foſſatenſem accedat Abbatiam, & lege emendet hanc negligentiam, ſi ab aliqua vi aut temeritate fiſus emendare noluerit. Tunc Abbas utatur ipſo judicio, quo ipſe uterer ſuper beatæ Mariæ canonico, hoc ſiquidem agi diffidimus noſtro conſilio. Igitur cum ab hac luce idem vicarius Foſſatenſium migraverit, fratres & canonici eccleſiæ beatæ Mariæ ſepulturæ eum tradant. Ita tamen ſi in noſtro finierit habitu: dignum eſt enim, ut quorum conſortium vivendo adipiſcitur, eorum officio & moriendo terræ commendetur. Proceſſionem denique illam, quam annuatim jam dictus prædeceſſor noſter agi in quadrageſima diſpoſuit, quarta ſcilicet feria poſt dominicam, quæ Chriſti prætitulatur paſſioni, in monumentum illius proceſſionis, quam Chriſti dilecto confeſſori Mauro exhibuit, die qua primum receptus eſt à Foſſatenſibus, ſicut in quodam ſuo invenimus ſcripto, & nos ſimiliter noſtris ſequacibus indicimus, ut cujus ſemel in anno membra reviſimus, ejus precibus & meritis aſſidue muniamur. Quicumque ergo noſtrorum ad illam venerint proceſſionem, nullam ibi ſumant refectionem, ſed ſola caritate, quæ multitudinem peccatorum operit, illuc benigne abeant, atque ſibi alternatim benedictione benignius data ad propria jejuni redeant. Præfatæ vero Abbas eccleſiæ ſuique fratres in remuneratione hujus doni nullum nobis, nec noſtris ſequacibus reddant debitum, neque Pariſienſi eccleſiæ aliquod inde faciant obſequium. Quod ſi aliquis ab hac die uſque ad ultimum hujus ſæculi diem, à Foſſatenſi eccleſia, vel ab ejus monachis quidquam ob hoc extorquere præſumpſerit, æternæ maledictioni, & perpetuæ damnationi ſubjiciatur, niſi reſipuerit, & ad emendationem venerit: ut autem hoc donum firmum & inconcuſſum permaneat, ſcripto mandatum & ſcripti chartam iſtam propria manu firmavimus, ac manibus canonicorum noſtrorum firmandam tradidimus, & in ſignum firmitatis perpetuæ noſtro ſigillo ſignari præcipimus. Actum publice Pariſius in capitulo ſanctæ Mariæ anno incarnationis Dominicæ MVI. Ex hac charta apparet litteras Æneæ Pariſienſis Epiſcopi, quas ſuperius retulimus, non eſſe ſuppoſitas, ut male auguratus erat Launojus, quod antea contra hunc auctorem defendimus. Nota quod ſicut Æneas initium fecit præbendis, quæ aliis eccleſiis datæ ſunt, ſic Reginaldus dedit initium vicariis majoribus, qui habentur in eccleſia beatæ Mariæ.

CAPUT III.

De Canonicis eccleſiæ ſanctæ Genovefæ. De Abbatibus monaſterii Pratenſis, & Dionyſiani. De monaſterio Argentoilenſi, & de ejus fundatione & reſtitutione ex beneficentia Adelaïdis Reginæ. De Rainaldo Epiſcopo Pariſienſi, & de ejus morte. De Alberto, & Francone Pariſienſibus Epiſcopis. De Lizierno Archidiacono. De charta Franconis Epiſcopi & de ejus morte.

I. POſtquam accurate de monaſterio Foſſateoſi locutus ſum, de aliis pariter civitatis Pariſienſis monaſteriis pauca licet addere, atque inprimis de antiquiſſimo nobiliſſimoque monaſterio ſanctæ Genovefæ, de quo pauca hactenus dicta ſuot, ea Roberti Regis ætate erat collegium canonicorum, quibus res ſuas Rex Robertus dato præcepto confirmavit. Inſuper fecit illis poteſtatem vivendi ſecundum regulam canonicorum, eligeodi Decanum ex propria congregatione, qui eccleſiam & canonicos ſecundum inſtiruta canonicorum regeret: prohibet demum, nequis in eos injuſtam exerceat poteſtatem, & ne quemquam illis invitis præficiat, vultque ex eorum juſta ordinatione & electione omnia pendeant. Præceptum hoc ex chartulario monaſterii ſanctæ Genovefæ deſcriptum tibi tradimus.

II. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Robertus Dei gratia Francorum Rex sereniſſimus. Si precibus canonicorum cum pro ſuis vel eccleſiarum ſibi commiſſarum neceſſitatibus aliquid nos petere voluerint, aurem libenter accommodamus, eorumque juſtas petitiones ad optatum effectum perducimus, non ſolum regiam conſuetudinem in hoc exercemus, ſed eoſdem canonicos ad Domini miſericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Igitur omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium, noſtrorumque tam præſentium, quam futurorum noverit induſtria, quod adeuntes ſerenitatis noſtræ præſentiam dilecti noſtri ex monaſterio ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & ſanctæ Genovefæ virginis canonici humiliter deprecati ſunt, quatenus ſibi inibi Domino famulantibus ex clauſtro, & ex omnibus ad ſuas villas, vel res pertinentibus: necnon de præbendis atque præfecturis hoc præceptum noſtræ auctoritatis fieri juberemus. Ita ut omnia ſupradicta ſine cujuſlibet perſonæ inquietudine jugiter quieté obtineant; quod nos libenter annuimus, & petitionibus eorum diligenter acquievimus. Volumus ieaque, ut omnium fidelium noſtrorum in hoc concordent aſſenſus, ut eundem locum clericalis ordo, ſub cujus regimine à primordio fuerat traditus obtineat per omne præſentis vitæ tempus, ſecundum regulam canonicalem, ſemperque Decanum habeant ex propria congregatione, qui ipſam eccleſiam, & famulos Chriſti ibidem degentes canonicali religione cuſtodiat, decrevimus etiam pro noſtri auctoritate præcepti, ut nemo ſuper ipſos canonicos injuſtam poteſtatem exerceat, aut quempiam temere extra voluntatem ipſorum eis imponere tentet: ſed in eorum juſta ordinatione & electione omnia ibidem pertinentia conſiſtant, quatenus ipſi, qui ibidem Domino famulantur, orationes pro nobis & ſtabilitate totius regni à Deo nobis commiſſi, proque remedio animarum*

eorum, qui pro amore Chriſti & ſanctorum illis ſua tradidere donaria, eorum quoque, qui futuris temporibus quippiam facultatum ſuarum daturi ſunt, ſine aliqua injuria, eccleſiaſtica officia adimplere valeant, & hanc auctoritatem, ut firmior in Dei nomine habeatur, à fidelibus quoque ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris diligentius conſervetur, manu propria ſubter firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Signum Rainoldi Pariſienſis Epiſcopi. Franco Cancellarius palatii recognovi.

III. Dictum eſt ſuperius ab Hugone etiam antequam regnum adeptus eſſet dimiſſum eſſe regimen monaſterii Pratenſis, & antea aliquot Abbates enumeravimus uſque ad Morardum, cui ſub Roberti principatu ſucceſſit Ingo, de quo ſermo eſt in vita Roberti Regis ab Helgaldo conſcripta. *Ingo*, inquit, *ſummæ ingenuitatis vir & bonitatis, Abbas ſancti Germani Pariſius civitate conſtituti monaſterii, ad hunc Dei famulum pro ſua & fratrum utilitate Aurelianis duos boni teſtimonii direxit fratres, qui ab eo viſi pacis honorati ſunt oſculo, ut ei mos erat, interrogatique ſunt benigniſſime, qua cauſa ad eum properaſſent. Vocabantur autem propriis nominibus Herbertus unus, alter vero Gauzfredus, haud infimi ordinis monaſtici viri: quibus pio de more imperat, ut poſt matutinos hymnos ſua præſentia aſſiſterent, & de quibus vellent, audientiam haberent; quibus juſſa obſervantibus, contigit, ut in ipſa eccleſia, in qua conſederant, his cernentibus candela extingueretur; qua extincta religioſum virum Theudonem clericum proximum ſuum à lecto evocat, candelamque porrigens ad requirendum lumen quantocyus dirigit. Interea devotiſſimus Rex pſalmis & orationibus vacans, dum, qui juſſus fuerat, revertitur, videt virum Domini candelam ardentem tenere in manibus, qui tenebat caritatem in moribus. Quod admiratus & Deum hymniſonis vocibus laudare cupiens, omnimodis illum prohibet, ut à jactantia ſuperbæ virtutis ex toto ſe liberans, Dei in omnibus collaudans virtutem diceret cum David, ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis: & iterum, humiliatus ſum uſquaque, Domine, vivifica me ſecundum verbum tuum.*

IV. Ingo per XII. annos monaſterii adminiſtrationem tenuit, ut habet Breulius, mortuus eſt IV. Calend. Februarii anno MXXI. ut habet chronicon ſancti Petri vivi. Etſi ab Helgaldo Ingo celebratur, ſub ejus tamen regimine corruit in monaſterio Pratenſi vis monaſticæ diſciplinæ, adeo ut Guilelmum Abbatem Divionenſem advocari oportuerit, qui collapſam monaſterii formam reſtitueret. Is erat ſancti Maioli diſcipulus, tantùm ex hujus Abbatis ſanctioribus documentis profecerat, ut monaſterio Divionenſi Abbas præficeretur, deinde adhiberetur ad reſtituendam rem monaſticam in Fiſcamnenſi monaſterio, ille deinde ſedulam operam collocavit, ut labentem ſancti Benedicti regulam in Pratenſi monaſterio ad meliorem formam revocaret. Ipſe non modo præceptis & ſanis documentis monachos erudiebat, ſed precibus pulſabat cælum, exemplis præclariſque factis facem aliis præferebat. Huic ſucceſſit Adraldus, de quo alias dicturi ſumus. Extat in genealogia Montmorenciaca charta Roberti Regis, ubi Guilelmi Abbatis eſt mentio, eſtque ejuſmodi.

V. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Robertus gratia Dei Francorum Rex. Regalis poteſtas largita Eccleſiis bona debet ſervando defendere, & defendendo ſervare: quoniam nec expers credenda eſt remuneratio devote cuſtodientis à fructibus liberalis largitoris. Unde noverit univerſitas fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum, quod Guilelmus Abbas ſancti Germani adiens præſentiam noſtram conqueſtus eſt, quod pravæ conſuetudines in locis ſuis quotidie pullularent. Nam in quadam villa ejuſdem Abbatiæ, ſcilicet Antoniaco cum appendiciis ſuis, Roricurte, villa Oſii, villa Grés, villa Mulnes, villa Vedzarias, villa Culez, villa Boldinis, infra quarum ſepium & arpennorum clauſtrum nullus unquam vicarius ante tempora noſtra exactionem vel redhibitionem feciſſet, Pipinellus Garini vicarius multa ad opus illius uſurpaverat, & magnam oppreſſionem earundem villarum fecerat. Quod nos per ſuggeſtionem ejuſdem domni Guilelmi Abbatis accipientes, moleſte tulimus, & ad diſcuſſionem hujus cauſæ Garinum provocavimus. Ille vero ad judicium veniens, nullo modo reſiſtere valuit, propter rationabilem contradictionem ſervorum ſancti Vincentii, & ſancti Germani, qui legali conflictu duelli erant reſiſtere parati. Et ideo voluntate*

Digitized by Google

noſtri & Abbatis ac monachorum de hac proclamatione ad præſens ſatisfeciſſet, niſi interim morte præventus fuiſſet. Sed quia non contigit eum pleniter terminaſſe hoc negotium, nos idcirco in noſtra poteſtate iuſtructivam dicti domni Guilelmi Abbatis vicariam accepimus, quoniam ſervos eccleſiæ vidimus ad prædictam conſuetudinem confutandam præparatos, & ad eis reſiſtendum nullos. Ad ultimum vero, nos & uxor noſtra Regina Conſtancia uxorem Garini Herſendam nomine, ad cujus hæreditatis beneficium tantummodo camporum vicariæ reſpiciebant, ante noſtram præſentiam convocavimus, & illis præſentibus, & ſub præſentia multorum hujus proclamationis definitionem fecit ad votum Abbatis & monachorum, partim coacta juſtitiâ, & partim territa pro peccatis viri ſui, quæ commiſerat per hujus conſuetudinis invaſionem. Quod ut ratum futuris temporibus permaneret, rogatu ipſius Herſendis, præſentem cartulam inde conſcribi fecimus, & ſigilli noſtri impreſſione corroborari. In præſentia teſtium quorum appoſita ſunt nomina. Guarinus Epiſcopus. Odolricus Epiſcopus. Burchardus miles. Fulco miles Silvanectenſis. Vvido miles cognomento Burgundiolus. Albertus miles. Tuo miles. Otricus miles. Vvilelmus miles. Odo miles. Aſzo vicarius. Droco miles. Ainardus miles. Henricus miles. Ego Balduinus Cancellarius relegi & ſubſcripſi. LIB X. CAP III

In Dionyſiano monaſterio rem id temporis gerebat Vivianus. Hunc Odilo Cluniacenſis reliquerat Abbatem. Extat in antiquitatibus Dionyſianis & in genealogia Montmorenciaca charta data in gratiam hujus monaſterii, in qua fit mentio Viviani Dionyſiani Abbatis: hoc inſtrumento finiuntur diſſidia, quæ nata fuerant inter illum Abbatem, & Burchardum barbatum, res erat ejuſmodi. Burchardus cognomine barbatus locum aliquem munitum in inſula Sequanæ poſſidebat ex conjuge, quem illa ex priore marito Hugone Baſſet ſuſceperat, qui erat ex feudo monaſterii Dionyſiani. Burchardus uſus munitione & vicinitate loci illius monaſterio & monachis Dionyſianis ſæpius injuriam ſolebat inferre. Vivianus Abbas & monachi ſæpius quoque injuriam apud Regem Robertum conqueſti ſunt. Admonitus eſt Burchardus à Rege, ut quieſceret, & ab inferendo malo abſiſteret. Haud tamen ab improbis conſiliis deterrebatur. Quam ob cauſam Rex diſſidii cauſam tollere ſtatuit. Re igitur cum proceribus communicata regia conſtitutione munitio, unde mali labes, everſa eſt, ne quid amplius moleſtiæ ex eo loco is creare poſſet. Burchardus indigne tulit caſtrum deſtrui, monachoſque auctores multis afficere injuriis inſtituit, res in apertas diſſenſiones erumpebat, cum ecce in hanc pacis compoſitionem annitente Conſtantia Regina diſceſſum eſt. Abbas & monachi conſenſerunt ab eo aliud caſtrum ad Montem-maurentiacum extrui, & propugnaculis muniri: ita ut hominium, quod vocant, Burchardus faceret propter illas poſſeſſiones, quas ex conjuge habuerat, quaſque jure beneficii ex monaſterio retinebat. Sunt & aliæ pacis conditiones, quas quivis in ipſo inſtrumento legere poteſt. Hanc conventionem tam Burchardus, quam Abbas ſe cuſtodituros ſacramento polliciti ſunt, idque teſtati ſunt coram Epiſcopis & optimatibus. Charta data VIII. Calend. Februar. anno primo Roberti Regis. Iterum Viviani Abbatis mentio eſt in altera charta Roberti Regis, quæ legitur in antiquitatibus Dionyſianis. Scribit Rex Dionyſianum monaſterium ante Hugonis Regis tempora multis oppreſſum fuiſſe malis, bona & poſſeſſiones hujuſce loci diſtractas & diſſipatas fuiſſe, Hugonem patrem Adelaïdemque matrem huic loco reparando animum adjeciſſe, & à ſe huic monaſterio præfectum Abbatem Vivianum, virum ſingulari induſtria præditum, qui res monaſterii tam foris, quam domi ſedulo curet, quapropter dicit ſe ad petitionem Abbatis pro remedio animæ ſuæ & fidelis ſui Hugonis dare res quaſdam juris noſtri, inquit charta, *ſcilicet bannum hominis vulnerati vel interfecti, & infracturam intra vel extra caſtellum ipſius cœnobii, & legem duelli, quod vulgo dicitur campus, ac totam procinctam intra vel extra, ſicut antiqui Reges ei dederunt, & nos hactenus tenuimus, ac Vaſſonisvillam cum appendiciis ſuis, & prata, quæ ab eadem villa uſque ad murum pertingunt, & Rubridum ſylvam cum legibus, quæ ex ea fiunt, & quod in villa picta, vel fiſco Ruoilo vel Ferriciaco tenebamus; omnes videlicet conſuetudines, quas ibi habemus cum omni integritate &c.* Huic præcepto ipſe Robertus & Epiſcopi, qui in palatio regio frequentes aderant, ſubſcripſerunt. VI.

VII. Hoc quoque tempore florebat Pariſiis monaſterium ſancti Maglorii, quod Hugo magnus avus Roberti Regis, ejuſque filius Hugo conſtruxerant, locumque multis donis affecerant. Helgaldus ea de re ſic ſcribit. *Hujus igitur inclyti Regis avus Hugo, pro pietate, bonitate, fortitudine Magnus dictus monaſterium ſancti Maglorii confeſſoris Chriſti in civitate Pariſius ſimul cum filio conſtruens nobiliter, monachos ſub regula patris Benedicti vivere paratos ibi collocat, & in auro & argento locum ipſum ditat, & ceteris ornamentis pro ſalute ſua & filii ac futuræ poſteritatis.* Dedit etiam Robertus Rex monaſterio ſancti Maglorii villam de vadopetroſo, cujus donationis inſtrumentum extat in chartulario ſancti Maglorii, quod his verbis continetur.

VIII. *Ego in Dei nomine Robertus gratia Dei Francorum Rex, notum volo eſſe omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ cultoribus, noſtriſque fidelibus, tam futuris, quam præſentibus. Memor divini judicii & animæ meæ, prædeceſſorumque meorum ſalutis, per deprecationem glorioſæ genitricis meæ Adelaidis, & per exhortationem domini Hugonis educatoris & conſiliatoris noſtri ad exaltandam, & corroborandam congregationem ſanctorum Bartholomæi atque Maglorii, concedimus quandam villam ſitam in valle petroſivadi, cum omnibus appendiciis & conſuetudinibus, id eſt bannum & viariam & omnes terras ad Macriacum pertinentes. Super hæc etiam omnia concedimus prænominatis ſanctis decimas omnium ſtirpium ſilvæ, quæ dicitur Eulinæ & decimatione paſnatici totius ſaltus Eulinæ, ſi quis autem ſucceſſorum noſtrorum, quod omnino non credimus eſſe futurum, contra hunc traditionis & donationis cirographum venire, aut infringere tentaverit, divinæ maledictioni & perpetuæ damnationi ſubjaceat, & ſit pars ejus in inferno &c. Actum Pariſius regnante Roberto Rege adoleſcentulo in anno II. cum glorioſiſſima matre ſua Adelaide Regina. Signum Roberti Regis. Signum Adelaidis Reginæ. Signum Burchardi Comitis, S. Hugonis Comitis. S. Anſoldi. Signum Hugonis Melleceuſis.*

IX. In pleriſque Roberti Regis præceptis memoria eſt Adelaïdis Reginæ, quæ filio in officus pietatis & religionis ſolebat ſuffragari, quin & ipſa ſeorsùm aliquando ſuo nomine monaſteria aut extruebat, aut collapſa ſuis impenſis reſtituebat, aut novis amplificabat redditibus. Celeberrima inprimis illa donatio, quam Argentoilenſi monaſterio tribuit, & cujus teſtis eſt Helgaldus. *Mater quoque ejus*, inquit, *ſupradicta Adelaidis admiranda ſatis in ſancta devotione Regina fecit monaſterium ſancti Frambaldi in civitate Silvanectenſi, ubi XCI. ad ſerviendum Domino clericos miſit, de quibus viverent, abunde ſubminiſtravit. Conſtruxit monaſterium in territorio Pariſienſi villa, quæ dicitur Argentoilus, ubi numerum ancillarum Dei non minimum ſub nomine ſancti Benedicti vivere paratas adunavit, ad laudem & gloriam bonorum omnium inſpiratoris, & ſub honore ſanctæ Dei genitricis perpetuæ virginis Mariæ omnipotenti Domino dedicari & conſecrari voluit.* De hocce monaſterio prope hactenus ſilentium fuit, etſi antiqua eſt ejus fundatio, cum vero charta Adelaïdis extet in antiquitatibus Dionyſianis, autographumque legerim, exſcripſerimque ipſe ex archivis archiepiſcopatus Pariſienſis, & ſæpius deinceps hujus monaſterii mentio mihi facienda ſit, de eo modo agere mihi conſtitutum eſt, & res illius loci ab ipſa origine repetere.

X. Argentolium opidum ad Sequanam ſitum, ferax vitibus, jam ſub prima Regum Francorum familia notum fuit, veteres Argentogilum dixerunt, poſtea à ſcriptoribus poſterioris ævi vulgo Argentoilum, modo Argentolium dicimus, ſicut Corbogilum, Corboilum, Corbolium & alia loca multa ejuſmodi dicta eſſe accepimus. In eo opido jamdiu monaſterium conditum eſſe reperio. Ermenricus enim olim ſub Chlotario Rege hoc monaſterium cum Nummana uxore fundavit, voluitque ex Dionyſiano monaſterio pendere, reſque ita permanſit ad tempora Caroli-magni, qui hocce monaſterium à Dionyſianis obtinuit, ut virgines Deo ſacras ibi collocaret, & iis filiam Theodradam præficeret. Ipſa poſt modum petiit à Ludovico Imperatore fratre ſuo, ut idem monaſterium poſt mortem, ad jura & poteſtatem Dionyſiani monaſterii rediret, quod Ludovicus inſpecta Ermenrici donatione ultro conceſſit: *decernimus*, inquit, *atque jubemus, ut jam dictum monaſterium Argentogilum, poſt ipſius dilectæ ſororis noſtræ ab*

hac vita diſceſſum, ad monaſterium & poteſtatem ſæpe dicti beatiſſimi Chriſti martyris Dionyſii, ad quam primitus ob Dei amorem & ipſorum ſanctorum reverentiam, piamque interceſſionem, & ſupradictis Dei fidelibus Ermenrico ſcilicet & conjuge ejus Nummana traditum vel condonatum fuiſſe noſcitur, abſque ullius perſonæ contradictione, aut noſtra, ſucceſſorumque noſtrorum interrogatione recipiatur, & in jure & dominatione ipſius monaſterii cum omni integritate, vel appendiciis ſuis, quidquid ibidem præſenti tempore cernitur, pertinere revocetur. Etſi forte contigerit, ut eadem ſorore ipſum monaſterium, aut ſpontanea voluntate, ut diximus, aut pro commutatione alterius monaſterii, ante finem vitæ ſuæ dimittere velit, tunc nihilominus abſque ulla contradictione expectata conſignatione ad præfati beatiſſimi martyris Dionyſii monaſterium, ſicut ſupra inſertum eſt, perpetualiter ad habendum recipiatur, & in poſt modum nullo unquam tempore, ulla qualibet dignitate, aut poteſtate prædicta perſona rectoribus monaſterii præfati ac beatiſſimi Chriſti martyris Dionyſii aliquam requiſitionem facere, aut ullam calumniam ingerere præſumat. Sed liceat illis ſine cujuſlibet injuſta interrogatione præfatum monaſterium Argentogilum, ſicut ceteras res ab beati Dionyſii poteſtatem ſimili modo condonatas ac pertinentes quieto ordine tenere ac diſponere &c. Huic chartæ ſubſcripſerunt Ludovicus & Lotharius. LIB. X. CAP. III.

XI. Etſi hæc ita, quemadmodum retulimus, comparata ſunt, vim tamen & auctoritatem præceptum non habuit, ſeu Dionyſiani poſt mortem Hilduini juris proſequendi haud memores extiterint, ſeu poſtea ſævientibus Normannis monaſterium deſtructum ſit, & diſſipatæ poſſeſſiones ſint ſub acerbis domeſticorum bellorum temporibus. Demum Adelaïs Regina uxor Hugonis Regis & Roberti Regis mater illud inſtaurare & dotare poſſeſſionibus inſtituit, extat charta in antiquitatibus Dionyſianis & in notis ad hiſtoriam calamitatum Petri Abælardi, cujus autographum aliquando in archivis Archiepiſcopatus Pariſienſis ipſe offendi & exſcripſi, ſic ſe habet.

XII. *Regis Regum nutu Francorum Rex Robertus Cum cunctis fidelibus catholicis palam id fieri volumus à prædeceſſorum noſtrorum cultu circa ſacræ religionis jura conſtituto nequaquam deviare volentes, hortamur omnes ad finem beatitudinis tendentes, quaſemus ſummopere invigilando auxilientur nobis ad privilegia erga res Dei ſanctorumque ejus corroboranda, uti recipiant ipſi nobiſcum remiſſionem peccaminum pro hujuſmodi re digne exequenda: precibus etenim noſtræ genitricis, ſcilicet Adelaidis Reginæ inſignis, cui prorſus nihil denegare, verum omnimodis inſervire debemus promoti ſuper quarumdam eccleſiarum villarumque aſtipulatione, præceptique monialibus Deo famulantibus in monaſterio ſanctæ Mariæ Argentoilo, ob animæ ſuæ patriſque noſtri videlicet Hugonis beatæ memoriæ atque noſtræ requiem dedit. Libenter ejus voluntati paruimus, & dictis faventes, petitionem ipſius idonea ratione perſolvere curavimus, ſunt autem res collatæ hæ. Inprimis ea quæ poſſidebat Argentoilo, Rex Hugo donans illa Deo ſacratis inibi degentibus: adhæc Cavenoilus, ubi haberi æſtimantur manſa XXX. cum eccleſia in honore ſancti Petri, villa quoque Monliliacus cum manſis VII. & eccleſia in honore ſancti Martini, in Aconiaco vero vico manſa II. & in Otrevilla ſimiliter duo manſa & dimidium inter Alnedum & Lilivillam manſum unum. In Satrovilla XX. manſa cum duabus piſcationibus. In inſula Bertileia, & in ipſa villa Tornella altera piſcatio. In Argentoilo mercatum, & teloneum rotarum, atque tenſamentum vini. In Lupocurte ſex manſa. Villa-trapas quoque & quidquid ad eam pertinet cum eccleſia. Sanctum Loanium villa cum eccleſia & molendino uno, & cum arpennis vinearum XVIII. cum arpennis pratorum XII. Bracheias villa cum omnibus appendiciis ſuis & eccleſiis. Morlant quoque villa. Cariſius quoque villa cum tribus molendinis atque pratis. Hæc omnia ſupradicta prædictis monialibus data ob amorem Dei & reverentiam beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ confirmamus auctoritate noſtra; quatenus ſub pleniſſima defenſione, & emunitatis tuitione rata permaneant: ita videlicet, ut nullus abhinc ad cauſas exigendas, aut feoda, aut tributa, aut manſiones vel paratas faciendas vel fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem eccleſiæ tam ingenuos, quam ſervos ſuper terram earum commanentes injuſte diſtringendos, ne ullos redditus, aut illicitas occaſiones requirendas noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſupra memorata ſunt, exigere præſumat. Sed liceat ipſis ſupradicta ſub firmitatis defenſione*

quieto ordine poſſidere ad ſtipendia earum ſine tenus ibi Deo ſervientium: & hanc auctoritatem, ut firmior in Dei nomine habeatur, à fidelibus quoque ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris diligentius conſervetur, manu propria ſupter firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Actum in Paſcha apud ſanctum Dionyſium anno tertio-decimo regni Roberti glorioſiſſimi Regis Francorum. Indictione prima. Franco Cancellarius ex regio præcepto recognovi atque ſubſcripſi. Additum eſt deinde Regis Roberti Monogramma.

XIII. Hæc donatio plurimùm contulit ad reſtituendum monaſterium Argentoilenſe, eaque res permanſit ad annum Chriſti MCXXVII. cum Sugerius Abbas Dionyſianus legiſſet chartam Ludovici Imperatoris, qua volebat, ut hoc monaſterium ad jura Dionyſiani monaſterii rediret, repoſcere monaſterium cœpit, quod & eo facilius obtinuit, quod eo tempore valeret auctoritate apud Regem, & longe à regulari diſciplina monaſterium deſciviſſet.

XIV. Anno MLXIIII. mota lis eſt de eo monaſterio inter Mauritium Pariſienſem Epiſcopum, & Odonem Abbatem Dionyſianum. Volebat Mauritius, ut Abbatiſſa & moniales iterum in Argentoilenſe monaſterium inducerentur. Verum lis ex arbitrio judicum compoſita eſt, & monaſterium Diouyſianis remanſit. Sed de his negotiis ſuis locis dicemus. His memoratis de variis monaſteriis ad Raynaldum Epiſcopum redeo. Sæpius ſub Roberti Regis principatu de illo dictum eſt. Utinam Odo monachus Foſſatenſis, ſicut ſibi propoſuerat, ejus geſta memoriæ commendaſſet, multa nobis ſupereſſent honorifica, quæ, ut exiſtimo, huic nobiliſſimo Pontifici contigerunt: ſed cum is nihil ſcripſerit, & pauca de eo apud ſcriptores reperiantur, nihil prope addemus ad ea, quæ de eo ſuperius relata ſunt, ex quibus apparet eum pietate & religione, ſicut parentes refulsiſſe. Extat in minore paſtorali illius donatio facta canonicis Eccleſiæ Pariſienſis, confirmata à ſummo Pontifice, quæ his verbis comprehenſa eſt.

XV. *Ioannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei &c. In Dei nomine & pace ſanctorum omnium permotus ego Raynaldus Pariſiorum Epiſcopus ex mei vice officii commiſſi gregis vigilanti cura ſollicitus, & memor magnæ diei tremendi examinis, & utriuſque juſtorum ſive injuſtorum retributionis, operæ pretium duxi, & acceſſibus patrimoniorum meorum, felici commercio mihi æternorum ſubſidia civium fænerari, cujus devotionis fervore ſuccenſus, notum eſſe volo omnibus tam futuris, quam & præſentibus, quod ob ſempiternæ præmia remunerationis, & pro obtinenda delictorum venia genitorum meorum, Comitis videlicet Burchardi, ejuſque opinatiſſimæ conjugis Elizabeth, ut gremiis ſanctæ immortalitatis confoveri & jucunditate lucis æternæ perpetim mereamur lætari, placuit veſtræ reverentiæ ſynodali conventu & favore ac notitia cœtus reipublicæ quoddam alodum vulgo vocatur largum campum conferre ſanctæ Mariæ Pariſiacenſi Eccleſiæ, & rebus vel uſibus deputare fratrum inibi degentium, Dominoque canonice militantium, ut autem prædictus largus campus in pago & comitatu Vvaſtinenſi conſitus ſilvis, villis & villulis, vineis, pratis, terris cultis & incultis, cum eccleſia in honore ſancti Martini dicata, cum omnibus appendiciis ſuis, ea quidem lege omnem jam dicti poſſeſſionem allodi ſanctæ Mariæ & prædictis collegis canonicæ congregationis offerimus, ut noſtri memoriale illis ab omnibus habeatur in pſalteriis, ac miſſarum ſolemniis, ac cunctis veſpertinis ac matutinis vigiliis, perpetuoque ſit ratum jure, tandemque noſtri anniverſaria videlicet patris ac matris, atque ipſius antiſtitis Raynaldi, ut ſolemni devotione & celebri commemoratione annuatim profiteatur, obnixe precamur. Siquis vero rationis expers, livore & facibus avaritiæ perſuaſus, noſtræ devotionis adeo munificum pignus auferre & quolibet jure, quacumque injuria voluerit impedire, mille auri librarum fratribus illis canonicis ſanctæ Mariæ regia ſublimitate cogatur exoluere, & ruſticano more vel paralitate ſubmiſſus, capitalis cenſus diminutione plectatur, & ad tolerandum perpes totius perpetuitatis tormentum, auctoritate Patris & Filii & Spiritus ſancti ſit maledictus, confuſus, & nullis ſanctorum ſuffragiis mereatur mederi, ſitque conjunctus diabolo & angelis ejus in inferno inferiori, & pereat in æternum. Datum IV. Non. Decemb. per manus Petri Abbatis & Cancellarii ſacri Lateranenſis Palatii anno III. Pontificatus Domini Ioannis octavi-decimi & univerſalis Papæ in ſacratiſſima ſide beati Petri Apoſtoli, Indictione V.*

Extant

Extant præterea in hiſtoria ſancti Martini de Campis pag. 313. duæ chartæ Roberti Regis, in quibus fit mentio Rainaldi Pariſienſis Epiſcopi, in altera Anſoldus & ejus uxor Reitrudis, *cum aſſenſu Rainaldi Melidunenſis Comitis & ſanctæ Mariæ ſedis Pariſiacæ Epiſcopi* canonicis ſancti Dionyſii de Pariſiaco carcere dat villam Lemovecas cum eccleſia & omnibus appendiciis, quam donationem præcepto regio firmatam eſſe voluerunt, Franco Cancellarius huic ſubſcripſit. In altera idem Anſoldus cum eadem Reitrude ſua uxore iiſdem canonicis de Pariſiaco carcere *cum aſſenſu Raynoldi Melidunenſis pagi Comitis & Pariſiacæ ſedis Epiſcopi donat ſeptem manſos & dimidium, qui ſunt in comitatu Pariſiaco in villa, quæ dicitur Furcas.* Hanc Robertus Rex ſua auctoritate confirmat, cui Franco Cancellarius palatii ſubſcripſit. *Actum palatio Aurelianis III. Idus Novemb. anno nono decimo regnante Roberto glorioſiſſimo Rege.* LIB. X. CAP. III. XVI.

Rainaldus obiiſſe dicitur VIII. Id. Januarii anno MXX. ut habent tabulæ antiquæ Vindocinenſes: nihilominus memoria ejus in necrologio Pariſienſi habetur ejuſmodi: *Pridie Idus Septembris de domo ſanctæ Mariæ Rainaldus præſul & Elizabeth mater ejus, qui dederunt Liricantum. Idem etiam Rainaldus dedit nobis medietatem hoſpitalis ſancti Chriſtophori, quæ erat Epiſcoporum propria &c.* An hic annotetur dies ejus obitus, an tantummodo commemoratio anniverſaria illius ſit, haud aſſeram: neque diem obitus diſerte annotat necrologium. Chronicon breve monaſterii ſancti Dionyſii obitum Rainaldi Epiſcopi annotat ad annum MXVI. certe poſt hunc annum nullum penitus reperio monumentum, in quo Rainaldi memoria ſit. Quis Epiſcopus huic ſubrogatus ſit, haud aſſeveranter dixero. Index Eccleſiæ Pariſienſis, index Colbertinus Albertum Rainaldo ſubrogant. Gallia Chriſtiana Roberti Albertum, ſeu Anzelinum vocat, Gallia Chriſtiana amplior Azelinum, ſeu Enzelinum. Quidquid inquiſiverim in antiquis Eccleſiæ Pariſienſis actis, aliiſque monumentis, nihil de ejus nomine uſquam reperi. Extat Fulberti epiſtola, in qua certè illius mentio eſt, ſed in ea nomen illius non refertur. Albertum igitur eum nominabo, ut habet index Eccleſiæ Pariſienſis, donec ejus nomen, ſi quod aliud eſt, forte aliàs offendero. Albertus igitur ſucceſſit Rainaldo, quibus artibus aſcenderit ad cathedram Pariſienſem, antiqua acta non produnt. Sed ex epiſtola Fulberti notum eſt, eum Franconem præceſſiſſe & ſucceſſiſſe Rainaldo. Credo obliteratam illius Epiſcopi memoriam propter cauſas, quæ in epiſtola Fulberti referuntur, ex ea apparet haud gratum clero Pariſienſi Epiſcopum, & ejus famam quibuſdam inuſtam notis, adeo ut per ſpeciem ægritudinis epiſcopatum abdicaverit, eumque paulo poſt abdicationis pœnituiſſe, & de repetenda cathedra cogitaſſe, poſtquam Franco Decanus ejus locum ritè cepiſſet. *Fratri in Domino & conſacerdoti ſuo A. Abſit Frater, ut credatur verum eſſe, quod ſcripſiſti meum Archipræſulem, & me tuam confeſſionem publicaſſe, non eſt enim verum, tumque dum alia ſcribis, bene meritis de te ingratus es, & injuſte contumeliam facis. Siqua enim honeſta tua novimus, aut ſperavimus, fideliter ea publicavimus, ad teſtimonium tuæ probitatis, contra illos maxime, qui diſceſſionem, quam ab epiſcopatu avaritiæ, vel ignaviæ, vel turpitudini adſcribere nitebantur. Si qua vero occulta, quæ pœnitenda forent noſtræ fidei credidiſti, cautè celata ſunt. At ſi talia confeſſus es, quæ prius & poſt modum ore vulgi ventilata ſint, ea nos occultare nequimus. Comperi autem ex litteris tuis tibi moleſtum eſſe, quod te monaſticæ vitæ diximus amatorem, quod quia tibi nocere non intelligo, moleſtum eſſe demiror. Amor namque religionis epiſcopali gradu, quem repetis, dignum te potius, quam indignum efficeret, ſi nihil aliud impediret. Verum autem ſit, vel quid ſit, quod impediat ſagacitatem tuam, non arbitror ignorare, ſi quædam gravis cauſa, quam diſſimulas non obſtaret, ea eſt hujuſmodi. Si de repetendo epiſcopatu querimoniam incipere velis, non ſatis apparet, cui eam intendere poſſis, nullus enim te expulit, nullus cathedram tuam te renitente pervaſit, ſed tu temet ultrò cauſa ægritudinis, ut aiebas, curam epiſcopalem ſimul & cathedram reliquiſti, ut perhibent. Et ſive Franconem tunc Decanum Pariſienſis Eccleſiæ, ſive quemlibet alium ſubrogari tibi verbis & ſcriptis à Rege petiſti. Quod ſi ita eſt, & ſic tibi conſequenter ſubſtitutus eſt Franco, eligente clero, ſuffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis per* XVII.

 manum Metropolitani Senonenſis. Fulcitur utique ſubſtitutio & conſecratio ejus, favore & auctoritate beati Gregorii PP. qui ſcriptis ſuis, ſicut nulli Pontificum non petenti pro qualibet ægritudine ſuccedendum fore docuit, ita voluntarie renuncianti ſedi ſucceſſorem nullo modo denegavit. Sed quid aliud eſt, quare te epiſcopatu carere oporteat, tale noveris. Si autem hoc tanti nobis eſſe videtur, ut te facere valeat recuperationis exortem. Quapropter deſine curioſos inſtigatores audire, deſine Reges & præſules inefficacis querimoniæ tædioſis ſcriptationibus fatigare, & Eccleſiæ Pariſienſi te importunè obtrudere velle, quæ, ut fatetur, nec te patronum habuiſſe gaviſa eſt, nec doluit amiſiſſe. Quippe tum neque ex præſentia tuæ doctrinæ profectum, neque ex abſentia ſenſerit detrimentum. Vale memor noſtri. Poſtquam ægritudine, ut aiebat, ſe premi advertit, abdicandi ſe à ſacerdotio conſilium cepit, de ea re ad Regem Robertum litteras dedit, & clero Pariſienſi ſucceſſoris ſubrogandi poteſtatem fecit: clerus ultro ſpontaneam Alberti abdicationem recepit, confeſtimque facto cœtu ad alterius Epiſcopi electionem diſceſſum eſt; tum ſuffragio clericorum ad populi votum electus eſt Franco Decanus Eccleſiæ Pariſienſis, qui gratus acceptuſque Roberto fuit, acceſſit præterea ſummi Pontificis approbatio, ac demum Franco à Metropolitano & provincialibus ordinatus eſt. Ex epiſtola LXXX. Fulberti apparet gratam inprimis Regi Franconis ordinationem, Rex enim ipſe ad Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum in ejus gratiam quædam ſcripſerat, qui piiſſimo Regi haud indigna ſacerdotio reſcripſit. *Ex parte celſitudinis veſtræ dictum eſt nobis, quod domnum Franconem Pariſienſi Eccleſiæ dare vultis Epiſcopum, & ad hoc peragendum noſtræ humilitatis habere favorem. Nobis autem videtur, quia ſi Epiſcopus, de quo agitur, aptus eſt, clericus eſt, optime litteratus, & ad faciendum ſermonem agilis, in qua re omnes Epiſcopos decet eſſe non minus, quam in operatione potentes atque diſertos; unde ſi hoc fieri poſſe canonici domini Archiepiſcopi Senonenſis & Coëpiſcoporum noſtrorum probavit ſagacitas, noſtrum etiam, qui de hac diſcuſſione appellati non fuimus, habetis aſſenſum. In nullo enim, quod bonum ſit coram Domino noſtræ voluntati nitimur contraire.* Franco apud Regem gratia & auctoritate valebat, Cancellarii munus egerat, idque Odo Foſſatenſis teſtatur in vita Burchardi Comitis. *Regis adeuntes præſentiam deprecati ſunt, ut hæc dona præcepti ſui auctoritate roboraret: conſcripto itaque teſtamento & monogrammate Regis manufacto, Franco tunc Cancellarius, poſtea vero Epiſcopus Pariſiis factus imaginem Regis impoſuit.* Et in aliis chartis Franconis Cancellarii nomen reperitur.

XVIII. Ad Franconem Epiſcopum Pariſienſem ſcripta eſt epiſtola XI. Fulberti Epiſcopi Carnotenſis, etſi nomen Franconis non eſt in inſcriptione, ſed tantummodo Epiſcopi Pariſienſis, ad eum tamen pertinent res, quas continet. Excommunicaverat, puto, Franco quamdam potentem fœminam, quæ res Eccleſiæ Pariſienſis invaſerat, rogaveratque provinciales Epiſcopos, ut eamdem communione privatam decernerent; atque inprimis Fulbertus reſpondet utilius fore, ſi res in conventu provincialium ageretur. Conqueſtus præterea fuerat Franco apud provinciales de Liziardo Archidiacono Pariſienſi, qui rebellionis adverſum ſe excitatæ auctor erat, reſpondet agendum in eum eſſe ex eccleſiaſticarum regularum ſeveritate. Tertium eſt, ad quod reſcribit Fulbertus de controverſia ſcilicet Dionyſianorum monachorum cum Adeoldo de Novingento. *Volumus autem vos ſcire, quod Adeoldus noſter de Novingento, cui anathematis ſententiam intentatis propter querelam, quam habent contra eum monachi ſancti Dionyſii, dicit ſe paratum eſſe ad juſtificandum in audientia veſtra, atque noſtra proinde, ſi litem hanc cito juſtoque fine determinare vultis, conſtituite diem, quo vobis & monachis ſancti Dionyſii apud ſanctum Arnulfum occurrere valeamus, qui locus ad conveniendum opportunior eſſe videtur.* Hinc patet Dionyſianos nondum ſe juriſdictioni Epiſcoporum ſubduxiſſe, cum ſuas controverſias ab Epiſcopo Pariſienſi finitas eſſe vellent.

XIX. Ex ea epiſtola Fulberti apparet tum graviſſima fuiſſe diſſidia inter Franconem Epiſcopum Pariſienſem, & Liziardum Archidiacoonum ejuſdem loci; extat graviſſima epiſtola XXXIV. Leotherici Senonenſis Archiepiſcopi, cauſæ diſcordiarum referuntur ex Leotherico. *Liziardus olim quidem Archidiaconus, qui*

cum eſſe deberet oculus Epiſcopi ſui, diſpenſator pauperum, catechizator inſipientium, apoſtatavit ab omnibus his, & factus eſt Epiſcopo ſuo quaſi clavus in oculum; prædo pauperibus, dux erroris inſipientibus, quia ſuperba & contumelioſa maledicta in Epiſcopum ſuum jaculans, ſerenitatem ſpeculationis ejus turbat, decimat & oblationes altarium, ſtipem videlicet pauperum, ſuo Epiſcopo inconſulto ſæculari militiæ tradit, & cum talia facit, dat inſipientibus erroris & perditionis exemplum, quibus impendere debuerat veræ ſcientiæ catechiſmum. Conqueritur Leothericus apud clerum, quod cum fuiſſet rerum admonitus, & ipſe, cum hæc facta fuiſſe animadverteret, non ſtatim ejus fugiſſet communionem, hoc ſcilicet canonum regulis eccleſiaſticis eſſe probat, pluribuſque illum maledictis proſecutus, eum à communione Eccleſiæ alienum judicat. *Quapropter & nos*, inquit, *à ſanctorum patrum ſententia diſcrepare nolentes, conſequenter illum à communione ſeparamus, quantum poteſtati noſtræ conceditur, donec reſipiſcat, & Epiſcopo ſuo humiliatus ſatisfaciat, & niſi cito reſipiſcens ad ſatisfactionem venerit, in plenaria ſynodo perpetuo anathemate feriatur. Mandamus autem vobis, ut ipſi Lizardo has litteras oſtendatis, ut tam horrenda pericula, vel graviter admonitus extre meminerit, patet enim adhuc evadendi locus, dicente Domino per Ezechielem, ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit univerſa præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet & non morietur.* Exhortatur his verbis Liziardum ad emendationem, polliceturque veniam, ſi dolorem utique ex animo teſtetur. Ex his intelligimus Liziardum graviſſimas adverſus Epiſcopum Franconem turbas excitaſſe. Puto reſipuiſſe Liziardum & cum Epiſcopo reconciliatum. Ut id credam, faciunt chartæ, quas habeo, quæ ſub Imberto Franconis ſucceſſoris pontificatu datæ ſunt, ubi Lizierni Archidiaconi & Decani Pariſienſis honorifica mentio eſt, nec eſt quod redarguas, quod Liziernus in his dicatur, non Liziardus, cum utrumque vocabulum pro uno eodemque habeatur, diximus antea Eliziardum Epiſcopum Pariſienſem, in necrologio Eliziernum vocitari. Cum hæc vocabula Gallicana eſſent, notarii diverſimodè ea reddebant latinè, hinc orta eſt illa frequens nominum varietas. Quod idem ſit præter nomen, tempus hoc ipſum probat, & idem titulus honorum, licet enim Decanus poſtea fuerit, idem tamen Archidiaconatus honorem & munus ſimul retinuit, quod chartæ antiquæ teſtantur. Ecce tibi chartam ex minore paſtorali, quæ data eſt anno ſecundo Regis Henrici ſub Imberto Pariſienſi Epiſcopo, qua Imbertus concedit Goffrido terram apud Muſengiacum cum voluntate & conſenſu Lizierni Decani & Archidiaconi. In eodem libro idem Imbertus Pariſienſis Epiſcopus ad petitionem Lizierni Decani, & Archidiaconi contulit canonicis altare ſitum in villa Piroſa, dedicatumque in honore ſancti Germani Autiſſiodorenſis. Ex quibus manifeſtum eſt Liziernum & Liziardum unum eundemque fuiſſe. Liziardus certe is Decanus in charta, quam mox dabimus, dicitur. Sæpe accidit, ut inimicitiæ ſerantur, non tam ex negotiorum & rerum eventu, quàm ex odio & æmulatione perſonarum, quarum ſi altera è medio tollatur, rixæ & jurgia intercidunt, & reliqui ſtatim ad concordiam redeunt. Neque dubito, quin Imbertus Epiſcopus poſt mortem Franconis Liziardi animum variis artibus demulcere, atque ſibi devincire ſtuduerit, quo virum factione valentem in ſuas pertraheret partes, atque ita Liziardus ad decanatum Eccleſiæ Pariſienſis facile evaſerit, & Archidiaconi ſimul retinuerit dignitatem.

Ea tempeſtate neſcio, quæ perverſa Eccleſias clericoſque invaſerat conſuetudo. XX. Sæpius altaria quaſi prædia, ex quibus redibant proventus, clericis, & aliquando laicis concedebantur: hanc pravam conſuetudinem contra leges Eccleſiæ eſſe viri probatæ vitæ, & priſcæ diſciplinæ ſtudioſi criminabantur. Franco hos mores olim condemnaverat. Ipſe tamen poſtea in præceps raptus pravo frequentique aliorum exemplo, rogavit Fulbertum, ut & laico cuidam altare concederet, verum ille acerrimus diſciplinæ eccleſiaſticæ vindex acerbè Franconi reſcripſit. *Doleo ſuper te chariſſime, cum te à prima virtute apoſtatare video. Olim apud nos conquerebaris de tuo anteceſſore, qui ſacrilega temeritate altaria laicis in beneficium dederat: nunc mihi ſuades, ut ego ſimiliter faciam. O cælum! ô terra! quid*

clamem? aut quid tuis meritis digno modo te objurgare poſſim? ſed compeſco nunc ferventes animi mei fluctus; donec te præſentialiter exquiſitis increpationum tormentis excruciem. Vale. De his altaribus, eorumque redemptione alias erit ſermo.

XXI. Franconis demum mentio eſt in charta, quæ eſt minoris Paſtoralis. Rainaldus Epiſcopus Pariſienſis olim duas villas Buxas ſcilicet & Scabioſas, quæ inter poſſeſſiones Epiſcopi Pariſienſis cenſebantur, dedit Goffrido Comiti Landonenſis caſtri propter bella, quæ exarſerant inter Burchardum Comitem ejus patrem, & Odonem Comitem, de quibus antea dictum eſt. Franco poſtea Epiſcopus Pariſienſis de recipiendis illis villis ſollicitus, demum hanc conventionem cum filiis & hæredibus Goffridi ſcripſit, qua alteram ex duabus villam cum eccleſia Scabioſas redderent, eccleſiam quoque, quæ eſt in villa, quæ dicitur Buxas ſimiliter redderent, ea tamen ratione, ut Adraldus clericus quamdiu viveret eam retineret, ſed cenſum Epiſcopo Pariſienſi ſolveret, cetera vero, quæ ad eas villas pertinent, hæredes Goffridi haberent. Sed ecce tibi chartam Franconis Epiſcopi Pariſienſis.

XXII. *In nomine Regis æterni. Ego Franco annuente Dei clementia Pariſiorum Epiſcopus notum fieri volumus tam præſenti ætati, quam futuræ poſteritati, quia domnus Rainaldus Epiſcopus noſter prædeceſſor dedit quaſdam villas inconſultè & abſque conſilio regalis poteſtatis, de menſa Epiſcopi videlicet Buxas & Scabioſas ſitas in comitatu Gaſtinenſi, Goffrido Comiti Landonenſis caſtri, quod & factum pro nulla utilitate eccleſiæ: ſed propter guerram & diſcordiam, quæ tunc temporis erat inter patrem ſuum nomine Burchardum, & Comitem Odonem, quod ita longo tempore permanſit: poſtea vero auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto atque genitrice, necnon patrocinante juvamine Domini noſtri piiſſimi Regis Roberti, atque Conſtantiæ ejus conjugis nobiliſſimæ Reginæ, & per noſtram apud vos humilem deprecationem talis facta eſt conventio inter nos & Albericum illius ſupradicti Goffridi filium & hæredem, & inſuper faventibus fratribus ipſius Alberici filii Hugonis Perticæ, ſcilicet Goffredo & Letoldo. Quia unam ex ipſis poteſtatibus nomine Scabioſas cum Eccleſia, quæ eſt in illa villa reddiderunt. Alteram vero eccleſiam, quæ in villa, quæ dicitur Buxas, ſimiliter reddiderunt, ea videlicet ratione, ut quamdiu Adraldus clericus advixerit, eamdem eccleſiam teneat, nobiſque cenſum de ea reddat, cætera autem ad eaſdem villas pertinentia ipſi Alberico, & duobus hæredibus ejus per firmitatem concedimus, eo ſcilicet tenore, ut omni anno in feſtivitate ſanctæ Mariæ, quæ eſt VI. Idus Septembris in cenſum X. ſolidos denariorum ad menſam noſtram perſolvant. Quod ſi inde negligentes apparuerint, legaliter emendent, & minime perdant. Vt autem hæc manus firmitas vigorem per omnia teneat, auctoritate Domini noſtri Regis & Reginæ atque prolis eorum manu propria eam firmavimus, fidelibuſque noſtris clericis & laicis corroborandam tradidimus apud monaſterium Kalas VII. Idus Iunii regnante ſereniſſimo Rege Roberto XXX. Henrici vero ejus filii anno II.* Dum Franco Epiſcopus eſt, è re levi Lemovicis ingens rixa orta eſt inter clericos civitatis & monachos ſancti Martialis, rixæ cauſa hæc eſt. Indigenæ primum Evangelii præconem ſanctum Martialem habent. Gregorius Turonenſis & vetera martyrologia ſub principatu Decii Imperatoris eum in Gallias veniſſe memorant. Vulgata nihilominus traditio tunc erat unum fuiſſe è LXX. diſcipulis. Hiſce temporibus Hugo Abbas monaſterii ſancti Martialis, & poſtea Odolricus ejus ſuceſſor, & alii monachi rem novam facere aggreſſi ſunt. In Litaniis & publicis ſupplicationibus nomen Martialis ex antiquo ritu inter confeſſores habebatur, Hugo inter Apoſtolos eum annumerare & Apoſtoli nomen illi dare cœpit. Epiſcopus & clerici Lemovicenſes antiquum morem defendere inſtituerunt. Res Bituricis & Pariſiis coram Roberto Rege in conventu pertractata eſt. Demum Lemovicis in Synodo anno MXXXI. definitum eſt, ut ſanctus Martialis Apoſtolus diceretur, & eo nomine poſt XII. Apoſtolos in Litaniis haberetur.

XXIII. Quo anno mortem Franco obierit, non reperio, eum tamen mortuum eſſe circa annum MXXX. Gallia Chriſtiana bene annotat, & ut habet necrologium Eccleſiæ Pariſienſis, *VIII. Calend. Auguſt. de domo ſanctæ Mariæ obiit Franco Epiſcopus*, huic ſucceſſit Imbertus, de quo aliás multa memorabimus.

CAPUT IV.

De initiis Henrici I. Regis Francorum. De Conſtantia Regina, & de ejus morte. De fame, quæ per Gallias graſſata eſt, & quomodo Deum placare Epiſcopi ſtuduerint. De initiis monaſterii ſancti Martini de Campis. De anno, quo Robertus Rex mortuus eſt, & quo Henricus regnare cœpit. De uxoribus & filiis Henrici Regis. De Imberto Pariſienſi Epiſcopo. De excommunicatione Hugonis Militis. De charta Henrici Regis, ubi mentio eſt quarumdam baſilicarum.

I. HEnricus Rex à patre ante aliquot annos appellatus juſſu illius in Burgundiam erat profectus, ut Hugonem Carnotenſem clericum Epiſcopum daret Lingonenſibus, qui Richardum Epiſcopum antea expulerant ex civitate, & venenn ſuſtulerant. Tum Henrico nunciata eſt mors patris, ille ſtatim ad ſuſcipiendum regnum advolavit. Sed Conſtantia mater, quæ filium majorem Henricum novercalibus odiis proſequebatur, regnum ad Robertum filium natu minorem transferre nitebatur, plurimas civitates caſtellaque invaſerat, primoreſque regni in ſuas traxerat partes, atque inprimis Odonem Comitem Campaniæ ſibi adjunxerat, data illi media parte urbis Senonarum. His artibus nihil reliqui faciebat, quo Henricum è regno depelleret, & filio Roberto daret ſupremum locum, quem jure natalium, & patris judicio Henricus obtinuerat. Etſi factio mulieris potens fuit, pluris tamen valuere jura Henrici: is etenim arma Roberti Ducis Nortmannorum in auxilium advocat, quibus fretus, facile civitates & caſtella materno firmata præſidio recipit. Odonis ille copias bis fudit, & tertiò de improviſo eum nihil tale opinantem adortus cæſis captiſque compluribus, inermem ac prope nudum Comitem fuga ſibi conſulere compulit. Conſtantia cum ſpes attritas cerneret, ad Fulconem Andegavenſem Comitem confugit, poſcitque opem, ille jura Henrici ex æquo æſtimans, matris conſilia improbat, ejuſque cum filio reconciliandæ negotium capit: cui mulier in has conjecta angnſtias obtemperare haud abnuit. Odonem ſimiliter, qui multa bella patri Roberto intulerat, armis perſequi haud deſtitit, donec ipſe fractus, amiſſiſque Senonis ſibi fidem & obſequium præſtiterit. Neque Conſtantia his diu ſupervixit, anno enim ſequenti menſe Julio Meloduni Regina ſuo infelix vitio è vita deceſſit; ad ſancti Dionyſii baſilicam ejus corpus deportatum, & juxta Regem Robertum ſepultum eſt. Eodem anno ſæva fames orbem invaſit, quæ graſſata inprimis per Galliam eſt, multoſque mortales necavit. Glaber miſerrimam hanc rerum faciem fuiſſe pluribus commemorat, ſcribit plures inventos, qui, ut fami ſuccurrerent, humana carne veſcebantur. Triennio per provincias hæc fœda fames perduravit. Demum anno MXXXIII. cariſſimam annonam vilitas

LIB. X. CAP. IV. haud expectata conſecuta eſt. Verùm Epiſcopi memores inflictas à Deo acerbiſſimas mortalibus pœnas ob eorum flagitia, placare iratum numen variis modis inſtituerunt, primum variis in locis Pontifices habuerunt Synodos, variaque ediderunt decreta, utque Epiſcopi præceptis adderent reverentiam, feretra ſanctorum, ſanctaſque reliquias ad loca Conciliorum ſollemniter devexerunt, his quiſque pro viribus parêre contendebat. Quiſque ea ætate non ex lege, aut juris ordine, ſed ex iræ & mentis impetu injuriam ulciſci ſolebat, impunè cædes fiebant, neque his malis quiſquam medebatur: Comites ipſi quorum ſumma in comitatu auctoritas erat, ipſi adverſum ſe invicem pugnabant, impunè committebantur homicidia, cædes, & latrocinia: nulla legum ratio habebatur. Cum hæc ita ſe haberent, Epiſcopi de pace inter omnes componenda inprimis egerunt, memoria præteritorum dolorum unumquemque boni rectique docilem faciebat, reverebatur quiſque Epiſcoporum voces, tanquam cœlitùs delapſas, per articulos deſcripta documenta in omnium manibus erant, ſuis quiſque bonis quietè potiebatur, neque amplius prædo aliorum vitæ inſidiabatur: ſevera exercebatur in legum infractores animadverſio. Etſi eo tempore in eccleſiis tanquam in aſylo impunitas erat, pacis tamen turbatores vel ab altaribus ad pœnam rapiebantur, habitumque pro præcepto eſt, ut quiſque ſingulis hebdomadis feria ſexta à vino temperaret, & à carnibus ſeptima, niſi forte morbus aut aliqua ſollemnitas aliud ſuaderet: jubebanturque tres alere pauperes, qui ſecùs facerent. Hæc pax teſte Deo omnium voce & publica acclamatione ſancita eſt, præſcriptumque eſt, ut poſt quinquennium eadem pacis confirmandæ ratio haberetur: tantaque eo anno frugum copia fuit, ut terra pro quinque annis alimoniam ſufficeret, quaſi ingenti fœnore damna præteritæ ſterilitatis compenſaret. Verum haud diu ſtetit illa morum emendatio, vitium ſicut antea ſerpere cœpit, ſtatimque homines obliti pœnarum & ſacramentorum, in priſtinam reciderunt pravitatem. Omnes ſicut antea ſervire libidini, avaritiæ & cupiditatibus habenas permittere, neque amplius in rebus modum ullum ſervare. Anno MXXXIV. Lutetia Pariſiorum incendio deflagravit, ut notat chronici veteris fragmentum. His temporibus itinera Ieroſolymitana pietatis cauſa crebro fiebant, de his aliàs agemus. Sed alia quæ geſta ſunt hic ſummatim & paucis delibare ſufficiet, & poſtea rebus Eccleſiæ Pariſienſis referendis adjungemus animum. Odone Comite Campaniæ mortuo ejus filii hæreditatem parriti ſunt. Tetbaldus major natu Carnotenſem Turonenſemque comitatum ſortitus eſt: Stephanus Meldos & Trecas habuit. Hi contra Henricum Regem ſigna erexerunt. Henricus cum Stephano pugnavit, eumque acie vicit, adverſus Tetbaldum Gaufredum Andegavenſem Comitem excitavit, qui collectis copiis Turonos obſedit, & Tetbaldum ad auxilium obſeſſæ urbis venientem collatis ſignis vicit, & ipſum cepit, Turonoſque ab eo recepit. Henricus poſtea adverſus Nortmannos expeditionem fecit, & caſtellum Tegulenſe obtinuit, vario deinde marte cum Guilelmo Nortmanniæ Duce bellum geſſit. Annotat fragmentum hiſtoriæ Henricum Regem extruxiſſe eccleſiam prope mœnia civitatis Pariſiacæ in honore ſancti Martini. Hoc vero mihi modo exponendum eſt.

II. Perquirenti mihi aliquando res antiquas Eccleſiæ Pariſienſis, occurrerunt in veteribus chartis nomina quædam baſilicarum & monaſteriorum, quorum poſtea abolita memoria eſt, ſeu bellis deflagrantibus, aut graſſantibus incendiis, aut aliis ex cauſis, quas magis conjicere licet, quam certò dicere: inter hæc monaſteria celebratum eſt monaſterium ſancti Martini de Campis, quod injuriæ temporum obnoxium fuit, conditum fuerat haud procul à muris Pariſiorum, ac poſtea ita deletum eſt, ut nulla extaret amplius ejus memoria. Siquis hic conjecturæ locus eſt illud ſæviente Nortmannorum furore deſtructum eſt, & poſtea poſſeſſiones facile in manus laicas traductæ nemine eas repoſcente, aut fruſtra repoſcentibus monachis; quod vero aſſeram longe ante tempora Henrici Regis Francorum fuiſſe monaſterium, facit charta fundationis Henrici primi Francorum Regis, qui ſcribit ante portam Pariſiacæ urbis in honore ſancti Martini fuiſſe Abbatiam, quam tradit tyrannica rabie fuiſſe deletam. Henricus

igitur amore religionis eeeleſiæ reſtituendæ conſilium cepit, immo eam reſtituit, eamque attribuit canonicis, qui vacui curis & negotiis ſæcularibus Deo regulariter vacarent; hancque eccleſiam redditibus & poſſeſſionibus dotavit, donavitque inprimis altare hujus baſilicæ & terram adjacentem. Hanc habuerat Rex ab Anſoldo & nepotibus ejus Milone & Vvarino, id vero ex conceſſione Hugonis Comitis, ut Milo memoratus reus majeſtatis veniam criminis conſequeretur, adjecit Rex alias donationes, quæ regia charta continentur, dat præterea Rex immunitatem à teloneis, & iis quæcumque fiſcus exigit, facitque poteſtatem canonicis eligendi ſibi Abbatis, & certe Ingelardus ſtatim Abbas collegii canonicorum fuit, ſed ecce tibi ipſam regiam chartam. LIB X. CAP. IV.

III. *Ego Henricus Dei gratia Rex Francorum ſedula cogitatione recolens, qualiter decorem domus Domini & locum habitantium ejus dilexi, omnibus tam præſentibus, quam futuris notum fieri volui. Porro ante Pariſiacæ urbis portam in honore confeſſoris Chriſti Martini Abbatia fuiſſe dignoſcebatur, quam tyrannica rabie, quaſi non fuerit, omnino deletam, ab integro ampliorem reſtitui, eccleſiam, quæ diu ſterilis amiſſa prole fleverat, quærens reddere fœcundam cæleſti ſponſo: religioſorum conſilio virorum, eanonicos regulari converſatione ibidem Deo famulantes attitulavi, ut ſine ſollicitudine magis divinis, quam ſæculi curis vacantes valeant vivere, de facultatibus dotem faciens eccleſiæ ob remedium patris mei matriſque meæ animarum, atque pro mei, conjugiſque meæ & prolis ſalute & pace hæc illis largior poſſidenda perpetuo jure: altare inprimis ejuſdem baſilicæ omni clarificatum libertate, & terras, quas circa eamdem eccleſiam prius habebam, & quas ibidem Anſoldus cum nepotibus ſuis Milone ſcilicet & Vvarino mihi dedit, concedente Hugone Comite propter præfati Milonis reconciliationem, qui tunc reus magni criminis erat adverſum me. Sed precibus Ymberti præſulis accepta terræ cultura à ſupradictis militibus commiſſum illud, unde centum libras juſto judicio exolueret, dimiſi. Has ego terras circa muros eccleſiæ ſitas eidem eccleſiæ concedo, ea videlicet libertate, ut nullus in eis aliquam redibitionem exigere præſumat. Apud Pariſios vero molendinum unum. In villa, quæ dicitur Alberti villare, terram, quam ibi habebam. Noiſiacum vero ſuper Maternam ſitum, cum omnibus redditibus, & redibitionibus terræ, ſilvæ, vinearum, atque pratorum. In territorio autem Meldenſi villam nomine Anethum, cum omnibus redditibus atque redibitionibus terræ, ſilvæ, vinearum, atque pratorum: de redditibus quidem paſtionis, vieriæ ſilvæ atque legii omnem decimam. Item in pago Pariſienſi Bungeias cum omnibus redditibus, & redibitionibus libere ſibi adjacentibus. Sed in pago Laudunenſi Diſiaci excepto altari dimidium cum præfatis poſſeſſionibus habeant, teneant, regant, atque poſſideant. Illud ergo nullatenus prætermitti volo, quia præfatam eccleſiam ea firmitate munio, quatenus in perpetuum regio jure ab omnibus fore concedatur libera, tam videlicet intra ambitum munitionis ejus, quam extra in procinctu illius, in theloneis, in fredis, in juſtitiis, in omnibus quæcumque jus noſtri exigit fiſci, nemo unquam illam inquietare audeat. Canonici etiam hanc poteſtatem habeant, ut Abbate obeunte, aſſenſu fratrum, boni teſtimonii virum, nemine perturbante reſtituant. Verum etiam, ut ea fixa firmamento teneantur ſtabili, hanc chartam, in qua me præcipiente hæc omnia ſcripta ſunt, ſigillo meo ſubterfirmavi. Ego ipſe Rex Henricus & Regina pariter, & Philippus filius meus cum fratribus ſuis manu firmatam corroboravimus. Quam quidem Mainardus Senonum Archiepiſcopus, cum Ymberto Pariſiorum præſule, aliique quamplurimi, tam Pontifices, quam laici Principes confirmarunt, & corroborarunt, omnibus ſupra memoratis faventes. Si quis autem poſthac privilegium hoc violare præſumpſerit, primum ſacrilegii, ſive tantæ auctoritatis negligentiæ reus duro anathemate feriatur; deinde nefandæ præſumptionis irritus gravi cenſus detrimento damnetur. Anno ſupradicti Regis xxvii. Actum anno ab incarnatione Domini MLX. Indict. xv. Pariſius publice. Signum Henrici Regis. S. Philippi Regis. S. Annæ Reginæ. S. Mainardi Archiepiſcopi Senonenſis. S. Gervaſii Remenſis Archiepiſcopi. S. Ymberti Epiſcopi Pariſienſis. S. Odolrici Archidiaconi Pariſienſis. S. Balduini Cancellarii. S. Voizelini capellani. S. Richardi capellani. S. Radulfi Comitis. S. Thetbaldi de Montemorenci. S. Rainaldi camerarii. S. Albrici Coneſtabularii. S. Vvilelmi ſeniſcalci. S. Hugonis buticularii. S. Roberti coci. S. Radulfi Belvacenſis. S. Yvonis ſub-*

camerarii. S. Vvalteri filii Berneri. S. Amalrici Rufi. S. Vvilelmi fratris Baldrici. S. Vvidonis Ambianenſis Epiſcopi. S. Vvalteri Meldenſis Epiſcopi. S. Elinandi Laudunenſis Epiſcopi. S. Frollandi Silvanectenſis Epiſcopi. S. Trecenſis Epiſcopi. S. Roberti filii Comitis Balduini. S. Vvidonis Ponthivenſis Comitis. S. Baldrici. S. Enzenulfi. S. Amalrici de Monteforti. S. Stephani præpoſiti. S. Frameriti coci.

IV. Quædam in hanc chartam annotanda ſunt. Occurrit primum numerus annorum, qui habetur in charta, quid eſt enim? quod annus XXVII. regni Henrici Regis concurrat cum anno MLX. quem ſi reducas ad primum regni Henrici annum, oportet numerari annum MXXXIII. id vero haud facile defendas, cum paſſim in aliis veteribus chartis principium regni Henrici ab anno MXXXI. numeretur. Exempli gratia extat in genealogia Vergiacenſi, quam Duchenius edidit, charta Imberti Pariſienſis Epiſcopi ex chartulario ſancti Nazarii Æduenſis, data anno MXXXII. Indict. XV. regnante Henrico Francorum Rege anno II. Extat charta Foſſatenſis monaſterii, cui & idem Imbertus Pariſienſis Epiſcopus ſubſcripſit, data anno MXLIII. Indict. XI. anno regni Henrici XII. Extat & apud Camuſatium charta de monachis apud ſanctum Aigulfum ſub Pruvinenſi opido ſitum inſtituendis, data in Senonico palatio anno incarnati verbi MXLVIII. & regni Henrici Regis XVII. Extat præterea in chartulario ſanctæ Genovefæ charta Henrici Regis, ut nunquam hæc eccleſia in beneficium alicui detur, data eſt anno MXXXV. anno Henrici Regis IV. conſonant ferme chartæ in hunc annum. Unde aſſeras Roberti obitum, & initia regni Henrici cadere in annum MXXXI. Huc accedunt antiqua horum temporum chronica, quæ ad annum MXXXI. mortem Roberti Regis annotant. In collectioneDucheniana eſt excerptum veteris chronici, ubi hæc habentur. *Anno Domini MXXXI. obiit Robertus Rex, cui ſucceſſit filius ejus Henricus*. Fragmentum chronici Hugonis monachi Floriacenſis. *Anno Domini MXXXI. obiit Robertus Rex.* Chronicon ſancti Petri Vivi. Anno MXXXI. *Iam regnante Henrico filio ejus obiit Rex Francorum Robertus*. Chronicon Sueſſionenſe. Anno MXXXI. *Robertus inclytus Rex Francorum filius Hugonis-capeti obiit, & filius ejus Henricus ſucceſſit.* Sed ne alia chronica percurram, plerumque antiqui ſcriptores in hunc annum, quem diximus MXXXI. obitum Roberti Regis conjiciunt.

V. Etſi is annorum numerus conſtat ex veteribus & ſinceris chartis & antiquis ſcriptoribus, ſunt tamen quidam auctores, qui obitum Roberti Regis ad annum MXXXII. aſſignant. Ita hiſtoriæ Francicæ fragmentum ex exemplari Floriacenſi mortem Roberti Regis annotat ad annum MXXXII. *Igitur*, inquit, *Robertus poſt obitum patris XXIII. annis regnavit. Obiit autem Miliduno anno Incarnationis Dominicæ MXXXII. & ſepelitur Pariſius in monaſterio ſancti Dionyſii juxta patrem ſuum.* Helgaldi teſtimonium majoris eſt adhuc momenti, qui ad eundem annum adſcribit mortem Roberti Regis his verbis. *In Pariſius civitate Silvanectis, Aurelianis, Divione, Autiſſiodoro, Avalone, Miliduno, Stampis, in unaquaque harum ſede trecentis, vel quod eſt verius, mille pauperibus dabatur panis, & vini abundantia, & hoc ſpeciatim ipſo, quo ad Deum tranſiit anno, qui eſt incarnationis Dominicæ milleſimus triceſimus-ſecundus.* Et poſt aliquot paginas. *Ante ſuum ſane ſanctiſſimum obitum, qui tertio-decimo Kalendis Auguſti extitit, die paſſionis Apoſtolorum ſanctorum Petri & Pauli, Sol ad ſimilitudinem quartæ Lunæ ſubtractis radiis fuſcatus, apparuit in toto mundo, hora diei ſexta palleſcens ſuper homines; quorum viſus ita obnubilavit, ut nullus alium recognoſceret, donec quoddam recognoſcendi tranſiret ſpatium, quid autem portenderit, in proximo patuit, cum nil nobis miſerius aluit, quam de ſua morte dolorem intolerabilem reliquerit. A die enim ſancti Petri ad ſui ſanctiſſimi tranſitus diem viginti & unus dies ſupputantur &c.* & paulo poſt. *Obdormivit autem, ut diximus, in Domino XIII. Kalend. Auguſti, luceſcente aurora diei tertiæ Sabbati Miliduno caſtro & Pariſius deportatus apud ſanctum Dionyſium, juxta patrem ſuum ſepelitur ante altare ſanctæ Trinitatis.* Illa eclypſis, quæ, ut teſtis eſt Helgaldus, accidit III. Calend. Julii, quo die memoria ſollemnis agitur ſanctorum Apoſtolorum Petri &

Pauli

LIB. X. CAP. IV.

Pauli non cadit in annum MXXXII. ſed in annum MXXXIII. Hacque ſolis defectione, quæ à meridie ad horam octavam perduravit, perſuaſus olim Baronius mortem Roberti annotavit ad annum MXXXIII. qua poſtea auctoritate ducti Calviſius, Bucherius, Petavius ad eundem annum mortem illius Regis retulerunt. Hæc magni momenti eſſent, & me in eam adducerent ſententiam, ni reverentia veterum diplomatum, & turba auctoritatum aliò me pertraherent, cogerentque me ad annum MXXXI. Roberti obitum aſſignare: quod ad Helgaldum ſpectat, haud diſſimulabo eum in annis Roberti Regis numerandis indiligentem fuiſſe. Certe manifeſtus eſt error ejus in memorando anno, quo ſolis defectio accidit, quam in annum MXXXII. conjicit, quæque haud dubie accidit anno MXXXIII. alius deinde eſt error Helgaldi, quod anno MXXXII. quo ſolis defectionem fuiſſe ſcribit, decimum tertium Calendas Auguſti conjiciat in feriam tertiam, qui cadit in feriam quartam. Eo enim anno, qui biſſextilis fuit, littera Dominicalis menſe Auguſto erat B. Quæ ad detrahendam auctoritatem Helgaldo ſufficiunt. Sane Glaber, qui ſolaris illius deliquii meminit, non ait prænunciatam mortem Roberti Regis fuiſſe, ſed eam eclypſim fuiſſe tumultuum prænunciam, qui Romæ eo tempore excitati ſunt. Huc accedit, quod ipſe Glaber ad annum XXXI. referat mortem Roberti Regis, ſic enim auctor ille explicandus, ut ſecum ipſe cohæreat. *Imminente igitur*, ait, *anno Incarnati Chriſti milleſimo triceſimo-tertio, qui eſt à paſſione ejuſdem Salvatoris milleſimus, obiere viri in orbe Romano famoſiſſimi, ſacræque religionis ſigniferi, Benedictus videlicet Papa univerſalis, ac Rex Francorum, ut jam diximus, Robertus, Fulbertus quoque Carnoti præſulum incomparabilis vir ſapientiſſimus, necnon prænominatus pater monachorum, fundatorque cœnobiorum eximius Vvilelmus, de quo etiam perplura forent dicenda, niſi quod in libello, quem de vita & virtutibus illius edidimus, prolata dudum fuiſſe noſcuntur.* Quæ Glabri Radulfi verba ambigua ſunt: hæc enim ſi primo conſpectu aſpicias, credideris mortem obiiſſe anno XXXII. quod tamen ita intelligi non oportet. Nam Vvilelmus, ut ipſe Glaber in ejus vita diſertis verbis memorat, non anno XXXII. ſed anno XXXI. mortem oppetiit, ſic enim ſcribit. *Anno igitur ejuſdem Nativitatis Dominicæ MXXXI. Indictione xiv. A nativitate quoque ipſius patris ac Dei cultoris LXX. & ab adventu illius ad Gallias de Italia XLI. regnante Conrado Imperatore, in Francia nihilominus Roberto Rege, die Dominicæ Circumciſionis venerabili, atque ejuſdem nativitatis octavo ſexta feria mane, dum aurora ſupervenientis diei pelleret tenebras, è mundo tranſivit à ſancto iſtius Dei amici corpore anima felix & beata.* Ex his intelligis Glabrum, dum mortes famoſorum illorum hominum memorat, non eas ad annum XXXII. aut III. relatas, ſed eas ad unum & alterum annum prius conſignatas velle, & ideo uſum eſſe his verbis. *Imminente igitur anno Incarnati Chriſti milleſimo triceſimo-tertio.* Id eſt paulo ante annum MXXXII. vel MXXXIII. His ita expoſitis, de obitu Roberti Regis, ad ipſam chartam venio, in qua annus XXVII. regni Henrici, & annus Chriſti MLX. ſimul conferuntur, quod noſtris numeris non congruit. Error eſt præterea in Indictione, notatur enim xv. quæ haud dubie xiii. eſt anno MLX. ex quibus apparet in chartam errores irrepſiſſe, neque mirum eſſe, cur non congruant tempora.

VI. Huic chartæ ſubſcribit primùm Henricus Rex, qui hoc eodem anno mortem obiit Vitriaci die iv. Auguſti. Sequitur poſtea ſubſcriptio Philippi Regis & Annæ Reginæ. Henricus Rex poſt mortem Mathildis Reginæ, quæ neptis erat Chonradi Imperatoris, ad Regem Ruthenorum Epiſcopum Meldenſem miſit, qui ejus filiam Annam nomine, uxorem ſibi poſceret, cum qua frequenti procerum cœtu nuptias ſollemniter celebravit, ex qua tres filios ſuſcepit, Philippum, Robertum & Hugonem; Robertus puer fato functus eſt: Hugo vero cum adoleviſſet, uxorem duxit filiam Herberti Comitis Veromanduorum, ex cujus nuptiis in poſſeſſionem comitatus venit, ex hoc conjugio nati ſunt filii. Ipſe poſtmodum Ieroſolymam religionis ergo contendit, & in hoc itinere mortem obiit. Philippus major natu ad regni gubernacula evocatus eſt. Hen-

Mmmm

ricus ejus pater, cum ſe annis & ſenio gravem cerneret, anno MLIX. Remis Epiſcopos & proceres adeſſe juſſit, Philippumque filium inungi. Extat inter ſcriptores hiſtoriæ Gallicæ illius inauguratio, quæ cuilibet obvia eſt, ex ea diſcimus Philippum ſollemniter inunctum anno MLIX. Indictione VII. regnante Henrico Rege anno XXXII. ſi annos numeres ab anno, quo vivo patre Roberto inunctus eſt. Philippus Rex inauguratus eſt x. Calend. Junii, ipſo die Pentecoſtes epiſcopatus Gervaſii anno IV. aderat Hugo Archiepiſcopus Biſonticenſis Legatus Nicolai ſummi Pontificis, & cum eo Ermenfredus Sedunenſis, Archiepiſcopi præterea & Epiſcopi complures, Abbates haudpauci, procerum, optimatumque ingens numerus, inter Epiſcopos aderat Imbertus Pariſienſis, inter Abbates leguntur inprimis Hugo Abbas ſancti Dionyſii, & Adraldus Abbas ſancti Germani à Pratis. Anno ſequenti Henricus è vita deceſſit.

VII. Poſtquam hæc de Rege Henrico dicta ſunt, agendum mihi modò eſt de Imberto Pariſienſi Epiſcopo & multa memoriæ commendanda ſunt, quæ ſub ejus epiſcopatu, qui diuturnior fuit, contigerunt. Ejus appellatio varia eſt, appellatur enim Humbertus, Imbertus, Ymbertus, Enzelinus, Hezelinus, Heſcelinus. Ille ortus eſt ex familia Vergiacenſi, quæ jam vel eo tempore nobiliſſima erat. Refertur à Ducheſnio in genealogia Vergiacenſi charta, in qua nomen illius Humberti pueri adhuc reperitur, huic ſubſcripſit *Aymo Comes Alſentis, Galo filius ejus, Vvalterius filius ejus. Humbertus, Gerardus, Helinannus nepotes ejus, data eſt anno MIIII. regni Roberti Regis XVII. apud Flavigniacum.* Is poſtea Lingonenſis clericus factus, & ad archidiaconatus honorem evectus eſt, ut habet chronicon Beſuenſe, ubi habentur hæc verha. *Anno ab Incarnatione Domini MXIV. dominus Epiſcopus Bruno obiit II. Kalend. Februarii peractis in epiſcopatu XXXV. cui ſucceſſit Lambertus Epiſcopus, in cujus diebus, quidam Archidiaconus Lingonenſis Eccleſiæ, Pariſiorum poſtea Epiſcopus, Humbertus nomine, abbatiam ſancti Amatoris ſitam ante mœnia ipſius urbis, quam jure beneficii tenebat à præſule memoratæ ſedis, obtulit ſancto Benigno, per donum & laudem prædicti Epiſcopi Lamberti, quatenus ibi monachi ſiſterentur, qui Deo hymnis & laudibus die noctuque deſervirent.* Et paulo poſt idem chronicon hoc habet. *Henricus quidam clericus de nobilibus dedit ſancto Benigno Priſceiam villam ſuam cum eccleſia inibi ſita in præſentia Lamberti Epiſcopi, & Archidiaconorum ipſius Beraldi, Humberti, Geraldi, Odonis, & aliis quam pluribus, tam clericis, quam laicis aſtantibus, atque Vvilelmo Abbate cum ſuis monachis. Actum anno ab Incarnatione Chriſti milleſimo viceſimo.* Ex his perſpicuum eſt, Imbertum ex archidiaconatu Lingonenſi ad Pariſienſem epiſcopatum aſcendiſſe. Extat in loco ſuperius memorato charta ejuſdem epiſcopi, in qua Enzelinus vocatur, & unde diſcas quis fuerit. Hæc jam pluribus in locis allata eſt, hancque ipſam nihilominus deſcribimus, quia ad noſtras res ſpectat.

VIII. *Ieſu Chriſti Dei & Salvatoris noſtri nomen, quod eſt ſuper omne nomen &c. Ego igitur Enzelinus Pariſienſium Dei gratia Epiſcopus, Vergiagenſium vero patronus & hæreditario jure dominus, infra prælibati opidi ſepta monaſteriolum à me ob mei parentumque meorum, vitæque æternæ adeptionem conſtructum, & in honorem ſancti Dionyſii martyris dedicatum, quantulacumque meæ hæreditatis portione pro modulo meæ poſſibilitatis ditaveram, clericoſque mihi diu noctuque vigilantes obſequentiſſime, prout prædicta facultas poſtulabat, adhibueram. Porro proſpiciens magna quæque ad inferiora relabi, minora vero difficile ad altiora poſſe erigi, cum mundus jam ſeneſcens ſit in proclivi; Eccleſia autem Chriſti undique adverſitatum procellis irruentibus divini auxilii anchora firmata, ad æternæ ſecuritatis littus tendens, vix periculum evadat naufragii: hanc, quam prædixi eccleſiam alieni cognovi patrocinii egere. Quod quomodo inveniretur circumſpiciens, ad ſancti Nazarii martyris venerandam fratrum congregationem mentis intuitum intendi, congruumque hoc ob duarum rerum exactionem fore decrevi. Primùm, quia prædicta eccleſia in prælibati ſancti ſita eſt diœceſi. Secundùm, quia præfata canonicorum congregatio in regularibus inſtitutis nullibi inferior valet inveniri. Ea vero lege ad congregationem hanc eccleſiam noſtram volumus reſpicere, ut nihil inibi ſancti Nazarii Epiſcopus poteſtatis, ſeu diſpoſitionis exerceat. Decanus*

autem prælationis præbendaſque Vergiacenſium fratrum det, vel ſicut uſus, imo abuſus eſt, vendat, precıumque in fratrum Eduenſium, ſicut eis complacitum fuerit, convertat; locuſque Vergiacenſis ſit tantummodo poſitionis, ſed non firmitatis unitate, ab illo ſancti Nazarii loco diſtet. Teſtamenti igitur calumniator ſeu inficiator hujus noſtri anathematis vinculo irretitum ſe ſciat, & judicio puniendum ejus, quo regnante in æternum hoc publice Auguſtoduni eſt actum. Anno Incarnationis ejuſdem MXXXII. Indictione XV. regnante Henrico Francorum Rege anno II. Nullas chartas hoc anno vetuſtiores de Imberto Epiſcopo reperi.

IX. Breulius monachus auctor antiquitatum Pariſienſium ſcribit in ſupplemento anno MXXX. Indictione XIII. eccleſiam Foſſarenſem *dedicatam atque benedictam in honore Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſive in veneratione glorioſiſſimæ ejus genitricis & ſemper Virginis Mariæ, ſanctorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli regente Francorum monarchiam glorioſo Rege Roberto, anno triceſimo quarto, anno vero filii ejus Henrici quarto ab Imberto venerabili Pariſiorum præſule. Præſidente in hoc cœnobio religioſo Odone Abbate anno undecimo, à quo & à prædeceſſore ipſius eodem nomine vocitato, à fundamentis cœpta, atque honeſtiſſima ædificatione & decore ad finem uſque perducta eſt.* Ex quibus colligas, jam Imbertum anno MXXX. ordinatum Epiſcopum Pariſienſem, neque exiſtimo eum ante hunc annum epiſcopatum adeptum eſſe, credo tum Robertum Regem, ut Burgundiam ſibi aſſereret, plerumque ex his locis in Burgundiam miſiſſe Epiſcopos, ut modo de Epiſcopis Lingonenſibus dicebamus, & in hæc loca potentiſſimum & nobiliſſimum quemque traduxiſſe, & advocaſſe ad epiſcopatum, ut hoc modo gentem olim rebellem ſuo imperio ſenſim aſſuefaceret. Anno ſecundo ejuſdem Regis Imbertus dedit Goffrido Fulconis Vicecomitis filio & ejus nepoti Fulconi terram illam, quam Odo craſſus de Lizierno clerico tenuerat apud Manſingiacum, charta eſt in minore Paſtorali cujus hîc tibi ſummam refero. *Litteræ Imberti Pariſiorum præſulis, quibus ad petitionem Fulconis Vicecomitis, illius filio nomine Goffrido, necnon nepoti ejuſdem Fulconi nomine, atque uni eorum hæredi, terram illam, quam Odo craſſus de Lizierno clerico tenuerat apud Maſingiacum, aliamque terram apud Verſiacum conceſſit, ſub litterarum annotatione, conſenſu ac voluntate Lizierni ſui Decani, atque Archidiaconi: eo pacto, ut ſingulis annis in feſtivitate ſanctæ Columbæ, quæ eſt Septembri menſe, ſolidos quinque cenſualiter perſolvant. Actum Pariſius regnante Rege Henrico anno II.* Sed celebris eſt inprimis illa charta Imberti Epiſcopi, ubi res memoratu digna eſt. Quidam miles, ſeu vir nobilis Hugo nomine alodum oppigneraverat Liziardo Decano & canonicis beatæ Mariæ pro ſex libris, ea conditione, ut non alia pecunia, quam ſua redimeretur, neque fundum alteri, niſi canonicis venderet, hocque acta conventione ſtabilitum eſt. Hugo nihilominus poſt decem annos, quam canonici quietè fundo potiti ſunt contra conventa dedit fundum Liziardo cuidam: quo audito Decanus & canonici beatæ Mariæ apud Mainardum Archiepiſcopum Senonenſem graviſſimam expoſtulationem fecerunt. Archiepiſcopus cauſam ad ſe evocavit, & Hugonem ad judicium venire præcepit. Illi parêre abnuenti ob eam cauſam & prava alia illius facinora ſacris interdixit. Similiter Imbertus Pariſienſis Epiſcopus eundem communione privavit. Hugo excommunicationem neglexit, & ante emendationem mortem oppetiit, vinculis ſeveræ excommunicationis illigatus; poſt obitum ejus corpus projectum eſt, excavatumque arboris truncum ei pro ſepultura ſuggeſſerunt, feris & alitibus objectum cadaver per tres integros menſes jacuit. Demum ejus conjux Sancelina, & qui cum Hugone conſanguinitate conjuncti erant, miſeratione permoti: Odonem Decanum, canonicoſque adeunt, rogant, ut ſibi liceat corpus terræ commendare, pollicenturque emendaturos ſe, quidquid Hugo peccaverat. Dies & locus indicitur, apud Acmantum conveniunt. Aderat Mainardus Senonenſis Epiſcopus cum Archidiaconis & militibus ſuis, Odo cum canonicis: de emendatione actum eſt, iterum ad portum Taver convenerunt, adfuerunt Imbertus Pariſienſis Epiſcopus, Odo Decanus, & Yvo Vernoili præpoſitus, domnus quoque Maynardus Senonenſis Archiepiſcopus, Goſcelinus Præcentor & Archidiaconus, aliique Archi-

LIB. X. CAP. IV. diaconi Richerius & Bernuinus, Hugonis excommunicati uxor cum ejus propinquis & amicis, reſque hac conventione tranſacta eſt, ut canonici ſanctæ Mariæ fundum, de quo lis erat, penitus poſſiderent. Data abſolutio Hugoni, cujus corpus in trunco impoſitum jacebat, factaque illius ſepeliendi poteſtas. Huic conventioni ſubſcripſerunt ii, quos modo nominavi. Sed ecce ipſum deſcribimus inſtrumentum.

X. *Ego Imbertus Dei gratia Pariſiorum Epiſcopus notum fieri volo omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ fidelibus tam præſentibus, quam futuris, quod Hugo Miles de Donione Muſterelli dicto Bellovidere, Liziardo Decano & ceteris canonicis ſanctæ Mariæ Vernoilo quemdam alodum, qui eſt prope atrium pro ſex libris oppigneravit, eo videlicet conventu, nt nunquam niſi de proprio cenſu redimeretur, quod ſi quandoque vendere diſponeret, conventum cum nullo mortalium, niſi cum canonicis, haberet. Quo facto, atque decem poſt annis ſine ulla inquietudine poſſeſſo, injuſte vaſſalo cuidam dedit Liziardo. Hoc audito Decanus ſanctæ Mariæ cum ceteris canonicis, tam pro hoc, quam pro ceteris malefactis, quæ ſanctæ Mariæ faciebat, apud Mainardum Archiepiſcopum clamorem fecit, quem Archiepiſcopus iterum atque iterum ad juſtitiam vocare, cum nullatenus ejus auctoritati vellet obedire, excommunicavit, nobiſque licentiam excommunicandi dedit, diabolico inſtinctu ejus corde obdurato, cum minime reſipiſceret, morte præventus, exitu miſerabili anathematizatus vitam finivit, cujus corpus inſepultum, atque in concavo trunco repoſitum, cum per tres menſes avibus & feris eſſet expoſitum, conjux ejuſque parentes commiſeratione moti, Odonem Decanum ceteroſque canonicos adierunt, & ut terræ commendare liceret per omnia ſatisfaciendo, quidquid foris fecerat, ſeſe emendaturos promiſerunt. Conſtituto autem & termino, ad ulmum villæ, quæ dicitur Etmant, quo ſtabilitum fuerat convenimus, atque ſub præſentia Mainardi Archiepiſcopi, & Richerii ſui Archidiaconi, militumque ſuorum Arelaii, Theobaldi, Herberti, Arnaldi, Roberti, Galteri, Odoni prædicto Decano, noſtriſque canonicis Landrico & Lancelino, necnon Ayulfo, ſicut promiſerant, emendaverunt, & poſt hæc ad portum Taver convenientibus in unum me videlicet Imberto Pariſienſi Epiſcopo, cum Odone Decano, & Yvone Vernoili præpoſito, domno quoque Senonenſi Archiepiſcopo, cum Goſcelino præcentore, & Archidiacono, ceteriſque Archidiaconis Richerio & Bernuino, prædicti excommunicati nxor Sancelina cum parentibus & amicis inibi devenit: atque ſub præſentia omnium pro abſolutione mariti ſui adhuc in trunco repoſiti, communique ſepultura carentis, prænotata foris facta ad integrum vadavit. Accepta hac ſatisfactione ſub præſentia Archiepiſcopi, ſuorumque fidelium per noſtrum aſſenſum Decanus, & canonici ſummam prædictorum foris factorum tali conventu uxori & parentibus condonaverunt, ut prænotatum alodum perpetuò ſine nlla inquietudine ſanctæ Mariæ canonici poſſiderent, tam præſentes, quam futuri &c. Huic audientiæ interfuerunt Mainardus Archiepiſcopus cum ſuis Archidiaconis, Iocelino, Richerio, Bernuino, vaſſalis autem ſuis Goſcelino Hattonis filio, Stephano & Hattono fratribus, Rogero, Theobaldo, Hugone Ferlo. Ex parte ſanctæ Mariæ. Ego Imbertus Epiſcopus. Odo Decanus, Yvo præpoſitus, Yvo Archidiaconus, Lancelinus & Ioſcelinus canonici, Galterus & Gunterus fratres, Liziardus & Iosbertus.* Totum hoc negotium peractum eſt in parochia eccleſiæ Senonenſis, cujus erat Hugo miles de Donione Muſterelli ſeu Monaſterioli, quod opidum eſt ad confluentes Icaunæ & Sequanæ, propterea hoc negotium ad audientiam Senonenſis Archiepiſcopi pertractata eſt. Hanc porro chartam deſcripſimus ex miminore Paſtorali. Annum, quo data eſt, non accepimus, ſed eam anno MXLV. aut XLVI. non recentiorem eſſe exiſtimamus, quo tempore Odo poſt mortem Liziardi Decanus erat Pariſienſis eccleſiæ. In eodem minore paſtorali extat charta, ubi maxime Imbertus Pariſienſis Epiſcopus laudatur, dicitur enim magnus & meritis apud Regem præſtare, & ibidem fit memoria eccleſiarum, quæ monaſteriorum & Abbatiarum olim gaudebant nomine, quæque dum Nortmanni ſæviunt ſpoliatæ poſſeſſionibus, & à monachis deſertæ jacebant. Charta his verbis continetur.

XI. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Henricus gratia Dei Francorum Rex. Noverit omnium poſteritas ſanctæ matris eccleſiæ fidelium & noſtrorum, quod quidam*

Imbertus Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus, noſtræ ſerenitatis adierit præſentiam, rogans & obnixè poſtulans, ut quaſdam eccleſias in ſuburbio Pariſiacenſi noſtræ poteſtati & anteceſſorum antiquitus mancipatas, ſancti Stephani ſcilicet martyris, Iuliani martyris, Severini ſolitarii, necnon & ſancti Bachii, quarum quædam olim Abbatiarum dignitate ſublimatæ erant, & ideo receptaculum & ſtationem congregationi canonicorum præbentes ſanctæ Mariæ; ſed propter regni perturbationem rebus conceſſis ſpoliatæ, ſolitudini vacantes, parvum aut nullum antiquæ poſſeſſionis retinuerunt ſtatum, prædictæ congregationi concederemus. Sed quia apud nos pro ſuis meritis prædictus Epiſcopus erat magnus, ejus voluntati nolentes aliquid derogare, conceſſimus ejus conceſſioni prædicta loca regali præcepto & liberalitate: eo pacto & conditione, ut quamdiu Giraldus clericus, earum poſſeſſor vixerit, ſine inquietudine per aſſenſum canonicorum totius congregationis teneat, & poſt ejus exceſſum uſibus canonicorum ſint reclamatione mancipentur, & ibi pro remedio animæ meæ vel parentum meorum canonici aggregentur, qui pro ſtatu & incolumitate regni noſtri exorantes ad utrumque ſufficiant, ſed & ad ſtationem more ſolito reddendam Eccleſiæ, & ad ſerviendum canonice valeant communiter degere. Hæc charta caret calculo, qui annum annotet, non tamen uſquequaque rejicienda eſt, eo præſertim nomine, quod memoret nonnullas eccleſias, ubi olim monaſteria fuerunt. Meminit inprimis baſilicæ ſancti Stephani, quæ alia eſt ab eccleſia, ſeu baſilica vetere ſancti Stephani, de qua olim pluribus dictum eſt. Hæc enim, de qua hic ſermo eſt, ſuburbana erat tempore Henrici Regis, neque dubito, quin fuerit baſilica ſancti Stephani de greſſibus, ubi modo collegium eſt canonicorum, quod puto teſtimonium eſt ibi fuiſſe olim monaſterium. In ea quoque habetur memoria eccleſiæ ſancti Juliani martyris, quæ ſuburbana quoque fuit, de qua ſuperius plura dicta ſunt. De eccleſia ſancti Severini olim quoque dictum eſt, certe conſtat duos olim inprimis Severinos Pariſiis notos fuiſſe, alterum, qui Chlodovæum ægrum curavit, atque adeo, qui ſub ejus vixit principatu, quique apud caſtrum Nantonis è vita deceſſit: hujus memoria recolitur in baſilica ſancti Severini; alterum qui tempore Childeberti recluſus in ſuburbanis Lutetiæ vixit, quique ſanctum Chlodoaldum ſanctis inſtituit documentis, cujus ſanctum corpus in eccleſia ſanctæ Mariæ inter ſanctas reliquias habetur, huncque coli in baſilica ſancti Severini Valeſius exiſtimavit: certe multa, ut id crederet, Valeſium impulerunt; legebat apud Uſuardum in martyrologio hæc, *nono Calend. Decembris Pariſiis depoſitio ſancti Severini monachi & ſolitarii:* legebat quoque in litteris Henrici Regis eſſe baſilicam ſancti Severini ſolitarii: ex martyrologio intelligebat Severinum ſolitarium eſſe recluſum, eumque in litteris Henrici Regis deſignari ſub nomine ſolitarii. Certe prope eſt ut dicam labentibus temporibus incônſultò alterum pro altero habitum in honore. In chartulario Eccleſiæ Pariſienſis preſbyter ſancti Stephani, preſbyter ſancti Juliani, preſbyteri cardinales dicuntur. Preſbyter vero ſancti Severini Archipreſbyter & hodie dicitur. De baſilica vero ſancti Bachii nihil habeo, quod dicam, ſeu memoria illius baſilicæ intercidit, ſeu immutatum nomen baſilicæ eſt. Siquis hic conjecturæ locus ſit, crederem libenter de baſilica ſancti Benedicti hic agi. Sed cum ſola conjectura, nulla probatione fretus, id dicam nolim aſſerere: neque cur id conjiciam exponere.

LIB. X. CAP. IV.

CAPUT V.

De contentione, quæ ſub Henrici Regis principatu de corpore ſancti Dionyſii exorta eſt inter noſtrates, & Reginenſes ſancti Emmerammi monachos & de detectione hujus ſancti corporis. De Abbatibus & chartis monaſteriorum Dionyſiani, ſanctæ Genovefæ, Pratenſis & Foſſatenſis.

I. ANno milleſimo quinquageſimo, aut circa illa tempora intet Germanos & noſtrates excitata eſt controverſia de corpore ſancti Dionyſii martyris primi Pariſienſis Epiſcopi, quæ magnis animis pertractata eſt. Hanc cauſam & cauſæ exitum breviter memorabo, eoque magis huic commemorationi operam ponam, quod controverſia cœpit, & peracta eſt ſub principatu Henrici Regis, & epiſcopatu Imberti Pariſienſis Pontificis. Acta hujus controverſiæ in tomo IV. ſcriptorum hiſtoriæ Francorum reperiuntur, & eruta ſunt ex MS. codice Thuaneæ bibliothecæ, cauſam diſſidii ita exortam eſſe narrant. In Bajoaria urbs eſt Reginoburgum, ſeu ut modo eam vocant, Ratiſpona, quæ noſtra ætate notiſſima eſt, ob publicos totius Germaniæ conventus, in ea celebratiſſimum eſt ſancti Emmerammi monaſterium, olim conditum à Theodone Duce Bajoariæ, in eo loco id temporis monachi falsò in animum ſuum induxerunt à ſe repertum corpus ſancti Dionyſii martyris: dum enim Abbas monaſterium deſtructo vetere novum ædificat, veteraque effodit fundamenta, offendit corpus hominis, quem vana futilique exiſtimatione arbitrati ſunt eſſe corpus ſancti Dionyſii Areopagitæ. Illicò non modo per vicinitatem, ſed & per Germaniæ provincias divulgatum eſt corpus hujus ſancti martyris eſſe repertum: non tantum plebecula falſo rumori credidit, ſed Epiſcopus vicinus, ne rei religioſæ videretur deeſſe, vanæ opinioni fidem fecit: quin etiam de inventione ſancti corporis litteras encyclicas ad collegas miſit, eoſque ad ſanctam celebritatem elevationis corporis advocavit: ipſum quoque Imperatotem Henricum ad celebrationem invitavit. Henricus ſe precibus magis vinci paſſus, quam perſuaderi, venit ad monaſterium ſancti Emmerammi, adfuerunt Epiſcopi & optimates haud pauci, & ingens hominum multitudo. Ferunt etiam præſentem adfuiſſe Leonem IX. PP. Ea tempeſtate venerant in Germaniam delegati ad Henricum Imperatorem oratores duo ab Henrico Francorum Rege, illi obita legatione, & benigne dimiſſi, eo tempore, quo tanta celebritas hominum Ratiſponæ fieret: etſi hoc non erat in mandatis, ſui tamen muneris eſſe exiſtimarunt Auguſtum monere, ne facile falſis rumoribus aſſentiretur. Ecce unus ex legatis ſic Auguſtum allocutum ferunt. Tanto vitium maius eſt, & ante omnium oculos ſeſe magis prodit, Imperator ſereniſſime, quanto ſpectabilior is eſt, qui peccat: hoc initium noſtri ſermonis eſt, ut intelligat majeſtas tua, quam fœdum ſit & deforme, te jurare fidem, & amicitiam conceptis verbis Henrico Regi polliceri, quam ſimul factis frangas. Quis enim ille hominum concurſus eſt, & celebris populi, magnatumque frequentia, niſi, ut oſſa neſcio cujuſdam hominis pro ſancti martyris Dionyſii Areopagitæ corpore ſollemniter ſupponantur, & vana ſuperſtitione, quaſi vera excolantur, ut deinceps nullus tribuatur honos ſanctis ejus

reliquiis, quæ Pariſiis magna religione ſervantur. Certo enim accepimus veneranda ſanctorum martyrum Dionyſii & ſociorum corpora thecis argenteis LIB X. CAP. V. compoſita eſſe à Rege Francorum Dagoberto, quæ cryptâ incluſa diligenter cuſtodiuntur, unde nulla poſſis arte nulla vi ea extrahere. Vides, Sereniſſime Imperator, quid agis cum mendacio fœdiſſimo aurem accommodas. Tua ſacra majeſtas injuriam facit ſanctiſſimo martyri, qui ſuo ſanguine Chriſti religionem Pariſiis approbavit, Henricum Regem offendere haud vereris, cui patronum, regni defenſorem hoc commento ſubtrahere non dubitas: ſi jungere cum illo amicitiam in animo eſt, patere inquiri veritatem, utrum ſancti martyris reliquiæ, ſua etiam nunc recondantur theca, quæ ſi reperiantur, illuſum te fallaci mendacio non ſines, neque jurgii cauſam Regi Chriſtianiſſimo inferes. His graviſſime prolatis, Imperator ſummum Pontificem, qui aderat, optimateſque conſulit, quid opus facto eſſe cenſeant. Reſponſum eſt æquam eſſe legatorum poſtulationem. Ii in Gallias reverſi, reddita legationis ratione, retulere quis rumor falſus in Germania ſereretur de reliquiis ſancti Dionyſii. Mali principiis occurrere decretum eſt. Hugo Abbas Dionyſiani monaſterii auctor fuit, ut ſancta martyrum corpora palam & publice retegerentur. Datum illi negotium eſt, ut diem Epiſcopis & proceribus regni indiceret, immo & Germanis, quorum inprimis intererat, ſignificaret. Abbati & monachis primo placuit à jejuniis & vigiliis initium fieri, ut Deus ſuis cœptis faveret, tum ad Idus Januarias conventum indicunt, idque per Gallias ſignificant, ſed non omiſerunt Ratiſponenſes conſilii admonere. Continuo Epiſcopi, Abbates, clerici magno numero, optimates haud pauci, nobiles & ignobiles promiſcuè, conferta utriuſque ſexus multitudo, ad diem dictum in baſilicam convenerunt. Spectabatur inter omnes Odo frater Henrici magna procerum ſtipatus caterva. *Pridie autem*, inquit auctor, *quum hujus nuncii inſudaretur propoſito, Domino facie generali præventa à fratribus jejunio ſcilicet, & ſequenti nocte continuato orationum, vigiliarum, lachrymarumque exercitio, poſt conſummationem officii matutinalis, præſentibus Epiſcopis, præfatorumque ordinum probabilibus plurimis, in afflictione eorum deſideria proſperari rogantibus Dominum, reverenter in medio delatum eſt argenteum ſcrinium, priſca adhuc ſubtilitate artificioſiſſime munitum. Quo cum magna difficultate reſerato in aſtantium præſentia, repente pretioſiſſimi martyris Dionyſii reperiuntur oſſa, pallio tantæ vetuſtatis nimietate conſumpto obvoluta, ut inter manus tenentium evaneſceret, in ſimilitudinem telæ aranearum. Vnde perfuſi ſuaviſſimi odoris fragrantia, aſſeruerunt nullius ad hanc eſſe delectationis pigmentorum genera.* Incredibile dictu eſt, quanta exultatio omnium invaſerit animos. Quiſque ſtatim gratias Deo immortali fundere, quiſque laudibus cælum implere. *Poſt hæc ablatis vetuſti pallii reliquiis cum aliiſque pignoribus veſtimentorum ſancti Dionyſii, ſociorumque ejus ſtudioſe conditis, oſſibuſque devotiſſime ab Abbate involutis in pallio ad hoc à Rege deſtinato, magnalia Dei votis poſcentium declarata, paſtores eccleſiaſtici enunciaverunt omni populo voce præclara, qui quanto exultaverint tripudio, jucunda, qua longiuſcule à monaſterio proſecuti ſunt ſacra membra, indicavit proceſſio. Præfato vero Odone Regi per ordinem juxta quod viderat alacriter cuncta referente, ille Domino ſolutis multiplicibus gratiarum actionibus pro collatis ab eo votis fidelium, proſperis effectibus intromiſſis regiæ pompæ dignitatibus, eodem die gratum duxit venire nudis pedibus, tanti patroni ſuffragium humiliter aſciturus. Ibique ſe confitens deliquiſſe, in quibus ſolitum eſt humanæ fragilitati divinæ conſpectum majeſtatis offendere: ſeque cum omnibus devovens ſancti Martyris famulatui & patrocinio, receſſit pro munere pallio magni precii oblato. Delato vero à proceſſione cum præeunte & ſubſequente plebis frequentia ſacro corpore, quindecim continuis diebus dimiſſum eſt ſuper principale altare: in quibus ex diverſis regionibus cauſa viſitandi, ſuffragiumque expetendi, plurimi utriuſque ſexus convenere. Et nunc ſibi mutuo ad cuſtodiam ſuccedentibus fratribus diei noctiſque vicibus tamdiu eſt diligentiſſime cuſtoditum, donec intromiſſis litteris indicibus primi erroris & ſubſecutæ veritatis, ſeris, obicibuſque munitum ſacros artus continens ſubtili artificio ſcrinium, quamplurimis præſentibus ſuo priori loculo honorabiliter fuit reſtitutum.*

LIB. X. CAP. V.

II. *Sed non prætereundum videtur aliquorum nomina hic ad paſtorum memoriam inſerere, qui potiorum dignitatum inſigniti claritate, præſentis dicuntur celebritatis gaudio interfuiſſe, atque omnia, quæ tunc geſta narrantur, in præſentiarum vidiſſe: ut eorum teſtimonio fallax ſopiatur opinio, veritatiſque ſubnixæ fiducialius roboribus promulgandæ traditio. De epiſcopali ordine, Vvido Remenſium Archiepiſcopus, Robertus Cantuariorum Archiepiſcopus, Imbertus Pariſiorum Epiſcopus, Henandus Laudunenſium Epiſcopus, Balduinus Noviomenſium Epiſcopus, Vvalterus Meldenſium, Froclandus Sylvanectenſium Epiſcopus. Vnuſquiſque quorum clericalis laicaliſque ordinis adduxit probabiliores perſonas ſecum. De ordine Abbatum iſti adfuerant iterum, inprimis domnus Abbas Hugo cœnobii ſancti Dionyſii, Albertus Abbas majoris monaſterii, Ioannes Abbas Fiſcannenſis cœnobii, Landericus Abbas ſancti Petri Carnotenſis, Robertus Abbas ſancti Petri Foſſatenſis, Robertus Abbas ſancti Petri Latiniacenſis, Adabertus monachus ſancti Remigii, qui & ipſe aſſeruit in præſentia Imperatoris ex hac patria ſanctum Areopagitam Dionyſium eſſe, quando unius mortui hominis corpus pro eo de terra voluit extrahere: Gaufreduſque Abbas Columbenſis cœnobii. Quorum unumquemque devotos & Dei fideles monachos non piguit ſecum habere. Iſti autem aſtiterunt de ordine laicorum: inprimis Odo memorati Regis frater, atque fidelis nuncius Vvalterius Comes Pontiſarenſis, Vilelmus Comes Corboilenſis, Ivo Comes Bellomontenſis, Valeramnus Comes Mellodenſis, & alii nobiles, multique devotæ fidei gregarii milites.* Hanc narrationem ſcripſit Haymo monachus Dionyſianus, quam deinde Joannes Charterius ejuſdem loci monachus in chronica Dionyſiana conjecit.

III. Iſtius controverſiæ meminit Rigordus in geſtis Philippi Auguſti Francorum Regis. *Iſte Henricus*, inquit, *Rex auditis rumoribus, quod in Alemannia in civitate Ratiſpona in abbatia ſancti Hermantrami martyris inventum fuit quoddam corpus, quod dicebant eſſe Dionyſii Areopagitæ, miſit nuncios ſuos ad Henricum Imperatorem cum litteris ſuis, ut diem elevationis illius corporis protelaret, quo uſque per certos nuncios utrum corpus Hieromartyris Dionyſii Areopagitæ Athenarum Archiepiſcopi diſcipuli Apoſtoli Pauli, in Francia in eccleſia, quam Dagobertus fundaverat, eſſet vel non, pleniſſime certificarentur. Quo audito Imperator miſit magnos viros & ſapientes in Franciam, ut plene rei veritatem agnoſcerent. Viſis nunciis Imperatoris, Henricus Rex convocavit Archiepiſcopos, Epiſcopos & Barones totius regni, & cum Odone cariſſimo fratre ſuo ad eccleſiam beatiſſimi martyris Dionyſii miſit. Facta autem oratione, allata ſunt tria vaſa argentea Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii coram omni populo diligentiſſime ſigillata, & aperto vaſe beati martyris Dionyſii totum corpus ipſius cum capite inventum eſt, exceptis duobus oſſibus de collo, quæ ſunt in eccleſia Vergiacenſi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa tertius ſecum ad Romanam portavit eccleſiam, & poſuit in eccleſia, quæ hodie ſchola Græcorum vocatur. Hoc videntes univerſi populi cum lacrymis & ſuſpiriis puras manus levantes ad Dominum, Deo & beatæ virgini, & ſanctis martyribus ſe commendantes cum gaudio receſſerunt. Tunc nuncii, qui miſſi fuerant ad Imperatorem citiſſime revertentes ſuper his, quæ viderant & audierant, Imperatorem pleniſſime certificaverunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ IX. anno Domini ML.* Sed quid de eo negotio ſit ſentiendum, modo pluribus memorabo.

IV. Jam aliàs memoratum eſt, quomodo ſanctus Dionyſius Epiſcopus Pariſienſis jam olim martyrio defunctus ſit, & corpus ejus haud procul à Catulliaco vico humo mandatum ſit, & deinde in loco tumuli excitata ſit baſilica, quam eccleſiam ſancti Dionyſii de Strata dictam ferunt. Dagobertus Rex Francorum monaſterium poſtea, & baſilicam novam extruxit, quam redditibus & latifundiis haud paucis cumulavit, in novam illam baſilicam tranſlata oſſa ſancti Dionyſii diximus. Ex eo tempore locus ſacer fuit religione; legimus quemadmodum ſanctus Eligius tumulum argento & auro decoraverit. Plerumque ibi Reges Francorum ſepulti ſunt, exiſtimabant ſcilicet, neque inani & vana cogitatione, ſanctos ſibi etiam poſt obitum fore ſubſidio. Sic deinceps monaſterium & baſilica ſancti Dionyſii celebrata eſt. Carolus-magnus ſanctas martyrum reliquias aliquando ad bellum deportari à monachis jubebat. Ludovicus-pius

propter

propter ſanctos martyres locum magnopere excoluit, Carolus in eo monaſterio puer educatus eſt, & ſæpius poſtquam regnare cœpit, huc ſecedere & ſollemnioribus diebus ibi commorari conſueverat. Eo quoque tempore reliquiæ ſanctorum martyrum magno babebantur in honore. Verum cum Nortmanni Galliam infeſtarent, ſed inprimis populare agrum Patiſienſem & Lutetiam ipſam oppugnare cœpiſſent: tum monachi ſancto Martyri conſultum eſſe volentes, ejus, ſociorumque reliquias aliò deportabant. Annales Bertiniani ad annum DCCCL X. narrant oſſa beatorum martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, metu Danorum, in pagum Mauripenſem, in villam ſui juris Novientum devecta eſſe, & chronicon Remenſe ad DCCCLXXXVIII. memorat pariter Remos, tranſlatum corpus ſancti Dionyſii. *Anno v. præſulatus Fulconis Remenſis Archiepiſcopi metu Nortmannorum tranſlatus eſt ſanctiſſimus Chriſti martyr Dionyſius, ad Remenſem urbem in eccleſiam, quæ nunc dedicata eſt, in honore ejus, ibique moratus ferme per trium curricula annorum.* Quod & Flodoardus teſtatur his verbis. *Eo tempore Nortmannis Francorum terras infeſtantibus, & diverſa loca depopulantibus, hic pontifex plures tam ſacerdotes, quam ceteros & monachos ad ſe undecumque confluentes benignè ſuſcepit, & paternè fovit. Inter quos etiam monachos ſancti Dionyſii, cum ipſius martyris pretioſo corpore, aliorumque ſanctorum pignoribus recepit, & aluit.* Rebus demum pacatis, reliquiæ ad baſilicam Dionyſianam Pariſios relatæ ſunt. Sed poſtea teſtantur eaſdem reliquias in baſilica Dionyſiana fuiſſe ipſi auctores Germani. Vitichindus monachus novæ Corbeiæ, qui floruit anno DCCCCLXXIII. in libro primo annalium ſic ſcribit. *Quando Rex Henricus Rhenum tranſierat, ad dilatandum ſuper Lotharios imperium ſuum: occurrit ei Legatus Caroli-*ſimplicis *dolo capti ab Hugone, & poſiti in cuſtodia publica, & ſalutato eo verbis humillimis, Dominus meus, inquit, Carolus regia quondam poteſtate præditus, modo privatus, miſit me ad te, demandans, quia nihil ab inimicis circumvento jucundius eſſe poteſt, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, famaque virtutum tuarum conſolari: & hoc tibi ſignum fidei & veritatis tranſmiſit, protulitque de ſinu manum pretioſi martyris Dionyſii auro gemmiſque incluſam: hoc, inquiens, habeto pignus fœderis perpetui & amoris vicarii. Hanc partem unici ſolatii Francorum Galliam inhabitantium. Poſtquam nos deſeruit inſignis martyr Vitus ad noſtram perniciem, veſtramque ad perpetuam pacem Saxoniam viſitavit, communicare tecum maluit. Neque enim poſtquam tranſlatum eſt corpus ejus à nobis, civilia vel externa ceſſavere bella. Rex autem munus divinum cum omni gratiarum actione ſuſcipiens, proſternitur, reliquiis ſanctis, & deoſculans eas ſumma veneratione veneratur.* Conradus Licthenavius Abbas Uſpergenſis in chronico eadem, quæ Vitichindus refert. Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus, qui poſt annum Chriſti milleſimum ſcribebat, rem paulo aliter commemorat: *fuit in occiduis partibus quidam Rex*, is fuit Carolus-ſimplex, *qui ab uno ſuimet Ducum captus, tenebris includitur carceralibus. Hic Henrici Regis noſtri implorans auxilium, dextram Chriſti martyris Dionyſii, & cum ea omne regnum Lothariorum, ſi ab eo liberaretur, ipſi traditurum ſacramentis promiſit. Nec mora inclytus, miles victricibus ſe armis circumcingens, proximum laborantem viſitavit, & in ereptione ejus ac reſtitutione dignus operator mercedem ſuam promeruit, & honorem priſtinum ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus in tantum adauxit.* Sigebertus ad annum DCCCXXII. *Carolus Rex Francorum cum auxilio Lotharienſium juxta urbem Sueſſionis pugnans contra Robertum fratrem Odonis Regis, qui contra ſe regnum Francorum invadebat, eum cum multis perimit, & ſe & Franciam Heinrico Regi ſubmittit, eique in pignus perpetui fœderis & amoris mittit manum pretioſi martyris Dionyſii Pariſienſis, auro gemmiſque incluſam.* Heinricus Rex Germaniæ ſeu Imperator apud Germanos regnavit anno DCCCCXIX. anno videlicet viceſimo poſt mortem Arnulfi Aug. & poſt mortem Odonis Regis anno viceſimo ſecundo. Cum igitur ſub principatu Heinrici imperatoris & Caroli ſimplicis ex reliquiis ſancti Dionyſii portio reliquiarum detracta ſit, & data Heinrico Saxoni, nemo profecto dubitabit, quin totum corpus eo tempore in Francia fuerit, idque in baſilica ſancti Dionyſii fuerit ſervatum, ubi ſemper jacuit, atque adeo ſub Arnulfi Imperio integrum eodem in loco habi-

LIB. X. CAP. V.

tum fuerit: quin & delata ſit tantummodò manus ſancti Dionyſii in Germaniam ſub Henrico, quæ illi data eſt à Carolo-ſimplice. Henricus poſt Arnulfum imperavit. Hoc à tribus quatuorve ſcriptoribus antiquis teſtatum eſſe legimus. Unde colligas nullam eſſe fidem monachis ſancti Emmerammi, qui corpus ſancti Dionyſii primi Pariſienſium Epiſcopi ſe habere falsò jactitant; jam à tempore Arnulfi Imperatoris. Quomodo vero hanc cudant fabulam, poſtea memorabimus. Hæc inventa eſt ſub Henrico IV. Imperatore, & ſub Henrico Francorum Rege, quorum temporibus inquiſitio reliquiarum facta eſt, & coram teſtibus haud paucis, iiſque nominatiſſimis, ut ſupra ex actis publicis probatum eſt. Neque eſt, cur quis rejiciat hæc acta, quæ fermè conſona ſunt his, quæ Rigordus vicinus illorum temporum ſcriptor dicit. Immò & congruunt cum iis, quæ Haymo monachus Dionyſianus ſcribit. Cum Rex Henricus accepiſſet Reginenſes corpus ſancti Dionyſii falsò ſibi vindicare. Hugo Abbas inquiſitionem fecit, tumulum aperuit, & loculum ubi jacebant reliquiæ. Hujus detectionis ſingulis annis memoria celebris eſt in eccleſia ſancti Dionyſii V. Idus Junii: ex quibus intelligit lector, reliquias ſancti Dionyſii haud dubie retentas; habitaſque eſſe in eccleſia ſancti Dionyſii, ubi ſcilicet à tempore Dagoberti Regis Francorum conditæ & collocatæ fuerant. Jam vero videamus, quibus argumentis Ratiſponenſes monachi hoc commentum qualitercumque tueantur, & eas ſe habere falsò exiſtiment. Leo IX. PP. in litteris, quas de eo argumento ſcripſit, dicit eas tranſlatas Ratiſponam ab Imperatore Arnulfo: certe Arnulfus Imperator eccleſiam S. Emmerammi multis cumulavit beneficiis, eóque ſe mortuum efferri & ſepeliri voluit, habeturque ejus epitaphium, ubi legimus ejus ætate furto ſublatum corpus ſancti Dionyſii, allatumque Ratiſponam, & in baſilica ſancti Emmerammi collocatum. Hoc epitaphium non ſtatim poſt ejus obitum conſcriptum eſt, in éamque eo faciliùs deſcendo ſententiam, quod his omnino adverſatur, quæ ſupra relata ſunt de manu ſancti Dionyſii, quam à Carolo-ſimplice traditam Henrico Imperatori narrant. Huc accedit, quod Arnulfus, qui ſancti Emmerammi geſta & miracula ſæculo XI. ineunte ſcripſit, de Arnulfo Imperatore plura commemorat, laudatque eum inprimis, quod erga beatum Emmerammum bene affectus eſſet, eumque multo honore proſequeretur, enumeratque dona, quibus hujus ſancti baſilicam & monaſterium affecit. Meminit inprimis librorum Evangeliorum, quos hic Imperator dedit, nulla facta mentione, neque reliquiarum ſancti Dionyſii, neque Evangeliorum, quæ fabulantur ab Arnulfo Imperatore allata ex monaſterio Dionyſiano, hæc ſilentio prætermiſſa ab auctore hujus ætatis, & eo in loco manifeſtè oſtendunt, quo tempore Arnulfus hæc ſcribit nondum fabulam de furto reliquiarum ſancti Dionyſii fuiſſe confictam. Neque ſolummodò Reginenſes monachi ſancti Emmerammi ſuam hanc fabulam in epitaphio Arnulfi inſcriptam voluerunt: ſed etiam tumulum ſancto Dionyſio extruxerunt cum hac inſcriptione. *Dionyſius Areopagita hic requieſcit ſub Arnulfo Imperatore & Othone Rege, ſub Ebulone Abbate ſancti Dionyſii. Giſalbertus furatus eſt quinto Nonas Iulii, furto ſublatus huc venit pridie Nonas Decembris, tempore Tutonis Epiſcopi.* Arnulfi & Odonis Regis Francorum eodem tempore regnum fuit. Ebulonem mortuum eſſe anno DCCCXCIII. Annales Metenſes tradunt, Tutonem vero Epiſcopum Ratiſponenſem cœpiſſe fieri tantum anno DCCCXCIIII. Mabillonius ſcribit. Quod ad furtum Giſalberti pertinet, rem ita accidiſſe auctores recentiores Germani memorant, ſicque mendacium aſtruunt. Giſlabertus homo Germanus rem gratam Arnulfo Imperatori facturum ſe exiſtimavit, ſi clanculùm furaretur reliquias ſancti Dionyſii martyris, & primi Pariſienſium Epiſcopi, eaſque ipſi offerret; ut propoſitum ad exitum perduceret, ſic agere inſtituit. In monaſterium ſancti Dionyſii tanquam criminis reus ſe recepit, ut ſanctitate loci ſe à pœna eximeret. In hoc igitur loco tanquam in aſylo commoranti facile fuit monaſterium & baſilicam perluſtrare, ſcrutari omnes angulos, omnia ad furtum comparare: rebus ad agendum facinus compoſitis inſtruit convivium Abbati & monachis, ita epulas trahit, ut facile potis & pranſis ſomnus irreperet. Ille interim in

baſilicam venit, oſtium tumuli recludit, thecam ſera obſtructam effringit, rapit ſancta oſſa beati martyris, onuſtuſque piis ſpoliis evadit, & magnis itineribus in Germaniam fugit, & ad Arnulfum Imperatorem ſanctam prædam defert, hancque quintum poſt menſem, quàm è ſancti Dionyſii baſilica ſurrepta eſt, ad baſilicam ſancti Emmerammi deportari jubet. Vanam hanc narrationem vulgò comminiſcuntur, qui ſancti Dionyſii reliquias Ratiſponam deportatas fuiſſe tradunt. Demum anno milleſimo quinquageſimo, vel ut alii volunt, quinquageſimo ſecundo, cum Leo nonus ad tranſlationem ſancti Volfangi Ratiſponam veniſſet, dedit, ut aiunt, reſcriptum pro aſſerendis reliquiis beati Dionyſii martyris Pariſienſis Epiſcopi monaſterio Reginenſi ſancti Emmerammi, quod alterum eſt commentum, illud his verbis continetur. LIB X. CAP. V.

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo filio inclyte Regi Francorum, ac venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis in Chriſto filiis, Abbatibus, prioribus, præpoſitis, & decanis, univerſiſque tam ſubditis, quam prælatis ejuſdem regni ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Deus omnipotens, qui non immeritò per Prophetas in ſanctis ſuis eſſe mirabilis prædicatur, mira quadam inſcrutabilis conſilii ſui profunditate diſponit, quæ dum conſiderare non ſufficit mens humana, ipſa ſuimet infirmitate deficiens, in quemdam ſui exceſſum rapi cogitur & ſtuporem. Quod ipſi nos nuper experti, & nobis in Chriſto cariſſimis, & univerſitati fidelium promulgare compellimur, ut & Dei opera pariter admiremur. Nam cum per inſtantiam sereniſſimi Imperatoris Henrici ad partes Germaniæ viſitandas, ac præcipuè ad urbem, quæ dicitur Ratiſpona, vel Regensburg, evocati eſſemus, ad venerabile corpus beati Vvolfangi ejuſdem urbis Epiſcopi transferendum, hoc ea qua decuit reverentia peracto, tui, Francorum Rex in Chriſto, fili cariſſime, nos legati, tuorumque omnium vice ſolliciti rogarunt, quatenus litem, quæ inter vos & urbem prædictam, ſuper ſacroſanctis oſſibus beatiſſimi Dionyſii Areopagitæ diutiſſime ventilata, veritate diſcuſſa, dirimere curaremus, vobis quidem eadem apud vos eſſe dicentibus, civibus autem atque incolis urbis præfatæ aſtruentibus è converſo, ea per invictiſſimum Arnulfum quondam Imperatorem, ad eccleſiam beati martyris Emmerammi eſſe tranſlata, ibidemque deinceps contineri, quæ quidem eccleſia inibi ſita eſt, atque ab omni aliorum ſubjectione, ac juriſdictione libera, & excepta ad jus & proprietatem beati Petri apoſtolicæ ſedis immediatè pertinere dignoſcitur, oblatione videlicet excellentiſſimi Romanorum Imperatoris Caroli-magni, ac poſterorum ipſius, qui eidem hactenus ſucceſſerunt, ſeu in Imperio, ſeu in regno. Idipſum nihilominus venerabilis Abbas Reginvvardus, ac fratres ejuſdem eccleſiæ cum univerſitate Ratiſpona inſtantiſſime petiverunt fieri. Nos ergo utriuſque partis precibus inclinati, nec volentes ulterius veta fidelium hujus dubii ambiguo caligare, in fratrum noſtrorum, ac plurium Epiſcoporum, ac prælatorum præſentia & conſpectu ſcripta Arnulfi Auguſti, ordinemque rei diligentiſſime perlegentes, nec eo contenti capſas, thecas, & ſcrinia, in quibus ſacræ reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos, ac epigrammata eorumdem oculo tenus ſolerti examine diſcutiendo, nihilque omittendo, quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam imperialibus, quam papalibus anteceſſorum noſtrorum litteris ſufficienter inſtructi, picturis quoque parietum multiplicibus, & ſculpturis vetuſtiſſimis, exprimentibus indicia veritatis, & notas, indubitata fide comperimus, dicti doctoris & martyris oſſa venerabilia, excepta particula unica ſimul & minima manus dextræ, apud memoratum beati Emmerammi cœnobium integraliter contineri. Etenim ne teſtimonia hominum, quæ jam diximus, non ſufficerent, divina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt: quæ nos quoque conſcribi juſſimus diligenter, vobiſque tranſmitti per veſtros nuncios ac legatos, necnon apud eccleſiam prædictam perpetuo conſervari, ut & ad poſteros geſtæ rei memoria deducatur, & ulterius litigandi materia penitus conquieſcat. Inſuper & diſtrictè præcipimus, ſtatuentes, ut tranſlationis ipſius veneranda ſollemnitas, tam à fratribus ejuſdem eccleſiæ, quam ab univerſis urbis jam dictæ annis ſingulis cum omni jucunditate & gaudio celebretur, totaque tripudiet regio Germanorum tanti patris atque patroni adventui non ingrata. Vos autem, in Chriſto dilectiſſimi filii, Rex Francorum, tuique fideles, quamvis invidendi Teutonicæ genti videamini juſtam quidem habere materiam, ita, ut putatis, meritò de Alemannorum V.

LIB. X. CAP. V.

vobis lætitia ſit dolendum, conſiderantes tamen & Dei omnipotentis & invicti martyris ſui voluntatem, quem ablatum plangitis, conſolationis tandem admittite placamentum, penſantes attentius, quod nec nobis ablatus eſt, quippe qui chariſſimos prædicationis ſuæ & paſſionis conſortes Ruſticum & Eleutherium, in dilectionis adhuc & tutelæ pignus, & certitudinem dereliquit: nec dolete, ſi Germanos jam viſitare dignatus eſt, vel defunctus, qui vobis adhuc vivens prædicavit, & apud vos bonum certamen certando, curſum conſummando, fidem ſervando triumphum peregit victorioſiſſimæ paſſionis, apoſtolatus ſui ſuper vos ſigna tam in vita perficiens, quam in morte. Qui igitur Alemanniam ipſius oſſa fovere non permittatis, quem vobis Athenæ, ut Chriſto lucrifaceret vos, vivum recipere, audire, & cælo tranſmittere permiſerunt, accedet nihilominus conſolationis & alia ratio, & auctoritas ſcilicet, & excellentia ſubtractoris. Pretioſum vos quidem theſaurum perdidiſſe fatemur, ſed ablatoris attendite dignitatem, ſimulque patris & Apoſtoli veſtri gloriæ congaudete, qui cum vos meritorum atque doctrinæ ſuæ gaza ditaverit, & reliquiarum ſaltem ſuarum ac apothecas tam devotum furem ſui corporis habuit, quam inſignem, auro utique & topaſio meliorem, qui ſui valore ad oſſa ſua ſanctiſſima ſubtrahenda, Cæſareum etiam verticem inclinavit, nec majeſtas imperialis, nec regia celſitudo pii furis hic notam, aut nomen erubuit, in Arnulfo, dummodo beati corporis opibus, vel doli, vel furti, vel ſacrilegii modo ſacrari, atque diteſcere mereretur, qui fures atque ſacrilegos ſolitus erat condemnare, dummodo macarii Dionyſii pretioſo corpore frueretur, fur ipſe tunc fieri & ſacrilegus non contempſit. Cum inſuper fides atque devotio dubium etiam omne per hoc penitus amputavit, quod non ipſa Roma, non quacumque metropoli, non in urbe qualibet regni, vel arce ſtudebat eligere ſepulturam, ſed ubi ſuum ſe Dionyſium condidiſſe & ſciunt & lætantur, ſuo ſe ſperans patrocinio defendendum & conreſuſcitandum in die noviſſimo cum beatis. Præſentibus igitur dilectionem veſtram monemus attentius, & hortamur in Domino, diſtrictè præcipientes, quatenus Ruſtico & Eleutherio piè contenti, non fallentes voſmetipſos, & alios, beatiſſimi Dionyſii oſſa in urbe Ratiſponenſium apud eccleſiam beati Emmerammi martyris, & noſcatis, & fateamini coruſcare. Datum & actum Ratiſponæ per manus Friderici diaconi bibliothecarii & Cancellarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ catholicæ & apoſtolicæ anno Domini M L I I. anno pontificatus Domini Leonis Papæ IV. Indictione * V. Nonis Octob.*

VI. His vulgo ſua defendunt mendacia monachi ſancti Emmerammi. Nihil ego moror narrationem Giſalberti, quem confingunt furtum perpetraſſe, quæ enim fides dictis hominis, qui compoſitis mendaciis irrepit in ædes Dionyſianas, ut hoſpites circumveniat, qui ſub ſimulatione amicitiæ convivium malo animo apparat, ut Abbatem & monachos cibo meroque ingurgitet, qui effringere ſanctorum ſepulcra haud dubitat, qui ſancta ſpolia improbè, & nullâ ſacri loci reverentiâ diripit: nulla certe alia illi debetur fides, quam quæ furi, quæ prædoni, quæ ſacrilego, cui vel vera dicenti non crederetur. Hujus tamen hominis ſermonibus nullius approbatis teſtimonio, ſed ſua tantum relatione firmatis fidem eſſe volunt. Quod ad diploma Leonis pertinet, hoc commentitium eſſe conſtat, quis enim credat Leonem Pontificem maximum cauſam hujus momenti, parte inaudita altera, judicaſſe; & ex Ratiſponenſium monachorum reſponſionibus pronunciaſſe judicium. Nonne oportuit antea expenſas eſſe Dionyſianorum rationes, ire ad eorum monaſterium, & ſingula ad examen revocare, tum rem ex æquo definire. Sed placet in ipſum diploma diligentius inquirere. Ait Leo PP. ad rogationem legatorum Henrici Regis Francorum controverſiam ſe dirimere, quis non magis exſtimet, ut antea retulimus, eos prohibuiſſe, ne id Ratiſponæ conficeretur, quod in Dionyſiano monaſterio peractum eſſe oportebat. Dicit cauſam diutiſſime ventilatam, verum nulla extat memoria, unde probes, prius agitatam eſſe, apud omnes illorum temporum ſcriptores, mirum eſt de illa fabula ubique ſilentium: quin immo vel ex ipſis Germaniæ ſcriptoribus contrarium elicimus, quod prius docuimus. Scribit deinde per Arnulfum Imperatorem oſſa ſancti Dionyſii in hocce monaſterium eſſe tranſlata, hoc quoque falſiſſimum eſſe ſuperius oſtendimus, cum antiqui Germaniæ ſcriptores dicant manum ſancti Dionyſii Henrico poſt Arnulfi tempora datam eſſe. Addit ſe ex titulis & epi-

grammatibus rem definire, quæ plane declarant litteras has confictas, poſtquam appoſiti tituli, adjectaque epigrammata, quæ non fuerunt hujus ætatis, recens enim factum erat. Addit Leo ſe inſtructum tam imperialibus, quam papalibus litteris. Cujus amabo Pontificis exnterunt illæ litteræ? quæ nuſquam gentium viſæ ſunt. Cur contra conſuetudinem pontificiorum diplomatum nomen imperiale præcedit? Quænam illæ picturæ & ſculpturæ vetuſtiſſimæ? quæ ſi vel ætate Arnulfi Imperatoris efficțæ & compoſitæ fuiſſent, neque ſenium, neque vetuſtatem oſtendiſſent. Sed ex his apparet efformatas has litteras, cum jam ſitu & vetuſtate attritæ ſculpturæ erant, cum poſt inventum commentum, tituli & inſcripta epigrammata, jam ſerie annorum deformata eſſent. Annotat dexteram deſideratam eſſe, quod affectatum eſt, cum in ſcriptoribus legerent, poſtea manum datam eſſe Henrico Imperatori, quidni & totum brachium deeſſe diceret, quod à Chlodoveo juniore olim ablatum eſt, quid? de reliquiis, quæ & olim conceſſæ Stephano ſummo Pontifici. Ex his certè has litteras falſi redarguas. Jam quæ verba illa ad Francorum Regem directa? quibus eum ſolari ſummus Pontifex aggreditur. Qui ſermones ſummi Pontificis ad Arnulfum? quibus furtum & ſacrilegium ſummis effert laudibus. Alias ſimili modo notas prætermitto, quibus inurere has litteras liceret. Poſtea ſemper creditum eſt, in Dionyſiana baſilica reliquias ſancti Dionyſii permanſiſſe. Rigordus in vita Philippi Auguſti. Cum adbuc Rex Francorum Philippus in terra ſancta verſaretur. *Octavo Calend. Septemb. anno MCXCI. conſilio domini Guilelmi Remenſis Archiepiſcopi & Adelæ Reginæ, & omnium Epiſcoporum, ſanctiſſima beatiſſimorum martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii corpora cum puriſſimis vaſis argenteis, in quibus diligentiſſime ſigillata continebantur*, ut moris eſt, cum Reges Francorum ſolent ad bella procedere, *ſunt extracta, & ſuper altare poſita. Sequenti vero beati Dionyſii feſto, aperto vaſe argenteo, in quo ſanctum corpus beati Dionyſii martyris continebatur, aſtantibus venerabilibus Epiſcopis Guilelmo & Stephano, Adela quoque Francorum Regina, multiſque Abbatibus, & religioſis viris, totum corpus ipſius cum capite*, exceptis ſacris oſſibus, de quibus ſupra diximus, *eſt inventum, & univerſis Dei fidelibus, qui de longinquis partibus orationis cauſa advenerant, devotiſſime demonſtratum.* Ex eo tempore ſummi Pontifices in litteris, quas Dionyſianis ſcripſerunt, declaraverunt in baſilica Dionyſiana requieſcere corpus ſanctorum martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii. Et ſæpius ob varias cauſas è ſuis locis extractas ſancti Dionyſii reliquias accepimus. Anno MCCXLIV. cum Ludovicus IX. æger Pontiſaræ decumberet, ad petitionem Blanchæ Reginæ ejus matris expoſita ſunt corpora ſanctorum martyrum. *Adſtantibus reverendis patribus Carolo Noviomenſi, & Petro Meldenſi Epiſcopis, Odone Abbate, aliiſque perſonis glorioſiſſimis quampluribus in eccleſia ſancti Dionyſii, die Veneris ante nativitatem Domini levata fuerunt, & extracta ſanctorum martyrum pretioſiſſima corpora de petra, quæ eſt ſubtus aureas pyramides, & ſuper altare ipſorum collocata, ac deinde per clauſtra proceſſionaliter nudis pedibus in eccleſiam fuerunt deportata. Anno MCCLIX. Henricus Rex Anglorum Pariſios acceſſit, & benigne exceptus eſt hoſpitio à Ludovico Rege Francorum, Poſtmodùm vero dictus Rex Angliæ beatum Dionyſium viſitare cupiens, ad eccleſiam beati Dionyſii venit cum magna devotione & reverentia.* Philippus III. antequam ad expeditionem bellicam adverſus Alphonſum iret, in baſilicam Dionyſianam venit, expoſitiſque ſuper altare reliquiis ſancti Dionyſii, Deum ſuppliciter precatus eſt, ut ſuis cœptis faveret. Philippus VI. dum adverſus Belgas bellum gerit, eaſdem reliquias exponi quoque ſuper altare juſſit, ut patrocinio ſancti Dionyſii Deum faventem experiretur. Alii deinde Reges idem præſtiterunt, uſque adeo de reliquiarum ſanctarum ſanctitate & veritate nuſquam dubitatum eſt. Ex actis hujus detectionis intelligimus Hugonem tunc temporis Abbatem Dionyſianum fuiſſe; huic enim antea dicebamus datum negotium fuiſſe diem indicendi ad detegendum corpus ſancti Dionyſii. Antea de Viviano Abbate ſancti Dionyſii dictum eſt. Huic ſucceſſiſſe aiunt Robertum, cujus in chartis non babetur mentio. Hugo vero huic ſubrogatus eſt. Extat in antiquitatibus Dionyſianis charta Eduardi Regis Anglorum, qua donat monaſterio Dio-

Margin: LIB. X. CAP. V. — *Antiquit. Dionyſ.*

nyſiano villam, Tintunam nomine in territorio & comitatu urbis, quæ Oxenaforda dicitur. Aderat cum ſcripta eſt charta, Balduinus ſancti Dionyſii monachus. Hiſque verbis ab eo ſubſcripta eſt *Ego Balduinus ſancti Dionyſii monachus ſub regimine Abbatis mei Hugonis conſtitutus, tunc temporis Anglorum Regis Eduardi medicus, omnibus, quorum hic annotata ſunt nomina ſine cujuſlibet calumniæ ſcriptum hujus donationis confirmantibus, de manu ejuſdem Regis & ſcriptum & donum in perpetuum ſancto Dionyſio habendum ſuſcepi.* Data eſt charta anno MLIX. Diximus & antea Hugonem interfuiſſe inunctioni Philippi Regis, quem puerum Henricus Rex Regem ſe vivo dici voluit, ut filio, ſi decederet, regnum aſſereret. Actis coronationis Hugo Abbas Dionyſianus ſubſcripſit. Poſtquam multa de monaſterio & baſilica ſancti Dionyſii diximus, licet pauca addere de aliis eccleſiis.

VII. Canonici ſanctæ Genovefæ obtinuerunt ab Henrico Rege privilegium, quo Rex prohibet, ne cuiquam aliquando bona & facultates eccleſiæ ſanctæ Genovefæ tradantur in beneficium, illiuſque eccleſiæ res, & ipſam eccleſiam ſub ſuo mundeburdio, ſuaque defenſione recipit. Privilegium his verbis continetur.

VIII. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Francorum Rex, regalis excellentiæ altitudinem & amplitudinem decet virtutum cultu multimodè inſudare, & earum copia affatim exuberare, per quarum adminiculum regni ſolium ſublimare valeat, & reipublicæ ſtatum firmando ſtabiliat; inter quarum conventiculum liberalis munificentia debet tenere præcipuum locum, quæ in commune omnium congruas petitiones ſuſcipiat, & eorum neceſſitatibus benigniſſime condeſcendat, cujus fructus & effectus, ubi fuerit impenſus, & temporalia multipliciter coacervat, & æterna centuplitata repræſentat. Noverit ergo ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, & noſtrorum præſentia, & futurorum poſteritas, quod venerabilis congregatio beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & ſanctæ Genovefæ virginis ibidem quieſcentis, quæ olim à quodam anteceſſore noſtro Francorum Rege Clodoveo hortatu, & perſuaſione beati Remigii Remorum Archiepiſcopi eſt fundata, & prædiorum multitudine ditata, canonicæ religioni eſt mancipata, noſtræ ſerenitatis adierit præſentiam, rogans, & enixè poſtulans, quatenus ſibi & poſteris ſuis liceret ſub dominatione & patrocinio Regum, vel Principis Pariſiatenſem urbem tenentis degere, ut cum tranquilla proſperitate poſſet perpetualiter divinæ majeſtati deſervire, hujus autem petitionis cauſa, & occaſio eam ad hoc poſtulandam incitaverat, quod quorumdam locorum & cœnobiorum multimoda deſolatio hinc orta fuerat, quia à poteſtate & patrocinio Regum, vel propter paganorum metum, vel aliarum neceſſitatum, vel cupiditatum incurſionem diſtracta, in malorum hominum poſſeſſionem, vel potius infeſtationem transferant, aſſiduis afficiebantur injuriis, cujus poſtulationem ſatis rationabilem advertentes, & illius metum, quem non immeritò habebant, removere cupientes; ſtatuimus, & regali auctoritate præcipimus, inſuper & ſigilli noſtri impreſſione firmamus, ut nullus ſuccedentium Regum, & Principum Pariſienſem urbem tenentium, prædictam congregationem unquam alicui jure beneſitii tradat, vel aliquo conventionis genere à ſuo patrocinio, vel procuratione alienet, ſed de regali defenſione habeat cum utilitate honeſtatem, & de Principis poſſeſſione, ſi quando hoc contigerit, præſentem & indeficientem tuitionem obeat, ſimul & ſollemnem. Hujus autem noſtræ auctoritatis ſcriptum, ut inviolabilem perpetualiter obtineret vigorem, Pontifici apoſtolicæ ſedis deliberamus dirigendum, ut cum regali ſacerdotalis auctoritas aſſenſum & corroborationem præbeat, nullo amplius concutiatur turbine, vel qualibet vacillet occaſione, ſed quemadmodum à primo fundatore eſt conſtituta, atque canonica ſimul & regali auctoritate munita, per infinitam temporum connexionem maneat inconcuſſa. Actum Pariſiis publicè anno Incarnati verbi MXXXV. & regni Henrici Regis IV.*

IX. Tempore Henrici Regis Adraldus Abbas ſancti Germani Pratenſis fuit, qui jam ſub finem principatus Roberti Regis cœperat hoc monaſterium adminiſtrare, quod charta, quam hîc tibi deſcribimus, probat.

X. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Robertus Rex &c. Regiæ dignitatis & amplitudinis ſtatum decet, ut quidquid in rebus eccleſiaſtici juris perſpexerit aliqua difficultate implicitum, ſeu civili occupationi obnoxium, ſua auctoritate reddat liberum*

& abſolutum : regalis ſi quidem poteſtas largita eccleſiis bona debet ſervando defendere, & defendendo ſervare, quoniam nec expers credenda eſt remuneratio devotè cuſtodientis à fructibus liberalis largitoris. Vnde noverit tam præſentium, quam futurorum fidelium noſtrorum univerſitas, quod quidam noſter Comes Drogo nomine, ſub advocationis jure, quaſdam terras de Abbatia ſancti Vincentii & ſancti Germani tenebat in beneficio, ſcilicet Neelſitam, Firmerii curtem, Lonvoniolas, Domerii montem, ad quas pater & anteceſſores ſui addiderant multas & injuſtas conſuetudines in villa, quæ dicitur Domni Martini, cum omnibus ſibi adjacentibus, terris, & maſnilibus, ſcilicet in Lencurte & Lentivilla, in Suum curte, in Geneſtivilla, in Badanirete, in Spicarias, in Valle, in Aumaſa, in Lopnter, in Mirebello, in Glatiniaco, in Cameolo, in Laximanias, in Tuillo, in Betherello ; quarum terrarum injurioſas pactiones noſtri beneficii tuebatur auctoritate & occaſione, quarum injuriarum moleſtiis ſupercreſcentibus ultra quam credibile eſt ferre humanam animam. Noſtram adiit præſentiam Adraudus Abbas, qui tunc regiminis præfati monaſterii gerebat curam, cum monachis ſecum Deo ſervientibus lacrymoſas deponens querimonias, & clamores acerrimos ſuper tantarum moleſtiarum injuriis, petens, ut cenſura noſtri judicii, qui auctor injuſtè accuſabat ipſarum moleſtiarum monaſterio, cui præerat, illatarum, ceſſare faceret, quidquid injuſtè in prænominatis terris ſancti Vincentii & domni Germani agebatur, & à prænominato Comite noſtro contra legem uſurpabatur. Quapropter noſtræ ſublimitatis placuit ſerenitati, ut privilegium, quo injuria, quæ illata monachis prædicti loci in Pariſienſi ſuburbio ſiti muniebatur & defendebatur, pro honore & reverentia loci diſſolvamus ; cujus rei cauſa adhibitis prædicto Drogone cum fratribus Fulcone videlicet & Rodulfo, necnon uxore cum filiis ſupra memorati Drogonis omnibus aſtitis, ad quos ejuſdem beneficii pertinebat ſucceſſio. Prædictas omnes conſuetudines, quas injuſte omnes exigebat, nobis & conjugi noſtræ dilectiſſimæ Conſtantiæ, necnon & filio Henrico jam Regi conſtituto reddidit, & redditionem ſacramentorum obligatione firmavit, excipiens quatuor villas, ſcilicet Neelphitam, Firmerii curtem, Lovaniolas, Domerii montem, quas & concedimus jure beneficii, ea tamen conditione, ut nunquam ampliùs aliquam conſuetudinem accipiat, vel exigat in villa Domni Martini, nec in aliquibus ad eam pertinentibus terris, has conventiones conſuetudinum nobis redditas prædicto cœnobio tradidimus perpetualiter habendas, & præcepti noſtri auctoritate jubemus eſſe ratas, necnon ſigilli noſtri impreſſione ſignatas. Actum publice Piſciacenſi palatio anno incarnati Verbi MXXX. regnante Rege Roberto xxxviii. Balduinus Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit.

XI. Fit præterea mentio Adraldi Abbatis in alia charta ejuſdem Regis, data anno ejus regni xxxix. qua ad petitionem illius Rex attribuit monaſterio Pratenſi viariam Antoniacam, quam quidam miles Varinus nomine occupaverat. Extant hæ litteræ in chartulario ſancti Germani à Pratis, ſicut & alia charta, qua Imbertus Pariſienſis Epiſcopus concedit eidem ſancti Germani Pratenſis monaſterio altare, conſtructum in honore ſancti Georgii martyris, in villa Pariſienſis parochiæ, quæ dicitur de Villa nova ; has litteras quoniam quædam continent, quæ ſcitu digna ſunt, tibi exhibemus.

XII. *Cum ſit condecens & opportunum cunctis Chriſtianis populis privilegium pacis, maxime tamen hoc congruit viris eccleſiaſticis, videlicet clericis & monachis, qui activæ vitæ ad hoc bene invigilant, ut contemplativæ aliquando, Deo propitiante, inhæreant. Huic vero intendere operi divini eſt cultus obſequii, nec privabitur à mercede, qui Dei eccleſias curaverit à mundi inquietudine eripere, neque auctoritati derogatur aliquando eccleſiaſticæ, ſi quid in ſervis Dei agitur pro pacis quiete. Vnde ego Imbertus gratia Dei, non meis meritis Pariſienſis Epiſcopus notum eſſe cunctis Dei fidelibus tam futuris, quam præſentibus volo, quia cum ſynodalem conventum celebraremus in ſancta Pariſiorum eccleſia. Adiit præſentiam noſtram Abbas monaſterii martyris & levitæ Vincentii, verum etiam almi præſulis Germani nomine Adraldus, cum ejuſdem loci fratribus humiliter obſecrans, ut & altare, quod eſt conſtructum in honore ſancti Georgii martyris, in villa noſtri epiſcopatus, quod dicitur de Villa nova, perpetualiter poſſidendum concederemus, ad ſupplementum victus monachorum in eodem monaſterio Chriſto ſervientium, quod pietatis opus negare non bonum duximus, præſertim*

cum id ea maxime cauſa expetierint, ne à ſucceſſoribus noſtris frequenti coemptione gravarentur, vel oppreſſione inquietarentur. Conceſſimus autem præuominatæ villæ altare Deo, & ejus martyri & levitæ Vincentio, beato quoque præſuli Germano, ad ſupplementum victus ſervorum ſuorum videlicet monachorum perpetualiter poſſidendum, & quidquid ad ipſum aſpicit propter Synodum & Circadam, annuente Alberto Archidiacono & Elezierno Archidiacono, necnon Olrido ejuſdem gradus præſtantiſſimo viro, noſtris quoque clericis & cuncta Synodo; vel à modo in perpetuum poſſideant. Actum publice Pariſiis coram ſancta Synodo, regnante Henrico Rege xv. Signum Imberti præſulis & Lizierni Decani & Archidiaconi. Signum Vlrici Archidiaconi. Signum Alberti Archidiaconi.

XIII. Synodum illam Diœceſanam tantummodo fuiſſe ex hoc auguror, quod nullus Epiſcopus præter Imbertum Pariſienſem Epiſcopum his litteris ſubſcribat, nulli alii clerici, niſi Pariſienſes Arcbidiaconi: & boc annotandum eſt, quod fit mentio tantummodò Arcbidiaconorum in conceſſione, adeo ut decanatus Eliziernì nulla ſit in charta mentio, quoniam ad illos, poſt Epiſcopum, jus circadæ ſpectabat, quibus ſcilicet incumbebat circuire parochiam, & eccleſias perluſtrare. Data eſt illa charta anno Domini MXLVI. qui decimus quintus regni Henrici fuit. De conceſſione vero altarium aliàs dicendi locus erit. Hæc charta exſcripta eſt ex chartulario Pratenſis monaſterii. Extat & in alio ejuſdem loci chartulario charta Henrici Regis, qua confirmat donationem trium altarium, ſcilicet bujus Villæ novæ, de qua modo diximus, Cumbis & Antoniaci hæc conceſſa ab Imberto Pariſienſi Epiſcopo, & confirmata ab Henrico Rege ad petitionem Adraldi Abbatis ad annum MLVIII. Eodem anno dedit Henricus Rex, cum Tillerias caſtrum obſideret, privilegium eidem monaſterio ad petitionem ejuſdem Adraldi Abbatis, hocque ita ſe habet.

XIV. *Cum in omnibus definitionibus idonea ſunt adhibenda teſtimonia, neceſſe eſt tamen, ut unaquæque juſta & rationabiliter definita ratio, ita roboretur ſcripturarum inſtrumentis, ne deinceps calumniari poſſit ullius falſitatis figmentis. Unde ego Henricus Dei gratia regia dignitate ſublimatus, omnibus cognitum eſſe volo, Dei ſcilicet & ſanctæ eccleſiæ fidelibus, præſentibus ſcilicet & futuris, præcipue autem ſucceſſoribus meis, ante cujus conſpectum hujus noſtri decreti contigerit devenire ſtatutum, quoniam cum in obſidione cujuſdam caſtri Tillerias nuncupati moraremur, adierunt præſentiam noſtri conſpectus duo fratres ex monaſterio ſancti Vincentii, necnon ſancti Germani, miſſu Abbatis Adraldi & omnium fratrum ſub ejus regimine degentium, humiliter obſecrantes, quatenus quamdam eccleſiam perpetualiter poſſidendam concederemus, ad ſupplementum victus monachorum in eodem monaſterio Chriſto ſervientium. Eſt namque præfaca eccleſia in caſtro Drocas nuncupato, ſacrata in honore ſancti Martini; quod pietatis opus negare non bonum duximus. Conceſſimus autem eccleſiam prædicti caſtri cum omnibus conſuetudinibus & juſtitiis illius terræ, quæ ſub noſtro dominio habebantur Deo & ſancto martyri Vincentio, beatoque præſuli Germano, ad ſupplementum victus ſervorum ſuorum, videlicet monachorum, perpetualiter poſſidendam, & juſſimus tale ſcriptum regiæ auctoritatis fieri, quatenus monachi ſancti Vincentii & ſancti Germani prædictam eccleſiam cum omnibus conſuetudinibus & juſtitiis illius terræ, quæ ſub noſtro dominio habebantur, teneant & poſſideant amodo & in perpetuum, annuente Alberto filio Falbaldi, atque Iſualdo de Maurivillare, necnon etiam Morino de Trembleia, in quorum dominio ſupradictæ res noſtra donatione hactenus manſerunt, in gratiam ſocietatis & beneficii cœnobii ſupradictorum ſanctorum, quod acceperunt ab Abbate Adraldo & monachis ejuſdem loci. Eo autem tempore conceſſit jam dictus Morinus quatenus omni anno exinde perſolvant ſibi quinque ſolidos. Quod ſi eidem Morino divina propitiante clementia, concemptis ſæcularibus curis, habitum monachilem ſumere libuerit, aut alicui ſuo hæredi, indulto pretio ſupradicto in cœnobio ſupradictorum ſanctorum ſociabitur Deo ſervientibus, concedimus etiam quoddam pratum, quod vulgari appellatione pratum Archiepiſcopi vocitatur. Ut autem hujus noſtræ donationis privilegium futurum ſit, & in perpetuum ſtabile permaneat, manu noſtra ſubterfirmavimus, & amicis noſtris firmandum tradidimus. Siquis autem contra hæc ſurgens infringere conatus fuerit, cum Iuda traditore æterna damnetur ultione. Actum publice in*

obſidione

obſidione caſtri, quod vocatur, Tillerias regnante Henrico anno xxix. regni ejus. Signum Henrici Regis. Signum Imberti Præſulis. Signum Ademiti Præſulis. Signum Mainardi Præſulis. Signum Fulconis Præſulis. Signum Theobaudi Comitis. Signum Ingenulſi pincernæ. Signum Alberti filii Rebaldi. Signum Gaſtonis militis. Signum Iſuardi militis. Signum Fulconis præpoſiti. Signum Ruperti ruſi. Signum Simonis de Monteforti. Signum Hugonis Bardulſi. Signum Guilelmi militis de Gometh. Signum Gofredi militis de Neella. Signum Raimberti militis. Nomina monachorum Radulfus, Norbertus, Auſculfus, teſtes eorum Fremundus Pariſiacis, Droco cornutus, Henricus de monte, Genſelinus, Conſtantinus ſervientes. Ego Balduinus Cancellarius manu propria ſubſcripſi. Actum anno Dominicæ Incarnat. MLVIII. Breulius Adraldum eodem anno mortuum narrat xv. Aug. quod maxime colligit ex privilegio dato eodem anno ab Henrico Rege ejus ſucceſſori Huberto Abbati, de quo aliàs erit dicendi locus. Sed oportet errorem eſſe in privilegio: nam Adraldum adhuc anno ſequenti ſuperſtitem fuiſſe conſtat, aderat enim Remis anno MLIX. quando Philippus filius Henrici Rex procurante patre ſollemniter inunctus eſt, & ipſe actis illius ſollemnitatis ſubſcripſit. Aimoini appendix ejus obitum annotat ad annum MLX. quod huic ſubſcriptioni convenit.

Sed hæc de Adraldo & de monaſterio ſancti Germani clara atque perſpecta ſunt, non æque certa, quæ referuntur de monaſterio Foſſatenſi. Hildeberto enim quis ſucceſſerit, haud certo aſſeram, in catalogo, quem Breulius texit Hildeberto, de quo ſupradictum eſt, Odilo ſubrogatus eſt. Huic verò ſuccedunt Odo, Giraldus, Teſtio, Ladicus, Guntherius, Robertus. Sed in ea ſucceſſione errorem eſſe haud dubium eſt ex actis monaſterii Foſſatenſis, nec Abbates eo ordine recenſendos conſtat. An inter Hildebertum & Odonem aliqui fuerint, & qui fuerint, non reperio: certe Odo Abbas erat Foſſatenſis anno MXXIX. hocque patet ex charta, quam tibi ſubjicimus. XV.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Robertus divina providente clementia Francorum Rex. Si ergo loca cultibus mancipata divinis propter amorem Dei, eorumque & eiſdem locis famulantium beneficia opportuna largimur, præmia nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit ſagacitas, ſeu induſtria omnium noſtrorum fidelium tam præſentium, quam futurorum, quod Odo Abbas Foſſatenſis monaſterii, ſuique monachi noſtram adierunt ſerenitatem, detuleruntque noſtris aſpectibus quamdam chartam, quam venerabilis Comes nomine Burchardus, per deprecationem Balduini ſui præpoſiti, de beneficio quod de illo tenebat, fecerat quidam ſuo filio nomine Aleranno, ac duobus hæredibus ejus poſt ipſum, tali tenore, ut quamdiu viverent monaſterio Foſſatenſi, quod conſtructum in honore almæ Virginis Mariæ, necnon ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli; ubi reconditum decenter habetur corpus ſancti Mauri diſcipuli Patris Benedicti, Miſſa ſancti Petri Calendis Auguſti, ſex ſolidos denariorum in cenſu redderent: illiſque ab hac luce decedentibus, terrà prædictum frueretur monaſterium. Sed prædictus Alerannus, qui de charta primus hæres extiterat, cujuſque nomen in ipſa deſcriptum erat, monaſterium adiit, Abbatique & monachis reddens ſuper altare beatæ Mariæ ſemper Virginis, beatorumque Apoſtolorum Petri Paulique poſuit, de terrà eàdem pretii tantum accipiens, quantum inter illum & monachos conventio fuit, ob id videlicet ſupradictus Abbas, monachique præfati cœnobii noſtram imploraverunt clementiam, quatenus res quæ videbantur eſſe in charta deſcriptæ; ut idem locus in perpetuum poſiretur pro animæ meæ redemptione, ac pro animarum genitoris ſcilicet, noſtri Hugonis honore regio præeminentis, ac genitricis nomine Adelaidis abſolutione, auctoritatis noſtræ præcepto concedere, & corroborare dignaremur: quorum petitionibus ſervorum Domini annuentes, munificentiæ noſtræ præcepto confirmamus, per quos præcipientes auctorizamus, ut ab hodierna die & deinceps prædictus Abbas & monachi, qui in prædicto monaſterio jugiter Deo militaverunt, eas res, quæ in charta cernuntur inſitæ, perpetim habeant, ac noſtro regali robore ſubnixas poſſideant. Sunt autem hæ res, quæ in charta cernuntur inſitæ, admodum parvæ, in pago Pariſiaco ſitæ, non longe à caſtello Corboili; ſed ſunt in circuitu ejuſdem caſtelli, hoc eſt, in villa quæ vocatur Lirias unum mannillum cum ſilva, & terra arabili, unum farinarium prope jam dictum caſtellum, quod vo- XVI.

catur Emelina cum dimidio arpenno terræ ad ædificandum, ſi fuerit opus, in ipſo loco de terra ſancti Stephani, dimidium arpennum vineæ, dimidium arpennum ad hortum faciendum contra ſancti Exuperii caſtellum, in unione de duobus arpennis vinearum totam conſuetudinem in veteri Corboilo de terra ſancti Germani, quæ dicitur Prudelet, manſum unum & dimidium, in Avias duos arpennos vinearum. In Seiſiaco cenſum de duobus arpennis vinearum; hoc eſt decem & octo denarios, propterea auctorizantes præcipimus, ut nullus Rex, nullus Epiſcopus, nullus Comes, ſive quælibet poteſtas illas res jam ſuperius nominatas diſponere, aut in ſua poteſtate quæcumque eorum decernere, vel delegare præſumat, ſed perpetua ſoliditate in ſupradictorum fratrum poteſtate permaneat diſponendi, ſeu faciendi ex his quidquid elegerint, & ut hujus noſtræ præceptionis edictum, atque roborationis præceptum per cuncta ævi tempora inviolabilem obtineat firmitatis vigorem, manu propria ſubterfirmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Actum Cale cœnobio III. Idus Maii, Indictione XI. anno Incarnationis Verbi MXXIX. Ex chartulario Foſſatenſi hanc chartam deſcripſi. Eſt & alia charta Roberti Regis eodem anno data Odoni Abbati Foſſatenſi: ſed longum eſſet tot chartas deſcribere. Anno ſequenti, ut dictum eſt, ſollemniter peracta eſt dedicatio baſilicæ Foſſatenſis ſub nomine beatæ Mariæ Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ab Imberto Pariſienſi Epiſcopo, Abbate Odone. Undecimo anno poſtquam à fundamentis cœpta eſt ab ipſius prædeceſſore, ad finem demum hoc anno perducta fuerat. Quo anno Odo Abbas exceſſerit, haud dixero, neque affirmabo, quis ejus ſucceſſor immediate fuerit, in actis monaſterii reperi Gunterium Foſſatenſem Abbatem fuiſſe, chartam hanc juvat referre, ejus enim momenti eſt, ut omitti non debeat, eóque magis eam juvat referre, quod data eſt ab Henrico Rege, & ſubſcripta ab Imberto Pariſienſi Epiſcopo.

XVII. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Henricus Dei ordinante providentia Francorum Rex, prædeceſſores noſtri priſcis temporibus litteris commendare, & poſterorum ſolertiæ decreverunt notificare quidquid à fidelibus in ſancta & catholica Eccleſia exhibitum, ne refrigeſcente caritate, & abundante nequitia, ut ſcriptura teſtatur, raptores ac iniqui pervaſores occaſionem invadendi & ſubripiendi poſſint invenire ea quæ eadem mater Eccleſia jamdudum ſibi tradita cœpit poſſidere. Ideo ergo hæc dicimus, quod notum fieri volumus cunctis Chriſtum credentibus, venerabilem Gunterium Foſſatenſis eccleſiæ Abbatem ad nos acceſſiſſe, & de quodam noſtro milite nomine Nivardo graviter conqueſtum eſſe. Dicebat enim Abbas ſe in pago Pariſienſi quandam ſe habere & poſſidere villam nomine Equatam in finibus ſilvæ Aquilinæ ſitam, quam olim ſuo in tempore Carolus Foſſatenſi eccleſiæ tradiderat, ac perpetualiter poſſidendam cum omnibus, quæ ad prædictam villam pertinent, ſylva ſcilicet, prato, aqua & terra arabili, hoſpitibus, & eccleſia in honore beati Petri Apoſtoli conſecrata, placida mente, pioque corde contulerat, quam utique villam præfatus miles ſub velamine tuitionis, velut iniquiſſimus prædo atterebat, creberrime illic moram faciendo, & venatum iens & rediens, colonis pauperibus ibidem commorantibus multa & gravia mala inferebat. Nos vero ab eodem Abbate talia audientes, ſimulque rectum eccleſiæ conſiderantes, diem rectitudinis ei ſtatuimus, præfatumque militem, ut die nominata ante nos verbis Abbatis aſtaret Pariſius paratus reſpondere, monuimus, cumque die ſtatuta ante nos veniſſent, jam dictus Abbas clamorem inferendo, & ſuæ eccleſiæ rectum oſtendendo, coram optimatibus noſtris narravit, & illatas ſibi à Nivardo injurias viva voce & aperta ratione, cunctis aſtantibus manifeſtavit, qui verbis non valens Abbatis reſiſtere, omnium judicio procerum confuſus reticuit, reumque ſe proclamans pro rebus eccleſiæ à ſe male tractatis, noſtro regali judicio rectum in manu Abbatis poſuit. Abbas igitur manibus duorum clientum coram omnibus ſacramento probavit, quod tutor villæ jam dictæ, in ea jure non debet capere, niſi unum avenæ ſextarium de arpennis, in quibus hoſpites hoſpitantur. Ceteri vero arpenni à domibus remoti, nihil aliud reddunt tutori niſi minam avenæ. Si autem cultor arpenni defuerit, & arpennus in feodum beati Petri redierit, tutor in eo nihil capiet, uſquequo cultor redeat, & arpennum à miniſtro Abbatis recipiat; nullam igitur aliam conſuetudinem, excepta venatione, in omni terra ſancti Petri tutor debet ritè habere. Si vero aliquis hoſpitum ibi morantium contra Abbatem, vel ejus miniſtrum rebellis fuerit,*

tutor ille ad juſtitiam & rectitudinem injurioſum illum ad curiam Abbatis, aut ejus miniſtri debet adducere, & pro foris-facto ille quartam partem juſtitiæ debet recipere. Hoc itaque ſic in curia noſtra probatum & definitum eſt, coram multitudine procerum, ac militum, atque clientum, qui unanimiter nos precati ſunt ſuper id noſtros apices fieri, eorumque nomina ad perpetuum memoriale ſubſcribi. Vt autem hæc definitio ſeu probatio perpetuum per cuncta ævi tempora obtineat vigorem manu noſtra firmavimus, ac ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Signum Henrici Francorum Regis. Signum Mainardi Senonenſis Archiepiſcopi. Signum Imberti Epiſcopi Pariſienſis. Signum Frollandi Epiſcopi Silvanectenſis. Signum Rodolfi Comitis. Signum Guilelmi Corbollenſis Comitis. Signum Yvonis Comitis Bellomontis. Signum Nanterii Vicecomitis. Signum Guilelmi Comitis de Goms. Signum Balduini Coneſtabilis. Signum Ingenulfi Buticularii. Actum Pariſius civitate in aula Regis, anno incarnationis Dominicæ M X L I I I. Indict. xi. ſub xiii. Calend. Iunii, anno vero Henrici Regis glorioſi xii. Balduinus Cancellarius relegit & ſubſcripſit.

In ea tantummodo charta reperi nomen Gunterii Abbatis huic ſucceſſit Ro- XVIII.
bertus, qui anno ML. adfuit detectioni reliquiarum ſancti Dionyſii, & actis his verbis ſubſcripſit *Robertus Abbas ſancti Petri Foſſatenſis*, & ex aliis locis addiſcimus eum anno MLVI. & LVII. ſuperſtitem fuiſſe. Huic ſubrogatus eſt Landricus. Ecce tibi chartam, ubi fit mentio Landrici anno M L V I I I. Hæc ob eam maxime cauſam data eſt. Guilelmus Comes Corboilenſis perierat ab Henrico Rege, ut eam haberet poteſtatem in monaſterium Foſſatenſe, quam olim habuerat Burchardus Comes, ægrè Rex illius rogationi ſubſcripſit, ſed adhibitis quibuſdam conditionibus, quibus illa Comitum Corboilenſium poteſtas coercetur; in ſuis enim litteris Rex exponit diſertis verbis, quæ fuerint Burchardi jura in hoc monaſterium, ea ſcilicet ſpectaſſe defenſionem, neque illum alia ſibi vindicaſſe, quæ ad regimen monaſterii, aut bonorum poſſeſſionumque adminiſtrationem, nedum invaſionem pertinerent. Charta hæc eſt ejuſmodi.

In nomine Domini æterni & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, Henricus Dei clemen- XIX.
tia Francorum Rex. Conſtat noſſe univerſorum Chriſticolarum ſolertiam, quod ea, quæ in ſancta Dei geruntur Eccleſia, ſcripturarum teſtimoniis confirmari debent, ne iniqui pervaſores occaſionem inveniant invadendi, quod ſponſam Chriſti oportet ſine cujuſque contradictione poſſidere. Hoc ergo ideo dicimus, quia notum fieri volumus cunctis per quatuor mundi climata degentibus, quod quidam noſter miles Guillermus nomine caſtri Corboili ſuggeſſit nobis, ac deprecatus eſt noſtram clementiam, ut concedere dignaremur ea, quæ quondam bonæ memoriæ Comes Burchardus nomine in cœnobio ſanctæ Mariæ, ſanctique Petri Apoſtoli Foſſatenſis eccleſiæ temporibus avi noſtri Hugonis Francorum Regis habere videbatur. Nos vero, licet inviti agamus, hujus tamen noſtri excepti auctoritate manifeſtamus, quomodo vel qualiter ei concedimus. Vt enim à noſtris majoribus comperimus, jam dictus Comes Burchardus nihil aliud ab avo noſtro jam dicto Hugone de ipſo loco habuit, neque tenuit, niſi ut providentiam, atque defenſionem adverſus hoſtes, & inimicos ſanctæ Dei Eccleſiæ, atque pervaſores prædiorum ipſius loci, hunc & ipſum locum ſublimare, atque ditare terrarum ſuarum beneficiis, atque poſſeſſionibus liceret. Eâdem ergo ratione præſcripto Guillermo concedimus, ut nunquam deteriora, vel viliora, aut peiora, ſed ſimilia, aut certe meliora ipſi dicto dilecto loco facere liceat, prohibemus quoque hac noſtra auctoritate, cunctiſque ſciendum manifeſtamus, ut nullo modo aliud ei ibidem facere liceat, nec quidquam invadere ampliùs præſumat, niſi quod hic deſcriptum habetur, non Abbatem mittere, aut ordinare, nec à nobis miſſum proponere, nec donum Abbatiæ cuiquam dare, quia hoc apoſtolica auctoritate omnino excommunicatum atque damnatum novimus, nec unquam proſequatur Rex Francorum ipſam Abbatiam venumdare, aut dare, aut in beneficio tribuere valeat alicui, neque ullus requirere, nec recipere audeat, ſed uſque in ævum apoſtolicalis atque regalis Abbatia exiſtat. Statuimus etiam per hos noſtros regales apices, ne terras ſervorum Dei ipſi loco pertinentes tyrannica fiſus dominatione ſibi retinere, aut invadere præſumat, nec accolas terrarum crudeliter opprimat, nec ea, quæ illorum ſunt, eis auferat, nec ornamenta ipſius eccleſiæ in ſua poteſtate redigat, nec aurum, nec argentum, nec equos, nec quidquam, quæ illorum ſunt, ab illo loco per violentiam,

aut aliquam machinationem, vel malum ingenium auferat, nec requirat: nec ullas moleſtias ibidem adveniens, nec ullus ſuorum, ſervis Dei inferre præſumat, nec convivia præparare jubeat, ſed ſicut ego facie illuc accedens ſanctorum patrocinia deprecaturus humiliter accedat. Si vero caritatis gratia aliquid ei à fratribus oblatum fuerit, humili mente cum gratiarum actione ſuſcipiat, ſeu aliter nihil requirere præſumat, quod ſi aliter agere ſuperbus diabolo ſibi ſuadente præſumpſerit, & hanc noſtram auctoritatem ſuperbia inflatus infringere, aut evertere tentaverit. Neverit abſque dubio hanc ipſam dominationem, ſic à nobis conceſſam ab ee auferri, & noſtro dominio, ut ante fuit, reſtitui. Si autem poſt modum eundem locum auſus fuerit inquietare, excommunicetur perpetua damnatione ab Abbate, & à cunctis monachis illius loci, & ab univerſis Archiepiſcopis, & præſulibus totius Galliæ, & inſuper, ſi non reſipuerit, ab apoſtolica ſancta Romana eccleſia, que uſque ad ſatisfactionem & emendationem, ante altare & ſanctorum patrimonia, monachorumque ibi degentium placitam veniat. Si vero poſt noſtri corporis diſſolutionem hæc tranſgreſſus fuerit, obſecramus noſtros hæredes, cunctoſque regni noſtri ſucceſſores, ut ipſi ſancto loco, fratribuſque monaſterii adjutores, & defenſores exiſtant, ad hæc perpetualiter obſervanda, quæ hic inſerta continentur. Ob hec denique Abbati Landrico, fratribuſque ipſius loci hoc noſtrum præceptum fieri juſſimus, ut per eum omnem occaſionem aliquid injuſtè invadendi, à jam dicto viro expelleremus, & ut pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, qui eis adjutorium & defenſionem in hac re præbuerint, multo devotius atque libentius exorare delectet, & ut hæc noſtra auctoritas à nobis noſtriſque ſucceſſoribus perpetuò incorrupta conſervetur, manu propria firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Henrici glorioſi Francorum Regis. Balduinus Cancellarius recognovit. Actum Pariſ. civitate anno Incarnati verbi M L V I I I. Indict. XI. in Dei nomine feliciter amen. die III. Calend. Iulii. Aliàs de monaſterio ſancti Maglorii dicemus.

CAPUT VI.

De Berengario, & de ejus hæreſi, & diſputationibus de Euchariſtia, quæ ejus hæreſim præceſſerunt.

I. CUm Berengarius ea ætate pravam de Sacramento Euchariſtiæ doctrinam ſpargere cœpiſſet, ſummi Pontifices & Epiſcopi illam novitatem pariter & ſcriptis confodere, & habitis Synodis anathematis gladio jugulare inſtituerunt. Sed cum hæc hæreſis in Galliis orta ſit, & Gallias inprimis infeſtaverit, & anno M L. Pariſiis in celebri conventu condemnata ſit, de ea mihi utique dicendum eſt; ſed rem ab ipſa origine repetam. Berengarium natum Andecavis vulgò narrant, ſed id magis, quod in Eccleſia Andegavenſi Archidiaconus fuerit, quam quoniam in ea urbe natus ſit. Certum eſt illum præcipuè Turonis ſæpius verſatum eſſe, & ea maxime urbe delectatum, & ſcriptores illius æquales Turonenſem, ut plurimum, eum appellant. Guitmundus Epiſcopus Averſanus in eo opere, quod adverſus eum ſcripſit, Turonenſem eum vocat, ſimiliter & Theoduinus, & Lantfrancus, quos deinde Sigebertus, & Trithemius ſecuti ſunt. Honeſtis divitibuſque parentibus natum eum eſſe oportet, ut pote qui liberaliter educatus ſit, & qui poſtea ſuis diſcipulis ſuppeditaret, unde vitam tolerarent. Carnuti ſub magiſterio Fulberti, qui ob doctrinam in magna his temporibus exiſtimatione erat, quique poſtea ad Carnotenſem cathedram evectus eſt, litteris operam poſuit, ut tradit Adelmannus, qui ſub eodem magiſtro ejus fuerat condiſcipulus, ut ipſe teſtatur. Scribitque in Carnotenſi academia, ſub illo venerabili Socrate, ſanctioribus diſciplinis appuliſſe animum; revocatque in mentem, quæ ille ſapientiſſimus magiſter ſoleret auditoribus inculcare, cum

eos adhortari non deſineret, ut recto tramite quiſque incederet, neque in abruptum iter abripi ſe quiſquam ſineret, tritam ſanctis Patribus viam patere omnibus, hanc eſſe ſequendam. Obteſtabatur diſcipulos per lacrymas, ne aliò imprudenter deflecterent. *Obteſtans*, inquit Adelmannus Brixienſis Epiſcopus, *per ſecreta illa & veſpertina colloquia, quæ nobiſcum in hortulo juxta capellam de civitate illa, quam Deo volente ſenator nunc poſſides, ſæpius habebat, & obſecrans per lacrymas, quas interdum in medio ſermone prorumpens, exundante ſancti ardoris impetu emanabat, ut illuc omni ſtudio properemus viam regiam directim gradientes, ſanctorum Patrum veſtigiis obſervantiſſime inhærentes, ut nullum prorſus in diverticulum, nullam in novam, & fallacem ſemitam deſiliatur, ne forte in laqueos diaboli ſcandala incidamus.* Ex his colliges, Berengarium ingenio præditum fuiſſe, & jam tunc Fulbertum rimuiſſe, ne Berengarius in avios errores declinaret. Quin etiam eſt fragmentum in Floriacenſi bibliothecâ, ex quo intelligimus jam Fulbertum morti proximum prævidiſſe, eum olim noxium fore Eccleſiæ, quem ex amicorum conventu, qui ſibi morienti aderant, expelli juſſerit. Poſtea Turonos reverſus eſt, cumque philoſophiæ & liberalibus diſciplinis, ut illa ferebant tempora, inprimis imbutus haberetur, in eccleſia ſancti Martini Turonenſis ſcholæ præpoſitus eſt, hocque munus aliquamdiu egit: aiunt præterea & Camerarii & Theſaurarii, quod in ea baſilica honorificentiſſimum eſt munus, geſſiſſe. Quid ſit vero, quod ab illo eccleſiaſtico munere abierit, haud memorabo. Certum eſt inde Andecavos profectum, & Archidiaconum in ea eccleſia fuiſſe, dum hoc fungitur munere, ut erat lectionis ſtudioſus, incidit forte in librum Joannis Scoti, quem ſcripſit de corpore & ſanguine Domini. Quæ vero illius auctoris ſcripta ſint? plures hoc tempore diſputant, cumque ea res in controverſiam vertatur, & haud parum conducat ad explanandam hanc, quam agimus, diſputationem, de eo auctore, ejuſque libris mihi quærendum eſt. LIB. X. CAP. VI.

Joannes Erigena in Galliam venit ſub principatu Caroli-calvi, diximus antea, cum illius Principis tempora recenſeremus, undequaque doctiſſimos veniſſe Pariſios, ex quo enim Carolus-magnus ſcholas in Gallias induxit, & his in locis celebratæ diſciplinæ ſunt, tum in has terras plures diſcendi gratia advolabant. Scriptor Anglus tradit, eum uſum familiariſſimè conſuetudine Caroli-calvi, ut pote qui græcè & latinè ſciebat. & philoſophiæ diſciplinis, pro ut erat illius ætatis conditio, bene inſtitutus erat. Hierarchicos ſancti Dionyſii libros latinè reddidit. Cum Gotteſchalcus Orbacenſis monachus duas prædeſtinationes aſſerere cœpiſſet, ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo, & Pardulo Laudunenſi provocatus eſt ad ſcribendum, contra illius monachi aſſertiones: & ad unam Dei prædeſtinationem prædicandam. Hæc quidem laude digna fuerunt; ſed & in eo auctore haud pauca fuerunt nigro annotanda lapillo. Cum Nicolaus Papa accepiſſet, ab eo latinè redditos hierarchiæ libros, eos ſuſpectos habuit: quoniam rumor erat, eum in quibuſdam non ſanè ſapere. Cum ſcripſiſſet adverſus Gotteſchalcum, Valentina Synodus ejus libros improbavit, ejuſque capitula XIX. ineptiſſimè concluſa verbis contumelioſis exploſit. Lingonenſe Concilium ejus argumenta fallacia, & deceptione imperitiſſimâ confuſa eſſe dictitat. Neque minus illi iniqua eſt Eccleſia Lugdunenſis, quæ ejus ſcripta digna irriſione, deſpectione, immo & anathemate cenſet. Indignè cum eo agit Prudentius, qui aliis ſcriptis ejus libros confutavit, ſed quod præcipue ejus memoriam peſſima inuſſit nota, librum de Euchariſtia ſcripſit, ex quo poſtea Berengarius ſuos hauſit errores, docuiſſe enim dicitur aliena à doctrina Paſchaſii, qui conſona fidei Catholicæ ſcripſerat. Quis ſit liber ille de Euchariſtia dictu longe difficillimum eſſe exiſtimo, & quid in eo ſcriptum ſit, non enim modo habetur ille liber, aut ſi habetur, eraſum eſt Joannis Erigenæ nomen, & alterum ſuppoſitum. Sed ad res noſtras clarius exponendas, juvat & hoc argumentum breviter pertractare. II.

Poſt aliquot annos quàm Ludovicus-pius imperium Francorum adminiſtrare cœpit, Paſchaſius Radbertus, tum monachus, & poſtea Abbas Corbeienſis, librum ſcripſit de corpore & ſanguine Domini, hunc ad edocendum quemlibet III.

LIB. X. CAP. VI.

puerum à ſe compoſitum eſſe profitetur. In eo libro docet in ſacramento Euchariſtiæ panis & vini ſubſtantiam in corpus & ſanguinem Chriſti converti, poſt verba ſcilicet conſecrationis idem corpus Chriſti, quod ex alvo beatæ Virginis prodiit, quod Cruci affixum eſt, quod ſepultum tumulo, quod poſtea ad vitam revocatum eſt, eumdem ſanguinem, qui pro omnium ſalute fuſus eſt, qui ex ejus latere cum aqua exiit, ſub viſibilibus panis & vini ſpeciebus contineri. Hanc doctrinam pluribus exponit Paſchaſius, quam aſſerit. *Et quia voluit*, inquit ille, *licet figura panis & vini hic ſit, omnino nihil aliud, quam caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt. Vnde ipſa veritas ad diſcipulos. Hæc*, inquit, *caro mea eſt pro mundi vita. Et ut mirabiliùs loquar, non alia plane, quam quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulcro. Hæc, inquam, ipſa eſt, & adeo Chriſti caro eſt, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur: & cum, dignè percipitur, vita utique in nobis reparatur.* Eadem ferme repetit in epiſtola ad Fredugardum. *Quod ſi quæris, cariſſime, ſuper quibus univerſaliter ab omnibus Amen reſpondeatur in tota Eccleſia Chriſti, reſpice in ſacramentorum celebratione, inſtituente beato Petro, (ut credimus) quid orat ſacerdos in canone, exceptis his, quæ poſt communionem dicuntur; ut fiat*, inquit, *corpus & ſanguis dilectiſſimi filii tui Domini Ieſu Chriſti, qua prece expleta, conſona voce omnes Amen dicimus, ſicque omnis Eccleſia in omni gente & lingua orat, & confitetur, quod hoc ſit, quod orat. Vnde videat, qui contra hoc venire voluerit magis, quam credere, quid agat contra ipſum Dominum, & contra omnem Chriſti Eccleſiam: nefarium ergo ſcelus eſt, orare cum omnibus, & non credere quod ipſa veritas teſtatur, & ubique omnes univerſaliter verum eſſe fatentur.* Hæc, & alia ejuſmodi Paſchaſius de ſacramento Euchariſtiæ. Nihilominus quoſdam hæc doctrina commovit. Sed antequam ad eos veniam, qui huic doctrinæ adverſati ſunt, quædam præmittenda, quæ ſequentibus lucem afferent. Inprimis annotandum eſt, ante tempora Paſchaſii neminem ex ſanctis Patribus ſingulari aliquo libro de Euchariſtiæ ſacramento locutum eſſe, etſi ſæpius de eo variis in locis ſermo habitus eſt. Quiſque fidelium hanc profitebatur fidem, quam modo ultrò ſuſcipimus, & prædicamus: hanc quoque Patres docuerunt. Sed cum non ex propoſito de eo ſacramento loquerentur, eam fidem non ea verborum expreſſione tradebant, qua Radbertus. Satis illis erat, ſi dicerent eſſe corpus Chriſti, addebant quidem aliquando hoc eſſe corpus ipſum, quod natum ex Virgine, quod ſuffixum Cruci, quod ſepultum eſt; ſed plerumque eas quoque locutiones omittebant. Nondum orta contentione de ſacramento Euchariſtiæ, aſſerebant corpus Chriſti reipſa in Sacramento contineri, ſed citra fidei diſpendium modum, quo continebatur diligentius exponere haud ſtudebant: fideles ſacra venerandaque myſteria ſummo ſupremoque cultu, ut decebat, proſeqnebantur, magnum & ſingulare myſterium in receſſu lumine fidei cogitantes, quod in proſpectu non apparebat. Cum nemo diſſentiret, nemo hanc religionem evertere aggrederetur, quiſque ſuam fidem tacita veneratione teſtabatur, & Patres, nondum certantibus Berengarianis & Calvinianis, ſecurins de Euchariſtia loquebantur, quod plerumque in rebus fidei accidiſſe deprehendimus, ut ante quam hoſtes fidei de quolibet articulo nobiſcum contenderent, etſi fides integra erat, nondum tamen uſus eſſet in Eccleſia vocabulorum, quæ tantummodo adverſus artes hæreticorum ſunt inventa, quæque poſt longam concertationem ad conterendas hæreſes quæſita. Sic vidimus ante Arrii inſaniam, vix dum uſum vocabuli ὁμοουσίου, ſeu conſubſtantialis, reperiri. Etſi habebatur ea fides, quæ ſignificatione hujus vocabuli concipitur. Ante Neſtorii, aut Eutychis hæreſim, nondum fides de una in Chriſto perſona, & de duabus in eodem naturis, his verbis, eaque explicatione vocabulorum diſtinctè exprimebatur, quemadmodum expoſita eſt, poſtquam ex conflictu diſſidentium, vocabula, ſicut tela, inventa ſunt, ad confodiendas illas hæreſes: ita quoque ante Pelagii, Cæleſtii, & Juliani infeliciſſima tempora; nondum inflicta humano generi per peccatum primi hominis, vulnera adeo nota erant, nondum adeo perſpicuè explorata, ad vulnus curandum Chriſti medentis gratia, partam quidem pretio ſanguinis Chriſti ſanita-

tem quiſque fidelium confitebatur, ſed ratio morbi, & modus medendi haud LIB. X.
ita bene agnoſcebatur. Cum hoſtes Eccleſiæ & veritatis quotidie varias artes CAP. VI.
invenirent, ad corrumpendam fidem: tum Eccleſia omnem locum, omnes ex-
plorare angulos, ne hoſtium inſidiis locus pateret, omnia ſedulo circumſpicere,
quæ ad fidem ſpectarent, ut eam ſartam, tectamque defenderet, & nihil facere
reliqui, quo penitus undequaque adverſus inſidiantium conatus ſe muniret;
quæ cautio non adhibebatur, cum quies erat, nec hoſtes obſtrepebant; ita
factum eſt de ſacramento Euchariſtiæ: dum Eccleſia tranquilla eſt, nec de eo
decertatio eſt, de modo ſacramenti non uſquequaque accurata expoſitio fuit:
ſed orto certamine intercluſi omnes aditus, qui patebant ad profligandam
fidem. Quomodo verò ea concertatio orta ſit, modo nobis dicendum eſt. Paſ-
chaſius, ut memoratum eſt, de corpore & ſanguine Domini ſcripſit, non anno
DCCCXVIII. ut vulgo creditum eſt, ſed anno DCCCXXXI. ut Ma- *Act. Bened.*
billonius multis approbat, & librum Carolo calvo miſit anno DCCCXLIV. *ſecul. 4.*
Idem auctor præterea de Euchariſtiæ ſacramento ſcripſit in lib. XII. commen- *part. 2.*
tariorum in Matthæum, & in epiſtola ad Fredugardum, ſeu ad Fredegardum.
Paſchaſius hanc eſſe fidem aſſerit, quam totus orbis credit, & confitetur,
quam qui oppugnet, contra ipſum Dominum, & omnem Eccleſiam agere dicti-
tat. Ex quibus patet, vulgo traditam hanc fidem tempore Paſchaſii, huic ta-
men doctrinæ quidam adverſabantur, quod ipſe Paſchaſius confitetur. Quidam,
ut ſæpe fit in rebus fidei, perverſè ſentiebant, aſſerebant quippe non verita-
tem carnis, aut ſanguinis ineſſe Sacramento, ſed tantummodo virtutem quam-
dam carnis & ſanguinis. *Unde miror*, inquit, *quid velint nunc quidam dicere, non
ineſſe veritatem carnis & ſanguinis Chriſti: ſed in Sacramento virtutem quandam
carnis, & non carnem; virtutem fore ſanguinis & non ſanguinem, figuram & non
veritatem: umbram & non corpus.* Quidam, etiam Paſchaſio teſte, abutentes ver- *Paſchaſ. in*
bis ſancti Auguſtini, trifariam corpus Chriſti eſſe dicebant; eſſe illius corpus, *Matth 12.*
quod natum ex beata Virgine; eſſe corpus, quod ex ipſo & Eccleſia; tertium
illud eſſe, quod in ſancto ſacramento Euchariſtiæ habebatur: negabant quippe
hoc Chriſti corpus, quod Euchariſtia continetur, idem eſſe, ac illud, quod
natum ex beata Virgine, ſed ipſum Chriſti virtute & potentia ſancti Spiritus
creatum: de hac quoque doctrina Paſchaſius ad Fredegardum loquitur. *Ad* *Cap. 10.*
ultimum quæſo ne ſequaris ineptias de tripartito Chriſti corpore &c. Quoſdam de-
mum idem Paſchaſius perſtringit, qui corpus Chriſti poſt ſumptionem in ſe-
ceſſum ire exiſtimabant. Hæc poſtea fuſius & clarius explicabimus. De iis ſic
Paſchaſius loquitur. *Neque obſervandum ſicut Apocryphorum monumenta decernunt,
donec ea digerantur in corpore.* Et ad calcem capitis hujus. *Frivolum eſt ergo, ſicut
in eodem apocrypho libro legitur, in hoc myſterio cogitare de ſtercore, ne commiſceatur
in alterius cibi digeſtionem.*

Cum nondum ea ætate doctrina de ſacramento Euchariſtiæ ſuis circum- IV.
ſcripta limitibus eſſet, neque ſua vocabula eſſent ad explicandam Sacramenti
hujus rationem, aliò alii facile diſtrahebantur, & quidam etiam ultra rectæ fidei
metas evagabantur. Pleriſque tamen ea ſententia inſederat, quæ quidem or-
thodoxa erat, & ſanctæ fidei conſona, quæ ſcilicet corpus Domini revera in
Sacramento exiſtere docebat. Ea tamen proxima periculo videbatur, quæ do-
cebat corpus eſſe Jeſu Chriſti: verùm hoc ipſum idem eſſe, quod natum eſt ex
Virgine, negabat. Quidam igitur, perlecto libro Paſchaſii, adverſus ſententiam,
quam protulerat, ſcripſerunt, ut Anonymus ille, quem Celotus edidit, comme-
morat. *Satis*, inquit, *argumentatur Rabanus, in epiſtola ad Egilonem Abbatem,
& Ratramnus quidam libro compoſito ad Karolum Regem, dicentes aliam eſſe car-
nem, vel teſtimonio beati Hieronymi, qui dicit dupliciter corpus Domini; vel ex au-
ctoritate beati Auguſtini, qui dicit tripliciter dici.* Rabanus igitur Moguntinus Epiſ-
copus non facile ferebat hoc, quod Paſchaſius aſſerebat, idem ipſum corpus,
quod natum ex Maria Virgine, eſſe in Sacramento Euchariſtiæ poſt verba con-
ſecrationis, ipſum tamen corpus revera in eo contineri nova quadam ratione
affirmabat. Hæc Rabanus in epiſtola ad Egilum ſeu Egilonem, quæ non extat, niſi

forte ea ſit, quæ habetur in actis Benedictinis ſæculi IV. parte ſecunda, quam Mabillonius edidit, qui & hoc, quod pertractamus argumentum, doctè & eruditè ſtylo proſecutus eſt in præfatione ejuſdem libri. Hanc porro epiſtolam deſcripſit ex codice Gemblacenſi. Notandum in ea epiſtola ſtatim rectam fidem de corpore & ſanguine Chriſti tradi, *quod corpus & ſanguis Domini vera ſit caro, veruſque ſit ſanguis, unuſquiſque debet credere, noſſe, tenere, confiteri pariter, & incunctanter aſſerere fidelis. Prorſus quiſquis hoc negat, eſſe, cognoſcitur & convincitur infidelis, quippe qui non credit ipſi Domino dicenti: Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam æternam.* Hanc ſententiam pluribus proſequitur idem auctor: *Hoc profecto*, inquit, *fideliſſime confirmo, & addo, quod ſic veritas eſt Chriſtus, & verus agnus Dei, qui quotidie pro vita mundi myſtice immolatus; ita procul dubio ex pane vera caro, & ex vino verus ſanguis ejus conſecratione Spiritus ſancti potentialiter creatur.* Ex his intelligis, quæ fuerit Rabani ſententia de corpore Domini; verum ſcilicet & reipſa proprium Chriſti corpus Sacramento corporis contineri dicebat, tamen negabat corpus Chriſti idem prorſus eſſe, quod natum ex beata Virgine, ſed hoc aſſerebat virtute Spiritus ſancti creatum, Paſchaſiumque alia ſentientem maxime reprehendebat. *Illud*, inquit, *in hoc libro*, ſcilicet Paſchaſii, *mihi prius penitus fateor inauditum, reperiri ſub nomine ſancti Ambroſii, quod non ſit hæc alia caro Chriſti, quam quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulcro. Hæc*, inquit, *ipſa eſt, & ideo Chriſti eſt caro, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur. Hoc in capitulo poſitum eſt ſecundo. Similiter dicitur & in octavo: vere crede, & hoc, quod conficitur in verbo Chriſti per Spiritum ſanctum, corpus ipſius eſſe ex Virgine. Iſtud plane fateor, numquam me prius audiſſe, vidiſſe, legiſſe, multumque miratus ſum hoc ſanctum Ambroſium dixiſſe, & inſuper etiam multo magis miror auctorem hujus voluminis iſtud ibi poſuiſſe.* Et poſtquam locum retulit ex ſancto Auguſtino. *Hæc dicta ſi velut nimis neceſſe fideliter, ferventer, diligenter, intelligenter & frequenter legeritis, manifeſtiſſime cognoſcetis, non quidem, quod abſit, naturaliter, ſed ſpecialiter aliud eſſe corpus Domini, quod ex ſubſtantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum ſanctum conſecratur, quod à ſacerdote poſt modum Deo Patri ſuppliciter offertur, & aliud corpus Chriſti, quod natum eſt de Maria Virgine, in quod iſtud transfertur, & aliud ſpecialiter corpus Chriſti, ſanctam ſcilicet Eccleſiam, qui corpus Chriſti ſumus, dum ab ipſo ſummo Chriſto Pontifice porrigente tribuitur & confertur.* Rabani ſententia eſt, corpus quidem Chriſti, quod Sacramento continetur, idem eſſe naturaliter cum corpore Chriſti, verum ſpecialiter, ſeu per ſpeciem apparentem, aliud eſſe, quoniam Chriſto, ſi ſtatum naturalem ſpectes, aut ſactamentalem, diverſa ſpecies, diverſa exiſtendi ratio competit, quæ tamen non prohibent, quominus vere & realiter idem, unuſque & in Sacramento, & in ſtatu naturali Chriſtus ſit. Hæc ex anonymo, quem cum Mabillonio haud dubitabo Rabanum appellare, & cum eo aſſerere, ipſam ejus eſſe epiſtolam, quam ad Egilonem contra Paſchaſii ſententiam ſcripſit. Ex his porro intelligimus, Rabanum facile conciliari cum Paſchaſio, cum Rabanus dicat, realiter ſeu naturaliter eſſe corpus Chriſti, quod Paſchaſius natum ex Virgine aſſerit: ex quibus intelligimus, litem non fuiſſe inter eos de reali corporis Chriſti præſentia quam quiſque defendebat.

V. Eſt alterum hominum genus, quos reprehendit Paſchaſius, qui docebant, corpus Domini ſeceſſui obnoxium fuiſſe. Quoſdam ea ætate in eam male ſanam doctrinam incidiſſe haud dubito, verum eos in ſectam aliquam aliquando coaluiſſe non reperio. Etſi nomen Stercoraniſtarum, qui hanc opinionem ſectabantur, poſtea conſecuti ſunt. Unde vero ſit origo pravæ opinionis, breviter explico. Cum pariter omnes crederent, panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti in conſecrarione converti, inquirere cœperunt, quid de corpore Chriſti fieret poſt ſumptionem; cum nondum controverſia hæc excitata fuiſſet, nedum definita in Eccleſia, varii varia reſponderunt: quidam ancipites & dubii, quid affirmarent non habebant: inter eos Amalarius, qui eo ferme tempore ad Guntardum ſcribebat, quo Paſchaſius opus ſuum de corpore & ſanguine Domini compoſuit, in hunc modum de eo argumento reſpondit. *Ita vero*

Spicileg. 7.

ſumptum

ſumptum corpus Domini bona intentione, non eſt mihi diſputandum, utrum inviſibiliter aſſumatur in cœlum, an reſervetur in corpore noſtro uſque in diem ſepulturæ, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum ſanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino, omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Hoc ſolum cavendum eſt, ne corde Iudæ conſumam illud, & ne contemptus habeatur, ſed diſcernatur ſaluberrime à communibus cibis. Intelligis ex his, Amalarium nihil certi de hac quæſtione dicere. Certe alii alia ſolebant de ea controverſia aſſerere. LIB. X CAP. VI.

VI. Juxta diverſas illas opiniones ſanctus Damaſcenus credebat Euchariſtiam poſt ſumptionem in noſtram carnem & ſanguinem noſtrum converti, εἰς οὐσίαν τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος, quam ſententiam ultro amplexus eſt Paſchaſius, cap. 20. *non modo caro & ſanguis Chriſti in noſtram convertuntur carnem aut ſanguinem, verum nos à carnalibus elevant, & ſpirituales efficiunt. Hoc ſane in nobis nutriunt, quod ex Deo natum eſt, non quod ex carne & ſanguine*: & inferius. *Frivolum eſt ergo, ſicut in eodem apochrypho libro legitur, in hoc myſterio cogitare de ſtercore, ne commiſceatur in alterius cibi digeſtionem.* Cum haud pauci in animum induxiſſent, nomine ſubſtantiæ etiam quantitatem contineri, panis & vini quantitatem in Euchariſtia exiſtimabant in corpus & ſanguinem Chriſti converti, eamque quantitatem verſam in corpus Chriſti digeſtioni & egeſtioni obnoxiam eſſe reputabant, atque adeo facile in eam pravam abierunt opinionem, quæ aſſerebat corpus Chriſti in ſtercus ire, & per ſeceſſum emitti, qui Stercoraniſtarum error fuit. Heribaldus Autiſſiodorenſis Epiſcopus de hoc argumento Rabanum Moguntinum Archiepiſcopum interrogavit, extat illius reſponſio in epiſtola ad Heribaldum, quam edidit Baluzius: in eâ ſic Rabanus loquitur. *Quod autem interrogaſti, utrum Euchariſtia, poſtquam conſumitur, & in ſeceſſum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam priſtinam, quam habuerat, ante quam in altari conſecraretur, ſuperflua eſt hujuſmodi quæſtio, cum ipſe Salvator dixerit in Evangelio. Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Sacramentum corporis & ſanguinis, id eſt ex rebus viſibilibus & corporalibus conficitur; ſed inviſibilem tam corporis quam animæ efficit ſanctificationem. Quæ eſt enim ratio, ut hoc quod ſtomacho digeritur, & in ſeceſſum emittitur; iterum in ſtatum priſtinum redeat, cum nullus hoc umquam fieri aſſeruerit.* Ex interrogatione Heribaldi patet, eum dubitaſſe, quid fieret de ſacramento poſt ſumptionem, an ſeceſſui obnoxium foret, nec ne? Sane id temporis ea maxime quæſtio agebatur, & doctiſſimus quiſque in ejus explicatione hærebat. Supra memoratum eſt, nihil ab Amalario definitum, multas opiniones de hac re propoſitas eſſe ab eo, & ſolas Stercoraniſtarum ineptias ab eo exploſas, nihil ampliùs. Similiter quidam Anonymus, qui & ea ætate vivebat, cujus reſponſio legitur in XII. ſpicilegio, ille quidem poſtquam ſanam de ſacramento Euchariſtiæ doctrinam expoſuit, & hunc cibum ab aliis ſecernendum eſſe dixit, hæc addit. *Scimus enim hoc ſacramentum myſterio & reverentia omnimodis ſecernendum eſſe à communibus eſcis, quæ naturali uſu ſumuntur: ſed tamen eodem modo, quantum ad comeſtionem, & hauſtum pertinet, percipiuntur, videlicet trajiciendo per os, & in ventrem mittendo, ubi quid Dominus de myſterio ſuo agere voluerit, ſuæ ſcimus tantum cognoſcere eſſe voluntati. Scimus enim conſumi poſſe ſpirituali virtute, ſcimus & ſervari poſſe inconſumptibili perennitate, quia quæque Chriſtus elegerit de ſuo ſacramento perficit, de quo ſi multa dicere quærimus, timendum eſt, ne pro lacte butyrum, aut ſanguinem ab uberibus eliciamus. Abſit tamen, ut tantum myſterium ſeceſſui fiat obnoxium, in quo ſi forte ordo naturæ ſervatur, myſterium, quod ſola fide conſpicitur, humilietur. Si corpus in corpore ordinem ſervat, non violatur, myſterium, quod divinitatis firmavit ſacramentum, nec ſpiritus amittit, quod fide integra in re corporali ſpiritualiter ſumpſit.* Ex quibus intelligis repudiatam ab eo illam de ſtercoraniſmo inſaniam, neque tamen quidquam illum ſuper quæſtionem propoſitam definire auſum eſſe: etſi aſſerebat corpus Chriſti corruptioni non eſſe ſubjectum. Ita Heribaldus, anceps animi, quid potiſſimum crederet? Rabanum ſententiam rogat. Anonymus Celotianus, quem Mabillonius ex manuſcriptis, & antiquis codicibus, aliiſque argumentis probat eſſe Herigerum

Lib. 4. de fide orth.

LIB. X. CAP. VI. Laubienſem Abbatem, qui anno M V I I. obiit. Ille igitur interrogatione Heribaldi, & Rabani reſponſione ductus, utrique injuriam infert, & ambos tanquam hujus peſſimæ opinionis defenſores redarguit. Ait eos, qui corpus Chriſti ſeceſſui obnoxium credunt, blaſphemare, & diabolica inſpiratione impulſos hoc dicere; ſubdit deinde. *Et his quidem, qui dixerunt ſeceſſui obnoxium, quod nunquam antea eſt auditum, id eſt Heribaldo Antiſſiodorenſi Epiſcopo, qui turpiter propoſuit, & Rabano Moguntino, qui turpius aſſumpſit, turpiſſime vero concluſit, ſuus ad reſpondendum locus ſervetur.* Quidquid dixerit Herigerus, haud aſſeram corpus Chriſti ab Heribaldo & Rabano dictum eſſe obnoxium ſeceſſui, ſed tantum ſpecies viſibiles, quæ reſponſio perplexis ambiguiſque verbis involuta fecit, ut crederet Herigerus, utrumque in Stercoraniſtarum deliria incidiſſe.

VII. *Paſchaſius de corp. & ſang. Dom.* Tertium fuit genus hominum, qui dicebant in ſacramento Euchariſtiæ eſſe virtutem tantummodo carnis, non carnem, figuram, non veritatem, umbram, non corpus. Idem auctor in Matthæum lib. x I I. *Unde miror, quid velint nunc quidam dicere, non in re eſſe veritatem carnis Chriſti, vel ſanguinis, ſed in ſacramento virtutem carnis, & non carnem, virtutem ſanguinis, & non ſanguinem, figuram, & non veritatem.* Hunc errorem Joannem Scotum, ſeu Erigenam ſcriptis defendiſſe certa memoria eſt. Berengarius hinc hauſiſſe hanc ſuam impietatem, quam publice profeſſus eſt, dicitur. Certe Patres, qui Synodo Vercellenſi adfuerunt anno M L. ad tractandam Berengarii cauſam, ejus librum de corpore & ſanguine Domini ignibus tradiderunt; quoniam in eo neque vere corpus Domini, neque vere ſanguinem Chriſti in ſacramento altaris eſſe aſſerehat. Hic certe auctor, jam eo tempore, quo ſcribebat, in pluribus fuerat erroris accuſatus, ut antea diximus. Cum rogatus eſſet aliquando, ut ſcriberet contra Gotteſchalcum, longe eum à recta doctrina aberraſſe ipſe Hincmarus deprehenderat, argueratque inprimis, quod male ſenſiſſet de vero corpore & de vero ſanguine Domini, quod eſt in ſacramento altaris, & aſſereret tantum eſſe memoriam veri corporis & ſanguinis ejus, & Adrevaldus Floriacenſis monachus ſcripſit librum de corpore & ſanguine Domini, contra ineptias Joannis Scoti. Quæ omnia oſtendunt, librum Scoti de corpore & ſanguine pluribus aſperſum maculis. Berengarius auctor eſt in epiſtola ad Richardum Abbatem, Scotum juſſum à Carolo-magno ſcriptum edidiſſe. Illud vero non extat, & periiſſe dicitur poſt tempora Berengarii; veteres quippe odio Berengarii, & ejus errorum, hunc librum ad nos tranſmittere neglexerunt. Quidam tamen noſtris temporibus aſſerere haud veriti ſunt, opuſculum de corpore & ſanguine Domini, quod præfert nomen Bertrami ſeu Ratramni ſcriptum à Joanne Erigena, abeoque inditum hoc nomen, ne Scoti nomen illi noceret, de quo ſcilicet jam antea detraxerant Valentinæ Synodi Pontifices, Eccleſia Lugdunenſis, & magni nominis ſcriptores: illique detractam larvam ætate Berengarii. Calviniani jam ab ætate patrum noſtrorum hunc librum in ſuas partes pertrahere conati ſunt, & noſtrâ hunc & tanquam ſuæ impietatis auſpicem publice prodiderunt, & vernacule ſuo modulo reddiderunt: contra quidam è noſtris eumdem ſibi retinere magnis animis ſtuduerunt, & tanquam ſanæ doctrinæ magiſtrum defendere. Hoc vero breviter mihi rememorandum eſt. Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis eruditione & doctrina clarus, rogarus olim à Luca Dacherio erudito monacho Pratenſis monaſterii, ecquid ſentiret de Ratramni opere de corpore & ſanguine Domini? Re diligentius expenſa, anno MDCLVII. Kalend. Januarii epiſtolam ſcripſit, in qua probat, hocce opuſculum falsò tributum eſſe Ratramno Corbeienſi monacho, & libellum hunc editum olim à Joanne Scoto, qui ſub nomine Bertrami nomen diſſimulaverat, ut liberius ſub alieno nomine ſuam mentem aperiret: & à ſe novitatis, quam profitebatur, invidiam depelleret. Ratramni, quod extat opus juſſu Caroli-calvi editum eſt, huncque Carolum-magnum in titulo vocat. Et Berengarius in epiſtola ad Richardum ait, à Joanne Scoto monitu Caroli-magni libellum fuiſſe compoſitum. Certum eſt autem, utrumque auctorem ſub Caroli-calvi principatu floruiſſe: & mirum eſt, in utriuſque operis titulum Caroli-magni nomen irrepſiſſe. Sed

idem opus à Joanne Scoto ſcriprum eſſe, maxime oſtendunt, quæ ab Aſcelino LIB X.
referuntur, quando adverſus Berengarium pugnat. De Scoto in eum modum CAP. VI.
loquitur, quem ait libellum ſcripſiſſe, hunc monet, *ut caveat verba hæreticorum, ceu*
pocula veneficorum, quæ prius dulciter mulcent, ut poſt modum lethaliter necent: Sco-
tum ad hoc unum tendere, ut perſuadeat hoc, videlicet, quod in altari con-
ſecratur, neque vere corpus, neque vere Chriſti ſanguinem eſſe. Hoc autem,
inquit, aſtruere nititur ex ſanctorum Patrum opuſculis, quæ pravè exponit. *Si*
hæreticum habes Ioannem, inquiebat Berengarius, *cujus ſententias probamus: ha-*
bendus tibi eſt hæreticus Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, ut de ceteris taceam.
Deinde refert orationem hanc, quam in Sacramentario ſancti Gregorii legi-
mus, quæque eſt ejuſmodi. *Perficiant in nobis quæſumus Domine tua ſacramenta,*
quod continent, ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. His omnino
congruunt, quæ leguntur in opuſculo Ratramni. Nam & libellum eſſe conſtat,
& eò præſertim tendere videtur, ut in ſacramento altaris oſtendat eſſe tan-
tummodo figuram corporis & ſanguinis Domini, non vere corpus & ſangui-
nem Domini. Id vero approbare aggreditur ex Patrum teſtimoniis: ſed inpri-
mis utitur auctoritate Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini. Eamdem pariter,
quam ſupra retulimus ex Sacramentatio Gregoriano, orationem deſcribit, &
inter argumenta & probationes annumerat. Huc accedit, quod Herigerus,
ſeu Celotianus Anonymus dicit, Ratramnum eſſe adverſatum Paſchaſio: ſimi-
liter Berengarius palam Joannis Scoti librum prædicabat, & è contrario Paſ-
chaſium laceſſebat; illum injuſte in Concilio Vercellenſi condemnatum eſſe,
& per nefas Paſchaſium approbatum querebatur. Hæc, aliaque ejuſmodi illu-
ſtriſſimus Archiepiſcopus Petrus de Marca, & auctor diſſertationis, quæ ad
calcem operis de fidei perpetuitate habetur, proferunt: quæ hic ſummatim
inculcare libuit; quæ, ſi neceſſitatem conſentiendi non imponunt, certe dubi-
tandi locum faciunt. Mabillonius tamen eruditus Pratenſis monachus, qui
hanc materiam in ſecunda parte ſæculi quarti actorum Benedictinorum retra-
ctavit, contra hanc Petri de Marca ſententiam ſcripſit, hujuſque partes poſtea
ſecutus eſt doctus Eccleſiæ Senonenſis Decanus in præfatione, quam præfixit
Ratramni libello, quem ex manuſcriptis & antiquis codicibus deſcriptum, la-
tinè & gallicè redditum edidit anno MDCLXXXVI.

Mabillonius cum in Belgium eſſet profectus, ut monaſteria antiqua inviſe- VIII.
ret, & in his bibliothecas perluſtraret, an forte veteres manuſcriptos codices
oſtenderet, ad Laubienſe venit monaſterium, ibi inter paucos libros manu exa-
ratos ait ſe incidiſſe in binos ejuſmodi codices, quorum alter vetuſtiſſimus erat,
& ab annis octingentis deſcriptus, qui duo opuſcula Ratramni continebat, al-
terum erat de corpore & ſanguine Domini, alterum de prædeſtinatione Dei.
In alio codice, qui recentioris erat manus, habebatur index bibliothecæ Lau-
bienſis, in quo recenſebatur liber Ratramni de corpore & ſanguine Domini,
& ejuſdem de prædeſtinatione Dei, hanc vero recenſionem factam eſſe anno
MXLIX. ipſe codex verbis conceptis teſtabatur, unde apparebat codicem
hunc anno prius notato vetuſtiorem eſſe, neque dubitavit Mabillonius ex inſ-
pectione characteris vetuſtatem agnoſcere, & aſſerere ipſa Ratramni ætate deſ-
criptum eſſe. Ex eo vero colligit Ratramnum auctorem eſſe hujus libri, quòd jam
ab ea ætate ejus nomen præ ſe ferat, quódque in eodem codice reperti ſint libri
Ratramni de prædeſtinatione Dei, qui ab omnibus à Ratramno compoſiti agno-
ſcuntur: certe Herigerus illius loci Abbas ſæculo ſequenti, eumdem Ratram-
num illius libelli auctorem artificemque agnoſcit. Sed quod omnem tollit du-
bitationem ſtylus & ſcribendi character idem reperitur in eo libro, qui & in
aliis ejuſdem auctoris libris agnoſcitur: etſi quidam dicunt magis congruere
cum Joanne, ſed longe à ſtylo Joannis ſcribendi eſſe characterem, quo Ratram-
nus uſus eſt, in hoc libello alienum facile oculatus æſtimator judicabit. Alia
omitto, quæ Mabillonius fuſe & docte pertractavit. Sed in illius auctoris do-
ctrinam paucis libet inquirere.

Sub initio principatus Ludovici-pii, qui religione & doctrina valebant, IX.

LIB. X. CAP. VI. multa ſuper ſacramentum altaris inquirere, & plures proponere de eo argumento quæſtiones, de quibus antea ſilentium fuerat. Cum ſacris ex paginis quiſque colligeret, eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, & Chriſtus ipſe dixiſſet eo ſacramento verè ſuam carnem, & ſuum ſanguinem in cibum & potum dari, Patres haud dubitanter aſſerere cœperant id, quod verbis Chriſti profeſſum eſſe legebant: conſtititque apud veteres & antiquos Eccleſiæ doctores, ex vi verborum conſecrationis, panem & vinum factum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. Sed quomodo illa converſio fieret, etſi ſubſtantiam panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti transformari credebant, id tamen claris expreſſiſque vocabulis ſignificare non ſtudebant, nondum orta de corpore Domini contentione. Verum hac Ludovici-pii ætate, cum cura & diligentia Caroli-magni ſcientiæ reviviſcere in Galliis cœpiſſent, quiſque res religionis & abditiſſimas Theologiæ quæſtiones inveſtigare, & perſcrutari. Sed præſertim de ſacramento altaris multa ſciſcitari & de hoc ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento libellos ſcribere, & ſuam ſuo modulo proferre ſententiam: & quiſque de re nondum in Eccleſia diſputata aliter atque aliter ſuam ſententiam profiteri, &, ut quiſque afficiebatur, eloqui; immo plures ſtudiorum æmulatione aliò atque aliò abripi, &, ut fere accidit, diverſa ab aliis dicere, ne id, quod dicerent, alterius videretur aſſertio. Paſchaſius Ratbertus, dum controverſia oritur, petentibus novæ Corbeiæ alumnis, primum de hoc ſacramento ſcribere exorſus eſt, & ut catholica docet Eccleſia, ſcripſit in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento panis & vini ſubſtantiam, in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti converti, idemque corpus eſſe affirmavit, quod ex beata Virgine natum eſt. Rabanus, ut ſuperius dictum eſt, converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti verè confeſſus eſt, ſed non idem ſpecialiter corpus mutatum voluit. Quidam non modo panis ſubſtantiam, ſed etiam ipſam panis & vini quantitatem in ſubſtantiam corporis & ſanguinis commutari aſſerebant; quod eruditiſſimus Archiepiſcopus Petrus de Marca in epiſtola ad Dacherium docet, iique in hanc ſententiam adducti ſunt, ut crederent nulla ſub figura, ſub nulla obvelatione myſterium peragi: ſed omnia fieri manifeſta, & ſub aſpectum, & oculos intuentium cadere; quæ dum vehementius quidam refugiunt, ex adverſo ad ſcopulos offenderunt, & prope fuit ut naufragium facerent, inter eos Ratramnus fuit, qui hac culpæ f[illegible]a in vitium præceps ruit: dum enim vehementius adverſatur iis, qui dicerent corpus Domini, quod ſacramento Euchariſtiæ continetur, in proſpectu eſſe, nihil ſub velo & ſpeciebus obumbratum, periculòsè quibuſdam vocabulis & locutionibus utitur, quibus tanquam armis ſuam perfidiam tegere, & defendere Calviniani noſtris temporibus conati ſunt. Nonnulli etiam orthodoxæ ſententiæ eum tanquam pravitatis defenſorem deſerere haud veriti ſunt. Mabillonius tamen ab hac macula vindicare illum aggreſſus eſt, quod ſimiliter præſtitit doctus Eccleſiæ Senonenſis Decanus, qui ſententias aliquot, & locutiones maleſanam redolentes ſententiam in bonum commodumque ſenſum traducere adortus eſt. Non potuit tamen evincere, ut omnes eum ab omni expurgatum labe crederent. Certe is auctor pluribus in locis agnoſcit Jeſum Chriſtum vere & realiter in ſacramento exiſtere: ſed dum ſuam ſententiam aſtruit; & alienam deſtruit, quibuſdam vocabulis & locutionibus utitur, ad quas niſi attendas diligenter, hunc utique æſtu diſputationis vehementius abreptum & ſanæ doctrinæ limites imprudenter prætergreſſum eſſe facilè crediderìs. Quæ fuerit hujus magiſtri doctrina, quos adverſarios confutare ſcripto voluerit, & in quæ ſe conjecerit pericula, non exponam ne videar actum agere; poterunt conſuli ſuper eam rem ii, quos modo nominavi. Joannes Erigena, quod quiſque fateri haud abnuit, in explicanda Euchariſtiæ doctrina librum erroribus aſperſit, & Berengario profligatæ doctrinæ evulgandæ locum fecit; & ob eam cauſam Vercellis in celebri conventu exuſtus, Lutetiæ Pariſiorum & Romæ condemnatus eſt. His ita expoſitis, ad Berengarii cauſam redeo.

X. Berengarius igitur lectione libelli, quem Joannes Scotus de corpore Domini

LIB X. CAP. VI.

ſcripſerat imbutus eam ſtatim profiteri ioſaniam, quam hauſerat. Negabat in ſacramento altaris realiter & ſubſtantialiter eſſe corpus Chriſti, ſed eſſe tantummodo ejus ſimilitudinem & figuram. Hunc errorem ipſe abnegavit primùm in Coocilio Romano, tum rurſus ſub pontificatu Gregorii ſeptimi, cum confeſſionem fidei his verbis edidit. *Ego Berengarius ex corde credo, & ore confiteor panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam vivificatricem carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram patris: & verum ſanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantum per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ &c.* Ex hoc intelligit lector, quæ fuerit maleſana doctrina Berengarii, & quantum à fide catholica diſcederet, quippe, qui aſſerebat antea ſignum tantùm & figuram corporis Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ cootineri. Hanc ipſam Berengarii confeſſionem retuli, quam profeſſus eſt, quando hæreſim altera vice deteſtatus eſt, & impietatem iterata profeſſione ejuravit, ut ex ejus verbis addiſcamus, quid reipſa impie de ſacramento Euchariſtiæ ſenſerit; & in hoc uno capite à fide Eccleſiæ deſciviſſe exiſtimo. Theoduinus enim Leodienſis Epiſcopus in epiſtola ad Henricum Regem Francorum quatuor illi articulos attribuit; quod ſcilicet nollet infantes baptiſmo ablui: Chriſtum dicebat baptiſmo ablutum non fuiſſe ante trigeſimum annum, nec ab Apoſtolis niſi adultos tinctos fuiſſe. Quod deinde nuptias & conjugia ſuſtuliſſet: quod oegaret Chriſtum poſtquam revocatus ad vitam eſt, cœnaculum, ubi ſedebant diſcipuli, oſtio clauſo ingreſſum eſſe: quod demum negaret verum Chriſti corpus & ſanguinem in ſacramento altaris eſſe. Verum cum Berengarius hoc ultimum caput tantummodo in confeſſione condemnaverit, certum argumentum eſt, in hoc uno, quod quidem graviſſimum erat, peccaviſſe, quodque ſana profeſſione revocare poſtea coactus ſit. Alii aliis verbis hæreſim Berengarianam exprimunt: ſed tamen omnes ad hoc redeunt, quod antea retulimus. In ſacramento non fieri converſionem ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, io Euchariſtia eſſe quidem ſacramentum, non rem ſacramenti, non corpus Chriſti, ſed ſignum & figuram, oulla ſubſtantiarum commutatione facta. Cum Berengarius hanc pravitatem ex Scoti libro hauſiſſet, hanc ſcriptis dictiſque defeodere ſtatuit, primum ſuſurtis veneno infectis corrumpere, quos adibat, tum palàm publicare impietatem, neque amplius diſſimulare malum, quod coquebat animo. Ubi malum ſerpere cœpit tum doctiſſimus quiſque cootra adverſari, & editis libris & epiſtolis defendere fidem contra Berengarium, hæreſimque inprimis novitatis arguere. Hugo Lingonenſis Epiſcopus Berengarium arguit, quod ſententias Patrum pravo ſtudio ſcrutaretur, quod offendiculo ſit univerſitati Eccleſiæ, qui credat panis & vini naturam in ſacramento non mutari; monetque, ne præſumat ſentire, quod univerſitas non credit. Durandus Abbas Troarnenſis, quando ſcribit contra Berengarium, qui aſſerebat nihil in ſacramento Euchariſtiæ ad veritatem fieri, ſed omnia per figuram & ſimilitudinem geri, hanc profligatam doctrinam vocat, & profanæ novitatis dogma. Adelmannus Brixienſis Epiſcopus in epiſtola ad Berengarium ipſum accuſat, quod ſentiat aliter, quam fides catholica teneat: quippe qui dicat corpus & ſanguinem Domini non eſſe verum, ſed figuram & ſimilitudioem, & hac ratione ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparaverit. Guitmundus Averſanus multis probat Berengarii ſententiam eſſe hæreſim à fide catholicæ Eccleſiæ abhorrentem, hujuſmodi doctrinam in Patrum novalibus inveniri non poſſe. Sed Lanfrancus inprimis Cantuarienſis Archiepiſcopus Berengarium graviſſimis reprehendit ſermonibus, quod aliena à catholica Eccleſia doceat. *Amplius ſi verum eſt, quod de corpore Chriſti tu credis & aſtruis, falſum eſt, quod ab Eccleſia ubique gentium de eadem re creditur, & aſtruitur. Omnes enim, qui Chriſtianos ſe eſſe & dici lætantur: veram Chriſti carnem, verumque ejus ſanguinem utraque ſumpta de Virgine in hoc ſacramento ſe percipere gloriantur. Interroga univerſos, qui latinæ linguæ,*

noſtrarumque litterarum notitiam perceperunt, interroga Græcos, Armenos, ſeu cujuſlibet nationis quoſcumque Chriſtianos homines, uno ore ſe hanc fidem teſtantur habere. Porrò ſi univerſalis Eccleſiæ fides ſalva exiſtit, aut nunquam fuit catholica Eccleſia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum, quam pernicioſus error. Sed non fuiſſe, aut periiſſe Eccleſiam catholicam nemo conſenſerit. Ex his & aliis, quæ ſuperius relata ſunt, patet omoes ſtatim adverſus Bereogarium inſurrexiſſe, ejuſque doctrinam tanquam impietatem & hæreſim ab omnibus proſcriptam profligatamque eſſe; ſtatimque quemadmodum ſcutum inexpugnabile contra objectam eſſe fidem catholicæ Eccleſiæ, quam omnes Eccleſiæ, omnes Pontifices, omnes Epiſcopi profitebantur, quando Berengarius novitatem ſerere, & impuris erroribus caſtitatem univerſalis doctrinæ labefactare aggreſſus eſt. Verum ulterius progrediamur & exponamus, quomodo hæc hæreſis in Synodis perempta ſit.

XI. Cum Berengarius clam ſuos de ſacramento altaris errores diſſeminaret, audiit Lanfrancus ab illo Joannem Scotum probari, atque Paſchaſium improbari. Lanfrancus judicium illius hominis inter colloquendum condemnavit. Berengarius non tulit reprehenſionem, ad illum litteras miſit quas Dacherius edidit in notis ad vitam Lanfranci, ſcribit ſe audiviſſe ab Ingelranno Carnoteoſi ab ipſo hæreſeos condemnari ſententiam Joannis Scoti de ſacramento altaris, in qua à Paſchaſio diſſentit, quod indignum ejus eſſe ingenio judicat, poſcitque cum eo colloquium, rogatque, ut quandiu non habetur, non aſpernetur Joannem Scotum, quem ſi hæreticum habeat, neceſſe ſit, ut illi quoque habeantur pro hæreticis Ambroſius, Hierooymus, & Auguſtinus. Tabellarius, qui litteras deferebat Lanfrancum in Nortmannia non reperit; is enim Romam perrexerat: eas itaque quibuſdam clericis legendas dedit, ii ſtatim commoveri & hæreſim in iis contentam deteſtari, neque minus contra Lanfrancum vociferari, quam contra Berengarium, quos amicitia & conſuetudine conjunctos eſſe legebant. Inter hæc accidit, ut quidam clericus Romam proficiſceretur, huic datæ ſunt litteræ Berengarii ad Lanfrancum. Allatæ Romam ſunt ad ſummum Pontificem anno ML. Leo poſt Paſcha Synodum habuit, plures Epiſcopi aderant, Abbàtes haud pauci multique alii tam clerici, quam monachi. *Tempore ſancti Leonis Papæ delata eſt hæreſis tua*, inquit Lanfrancus, *ad apoſtolicam ſedem. Qui cum Synodo præſideret, ac reſideret ſecum non pauca multitudo Epiſcoporum, Abbatum diverſique ordinis è diverſis regionibus religioſarum perſonarum.* His litteris Berengarii ad Lanfrancum cum Patres audirent, prædicari doctrinam Joannis Scoti, Paſchaſii fidem, quam libro de corpore Domini ſcripſerat nulli loco haberi, Patres Berengarium condemnare haud diſtulerunt, & adverſus ipſum Berengarium proounciare, & ipſum privare communione. *Igitur*, inquit idem Lanfrancus, *cùm à quodam Remenſi clerico Romam perlatas litteras recitator legeret, intellecto, quod Ioannem Scotum extolleres, Paſchaſium damnares, communi de Euchariſtia fidei adverſa ſentires promulgata eſt in te damnationis ſententia, privans te communione ſanctæ Eccleſiæ, quam tu privare ſancta communione ſatagebas.* Cum vero propter illam Berengarii epiſtolam fides Lanfranci ſuſpecta videretur, juſſit ſummus Pontifex, ut culpam à ſe palam amoveret, & fidem celebri cœtu approbaret, & hanc ſcripturis ſanctis & Patrum teſtimoniis aſſereret. Surrexit Lanfrancus & multa pro fide catholica locutus, ita ſuſpicionem omnem ſuſtulit, ut nemo amplius ejus fidem in dubium revocaret. Hæc deſcripſimus ex ipſo Lanfranco, qui hoc anno Romam venerat, & inter plures monachos, qui aderant Concilio aſtitit. Nondum ille Beccenſis Abbas erat, qua vero occaſione Romam venerit haud dixero. Certe non interdicti Nortmanniæ cauſa perrexiſſe Romam certum eſt, cum ea cauſa non ad Leooem IX. ſed ad Nicolaum PP. pertioeat. Statim ultra Alpes rumor condemnati Berengarii pervagatus eſt; neque propterea perfidiam abjecit, immo omnes vires contendit, ut eam defenderet. Erat ille id temporis in Nortmannia; ad Pratellenſe cœnobium ſe contulit, ibi cum Anſfredo Abbate ſermones miſcere cœpit; cumque nihilo ſecius ſuam impietatem defenderet, ab illo Abbate

reprehenſus eſt, & acerrime confutatus; monita ſapientiſſimi Abbatis haud ferens, immerito eum pluribus convitiis affecit. Tum Nortmanniæ Dux præerat Guilelmus, qui poſtea Anglorum Rex fuit, quique tum annum agebat vigeſimum ſecundum; ad eum adivit Berengarius, ut illum in ſuas partes pertraheret: ſenſit juvenis impietatem hominis, jamque Princeps fide & judicio validus explorare ejus doctrinam ſtatuit, eumque ob eam rem detinuit Brionæ, quod opidum Neuſtriæ eſt ad Riſelam flumen poſitum. Huc Princeps jubet venire doctiſſimum quemque ex Nortmannia, frequens conventus fuit. Aderat Berengarius, cum quodam clerico, in quo ille propter eloquentiam ſpem omnem poſuerat. Inſtituitur diſputatio. Berengarius convictus eſt cum ſuo commilitone. Tam invictis argumentis pro fide catholica certatum eſt, ut ipſe, vel invitus aſſenſum dare cogeretur. His peractis pudore ſuffuſus Carnotum venit, ubi cum de fide interrogaretur, reſponſurum ſe ait, cum ſeſe daret opportunitas. Poſtea ad Carnotenſes dedit litteras amarulentas, in quibus & ſedem Romanam, & Leonem ſummum Pontificem ſapientia & fide clarum laceſſere non verebatur. Conventus ille Brionenſis à Durando Abbate refertur ad annum MLIII. Verum cum Vercellenſe Concilium præceſſerit, ut idem auctor narrat, & ejus condemnationem conventus ſecutus ſit, oportet actum eſſe anno ML. LIB. X. CAP. VI.

Poſtquam frequenti Synodo à ſummo Pontifice condemnata cum auctore Berengariana perfidia eſt, Vercellis ab eodem Pontifice indictum Concilium eſt ad menſem Septembrem: & ne Berengarius quereretur ſe inauditum condemnatum eſſe, ipſe ad Synodum vocatus eſt. Non tamen huc advenit: ſed duos clericos, qui ſuas vices gererent, illuc tranſmiſit. Ex omnibus provinciis Epiſcopi adfuerunt. Leo ſummus Pontifex præſes ſedit. Prima inquiſitio fuit in librum Scoti de corpore Domini. Liber in ipſo Patrum conſeſſu lectus eſt, & omnium calculis condemnatus eſt. *Liber Ioannis Scoti de Euchariſtia lectus eſt & damnatus*, inquit Lanfrancus. Sententia Berengarii expoſita eſt & damnata, & fides catholica ab hæreticorum injuria vindicata eſt, & omnium ſuffragiis recepta & confirmata eſt. Duo Berengarii legati cum contrà obloqui voluiſſent in ipſo aditu ſermonis conticuerunt, convicti noſtrorum argumentis, & cauſæ ſuæ improbitati diffiſi. Interea Berengarius neque his, quæ Vercellis peracta ſunt ad ſanitatem revocatus, errorem & propagare & fovere perſeverabat. Vulgo illi exprobrabant, quod in conventu Brionenſi Joannem Scotum deſeruiſſet, & eum, ut hæreticum habuiſſet. De ea re ad Aſcelinum monachum ſcripſit, eumque teſtem adhibet, Joannem à ſe nunquam pro hæretico habitum eſſe, deinde ipſum Aſcelinum redarguit, quod rem agat indignam ſacerdotio, quod Joannes apud eum hæreticus habeatur, quod Paſchaſium audiat, qui velit in ſacramento altaris prius decedere ſubſtantiam. Extat reſponſio Aſcelini ad Berengarium in notis ad vitam Lanfranci; ubi præſertim Joannem Scotum ſibi non probari aſſerit, qui toto libello aſtruere nititur in ſacramento altaris, neque vere corpus, neque vere ſanguinem Chriſti eſſe. Deinde Berengarium criminatur, quod Joannis doctrinam approbet, cujus expoſitionem, quam in orationem Gregorianam perverſe ſcripſerat, ipſe damnaverat, addens nondum libellum ab eo ad finem uſque perlectum, unde Aſcelinus ait, ſe mirari, quod adeo laudaret librum, quem ignoraret, & quem ſi noſſet, non laudaret. Suam deinde fidem ait conſonam eſſe cum dictis Paſchaſii, verum ſcilicet corpus, & verum ſanguinem Chriſti in altari ſumi ſub ſpecie panis & vini. Hæc & alia profert, ut Berengario ſaniora perſuadeat & fidem tueatur. Demùm monet ne patrocinetur libro, quem Vercellis celebri Synodo Patres proſcripſerunt, & cujus cauſa ipſe hæreſis labe aſperſus ſit. Eodem anno, quo hæc acta ſunt habitum eſt Lutetiæ Pariſiorum Concilium, de quo ſequenti capite erit ſermo. XII.

CAPUT VII.

De Synodo Pariſienſi & aliis Synodis adverſus Berengarium, de ejus reſipiſcentia & ejus morte. De morte Imberti Epiſcopi Pariſienſis. De pravis moribus illorum temporum.

I. HÆreſis Berengariana jam magno ſtrepitu in Galliis agebatur, & apud quoſdam haud quidem magni nominis viros innoteſcebat, & tantum abeſt, ut Berengarius judicio aut Romanæ aut Vercellenſis Synodi acquieſceret, quin magis pœna exacerbatus, latius ſpargere virus ſuum conabatur, modo Romanam cathedram, aut ſummum Pontificem conviciis laceſſens, modo ſuorum cauſatus inſcitiam, quos in Synodo Vercellenſi male ſuam cauſam defendiſſe arguebat. Interea Henricus Francorum Rex, ne pars ſincera inficeretur, occurrere malo ſtatuit, & ægras partes reſcindere. Re igitur cum Epiſcopis & proceribus communicata Synodum Pariſiis indicit, ad XVII. Kalend. Novembris anno ML. Theoduinus Leodienſis Epiſcopus ad Henricum Regem de eo argumento epiſtolam miſit, qua conſilium Regis laudat, quod ad conterendam hæreſim Concilium convocaverit. Cum ille ignarus eſſet morum noſtrorum, id fieri non poſſe ſignificat, quoniam ea cauſa ad Brunonem Andegavenſem Epiſcopum pertinebat, Epiſcoporum vero cauſam tractari non poſſe præter apoſtolicam auctoritatem; monetque, ne antè habeat Concilium, quàm à ſummo Pontifice damnandi hæreticos ſibi poteſtas fiat, aitque ejuſmodi hæreſim eſſe, ut qui eam defendant non penitus audiendi ſint, quippe de quorum doctrina non tam conſulendum ſit, quam de eorum ſupplicio inquirendum. Synodos quidem olim congregatas, cum nondum hæreſes diſcuſſæ eſſent: ſed omnia ita eſſe aliena ſeu à ſanctorum Patrum ſententiis, ſeu Conciliorum decretis, ut nihil omnino dubitationis relictum ſit. *Quamobrem*, inquit, *Brunonem & Berengarium jam anathematizatos arbitramur, quod ſi ita eſt, vere Concilii audientia illis deneganda eſt, & cum veſtris cumque noſtris Epiſcopis, ſi ita vobis videtur, cum amico noſtro Imperatore, cum ipſo Papa, quæ vindicta in eos ſtatuatur, deliberandum.* Doctiſſimus anteceſſor Andegavenſis pluribus probat, Brunonem Epiſcopum nullo modo ſocietate doctrinæ cum Berengario conjunctum fuiſſe. Hoc certe notiſſimum eſſe ait ex epiſtola illius Epiſcopi ad Berengarium, qua fidem Eccleſiæ ex ipſis Chriſti verbis profitetur, defenditque. Remenſi Concilio poſtea interfuit, neque ab ulla Synodo ullo unquam anathemate percuſſum eum legimus; etſi in pluribus Conciliis condemnatum Berengarium novimus. Attamen præter Theoduinum, Durandus etiam Troarnenſis Abbas Brunonem hæreſeos arguit; quod vanis rumoribus magis tribuit, quam pravæ alicui doctrinæ, cui adhæſerit: neque ullam illius Epiſcopi mentionem factam eſſe in hoc Concilio Pariſienſi modo oſtendemus. Sed his miſſis ad Leodienſis Epiſcopi litteras redeamus. Baronius, qui Durandum Troarnenſem non viderat, exiſtimavit Henricum Regem non habuiſſe Synodum, & ab hac celebranda deterritum ſermonibus hujus Epiſcopi. Ecce tamen tibi Durandus Troarnenſis Abbas, quem Dacherius edidit, qui Pariſienſis Synodi meminit. Ad diem dictum convenerunt multi Pontifices, clerici haud pauci, magnaque procerum frequentia. Berengarius ad Synodum vocatus non adfuit, neque Bruno Andegavenſis Epiſcopus. Cum omnes Synodo aſſediſſent Epiſcopus Aurelianenſis aſſurgit, profertque

fertque litteras Berengarii, quas intercepeat, petiitque illas publice recitari, leguntur, ut Epiſcopus rogaverat, ſed lectio murmure audientium interpellatur, ad ſenſum perverſum verborum exhorreſcunt omnes, & fremitu deteſtantur impietatem; & quoniam in his hæreſim perſpectam eſſe Epiſcopi adverterunt, Berengarius auctor perfidiæ omnium judicio condemnatus eſt, & conſcii impietatis. Proſcriprus parirer eſt libellus Joannis Scoti, unde prima improbitatis labes effluxerat. Concilium deinde ſolutum eſt, ſtatutumque, ut Berengarius, ejuſque flagitioſæ doctrinæ ſocii comprehenderenrur, qui aut hæreſim ejurarenr, aut ſi contumaciter tueri flagitium pergerent, morte plecterentur. Sed hæc omnia verbis Durandi Troarnenſis Abbatis referenda ſunt. *Cum autem tanti mali fama crebreſceret, & omnium corda fidelium vehementius percelleret, perque multos hujuſmodi virus latenter & aperte jam ſerperet, contigit, ut ad aures etiam Regis Francorum Henrici perveniret, qui conſultu ſui regni Pontificum, Procerumque Concilium Pariſiis cogi decimo-ſeptimo Calend. Novembris præcepit, ac præfatum Berengarium, ut aut ſua dicta Patrum auctoritate firmaret nullis ſibi obnitentibus: aut ſi ea defendere nequiret, in catholicam, cui obviare non poſſet, fidem prudenter tranſiret, intereſſe tantorum cœtui Patrum imperavit. Interea condicta venerat dies, frequenſque conventus Præſulum, ac reliquorum ſancti ordinis clericorum, necnon nobilium laïcorum Pariſiis factus eſt. Sed jamdictus Berengarius malæ conſcientiæ perculſus terrore, ut juſſus erat, convenire diſtulit: ſeque cum Brunone ſuo videlicet Epiſcopo Andegavenſi, ſub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maxime continuit, quia eodem errore, utpote tanti viri credulus, & ipſe noſcebatur involvi. Interea præſul Aurelianenſis quoſdam apices in ſcheda haud parva digeſtos in conſpectu omnium & Regis, intererat enim, protulit. Et præcipiat, inquit, veſtra ſanctitas has litteras à Berengario editas, ſi libet recitari, quas ego quidem ab ipſo nequaquam accepi, ſed cum eas cuidam ſuo familiari, nomine Paulo per veredarium dirigeret, violenter rapui. Quibus ſuſceptis & ad recitandum traditis omnium aures eriguntur, ora in ſilentium componuntur, corda ad intelligendum, quæ continebantur, in eis præparantur: ſed inter legendum multum repente fit murmur, & per ſingula abſurdi ſenſus verba gravis inſtrepit fremitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequiſſima ſordebat hæreſi, vehementer diſplicuit, damnato proinde communi ſententia talium auctore, damnatis ejus complicibus, cum codice Joannis Scoti, ex quo ea, quæ damnabantur, ſumpta videbantur. Concilio ſoluto diſceſſum eſt, ea conditione, ut niſi reſipiſceret ejuſmodi perverſitatis auctor, cum ſequacibus ſuis, ab omni exercitu Francorum præeuntibus clericis cum eccleſiaſtico apparatu inſtanter quæſiti, ubicumque conveniſſent, eo uſque obſiderentur, donec aut conſentirent catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur.* Hi hæretici ſententia Synodi terrefacti ſunt. Cumque poſtea ab eis ex decreto Synodi quæſitum eſſet, quid ſentirent, fidem Eccleſiæ catholicæ ſe tenere profeſſi ſunt. Immo & hanc catholicam doctrinam ſe ex animo amplecti & credere, ſuper pignora ſanctorum ſacramento adhibito teſtati ſunt. Addit ille auctor horum temporum eos poſtea in eamdem inſaniam relapſos eſſe. *Quamobrem*, inquit Troarnenſis Abbas, *territi, non multo poſt in Concilio ſuper fidei ſuæ ſtatu conventi, ita ſe ſicut Eccleſia tenet Catholica, credere fideliter & ſapere publice profeſſi ſunt, delatiſque ſanctorum pignoribus, ut omnibus ſatisfacerent, atque de veritate fidei, quam profeſſi fuerant, eos qui aderant certos facerent, ſacramentum dederunt. Sed omiſſa de talibus relatione, quos poſthac ad apoſtaſiam & priorem vomitum audivimus rediiſſe.* An ex his, qui ad ſanitatem redire ſe ſimulaverunt, fuerit Berengarius, haud aſſeram, certe metu pœnæ eum emendationem ſæpius ſimulaſſe poſtea memorabimus. Verum extat in ſecundo ſpicilegio & collectione Conciliorum epiſtola Berengarii ad Richardum, qua eum rogat, ut pro facili ejus ad Regem acceſſu faciat, ut Rex damnum reſarciat, quod ſibi intulerat. Hoc damnum illatum illi exiſtimo, quoniam foviſſe poſt condemnationem errores arguebatur: more eorum, qui errorem defendunt ſine reverentia Majeſtatis, Regem injuſti facinoris accuſar. Conqueritur deinde immeritò condemnatum Joannem Scotum, & Paſchaſium immeritò laudatum in Concilio Vercellenſi. Addit inſuper Joannem Scotum monitu Caroli-magni ad ſcribendum impulſum, in quo peccat. Joannes enim Scotus

LIB X. CAP. VII. ſub principatu Caroli-calvi vixit, & ejus adhortatione admonitus, ad ſcribendum animum appulit. *Vnde*, inquit Berengarius, *ferat, oportet defuncto patrocinium contra calumnias nunc viventium, ni ſe malit exhibere indignum ſucceſſione, & ſede illius magnifici anteceſſoris ſui, qui etiam circa negotium intelligendarum ſcripturarum ſollicitus, ab erudito vivo viro, non ad tenebrandum veritatis lumen tale exegit obſequium.* In eadem epiſtola de clericis Carnotenſis Eccleſiæ conqueritur, qui reum mali erroris Berengarium apud Regem fecerant, & Fulberti Epiſcopi teſtimonio rem fidei tuebantur, quod ut infirmet, ſimilem eum Epiſcopum dicit fuiſſe iis adulterinis falſiſque Prophetis, qui de corde ſuo vana proferunt, quæ Dominus non ſit locutus. Hæc aliaque habet epiſtola Berengarii ad Richardum.

II. His ferme temporibus Leo Papa IX. obiit. Ei ſucceſſit Victor II. qui eodem animo, quo prædeceſſor ſuus Berengarianam hæreſim in Synodis anathemate percuti curavit. Hic Hildebrandum Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum in Gallias miſit, ut ſimoniam latè per Gallias graſſantem tolleret. Jam in Concilio Remenſi anno MXLIX. Leo Papa quoſdam Epiſcopos condemnaverat, aut iis teſtantibus dolorem, indulſerat. Hildebrandus ingreſſus Galliam primùm Lugduni Synodum habuit, & aliquot Epiſcopos hoc vitio laborantes à ſacerdotio & cathedra removit. Sed quod ad Berengarium attinet. Anno MLV. Hildebrandus Turonis aliam Synodum celebravit, ad quam vocatus Berengarius venit. De ejus hæreſi diſputatio fuit, qui cum ipſe adeſſet convictus Legati Patrumque argumentis errorem diffiteri cœpit, & fidem Eccleſiæ profiteri, eamque adhibito ſacramento confirmavit. De ea Synodo agit Lanfrancus contra Berengarium. *Denique in Concilio Turonenſi*, inquit ille, *cui ipſius Victoris interfuere Legati, data eſt tibi opcio defendendi partem tuam, quam cum defendendam ſuſcipere non auderes, confeſſus coram omnibus communem Eccleſiæ fidem, juraſti te ab illa hora ita crediturum, ſicut in Romano Concilio te juraſſe, eſt ſuperius comprehenſum.* Immemor tamen jurisjurandi, hæreſim ſicut prius defendit, & clandeſtinis colloquiis illam propugnare ſtuduit, quin & aſſeclas pecuniis & pretio illectos immittere, qui furtim incautas mentes ſuſurris adulteris inficerent. Cum hæreſis oppreſſa Conciliorum Pontificumque decretis ſemper reviviſceret, contra inſaniam legibus canonicis agi ſtatutum eſt.

III. Anno MLIX. Nicolaus Papa II. intelligens tot telis, quibus confoſſa hæreſis Berengariana fuerat, nondum extinctam, hanc penitus perimere ſtatuit. Romæ Synodum indicit, undequaque acceſſerunt Epiſcopi. Adfuerunt centum & tredecim. In hoc celebri Concilio de ſimonia actum eſt. Cumque clerum per provincias quaſi contagio quædam hæc labes afflixiſſet, data per diſpenſationem indulgentia, cautum eſt, ne quis deinceps pretio & pecunia ordines aut beneficia daret, aut acciperet. Sed inprimis negotium Berengarianæ hæreſis hoc in loco pertractatum eſt. Berengarius ad Synodum vocatus, huc vel invitus venerat. Doctrina ejus ad examen revocata eſt, & eo præſente diſcuſſa, & omnium calculis condemnata, quam & ipſe dato ſacramento condemnavit, librum Joannis Scoti ſua ipſe manu igni tradidit, & confeſſionem fidei ſuis adverſam erroribus, ab Humberto Cardinale ſcriptam recitavit, & ipſi publice aſſenſus eſt. De ea re Lanfrancus his verbis ad Berengarium ſcribit. *Et cætera quidem à beata memoria Nicolao totius Chriſtiani nominis ſummo Pontifice, & à centum tredecim Epiſcopis Romæ audita, examinata, atque damnata ſunt. Tu quoque inclinato corpore, ſed non humiliato corde, ignem accendiſti, libroſque perverſi dogmatis in medio ſancti Concilii in eum conjeciſti: jurans per id, quod rebus omnibus incomparabiliter majus eſt, fidem à Patribus, qui præſentes erant, traditam inviolabiliter te ſervaturum, veteremque doctrinam tuam de corpore & ſanguine Domini ab illa die aliis non prædicaturum.* Hæc Berengarii confeſſio legitur apud Lanfrancum. De ea Lanfrancus ſic loquitur. *Itaque verba fidei ſuperius comprehenſa ſcripſit aſſenſu omnium ad legendum, & confitendum tibi tradidit. Tu vero acquieſcens accepiſti, legiſti, confeſſus te ea credere, jurejurando confirmaſti, tandem manu propria ſubſcripſiſti. Nicolaus Papa gaudens de converſione tua jusjurandum tuum ſcriptum*

Digitized by Google

miſit per urbes Italiæ , Galliæ , Germaniæ , & ad quæcumque loca fama tuæ pravi- LIB X. CAP. VII.
tatis antea potuit pervenire. Quam ægre mens maleſana curatur. Berengarius
Romæ abnegata hæreſi in Galliam rediit; cum nondum inveterati mali vulnus
bene cojiſſet, ulcus iterum ruptum eſt , & errorem , quem jam ter quaterve
abnegaverat, profiteri perſeveravit. Adjuvit ejus Concilia mors Henrici Regis
Francorum , & pueritia Philippi , qui patri ſucceſſerat & ſub tutela Balduini
Comitis Flandriæ regnum adminiſtrabat.

Hac pueri Regis ætate facile fuit hæretico homini venenum latè ſpargere , quo IV.
tempore reſpublica , ut fieri ſolet , variis concutitur procellis , & Regni modera-
tores precarium habent imperium. Anno tamen MLXIII. Rotomagi habita eſt
Synodus contra Berengarium,ut habet Mabillonius in Analectis, Synodum illam *Tom. 2. Analect.*
celebravit Mauritius Archiepiſcopus Rotomagenſis cum provincialibus Epiſco-
pis, hocque decretum pro fide catholica edidit. *Corde credimus & ore profitemur pa-
nem in menſa Dominica propoſitum , panem tantummodo eſſe ante conſecrationem , ſed
in ipſa conſecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam & ſubſtantiam
panis , in naturam & ſubſtantiam carnis , carnis vero non illius alterius , ſed illius quæ
concepta eſt de Spiritu ſancto , nata ex Maria Virgine , quæ etiam propter nos &
propter noſtram ſalutem , flagellis cæſa jacuit in ſepulcro , tertia die reſurrexit à mor-
tuis , & ſedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum , quod aquæ mixtum in calice
ſacrificandum imponitur , vere & eſſentialiter converti in ſanguinem , qui per lanceam
militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit. Anathe-
matizamus contra hanc ſanctam & apoſtolicam fidem ſuperbe atque hæretice ſentientes
& impia temeritate garrientes.* Præterea ſtatutum eſt, ut Epiſcopi ordinandi huic
fidei formulæ ſubſcriberent.Summo Pontifici Nicolao II. ſucceſſit Alexander PP.
II. qui ad Berengarium amicè ſcripſit, monuitque , ut ab hæreſi tandem reſipiſce-
ret. Reſcripſit Berengarius , neque veritus eſt ſcriptis hæreſim defendere. Hoc
Chifletianus anonymus memorat. Anno MLXXV. in Aquitaniam miſſus eſt à
Gregorio VII. legatus Girardus. Ille & hanc provinciam hac peſte vexatam
cernens, Concilium Pictavis habuit , & Berengarium præſentem condemnavit.
Ait chronicon Malleacenſe , unde hoc decerptum eſt ejus hæreſim penitus
profligatam. Rem his verbis deſcribit. *Anno MLXXV. Pictavis fuit Conci-
lium , quod tenuit Girardus Legatus de corpore & ſanguine Domini , in quo Berenga-
rius ferme interemptus eſt.* An forte motu populi contra hæreticum ſævientis ipſe ad
necem quæſitus ſit, ac prope interemptus? Sed ad profligandam penitus Berenga-
rianam hæreſim nihil potentius fuit, quam duorum Conciliorum celebratio, quæ
Gregorius VII. ſucceſſor Alexandri contra Berengarium convocavit. *Quapropter,*
inquit anonymus Chifletianus, *Reverendiſſimus Papa Gregorius ſeptimus , ſucceſſor
Alexandri, iterum eidem Berengario audientiam in duabus Synodis generalibus conceſſit.
Sed cum ipſe ſectam ſuam catholicæ fidei contrariam denegare non poſſet , iterum ſub jura-
mento eamdem abdicare , & fidem catholicam profiteri delegit , ſicut in ſuperioribus Con-
ciliis fecit.* Priot Synodus habita eſt anno MLXXVIII. Calendis Novembris, &
poſterior ſequenti anno in Quadrageſima, ut habet Anonymus, in hac Synodo
Berengarius edidit confeſſionem nudis pauciſque comprehenſam verbis, quam
Mabillonius in Analectis refert, quamque ex vetere manuſcripto codice deſ-
cripſit, his verbis continetur. *Profiteor panem altaris poſt conſecrationem eſſe ve-
rum corpus Chriſti , quod natum eſt de Virgine, quod paſſum eſt in cruce , quod ſedet ad
dexteram Patris , & vinum altaris , poſtquam eſt conſecratum eſſe verum ſanguinem ,
qui manavit de latere Chriſti , & ſicut ore pronuncio , ita me habere confirmo. Sic me
adjuvet Deus &. Hæc ſacra.* Dubitat Mabillonius, an eam tantummodo bre-
vem captioſamque profeſſionem coram Synodo ediderit, tum quia ab ipſo ſo-
lum Berengario memoratur, tum quia non adeo exprimit abnegationem hære-
ſis, & fidei profeſſionem , ſicut prior: bene igitur exiſtimat rem ad poſteriorem
Synodum , quæ anno ſequenti menſe Februario peracta eſt , delatam. In hâc al-
tera Synodo Romana de Berengarii erroribus longa diſputatio fuit. Convictus
ipſe hæreſis frequenti Synodo errores abnegavit , & fidei confeſſioni catholicæ,
quam ſupra retulimus ſubſcripſit. Bertoldus Conſtantienſis preſbyter de ea re

LIB X. CAP. VII. ſic loquitur. *Nam & in Romana Synodo, nempe ſub Gregorio ſeptimo canonice convictus hæreſim ſuam in libro à ſe deſcriptam combuſſit, & abjuratam anathematizavit, nec tamen poſtea dimiſit.* An demum penitùs errorem ejuraverit, & omnino ad ſanitatem revocatus ſit, diſpurant viri docti. Meritiſſimus Anteceſſor, qui de hoc negotio erudiram ſcripſit diſſertationem, aſſerit eum penitus reſipuiſſe, & Beroldum arguit, quod contrarium aſſerat, idque ex veteribus membranis approbat. Nihilominus Mabillonius exiſtimat poſtea Berengarium eodem relapſum. Certe Bertoldus hoc verbis conceptis memorat, ut modo retulimus. *Quid*, inquit Mabillonius, *opus erat Concilio Burdigalenſi, ſi Berengarius omnino ad ſaniorem mentem rediſſet.* Sed quod omnem tollit dubitationem, habet Mabillonius libellum quemdam Berengarii, quem & ipſe legi, quo ipſe hanc tertiam confeſſionem revocabat, & ſe metu mortis ad ſubſcribendum impulſum eſſe confitebatur. Sed quod omnium calculis approbatum eſt anno MLXXX. in Concilio Burdigalenſi à morbo longo diuturnoque penitus convaluit. Hoc Goncilium memorat chronicon Malleacenſe. *Fuit Concilium Burdegalæ, in quo Berengarius reddidit fidei ſuæ rationem, & Hugo Abbas ſancti Leodegarii fuit depoſitus.* Ea Berengarianæ hæreſis ſors fuit. Berengarius Joannis Scoti libello corruptus, hanc, quam legerat inſaniam docere cœpit, & quantùm potuit diſcipulos ſibi aſciſcere, qui ſuam perfidiam promulgarent. Ubi rumor publicatæ hæreſis divulgatus eſt, ſtatim viri, qui doctrina & fide, aut dignitate in Eccleſia præcellerent, ad debellandam in ortu noviratem ſe accinxerunt. Summi inprimis Pontifices, quibus gregis Chriſtiani cuſtodia, & ſollicitudo commiſſa eſt, ſine morâ Synodos convocare, & quaſi conflato exercitu monſtrum adoriri, & telis impetere. Qui clari etuditione & ſcientia habebantur, confeſtim probare ſcriptis & libris, quantùm fides hæreſi, veritas falſirare prævaleret, & ſumma ope inniti, ne vires eundo malum acquireret. Inter hæc per triginta fermè annos ſaucia & toto corpore plagis horrida hæreſis perduravit. Sed demum curato auctore exanimis jacuir, donec patrum noſtrorum memoriâ hæretici catholicam fidem variis machinis adorti, & hanc pariter perniciem è cœno, in quo multos annos hæreſis computruerat, denuo excitarunt, ut fidem jam ab Apoſtolis ad nos uſque profeſſam corrumperent.

V. Berengarius ſanior factus jam agnitam confeſſamque hæreſim deteſtari atque eò vehementius dolori indulgere, quod non ſemel poſt emendationem volens ſe in pravos errores immerſiſſet, & mala conſuetudine alios in profligatam hæreſim induxiſſet. Seceſſit igitur in inſulam ſancti Coſmæ haud procul Turonis, quod Lauriacenſes membranæ narrant his verbis. *Tunc Berengarius Roma diſcedens, Turones venit, ibique in inſula, quæ ſancti Coſmæ dicitur, ſæculi pompis abrenuncians fere per viginti octo annos, ſeu magis per octo annos aſſidue Domino militavit, aliique plures canonici beati Martini ſancto Spiritu, necnon ſalutari ejus admonitione inſtructi mutatis veſtibus ſeſe ad inſulam contulerunt.* Hæc inſula vicina eſt urbis & propè ſuburbana, ad quam Herveus eccleſiæ ſancti Martini Archidiaconus itare ſolebat, ut orationi impenſius vacaret, & in ſeceſſu Deo liberius frueretur. Ibi vir antiquæ virtutis primum parvam eccleſiam extruxit, Deoque ſub nomine ſanctorum Coſmæ & Damiani dicavit, narrantque eum plures annos hoc in loco tanquam in eremo permanſiſſe. Semotus ab hominum conſortio, ibi more antiquorum aſcetarum in ſeverioribus diſciplinæ Chriſtianæ exercitiis agebat, corpus inedia, jejuniis & pervigiliis excrucians, Deumque jugi oratione & prece perenni ſibi concilians. Hoc paucis poſt annum milleſimum annis contigiſſe narrat chronicon Martinianum. Berengarius intimo dolore percuſſus, illuc ſe recepit, & peccata, quæ perfidia contraxerat, vitæ acerbitate diluere conatus eſt, & continuo virtutum Chriſtianarum exercitio anteactæ vitæ facta emendare: ſuas pauperibus facultates liberaliter largiebatur, modeſtia, humilitate, jejuniis & aliis corporis afflictionibus, ita ſe exercebat, ut nemo dubitaret, quin in ſeipſum ob contumaciam aſperius animadverteret, & ſincere hæreſim deteſtaretur. Suo exemplo complures, quos erroris ſibi ſocios adjunxerat, ad meliorem frugem revocavit. Obiit anno MLXXXVIII. die

octavo Idus Januarii, & in eccleſia ſancti Coſmæ ſepultus eſt. Quantùm ſcriptores illorum temporum, eum ejuſque hæreſim condemnare ſtuduerunt, tantùm ob pœnitentiam eum alii laudare certarunt. Baronius tamen eum indignum his laudibus cenſet. Hildebertus Archidiaconus, & poſtea Cenomannenſis Epiſcopus, ac demum Turonenſis Archiepiſcopus ejus epitaphium ſcripſit, quod extat. Vetus fragmentum bibliothecæ Floriacenſis de Berengario his verbis loquitur. *Sed ipſe Berengarius reſipiſcens & pœnitentiam agens, cum die Epiphaniorum moreretur, recordatus, quot miſeros quondam adoleſcens primo erroris ſui calore, ſecta ſua infeciſſet, producto gemitu, hodie, inquit, die apparitionis meæ apparebit mihi Dominus Ieſus Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero ad gloriam, vel propter alios aure corruptos, timeo, ad pœnam.* Hæc de Berengario, ejuſque hæreſi. Ad res Eccleſiæ Pariſienſis redeo. LIB. X. CAP. VII.

De Berengario fuit ſermo occaſione Pariſienſis Concilii, quod celebratum eſt anno M L. Id temporis Eccleſiam Pariſienſem regebat Humbertus, ſeu Imbertus; neque dubium eſt, quin huic Concilio adfuerit, vitam ad annum MLX. produxiſſe certum eſt, idque maxime ex charta ſancti Martini de Campis, cui ſubſcripſit anno M L X. obiitque eodem anno. x. Kalend. Decemb. ut habet martyrologium monaſterii Flaviniacenſis. *x. Kalend. Decembris Humbertus Pariſienſis Epiſcopus obiit, qui dedit eccleſiam ſancti Iuliani apud Nui.* & in martyrologio ſancti Benigni. *x. Kalend. Decembris depoſitio Domini Humberti Pariſienſis Epiſcopi, qui dedit nobis cellam ſancti Amatoris in urbe Lingonenſi.* Necrologium quoque Pariſienſis Eccleſiæ illius celebrat memoriam his verbis. *x. Kalend. Decembris obiit Humbertus Epiſcopus.* Ex his facile judices, & ex iis, quæ ſuperius retulimus, ipſum pietate & religione illuxiſſe, qui ſcilicet eccleſias donis & beneficiis amplificare ſtuduerit. VI.

Libet hic breviter de moribus illius ætatis diſſerere. Bella domeſtica, quæ prius exarſerant, arma barbarorum, Carolinæ familiæ occaſus & variæ rerum viciſſitudines, multa mala in regnum invexerant, quibus curandis vix ulla occurrebant remedia. Jam ſuperius retulimus, quâ labe inprimis infectus erat clerus. Simonia clericos ubique tam in Italia, quam in Germania & Gallia tanquam peſtifera lues invaſerat. Ad ſanandum peſſimum morbum ſummi Pontifices Synodos & Concilia coegerant, Epiſcopi quoque, quibus religionis & eccleſiaſticæ diſciplinæ amor erat, huic quoque malo exigendo, & congregatis Synodis, & editis decretis laboraverant. Sed & Reges, qui eccleſiaſticam ſalutem volebant ad conterendum monſtrum, congregaverant conventus. Verum adeo inſanabile malum videbatur, ut omnibus his conatibus, quàmvis ſæpius expulſum, ſemper tamen recurreret. Henricus præſertim Imperator, ut malo palam graſſanti mederetur, quod narrat auctor illorum temporum Glaber, Epiſcopos Imperii convocavit. Scribit Glaber hanc eis habuiſſe orationem. *Lugens vobis incipio loqui* Ipſa auctoris verba refero *qui vice Chriſti in Eccleſia conſtituti eſtis, quam ipſe ſibi deſponſavit, ac pretio ſui ſanguinis redemit. Sicut enim ipſe gratuita bonitate de ſinu Dei Patris, per virginem ad nos natus eſt redimendos, ita ſuis præcepit, mittens eos in orbem univerſum Apoſtolis: gratis accepiſtis, gratis date; vos enim avaritia & cupiditate corrupti, qui dum conferre deberetis in hujuſmodi trangreſſionis dando & accipiendo canonem, maledicti eſtis. Nam & pater meus, de cujus animæ periculo ita valde pertimeſco, damnabilem avaritiam in vita nimis exercuit. Idcirco quicumque veſtrorum hujuſce* * *noxa* † *contaminatos, oportet, ut à ſacro miniſterio ſecundum diſpoſitionem canonicam arceantur. Patet ergo manifeſtiſſime, quoniam propter hanc offenſam venerunt ſuper filios hominum diverſæ clades, fames videlicet atque mortalitas, necnon & gladius. Omnes quippe gradus eccleſiaſtici à maximo Pontifice uſque ad oſtiarium opprimuntur per ſuæ damnationis pretium, & juxta vocem dominicam in cunctis graſſatur ſpiritale latrocinium.* Ad verba Imperatoris terrefactus obſtupuit cœtus Pontificum. Quiſque ſtimulis conſcientiæ urgebatur; pauci enim, ut ea erant tempora, ſe à culpa vacuos ſentiebant: metuebant ne ſecundum ſanctionem canonum epiſcopatu & honoribus privarentur, & è ſuis ſedibus meritò dejicerentur. Emebantur enim tam in Italia, quam in Germania & Gallia ſacerdotia, & tanquam merci-

monia venalia proſtabant. Epiſcopi tum ſupplices miſericordiam Imperatoris implorare, & veniam deprecari. Qui horum precibus motus, prudenti diſpenſatione, quid enim aliud ea temporum iniquitate gereret? omnibus indulgentiam conceſſit, juſſitque, ut omnes ſibi pœnitentia & emendatione à Deo veniam obtinerent. Tumque regia publicaque conſtitutione edictum eſt, ut deinceps nemo eccleſiaſticum honorem pretio pararet, nemo quidquam pro eo dare, aut accipere auderet, & qui ſecus faceret, loco pulſus, & anathemate percuſſus plecteretur. Spopondit inſuper promiſſum hujuſmodi dicens. *Sicut enim mihi Dominus coronam Imperii ſola miſeratione ſua gratis dedit, ita & ego, quod ad religionem ejus pertinet, gratis impendam, volo ſi placet, ut eadem quoque faciatis.* Quantùm in agro Domini excreviſſet ſimoniæ vitium, patet quoque ex aliis Conciliis, quæ poſtea celebrata ſunt. Fratres fratribus ſuis epiſcopatus & cathedras emebant, & pariter propinqui ſuis propinquis ſacerdotia pactione comparabant. Ita anno MXLIX. in Concilio Remenſi, ubi ipſe ſummus Pontifex Leo IX. præſidebat, Hugo Nivernenſis Epiſcopus confeſſus eſt à propinquis ſuis inſcio ſe datam pro cathedra pecuniam. Tunc ad pedes ſummi Pontificis pedum paſtorale projiciens, indignum ſe hoc loco, modeſte de ſe ſentiens confeſſus eſt. Quibus Leo Papa perculſus, illi honorem ſuum reſtituit. Pariter Joſfridus Conſtantienſis Epiſcopus confeſſus eſt in eadem Synodo, ſe neſcio emptum à fratre epiſcopatum, & recuſantem accipere, vi fuiſſe coactum; quod cum aſſeruiſſet ſacramento, innocens compertus eſt. Sed loco ſuo motus eſt Pudicus Namnetenſis Epiſcopus, quod mortuo patre ſuo ejuſdem loci Epiſcopo, viam ſibi largitionibus ad epiſcopatum feciſſet. Deinde in eodem Concilio diligentius in omnes inquiſitum eſt, an forte quiſquam pretio & pecuniâ honores eccleſiaſticos graduſque aut dediſſet, aut accepiſſet? Adeo flagitium hac tempeſtate deflagrabat! Quamobrem in eadem Synodo cautum maxime eſt, ne quis ſacerdos ordines & eccleſiaſtica miniſteria, vel altaria aut emeret, aut venderet. Sæpe contingebat, nt quidam eos, qui in aula plus poterant pretio ſibi conciliarent, immo & ipſos Principes immenſis donationibus ſibi devincirent, ut eorum auctoritate, & gratia ſacerdotia & cathedras conſequerentur. Hocque vehementius redarguit Concilium Rotomagenſe anni ML. *Ne gratiam ſancti Spiritus vilis mercaturæ compendiis appretiabilem facere videantur.* Eccleſia Pariſienſis hoc quidem malo infectam eſſe non accepimus. Nam Gelduini Archiepiſcopi Senonenſis culpam in hanc Eccleſiam non refundo. Negotium eſt ejuſmodi. Anno MXXXII. mortuo Leotherico Archiepiſcopo Senonenſi, clerus & populus unanimi conſenſu poſcebant Mainardum hujus Eccleſiæ Theſaurarium, Gelduinus tamen tantùm muneribus effecit, ut ad ſe aulicorum & Regis ipſius voluntates pertraheret, & his peſſimis artibus cathedram Senonenſem invaderet, continuóque Pariſiis ordinaretur Epiſcopus XV. Kalend. Novembris. Res ea magnas turbas excitavit. Gelduinus enim, Senonarum aditu prohibitus eſt, Odone Comite Campaniæ reluctante aliiſque proceribus, qui Mainardum ſanguine & propinquitate attingebant. Rex injuriam Gelduini ſuam ratus, vi & armis eum in cathedram inducere conatus eſt; comparatoque itaque numeroſo exercitu, Senonum fines ingreditur. Expeditioni aderat Rex cum Fulcone Andegavenſium Comite, per monaſterium ſancti Petri prima impreſſio fuit. Cædes utrinque magna facta eſt. Verum Henricus ægre ferens, vim inferri per monaſterium, quod ejus pater Robertus Rex ab injuria defenderat, hinc milites amovit, & poſt tres dies Lutetiam reverſus eſt. Neque tamen ab incœpto deſtitit; anno enim ſequenti rediit Senonas cum tribus hominum millibus, multiſque locis urbem oppugnavit, ſed irrito conatu. Anno MXXXIV. Odo Comes Campaniæ mediam Senonarum urbem, quam illi Conſtantia Regina ceſſerat, ut jam memoratum eſt, Henrico reſtituit. Tum, cum nemo reſiſteret, facile fuit Gelduinum in urbem introducere, & in ſede collocare. Ex his, quæ ex chronico ſancti Petri vivi deſcripſi, intelligere licet Henricum inprimis adductum eſſe ad tuendam ordinationem Gelduini, occaſione Odonis Comitis, qui adverſus Regem Henricum bellum moverat. Gelduinus in cathedra Seno-

Digitized by Google

nenſi conſtitutus agere perperàm inſtituit, quibus rebus non modo populi & cleri invidiam & odium in ſe concitavit, ſed etiam Regis Henrici. Tandemque à Leone IX. Romano Pontifice anno MXLIX. in Remenſi Concilio depoſitus eſt, & excommunicationi ſubjectus. Dum hæc, quæ ſupra retulimus, agerentur, Mainardus Trecenſis Epiſcopus ordinatus fuerat. Is poſt ejectum Gelduinum ſtatim ſedem Senonenſem recepit. Gelduinus poſtea tantùm effecit, ut ſua cauſa retractaretur frequenti Synodo. Sed nihil profecit, Gelduinus enim tam ipſe, quam Mainardus è Senonenſi cathedra dejectus eſt. Tamen ad poſtulationem Eccleſiæ Senonenſis Mainardus reſtitutus eſt, & Eccleſiam Senonenſem adminiſtrare cœpit, & rem ita gerere, ut cleri populique amorem ſibi conciliaret, & prava, quæ ſuccreverant evelleret.

VIII. Ea quoque ſimoniæ labes etiam in monaſteria irrepſerat, ob eamque cauſam idem Concilium vetat, ne quis ex monachis per pecuniam ad honorem Abbatis aſpiret. Verùm malum nihilominus adeo invaleſcebat, ut cum Hildebrandus Eccleſiæ Romanæ Archidiaconus Legatus Victoris II. ſummi Pontificis veniſſet in Gallias anno MLV. in Synodo Lugdunenſi quadraginta quinque Epiſcopi ſe per ſimoniam honores adeptos eſſe confeſſi ſint, & ſe ſacerdotio propterea abdicaverint. Neque Nicolaus II. ut hanc labem depelleret, remiſſius egit, ille Bellovacenſem Epiſcopum hujus criminis reum ad ſe venire præcepit, ut cauſam cognoſceret: aut ſi manifeſtum erat flagitium, quod cathedram pecunia emiſſet, jubet ei ſacris interdici. Et anno MLIX. graviſſimis verbis decretum ſancivit adverſus ſimoniacos, nullaque eos miſericordia diguos eſſe aſſeverat, & à ſacerdotio penitus dejiciendos eſſe pronunciat. Sed de iis, qui ab Epiſcopis hac peſte infectis ordinati ſunt, varia ejus ſententia fuit; eos enim qui pecunia ordines receperant, à loco penitus ſummovendos cenſet: in illos vero, qui gratis à ſimoniacis conſecrati & ordinati fuerant, utendum indulgentia, & hos ex diſpenſatione recipiendos eſſe. *Quia*, inquit, *uſque adeo hæc venenata pernicies haſtenus inolevit, ut vix quælibet Eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta.* Id vero non vult in exemplum & auctoritatem trahi à ſucceſſoribus ſuis, neque in regulam aut legem aſſumi. *Quia hoc non auctoritas antiquorum Patrum jubendo, aut concedendo promulgavit, ſed temporis nimia neceſſitas permittendum à nobis extorſit.* In poſterum tamen vetat, ne quis ullo modo à ſimoniaco ſe permittat ordinari. Eodem anno idem ſummus Pontifex Stephanum legatum in Gallias miſit, qui celebravit Turonenſe Concilium, in quo & ſeverè contra ſimoniacos animadverſum eſt. Eos enim omnes, qui ad epiſcopatum, & locum quemlibet, aut gradum conſequendum, aut quodcumque beneficium, & ſacerdotium obtinendum pecuniam darent, aut acciperent, vult ſuo gradu, ſuoque miniſterio ita privari, ut deinceps ad recuperandum munus illis locus non pateat. Si quis Epiſcopus contra hoc decretum egerit, tunc Synodus decernit, ut liceat clericis contradicere, & judicium vicinorum Epiſcoporum expetere, & ſi opus ſit, appellare ſedem apoſtolicam. Ex iis omnibus intelligis, quantum avaritia & corruptela clerum velut morbus inſanabilis invaſiſſet, quod vitium exigere neque eccleſiaſtica auctoritas, neque poteſtas regalis valeret. Repetita ſæpius in Synodis decreta, inflictæ pœnæ legis eccleſiaſticæ violatoribus ſanandis morbis non ſufficiebant. Hoc monſtrum velut hydra ex vulneribus amputatiſque capitibus multiplex renaſcebatur. Adeo difficilis eſt curatio mali quod internas, nobileſque partes ſemel corrupit. Memorabilis illo tempore diſpenſatio, qua uſus eſt ſummus Pontifex, & Henricus Imperator, qui commune publicumque malum, quo pene omnes afficiebantur, molli curatione, & pœnæ indulgentia, magis, quam exciſionibus, & aduſtionibus curare inſtituerunt, ne malum acerbiori curatione ingraveſceret. Non ultra annum MLX. in memorandis morbis Eccleſiæ progreſſus ſum. Huic meo ſermoni finem verbis Abbonis Floriacenſis Abbatis imponam; diſces ex eo, quo illa evaſiſſet improbitas, is in Apologetico de ſimonia, quæ late Eccleſiam devaſtabat, ſic ſcribit. *Nihil enim penè ad Eccleſiam, quæ ſolius Dei pertinere videtur, quod ad pretium non largiatur, ſcilicet epiſcopatus, presbyteratus, diacona-*

tus & reliqui minores gradus, archidiaconatus quoque, decania, præpoſitura, theſauri cuſtodia, baptiſterium, ſepultura, etſi quæ ſunt ſimilia. Et hujuſmodi negotiatores ſubdola reſponſione ſolent aſtruere, non ſe emere benedictionem, qua percipitur gratia Spiritus ſancti, ſed res Eccleſiarum & poſſeſſiones Epiſcopi: cum certum ſit quod in catholica Eccleſia alterum altero carere non poſſit. Et iterum paulopoſt idem Abbas. *Sic quoque talis negotiatio bona æſtimatur, cum pro certo mala ſit, quia turpis lucri gratia contingit: de qua re adeo conſuetudo inolevit, ut hoc jam credatur ſine peccato fieri.*

IX. Ex hac ſimoniæ corruptela, aliud malum profectum eſt, cui quidem fovendo tam bella domeſtica, quam neglectæ leges eccleſiaſticæ & civiles, haud mediocriter contulerant. Optimates bona Eccleſiarum & facultates invaſerant. Decimæ, quæ clericis pauperibuſque alendis deſtinatæ fuerant, in manus laicorum venerant, quin etiam ipſas oblationes, & vota fidelium retinendi jus hi ſibi tribuebant, baptiſteria & cœmeteria vendebant, altaria quoque & eccleſiæ diſtrahebantur, & tanquam profana aliqua ſupellex licitatori pro pretio & pecuniâ diſtribuebantur. Decreta contra hanc pravitatem in Synodis ſtatuebantur. Nihilominus malum ipſa curatione ingraveſcebat. Anno MLIV. Synodi Narbonenſis decreto cautum eſt, ne quis terras, vel res cujuſcumque ſibi vindicet ſine dono, aut permiſſione illius, cujus eadem eccleſia fuerit. Hæc ex XII. canone. Decimus tertius vetat, ne quis laicorum retineat reditus ſynodales præter conſenſum Epiſcoporum. Et XIV. monet, ut nullus laicorum retineat primitias, neque oblationes, neque cœmeteriorum pretia &c. Ex his patet in laicorum manus veniſſe res Eccleſiæ, primitias etiam, & oblationes, & pretium pro ſepultura, & alia ejuſmodi. Sed tamen Synodus utitur diſpenſatione, permittit enim laicis ea habere cum dono & permiſſione illius, cujus ſunt. Non enim Pontifices, qui priſcæ diſciplinæ tenaces erant, exiſtimabant vel Epiſcopo licitum eſſe res eccleſiaſticas cuiquam è laicis tradere. Dictum eſt ſuperius objurgatum acerbiſſime Franconem Pariſienſem Epiſcopum à Fulberto, quod ab illo rogaretur, ut altaria laicis daret in beneficium, eóque vehementius illum objurgatum, quod Franco, cum eſſet Decanus, ſæpius conqueſtus eſſet, quod ejus deceſſor altaria laicis daret. *Doleo ſuper te, cariſſime,* inquit Fulbertus, *cum te à priſtina virtute apoſtatare video. Olim apud me conquerebaris de tuo anteceſſore, qui ſacrilega temeritate altaria laicis in beneficium dederat. Nunc mihi ſuades, ut ego ſimiliter faciam. O cœlum! O terra! quid faciam? quid clamem? aut quid tuis meritis digno modo te objurgare poſſim? &c.* Juxta eam Fulberti ſententiam Turonenſis Synodus anni MLX. vetat *ne ullus eccleſiam magnam, vel parvam deinceps conſenſu Epiſcopi, in cujus parochia eſt, à laicis præſumat accipere quolibet modo; ſed neque à clerico, vel monacho, ſeu laico, ſub pretii alicujus venalitate. Quod ſi fecerit & vendens & emens ea careat.* Hæc ex canone IV. Octavus vero canon vetat *ne quis laicorum aliquid de his, quæ ad oblationem, vel eleemoſynam Eccleſiæ pertinent, ſive ſepulturam, ſive ſaltem tertiam decimarum partem poſſideat, aut vendat, aut ſub nomine beneficii alicui det*; idque ſub anathemate. Ne longius procedat oratio eadem paulo antea in Synodo Toloſana definita fuerant. Ex quibus apparet, tunc has res eccleſiaſticas, ſicut merces venales extitiſſe, & Pontifices ſæpius in Synodis adverſus publicam corruptelam reclamaſſe. Nihilominus his ſtatutis non ſtatim obtemperatum eſt. Ecce tibi exemplum, ex quo facile diſces hujus pravæ conſuetudinis rationem. Inſtrumentum deſcripſi ex hiſtoria ſancti Martini de Campis. *Vir quidam egregius & miles ſtrenuus Paganus appellatus à baptiſmate Vualterius, & uxor ejus à baptiſmate Hodierna comitiſſa nuncupata, imitari volentes præcedentium patrum exempla, de poſſeſſionibus ſuis ſanctæ beati Martini de Campis eccleſiæ dederunt eccleſiam, quæ ſita eſt in monte, qui nuncupatur mons martyrum, altare videlicet, & capſum, ſepulturam, & tantum atrii, ubi fierent officinæ fratrum, decimæ tertiam partem, & tertiam partem hoſpitum terræque medietatem carrucæ ad poſſidendum. Hoc vero publice factum eſt in ſupra dicta beati Martini de Campis baſilica, & ſuper ſacroſanctum altare donum eſt poſitum à ſupra dicto Pagano & conjuge ſua videntibus cunctis, quorum hæc ſunt nomina Petrus & Vualo milites*

Fulb. Epiſt. 59.

Hiſt. S. Mart. de Camp. lib. 4.

milites ipſius pagani , Robertus filius Stephani , Henricus filius ejus. Et hoc factum eſt LIB X.
in Gallia regnante Philippo , Cluniacenſis Eccleſiæ Hugone exiſtente Abbate. Apud CAP. VII.
Campos ſub eo Vrſione Priore, Vuilelmo Epiſcopo urbis Pariſiacæ anno dominicæ incarnationis M X C V I. Indict. IV. Urſio ſeu Urſo prior hujus loci Bernardo homini laico conceſſit ad cenſum x. ſolidorum eccleſiam cum oblationibus. Sed ecce tibi ipſam chartam deſcribimus. *Notum eſſe volumus contemporaneis , & poſteris noſtris. Quoniam parva eccleſia , quæ in colle Montis-martyrum eſt , & à vulgo appellatur ſanctorum , martyrum , erat olim laicorum hominum , qui pro abſolutione peccatorum ſuorum, & ſalute animarum ſuarum conſequenda eam dederunt Deo , & ſancto Martino de Campis , & domno Vrſoni Priori & ſenioribus ejuſdem loci , domnus autem Vrſo aſſenſu ſeniorum , & rogatu laicorum conceſſit oblationem totam , quæ afferretur in eam. Bernardo laico in vita ſua ad cenſum x. ſolidorum , quos perſolvet ad feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ ſingulis annis , eo tenore , ut in die mortis Bernardi , præfata oblatio ſancto Martino remaneat , & quidquid facultatis eo die Bernardus habuerit , ſancto Martino relinquat pro anima ſua. Et dum vixerit miſſam celebrari faciet in ipſa eccleſia bis vel ter in hebdomada.* Nondum igitur abolita ſuperioribus decretis prava illa conſuetudo eccleſias , a taria & oblationes tradendi laicis hominibus , quam ipſi Cluniacenſes monachi , quorum tunc vigebat regularis diſciplina, uſurpabant. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Petrus de Marca nos admonet ad Canonem VII. Claromontanum , id temporis aliquando altare ab ipſa eccleſia diſtinctum , eccleſias quidem traditas laicis , ſed tamen altarium adminiſtrationem ad jus ſpiritale ſpectaſſe. Per eccleſiam , qnam laici retinebant ait eſſe intelligendos, non modo fundos , & villas eccleſiarum , ſed etiam oblationes , decimas , primitias , alioſque reditus, eccleſiaſque in eo jure poſſeſſas, quo cetera beneficia, ſeu feuda , adeo ut tandem in hæredes quoque tranſierint, & expoſitæ ſint hominum commercio. Per altare ſignificatam ait ſacramentorum celebrationem , quæ ad clericos pertinebat. Hanc vero diſtinctionem probat ex apologetico Abbonis , de quo antea ſæpius habitus eſt ſermo. Sic enim Hugonem, Robertumque Reges alloquitur. *Certe, cariſſimi Principes , nec catholice vivimus , nec catholice loquimur , quando illam eccleſiam dico eſſe meam , ille alteram dicit eſſe ſuam. Ac veluti quædam jumenta , comparati jumentis inſipientibus , utraſque aliquando venales proponimus , propoſitaſque ab aliis emere non formidamus. Eſt etiam alius error graviſſimus , quo fertur altare eſſe Epiſcopi , & eccleſiam alterius cujuſlibet domini : cum ex domo conſecrata & altari unum quoddam fiat , quod dicitur eccleſia. Sicut unus homo conſtat ex corpore & anima. Videte , æquiſſimi Principes, quo nos ducit cupiditas , dum refrigeſcit charitas.* Cum poſt tempora Abbonis Pontifices in Synodis ſæpius corruptos illius ætatis mores reprehendere aggreſſi ſint , laici plerique donare decimas ſolebant , quas eccleſiis abſtulerant, aut monaſteriis, aut capitulis canonicorum , aut clericis , & Epiſcopis , & ſæpè eas vilius vendere, ut habent vetera eccleſiarum tabularia. Sed ea fieri non facile patiebantur Epiſcopi , ut antea monuimus , dum de Synodo Dionyſiana ſumus locuti , ubi Pontifices agere inſtituerant de decimis à monaſteriis & capitulis recipiendis, quorum ordinationi interceſſit Abbo Abbas Floriacenſis , cujus ſermonibus excitati monachi , magnum tumultum ediderunt. Nibilominus variis Synodis & Pontificum decretis vetitum eſt , ne ullus laicus decimas ſuas , aut eccleſiam , aut quidquid eſt juris eccleſiaſtici ſine conceſſione , aut Romani Pontificis , aut conſenſu ſui Epiſcopi monaſteriis , aut canonicis offerret , ut præſertim ex Concilio Melſitano intelligimus.

Non modo ex neceſſitate conſenſus , ſed etiam ex illis pravis moribus orta X.
erat alia mala conſuetudo , qua in ſuam rem Epiſcopi utebantur. Sæpius enim ita conferebant monachis , aut canonicis altaria , ut monachi omnes proventus altarium , oblationes , & alia jura eccleſiarum ipſi perciperent , labores vero ſacri miniſterii non ipſi peragerent , ſed aliis ſuſtinendos committerent , quibus alimenta ſuppeditabant , iique vulgo vicarii dicebantur. Quoties vero eos mori contingeret , altaria tanquam militaria beneficia , ſeu feuda ad Epiſcopos redibant , quæ redimi oportebat ab iis , qui altaria prius obtinebant. In charta Im-

betti Epiſcopi Pariſienſis, quam ſupra retulimus, reperies hujuſce pravæ conſuetudinis argumentum. Adraldus Abbas ſancti Germani à pratis, & monachi ejuſdem loci petierunt ab Imberto Pariſienſi Epiſcopo altare ſancti Georgii de Villa nova, ad ſupplementum victus monachorum. *Quod pietatis opus negare non bonum duximus*, inquit Imbertus, *præſertim cum id ea maxime cauſa expetierint, ne à ſucceſſoribus noſtris frequenti coemptione gravarentur, vel oppreſſione inquietarentur.* Hanc chartam datam eſſe anno MXLVI. ex his, quæ aliàs dicta ſunt, facile cognoſces. Hæ autem, quæ coemptiones hîc dicuntur, ſicut in feudis ſeu beneficiis, redemptiones vulgo dicebantur. Hæc pravitas aliam induxerat pravitatem, non modo enim monachi altarium adminiſtrationem vicariis permittebant, & proventus ſibi retinebant; ſed ipſi clerici in pravos illos mores abierant; hi ſcilicet ex altaribus fructus & proventus percipiebant, & vicariis pariter eccleſiaſticam relinquebant admioiſtrationem, & decedentibus vicariis ipſa altaria ab Epiſcopis redimere illi conſueverant, atque ita res eccleſiæ & ſacra religionis myſteria in quæſtum & lucrum traducebantur. Quam impietatem, quæ totum orbem invaſerat, Urbanus Papa II. in Concilio Claromontano proſcripſit, & nota ſimoniæ inuſſit, unde Vindocinenſis Abbas Goſfridus lib. 3. Epiſt. 12. redemptionem eccleſiarum, quæ vulgari hoc vocabulo altare nuncupatur, beatus vir, Urbanus ſcilicet II. Papa, ſimoniacam pravitatem vocavit, & apoſtolica auctnritate damnavit. Sed de his vide doctiſſimam diſſertationem Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi, qui fusè eam rem pertractavit.

XI. Licite tamen monachi & canonici altaria retinebant, quæ ſibi ab Epiſcopis tribuebantur, eaque habebant ſine redemptionis jure, & hoc in uſu plerumque erat, & abſque ulla reprehenſione. Referta ſunt canonicorum, monachorumque chartularia his donationibus, unum aliquod hîc adducimus inſtrumentum, quod ad res noſtras ſpectat de conceſſione ſcilicet altarium Vernolii, Machelli, Cellarum & Steovillæ. *Imperante auctoritatis ſummæ ſereniſſimo favore Leothericus Senonenſis Archipræſul illuſtriſſimus Chriſticolis in urbe degentibus univerſis pignus pacis, cum felicibus incrementis geminæ ſalutis. Noverit cœtus reipublicæ, immo cunctorum concio ſedis noſtræ fidelium, quoniam divini judicii & inexorabilis memores periculi, pietatis utiliter cogimur immorari præceptis, ſcilicet, ut quidquid ſupplicii pro humana fragilitate ſumus obnoxii, per officia debitæ qualitatis, & alterna fraternæ dilectionis impendia, ſanctorum præcipue per amoris incendia facile ſit expurgatum; & quidquid dignum quæritur veniæ, nihil negari detur noſtræ fragilitati, unde ſentiat amplitudo Chriſtiani nominis munificentiam noſtræ ſerenitatis ordinantem. Privatis & publicis etiam compluribus conventam negotiis erga frequentiam providæ dilectionis domni & cariſſimi nobis Raginaldi Pariſiorum Pontificis, necnon & congregationis ſanctæ Mariæ glorioſæ cultricis jam dictæ ſedis, & nihil noſtris dignius fieri votis, quam verbi eorum obſequi ſtudiis, qua ſpe roboraci, & precum ſub arma collecti, prænominatæ ſedis Pariſiorum canonici oborta humilitate Senonum præſidia ſubeuntes, noſtram acceſſerunt præſentiam, rogantes ſibi optaca concedi de quatuor altaribus noſtræ diœceſi ſubjacentibus, quorum orata cordis ſereno corde ſuſcipientes, & cæleſtis curiæ palatia tam nobis, quam ſucceſſoribus mercari curantes in amore agni divini, & in devotione ſanctæ Dei genitricis Mariæ, omnium ſupernorum civium, & pro ambarum utilitate partium conceſſimus in publica Senonenſis Eccleſiæ Synodo, cum aſſenſu Ragenoldi Archidiaconi noſtri, ex cujus miniſterio eſſe videntur prænominatis canonicis quatuor altaria, videlicet altare de cellis, in honore ſancti Germani dedicatum, & aliud in Vernolio in nomine ſancti Petri, aliud quoque in Steovilla in nomine ſancti Germani, aliud quoque in Machello in nomine ſancti Germani, & hæc quidem altaria per interventum domni Pontificis Raginaldi, tali tenore obtulimus canonicis Pariſius ſanctæ Mariæ ſervientibus, & pro habenda inibi jugiter noſtri, noſtrorumque Epiſcoporum memoria, ſine tenus teneant, regant, atque poſſideant ſine alicujus repetitionis infeſtatione & calumnia. Datum in menſe Septembri regnante Roberto Rege Francorum anno IX.*

XII. Hæc damna Eccleſiæ, quæ, ut diximus, bellis barbarorum, domeſticis diſſidiis, & mutatione rerum acciderant, magnopere rem Chriſtianam infeſta-

verant, adeo ut ea reſarcire vel repetitis canonibus difficile fuerit. LIB. X. CAP. VII.

Sed erat aliud malum haud minus grave, quod eo tempore rempublicam affligebat, quodque ex iiſdem cauſis ortum fuerat. Familia Caroli-magni ad occaſum XIII. inclinante Duces & Comites, quod olim à nobis memoratum eſt, provincias & civitates, quas ſub Regum poteſtate, & ad eorum nutum regebant, ita occupare cœperunt, ut eas quiſque tanquam privatas facultates, & avitum patrimonium ad hæredes tranſmitteret. Huic rerum mutationi aditum fecerant diſſidia, contentioneſque inter filios Ludovici pii excitatæ, plurimùmque Ducum & Comitum conſilia adjuverant Nortmannorum aſſiduæ infeſtationes, & ſocordia poſteriorum Regum Carolinæ gentis. Etenim ſeu ſæviente gladio barbarorum, ſeu vergente ad interitum familia Caroli, facile cuique fuit eas invadere provincias, quas adminiſtrabat. Sed nihil plus eorum conatibus contulit, quam illa mutatio, quæ Hugonem, ejuſque poſteros ad regnum advocavit. Tum nemo veritus eſt id ſibi vindicare, quod precariò & ad Regum arbitrium habebat. Ex hac nova reipublicæ forma ſtatus reipublicæ valde immutatus eſt. Provinciæ, quæ prius ſub unius poteſtate erant, & quæ communi lege gubernabantur, diviſæ poſtea ſub plurimorum imperio, non amplius auctoritate legum anteriorum, regi cœptæ ſunt. Sed quiſque rem ordinabat magis ex commodo, quam ex æquo. Illa rerum mutatio ſine motibus & pluribus bellis non accidit. Neque potuit pax eſſe, ubi provinciæ, quæ unius erant, plurimorum imperio ſubjectæ ſunt: neque in ſingulis civitatibus & provinciis pax retineri potuit, ubi jura & tribunalia obmuteſcerent, & jacerent leges abolitæ. Huc accedit, quod ii, qui minora beneficia precariò à Regibus habebant, æmulati audaciam Ducum & Comitum ſibi jus omne in ea arrogaverant, & ea tanquam patrimonium defendere non dubitabant. Ex his & aliis, quæ in ea rerum perturbatione acciderunt, odia, inimicitiæ & pugnæ orta ſunt, quæ nulla ratione ſedari poterant. Hiſque fovendis haud parum contulit mala inter Francos conſuetudo, quæ penè in legem abierat, ut quo ſemel quis alium occidiſſet, liceret propinquis cædem ulciſci, & in vindictam quemvis ex interfectoris propinquis impunè occidere. Huncque peſſimum morem *Faidam* vocitabant. Ex his omnibus pugnæ privatæ, & bella domeſtica, quæ frequentiſſima his temporibus erant, originem habuerunt. Ad ea vero tollenda, quoniam non poterat malum ſtatim curari, hac arte ad curationem itum eſt. Quidam dies aſſignati ſunt, quibus interdictum penitus eſt, ne quis alium perſequeretur, & cuique liceret quietè & abſque metu otio frui, & has inducias vulgo Treugam Dei ſeu Domini vocitarunt. Illa Treuga Dei decretis Synodorum, ſummorum Pontificum litteris celebrata eſt & approbata, ſcriptoribus illorum temporum memorata, & doctiſſimorum noſtri temporis monimentis explicata. De ea paucis differendum eſt. Glaber illius Treugæ Domini primus meminit. Ille ait in Aquitania pactionem inter proceres ſcilicet & Epiſcopos conſtitutam, quâ datæ induciæ ſunt à veſpere feriæ quartæ, uſque ad lucem incipientem feriæ ſecundæ: quo tempore non licebat cuiquam per vim quidpiam auferre, neque per vindictam quempiam perſequi, nedùm inimicum occidere, nec, ut Glaber narrat, à fidejuſſore vadimonium ſumere, id eſt, ut Archiepiſcopus doctiſſimus explicat, pignus datum è fidei juſſoris domo tollere. Igitur feriâ quintâ, feriâ ſextâ, Sabbato & die Dominicâ quies erat ab illis privatis bellis, quibus cuique jus ſuum repoſcere, & injuriam armis ulciſci, non tam licebat, quam non vetabatur, ſi præſertim provocatio præceſſiſſet. Qui vero hanc induciarum legem temerè violabant, capitis aut exilii pœna, vel excommunicatione plectebantur; haſque inducias trito, hoc tempore, vocabulo Treugam, ut dictum eſt, Domini vocitabant. Annotat hic auctor plures, qui hanc pacem tranſgredi auſi fuerant, aut Deo vindice, aut ultoribus hominibus ſtatim pœnam conſecutos. Ex Aquitania porro in alias provincias ejuſmodi induciæ tranſierunt, & pro lege ab Epiſcopis & proceribus habitæ ſunt; primumque conſtitutæ illæ induciæ anno MXLI. ut habet chronicon Flaviniacenſe. Sed illarum induciarum rationem egregiè exponit Narbonenſe Concilium. Primum monet ex præcepto Dei vetitum eſſe quemquam

Petrus de Marca in canonem 1. Claromont.

LIB X. CAP. VII.

occidere. Patres bujus Synodi cum proceribus qui aderant inducias, ſeu Treugam Dei conſtituunt, vetantque, ne quis cuiquam injuriam inferat ab occaſu ſolis diei Mercurii,uſque ad diluculum diei Lunæ. Hæc prima illarum induciarum inſtitutio fuit. Tum protracta illa pax ad alia etiam tempora, à prima ſcilicet Dominica Adventus, ad poſtremum diem octavæ Epiphaniæ Domini, ſive ab ipſa Quinquageſima uſque ad poſtremum diem octavæ Paſchatis; & à Dominica ante Aſcenſionem Domini uſque ad octavam Pentecoſtes abſolutam. Eamque cuſtodiri decretum eſt, & vigiliis, & diebus feſtis ſanctæ Mariæ Dei genitricis, ſancti Joannis Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolotum, ſancti Petri ad vincula, ſancti Laurentii, ſancti Michaelis, Sanctorum omnium, & ſancti Martini. Tum Pontifices bene apprecantur illis, qui hæc inſtituta fideliter cuſtodierint, illos vero, qui violaverint, arcent à cœtu fidelium, & perpetuo damnant exilio. Qui vero his decretis non obtemperabant, cogebantur ab Epiſcopis, & à Comitibus: & nobiles ad vindictam legum pœnis eccleſiaſticis compellebantur; raptores rapta & furta jubebantur reddere: qui vero perturbatores quietis, & induciarum violatores armis perſequebantur, aut contra eos decertabant, obtinebant relaxationem biennii pœnitentiæ. Etſi pax iſta ſervabatur his tantummodo diebus, quos ſupra retulimus, omni tamen tempore pax erat cum clericis, preſbyteris, canonicis, monachis, peregrinis, mercatoribus, iter agentibus, agricolis, & animalibus ad arandum idoneis; hacque eadem immunitate gaudebant, qui in agrum ſemen portabant, matronæ cum comitibus inermibus, omneſque aliæ mulieres. Similiter bona & poſſeſſiones eccleſiarum, clericorum, & monachorum ab invaſione & deprædatione hæc Treuga vindicabat. Utilis certe hæc pacis ſervandæ inſtitutio. Neque mirum eſt, cur tanto provinciarum concentu excepta ſit, concionatores, qui ex umbone populum alloquebantur, hanc publicare & laudare ſolebant, & iram Dei animis accipere recuſantibus minitari. Chronicon Flaviniacenſe tradit vix à Nortmannis ſuſceptam eſſe. Anno tamen MLXXXXVI. in Synodo Rotomagenſi prædicatam, receptamque legimus. Summi poſtea Pontifices eam ſuis decretis & epiſtolis approbaverunt, & hæc in quatuor generalibus Conciliis confirmata eſt. Sed maxime in Concilio Claromontano, cujus occaſione doctiſſimus Archiepiſcopus Petrus de Marca hanc Treugam exponere, & hanc materiam eruditiſſime pertractare inſtituit, qui & de hoc argumento inprimis conſulendus eſt.

LIBER UNDECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Philippo Rege & initiis ejus regni. De Guidone de Monte Letherici & de ejus familia. De fundatione monaſterii Longi-pontis. De donationibus & oblationibus factis huic monaſterio. De monaſterio ſancti Martini à Campis, quod Cluniacenſibus monachis donatum eſt. De monaſterio ſanctæ Honorinæ de Confluentio. De Gotfrido Epiſcopo Pariſienſi, cui Gregorius VII. ſuas vices commiſit. De cauſa Gotfridi Carnotenſis Epiſcopi & de ejus depoſitione. De Ivone Carnotenſi Epiſcopo.

I. HENRICUS Rex moriens, filium Philippum impuberem reliquit, quem paulo ante mortem patris diximus à Gervaſio Archiepiſcopo Remis more Regum Francorum ritè inunctum eſſe. Cum Philippus ob ætatem regno Francorum adminiſtrando haud idoneus eſſet, Henricus teſtamento cavit, ut Balduinus Flandriæ Comes, quem integritate vitæ, & præclaris ornatum virtutibus noverat, filii regnique tutelam ſuſciperet. Lubrica res & periculoſa videbatur, ut Comes ſummam rerum, ſceptrique aſſequeretur poteſtatem, qua quis ſemel potitus eſt, hanc ægre exuit. Adde, quod alii proceres æmulatione Imperii vix ſibi alium præponi paterentur, rati ſe auctoritate diminutos, ſi alius, quem, aut præcederent potentiâ, aut exæquarent, ita creſceret honoribus, ut etiam in ſe jus ſummum exerceret. Res tamen & regno & Regi feliciter cecidit. Balduinus enim cum ſingulari ſapientia parem jungens animi fortitudinem, ita imperium geſſit, ut rebus quietis moderatè ageret, & turbulentis ſe gereret fortiter, & Francos ſuæ adminiſtrationis non pœniteret. Nam poſtquam tute-

lam regni ſeptem annos adminiſtravit, obiit, & Philippo Regi jam adoleſcenti imperium ſalvum quietumque reliquit. Eodem anno, quo Henricum Regem mortem oppetiiſſe, hoc eodem & Imbertum Pariſienſem Epiſcopum de vitâ deceſſiſſe diximus. Huic Gaufridus ſeu Gotfridus ſucceſſit. Ille loco nobili ortus erat, ex Euſtachio ſcilicet Comite Bolonienſi & Mathilde Lovanienſi; & ad illius ſanguinis nobilitatem pertinet, quod fuerit patruus illius celebratiſſimi Gotofredi Bullonii, cujus in tranſmarinis expeditionibus adeo laudata eſt fortitudo, quique & præclarè factis, & judicio Francorum primus Hieroſolymitanum regnum conſecutus eſt. Paulo poſt mortem deceſſoris intervallo oportet eum ordinatum eſſe Pariſienſem Epiſcopum. Legitur in Gallia Chriſtiana charta deſcripta ex autographo Abbatiæ ſancti Florentii Salmurienſis, qua Gaufridus Pariſiorum Epiſcopus concedit Guilelmo Abbati, & monachis ſancti Florentii eccleſiam ſancti Deſiderii, & capellam beatæ Mariæ de Caſtello Bruyerias dicto, & alia quæ memorantur in charta, data autem eſt anno MLX. Hujus Epiſcopi pluribus in locis memoria eſt, & ſunt inter manus chartæ haud paucæ, in quibus ejus nomen celebratur, quarum pleraſque aut notare, aut referre juvat. In his vero memorandis non tam ordinem ſervabo temporis, quam locorum & monaſteriorum rationem. Ordiar à fundatione monaſterii Longi-pontis, quod eo Pontifice conditum eſt. Rem, ut eam ex hujus loci chartulario accepi, paucis refero, quam & inſtrumentis & auctorum teſtimoniis confirmo.

II. In pago Pariſienſi juxta viam publicam, qua Pariſiis Aurelianos itur, mons exurgit antiquis celebratus, qui deinde à Letherico hujus loci Domino Mons Letherici dictus eſt. Hunc locum jam ſitu ſuo firmatum ſub principatu Roberti Regis Theobaldus cognomine filans ſtupas ejus foreſtarius dicitur munimentis ſcilicet muris, & foſſis ita clauſiſſe, ut poſtea ad inferendam & propellendam injuriam aptus videretur: hujus vero caſtri ſub Henrico Rege Francorum Dominus erat Guido, qui uxorem duxerat Hodiernam, quique condidit monaſterium Longi-pontis, ut modo dicemus. Sed antequam de hoc monaſterio ſermonem habeo, totam hujus Guidonis progeniem exponere oportet. Guido igitur filios habuit Milonem de Monte Letherici, & Guidonem de Rupeforti. Ex hoc Milone natus eſt Guido Truſſellus Dominus de Monte Letherici, & Milo Vicecomes Trecenſis, de quibus agit Abbas Sugerius in geſtis Ludovici ſexti, quos hic paucis memorabimus, unde intelligas, quam hi & nobilitate gentis, & affinitatibus nobiles fuerint. Milo pater Truſſelli longe à Patris pietate deſciverat: ille enim in hoc caſtro conſtitutus ſæpius regnum turbaverat, & Regi intulerat injuriam. Hujus filium majorem diximus Truſſellum, qui ad expeditionem Hieroſolymitanam profectus eſt. Antiochiæ mœnibus ſe incluſit, quando urbs à Corberanno obſeſſa eſt. Verum paulo poſt fractus longæ obſidionis laboribus, aut audaciâ Corberanni territus, evaſit per murum, & continuo dolore & moleſtia affectus in Galliam rediit: metuenſque poſtea, ne ob eam cauſam bonis & poſſeſſionibus privaretur, filiam, quam unicam habebat, Philippo, quem Philippus Rex ex Bertrada Andegavenſi ſuſceperat, nuptui collocavit. Hoc matrimonio redibat ad Philippum nothum poſſeſſio Montis Letherici, quæ res grata Regi fuit. Nam hac ratione facile liberumque fuit iter à Pariſiis ad Aurelianos. His ferme temporibus Guido de Rupeforti Milonis frater, & Truſelli patruus ab expeditione orientali reverſus, in aulam Philippi ſe contulit. Lætus ejus adventus Regi fuit, qui eum Dapiferum in regia domo conſtituit. Ille cum Ludovico Philippi Regis filio magnam contraxit amicitiam, & filiam ſuam nondum annis nubilem illi deſpondit. Sed nuptias poſtea diſſoluit ſanguinis & propinquitatis gradus. Quandiu permanſit affinitatis ratio, tandiu Guido de Rupeforti, & Hugo ejus filius regni & Regis defenſioni ſtuduerunt. Interim ecce Milo Trecenſis Vicecomes, & Guidonis frater moleſtè ferebat Montem, quem pater, avuſque tanquam patrimonium poſſederant, in Regis poteſtatem veniſſe. Montem igitur junctis ſibi Garladenſibus, qui contumaciâ odium Regis ſibi conciliaverant, repentina invaſione adortus eſt. Repulſus à cuſtodibus

Digitized by Google

caſtri obſidioni incubuit. Uxor Guidonis de Rupeforti, & ejus filia, quam Ludovico deſponderat, in turri verſabantur. Guido de Rupeforti è Regis proprioque commodo rem æſtimans, collecta raptim militum manu ad Montem feſtinatò tendit Prima cura Guidonis fuit Garladenſes à partibus Milonis reducere ad obſequium, quod effecit facile, pollicitus eos in gratiam Regis redituros, ſi ab injuria abſiſterent. Milo auxilio deſtitutus, non modo ab incepto deſtitit, ſed & metuens fugâ ſibi conſuluit. Super hæc ecce Ludovicus Regis filius ad Montem adventat. Dolebat Regius adoleſcens ereptam ſibi è manibus prædam. Sed ne locus deinceps injuriæ obnoxius eſſet, *totam caſtri munitionem præter turrim, dejecit.* Hæc pleraque ex Sugerio decerpſimus, alia quædam ex chartulario Longi-pontis, alia deinde plura omittimus, quæ poſtea ſuo loco referemus. Ad Milonem illum ſeniorem redeo, qui Longi-pontis monaſterium extruxit.

III. Guido de Monte Letherici, & Hodierna pietate & amore religionis incitati, rem Deo gratam facturos exiſtimarunt, ſi ex ſuis facultatibus & poſſeſſionibus conderent monaſterium, traderentque Cluniacenſibus monachis, quorum id temporis celebrata pietas, ſeveraque regularis diſciplinæ exercitatio ſub beato Hugone, qui tunc Cluniacenſi monaſterio præpoſitus erat. His ita inter ſe conſtitutis, Hodierna uxor Guidonis ad rem perficiendam ad Cluniacum perrexit, ut ab Hugone monachos poſceret, utque Deum ſibi donis propitium faceret, pia mulier tulit ſecum calicem aureum triginta unciarum, & pretioſam caſulam ad ſanctorum myſteriorum celebrationem: quæ munera beato Hugoni tribuit. Hugo Abbas refragabatur, vixque adduci poterat, ut ſineret monachos ſuos illuc ire. Ait martyrologium hujus monaſterii reſpondiſſe haud paſſurum ſe monachos ire in hanc regionem ſibi ſuiſque ignotam, in quam Cluniacenſes nunquam veniſſent; quod quomodo cohæreat cum iis, quæ à nobis relata ſunt, non video. Cum olim Majolus Abbas Cluniacenſis monachos Cluniacenſes in Foſſatenſe monaſterium adduxerit, Odilo Cluniacenſis Abbas diſciplinam Dionyſiani monaſterii collapſam reſtituerit, & Vvilelmus ex monacho Cluniacenſi Abbas Divionenſis ad Pratenſe monaſterium venerit, & illud ad ſanctiorem formam reſtitutâ diſciplinâ revocaverit. Quidquid fuerit, Hugo Hodiernæ precibus non annuebat. Illa tamen haud territa repulsâ, immo accenſa inſtabat vehementius, neque deſtitit, quin Hugo ſubſcriberet ſuæ poſtulationi. Monachos itaque ſecum adduxit, quos & donationibus haud paucis poſtea & honoribus plurimis affecit. Guido monaſterium iis extruxit in vico, quem vulgo Longum-pontem vocant, eiſque reditus & agros ſubminiſtravit, obtinuitque pro monachis à Gauſrido Pariſienſi Epiſcopo eccleſiam hujus loci, quæ beatæ Mariæ Virgini erat dedicata. Habetur in chartulario Longi-pontis charta hujus donationis concepta his verbis. *In nomine Domini, ego Gaufridus Pariſiorum Epiſcopus omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ fidelibus tam futuris, quam præſentibus notum fieri volumus, qualiter qusdam noſter miles nomine Guido noſtram præſentiam adierit humiliter precans, & obnixe poſtulans, quatenus pro remedio animæ ſuæ, necnon anteceſſorum ſuorum & noſtrorum eccleſiam in burgo Longo-ponte dicto ſitam, & in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ fundatam & dedicatam, monachis inibi Deo ſervituris, & ſub regula beati Benedicti militaturis traderemus, eo tenore, & eo ſi quidem reſpectu, ut omnia tam ad nos, quam ad noſtram Eccleſiam pertinentia, manerent illibata & inconvulſa. Videlicet Synodus & circadæ & cæteræ exactiones non indebitæ. Tantum diſtrictio regularis maneret penes Abbatem Cluniacenſis monaſterii, de cujus monachis prædicta eccleſia noſtro conſilio, noſtraque auctoritate primitias monaſticæ religionis viſa eſt ſuſcepiſſe, cujus precibus acquieſcentes aſſenſu Joſcelini Archidiaconi, ad cujus miniſterium prædicta eccleſia pertinere videbatur; necnon cæterorum tam clericorum, quam laicorum prænominatam eccleſiam monachis inibi Deo famulantibus, & prætaxato reſpectu Cluniacenſis monaſterii regulam ſancti Benedicti ſervantibus, noſtro noſtræque Eccleſiæ jure ſervato ad Dei omnipotentis honorem, & noſtræ Eccleſiæ debitam reverentiam conceſſimus habendam, & in perpetuum tenendam; firmantes etiam & noſtra auctoritate corroborantes, quatenus quid-*

quid prædictus noſter miles, vel dedit, vel in poſterum daturus eſt, ſucceſſoreſque ſui; firmum & inconcuſſum ſine ulla inquietudine prædicta eccleſia poſſideat, & firmiter teneat. Quod ſi quis noſtri præcepti paginam, quod minime credimus, infirmare tentaverit, nihil proficiat; ſed ejus calumnia irrita maneat, & ut majorem in poſterum vigorem obtineat, nos eam manu propria firmamus, eamque noſtrorum fidelium tam clericorum, quam laicorum manibus firmari præcipimus. Signum Gaufridi Epiſcopi. Signum Odonis Decani. Signum Drogonis Archidiaconi. Signum Yvonis Archidiaconi. Signum Landonis Cantoris. Signum Galteri presbyteri. Signum Odonis presbyteri. Signum Euſtachii presbyteri. Signum Lancelini diaconi. Signum Drogonis diaconi. Signum Garini. Signum Ermanerii diaconi. Signum Vrſonis ſubdiaconi. Signum Lyſiardi ſubdiaconi: Quo præciſe anno monaſterium, ſeu prioratus Longi-pontis cœperit, vix aſſeram; neque enim id ex ulla charta hujus loci valeam penitus aſſerere. In catalogo Priorum hujus loci Bernardus Prior nominatur, hujus monaſterii curam dicitur habuiſſe anno MLXVI. unde conjicere poſſum hocce monaſterium cœptum eſſe circa MLXI. aut LXII. quod Gaufridi Epiſcopi Pariſienſis, & Hugonis Abbatis ætati optime convenit, & annis Roberti Prioris, qui Bernardum præceſſit. Hujus Roberti mentio eſt in charta, qua Guido de Monte Letherici, & Hodierna ejus uxor hominibus de Longo-ponte libertatem dederunt. Charta eſt ejuſmodi. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum facio omnibus Chriſtianis tam clericis, quam laicis, quod Guido de Monte Letherico ejuſque uxor Hodierna eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Longo-ponte hanc libertatem dederunt, ut nullus ex ſupra dictis Guidonis, neque præpoſitus, aut aliquis ſerviens in hominibus ſanctæ Mariæ de Longo-ponte, pro qualicumque re, in omni terra ſua, ſeu poteſtate juſtitiam facere præſumat; quoaduſque proclamationem Prioris in ipſa de qua criminatur homo ſanctæ Mariæ perveniat. Hanc libertatem, ſicut ſcripta eſt, donaverunt hominibus ſanctæ Mariæ de Longo-ponte Guido, & Hodierna uxor ejus tempore Roberti Prioris. De hac enim re teſtes ex parte Guidonis & Hodiernæ filius eorum, Adam Vicecomes, Hecelinus, de Linais miles. Erchambaldus de Valario; Stephanus præpoſitus, Ioannes Hiloardus: ex parte ſanctæ Mariæ ſunt ii, Robertus Prior, Bernardus monachus, Areſtannus monachus.* Ex hac charta vides id temporis Robertum Priorem fuiſſe monaſterii Longi-pontis. Sed & ecce tibi aliam, ubi ejus nomen memoratur. *Robertus Nepos Domni Aſzonis presbyteri de Tochæ & domnus Robertus dederunt ſeipſos Deo, & ſanctæ Mariæ de Longo-ponte ad monachicum habitum ſuſcipiendum capitulo præſente domno Roberto Priore, conceſſerunt etiam eidem loco quidquid poſſidebant jure hæreditario in eccleſia ſancti Arnulfi de Tocha, ac per quemdam cultellum hujus rei teſtimonium perhibentem poſuerunt donum ſuper altare ſanctæ Mariæ.*

IV. Catalogus Priorum omittit Robertum, primumque Priorem Bernardum nominat, cui ſuccedit Stephanus, quem anno MLXX. Priorem fuiſſe annotat. Sub ejus præpoſitura Guido de Monte Letherici in ipſo, quod condiderat monaſterio, monachum induit. Habetur charta, quæ ejus rei teſtimonium perhibet *Guido de Monte Letherici cupiens corpus & animam tradere beatæ Dei genitrici Mariæ & ſancto Petro, videlicet monachicum habitum ſuſcipiendo, molendinum Grotellum, & quidquid in eo uſque poſſederam cum ipſo molendinario præfatæ Dei genitrici Mariæ & eccleſiæ de Longo-ponte Priore Stephano concedo, & inconvulſum abſque ulla inquietudine. Vt rei majorem vigorem obtineat in poſterum, filii mei Milo, & Guido, & conjux mea Hodierna, rogatu meo hujus rei donum ſuper altare præfati loci manibus propriis poſuerunt, & cætera, quæ loco illi donaveram ſpontaneo aſſenſu locaverunt. Hujus rei teſtes ſunt Aduinus monachus, Bernardus Bozo, Otardus, Fredericus, Evarduinus ſacerdotes. Ocelinus miles. Aymo Vicecomes &c.* Sub ejuſdem Stephani prioratu Amelina filia Galteri Penelli dedit Deo, & ſanctæ Mariæ de Longo-ponte, & quinque monachis ejuſdem loci terram ad dimidiam carrucam apud Fontanellas, & duos hoſpites Oylardum ſcilicet & Hunaldum &c. Et ſub eodem præpoſito anno MLXXVI. Gaufredus turpis, & Doda uxor ejus dederunt beatæ Mariæ de Longo-ponte terram, quam habebant apud Longum-pontem Liſinium, Solebant, qui donationes monaſteriis facerent,

facerent, ſuper altare velut pignus aliquod & argumentum ſuæ oblationis ſta- LIB. XI
tuere, ut in ſingulis hujus loci chartis licet cernere: ea enim conſuerudo in CAP. I.
Eccleſia invaluerat. Rem igitur haud ingratam lectori me ſacturum ſpero, ſi breviter hic memorem, quæ fuerit olim oblationum eccleſiaſticarum ratio.

Conſtat jam ab exordio in Eccleſia fieri ſolitas oblationes & Deo in conven- V.
tibus dona oblata eſſe, eaque ipſa quæ à Deo recepta fuiſſent: unde illa precatio ſollemnis in celebratione myſteriorum. *Offerimus præclaræ majeſtati tuæ de tuis donis ac datis.* Jam à primis temporibus duplicis generis erant oblationes, aliæ enim ad celebrationem myſteriorum proferebantur, aliæ ad alimoniam pauperum & clericorum, aliorumque, quorum nomina in canone, ſeu matricula Eccleſiæ inſcripta erant. Sanctus Juſtinus hoc oblationum genus duplex memorat in apologia altera pro Chriſtianis. Cum enim de ſynaxi & Chriſtianorum publicis conventibus agit, ait precibus à præpoſito, ſeu Epiſcopo peractis, oblatum panem, vinum, & aquam, quæ Epiſcopus ſancta benedictione conſecrar, quæque fidelibus communicat. Addit poſt celebrationem collectas eſſe eleemoſynas, *Ceterum*, inquit, *qui copioſiores ſunt, quod viſum eſt pro arbitrio tribuunt, & quod colligitur apud præpoſitum deponitur, unde opitulatur pupillis, viduis &c.* Mentio eſt & apud Cyprianum duplicis oblationum generis, qui divites mulieres his vocibus redarguit. *Locuples es & dives, Dominicum celebrare tu credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.* Reprehendit hanc mulierem, quod nil afferat ad corbonam, id eſt, ad theſaurum Eccleſiæ, unde pupilli, viduæ, & pauperes alantur, & quod ex alterius oblatione communicet. Diutius illa pia conſuetudo offerendi panem, & vinum in Eccleſia permanſit. *Oblationes, quæ in altario conſecrantur, offerte, erubeſcere debet homo idoneus, ſi de alia oblatione communicat*, ut habetur in ſermone CCXV. de tempore apud ſanctum Auguſtinum. In Concilio II. Matiſconenſi, quod anno DLXXXV. celebratum eſt, decernitur, *ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini.* Hoc canone IV. & V. monet, ut oblationes, quas decimas vocat *eccleſiaſticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat, quas ſacerdotes, aut in pauperum uſum, aut in redemptionem captivorum præroget.* Et poſt tempora illius Concilii ſanctus Eligius Noviomenſis Epiſcopus hæc. *Ille bonus Chriſtianus eſt, qui ad eccleſiam frequentius venit, & oblationem, quæ offeratur Deo, in altari exhibet.* Habetur apud Rheginonem vetus formula faciendæ inquiſitionis, qua utebantur Rotomagenſes Pontifices; inquiſitionem XLXXXI. ſic exprimit. *Si oblationem, id eſt panem, & vinum, viri & feminæ ad miſſas offerunt.*

Illæ oblationes deferebantur ad altare, quo tempore canebatur offertorium. VI.
Cantores cantant offertorium cum verſibus, & populus dat oblationes ſuas, id eſt panem, & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis primo maſculi, deinde feminæ, inquit ordo Romanus; ad hanc conſuetudinem alludit ſacerdos, quando Liturgiam agens dicit. *Orate fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat apud Deum:* & iterum quando dicit. *Memento Domine omnium pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium:* & ſimiliter cum hæc verba pronunciat. *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus, ut placatus accipias.* Notiſſimum eſt quod à Joanne diacono refertur in vita ſancti Gregorii-magni Cum enim ille cuidam mulieri, quæ ſolitas oblationes obtulerat, daturus Euchariſtiam diceret hæc verba. *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti conſervet animam tuam.* Illa ridere cœpit, abſtitit Gregorius, & ſacris peractis, quæſivit ab ea coram populo cauſam riſus. Quia panem, inquiebat, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas. Et Gregorius Turonenſis refert de quadam muliere, quæ poſt mortem viri vinum optimum in ſacrificium offerebat: ſed ſubdiaconus nequiſſimus nebulo ſibi vinum optimum ſumebat, ſubſtituebatque vinum corruptum. Illa admonita divinitus nequitiæ inopinatò *acceſſit ad poculum ſalutare, quæ tam fervens poculum* De glori.
hauſit, ut putares dentes excuti, inquit Gregorius. Ex his, aliiſque ſimilibus in- confeſſ. cap. 65.
telligis ex oblatione ſolitum fieri ſacrificium.

LIB. XI. CAP. I. VII.

Aliud, ut dictum eſt, erat oblationum genus, quod in Gazophylacium eccleſiæ ſolebat plerúmque deportari, & ad pauperum, pupillorum, viduarum, immo & ad clericorum alimoniam ſervabatur. Ideoque in quarto Concilio Carthaginenſi oblationes diſſidentium fratrum recipi vetitum eſt in ſacrario, aut Gazophylacio. Hæ oblationes fiebant ſuper altare ad finem ſacrificii, & hoc maxime ad commendationem rerum noſtrarum mihi memorandum eſt, iſque uſus maxime in Gallicanis eccleſiis erat. *Homo devotus*, inquit Gregorius Turonenſis, *Baltheum ex auro puriſſimo cum omni apparatu ſtudioſiſſime fabricatum ſuper altare baſilicæ illius poſuit.* Sæpe donatio inſcripta chartæ altari imponebatur. Ecce tibi hujus rei inſigne argumentum ex bibliothecarii Anaſtaſii hiſtoria in Hadriano Papa de Carolo-magno, qui donationem multarum provinciarum & civitatum ſuper altare beati Petri poſuit. *Factaque*, inquit Anaſtaſius, *eadem donatione & propria ſua manu ipſe Chriſtianiſſimus Francorum Rex eam corroborans, univerſos Epiſcopos, Abbates, Duces etiam, Graphiones in ea ſcribi fecit. Quam prius ſuper altare beati Petri, & poſtmodum intus in ſancta ejus confeſſione ponentes, tum ipſe Francorum Rex, tumque ejus judices beato Petro & ejus Vicario ſanctiſſimo Hadriano Papæ ſub terribili ſacramento ſeſe omnia conſervaturos, quæ in eadem donatione continentur, promittentes, tradiderunt.* Habetur in capitularibus Regum Francorum formula hujus oblationis. *Facit enim*, inquit capitulare, *ſcripturam de ipſis rebus, quas Deo dare deſiderat, & ipſam ſcripturam coram altari, aut ſupra tenet in manu, dicens ejuſdem loci ſacerdotibus atque cuſtodibus. Offero Deo atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur inſertæ pro remiſſione peccatorum meorum, ac parentum & filiorum &c.* In charta, quam ſupra retulimus, & qua Guido facit donationem molendini &c. hæc leguntur. *Filii mei Milo & Guido & conjux mea Hodierna rogatu meo hujus arus donum ſuper altare præfati loci manibus propriis poſuerunt.* Donationes non modo ſuper altare ponebantur, ſed in teſtimonium adhibebatur ſanctum Evangelium, aderantque ipſi oblationi complures teſtes. Habes hujus rei exemplum in charta, quam tibi deſcribo ex chartulario Longi-pontis, ubi Guido filius Milonis terram, quæ eſt apud Ver, obtulit eccleſiæ beatæ Mariæ, & monachis monaſterii Longi-pontis. *Hoc autem*, ut habet charta, *fecit Guido filius Milonis Vicecomitis ſuper altare ſanctæ Mariæ cum textu Evangelii die Dominica in octavis Pentecoſtes videntibus iſtis Guidone de Lynais, Theoderico præfecto, Gaufrido majore ſanctæ Mariæ &c.* Solebat plerumque fieri ad majus altare, niſi forte aliquod impedimentum ſeſe offerret, ut habet charta ejuſdem loci. *Domna Herſendis ſoror videlicet domni Henrici prioris, in die qua Milo cognomento Brito frater eorum ſepultus eſt, dedit Deo & ſanctæ Mariæ de Longo-ponte, & monachis ejuſdem loci omnem terram de Fontaine, terram de Catigniaco, terram de Manchelino, & hoſpitem, de Feotodal, & hoc donum ſupradicta Herſendis præſente Henrico Priore miſit ſuper altare, quod erat ante Crucifixum, quia conventus monachorum cantabat Deo laudes ante majus altare, & ideo præfata domna ad illud tunc minime accedere poterat. Hoc viderunt & audierunt iſti teſtes Guido de Lynais, Gaufridus major &c.* In teſtimonium donationis quodcumque donum offerebatur ſuper altare coram teſtibus. Roberti duo, qui eo in loco monachos ſeſe profeſſi ſunt, dederunt quidquid jure hæreditario poſſidebant *per quemdam cultellum hujus rei teſtimonium perhibentem, poſuerunt donum ſuper altare ſanctæ Mariæ.* Et ſimiliter *quædam matrona Caramicina nomine, concedente & volente filio ſuo Philippo Trecenſi Epiſcopo, terram de Ver monachis ſanctæ Mariæ de Longo-ponte dedit. Hoc autem donum fecit ſupradicta domna in caſtello, quod vocatur Pons, & per Herſendum monachum loco teſtimonii fruſtulum ligni ſambucis ſuper altare ſanctæ Mariæ tranſmiſit. Hujus rei ſunt teſtes Hugo &c. Dominus Paganus de Porta cognomento Robertus dedit Deo & ſanctæ Mariæ de Longo-ponte omnem decimam, quam habebat apud villarem de omnibus rebus, ſeu de frugibus, ſeu de beſtiis, quod donum miſit Henrico Priori per quemdam baculum, quo ipſe ſe ſuſtentabat concedente matre ejus Aldeburza, & filio ejus Roberto, filiaque ejus Pagani nomine Comitiſſa. Teſtes qui hoc viderunt ſunt iſti Durannus &c.* Sæpe etiam lignum offerebatur de ſilva, aut gleba de terra, cujus donatio fiebat,

Greg. de miraculis lib. 1. cap. 61.

Lib. 6. cap. 70.

Paſſim harum rerum exempla in chartulariis reperies. Hæcque præſertim at- LIB XI.
tuli, quoniam illæ oblationes actæ ſuot ſuper altare & ex chartulario hujus CAP. I.
monaſterii ubi frequentiſſimæ ſunt, excerptæ. Ad alia tranſeo.

Gaufridus Pariſienſis Epiſcopus duo altaria eidem monaſterio Longi-pontis VIII.
cootulit, altare ſcilicet villæ, quæ dicitur Orceacus, & villæ, quæ dicitur Bondaſlum. *Ego Gausfredus Pariſiorum Epiſcopus, & Ioſcelinus Archidiaconus utile & honeſtum eſſe intelligentes monachorum Cluniacenſium in eccleſia beatæ Mariæ Longipontis Domino ſervientium, & Domini Guidonis cariſſimi noſtri ex laico dudum effecti monachi precibus aurem miſericordiæ aperire, damus eis altare, & quod ad altare pertinet, villæ quæ dicitur Orceacus, quod ſacratum eſt in honore ſancti Martini: ita ut nunquam à nobis, vel ab aliqua ſucceſſorum noſtrorum alicujus infeſtationis calumnia moveatur. Salva tamen in omnibus eccleſiaſticæ ſubjectionis nobis debitæ reverentia. Synodum vero & circadam nobis retinemus, ne res eccleſiaſtica omnino à manu noſtra removeri videatur. Vt autem hoc donum firmum & ſtabile permaneat, Archidiaconorum noſtrorum canonicorum manibus chartulam iſtam reborandam obtulimus. Signum Gausfredi Epiſcopi. Signum Ioſcelini Archidiaconi. Signum Drogonis Archidiaconi. Signum Yvonis Archidiaconi. Signum Ioannis Decani. Signum Galeranni Cantoris. Signum Oilardi ſacerdotis. Signum Gerardi levitæ. Signum Gosberti presbyteri. Signum Fulconis presbyteri. Signum Aymonis presbyteri. Signum Henrici presbyteri. Signum Odonis ſubdiaconi. Signum Teduini ſubdiaconi. Signum Stephani acolythi. Signum Landonis acolythi.*

Ego Gaufredus Dei gratia Pariſiorum Epiſcopus, & Ioſcelinus Archidiaconus mo- IX.
nachis Cluniacenſibus in eccleſia beatæ Mariæ de Longo-ponte Domino ſervientibus, quoddam altare, quod eſt ſitum in villa, quæ dicitur Bondaſlum, cum iis, quæ ad altare pertinent, in honorem quidem beati Dionyſii martyris conſecratum, perpetuo jure tenendum concedimus. Synodum vero & circadas cum debita ſubjectione, & curam animarum, parochiam presbytero à nobis commiſſam, & eccleſiæ reconciliationem, immo debitæ ſubjectionis, & juſtitiæ obedientiam in eo retinemus. Vt autem hoc firmum permaneat, chartulam iſtam propriis manibus firmavimus, noſtriſque Archidiaconis & canonicis firmandum tradidimus. Actum publice Pariſiis in capitulo ſanctæ Mariæ anno Incarnationis Dominicæ MXCIV. modo regnante Philippo xxxiv. Gaufredo vero Pariſienſi Epiſcopo xxxiii. Signum Gaufredi Pariſienſis Epiſcopi. Signum Fulconis Decani. Signum Galeranni præcentoris. Signum Drogonis Archidiaconi. Signum Ioſcelini Archidiaconi. Signum Rainardi Archidiaconi. Signum Galterii Meldenſis Epiſcopi. Signum Roberti ſacerdotis. Signum Arnulfi levitæ. Signum Tevini ſubdiaconi. Signum Ollandi ſubdiaconi. Signum Iſembardi ſubdiaconi. Signum Rainaldi pueri. Signum Galleri pueri. Signum Hugonis pueri.

Stephanum diximus ſuperius fuiſſe Priorem hujus monaſterii, cui ſucceſſit X.
Heoricus, cujus memoria eſt in his, quæ ſuperius relata ſunt. Hujus Prioris tempore *Gauterius de Britonnaria dedit ſanctæ Mariæ de Longo-ponte medietatem terræ patrimonii ſui, quæ eſt apud Britiniacum. Teſtes Henricus Prior. Vrſus Prior ſancti Martini de Campis. Tunc etiam Aymo dedit quinque hoſpites apud Britiniacum.* Quis vero fuerit Urſus Prior ſancti Martini de Campis, mihi modo exponendum eſt.

Alias de reſtitutione monaſterii ſancti Martini de Campis memoratum eſt. XI.
Ex quo Henricus Rex illud reſtituerat, canooici, qui regulariter vivebant, in eo ex conſenſu Henrici Regis verſabantur. His Rex præter alias dooationes conceſſit duo altaria in pago Belſeoſi, Novæ ſcilicet villæ & Hyenvillæ, quæ Philippus Rex confirmavit. Extant litteræ confirmatioois in hiſtoria hujus monaſterii, ubi hæc leguntur, quæ memoratu digna ſuot. *Ego autem favente matre atque Comite Balduino regiæ domus curam gerente, eadem altaria præfatæ eccleſiæ regio jure æternaliter poſſidenda concedo. Actum Aurelianis anno ab Incarnatione Domini MLXV. regni autem Philippi Regis v. indict. xv.* Ex quo Henricus Rex eccleſiam à fundamentis reſtituerat, nondum illa ſollemni dedicatione erat cooſecrata, hoc opus Philippus agere ioſtituit aono MLXVII. Convocavit itaque multos Pootifices, proceresque complures, ut celebritas magnifi-

LIB. XI CAP. I. centior fieret, ipſe Rex aderat. Sub titulo ſancti Martini eccleſia dedicata eſt. *Abbatiamque ſancti Symphoriani, & ſancti Samſonis, quæ eſt Aurelianis inter muros civitatis ſita, & medietatem fori, quod ſtatuimus in loco ipſius monaſterii Calendis Novembris tam de teloneis, quam de juſtitiis, & feudis, & redibit omibus, quæ in toto tempore ipſius fori jus regis exigit fiſci, illis conceſſit.* Extant in eadem hiſtoria ſancti Martini hujus & dedicationis & donationis litteræ à Philippo, eo quem diximus anno ex recentiore manuſcripto. Scribunt hanc dedicatam quarto Calend. Junii. Litteris ſubſcripſerunt Rex Philippus, Hugo frater Regis, Balduinus Comes Flandriæ, Richerius Senonenſis Archiepiſcopus, Gaufridus Epiſcopus Pariſienſis & alii Epiſcopi. Sed ex eccleſia ſanctæ Mariæ Drogo Archidiaconus Pariſienſis, Yvo Archidiaconus Pariſienſis, Lando Præcentor Pariſienſis, Gaufridus canonicus, Oldricus canonicus ſanctæ Mariæ. Milo Decanus ſancti Dionyſii de carcere, & alii proceres, quorum ſuſcriptiones ſunt in litteris. Idem Rex Philippus anno M L X X. ad petitionem Joannis Incluſi Martinianis dedit ad hoſpitalem domum pauperum & peregrinantium, molendinum, quod ipſe habebat in magno ponte, & prohibuit, ne quis alium furvum extrueret præter illum, quem Engelardus Abbas & monachi hoſpitali conceſſerunt. Extant litteræ in ſupra memoratæ eccleſiæ hiſtoria.

XII. Sed quod maxime mihi memorandum eſt. Philippus Rex, cum in monaſterio Floriacenſi verſaretur anno M L X X I X. donavit Cluniacenſibus monachis hocce monaſterium ſancti Martini de Campis, ſcripſit de hac donatione litteras Hugoni Cluniacenſium Abbati, & ejus ſucceſſoribus. Extant litteræ, quæ ſunt ejuſmodi. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Noverint cuncti fideles ſanctæ Dei Eccleſiæ, quod ego gratia Dei Francorum Rex Philippus nomine dono & concedo Domino Deo, & ſanctis Apoſtolis ejus Petro & Paulo ad locum Cluniacum, in manu domni Hugonis Abbatis, & omnium Abbatum, qui in eodem loco futuri ſunt poſt eum in æternum, locum qui dicitur ſancti Martini ad Campos, quem Pater meus Henricus fundavit, ut habeant & poſſideant in perpetuum, cum omnibus appenditiis ad eumdem locum pertinentibus, id eſt terris, vineis; ſicut Engelardus Abbas poſſedit in vita patris mei, & in tempore meo, ſalva ſubjectione debita ſanctæ matris eccleſiæ Pariſiacenſis. Facio autem hanc donationem pro remiſſione peccatorum meorum, & genitoris genitricíſque meæ, & omnium Regum Francorum anteceſſorum meorum, ut cum omni libertate & quiete, abſque ulla calumnia alicujus viventis perſonæ, vel poteſtate præfatum locum poſſideant, ut Deus omnipotens intervenientibus beatis Apoſtolis ſuis Petro & Paulo, regnum & vitam noſtram cum pace & tranquillitate diſponat in præſenti ſæculo, & in futuro ſæculo ſempiterna gaudia concedat. Ut autem hæc donatio firma & ſtabilis, atque inconvulſa permaneat, hoc præceptum manu propria firmo & corroboro, ac ſigillo proprio ſigillari præcipio, teſtibuſque firmandum trado. Signum Philippi Regis Francorum. Signum Haganonis Eduenſis Epiſcopi. Signum Comitis Rainaldi de Nivernis. Signum Roberti Dapiferi. Signum Roberti de Alliaco. Signum Gauterii de Clamiciaco. Signum Ebonis de Monte celſo. Si quis autem hoc donum vel præceptum calumniare tentaverit, iram omnipotentis Dei & omnium ſanctorum ejus incurrat, & inſuper regia poteſtate conſtrictus, vindicare nequeat quod repetit, uſque dum à calumnia recedat. Hujus rei teſtes ſunt & confirmatores canonici ipſius loci Gaufridus Prior, Euſtachius, Giſlebertus, Dainubertus, Gauterii duo, Mainardus, Griſbertus, Malfredus, Bernardus, Hugo, Robertus, Auraldus. Actum publice apud ſanctum Benedictum de Floriaco anno Incarnati verbi M L X X I X. anno regni noſtri XIX. Ego Giſlebertus ad vicem Rogeri Cancellarii relegendo ſubſcripſi.*

XIII. His ita compoſitis Hugo Cluniacenſis Abbas eodem anno è cœnobio Cluniacenſi ad Martinianum monaſterium monachos miſit, eiſque Urſum, ſeu Urſionem præfecit virum pietate clarum, & regularis diſciplinæ obſervantiſſimum: atque ita ille primus extitit Prior hujus monaſterii. Urſionis fit mentio in litteris Urbani Papæ II. datis anno milleſimo nonageſimo-ſecundo, quæ habentur in hiſtoria ſancti Martini de Campis. Et illius meminit Anſellus Bellovacenſis Epiſcopus in charta, qua concedit huic monaſterio altare de Monte,

charta data eſt anno MXCIX. Idem Urſio commutavit quaſdam vineas cum Herluino, cujus rei extant litteræ datæ etiam anno MXCIX. ſub Philippo Rege Francorum, & Vvilelmo Epiſcopo Pariſienſi. Superius, cum de Longo-ponte actum eſt, meminimus & Urſi Prioris ſancti Martini. Quo anno Urſus mortem oppetierit hiſtoria ſancti Martini non norat. Theobaldus ejus ſucceſſor conſtituit ejus anniverſarium diem fieri quotannis ſollemniter, ordinavitque preces, aliaque, quæ rite hac die peragerentur, ad refectorium juſſit ſeniores, ſeu quoſdam ex proceribus regni admitti, immo & duodecim pauperes eo die pane, vino & carne refici. Quin etiam ex voluntate ejuſdem Theobaldi & monachorum Pontius Abbas Cluniacenſis conſtituit, *ut per omnia ſuccedentia tempora unus frater monachus pro anima domni Urſi primi Prioris hujus loci ſuſcipiatur, & quando frater ipſe obierit, unus pauper præbendam ejus tamdiu habeat, donec in loco defuncti fratris alius ſubrogetur.* Theobaldus Urſioni ſucceſſit. De eo alias agemus. LIB. XI. CAP. I.

Quædam hic adjicienda ſunt ex locis, quæ ad Martinianos pertinent, quæque Eccleſiam Pariſienſem ſpectant. Primum ſeſe offert Joſcelinus Archidiaconus Pariſienſis, qui anno MLXVII. altare Campamini, & unum Penthini allodium eccleſiæ ſancti Martini conceſſit, quod donum à fratre ejus Udone confirmatum eſſe voluit. Charta eſt in Martiniana hiſtoria pag. 487. data eſt anno Philippi Regis VII. ſub Gotfrido Pariſienſi Epiſcopo. Poſt aliquot annos quam Martiniani hoc altare ex donatione Joſcelini tenuerunt, Udonem ejus fratrem avaritiæ cupiditate percitum pœnituit donationis, & iis altare abſtulit, quamobrem communione Eccleſiæ privatus eſt. Paulo poſt actus ſtimulis conſcientiæ altare huic eccleſiæ reſtituit. Neque propterea licuit Martinianis altari quietè frui. Nanterus enim de Montegaio, qui filiam Udonis duxerat, iterum altare invaſit. Sed repetentibus Urſione Priore & monachis illius loci in hanc demum pactionem diſceſſum eſt, ut Nanterus equum haberet, & ejus uxor acciperet ſexaginta ſolidos *Pruvinenſium*, & duas uncias auri, quibus acceptis Nanterus & Avelina ejus uxor *calumniam, quam in altari illo faciebant, ſuper ſanctum altare ſancti Martini depoſuerunt*; cujus conventionis teſtes permulti extiterunt, qui & huic ſubſcripſerunt. Anno MLXXXVIII. Gotfridus Pariſienſis Epiſcopus dedit monachis Martinianis altare quoddam cum his juribus, quæ ad ipſum pertinent *in villa quadam Brugeias nomine*, quam ex largitione Henrici Regis habuerat, nullo jure retento præter Synodum & circadam, & curam animarum presbytero parochiano commiſſam. Drogo Archidiaconus, in cujus Archidiaconatu erat altare, & ad quem tertia pars redituum pertinebat, ſuam pariter portionem conceſſit. Huic donationi ſubſcripſerunt Gotfridus Epiſcopus, & Drogo Archidiaconus. Actum in capitulo ſanctæ Mariæ Pariſienſis, hoc quem diximus anno. Habentur inter eos, qui ſubſcripſerunt Joannes Decanus, Joſcelinus Archidiaconus, Vvalerannus Præcentor, Liſiardus Decanus ſanctæ Genovefæ.

Eidem monaſterio Gotfridus conceſſit altare Maierolis villæ cum his, quæ ad altare pertinent, idque ad precationem Drogonis Archidiaconi. Huic donationi ſubſcribunt Gotfridus Epiſcopus, Joannes Decanus, Drogo Archidiaconus, Joſcelinus Archidiaconus, Yvo Archidiaconus, Valerannus Cantor, & alii ex eccleſia beatæ Mariæ. Non eſt annotatum, quo anno donatio acta ſit: ſed ex ſubſcriptionibus conjicio eodem ferme anno datam, quo, quæ ſuperius relata eſt. In hunc ferme annum conjicias Alberti militis donationem eidem eccleſiæ ſancti Martini de Campis, cum eccleſia de Monciaco, quæ dicitur eccleſia ſanctæ Opportunæ cum atrio & appenditiis ſuis. Illam donationem ſollemniter fecit Albertus in communi capitulo cum filio ſuo Hugone coram Urſione Priore, & congregatione, & ſuper altare in teſtimonium rei donum poſuit coram his, qui aderant. Huic quoque donationi ultro aſſenſi ſunt hi, quorum intererat Joannes ſcilicet de Lanniaco, & Richildis uxor ejus, & Helvidis ambæ Alberti filiæ, ſubſcripſerunt haud pauci inſtrumento, quod habetur in hiſtoria Martiniana. Hoc autem factum eſt temporibus Philippi Regis & Gaufredi Epiſcopi Pariſiorum ſub Hugone Abbate Cluniacenſi, & Urſo de Campis Priore. XIV.

LIB. XI. CAP. I

XV. Cum Gotfridus Epiſcopus Epiſcopatum Pariſienſem gereret, Yvo de Bellomonte ſuper Iſaram & Adelidis ejus uxor monaſterio Beccenſi dederunt eccleſiam beatæ Honorinæ ad Confluentium ſitam, ubi ſcilicet Iſara ſe miſcet Sequanæ. Olim à nobis memoratum eſt, quomodo in eum vicum tranſlatum ſit corpus ſanctæ Honorinæ ſævientibus barbaris. Monachi Beccenſes ibi cellam ſeu monaſterium extruxerant. Hujus rei meminit chronicon Beccenſe ad annum MLXXXII. *Anno*, inquit, *milleſimo octogeſimo ſecundo tranſlatio monachorum Becci apud Confluentium commorantium, à veteri eccleſia, quæ capella dicitur, ad novam eccleſiam, cum corpore ſanctæ Honorinæ. Cum Yvo de Bellomonte Comes ſuper Iſaram, & Adelidis uxor ejus volentes in eccleſia beatæ Honorinæ de Confluentio, à monachis Deo deſerviri, dederunt eam, & omnia ad eam pertinentia monaſterio Beccenſi, ſub libera poteſtate & ordinatione Abbatum præfati cœnobii. Huic donationi Reverendus Epiſcopus Pariſienſis Gotfridus, de cujus parochia & beneficio eſt, ut ſemper mos eſt bonis bene actis favere, cum canonicis eccleſiæ ſanctæ Mariæ Pariſienſis conſenſit, eccleſiæ ſuæ reſervans, ut ſi quando aliqua ratione exigente, per totum epiſcopatum Pariſienſem, aut in prædicto tantum caſtro, divinum officium Epiſcopus Pariſienſis celebrare prohibuerit publice monachi in dicta eccleſia deſervientes, poſt perceptam ab Epiſcopo, vel ejus nuncio juſſionem obſervabunt.* In ſecunda parte quarti ſæculi actorum ordinis Benedictini referuntur hujus tranſlationis acta vetera, quæ & hic libet deſcribere. Sic ſe habent. *Cum autem poſt eccleſiæ veteris cremationem à Domino de Montemorenceio Burcardo nomine factam tempore, quo Comiti Matthæo de Bellomonte inimicaretur, quoniam in artiori nimis loco, nec ordini monaſtico congruo commanebant, in eam, quæ nunc præſens eſt, eccleſiam ab ipſis nuper ædificatam venire monachi diſpoſuiſſent; viſumque eis fuiſſet, ut beatæ Honorinæ venerabile corpus poſt longitudinem annorum videri potuiſſet, & de una vetere caſula, tantoque recondendo theſauro indigna, qua inerat, in aliam meliorem ac precioſiorem transferret; evocato Beccenſium patre nomine Anſelmo viro æque fideli, ac divina ſapientia imbuto, ſimulque Pariſienſium præſule Gotfrido, non minimam etiam multitudinem gentis vicinæ venire fecerunt. Cumque die ſtatuta acceptis à patribus reliquiis, & parata preceſſione, cum pſallentium choris à loco ſæpefato moventes uſque ad novæ baſilicæ fores adveniſſent, ſtareneque ſimul Præſul & Abbas ſupra gradum ligneum, quem ad loquendum fecerant, venientibus hinc inde de diverſis provinciis catervatim populis tanto deeſſe ſpectaculo & benedictioni nolentibus, propter ardoris nimietatem, erat enim æſtas, miles quidam patrum ſuper capita pallium ſuum compoſuit, & cum fracta eſſet caſula, qua removendum erat ſacrum corpuſculum, & ad ejus remotionem memorati patres manus appoſuiſſent, quod dictu mirabile eſt, quamdiu eos pallium militis obumbravit, nullo modo illud foras extrahere potuerunt: depoſito autem illo, tanta illud cum levitate à caſula extractum coram omnibus Dominum benedicendo, & populum circumſtantem alloquendo extulerunt, ac ſi ponderis nihil habuiſſet. Illis ergo in ſanctorum oſſum deoſculatione, & mundiſſimis cum linteis ab omni rubigine emundatione intendentibus, à pago Carnotenſi quædam copioſa hominum turba veniebat, ne à tanta benedictione fruſtraretur, feſtinans, quæ reperta ad portum carina, ita ſe intus aliqua ſine indiſcretione intulit, ut remota aliquantulum à litore navis tam magno ponderi non ſufficiens naufragaretur. Beatus autem Anſelmus periclitantium lacrimabili voce, cum beatæ Honorinæ invocatione exceptus, & circumadſtantis plebis clamore lugubri, ac ſuper eorum ſummerſione miſerabili multoties invitatus: necnon & ab Epiſcopo adſtante ſemel & iterum inobedientiæ admonitus, manibus ſurſum elevatis cum capite beatæ martyris eos in nomine ſanctæ Crucis benedixit, & ne illorum aliquis periret ſacratæ martyris quaſi interminans dixit. Obſerva beata Honorina, ne iſtorum aliquis ad te cum fide ac devotione feſtinantium mali aliquid patiantur. Hac autem largita benedictione omnes tam viri, quam mulieres cum infantibus & pueris beatæ Virginis intervenientibus meritis glorioſis aliquo ſui ſine impedimento litori ſunt reſtituti, nec præter quadrupedem unum, qui cum ipſis erat eorum aliquis remanſit, gaudentibus ac Deo grates referentibus turbis univerſis. His ita geſtis repoſito beatæ Honorinæ in nova caſula ſacro corpuſculo cum hymnis, & laudibus novam introeuntes eccleſiam, in loco ubi nunc adoratur Domino ſibi ſuccedente per-*

duxerunt. Statuerunt etiam ſæpedicti fratres eam diem ſingulis annis agere ſollemnem LIB. XI. CAP. I.
XI. Kalend. Iulii, non ſolum in memoria illius tranſlationis: verum etiam in recordatione prioris. Quoniam hujus monaſterii mentio eſt, non hic omittenda eſt epiſtola ſancti Anſelmi, quæ XIV. eſt libri ſecundi hanc monachis Beccenſibus apud Confluentium ſcribit. *Mittite litteras Benedicto monacho de ſancto Petro ſupra Divam, qui propter ſcholas moratur apud Pariſium, & converſatur in monaſterio ſancti Maglorii. Mando enim illi & conſulo, ut ad monaſterium ſuum redeat, à quo contra voluntatem Abbatis ſui abeſt. Promiſit enim idem Abbas ejus mihi ſe illi miſericordiam & manſuetudinem pro noſtro amore, ſi redierit, exhibiturum. Quod ſi facere voluerit omnino illum, ſicut monachum de noſtro monaſterio charitativa ſollicitudine benigne juvate, quatenus aut equo uſque ad noſtrum monaſterium, aut navi uſque Frainoſam venire poſſit &c.*

Ex his fundationibus Longi-pontis, ſancti Martini, ſanctæ Honorinæ, & ex XVI.
donationibus, quas ſupra retulimus, intelligis Gotfridum Epiſcopum non modo gentis nobilitate, ſed etiam pietate & religione illuxiſſe. Sed in qua exiſtimatione probitatis fuerit, ex hoc collige, quod Gregorius PP. VII. ſuas vices illi commiſerit in quibuſdam negotiis: ſed in his præſertim, quæ hic commemorare haud alienum puto. Manaſſes Archiepiſcopus Remenſis quemdam Vvalterum de Duaco à ſacris & communione alienum pronunciaverat, ille continuo Romam perrexit, ut à vinculis, quibus illigatus erat, ſolveretur; dicebatque ſe quidem privatum communione, ſed ad diſceptationem cauſæ & ante & poſt excommunicationem ſe ſiſtere paratum fuiſſe, nec per ſe ſtetiſſe, quin res ex judicio finiretur. Audivit ſummus Pontifex querelas hominis, ne tamen quidquam pronunciaret parte inaudita altera, noluit eum à vinculo excommunicationis abſolvere. Verum & ne deeſſe videretur homini, qui longum iter confecerat, ut ad cathedram Petri confugeret, illi ex indulgentia hanc gratiam conceſſit: utendi communione Eccleſiæ illi poteſtatem fecit, quamdiu in itinere eſſet & per dies octo poſt ejus reditum. Deinde Gotfrido Epiſcopo Pariſienſi ſuas vices commiſit, ut ſuo nomine cauſam cognoſceret, ſi non æqua videretur excommunicatio, moneret ſuo nomine Archiepiſcopum, ut eum abſolveret; ſin moras necteret, ut ipſe eum abſolvere haud vereretur. Si vero haud iniqua eſſet excommunicatio, vinculo illigatus ille permaneret, quouſque emendatione culpam diluiſſet. Altera erat cauſa, quam illi commiſit. Azo quidam canonicus eccleſiæ ſancti Amati quaſdam voces vere quidem, ſed leviter & temere protulerat, ob eam cauſam è fratrum conſortio ejectus fuerat, dat illi negotium, ut ſi nulla alia culpa ſit eum caſtigatum & pœnitentiæ ſubjectum in priſtinum locum reſtituat. Tertia eſt cauſa quam illi commiſit. Robertus & Lambertus monachi ſancti Remigii conquerebantur ſe communione privatos, & ad ſummas anguſtias redactos, fratremque laicum è ſuis excæcatum eſſe, quod abnuerent obtemperare cuidam Abbati, qui contra leges Eccleſiæ, contra regulam ſancti Benedicti pretio ſibi Abbatiam hujus loci comparaverat, neque propterea ſub auſpiciis ejus militare vellent: neque auditos eſſe, cum ſedem apoſtolicam appellaſſent. Summus Pontifex dat negotium Epiſcopo Pariſienſi, ut, ſi ita res ſe habeat, commoneat Remenſem Archiepiſcopum, ut abſque mora ab excommunicatione monachos abſolvat, proponitque ob oculos, in quam culpam inciderit ob appellationis contemptum. Quod ſi Archiepiſcopus reſiſtat, jubet, ut Gotfridus Epiſcopus ſummi Pontificis munitus auctoritate abſolutos ad communionem Eccleſiæ admittat; admoneatque Abbatem ſancti Remigii, ut ſe Synodo ſiſtat, quam Dienſis Epiſcopus legatus ſummi Pontificis, aut alii ejuſdem legati celebraverint. Sed ſi forte non celebrent Synodum, jubet & Abbatem & monachos Romam accedere, ut auditis partibus ex æquo judicium ferat. Dicebantur Cameracenſes hominem quemdam in ignem conjeciſſe, quod diceret preſbyterum aut ſimoniæ, aut fornicationis reum non debere miſſam celebrare, neque ejus ſuſcipiendum eſſe officium. Rem ejuſmodi omni eccleſiaſtica poteſtate coercendam eſſe decernit. Demum Gotfridum admonet, ut Gallicanis Epiſcopis ex ſua auctoritate ſignificet fornicarios clericos, & maxime preſbyteros arcendos

Digitized by Google

LIB. XI. CAP. I. penitus à miniſterio, & ab altari longe prohibendos, tepidoſque & inertes Epiſcopos, & illius criminis reos compertos vult apoſtolica auctoritate interdici, ut vel hoc modo confuſi ad emendationem vitæ ſuæ, & ad caſtitatem religioſæ continentiæ redire cogantur. Demum his verbis Gregorius VII. Papa concludit epiſtolam. *Age ergo, ut ſancta & univerſalis mater Eccleſia te fidelem miniſtrum, & cooperatorem noſtræ, immo apoſtolicæ ſollicitudinis Deo adjuvante cognoſcat, & nobis, quod valde deſideramus, de libertate & fructu tui ſacerdotalis officii ad præſens gaudere, & in poſterum per miſericordiam Dei confidenter ſperare poſſe proveniat.* Data eſt epiſtola Bibianello. Octavo Calend. Aprilis, habetur in libro IV. epiſtolarum Gregorii PP. VII.

XVII. In duabus aliis epiſtolis Gregorii VII. Gotfridi Pariſienſis Epiſcopi mentio eſt. Rem paucis affero. Poſt mortem Epiſcopi Carnotenſis Gotfridus nepos Gotfridi Pariſienſis Epiſcopi cathedram hanc ambiverat. Uſus ille gratia & auctoritate avunculi Epiſcopatum adeptus eſt. Quidam, ut fit, cathedræ candidati ægre paſſi repulſam Gotfridum ambitus & ſimoniæ arguerant, dicebantque hunc pecunia, non virtutibus cathedram conſecutum. Eaque ira contendentium fuit, ut ipſum apud Hugonem Dienſem Epiſcopum ſummi Pontificis in Gallia legatum reum horum criminum facerent. Cauſa coram eo in Synodo pertractata eſt. Legatus auditis partibus eum excommunicationi ſubjectum, dejectumque è ſede pronunciavit. Cauſa condemnationis ea maxime fuit, quod duo Archiepiſcopi, duoque Epiſcopi, qui electioni non interfuerant, quoſque Gotfridus teſtes adhibuerat, jurare coram Legato, niſi ſub conditione voluerant. Poſt condemnationem Gotfridus ad Gregorium Romanum Pontificem appellavit, continuoque Romam profectus eſt, comitemque habuit Gotfridum avunculum Pariſienſem Epiſcopum, qui ipſe electioni adfuerat, & ad rem promovendam multùm nepotem adjuverat. Statim haud proſperum iter fuit. Nam præter labores longi moleſtique itineris, accidit, ut in manus graſſatorum inciderent, jacturam ſuarum rerum facerent, nec niſi dato pretio dimitterentur. Cum Romam adventaſſent, apud ſummum Pontificem graviter injuriam conqueſti ſunt. Dicebat Pariſienſis Epiſcopus ſe rem omnem noſſe & feciſſe, nihilque in electione contra canonem perpetratum eſſe, utebaturque Bellovacenſis Epiſcopi teſtimonio, ut cauſam tueretur, addebatque nepotem ob eam tantummodo cauſam condemnatum, quia duo Archiepiſcopi, duoque Epiſcopi, nonniſi ſub conditione innocentiam Gotfridi juramento teſtari voluerant. Gregorius Papa nihil de hac cauſa à Legato audiverat, etſi eum admonuerat, ut de cauſis omnibus, quas in Synodis ageret, ſe redderet certiorem. Scripſit itaque ad Hugonem Legatum, ut ſibi de hac cauſa litteras ſcriberet. Receptis litteris perſpexit non omnia penitus congruere cum his, quæ prius Pariſienſis Epiſcopus ſuggeſſerat: rem tamen ejuſmodi eſſe, ut poſſet ex indulgentia & miſericordia definiri. Juſſit prius, ut uterque crimen ſimoniæ dilueret ſacramento ſuper ſepulchrum beati Petri Apoſtolorum Principis, ratus ſcilicet neminem inveniri poſſe, nedum Epiſcopum, qui vellet pretio rei perituræ tam grave perjurium facere. *Non enim,* inquit, *aut cujuſlibet perſonæ gratiam, aut lucri temporalis ardorem, tantum valere credidimus, ut aliquis ſanæ mentis vir, præſertim Epiſcopus, ſpreto divini horrore judicii, ultro perjurium tam grave velit patrare.* De his Gregorius Papa ad clerum & populum Carnotenſem ſcripſit. Extant litteræ in libro IX. ejus epiſtolarum, eſtque XVI. epiſtola hujus libri. Huic judicio vix acquieſcebat Hugo Dienſis Epiſcopus & Legatus ipſius, quapropter ipſum reprehendit ſummus Pontifex epiſtola XXX. ejuſdem libri. Refert neque ipſum, neque alium quemvis nuncium Romam ejus nomine veniſſe, qui depoſitionem Carnotenſis Epiſcopi allatis cauſis approbaret; diutius Pariſienſem Epiſcopum Romæ commoratum, juſtitiæ & æquitatis fuiſſe, ut Eccleſiæ judicio reſtitueretur; ipſum vero reprehenſione dignum, qui in matrem ſuam exerceat cenſuram judicialem, quo tempore oportebat ſe magis ſolatio affici, quam novis dolorum incrementis affligi. Ea certe optima boni parentis diſpenſatio fuit, ſic Gotfridum Epiſcopum reſtituiſſe, ſi præſertim ille uti indulgentia ſummi Pontificis noſſet. Sed qui aliis exemplo debebat

debebat eſſe, poſtea profligatam adeo flagitioſamque vitam egit, ut propterea ab Urbano II. Papa è ſede dejectus ſit. Quædam hic adjicienda ſunt de hoc argumento: quoniam nonnulla reperiuntur, quæ ad Gotfridum Pariſienſem pertinent. LIB. XI. CAP. I.

Poſtquam Gotfridus Carnotenſis Epiſcopus reſtitutus eſt, opera inprimis Pariſienſis Epiſcopi, qui carni & ſanguini addictior nepotis malam indolem non noverat: ſtatim ille indignam ſacerdotio vitam agere cœpit, cupiditatibus ſervire, & poſthabita canonum diſciplina, in abrupta vitæ licentioris blandimenta ſe dare præcipitem; hinc illi clerici, qui ejus inviderant dignitati, illius criminandi captant occaſionem. Jam Gregorius VII. deceſſerat, ſucceſſeratque Urbanus II. Cum Gotfridus propter avunculi auctoritatem gratia apud Metropolitanum valeret, hi ad ſedem apoſtolicam acceſſerunt, Gotfridumque Carnotenſem Epiſcopum multorum criminum reum fecerunt. Gotfridus ipſe venerat Romam, ut accuſationis injuriam coram ſummo Pontifice depelleret. Scribit Ivo ejus ſucceſſor eum, cum non valeret ſe purgare, virgam paſtoralem & annulum reddidiſſe. Quod ipſe Urbanus ad Carnotenſes teſtatur. *Porro de Gaufrido, qui ſine conditione omni noſtris in manibus epiſcopatum reddidit, indignum ſe patenter agnoſcens, præcepimus, & præcipimus, ne quis ei ullo modo ad epiſcopatum reinvadendum, vel infeſtandum aſſenſum accommodare præſumat, aliàs & ipſum, & ipſius fautores excommunicationi ſubjacere cenſemus.* Ita & ſuo, & ſummi Pontificis judicio Gotfridus è ſede dejectus eſt; factaque eſt poteſtas Carnotenſi clero alterius ſubrogandi. Ivo, cujus tunc in eccleſia Gallicana celebrata pietas, omnium calculis electus eſt. Sed antequam ulterius pergo, de eo breviter dicam. XVIII.

Ivo in pago Bellovacenſi ex gente nobili ortus eſt patre Hugone de Altoylo & matre Halemburge, juvenis liberaliter educatus eſt, &, ut illa erant tempora, litteris animum imbuit, rebus theologiæ ſub Lantfranco in Beccenſi monaſterio operam poſuit. Id temporis Guido primum Decanus ſancti Quintini apud Veromanduos, tum Bellovacenſis Epiſcopus apud Bellovacos ſancti Quintini eccleſiam extruxit, & in ea collegium inſtituit canonicorum, cui Ivonem præpoſuit. Ille revolvens animo priora canonicorum inſtituta, præceptaque illis in Aquiſgranenſi Synodo præſcripta, miſeratus ſuorum temporum conditionem, & recogitans quomodo vitam canonicorum ad priſtinum ſtatum reducere, & in ſeveriori diſciplina retinere poſſet, regularem iis vitam præſcribere aggreſſus eſt, & canonicos exemplo & novis legibus ad meliorem formam revocare. Jam quindecim ferme annos in præpoſitura collegii cum magna æſtimatione virtutis agebat, cum Gaufredus ſeu Gotfridus Carnotenſis Epiſcopus loco ſuo, ut modo memoratum eſt, motus eſt, & ipſe ob famam ſingularis pietatis, quam acquiſiverat, tam cleri ſuffragio, quam populi unanimi acclamatione electus eſt. Renitebatur quidem initio, ſed tandem obtemperare cleri populique poſtulationi non amplius diſtulit. Facile à Rege accipiendi epiſcopatus facultatem obtinuit, ſed non pariter conſecrationem ab Archiepiſcopo. Nuſquam enim Senonenſis Archiepiſcopus diem illi ad conſecrationem præfigere voluit, quod ipſe in epiſtola VIII. conqueritur, ubi ſic Richerium Senonenſem Archiepiſcopum alloquitur. *Sed cum clericorum primo ingenio, poſtea violentia Regi fuiſſem præſentatus, & inde cum virga paſtorali à Rege mihi intenſa, ad Eccleſiam Carnotenſem adductus, cumque clericis petentibus & pulſantibus, nullum diem conſecrationis meæ velletis præfigere, interea conſilium mihi fuit, electioni eorum non omnimode aſſenſum præbere, donec certus fierem, & de Gaufridi depoſitione, & ſummi Pontificis voluntate: ad quem cum perveniſſem, ad petitionem Eccleſiæ Carnotenſis apoſtolica auctoritate ſum conſtrictus, & ita in Epiſcopum conſecratus.* Poſtquam conſecratus eſt, Urbanus Papa de ea conſecratione litteras ſcripſit ad clerum populumque Carnotenſem, ut Ivonem Epiſcopum in Gaufredi depoſiti locum reciperent, idem quoque ſcripſit ad Richerium Archiepiſcopum Senonenſem: ab epiſcopatu ſcilicet Gotfridum depulſum, electum canonice in ejus locum Ivonem, quem, quoniam ab ipſo conſecrationem obtinere non potuerat, ipſe conſecraverit: poſtulatque, ut ipſum complectatur, & ei ad regimen ſuæ Eccleſiæ au- XIX.

xilium non deneget; decernit deinde anathema Gotfrido, ſi epiſcopatum aut invadere, aut infeſtare tentaverit; & pariter ejus fautoribus. Nihilominus Richerius vix patiebatur Ivonem eſſe Epiſcopum, quem à ſe ordinandum ſciebat; ejus itaque conſecrationem palam reprehendere non verebatur. De eo negotio Richerius litteras *contumelioſas* & *amaritudine plenas ſcripſit*. Habetur reſponſio Ivonis, ex qua apparet à Richerio ob eam cauſam ſummum Pontificem reprehenſum. Dicebat Richerius Ivonem in cathedram coepiſcopi ſui intruſum eſſe, ejuſque benedictionem qualemcumque eſſe dictitabat, & *hoſtili dignam irriſione*, conquerebaturque, quod à ſe nec benedictionem, nec epiſcopatum petiiſſet. Ad ea graviſſime reſcripſit Ivo, ſe vehementer dolere, quod non tam ſe, quam auctoritatem apoſtolicam lædat: Gotfridum fuiſſe ramum aridum, qui in radice arboris nunquam coaluerit, qui fructum nuſquam fecerit, quique propterea manu magni cultoris exciſus ſit. Eum deinde vehementer redarguit, quod cauſam Gotfridi defendat, hunc fuiſſe caprum emiſſarium, *cujus adulteria, fornicationes, perjuria, proditiones per omnem ferme Eccleſiam publicata ſunt:* ordinationem vero ſuam his, quæ ſuperius allata ſunt, defendit. Neque Richerius his contentus ordinationem Ivonis ad examen revocare volebat, idque Stampis in Synodo provincialium Epiſcoporum, quod ipſe Ivo Urbano Papæ ſignificabat epiſtola XII. *De cetero notum facio beatitudini veſtræ, quod Senonenſis Archiepiſcopus conſilio Pariſienſis Epiſcopi infatuatus, adhibito ſibi eodem Pariſienſi Epiſcopo, & duobus aliis non diſſimilis vecordiæ, Meldenſi & Tricaſſino, hoc anno Stampis de ordinatione, quam à vobis acceperam, me inordinate ſatis accuſavit, dicens me in majeſtatem regiam offendiſſe, qui à ſede apoſtolica conſecrationem præſumpſeram accepiſſe. Cum itaque conarentur Gaufredum depoſitum contra decretum veſtrum in ſtatum priſtinum reformare, & in me depoſitionis ſententiam proferre, ſedem apoſtolicam appellavi, & decretis apoſtolicis, quamvis ea nonniſi in futurum timerent, à ſua præſumptione revocavi &c.* Ex his omnibus manifeſtum eſt habitam Stampis Synodum pro examinanda Ivonis ordinatione, quam noſtri Pontifices vix & ægre admittebant, quia Romæ facta fuerat. Lis appellatione Ivonis magis oppreſſa eſt, quam definita. Quid enim illi facerent? proſequi enim hanc cauſam apud ſummum Pontificem, cujus maxime intererat partes Ivonis tueri, haud congruum videbatur, neque tutum appellationem negligere. Judicium igitur Urbani ſummi Pontificis vim & auctoritatem habuit, & ordinatio Ivonis illibata permanſit. Nemo tamen de honeſtate & meritis Gotfredi Pariſienſis Epiſcopi quidquam detractum putet, quoniam nepotis partes ſuſcepit, quem Urbanus convictum confeſſumque è ſede ſua moverat, qui & ut eum reſtitueret, & Ivonem ex ejus ſede depelleret, omnem lapidem movit. Certe ex his, quæ ſuperius dicta ſunt, certum eſt Gotfridum Pariſienſem Epiſcopum exiſtimatione virtutis celebratum fuiſſe. Si nepoti faverit, fuit indulgentia, quam carnis & ſanguinis propinquitas ſuſtentabat, nepotemque, non ejus vitia defendebat; adde, quod non facile eos ullo crimine infectos eſſe ſuſpicamur, quos diligimus, & poſtremi omnium flagitia noſtræ domus agnoſcimus, & ex his quæ modo dicturi ſumus, clarius apparebit Gotfridum Pariſienſem Epiſcopum, & bona fama, & æſtimatione honeſtatis clarum fuiſſe.

CAPUT II.

De moribus bonis Eccleſiæ Pariſienſis. De Galeranno Præcentore ejuſdem Eccleſiæ, quem Gotfridus Epiſcopus è monaſterio ſancti Martini à Campis ad Eccleſiam revocavit. Expenditur narratio de quodam Pariſienſi magiſtro, qui poſt mortem ter è feretro excitatus revixit, & ſe pœnis æternis addictum profeſſus, ſancto Brunoni cauſam in eremum ſecedendi intulit. De Roſcelino hæretico, & de epiſtola ad Epiſcopum Pariſienſem falsò Abaëlardo tributa. De morte, anno, & die mortis Gotfridi Epiſcopi Pariſienſis.

EA Eccleſiæ tempora infelicia miſeraque erant :, clerici, quod dictum eſt, I.
ſimoniæ labe pene omnes contaminati erant, vixque ulla eccleſia ab eo malo immunis erat, & pleroſque illa, velut quædam peſtis, corruptela invaſerat; palam libidines, inboneſtæque voluptates graſſabantur. Huc accedebant diſſidia de inveſtituris, quæ inter Gregorium ſummum Pontificem & Henricum Imperatorem magno Eccleſiæ & reipublicæ damno exarſerant. Inter tot tantaſque tempeſtates, quibus Eccleſia agitabatur, Eccleſiæ Pariſienſi ſumma tranquillitas erat, neque horum temporum pernicie erat labefactata. Gotfridus Pontifex pia religionis opera ſuis curis promovere ſtudebat, ut ex chartis, quas ſupra retulimus, manifeſtum eſt. Ille Longi-pontis, ſancti Martini de Campis, & ſanctæ Honorinæ monaſteria, non modo ſuis præceptis munivit, ſed & donationibus amplificavit. Erant in Eccleſia Pariſienſi clerici probatæ virtutis, quique amore boni & vitæ probitate noti erant : inter eos maxime elucebat inſtitutis & moribus conſpicuus Galerannus Cantor Eccleſiæ Pariſienſis. Hic aliquando recogitans ſæculi corrupti pravitatem, & animum hominis proclivem in vitia, timere cœpit, ne & ipſe contagione publici morbi contaminaretur : quamobrem, ut ſui temporis vitia fugeret, in monaſterium ſancti Martini à Campis ſeceſſit, ut ſub diſciplina Urſonis Abbatis viri pietate clari vitæ monaſticæ poneret tirocinium. Gotfridus ægre tulit Cantorem, relicta Eccleſia, cui bonis exemplis & rebus præclare factis haud mediocriter proderat, ad monachos ſeceſſiſſe, ad monaſterium ſtatim feſtinus advolavit, ut Cantorem ad ſuam reduceret eccleſiam, cunctantemque redire vi compulit. Ita Galeranno non licuit ſuum exequi propoſitum. Anſelmus Abbas Beccenſis tunc in Anglia verſabatur, & eo fermè tempore Cantuarienſis Archiepiſcopus fuit ordinatus : amicitiam ille olim cum Galeranno Cantore contraxerat, & Gotfridum noverat, & ipſum impensè colebat; ubi igitur audivit Galeranni pia conſilia, & Gotfridi conatus, ut probum virum in ſua retineret eccleſia : Gotfridum quidem palam cri-

 minatus eſt, & hortatus Galerannum, ut propoſitum ad finem perduceret. Scripſit de eo argumento ad utrumque litteras, quæ extant epiſt. XII. & XIII. lib. III. Ad Gotfridum ſcribit ſe didiciſſe, quod dominus Galerannus cariſſimus amicus Cantor Eccleſiæ Pariſienſis per vim à monaſterio abductus ſit, ſe quidem ita ob eam cauſam illum alloqui, non quaſi illum doceat, ſed ut ea, quæ ipſe novit commemoret. Eſſe Chriſti conſilium, ut, qui ad ſummum bonum acquirendum omni conatu enituntur, omnia relinquant, & ſequantur ſe, Chriſtum eos præſertim ad ſe vocare, qui ſub pondere rerum & negotiorum ſæculi ingemiſcunt, ut in ejus amore conquieſcant. Sanctos Patres hanc Chriſti ſententiam de ſanctæ vitæ monaſticæ propoſito præſertim intellexiſſe. Hanc fuiſſe mentem ſancti Gregorii, qui Deſiderium Epiſcopum hortatur, ne quemdam clericum ab incepto deterreat, qui monachi inſtituta habitumque ſuſcipiendi conſilium ceperat: immo illum excitet jam currentem, & adjuvet, neque eum amplius rebus ſæcularibus velit implicare. In Toletano Concilio definitum eſſe, ut Epiſcopi clericos permitterent in monaſteria ſecedere, & liberos abire ſinerent, qui meliora conſilia ſequi deſiderant. Horribile id dictu eſſe, Epiſcopum hos ad mundi curas revocare, quos Deus ab hac ſollicitudine avocavit, eoſque ab Epiſcopo projici in fauces luporum, quos Deus ab eorum ſævitia ſemotos ſubtraxit, eoſque, qui in portu ſunt, procellis & ſæculi tempeſtatibus permitti. Ne pudeat mutare ſententiam, & id ſequi quod deceat, ſi quid primo & ſubito dolore abreptus admiſerit, quod poſtea emendari oporteat. Scripſit hanc epiſtolam paulo ante ordinationem, quæ fuit pridie Nonas Decembris ſecunda Dominica Adventus anno MXCIII. Neque Gotfrido tantummodo litteras miſit, ſed etiam Galeranno, ut eum ad propoſitum penitus exequendum adhortaretur. Statim illi dolorem ſuum ſignificat ob vim ſibi ab Epiſcopo illatam, perſuadetque, ut in propoſito perſiſtat, neque ſe decipi patiatur, quoniam nolens & vi à propoſito revocatur: neque ideo ſe liberum putet, quia auctoritate ſui Epiſcopi defenditur. Epiſcoporum vocem audiendam eſſe, quando cum Chriſto congruit, nulli loco habendam, ſi à Chriſti documentis diſſentiat. Chriſtum dixiſſe, illum non aptum regno cælorum, qui poſtquam miſit manum ad aratrum retro reſpicit; audiendam Chriſti vocem, qui dicit, quod oves paſtorem ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus, alienum non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. Poſt quædam alia, quæ ſubjicit, epiſtolam his verbis concludit. *Amice cariſſime, ſi multa non legiſſes, & rationabilis ingenii non eſſes: multa tibi dicerem, ut quam bonum ſit, quod incepiſti, & quam malum, ſi ab incœpto deficis, oſtenderem. Breviter dico, nihil ſalubrius potuiſti incipere, nihil periculoſius potes relinquere.*

II. Optime quidem Anſelmus admonebat Galerannum, ne à propoſito diſcederet. Vix tamen reprehendere poſſum factum Gotfridi, qui miniſtrum magnæ probitatis in eccleſia permanere voluit, qui aliis documento eſſet, & eccleſiæ laboranti ſuccurreret. Quiſque animo expendat, quo in ſtatu verſabatur Eccleſia? quæ morum & diſciplinæ corruptela? quæ mala Eccleſiam affligebant? quibus ſanandis Synodi & Pontifices non ſufficerenr. Galerannus vir ſummæ pietatis, in eo quod gerebat munere & factis & moribus graſſantis mali vim cohibere poterar. Gotfridus ob eam cauſam clericum ſtare in Eccleſia volebat. Conciliorum verus eſt diſciplina, eaque ſæpius inculcata à Patribus, clericos ſub poteſtate Epiſcoporum eſſe, clericis haud eſſe licitum abire ex Eccleſia ſine Epiſcopi poteſtate. Gotfridus igitur pro ſuo jure poterat repoſcere clericum, qui ſine ſua licentia in monaſterium fugerat, cum præſertim id Eccleſiæ neceſſitas poſtularet. Neque modo, cum res exigit, fas eſt retinere clericum: ſed etiam monachos accerſere licer, qui munera clericorum gerant. Licet Eccleſiæ, cum opus eſt, in clauſtris facere delectum, duces militeſque in monaſteriis conſcribere. Qui & quanti olim Pontifices evaſerunt; quibus olim illata vis eſt, ut vitæ monaſticæ propoſitum abrumperent, & in edito Eccleſiæ loco ponerentur. Sanctus Martinus è Pictavenſi ſeceſſu, ſanctus Honoratus è cœnobio Lerinenſi, Hilarius Arelatenſis, Lupus Trecenſis, Germanus Pariſienſis Epiſco-

pus, aliique magno numero inter Gallicanos Pontifices clari è monaſteriorum clauſtris avulſi ſunt, ut præponerentur Eccleſiis, hique præclaram operam Eccleſiæ præſtiterunt; quanto magis Pontifices poſſunt revocare clericum ſigna deſerentem, quando pugnandum eſt; & ii quotidie manum monachorum adhibent ad obeunda Eccleſiarum munera. Quid quod licitum eſt è monaſterio exire ad parentes alendos, & propoſitum ſolvere, ut ſubveniatur patris, aut matris neceſſitati. Eccleſia communis eſt omnium Chriſtianorum mater. Illa nos ſinu concepit, illa nos genuit, illa nos alit, ejus genus ſumus, ſi premitur, ſi vexatur, ſi in periculo eſt, clerici pariter & monachi, ſi opus eſt, illi opitulari debent. Multo magis Pontifici licitum eſt miniſtrum fide & integritate pollentem conſervare, dum ſævit tempeſtas & vina graſſantur. Eccleſiæ hoc commune jus eſt, oportere inprimis clericos Eccleſiæ periclitanti ferre auxilium. Neque tunc licet per ſpeciem ſalutis aſſerendæ ſtationem deſerere, ne ex hoc ipſo ſpe mercedis obtinendæ excidas, quia periculis caput ſubtrahere, quam opponere maluiſti. *Sunt itaque*, inquit ſanctus Gregorius ſummus Pontifex, *nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum ſolius contemplationis ſtudiis inardeſcunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt, ſeceſſum ſpeculationis petunt, de quo ſi diſtricte judicentur, ex tantis procul dubio rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt, qua enim mente is, qui proximis profuturus enitesceret, utilitati ceterorum ſecretum præponit ſuum, quando ipſe ſummi patris unigenitus, ut multis prodeſſet, de ſinu patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum.* His aliiſque ejuſmodi Gotfridus Epiſcopus ſuam tuebatur ſententiam, quibus demum acquieſcere haud dubitavit Galerannus. Conſtat enim in ſua Eccleſia & in ſuo munere perſtitiſſe. Anno MXCVIII. poſt mortem Gotfridi, cum Guilelmus Pariſienſem Epiſcopatum gereret, ſubſcripſit chartæ, qua Guilelmus monaſterio ſancti Martini de Campis conceſſit altare Montis martyrum, & altare villæ, quæ dicitur Penthinum, & ſimiliter aliis chartis ſubſcripſit, quæ continentur in chartulariis Eccleſiæ Pariſienſis. LIB. XI. CAP. II. Paſtoral. lib. 1. cap. 5.

III. Sed ecce tibi ſancti Anſelmi epiſtola ad Gotfridum Epiſcopum Pariſienſem. *Quamvis divina diſpoſitio valde longe à reverentia veſtra meam ſeparet parvitatem; nulla tamen longinquitas debet minuere meam, quam veſtra multis modis meruit benignitas fidelitatem. Quapropter, ſi quid de veſtra celſitudine audio, unde mihi congaudendum, ſemper volo congaudere. Et ſi quid cognoſco, quod veſtram dignitatem mutare deceat; familiari fiducia eum charitative & humiliter debeo commonere. Didici quod dominus Vvalerannus chariſſimus amicus noſter Cantor Eccleſiæ veſtræ, Deo inſpirante, habitum ſanctæ converſationis ſtudioſe, & intenſiſſime petens in monaſterium ſancti Martini de Campis, eo gaudio, quo debuit, ſit ſuſceptus, & inde violenter à vobis, & quemadmodum non neceſſe fuerat, abſtractus, de qua re veſtra prudentia meo conſilio non egeat: cogunt tamen fidelitas & dilectio, quas vobis & illi debeo, mentem meam, ut veſtræ reverentiæ aliquid ſuggeram. Non loquor ſapientiori me, quaſi docendo, ſed velut ea, quæ melius me ſcit breviter commemorando. Mi pater, ſi omnia facienda ſunt cum conſilio, cujus maxime conſilio, quam ejus, qui admirabilis conſiliarius Deus fortis dicitur, ipſe enim conſulit ad perfectionem nitentibus, ut omnia relinquant. Ipſe omnia relinquentibus & ſequentibus ſe promittit, quia ſedebunt cum illo in judicio judicantes duodecim tribus Iſraël. Ipſe eſt, qui invitat laborantes & oneratos amore & curis ſæcularibus, ut ad ſe veniant & requieſcant. Hoc conſilium magis in monachico, quam alio vitæ propoſito impleri ſancti Patres intellexerunt. Beatus namque Gregorius in lib. XIIII. regiſtri, ſcitis quid mandet Deſiderio Epiſcopo de quodam, qui divina inſpiratione compunctus gratiam monachicæ converſationis appetierat: quomodo ſcilicet hortetur eumdem Epiſcopum, ut propoſitum ejus non impediat; ſed magis eum quantum valet paſtorali admonitione ſuccendat, ne fervor conceptus in eo tepeſcat, nec ullatenus debere eum, qui monaſterii portum petiit rurſus eccleſiaſticarum turarum perturbationibus implicari. In Toletano Concilio IV. legiſtis clericos monachorum propoſitum appetentes, quia meliorem vitam ſequi cupiunt liberos eſſe debere ab Epiſcopis ad monaſteriorum ingreſſus. Pauca dixi de multis. Si ergo dicere contra Dominum, & contra tot ſanctos Patres dicta Domini veraciter intelligentes, eſt peccatum: facere contra manibus, non*

dicam quomodo ſcio : ſed quomodo vos ſtitis , quid eſt ? Si qui ſeparat pretioſum à vili, id eſt animam à ſæculo , tanquam os Dei , ſicut ſcriptum eſt , erit ; ille cujus os & manus retrahunt animam adhærentem conſilio Domini , ad ſæculum quid erit ? Abſit mi Domine : nolit Deus ut ſuper Epiſcopum cadat , quod Deus dicit : qui non colligit mecum , diſpergit : & qui non eſt mecum contra me eſt. Horrendum enim eſt etiam auditu , ut quos Chriſtus elegit de mundo , Epiſcopus religet in mundo : ut quos Chriſtus trahit ad portum de procellis & tempeſtatibus mundi ; hos Epiſcopus retrahat à portu in naufragoſos turbines mundi. Et quos Chriſtus abſcondit in ovili à multitudine inſidiantium luporum ; hos Epiſcopus rapiat de ovili , & exponat multitudini luporum. Mi Reverende pater , ne ſit moleſtum prudentiæ veſtræ , quia ſic loquor. Non enim hoc dico , quia velim oſtendere , quod hujuſmodi ſitis ; ſed quia deſidero , ut hujuſmodi non ſitis. Conſideret & retractet prudentia veſtra , quod fecit de prædicto ſuo Canonico : & ſi quid fecit quod mutandum intelligat ; non eam pudeat facere , quod magis deceat. Non enim adeo mirandum , ſi ſubito motu de tam ſtrenui clerici amiſſione aliquid non præmediate feciſtis : ſed hoc valde eſt laudandum , ſi mutatis , quod mutandum intelligitis. Saluto dominos & amicos noſtros canonicos veſtros , quos etiam ſi ſingulos non cognovi ; omnes tamen diligo , & omnibus ſervire volui. Quos omnes vobiſcum ſupplex precor , ut conſecrationem meam , quæ in Dominica (qua cantatur Populus Sion) ordinata eſt , Deo annuente , fieri ; ſuis orationibus , non meis meritis , ſed ſua caritate præveniant. Omnipotens Dominus ſic vos uſque in finem hujus vitæ dirigat & cuſtodiat, ut poſt hanc vitam æternam beatitudinem vobis retribuat. Sigillum hæc epiſtola non habet , quia & Abbas jam non ſum , & Archiepiſcopus nondum ſum : nec me delectat pingi quod non ſum. Addenda eſt & epiſtola ejuſdem ſancti Anſelmi ad Vvalerannum ſeu Galeraooum , quæ ita ſe habet.

IV. *Audivi , amice chariſſime , quia propoſitum ſanctæ converſationis eligens monaſterium eligens ſancti Martini ſub clariſſimo amico meo domno Priore Vrſone ingreſſus fueras ; & valde de tanto bono amici mei lætatus ſum. Sed poſtea didici , quia dominus noſter Epiſcopus tuus te inde vi retraxerit ; & triſtis factus ſum. Et quoniam honeſtatem tuam , de cujus dilectione certus ſum , ſine figmento dilexi & diligo : reprehendit mea conſcientia , ſi te viſitare meis litteris , & pro poſſibilitate mea , in tanto periculo tibi conſulere charitative non ſtudeo. Timeo enim ne diaboli calliditas animam tuam dilectam mihi decipiat : ne tibi , quoniam vi abſtraheris, & nolens à ſancto propoſito , poſſe in clericatu licite & ſine culpa , ut olim , permanere perſuadeat. Certus eſto , chariſſime , quia nullo modo hoc poteſt anima tua ſine tui reprobatione ſuſcipere; quamvis hoc Epiſcopi ſoi auctoritate velit defendere. Chriſtus enim dicit : nemo mittens manum ſuam ad aratrum , & retro reſpiciens aptus eſt regno cælorum. Mens tua ab aratro Chriſti retro reſpicit , ſi à propoſito , ad quod te vocavit Chriſtus , & quod incepiſti aliqua occaſione tepeſcœndo deficit. Sicut enim Epiſcopi ſervant ſibi auctoritatem , quandiu concordant Chriſto : ita ipſi ſibi eam adimunt , cum diſcordant à Chriſto. Omnis Epiſcopus, qui habet vocem Chriſti , Chriſtus eſt : & oves illum ſequuntur , quia ſciunt vocem ejus. Lege in Evangelio poſt hæc verba. Alienum non ſequuntur , ſed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum. Si perſecutio corporis fugienda eſt de civitate in civitatem ; quanto magis perſecutio animæ ? An non eſt animæ fugienda perſecutio , animam prohibere ſequi Chriſti conſilium ? Amice chariſſime ſi multa non legiſſes , & rationabilis ingenii non eſſes : multa tibi dicerem , ut quam bonum ſit, quod incepiſti , & quam malum , ſi ab incœpto deficis , oſtenderem. Breviter dico , nihil ſalubrius potuiſti incipere , nihil periculoſius potes relinquere. Nihil igitur ſeparet animam tuam à propoſito monachico , quod incepiſti. Lege in Concilio Toletano quarto de clericis petentibus vitam monachicam ; & in XIIII. libro Regiſtri epiſtolam ad Deſiderium Epiſcopum , de clerico facto monacho. Omnipotens Dominus dirigat & corroboret & conſoletur cor tuum. Amen.*

V. Odo tempore Gotfridi Decaous erat Eccleſiæ Pariſienſis, ille repreſſit audaciam Gaſcelini advocati Viriaci , quæ villa eſt ſanctæ Mariæ ; ſolebat ille indebitas conſuetudines in advocatione uſurpare , in has igitur conventiones cum eo tranſegit , quas charta , quam exhibeo continet. *Notam volumus eſſe omnibus Chriſtianis conventionem , quam habuit Gaſcelinus advocatus de villa ſanctæ Mariæ,*

quæ dititur Viriacum, cum Odone Decano, Rodulfo præpoſito & aliis canonicis beatæ LIB XI.
Mariæ in feſtivitate omnium ſanctorum ante altare ſancti Quintini martyris. Inju- CAP. II.
ſtas enim advocationes & indebitas conſuetudines, quas ſibi injuſte vindicabat annuente libenter Herberto Comite filio Othonis guerpivit, quæ ſunt ſcilicet caballi, quos in hoſtilitatis expeditionem iturus, ſua pro voluntate, quodlibet acturus violenter accipiebat, & in agendis placitis & legibus unum ſuum tantum miniſtrum, cum miniſtro ſanctæ Mariæ, ut conſtitueret confirmavit, ita ut vadimonium legis recipiat homo ſanctæ Mariæ, & eo tenore, ut nulla aeprecatio ſit facta, niſi communi conſilio amborum, id eſt hominis ſanctæ Mariæ, & hominis Gaſcelini: & quod non amplius, quam tres paſtus in anno, & hos cum tali menſura, ut homines non ſint oppreſſi. Inſuper omnes injurioſas conſuetudines, quas ſibi rapiebat, guerpivit, niſi viam publicam, & latronem, & injuſtam menſuram pro ſalvimento, niſi de habitatis domibus accipiet. Hominem ſanctæ Mariæ in nullo loco juſtitiabit, niſi in Viriaco villa, & ibi ſicut ſcabini judicabunt, & caſtello Cauniaco. Ab ullo homine ſanctæ Mariæ thelonenm non exiget, & de nulla re juſtitiam faciet, & de foro ejuſdem caſtri Cauniaci ſanctæ Mariæ xx. ſolidi in feſtivitate ſancti Remigii perſolvantur. Hanc conventionem Herbertus Comes confirmavit præſentibus Epiſcopis, qui ſollemnitati aſſuerunt, & eum excommunicantibus, qui eum infregerit Balduino Noviomenſi Epiſcopo, Elinando Laudunenſi Epiſcopo, Guidone Bellovacenſi Epiſcopo, Leoberto Cameracenſi Epiſcopo, Adelardo Sueſſionenſi Epiſcopo. Hujus conventionis teſtes aſſuerunt clerici. Effredus Decanus ſancti Quintini, Robertus de Perona. A.ctum anno Incarnationis MLXVII. regnante Philippo Rege anno VII.

VI. Quo tempore Gotfridus epiſcopatum gerebat, aiunt Brunonem Pariſiis prodigio hominis redivivi terrefactum in eremum receſſiſſe, & adjunctis ſibi ſociis Cartuſienſium ordinem inſtituiſſe; cum ex hac hiſtoria aſperſa ſit macula Eccleſiæ Pariſienſi, quam diximus immunem fuiſſe à nævis ſuorum temporum, hanc ad examen revocare oportet, & inquirere accuratius, an illa, quæ cauſa receſſus Brunonis fuiſſe dicitur narratio cum veritate conjuncta ſir, an potius ex incertis rumoribus nata longe poſt tempora ſancti Brunonis. Narrationem ejuſmodi Antoninus & auctor vitæ ſancti Brunonis, & alii illorum temporum ſic exponunt. Circa annum milleſimum octogeſimum-ſecundum academia Pariſienſis & auditorum numero & doctorum præſtantia florebat, excellebant magiſtri in omni genere ſcientiarum. Sed inprimis, qui arcana ſacræ theologiæ expedite aperiebant, & juris pontificii nodos magna induſtria & dexteritare ſingulari explicabant. Inter eos doctrina & bonæ famæ exiſtimatione eminebat unus aliquis, qui morbo correptus de vita deceſſit: celebrantur ejus exequiæ magno hominum concurſu, effertur corpus ad eccleſiam, ubi illud humi mandari oportebat. Tum clerici, ut mos eſt, pſalmos ante corpus in loculo poſitum canunt. Ventum erar ad ea verba, quæ in lectionibus habentur. *Reſponde mihi.* Ecce qui mortuus in feretro jacebat, cunctis, qui aderant, ſtupentibus, elevat caput, & voce lugubri erumpit in hæc verba. *Iuſto Dei judicio accuſatus ſum.* Hoc dicto confeſtim caput reclinavit. Omnium animos ſtupor invaſit, arreptis poſtea animis decretum eſt ſepulturam in alterum diem differre. Die igitur ſequenti cum illud ſpectaculum magnam hominum multitudinem conciviſſet, pſalmi iterum coram corpore cantantur. Ecce vero dum iterum hæc eadem verba recitantur. *Reſponde mihi.* Qui mortuus recumbebat, caput denuo erigit, & voce lachrymabili exclamat in hæc verba. *Iuſto Dei judicio judicatus ſum.* His dictis demittit caput: omnes prodigio attoniti obſtupuerunt, cœperuntque inter ſe ſciſcitari, quid ſibi vellet iſte clamor? ac demum in eam diſceſſum eſt ſententiam, ſepulturam adhuc in alium diem differendam eſſe. Tertio die ex urbe tota ad eccleſiam, ubi habebatur corpus, concurritur; concinuntur pſalmi, cantor lectionem incipit; in qua eadem, quæ ſuperius verba leguntur. *Reſponde mihi.* Arrectis ad hæc omnium auribus, qui triduo in loculo jam computruerat, caput in altum ſuſtulit, & has horrendas voces protulit. *Iuſto Dei judicio damnatus ſum.* Tum mentibus omnium incubuit pavor, ſtupebant terribili prodigio attoniti. Quid, inquiebant, æternis addictus eſt pœnis homo ille ſcientia clarus & virtutis

LIB. XI. CAP. II. opinione celebratus? Inter doctores agitatum quid fieret? ac demum omnium vota fuerunt, cadaver ſine ſepultura projiciendum eſſe, quod abſque mora peractum eſt. Inter eos, qui aderant, Bruno prodigii teſtis fuit, is tunc temporis philoſophiæ & theologiæ in academia Pariſienſi præcipuus magiſter erat. Ille ſpectaculo perterritus cœpit cum ſociis colloqui. Ille vir, aiebat, omnium opinione præſtantiſſimus, qui ſcientia præditus erat, cujus fama & exiſtimatio vulgara, Dei judicio æternis ſuppliciis condemnatus eſt. Nos quid in hac vita periclitari pergimus? quin magis hinc diſcedimus, & in aliquo ſeceſſu amoti longe à conſortio hominum vitam ſecurius agimus, & contemptu rerum periturarum æterna præmia acquirere contendimus. His aliiſque ſermonibus effecit, ut in locis præruptis ſimul Cartuſienſium ordinem inſtituerint. Hæc ferme de ſancto Brunone commemorant. An autem ſit vera hæc narratio, an fabuloſa? hoc modo mihi inquirendum eſt.

VII. Hanc prodigioſam hiſtoriam non eſt, qui narret ante Gerſonem, immo alias ſuæ converſionis cauſas ipſe Bruno refert in epiſtola, quam ex Calabria ſcribit ad Radulfum Viridem Præpoſitum Remenſem. Significat illi Bruno, quod nec longo locorum intervallo, nec diuturnitate temporis poterit deleri ex ejus animo illius memoria; addit ſe eremum incolere in finibus Calabriæ; hortatur deinde, ut ſæculi tempeſtatibus ſe ſubducat, & in ſtationem ſecuram ſe ſine mora recipiat. Quod ſi ad hæc agenda Dei amore non provocetur, & utilitate præmiorum non ducatur, certe metu pœnarum terreatur, & meminerit propoſiti & ſponſionis, quam olim Deo fecerit. *Reminiſcitur quippe dilectio tua*, inquit, *quod cum ego & tu, & Fulcius monoculus quadam die ſimul fuiſſemus in hortulo adjacenti domui Adæ, ubi tunc hoſpitabar, de falſis oblectationibus, & perituris mundi hujus divitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis aliquandiu, ut opinor, tractaremus, unde divino amore ferventes, promiſimus ac vovimus Spiritui ſancto, in proximo fugitiva ſæculi relinquere, & æterna captare, necnon monachicum habitum recipere, quod & in vicino peractum eſſet, niſi tunc Fulcius Romam abiiſſet, ad cujus reditum peragenda diſtulimus, quo moram faciente, aliiſque intervenientibus cauſis divinus amor elanguit, refriguit animus, fervorque evanuit. Quid ergo ſupereſt, cariſſime, niſi à tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam gravi tamque diuturno mendacii crimine, iram incurras potentiſſimi, & propter hoc cruciatus immanes? &c.* Declarat ſanctus Bruno ſuæ ſeceſſionis cauſas, cum Remis ſcilicet verſaretur in hortulo, & forte ſermo incidiſſet de contemptu hujus mundi & de æterna felicitate, ſe illumque ſancto impulſu afflatos promiſiſſe Deo, à mundi conſortio diſceſſuros, ut ſeveriora vitæ monaſticæ inſtituta ſectarentur. Non dicit ſanctus Bruno ſe voce hominis redivivi perculſum Pariſiis, ut hanc vitæ rationem reneret, quo tamen argumento uſus opportunè fuiſſet, ut torpentem Radulphi animum ad ſancti propoſiti executionem accenderet: ſed futilitatem rerum revocat in mentem, æterna gaudia & ſponſionem, quam Deo promiſerat, quæ omnia ab illa commemoratione longe aliena ſunt, & ex quibus intelligimus Brunonem Remis verſantem de abrenunciatione ſæculi cepiſſe conſilium, quod deinde ſit executus. Sanctus Bruno in inſtituenda vitæ ratione, extruendoque cœnobio, uſus eſt maxime opera Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi, qui illi locum aliaque contulit adjumenta; ejus geſta ſcripſit Guigo quintus Prior Cartuſiæ: ille vero cum de Brunone loquitur, nihil de prodigio, ſeu hiſtoria loquitur, ſed ſcribit ad eum Brunonem acceſſiſſe, enumeratque ejus ſocios & appellat Lauduinum, qui poſt Brunonem fuit Prior Cartuſiæ, duos Stephanos Burgenſem & Dienſem, qui ſancti Rufi canonici fuerant, Hugonem Capellanum, qui ex iis ſolus erat presbyter, & duos fratres, quos laicos ſeu converſos vocant Andream & Guarinum. Narrat demum quomodo Epiſcopus, & locum indicaverit, & dederit extruendæ Cartuſiæ: ſed in his nulla memoria ſpectaculi Pariſienſis, nulla mentio eſt hominis redivivi, neque quidquam ſimile ſuſpicari licet ex ſociis Brunonis, quos modo appellavimus. Guibertus Abbas de Brunonis inſtitutione longum ſermonem texit, aſſeritque Brunonem odio Manaſſis Archiepiſcopi Remenſis ex urbe diſceſſiſſe. Is Manaſſes fuerat Gervaſii Archiepiſcopi ſucceſſor, pecunia cathe-

LIB. XI. CAP. II.

dram acquiſiviſſe dicebatur, moribus fuiſſe corruptis, multaque perperàm feciſſe: quam ob cauſam reprehenſus fuerat à Gregorio VII. qui ſuas vices Gotfrido Epiſcopo Pariſienſi, ut prius commemurarum eſt, commiſerat, ut ſuo nomine contra Manaſſem ageret. Guibertus Abbas ſcribit Manaſſem ſolitum dicere *bonum eſſe Archiepiſcopatum Remenſem, ſi non miſſas inde cantari oporteret.* Querelæ ſæpius ad ſummum Pontificem contra Manaſſem delatæ fuerant, & ipſe nec quidquam eum reprehenderat, demum anno MLXXIX. Auguſtoduni indictum eſt Concilium à legatis Gregorii, ad Synodum vocatus non venit & ob contumaciam condemnatus eſt, deinde ſedem Romanam appellavit: ille tamen in Italiam ire & Romæ ſe judicio ſiſtere neglexir. Hugo Dienſis Epiſcopus, qui legati munus obibat, Synodum Lugduni congregat. Manaſſes iterum ad Synodum vocatur, aderant teſtes, qui illius facta palam redarguerent. Reſcripſit Manaſſes ad legatum, ſe cum omnibus pacem iniviſſe, ſi duos tanrummodo exciperet Brunonem ſcilicet, & Pontium, *Quorum unus*, de Brunone loquebatur, *nec noſter clericus, nec noſter natus aut renatus eſt, ſed ſancti Chuniberti Colonienſis in regno Teutonicorum poſito canonicus eſt, cujus ſocietatem non magnopere affectamus: ut pote de cujus vita & libertate penitus ignoramus, & quia quando apud nos fuir, pro multis beneficiis in eum collatis male, & nequiter tractati ſumus. Alter verò*, ſcilicet Pontius, *in Romano Concilio nobis præſentibus eſt falſatus, & ideo nec uni, nec alteri in eccleſiaſtico judicio reſpondere aut volumus, aut debemus.* Hæc ex epiſtola Manaſſis, quam Sirmondus olim eruit ex bibliotheca Petavii ſenatoris Pariſienſis. In ea porro Synodo Manaſſes denuo condemnatus eſt. Verùm ille ex pœna truculentior factus, domos accuſantium fregit, præbendas eorum vendidit, bona & facultates eorum diripuit. Sed demum cum perverſe agere pergeret, à ſacerdotio & cathedra dejectus eſt, extorriſque poſtea interiit. Bruno Archiepiſcopi mores peroſus, ex urbe diſceſſit & deinde ex ſæculo exiit. At Bruno *urbe deſerta* Remis ſcilicet excedens *ſæculo etiam abrenuntiare proponit*, inquit Guibertus Abbas, *qui ſuorum notitias horrens ad Gratianopolitanum proceſſit territorium Ibi in arduo & admodum terribili promontorio ad quod difficillimum, & valde inſolens iter intenditur: ſub eo etiam præruptiſſimæ vallis voragodehiſcit habitare deligens hujuſmodi mores inſtituit, & ſequaces ejus hodieque ſic vivunt.* Deſcribit deinde mores & inſtituta Cartuſienſium. Ex his patet Brunonem incenſum pietate corruptos mores Archiepiſcopi Remenſis reprehendiſſe, & deinde amore monaſticæ vitæ in eremum ſeceſſiſſe; hocque maxime notandum eſt, quod etſi longum ſermonem de Brunone Guibertus ſcribit, nuſquam tamen meminit illius narrationis, quam ſuperius retulimus, quamque modo aſſerunt Brunoni fuiſſe cauſam, cur in eremum ſecederer. Sed nec illud prodigium commemorant alii ſcriptores, qui propius ad ætatem Brunonis accedunt, nec antiqua Cartuſianorum acta, in quibus Brunonis mentio eſt. Dicitur Remis fuiſſe canonicus & ſcholarum magiſter, & relicto ſæculo in eremum fugiſſe, & Cartuſiam fundaſſe; nuſquam vero memorant Pariſiis verſatum, & ibi magiſtri munus impleviſſe. Petrus Cluniacenſis ſancti Brunonis & Cartuſianorum quoque inſtitura deſcribit, neque tamen quidquam de prodigio Pariſienſi nobis ſuppeditat, neque liber afferre alios ſcriptores, quos Launoius in libro de vera cauſa receſſus ſancti Brunonis ad longum enumerat, qui quidem ſancti Brunonis, ejuſque eremi initia referunt, neque tamen ſpectaculum Pariſienſe ullo modo attingunt, neque illi, neque quivis alius, qui vel illa, vel proxima ærate hiſtoriam vel chronicon ſcripſerit. Unde vero tanta rei prodigioſæ oblivio, quæ ſpectante urbe Pariſienſi peracta eſſe dicitur, quæ cauſa ſecedendi Brunoni fuerit, & unde Cartuſienſium origo. Nullam aliam cauſam ſilentii fuiſſe credibile eſt, quàm, quod illa fabula nondum inventa fuiſſet; ſtupendum illud ſpectaculum apud auctores non legitur, quia non acciderat prius, necdum conficta, nec ſcriptis mandata narratio fuerat. Quod vero auget ſuſpicionem falſi, aiunt illi, qui prodigium aſſerunt, Brunonem id temporis verſatum Pariſiis, & inſignem fuiſſe Theologiæ magiſtrum. Ex illa quoque eorum relatione apparet, tum cum commentum confictum eſt, academiam Pariſienſem jam pluribus magiſtris &

Libro primo de vita ſua.

Vuuu

LIB. XI. CAP. II.

doctotibus decoratam: quæ omnino non conveniunt ætati Brunonis, ut amplius perſpicuum erit ex iis, quæ mox refetemus de ratione ſtudiorum, quæ hac ætate Pariſiis agebantur. Et ſupetins dictum eſt Brunonem quidem canonicum, & magiſtrum ſcbolarum Remis extitiſſe, non vero ſtudiis Pariſiis poſuiſſe operam: immo ex his, quæ ſuperius relata ſunt, non ex Pariſiis, ſed ex Remis in eremum ſe ſubduxiſſe manifeſtum eſt. Sed quod multum huic narrationi detrahit: illa olim narratio irrepſerat in breviarium Romanum, & poſtea in recenſione ſublata eſt. Certe Gerſon aliique Antoninus, Nauclerus, Volaterranus, qui eam rem poſtea ſcripſerunt, non aliquem antiquiorem ſcriptorem appellant teſtem & auctorem narrationis, ſola dumtaxat fama vagiſque innituntur rumoribus. Verùm inquiramus quomodo iſthæc narratio ſuis paulatim inſtructa coloribus prodierit, id ex variis auctoribus, qui hanc ſubinde retulerunt oſtendamus. Cæſarius Ciſtercienſis monachus, qui ſub finem ſæculi duodecimi florebat, initia bujus narrationis nondum ſuis diſtincta circumſtantiis in hunc modum tradit. *Fuit*, inquit, *in regno Francorum clerieus quidam nobilis & dives, quæ duo ſæpe homines extollunt, multiſque vitiis ſubjiciunt, qui cum mortuus eſſet, & in feretro poſitus, multitudine populi circumſedente, tam ex clericis, quam ex laicis, ipſe ſe*
Diſtinct. 11. cap. 49.
erexit cunctis audientibus in hæc verba prorumpens. Iuſtus judex judicavit, judicatum condemnavit, condemnatum tradidit in manus impiorum, quibus dictis ſe reclinans non obdormivit, ſed de requie tranſivit ad laborem, de deliciis ad miſeriam. In his quædam naſcentis fabulæ initia reperiuntur, non enim memoratut, quo in loco ea res contigerit, non habetur ſermo de Pariſienſi academia, non de trina anaſtaſi hominis, ſed de una tantummodo fit mentio, ſed quod præcipuum caput eſt de ſancto Brunone nulla habetur memoria. Ex iis tantummodo addiſcimus clericum quemdam nobilem è feretro erectum eſſe, & dixiſſe ſe jam judicatum & condemnatum eſſe, nec aliæ circumſtantiæ de lectionibus, nec de projectione cadaveris referuntur. Gerſon poſtea narrationem illam retulit aliis variatam coloribus, & primus Brunonem teſtem prodigii facit, tem his verbis memorat in tractatu de ſimplificatione cordis. *De timore Domini*, inquit, *conſtituamus ante meditationis noſtræ oculos exemplum illud celebre à quo cœpiſſe dicitur ordo Cartuſianorum. Mortuus eſt quidam magnæ reputationis magiſter apud ſcholaſticos, parantur exequiæ in templo, venit vox, juſto Dei judicio accuſatus ſum, dilata eſt ſepultura in diem alterum, tunc audita eſt vox. Iuſto Dei judicio judicatus ſum. Tertia die, in quam dilatio ſepulturæ iterum facta extitit, inſonuit vox. Iuſto Dei judicio condemnatus ſum. Ecce in his eſt poſitum coram meditantis oculis judicii tremendi, accuſationis, judicationis, & condemnationis ſpeculum.* Gerſonis ætate aucta fuerat narratio, quam celebris Cancellarius arripuit, ut animos fidelium ad pietatem accenderet. Satiſque erat hæc commemoranti rem in omnium ſermone habitam eſſe: neque enim, ut ipſe aliàs affirmat, in bis quæ ad fovendam pietatem & inflammandum affectum ſpectant, tam quæritur veritas certa, quam haud anxia quædam pietas. Aliis poſtea incrementis commemoratio auctior facta eſt. En tibi verba ſancti Antonini Florentini Archiepiſcopi excerpta ex ſecunda parte hiſtoriæ. *Anno*, inquit, *Domini MLXXXVI. ſecundum Vincentium in ſpeculo hiſt. lib.* XXVI. *tap.* LXXXII. *qui hæc refert ex hiſtoria Sigiberti, habuit initium Cartuſienſium ordo. Dicit enim Bruno natione Teutonicus ex urbe Colonia litteris à primaria ætate eruditus Remenſis Eccleſiæ tanonicus, & ſcholarum magiſter, relicto ſæculo eremum Cartuſiæ fundat, propoſitum monaſticæ converſationis ſatis arduum inſtituit. Hujus ſancti propoſiti cooperator exiſtens beatæ memoriæ Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, ab eodem Brunone habitum monaſticum ſumpſit, cunctiſque ibi habitantibus inſigne exemplum præbuit.* De boc Hugone ſic ſcribit Vincentius. Et paulo poſt hæc habet. *Habuit autem principium talis religio ex hot ſtupendo eventu, cum in tivitate floreret ſtudium abundans, tam multitudine ſcholarium ex variis regionibus, quam copioſa caterva doctorum ſollemnium in omni facultate, inter cæteros unus erat ſingularis, qui in eminentia ſcientiæ & probitate vitæ & maximæ famæ pollebat. Huic autem vita functo ſollemnes exequiæ paratæ ſunt in eccleſia, ubi ſepulturæ erat tradendus, ad quem bonorandum convenerat magiſtrorum & ſtudentium univerſitas*

Pariſienſis, & alii plurimi. Cum ergo cadaver in feretro in eccleſia ſecundum morem LIB XI.
eſſet delatum, & officium celebraretur, ſorrexit qui jacebat mortuus, & in loculo reſidens CAP. II.
voce magna audientibus cunctis clamavit. Iuſto Dei judicio accuſatus ſum, quo dicto ut prius jacuit. Ex qua voce omnes territi obſtupuerunt, decreveruntque pro illa die non tradere illud ſepulturæ, ſed die ſequenti. Iterum omnes convenere, cumque iſtud per civitatem divulgatum eſſet, die ſequenti multo plures convenerunt ad ſpectaculum illud. Officium autem peragentibus circa feretrum illius iterum defunctus reſedit in loculo clamans. Iuſto Dei judicio judicatus ſum. Ex qua re conſternati ſunt omnes, qui aderant audientes, & ut exitum hujus noſſent, ordinaverunt, ut ad ſequentem diem differretur ſepultura ejus. Die ergo tertia, tota pene civitas profluit, & in proſecutione officii pro anima illius ſurrexit, & jam tertio doctor ille defunctus clamavit dicens. Iuſto Dei judicio damnatus ſum: quod omnes præ admiratione quaſi exanimes reddidit: ſicque patefacta omnibus ſua damnatione indignus judicatus ſepultura eccleſiaſtica, ſepultura aſini ſepultus eſt. Aderat ad hoc ſpectaculum Bruno, de quo in principio capituli dictum eſt, magiſter ſollemnis ſcholarium, qui his viſis ait ad ſocios & diſcipulos: ecce cariſſimi, tantus doctor, & ſanctus ab omnibus reputatus periit, nunquid & nos perire volumus, & non potius ſalvari? Non eſt nobis locus ſalutis, niſi mundum fugiamus; ſi in viridi ligno factum eſt, in arido quid fiet? Et multa alia ejuſmodi: ſicque compuncti, ut dictum eſt, ſæculum dimiſerunt. Ampliorem texit narrationem Antoninus, quàm Gerſon, eamque variis auctam circumſtantiis, quas apud Gerſonem non legas. Notat Launoius illam Antonini narrationem duabus partibus conſtare, primam partem ait ex notatis ſcriptoribus deſcriptam, alterius vero nullum appellari auctorem: ita ut hanc magis ſcripſerit ex vagis rumoribus, quam ex certis teſtimoniis. Nondum vero illa narratio his ſtetit depicta coloribus. Nam anonymus quidam, qui longo poſt Brunonem temporis intervallo ejus geſta ſcriptis commendavit, auxit narrationem, illamque novis amplificavit additionibus, ex quibus rei futilitatem facile probes; ſed non libet eam ex illo ſcriptore deſcribere, ne illa longa commemoratio tædium pariat, & ſæpius ex variis locis repetita fatiget lectorem; ſufficit, ex his, quæ retulimus, ejus originem, ejuſque ſubinde annotaſſe mutationes & incrementa. Cæſarius monachus Ciſtercienſis ordinis, qui ſub Philippo Auguſto ſcripſit, multas ſimul congeſſit narratiunculas, aut modicæ, aut nullius fidei, ut agnoſcunt omnes, qui ſcriptorem noverunt. Is ſimplicem texit hujus facti narrationem, neque loci meminit, neque ſancti Brunonis, neque trinæ hominis redivivi apparitionis, nec verborum, ad quæ reſpondit vox reſurgentis cadaveris, neque memorat magiſtrorum doctorumque turbam, qui exequiis aderant, neque hunc celebratum exiſtimatione virtutis dicit; ſed clericum ait eſſe, quem ſuæ facultates in tranſverſum egerant; alia haud pauca hujuſcemodi omittit, quæ poſtea adjecta ſunt. Poſt ducentos annos Gerſon eamdem retexit fabulam novis auctam additiunculis, & varietate aliarum rerum diverſam. Magiſter is dicitur magnæ exiſtimationis, cujus in eccleſia parantur exequiæ, cujus vox auditur per tres dies, non in ejus narratione ſermo eſt trinæ illius anaſtaſis, ſed tantummodo vocis tribus vicibus intra trium dierum ſpatium repetitæ.

Paulo-poſt ſanctus Antuninus Florentinus Archiepiſcopus eandem retulit VIII.
longis amplificatam additionibus ſine teſtimonio alicujus auctoris, plures in academia Pariſienſi enumerat doctores & magiſtros Theologiæ eo tempore, quo potius ſcholæ Pariſiis erant, quam academia ex ſuis conſtans facultatibus, uti ſtatim approbabimus. Recepta poſtmodum fabula apud externos auctores, non pauci tamen hanc neglexere, quoniam ſcriptores veteres, qui initia Brunonis deſcripſerunt, nullam hujus mentionem habent, imo illi conceptis verbis eam rejiciunt. Papyrius Maſſonius lib. III. annalium Francorum. *Anno*, inquit, *inſequenti M L X X X V I. Ordo Cartuſianorum in Gallia ortus eſt. Cartuſiæ appellantur à Cartuſio monte juxta Gratianopolim Allobrogum, ubi Bruno tranquillam vitam ſibi delegit: Bruno, inquam, non ignobilis Theologus, ut monimenta oſtendant. Ex chronico Sigiberti, patria Colonienſem illum fuiſſe ſcimus. Ex canonico Remenſi, ac ſcholarum magiſtro princeps monachorum factus eſt, Landuino Italo, & aliquot præ-*

LIB XI CAP. II. *tereaſociis. Petrus Cluniacenſis cognemine Mauriacenus, qui Craſſo & Ludovito vixit, ordinis hujus auctores Brunonem & Landuinum nominat, cumque originem, inſtitutum, ac mores Cartuſianorum accuratiſſime deſcribat, nullam canonici Pariſienſis mentionem facit, qui inter ſollemnes inferias dicitur reſpondiſſe mortuus.* Hanc fabulam penitus omittit Baronius, non tamen omittit diceret de initiis Brunonis ad annum MLXXXVI. *Hoc itidem anno Cartuſiæ ſolitudo habitari ccepta à ſancto Hugone Epiſcopo Gratianopolitano, ſanctoque Brunone auctore ſancti inſtituti, ejuſque ſociis. Ex quo loco nomen accepere, ut Cartuſiani monachi dicerentur. Quod ad tempus ſpectat, cum ſuperius dictum ſit; ex ejuſdem ſancti Hugonis vita actis ipſum anno MLXXX. creatum fuiſſe Epiſcopum Gratianopolitanum, poſt duos vero annos adiiſſe Cluniacenſes, ibique moratum unum annum, inde ad Epiſcopatum reverſum, in eo tranſegiſſe tres annos, plane invenies ſexto anno à ſua ordinatione cum ſociis, hoc nempe anno MLXXXVI. petiiſſe Cartuſiam. Quomodo autem ſexto anno poſt incolatum Cartuſiæ idem Bruno vocatus fuerit ab Vrbano II. ab eoque retentus, ſuo loco dicetur.* Baronius nihil de prodigio Pariſienſi refert, quod tamen multis in locis ſciebat ſcriptum eſſe: ſciens igitur illud omiſit, ne ſuis annalibus futilem fabulam insereret. Sed Dionyſii Petavii haud prætereundum eſt teſtimonium. *Tulit*, inquit, *& doctrinæ pariter ac ſanctitatis laudem, hoc ſæculo ſanctus Bruno Colonienſis & Remenſis Eccleſiæ canonicus, ac ſcholarum magiſter, à quo Cartuſienſium ordo inſtitutus eſt anno MLXXXVI. adjuvante Hugone Gratianopolitano Præſule ſanctiſſimo, quorum exordia deſcribit Petrus Cluniacenſis, necnon Guibertus Abbas Nongentinus, qui ſancti Brunonis æqualis fuit, in tractatu de vita ſua: neque canonici Pariſienſis illius meminerunt ambo, qui poſt obitum redivivus denuntiatione feralis de ſe judicii circumſtantes exterruiſſe fertur, uti nec Sigibertus, qui eadem vixit ætate.* Ex verbis Petavii quodnam ſit ferendum de ferali illa narratione judicium, quiſque colligere poteſt, nihil enim aliud vir ille doctiſſimus agit, dum ait illam eſſe à tribus ſcriptoribus prætermiſſam, quam illam rejicit, quam nullus vel æqualis Brunonis, vel ſuppar ſcriptor commemorat. Ex his omnibus intelligit lector hanc meram eſſe fabulam paulatim confictam, qua nulla macula Pariſienſi Eccleſiæ aſpergitur. Si quis rem fuſius tractatam legere voluerit, adeat Lannoium, qui librum contra hanc narrationem ſcripſit, & multis argumentis & teſtimoniis illam explodit, & hanc configere & confodere ſtylo tanquam inanem fabulam vir doctus non veretur. Sed his expenſis alia Eccleſiæ Pariſienſis decora proſequamur, atque inprimis attendamus ad eum, ſub cujus auſpiciis Eccleſia Pariſienſis militabat.

IX. Gotfrido multa magnifica contigerunt, etenim præter nobilitatem generis, honorem Epiſcopatus, munus etiam ſub Philippo Rege geſſit ſummi Cancellarii, quod in regno longe honorificentiſſimum eſt. Extant in diverſis locis plura hujus muneris teſtimonia. Apud Miræum in codice donationum charta Philippi Regis data ſexto anno illius regni, qui annus eſt MLXVI. cui his verbis ſubſcribit. *Ego Gotfridus gratia Dei Pariſiorum Epiſcopus & eodem tempore Regis Cancellarius relegi & relegendo ſubſcripſi.* Et in charta Philippi Regis pro monaſterio ſancti Petri Vivi Senonenſis anno MLXXIV. ſic ſubſcriptum eſſe reperio. *Gotfridus Cancellarius relegendo ſubſcripſi.* Et eodem anno pro Eccleſia Senonenſi. *Gotfridus Cancellarius relegendo ſubſcripſi.* Pro Pratenſi monaſterio. *Actum Piſſiaco caſtro anno MLXXXI. regni XXIII. Gilbertus clericus nutu Gotfridi Pariſienſis Epiſcopi, necnon etiam Cancellarii ſubſcripſit. Data Ianuarii die ſexto.* Similiter Gotfridus ſubſcripſit ut Cancellarius chartæ Philippi Regis pro canonicis Compendienſibus his verbis. *Actum Compendii Palatio anno incarnati verbi milleſimo octuageſimo-quinto indictione VIII. regni noſtri XXIIII. Gotfrido Pariſiorum Epiſcopo Archicancellario noſtro.* Legitur & charta in monaſterio Pratenſi anno MLXXXXII. cui ſic ſubſcripſit *Gotfridus Archicancellarius.* Sic alia plura occurrent legenti acta vetera illorum temporum, quæ ſingula proſequi multi quidem, ſed vani laboris eſt. Gotfrido Pariſienſi Epiſcopo hoc præclarum contigit, quod Richerius ſuffragiis cleri Senonenſis electus Archiepiſcopus Senonenſis ab eo Pariſiis ordinatus ſit. Annotat chronicon ſancti Petri

Vivi Mainardum Archiepiſcopum Senonenſem obiiſſe anno MLXII. & Richerium Archidiaconum ejuſdem Eccleſiæ votis & ſuffragiis cleri populique in ejus locum fuiſſe ſubrogatum. Verùm ille, ut ait idem auctor, Pariſiis à Gotfrido Pariſienſi Epiſcopo & aliis illius provinciæ Epiſcopis, ipſo die Paſchatis ſollemniter & rite ordinatus eſt. Rex ordinationi aderat, magnuſque procerum numerus. Hugo Dienſis legatus ſummi Pontificis plura id temporis in Galliæ provinciis celebravit Concilia, tum maxime Exoldunenſe habuit in agro Bituricenſi, ubi eſt Exoldunum opidum, anno MLXXX. ut habet chonologia Autiſſiodorenſis monachi, huic Concilio, cujus acta perierunt, interfuit Gotfridus Epiſcopus Pariſienſis, ut manifeſtum eſt ex litteris Richerii Archiepiſcopi Bituricenſis, quibus concedit fratribus majoris monaſterii, ſeu ſancti Martini *Eccleſiam ſancti Martini de Campis olim de Brua appellatam juxta muros urbis Bituricæ conſtitutam*, cui donationi Epiſcopus Pariſienſis cum pluribus aliis Epiſcopis ſubſcripſit. Idem Hugo Dienſis Epiſcopus ſummi Pontificis legatus anno MLXXXII. Meldis Synodum habuit; id temporis cathedram Meldenſem habebat Vualterius, qui eo tempore XIV. Calend. Novembris deceſſit. Hugo Dienſis continuo Reſbaſcenſem Abbatem Epiſcopum Meldenſem ordinavit. Richerius Archiepiſcopus Senonenſis indigne tulit ordinatum in provincia Epiſcopum ſuæ provinciæ ſine ſua provincialiumque Epiſcoporum & conſcientia & conſenſu, qua propter non modo non ratam habuit hanc ordinationem, ſed Robertum eſſe alienum à communione pronunciavit, ultraque progreſſus anno MLXXXV. IV. nonas Novembris Vualterium Meldenſem Epiſcopum ordinavit. Ea omnia commemorat Clarius in chronico ſancti Petri Vivi. Anno MLXXXII. Calend. Novembris. *Obiit Vualterius Meldenſis Epiſcopus, & in ſequenti ſeptimana Hugo Dienſis Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ legatus congregavit Concilium in eadem urbe, & ordinavit Epiſcopum in eadem urbe Robertum Abbatem eccleſiæ Resbaſcenſis. Quod quia ſine præſentia & aſſenſu Richerii Archiepiſcopi & Coepiſcoporum ejus factum eſt, excommunicaverunt eum.* Ad annum vero MLXXXV. hoc idem ſcriptor ſubiicit. *Richerius Archiepiſcopus ordinavit Vualterium Meldenſem Epiſcopum IV. Nonas Novembris excommunicato ſupradicto Roberto.* Eadem ferme refert chronologia Autiſſiodorenſis.

His temporibus quidam Petrus, ferme Pariſiis agebat, quem Abaelardum vocant, qui magna æſtimatione litteras publice docebat. Is epiſtolam ſcripſit ad Gotfridum, ſeu potius ad Gulielmum Pariſienſem Epiſcopum, eaque epiſtola vulgo tribuitur Abaelardo, ſcripta eſt adverſus quemdam dialecticum, qui perverſam de ſancta Trinitate doctrinam tradebat. Haud dubie ille Roſcelinum dialecticum Compendienſem ſubnotat, de quo ſanctus Anſelmus loquitur in epiſtola ad Fulconem Bellovacenſem Epiſcopum. Anſelmus eum redarguit, quod aſſereret tres in Deo perſonas eſſe tres res ab invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli; ita tamen, ut una eſſet voluntas & poteſtas, dicebatque aut Patrem, aut Spiritum ſanctum eſſe cum filio incarnatum, & tres Deos vere poſſe dici, ſi uſus admitteret. Roſcelinus hanc inſaniam profitebatur, utque impietati auctoritatem adderet Lanfrancum Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Anſelmum ejus ſucceſſorem ſuæ pravitatis eſſe aſſertores calumniabatur. Anſelmus itaque moleſte ferens Lanfranco, ſibique hanc perverſitatem affingi, litteras de eo argumento ad Bellovacenſem Epiſcopum mittit, quibus & à Lanfranco & à ſe calumniam depellit, redditaque ſuæ fidei ratione anathema contra impietatem hanc dicit, precaturque eundem Epiſcopum, ut ſi res in Concilio pertractetur, quod audivit brevi futurum eſſe Rainaldi Remenſis Archiepiſcopi auctoritate, cui ſtatutum fuerat Epiſcopos cogere, ut impietatem proſcriberet, de ſua fide & doctrina certum teſtimonium ferat. Sane Rainaldus Sueſſionis celebravit Synodum, in qua Roſcelinus ſuam perfidiam abjuravit. Acta hujus Concilii non habemus, habitum eſſe accepimus ab Anſelmo & Ivone præſertim, qui in epiſtolis hujuſce Concilii meminerunt, quo præciſe anno habita Synodus ſit, vix quiſquam aſſerat; certum eſt habitam eſſe antequam Anſelmus ad cathedram Cantuarienſem vocatus eſt, id eſt ante annum MXCIII. erat X.

Vuuu iij

LIB XI. CAP. II.

LIB. XI. Cap. II. enim adhuc Abbas Beccenſis, quando adverſus Roſcelinum epiſtolam ſcripſit, & celebrata adverſus Roſcelinum Synodus eſt, quod ipſe Anſelmus ſcribit in libro de Incarnatione cap. 1. Aſcelinus non ob eam cauſam ad ſanitatem rediit; metu quidem & mortis formidine aiebat ſe peſſimæ ſuæ doctrinæ nuncium remiſiſſe: ſæpius tamen in colloquiis privatiſque diſputationibus ſerere pravitatem non deſinebat. Ea res perculit Ivonem Carnotenſem Epiſcopum, cui notus erat, ille igitur ad Roſcelinum graviſſimas litteras miſit, conſulitque illi, ut meliora conſilia capiat, & ex animi & cordis ſinceritate ſententiam mutet, pollicetur que haud illi defuturam Eccleſiam matrem, obteſtaturque ne deneget manum & operam protinus adhibere, ut Chriſti tunicam, quam ſciderat, reſarciat, eoſque ad emendationem revocet, quos in erroris ſocietatem ſibi pravo exemplo adjunxerat. An ille Roſcelinus ſanior his ſapientiſſimis monitis factus ſit, haud mihi compertum eſt: ſed hoc certum eſt, quod quemdam Petrum laceſſere conviciis cœperit, ex quo ejus opuſculum legit de ſancta Trinitate, quo ſuam perverſam doctrinam exploſam profligatamque cernebat, dicebatque Roſcelinus à ſe expectari adventum Epiſcopi Pariſienſis, ut illi retegeret errores, quos Petrus in libro ſparſerat, atque illius Pontificis animum adverſus Petrum commoveret. Talia à Roſcelino jactari Petrus didicit à quodam è ſuis diſcipulis; quapropter ille ad Gotfridum, ſeu potius ad Guilelmum Pariſienſem Epiſcopum ſcripſit, tanquam ad athletam Domini, & ſanæ fidei defenſorem, rogatque, ut utrumque ad ſe advocet, ut coram eo viriſque fide & doctrina claris videat, quid ille adverſus ſe muſſitet, & ferat ille judicium, vel contra calumniam, quam Roſcelinus intulerit, vel contra ſeipſum propter defenſam in ſcriptis impietatem. Additque id ſibi haud ingratum eſſe, quod à viro ejuſmodi reprehendatur, cui inſtitutum eſt bonos omnes calumniari. Sic in Robertum de Arbriſello egregium Chriſti præconem auſum eſſe contumacem epiſtolam confingere, eumque in Anglia adeo adverſus Cantuarienſem Archiepiſcopum Anſelmum exarſiſſe, ut propterea juſſu Regis Anglorum ex inſula illa pulſus ſit, & in vitæ periculum eo in loco venerit. Hæc aliaque Epiſcopo Pariſienſi ſcribit contra Roſcelinum. Sed ecce epiſtolam ejus tibi ſubjicio.

G. Dei gratia Pariſiacæ ſedis Epiſcopo, unaque venerabili ejuſdem Eccleſiæ clero P. debitæ reverentiæ ſubjectionem ſempiternam.

XI. *RElatum eſt nobis à quibuſdam diſcipulorum noſtrorum ſupervenientibus, quod erectus ille, & ſemper inflatus Catholicæ fidei hoſtis antiquus, cujus hæreſis deteſtabilis tres Deo confiteri, immo & prædicare Sueſſionenſi Concilio à Patribus convicta eſt, atque inſuper exilio punita, multas in me contumelias & minas evomuerit, viſo opuſculo quodam noſtro de fide ſanctæ Trinitatis maxime adverſus hæreſim præfatam, qua ipſe infamis eſt, conſcripto. Nunciatum inſuper nobis eſt à quodam diſcipulo noſtro, cui inde locutus eſt, quod vos tunc abſentem expectaret, ut vobis in illo opuſculo quaſdam hæreſes me inſeruiſſe monſtraret: & vos quoque contra me, ſicut & omnes quos nititur commoveret. Quod ſi ita eſt, ut in hoc quoque nunc perſiſtat, precamur vos athletas Domini, & fidei ſacræ defenſores, ut ſtatuto loco, & tempore convenienti me & illum convocetis, & coram catholicis, & diſcretis viris, quos vobiſcum provideatis, quid ille adverſum me abſentem muſſitet audiantur, & debitæ correctioni ſubjaceant, vel ille de tanti criminis impoſitione, vel ego de tanta ſcribendi præſumptione. Interea autem Deo gratias refero, quod ſummum Dei inimicum, & fidei labefactorem in fide contrarium ſi perfero, & pro fide, qua ſtamus dimicare compellor; & quod numero bonorum hominum jam eſſe videor ex ejus infeſtatione, quem ſolis bonis ſemper conſtat eſſe infeſtum, cujus tam vita, quam diſciplina omnibus eſt manifeſta. Hic contra egregium illum præconem Chriſti Robertum de Arbroſello contumacem auſus eſt epiſtolam confingere, & contra illum magnificum Eccleſiæ doctorem Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum adeo per contumelias exarſit, ut ad Regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia ſit ejecta, & vix cum vita evaſerit. Vult eum infamiæ habere participem, ut per infamiam bonorum ſuam conſoletur infamiam: nec*

niſi bonum odit, qui bonus eſſe non ſuſtinet, qui ob intemperantiam arrogantiæ ſuæ, LIB XI.
ab utroque regno in quo converſatus eſt, tam Anglorum ſcilicet, quam Francorum CAP. II.
cum ſummo dedecore expulſus eſt, & in ipſa cujus pudore canonicus dicitur, beati Mar-
tini eccleſia nunquam, ut aiunt, à canonicis verberatus morem ſolitum ſervaverit.
Nomine deſignare quis iſte ſit ſupervacaneum duxi, quem ſingularis infamia infideli-
tatis & vitæ ejus ſingulariter notabilem facit. Hic ſicut pſeudodialecticus ita pſeudo-
chriſtianus, cum in dialectica ſua nullam rem partem habere æſtimat, ita divinam
paginam impudenter pervertit, ut eo loco, quo dicitur Dominus partem piſcis aſſi co-
mediſſe, partem hujus vocis, quæ eſt piſcis aſſi, non partem rei intelligere cogatur.
Ne quid igitur mireris, ſi is qui in cœlum opponere conſuevit, in terris inſaniat, &
qui Dominum perſequitur, membris ejus deroget, & nemini parcat, qui nec ſibi par-
cere poteſt. Valete.

Andreas Duchenius vir rerum noſtrarum ſcientiſſimus in notis ad hiſtoriam XII.
calamitatum Petri Abaelardi hanc epiſtolam Abaelardo nihil hæſitans tribuit,
eaque ipſa ſub ejus nomine inter Abaelardi epiſtolas legitur, præterea eam
ſcriptam ait Gotfrido Pariſienſi Epiſcopo, quam tamen falsò illi tribui certiſſi-
mum eſt, ut conſtabit ex his, quæ modo dicemus. Hæc epiſtola ſi Abaelardi
eſt, non ſcripta eſt, antequam librum de Trinitate ſcriberet, quod opuſculum
non ſcripſit, niſi poſtquam exciſus ſeceſſit in monaſterium Dionyſianum, quo
tempore Adam Abbas huicce monaſterio præſidebat, ut ipſe teſtatur in hiſto-
ria ſuarum calamitatum; hic Abbas ſupremum diem obiit anno MCXXIII.
Abaelardus autem ad monaſterium Dionyſianum confugit circa annum MCXVI.
aut XVII. Ex his conſtat hanc epiſtolam, ubi mentio eſt libelli de ſancta Trinitate,
qui ante hunc annum ſcriptus non eſt, non miſſam fuiſſe ab Abaelardo ad
Gotfridum Pariſienſem Epiſcopum, qui deceſſit anno MLXXXXV. ut ma-
nifeſtum erit ex his, quæ modo memorabimus. Neque hæc epiſtola ad Guilel-
mum Pariſienſem Epiſcopum ejus ſucceſſorem ab Abaelardo ſcripta eſt; Guilel-
mus enim deceſſit anno MCI. non his igitur utriuſque Epiſcopi temporibus Abae-
lardus, qui vix dum venerat Pariſios, neque habebat diſcipulos, ſuum librum
de Trinitate ſcripſerat, immo, quo tempore Abaelardus opuſculum de Trini-
tate ſcripſit, Roſcelinus & Robertus de Arbriſello jam deceſſerant: apparet
autem hanc epiſtolam iis adhuc florentibus & viventibus ſcriptam eſſe, neque
multo poſt Synodum Sueſſionenſem, in qua Roſcelinus condemnatus eſt, &
certe mors Roberti de Arbriſello contigit anno MCXVI. ut habetur in veteri-
bus chronicis Malleacenſi, ſancti Albini, ſancti Sergii & in aliis locis. Neque
opuſculum, quod Abaelardus ſcripſit hunc titulum præ ſe fert de fide ſanctæ
Trinitatis, ſed ut in opere Abaelardi habetur *introductio ad Theologiam.* Ex his
luce ipſa clarius eſt hanc epiſtolam falsò tributam eſſe Abaelardo, ſed eam eſſe
magiſtri cujuſdam Theologiæ, qui Petrus dicebatur, unde cauſa erroris fuit.
Hæc vero non Gotfrido Pariſienſi Epiſcopo, ſed potius Guilelmo ejus ſucceſſori
ſcripta eſt, certum eſt enim à Roſcelino non confictam epiſtolam eſſe adverſus Ro-
bertum de Arbriſello, niſi poſt Concilium Arvernenſe, quo tempore Robertus
juſſu Urbani II. PP. annunciare verbum Dei per provincias cœpit, & quo tem-
pore Gotfridus Epiſcopus Pariſienſis, ut mox dicemus, mortem obierat, uterque
enim deſignari potuit priori littera G. quæ in MS. habebatur. Hic quædam
de Roberto de Arbriſello dicenda ſunt, quæ quoniam fuſiora ſunt, in caput al-
terum rejicio.

Anno MXCII. celebrata eſt Synodus Pariſiis, cur celebrata ſit, dici non XIII.
poteſt; ex ea enim nihil aliud nobis ſupereſt præter privilegium, quod datum
eſt Compendienſi eccleſiæ ſancti Cornelii à Philippo Rege: huic ſubſcripſe-
runt duo Archiepiſcopi & novem Epiſcopi, inter quos numeratur Gotfridus
Epiſcopus Pariſienſis: ſed & ille privilegio ſubſcripſit, ut Cancellarius his ver-
bis. *Ego Gotfridus Archicancellarius relegi atque ſubſcripſi. Actum Pariſius anno Do-*
minicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo-ſecundo.

Anno MXCV. Gotfridus Pariſienſis Epiſcopus moritur Calendis Maii, ut XIV.
habent necrologium & martyrologium Eccleſiæ Pariſienſis. Necrologium qui-

LIB. XI. CAP. III. dem his verbis. *Calendis Maii de domo ſanctæ Mariæ obiit Gotfridus Epiſcopus, qui perdonavit nobis quaſdam conſuetudines de emptione & venditione vini.* Et martyrologium his verbis. *Calendis Maii obiit Gotfridus Epiſcopus, qui perdonavit nobis quaſdam conſuetudines de emptione & venditione vini, & noiſſinis, quas habebant Epiſcopi in Orlivilla, dedit etiam nobis cappam auream de octoginta unciis.* Gotfridus igitur mortuus eſt Calendis Maii anno M X C V. & ut ejus mortem hoc anno conſignem faciunt chartæ antiquæ. Supra retulimus chartam, ex qua apparet, eum anno M X C I V. ſuperſtitem fuiſſe. Præterea extat in hiſtoria ſancti Martini de Campis charta, qua Guilelmus concedit monaſterio ſancti Martini altare Montis-martyrum & altare villæ, quæ dicitur Pentinum, & alia altaria, quæ in ea charta continentur. Data autem legitur in capitulo ſanctæ Mariæ anno ab incarnatione Domini M X C V I I I. regnante Philippo Rege anno X X X V I I I. Vvilelmo Epiſcopo anno I I I. Indictione VI. dicemus infra annos Guilelmi ab ejus electione in ea charta numerandos eſſe. Sed & annum mortis Gotfridi facile deprehendes ex ſerie rerum, quas modo deducemus de electione Guilelmi ejus ſucceſſoris.

CAPUT III.

De Roberto de Arbriſello, qui vindicatur à calumnia. De Abbatibus Pratenſis monaſterii. De Abbatibus Dionyſianis, & Foſſatenſibus. De Glannafolienſi monaſterio, quod Vrbanus II. PP. in Synodo Turonenſi eximit à poteſtate Foſſatenſis monaſterii.

I. Hic fidem liberabo & quædam, ut pollicitus ſum, adjiciam in locum epiſtolæ, quam ſupra deſcripſi, ubi habentur hæc verba. *Hic contra egregium illum præconem Chriſti Robertum Arbroſelli contumacem auſus eſt epiſtolam confingere, & contra illum magnificum Eccleſiæ doctorem Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, adeo per contumelias exarſit, ut ad regni Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia ſit ejecta, & vix cum vita evaſerit.* Non dubito quin Petrus auctor hujuſce epiſtolæ alludat ad quamdam epiſtolam, quæ inter epiſtolas Goffridi Abbatis Vindocinenſis & Cardinalis libro quarto legitur, eſtque quadrageſima ſeptima; in ea enim quædam leguntur adverſa famæ & bonæ exiſtimationi Roberti de Arbriſello, cui obtrectare vir pravæ doctrinæ non dubitavit. In ea epiſtola, quæ ſub nomine Goffridi edita eſt hæc habentur. *Novit cariſſime & bene novit tua dilectio aliquid aliter agere eſſe humanæ imperfectionis, & quod aliter actum eſt nolle corrigere diab licæ præſumptionis. In nullo agere, præter id quod eſt agendum, eſt angelica perfectio, quam habere minime poteſt, quandiu hic ſumus, noſtra conditio. Dum igitur non habemus perfectionem angeli; nullatenus habemus præſumptionem diaboli. Hæc idcirco, venerabilis frater, propoſuimus, quia te alia egiſſe, & adhuc agere fama diſcurrente ſiniſtra audivimus; quæ ſi vera ſunt, ut nulla excuſatione defendas, ſed cum omni feſtinatione corrigas tuam ſimplicitatem germanæ caritatis viſceribus commonemus. Audivimus enim, quoniam circa ſexum femineum, quem regendum cœpiſti duobus modis altero alteri prorſus contrario te ita ſollicitum reddis, quod modo in utroque modum diſcretionis penitus excedis.*

Feminarum

Feminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis, quibus privata verba ſæpius loqueris: & cum ipſis etiam, & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis. Hinc tibi videris, ut aſſeris, Domini Salvatoris digne bajulare crucem, cum extinguere conaris male accenſum carnis ardorem. Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum, inauditum, ſed infructuoſum genus martyrii inveniſti. Certe nec utile fieri poteſt, nec aliquando fructuoſum, quod contra rationem noſcitur eſſe præſumptum. Tu autem contra rationem non mediocriter præſumpſiſti; ſi qualibet occaſione cubaſti cum mulieribus, quas mundo furatus, lucrari Domino debueras: præſertim cum prohibitum ſit à Salomone in ipſo, & per ipſum Spiritu ſancto intonante. Cum muliere, inquit, non accumbas, nec ſis aſſiduus cum ea, nec illam conſpicias, ne forte ſcandalizeris in pulchritudine illius, & pereas. Et item. Mulier pretioſas animas capit, cujus colloquium velut ignis cor hominis accendit. Nunquam, frater, de tua religione tantum confidas, ut credas te non poſſe labi, ſi caute non ambulas. Labilis eſt mundus plenus limo, diu in eo ſtare firmus homo non potuit: ſubito lapſus eſt, vix aut nunquam ſurrexit. Tu quidem in mundo quaſi montem excelſum aſcendiſti, ac per hoc inter linguas & oculos hominum convertiſti. Ergo ſtans in monte vide, ne corruas: nec per martyrium martyribus ſanctis penitus ignotum, religioſæ vitæ principio notam infamiæ derelinquas. Nulla etiam tua actione mundo, qui pene totus te ſequitur, ſuſcites ſcandalum. Nam fieret tibi damnatio gravior ruina plurimorum. Mulierum quibuſdam, ſicut fama ſparſit, & nos diximus, ſæpe privatim loqueris, & earum accubitu novo quodam martyrii genere cruciaris. Illis ſi quidem te ſemper ſermone jocundum oſtendis, & alacrem actione: omneque genus actionis exhibes, nulla ſervata parcitate: aliis vero, ſi quando cum ipſis loqueris, ſemper locutione nimis durus appares, nimis diſtrictus correctione: illas etiam fame & ſiti & nuditate crucias, omni relicta pietate. Quod ſi ita eſt in utroque vehementer offendis, & modum totius transgreſſionis, tranſgrederis &c. Vir, inquam, hujus æſtimationis qualis erat Goffridus Abbas Vindocinenſis pravis vagiſque rumoribus, ſi quos tamen maledicentia excitaſſet, commotus hanc temere ſcriptitare epiſtolam nuſquam inſtituiſſet adverſus Robertum virum gravitate morum & vitæ ſanctimonia celebrem, qui bono virtutum odore hac improba ætate omnium animos in ſe concitabat. Ut vero id dilucide cognoſcas utriuſque Roberti ſcilicet & Gotfridi egregia animi ornamenta, tibi tanquam in tabella graphice delineata breviter ob oculos propono, ut intelligas, neque ab homine cordato hæc convitia profecta eſſe, neque alterum teterrimæ calumniæ uſquam dediſſe locum. Quæcumque vero dixero, id ex publicis probatiſque actis collegi, quibus tanto plus auctoritatis eſt, quanto huic profligatæ epiſtolæ minus fidei eſt. Robertus de Arbriſello obſcuro quidem loco natus, ſed longe ſupra ſortem ingenio præditus fuit, quod arte & diſciplinis expolire maxime ſtuduit. Adoleſcens venit Pariſios, ubi tunc præſtantiſſimi magiſtri litteris tum humanis, tum divinis excellebant. Quantum Robertus in ea urbe & ſcientia & virtute profecerit, ex hoc collige, quod Silveſter Redonenſis Pontifex ejus Epiſcopus hunc, quem ex fama ſolummodo noverat, Pariſiis acciverit, ut ad Eccleſiam ordinandam ejus opera & miniſterio uteretur. Quadriennio huic Eccleſiæ ſedulam operam præſtitit, quo tempore pravis clericorum moribus corruerat vis eccleſiaſticæ diſciplinæ. Altaria & eccleſiæ tanquam profanæ merces cuilibet ſine diſcrimine, vel laico emptori vendebantur. Simoniæ crimen eccleſias & clericos corruperat. Nullus in conjugiis habebatur modus, inceſtæ paſſim & ſacrilegæ nuptiæ agebantur. Ille his malis occurrebat, vetabat fieri rerum ſacrarum nundinationes, nefarias copulationes dirimebat, arcebat à miniſterio clericos ſimoniæ reos, his aliiſque præclaris operibus labentem diſciplinam reſtituebat. Verum mortuo Silveſtro Epiſcopo, cum cerneret ſe malevolorum hominum invidia premi, Andecavos ſe recepit, & in ea civitate philoſophiæ diſciplinis poſuit operam, hæc quidem publice, ſed clanculum exercitationibus ſeverioris diſciplinæ corpus macerabat, & honeſto habitu interioris tunicæ occultabat aſperitatem. Tum vero recogitans, quàm lubrica ætas hominis eſſet, & quàm fluxæ eſſent res hujus ſæculi, Deo penitus ſeſe devovere inſtituit. Aſcito igitur ſibi quodam ſocio presbytero in Credonienſem

LIB. XI. CAP III.

 ſilvam, tanquam in eremum ſeceſſit, ut vitam aſceticam ageret. Ibi ſolebat carnem excruciare jejuniis & pervigiliis, orationi aſſiduè vacans, & antiquos Thebaïdis & Paleſtinæ aſcetas afflictione corporis æmulatus. Illic haud diu delituit, ſtatim enim fama ejus ſanctitatis vel extra arborum denſitatem evaſit: multitudo hominum illum confeſtim adire cœpit, ut verba ſalutis ab eo addiſceret. Robertus eos ad vitæ morumque emendationem graviſſimis ſermonibus excitabat, eaque ejus verborum poteſtas erat, ut nemo niſi intimo percuſſus dolore ab eo recederet, nemo non ex animo anreactam vitam deteſtaretur, pluresque rerum humanarum pertæſi ſub ejus auſpiciis vitam agere deinceps cuperent. Cumque ſociorum numerus creſceret, ex his collegium canonicorum regularium conflavit, quos & dictis & factis docere haud deſinebat.

II. Ea ferme tempeſtate Urbanus PP. II. in Galliam venit, habuit celebre illud Claromontanum Concilium, & inde Andecavos uſque perrexit ad dedicationem eccleſiæ. Audivit ſummus Pontifex Roberti nomen, & didicit, quæ morum ejus eſſet ſeveritas, quam potens ejus in loquendo gratia; & ut ipſe probaret, quæ ex fama acceperat, voluit, ut ſollemni dedicationis die Robertus umbonem eccleſiæ conſcenderet, & ad populum ſacram ageret concionem. Intellexit ſummus Pontifex ineſſe ejus ſermonibus vim quandam à Spiritu ſancto profectam, qua mentes hominum percelleret; imperavitque, ut relicta eremo continuò ſacri verbi miniſterium impleret, & revocandis ad vitæ honeſtatem hominibus ſtudium & operam collocaret, & vitæ æternæ ſemina latè per provincias ſpargeret. Robertus igitur, ut mandatis ſummi Pontificis obtemperaret, adjunctis ſibi quibuſdam ſociis, diſcedens è monaſterio, quod in ſilva extruxerat, aliud vitæ genus inſtituit, provincias perluſtrans, in plateis & locis publicis ſermonem habebat, ſtolidaſque hominum mentes ab erroribus ad rectam vitæ ſemitam reducebat; ſequebatur hunc conferta hominum utriuſque ſexus multitudo: & quiſque reputans æterna vitæ immortalis præmia, facile domos propinquoſque relinquebat. Neque ille modo dictis, ſed etiam factis alios ad meliorem frugem, & vitæ emendationem hortabatur. Nudis ſolebat pedibus incedere, aſperiorem induere tunicam, quæ carnem cruciaret, inedia, jejuniis & pervigiliis corpus atterebat. Poſtquam aliquandiu hoc inſolitum vitæ inſtitutum ſecutus eſt, cæleſti afflatus ſpiritu ſelegit quemdam locum, quem vulgo Fontem Ebraldi vocitabant, locus erat incultus vepretis dumetiſque horridus, hic beatus præco ſedem poſuit, ibique Fontebraldenſis ordinis jecit fundamenta. Primùm tuguriola quædam extruxit, turbamque, quæ eum ſequebatur, pro ſexus & hominum conditione in quaſdam claſſes diſtinxit, & ſingulis ſua præſcripſit vitæ inſtitura, mulieres ſeorſum in clauſtra conjecit, clericos ſacris operam dare voluit, laicos operibus corporis addixit. Sed cunctis Chriſtianæ pietatis documenta tradebat, omnibus inerat cor unum unuſque animus, nullaque alia inter eos, niſi de virtute adipiſcenda oriebatur concertatio. Ubi de nova vitæ inſtitutione rumor divulgatus eſt, huc confeſtim confluxit ingens virginum, imprimis mulierumque tam pauperum, quam nobilium multitudo, plures quidem nova vitæ inſtitutione incitatæ, ut teſtes fierent rerum incredibilium, quas fama renunciaverat, aliæ faſtidio honorum, ut Chriſtum ſequerentur. Multique quoque ex proceribus huc adventare ſolebant, quibus promptum erat omnia ſubminiſtrare, quæ ad vitam tolerandam neceſſaria erant. Neque mihi ſumma rerum capita delibanti inſtitutum eſt ſingula proſequi ſermone, & quæ quiſque intulerit, commemorare. Robertus ex oblationibus extruxit virorum virginumque monaſteria. Tumque brevi inſtar urbis populoſæ fuit terra, quæ nuper erat inhoſpita inacceſſaque. Inter eos, qui ad Fontem Ebraldi acceſſerunt, inſignis utique fuit Fulco Andegavenſis Comes, qui nova loci religione illectus, hunc locum præſentia honeſtare, & donationibus amplificare ſtuduit. Alii quoque magno numero proceres, huc cum turba hominum veniebant. *Adventabant Principes & populi, novam Dei familiam pro parcimonia regulari marcidam & pallidam viſitaturi. Nec recedebant jejuni. Cum ibi verbum ædificationis prius audirent, panemque caritativum pro communione guſtarent. Reges, Comites, & Conſules donariis monaſterium locupletabant.*

Digitized by Google

III. Incredibile dictu eſt! Robertus rerum omnium egenus, procul à patria, & à cognatione longè remotus, copioſa hominum multitudine ſtipatus, quam ſacris publiciſque concionibus collegerat, in locis deſertis ad Fontem Ebraldi conſtitit, ubi domos & monaſteria ædificat, ſine reditibus & latifundiis duo triaque tam virorum, quam mulierum virginumque millia congregat, iiſque tecta, veſtes & alimenta ſuppeditat, ſufficitque abunde omnia, quæ ad uſus vitæ neceſſarios expetuntur. Neque omnia commemorare inſtitui, quæ Robertus geſſit, ordinatis enim ad Fontem Ebraldi collegiis, ipſe ut antea circumibat provincias divini verbi ſpargens ſemina, homines ad pœnitentiam, & emendationem vitæ revocans, iis promptus accurrere, quos corruptela pravique mores in præceps egerant, & mederi vulneribus, quæ flagitia mortalium mentibus inflixerant, litibus, jurgiis, diſſentionibuſque inter optimates componendis animum adjungebat; quinetiam Synodo Pictavenſi adfuit, ubi cum Bernardo Tyronienſi Abbate egregiam operam præſtitit. Inter hæc haud pauca in provinciis condidit monaſteria, qualia ad Fontem Ebraldi extruxerat. Neque vir religioſus iis operibus intentus quidquam de jejuniis, quidquam de oratione remittebat, ut aliis facem dictis non modo, ſed factis etiam præferret. Quibus demum fractus laboribus animam exhalavit anno MCXVI. Hæc de beato Roberto ſummatim relata ſunt, quæ inprimis excerpta ſunt ex Baldrico Burgulienſi Abbate & poſtea Dolenſi Archiepiſcopo, viro ea ætate graviſſimo, qui pro vicinitate loci, Burgulium enim haud procul eſt à Fonte Ebraldi, ejus conſuetudine uti familiariter ſolebat, adeo ut ipſe ſcriptitarit, quæ oculis viderat, aut quæ didicerat ab iis, qui teſtes ſpectatoreſque horum fuerant. Jam vero paucis & quaſi uno intuitu inſpiciamus, quis Goffridus Vindocinenſis fuerit.

IV. Goffridus Abbas Vindocinenſis Andecavis ex claris parentibus ortus, juvenis Vindocinenſi monaſterio nomen dedit, cujus loci poſt mortem Bernonis ipſe Abbas renunciatus eſt. Is paulo poſt Romam profectus eſt, Urbanumque II. Guibertinæ factionis metu latitantem re & opera multum juvit; reverſus in Galliam, Claromontano Concilio adfuit, ſummos Pontifices Paſchalem & Caliſtum magno proſecutus eſt honore, & cum iis neceſſitudinis vinculo conjunctus fuit. Quin etiam à Ludovico ſexto magno in loco habitus eſt. Ejus epiſtolæ, quas in quinque libros diſtributas Sirmondus edidit, oſtendunt eum cum viris, qui ſua ætate pietate, doctrina & dignitate florebant, magnam habuiſſe conſuetudinem. Suum monaſterium magna cura & ſumma vigilantia rexit. Sed inprimis ille cum Fontebraldenſi monaſterio arcta conſuetudine conjunctus eſt, ſolebat huc ſæpius ventitare, ut ex ipſius litteris notum eſt, & anno MCXIIII. cum Roberto & hujus loci monachis ſocietatem iniit, conventumque, ut ſingulis annis poſt obitum anniverſariæ precationes pro eo celebrarentur.

V. His ita expoſitis jam inquiramus diligenter in ea, quæ in epiſtola ſuperiùs relata ſunt, & quæ contra famam exiſtimationemque Roberti falsò conficta eſſe reperiuntur. Quicumque ſeriò res eas expenderit, quæ ſuperius relatæ ſunt, quæque actorum veterumque monimentorum fide comprobatæ, omnem illico expurgabit ſuſpicionem, quam epiſtolæ improbitas in vitam geſtaque hominis religioſi injecerit. Expende amabo, quæ fuerint geſta Roberti, qui mores, quæ inſtituta, quiqne per totum vitæ curſum haud interruptus bene ordinateque agendi tenor. Nonne ex ejus factis, quæ modo memorata ſunt, intelligimus, eum non modo cogitaſſe, ſed opere & facto præſtitiſſe *quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ.* Redonas vocatus ab Epiſcopo hujus loci, ſimoniæ peſtem late omnia vaſtantem coercet, & inordinatos clericorum mores comprimit. Andecavis dum publice philoſophiam docet, ſecretò & clanculùm in ſe ſeveras Chriſtianæ philoſophiæ leges exercet. Deinde à conſortio hominum ſe penitus ſummovet; ex eremo abductus ſummi Pontificis juſſu latè per provincias verbum Dei diſſeminat, & fœcundam ſermonum laborumque metit ſegetem, demum ad Fontem Ebraldi duo triaque millia virginum inprimis devotarumque mulierum congregat, quas monaſteriis clauſtriſque continet. Ubinam vero illud, quod illi

LIB XI CAP. III. improbâ exprobratum eſt epiſtolâ flagitioſum peregit ſui experimentum? an Redonis? ubi clericorum libidinem inſectatus eſt. An Andecavis? ubi ne notus quidem mulierculis erat. An in eremo? ubi vix viris ſe manifeſtum præbuit. Sed fortaſſe dum circumerrat per provincias, & homines libidine luxuque diffluentes ad meliorem vitæ frugem revocat. An ille dum hæc agit impios flagitioſoſque conatus tentare aggreſſus eſt, dum nudis pedibus peragrat regiones, dum jejuniis, pervigiliis & aſſiduis laboribus affligit corpus, dum in propatulo noctes dieſque tranſigit, & ante oculos & conſpectum turbarum circumſtantium omnia facta dictaque inſtituit. An vero id contigit? dum ad Fontem Ebraldi religioſæ ſanctæque familiæ ponit fundamenta, & adeo conſulit virginum mulierumque caſtitati, & has in monaſteriis incluſas à viris ſegregat, & longe lateque bonæ famæ odorem ſpargit. An id temporis flagitiorum adumbrare imaginem cœpit? Cum proceres provinciarumque principes eum adirent, ejus familiam ſe colere collatis donationibus teſtarentur; cum matronæ nobilitate & religione inſignes abdicatis ſæculi honoribus ſe ejus traderent diſciplinæ. Hæccine flagitioſæ projectæque famæ indicia ſunt? Imo potius ſanctæ illibatæque conſuetudinis argumenta, Pontificum, Epiſcoporum, optimatumque aut factis teſtata, aut approbata largitionibus, aut celebrata monimentis & frequenti hominum concurſu confirmata. Ea certe plus momenti, pluſque ponderis habent, quam epiſtola temere admixta litteris Goffridi Vindocinenſis Abbatis. Non enim Abbas ille ſapientiſſimus vagis incertiſque rumoribus provocatus Robertum pietate, religione & præclaris operibus commendatum & ſibi amiciſſimum reprehendiſſet, neque adverſus illum ſcripto inſtruxiſſet calumniam; imo potius, ſi quid ſimile confictum deprehendiſſet, ſtatim injuriam quacumque ratione depuliſſet. Quanti & Robertum & monaſterium Fontebraldenſe faceret, ex hoc accipe, quod eo loco maxime delectaretur & hujus loci ſanctimoniales magno haberet pretio; huc ſæpius ire conſueverat; hunc locum rebus & negotiis agendis haud ſemel ſelegiſſe certum eſt. Epiſtola XXIV. lib. I. ſcribit ad Girardum Engoliſmenſem Epiſcopum ſedis apoſtolicæ legatum ſe ad Fontem Ebraldi veniſſe, quo & Pictavenſis Epiſcopus ſe venturum eſſe ſpoponderat, & ad eumdem epiſtolam XXVI. ejuſdem libri ſcribit, ſignificatque ſe ad Fontem Ebraldi veniſſe, neque poſſe ulterius progredi. Epiſtola vero XXXII. lib. IV. aperte indicat Fontis Ebraldi monaſterium ſibi dilectum eſſe, ubi ſcilicet gibbum, qui ſibi in dorſo excreverat ſecari juſſerit, *inter manus*, inquit, *& lacrymoſas voces dilectarum Deo ſanctimonialium de Fonte Ebraldi.* Sed quod omittere non debeo ipſe Goffridus Abbas Vindocinenſis tam ſuo nomine, quam monaſterii ſui cum Roberto de Arbriſello & monaſterio Fontis Ebraldi ſocietatem iniit; inſtrumentum in Fontis Ebraldi chartulario legitur his verbis. *Notum facimus ita futuris ſicut præſentibus, quod domnus Goffridus Abbas Vindocinenſis ante omnes, & ſupra omnes Abbates hujus loci, qui Fons Ebraldi dicitur, familiaritatem habet & beneficium: & cum ipſe obierit, per ſingulos annos ipſi ſollemniter celebrabimus anniverſarium. De fratribus autem Vindocinenſis monaſterii, de quibus breve habuimus, tantum faciemus, quantum pro nobiſmetipſis &c. Facta ſunt hæc in capitulo Fontis Ebraldi præſentibus domno Goffrido Abbate Vindocinenſi, & domno Roberto magiſtro noſtro. Anno MCXIV. Indict. VII.* Ex his luce ipſa clarius eſſe intelligis Goffridum non in illam malam incidiſſe ſuſpicionem de Roberto, quam illi conſuta mendaciis epiſtola calumnioſe affingit, ſi quid tale ex pravis rumoribus didiciſſet, non eum locum ſæpius inviſere ſtuduiſſet, neque ſanctimoniales ſibi dilectas eſſe ſcripſiſſet, nec cum Roberto amicitiam & ſocietatem ſanxiſſet, ne & in ſe pariter pravos rumores concitaret. Adde quod illa epiſtola non in Vindocinenſis monaſterii codice reperitur, ſed injectam eſſe cum aliis in Cenomannenſem manuſcriptum, & hoc ex eo colligo, quod extra ordinem ad finem libri IV. rejecta ſit, quam tamen ante has litteras, quas ſupra retulimus, ſcriptam eſſe oporteret. Ex his omnibus haud dubitanter aſſero hanc epiſtolam ſcriptam eſſe à Roſcelino nequiſſimo hæretico, qui ob eam cauſam reprehenditur ab auctore epiſtolæ, quæ inter epiſtolas Abaelardi reperitur, & quam ſupra

retulimus. Hæc autem epiſtola Roſcelini, ut ſæpe fit, temere Goffridi epiſtolis adjecta eſt, ſi ut aliquando accidiſſe comperimus ſpuria opuſcula, adulterinaſque litteras in genuinos ſanctorum Patrum libros & epiſtolas irrepſiſſe, ut modo oſtendebamus & hanc, quæ ad Epiſcopum Pariſienſem ſcripta eſt, epiſtolam falsò Abaelardo tributam eſſe, & neſcio quo caſu cum ejus epiſtolis admixtam eſſe. Hæc data opportunitate ſcripſi, ut fidem facerem veritati, ut Robertum de Arbriſſello virum optimum, præclariſque inſtructum ornamentis ab injuria vindicarem, & ordini florentiſſimo gratum facerem: imo ut ora obturarem quorumdam maledicorum hominum, qui & hac noſtra ætate viri piiſſimi & religioſiſſimi famam denuo lædere, & veterem calumniam renovare conati ſunt. LIB. XI. CAP. III.

Poſtquam de Eccleſiæ Pariſienſis rebus, & de Gotfridi Epiſcopi Pariſienſis geſtis, & de hoc negotio data occaſione locutus ſum, ad res monaſteriorum Eccleſiæ Pariſienſis ſermonem converto. Initium erit à Pratenſi monaſterio, ſupra de Adraldo illius loci Abbate fuſe locutus ſum, huic ſucceſſit Hubertus, Abbas erat anno M L X I. in privilegio enim hujus anni, ut habet Breulius, illius mentio eſt: Abbas igitur erat hujus monaſterii, quando Philippus I. Rex Francorum in gratiam hujus monaſterii præceptum ſcripſit, etſi enim Abbatis nomen in eo non habeatur, tempus tamen, quo datum eſt, oſtendit ſub ejus regimine conceſſum eſſe. Argumentum præcepti tale eſt. Dagobertus plures baſilicas opibus & fundis pluribus amplificavit, Dionyſianam baſilicam magnifice extruxit, & copioſe dotavit, baſilicam Martinianam auxit reditibus. Sed & baſilicam ſancti Vincentii, ſeu, ut modo vocamus, ſancti Germani, variis donationibus affecit, inter prædia, quæ illi conceſſit, quamdam illam in territorio Briacenſi, cui nomen Cumbis, ſeu Cumbæ huic adjecit monaſterio. In eam olim villam monachi Pratenſes bis aut ter confugerunt, tranſtuleruntque oſſa ſancti Germani Epiſcopi Pariſienſis, cum Nortmanni agros Lutetiæ finitimos popularentur. Inclinante vero domo Carolina, cum quiſque ex pravis morum temporumque inſtitutis res & bona eccleſiarum invaderet, Hugo-magnus, de quo ſuprà multus ſermo fuit, monaſteriorum ſancti Dionyſii & ſancti Vincentii Abbas laicus villam Cumbas cuidam militi Hilduino nomine Comiti de Monte Deſiderii dedit in beneficium. Sed poſt ejus mortem idem Hugo Dux eandem villam ſibi vindicavit. Hugo pariter ejus filius eandem retinuit. Robertus Rex poſtea eam ex hæreditate conſecutus, cum ſororem ſuam nuptui dediſſet Rainerio Comiti Montenſium, quaſdam villas ſancti Germani ſupra Moſam poſitas, quæ Pratenſis monaſterii erant, ei pro dote ſororis tribuit, & ut monachos indemnes præſtaret villam Cumbas illis reſtituit, quæ res eo uſque permanſit, donec Henricus decedente Roberto ad regnum evocatus eſt. Intra ejus regni bellis domeſticis valde impedita fuerunt. Id temporis Manaſſes Hilduini Comitis nepos, de quo modo dictum eſt, villam hanc tanquam patrimonium ex avunculi hæreditate repetere cœpit. Veritus eſt Henricus Rex, ne ſi villam denegaret, ipſe quoque cum aliis pluribus à fide & obſequio diſcederet, ejus poſtulatis, ut tempori cederet, ſubſcripſit. Triennio pòſt Manaſſem è vita diſcedere contigit. Tum Henrico placuit monachos Pratenſes in poſſeſſionem villæ Cumbarum redire. Henrico porro Regi ſucceſſit Philippus Rex puer, ſub tutela Balduini Comitis; tum optimates, ut fit, ſub pupillo Rege omnia potius ex libidine, quam ex æquo & jure agere. Odo inprimis Manaſſis, de quo modò fuit ſermo, filius villam anxie repoſcere inſtituit, dicebat ſuam ſe repoſcere hæreditatem, ſuaque jura ex poſſeſſione patris, ſuique avunculi defendebat. Philippus Rex non potuit ab hac petitione depellere hominem, qui comes continuo lateri adhærebat: verum, ut damna monaſterii Pratenſis compenſaret, monachis Banniolas villam haud procul à mœnibus Lutetiæ dedit. Habetur præceptum in chartulario ſancti Germani, quod tibi exhibemus, quoniam multa continet, quæ ad hiſtoriam illorum temporum pertinent. VI.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Philippus gratia Dei Francorum Rex. Cum in exhibitione temporalium Rex, qua humana religio divino cultui famulando, locis ſanctorum, & congregationibus fidelium ex devotione animi, largiter tam VII.

præſentis, quam perpetuæ vitæ ſolatium acquiratur, ſaluberrimus valde, & omnibus imitabilis eſt hic fructus primitivæ virtutis, per quem & mundi tranquillatur, proſperitas, & felici remuneratione æterna ſuccedit felicitas. Innoteſcat ergo ſolertiæ omnium ſanctæ matris Eccleſiæ fidelium & noſtrorum, quod Dagobertus olim Rex Francorum inter alia pietatis opera, quæ geſſit, maxime eccleſiarum Chriſti cultor devotiſſimus extitit: nam quaſdam à fundamentis ædificavit, ut eccleſiam ſancti Dionyſii martyris, baſilicam quoque ſancti Martini Turonenſis regali munificentia ampliavit, aliaſque quamplures, inter quas eccleſiam ſancti Vincentii & ſancti Germani in ſuburbio Pariſiacæ urbis ſitam ſuis temporibus ditare cupiens, ut dignum erat regali majeſtate plurima prædia ipſi loco tribuit, inter quæ omnia etiam quamdam ſui juris nuncupatam Cumbis affluentiſſimis reditibus & copioſis in Briacenſi territorio ſitam ibi delegavit, quæ, ut diximus, ita copioſis exuberabat reditibus, ut olim Danorum temporibus aſylum foret monachis præfatæ eccleſiæ. Ibi namque ingruente perſecutione præfatæ gentis monachi cum corpore almi Germani, & non ſemel, ſed bis & ter confugerunt. Hanc igitur villam, dum per ſuccedentium temporum curricula, jam dicta eccleſia abſque aliqua inquietudine retinet: accidit tempore Hugonis Ducis, qui magnus cognominabatur, ut ipſe dux, ſicut alias eccleſias attenuaverat multis prædiis, ita quoque hanc eccleſiam mutilaret ablatione multarum poſſeſſionum, unde inter alia præfatam villam Cumbis cœnobio ſancti Vincentii & ſancti Germani detraxit, eamque dedit in beneficio cuidam Hilduino nomine Comiti de Monte, qui vocatur Deſiderius, qui cum diuturno tempore vivens vita deceſſiſſet, iterum Hugo Dux, qui eam eccleſiæ ſanctorum injuſte abſtulerat, in proprios uſus illam ſibi vindicavit, & poſt ejus obitum Hugo filius ejus, dum advixit, ſimiliter eam tenuit. Dominus quoque Robertus Rex filius ejus, poſt illius mortem jam dictam villam aliquanto tempore in ſuo dominio habuit, cujus temporibus domini ſcilicet Roberti Regis & matris ejus Adelaidis, accidit, ut ipſe dominus Rex daret in matrimonio ſororem ſuam Rainerio Comiti Montenſium. Cauſa igitur ſororis dedit ipſi Comiti quaſdam villas ſancti Germani ſuper Moſam poſitas, videlicet Cuninum, Fraxinum, Nivam, Evam Bens, pro quarum commutatione reddidit monaſterio prædictorum ſanctorum villam ſæpius nominatam Cumbis, quam, ſicut prælibavimus, à Dagoberto Rege ipſa eccleſia acceperat, & longo tempore tenuerat. Igitur ea tempeſtate, qua dominus Robertus Rex à ſæculo migravit, dum ei ſucceſſiſſet in regno piæ memoriæ dominus Henricus Rex filius ejus, & multis bellorum turbinibus regnum ejus ab Odone Comite, & aliis quam pluribus inquietaretur, ratus Manaſſes nepos ſupradicti Hilduini Comitis inveniſſe ſe tempus, & occaſionem recuperandi villam, quam ſuus avunculus Hilduinus tenuerat, adiit dominum Regem Henricum, inquietans eum ſæpius pro ejuſdem villæ repetitione, qui veritus, ne ab ejus fidelitate una cum aliis diſcederet, coactus ei reddidit prædium Cumbis, quam avunculus ejus Hilduinus ſub temerario auſu, ſicut jam diximus, uſurpaverat, ſed cum idem Manaſſes poſt triennium fere vita deceſſiſſet: iterum clementiſſimus Rex dominus videlicet Henricus eandem villam Cumbis loco ſanctorum reſtituit, quam hactenus abſque aliqua inquietudine ipſe locus tenuit. Domino vero Rege obeunte, dum ego Philippus filius ejus admodum parvulus regnum cum matre una ſuſcepiſſem, plurimi ex proceribus noſtris, in quorum tutela, & nos, & regnum noſtrum eſſe decebat, cœperunt inſiſtere plura à nobis exigentes, incertum eſt, quæ juſte, vel quæ injuſte. Illis autem viſum eſt omnia juſte: pater meus tamen omnia tenuerat pacifice. Inter quos Odo Comes filius præfati Manaſſetis villam toties dictam Cumbis exigebat, dicens illam ſibi deberi hæreditario jure, eo quod avunculus patris ejus Hilduinus ſcilicet temerario auſu, ſicut jam diximus, tenuerat ipſam villam, & uſurpaverat. At nos nolentes homines contiguos, & lateri quodam modo adhærentes perturbare, coacti ei reddidimus villam Cumbis, quam repetebat. Sed ne verteretur nobis in infortunium iſtud delictum ſcilicet, quod à loco ſanctorum ſcilicet auferebamus hoc prædium, quamvis coacti pro ſalute genitoris, & noſtræ & matris etiam noſtræ, pro commutatione hujus villæ Cumbis videlicet donavimus cœnobio ſancti Vincentii & ſancti Germani, quamdam villam noſtri juris nuncupatam Banniolis ſitam prope mœnia Pariſiacæ urbis, cum omnibus reditibus & conſuetudinibus, ſicut pater meus jure quieto tenuerat, necnon cum omnibus appendiciis ſuis, ea tamen conditione interpoſita, ut dum prædictus Odo Comes

vita deceſſerit, vel ſi interim qualibet juſta occaſione ipſam villam Cumbis amiſerit, ad dominium ſanctorum redeat. Hujus ſcripti & conventionis aſtipulationem, & corroborationem noſtra auctoritate, & ſigilli noſtri impreſſione firmamus & corroboramus, quatenus ea, quæ promiſſa ſunt, & ea, quæ poſterius inferenda ſunt, ſtabiliantur, & in poſterum inconvulſa habeantur. Actum à Philippo Rege anno Verbi incarnati M L X I. regni vero ejus I. Ego Balduinus Cancellarius ſcripto ſubſcripſi. LIB. XI. CAP. III.

Hubertus, ut Breulius memorat, poſt quinquennium mortem obiit anno MLXVI. xv. Calendas Januarii, additque huic ſucceſſiſſe Robertum II, is antea fuerat Abbas ſancti Vandregiſili. Gotfridus Pariſienſis Epiſcopus anno M LXX. conceſſit illi duo altaria, altare Sureſniarum, & altare Aurainvillæ; charta donationis habetur in chartulario ſancti Germani Pratenſis. Obiit Robertus, ut ſcribit Aimoini continuator, anno MLXXII. huic ſucceſſit Hugo, cujus memoria eſt in chartulario Pratenſi, ubi mentio eſt conventionis, quæ acta eſt inter Hugonem Abbatem ſancti Germani Pratenſis, & Humbertum Columbenſem Abbatem, controverſia erat de decima territorii, quod Paradiſus nuncupatur. Anno MLXXVII. pax inter eos compoſita eſt, procurante inprimis Eremberto priore ſancti Martini Drocenſis. Appendix ad Aimoinum, hunc Abbatem omiſit, quo ille anno deceſſerit, haud dixero. Aimoini continuator deinde Abbatem fuiſſe ſcribit Petrum, quem ait fuiſſe natione Appulum & Philippi Regis Cancellarium; ſane eum numero Cancellariorum annumeratum eſſe reperio, & pluribus actis ejus nomen ſubſcriptum eſſe. Idem continuator tradit eum deceſſiſſe anno MLXXXII. Eodem anno Iſembardus Abbas huic ſucceſſit. legitur in chartulario Pratenſi præceptum Philippi Regis datum eodem anno, quod eſt ejuſmodi. VIII.

In nomine Regis æterni Philippus Dei gratia Rex Francorum &c. Quod cum die Epiphaniorum reſideremus Piſciacenſis Caſtri palatio, una cum proceribus advenit Abbas cœnobii ſancti Germani Iſambertus nomine, una cum quibuſdam fratribus conquerens de quodam noſtro milite Hugone nomine & ejuſdem conjuge, qui quamdam advocationem dederunt cuidam militi nomine Henrico, & hac cauſa eadem poſſeſſio pene ad nihilum redacta fuerat. Qui videlicet Hugo ante noſtram cum ſua conjuge evocatus præſentiam, juſque ſuum, quod putabat in ipſa advocatione habere, ex parte ſcilicet ſuæ uxoris proſequens judicio noſtro, ac procerum noſtrorum ſibi refragante, quod injuſte uſurpaverat, annuens judicio noſtræ curiæ dimiſit, & quod deinceps, nec ipſe, nec uxor ſua, vel quilibet hæredum ſuorum in prædicta poſſeſſione domni videlicet Martini, vel in villulis ad ipſam poſſeſſionem pertinentibus reclamarent, quod promiſit, quam Epiſcopis vel uxoris, ſeu ſuorum ex hac advocatione dimiſſionem orante prædicto Abbate, una cum monachis privilegio noſtræ auctoritatis, ſeu noſtræ majeſtatis ſigillo firmavimus coram noſtris infra ſcriptis proceribus. Si quis vero, quod minime credimus, hæc violare vel credere præſumpſerit, eliminatus à conſortio Chriſti fidelium cum Datham & Abyron, ac Iudæ traditione igni perpetuo tradatur. Inſuperque fiſco noſtro trecentas auri libras perſolvere cogatur, & quod repetit minime conſequatur. Signum Philippi Regis Francorum. Signum Richerii Senonenſis Archiepiſcopi. Signum Gaufridi Pariſienſis Epiſcopi. Actum Piſciaco caſtro anno Verbi incarnati MLXXXII. regnante Philippo Rege anno XXIII. Gilbertus clericus nutu Gaufridi Pariſienſis Epiſcopi, necnon etiam Cancellarii ſubſcripſit, data menſe Januar. die VI. Indict. V. IX.

Jam vero videamus, quæ fuerit ſeries Abbatum monaſterii Dionyſiani. De Hugone Abbate jam antea quædam à nobis relata ſunt, & quædam & hic de eodem addenda ſunt. Hic obtinuit, ut habet liber antiquitatum Dionyſiani monaſterii, privilegium à Leone IX. in gratiam ſui monaſterii anno primo illius ſummi Pontificis. Extat & in eodem loco charta donationis, qua Elinandus Epiſcopus Laudunenſis conceſſit Hugoni Abbati & monachis ejuſdem loci duo altaria. Charta data eſt anno MLV. indictione octava. Hugoni ſucceſſit Rainerius. Superius memoratum Hugonem adfuiſſe Remis anno MLIX. quando Philippus Rex puer adhuc Rex Francorum inunctus eſt: immo & actis illius conſecrationis eum ſubſcripſiſſe diximus. Hugoni ſubrogatus eſt Rainerius, quem Dubletus ait Romam profectum cum quibuſdam monachis. Extat in anti- X.

quitatibus Dionyſianis privilegium Alexandri ſecundi, quod hic referre non piget, His enim maxime temporibus Dionyſianos ſubduxiſſe humeros juriſdictioni Epiſcoporum Pariſienſium accepimus. Privilegium ita ſe habet.

XI. *Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Regibus & Ducibus, Principibus atque Dominatoribus, & iis omnibus, qui nunc ſunt, & venturi ſunt futuris temporibus. Quoniam juſtis petitionibus aſſenſum nos præbere, & Eccleſiæ ſanctæ vigilanser utilitatibus oportet inſervire, Deo noſtro ſine dubio per hoc ſperamus nos placere, ſi res & eccleſiaſticas conſtitusiones à ſanctis Patribus, ita ut conſtitutæ ſunt cogamus permanere, & ne deinceps ab iniquis impune corrumpantur, noſtra auctoritate roborare. Quapropter notum facimus præſentibus & futuris, omnibus videlicet Regibus & Ducibus, Principibus & dominatoribus, ſeu cunctis apoſtolicæ ſedis fidelibus, quod venerabilis Abbas Rainerius, & monachi monaſterii beati Dionyſii martyris, ubi ipſe ſanctus in corpore quieſcit, noſtram præſentiam adierunt, ſuppliciter poſtulantes, quatenus privilegia eidem monaſterio à domno Dagoberto Francorum Rege ipſius loci fundatore conceſſa, ſed & Chludovii filii ipſius Dagoberti, Regumque ſimul eorum omnium immunitatum confirmationes, quicumque ſuam illi monaſterio beati Dionyſii martyris auctoritatem promulgantes præſtiterunt, ſed & privilegium, quod fecit domnus & venerabilis Landericus Pariſiacæ urbis Epiſcopus, una cum conſenſu ſuorum canonicorum, pariterque regionis illius Epiſcoporum, de libertate & admiſſione clericorum in ſuis ordinibus omnibus, quod videlicet omnes ſecundum metas à ſe diſcretas in circumſcripto loco Eccleſiis ſervientes, à ſua & omnium ſucceſſorum poteſtate abſolvit, & Abbati & fratribus monachis ſupradicti monaſterii regendum, & diſponendum contradidit, ſanctorumque prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum Zachariæ, Stephani, Leonis, Adriani, Nicolai, atque beatæ memoriæ domni Leonis noni privilegiorum decreta ſancta apoſtolica, & auctoritate confirmata, necnon privilegium Epiſcoporum illius patriæ de prædicti loci corroboratione temporibus Karoli Regis factum, nos demum manus imponentes, noſtra etiam auctoritate dignaremur roborare. Providentes ergo eidem eccleſiæ, & ad munimentum prælati ibi Abbatis, atque fratrum præſentium & futurorum, qui in ipſo venerabili monaſterio Deo militare videntur utile fore, auctoritate beati Petri Apoſtoli, cujus nos immeriti vicarii exiſtimus, & noſtræ privilegio paginæ, prædictorum Regum, ſeu prædeceſſorum noſtrorum, & ejuſdem patriæ venerabilium Epiſcoporum, decreta roboramus. Regum omnium poſentiam, ſive ſucceſſorum noſtrorum à Chriſto creditam auctoritatem, obteſtantes, ne locum ſancti Dionyſii Chriſti martyris ſuis auctoritatibus & privilegiis roboratum, vel per ſe, vel ſibi ſubditos, quoquomodo temerare patiantur in ævum. Sancientes etiam promulgamus, ne ullus aliquando Pariſiacæ urbis, vel aliarum eccleſiarum Epiſcopus quaqua ratione vel quacunque cauſa ab Abbate vel fratribus prædicti loci, vel ab his omnibus, qui ſub earum poteſtate ſecundum Patrum prædictorum decreta ſunt conſtituti, aliquid in ipſis privilegiis à nobis corroboratum, audeat utcumque repetere. Præcipimus quoque, ne quis eorum Epiſcoporum à quibus iſta poſtulare voluerint, eis oleum, chriſma, tabulas, benedictiones; conſecrationes, ordines ſuis temporibus, prout ipſe Abbas vel fratres, vel eorum ſucceſſores expetierint, præſumat denegare: & ne quis Epiſcoporum Pariſiacæ ſedis hæc eis deneget, vel alium, qui eis contulerit pro hoc interpellare tentet, omnino interdicentes prohibemus. Hoc inſuper etiam jubemus, ut pro cauſis & reſponſis eccleſiæ ſuæ noſtram atque noſtrorum ſucceſſorum audientiam licenter habeant appellare & adire, nulluſque eas interim condemnare, vel res eorum invadere conetur, quod à noſtris utique prædeceſſoribus eis ante conſtitutum eſt. Quod ſi quiſquam cujuſcumque potentiæ, vel perſonæ, cujuſcumque ordinis, vel ætatis, hoc noſtræ noſtrorumque prædeceſſorum auctoritatis privilegium, quoquomodo auſus fuerit violare, ſempiterno damnetur anathemate, ligatus beato Petro, nobiſque à Deo poſſeſſa poteſtate, conſervatores autem perpetua fruantur benedictione.*

XII. *Datum Laterani II. Nonas Maii per manum Petri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconi, atque bibliothecarii anno quarto Pontificatus domni Alexandri ſecundi Papæ Indictione quarta. Hildebrannus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus conſenſit. Deſiderius Cardinalis ſancti Petri & Abbas ſancti Benedicti conſ. Bonifacius Albanenſis Epiſcopus conſ. Ioannes Portuenſis Epiſcopus conſ. Petrus Damianus Hoſtienſis Epiſcopus conſ. Mainardus de ſancta Ruffina Epiſcopus conſ. Hubaldus Sabinenſis*

Epiſcopus

Epiſcopus conſ. Ioannes Tuſculanenſis Epiſcopus conſ. Ioannes Tiburtinecium Epiſcopus LIB XI.
conſ. Hubertus Ariminenſis Epiſcopus conſ. Audulfus Feretrannecium Epiſcopus conſ. CAP. III.
Guvininteldus Sinogallenſium Epiſcopus conſ. Clotarius Acſimanecium Epiſcopus. Benedictus Foſſabrunenſis Epiſcopus conſ. Aginus Aſiſinatecium Epiſcopus conſ. Dominicus Balbenſiſcium Epiſcopus conſ. Ioannes Picenecium Epiſcopus conſ. Rainerius Forionenſecium Epiſcopus conſ. Dominicus Penſaurienſecium Epiſcopus conſ. Giſiebertus Tuſcaneſium Epiſcopus conſ. Ioannes Balneoregenſis civitatis Epiſcopus Frequatinecium Epiſcopus conſ. Petrus Caſtellanecium Epiſcopus conſ. Atinolfus Gatenſis Epiſcopus conſ. Adelbertus Marimenſis Epiſcopus conſ. Ioannes Subtrenſis Epiſcopus conſ. Mainardus Vrbinenſis Epiſcopus conſ. Bernardus Populonenſis Epiſcopus conſ. Leo Piſtorienſis Epiſcopus conſenſit. Lanfrancus Eluſinæ civitatis Epiſcopus conſ. Vvido Piſanecium Epiſcopus conſ. Ioannes Biternecium Epiſcopus conſ. Conſtantinus Aretinus Epiſcopus conſ. Dominicus Gradenſis Patriarcha conſ. Andreas Spoletinus Epiſcopus conſ. Aiſo Folomenſis Epiſcopus conſ. Hermenfredus Sedunenſis Epiſcopus conſ. Drogo Matiſconenſ. Epiſcopus conſ. Gaufredus Pariſienſis Epiſcopus conſ. Harro Aurelianenſis Epiſcopus conſ. Vvido Belvacenſis Epiſcopus conſ. Hugo Trecaſſinus Epiſcopus conſ. Gaufridus Autiſſiodorenſis Epiſcopus conſ. Goſcelinus Burdegalenſis Epiſcopus conſ. Vvilelmus Encoliſmæ civitatis Epiſcopus conſenſit. Non libet hîc diligentius inquirere in illud privilegium, dicam tantummodo errorem eſſe in Iodictione, quæ quiota erat anno MLII. qui quartus fuit Pontificatus Leonis. Neſcio quid ſit, cur hoc privilegium inſcriptum ſit Regibus, Ducibus, Principibus & Dominatoribus, & non potius Archiepiſcopis & Epiſcopis, cum præſertim res eccleſiaſtica ſit: & miror Gaufredum Epiſcopum Pariſienſem huic quoque privilegio ſubſcripſiſſe, qui eo ipſo fermè tempore cum Dionyſianis de eorum juribus & privilegiis decertabat. De Rainerio pariter Abbate ſermo eſt in litteris Richardi Bituricenſis Archiepiſcopi, quæ in iiſdem antiquitatibus habentur. Extat & Philippi Regis privilegium datum Rainerio Abbati anno MLXVIII. in gratiam Dionyſiani monaſterii. Epiſcopus Pariſienſis jura quædam & quaſdam conſuetudines in monaſterium Dionyſianum ſibi tribuebat. Rainerius Abbas, & monachi Epiſcopo & clero Pariſienſi opponebant antiqua privilegia à Regibus coocceſſa, cauſa ad Regem perlata eſt, & ab optimatibus aliquandiu pertractata. Verum cum res eſſet eccleſiaſtica, monachi ſibi à Rege poteſtate facta eam ad Alexandrum ſummum Pontificem detulerunt. *Sed quia*, ut charta continet, *magis ordinis eccleſiaſtici videbatur eſſe, quam popularis, noſtra permiſſione in audientia Romani Pontificis Alexandri perlata & finita erat*, prohibitumque eſt, ne generales acceſſus ad monaſterium, & communes ſtationes ab Epiſcopo & clericis Pariſienſibus fierent. Hoc vero judicium Philippus Rex ſuo conſenſu & ſua auctoritate roboravit. Dubletus ſub hoc Abbate ait Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum in eccleſia ſancti Dionyſii ſepultum eſſe, ſane liber geſtorum Pontificum Engoliſmenſium tradit *eum ſepultum intra eccleſiam ſancti Dionyſii à parte Septentrionali.* Titulus ejus tumuli talis eſt. *Hic requieſcit Geraldus Engoliſmæ civitatis Epiſcopus.* Verum, ſi tempus ejus obitus atteotè inſpicias, eum non ſub Rainerio mortuum eſſe reperies. Anno enim MXL. Gerardus Epiſcopatum Engoliſmenſem eſt adeptus, & anno MXLVI. Guilelmus ejus ſucceſſor Eccleſiam Engoliſmenſem adminiſtrabat. Oportet igitur Gerardum & mortuum & ſepultum eſſe ſub Hugone, de quo plura ſuperiùs dicta ſunt.

Ivo ſucceſſit Rainerio, de ejus electione multæ querelæ exortæ ſunt. Non- XIII.
nulli palam conquerebantur, quod is ſibi pecuniâ ad obtinendam Abbatiam viam patefeciſſet. Illæ querelæ ad ſummum Pootificem Gregorium VII. delatæ ſunt. Extant de hoc negotio ad Ivonem Abbatem; & ad monachos Dionyſiaoos litteræ illius Pootificis. Præcipit Abbati, ut coram ſuis legatis ſe ſiſtat, ſi forte quoſdam in Gallias hac æſtate proficiſci contigerit. Sin vero aliquod obſtet impedimeotum, quominus legati in hæc loca veniant, jubet, ut Romam ipſe veniat intra feſtum ſancti Andreæ, ut ſe à crimine ſimoniæ purget. Adhortatur interim, ut monachos ſtreouè & ſollicitè regat, commendatque illi inprîmis curam animarum ſibi ſubditarum. Eadem pariter ſcribit Dionyſianis monachis,

LIB. XI. CAP. III. eoſque, dum cauſa diſcutitur, ad concordiam hortatur, monetque, ne propterea inter ſe diſſideant, ſed humiliter Ivoni Abbati obtemperare ſtudeant. Habentur hæ litteræ inter epiſtolas illius Pontificis libro ſecundo, ſuntque LXIV. & LXVI. quas quiſque poteſt conſulere. Ivo, uti exiſtimo, ſimoniæ crimen diluit, ſi enim hujus criminis reus extitiſſet, hunc haud dubiè moviſſet loco, nuſquam vero eum pulſum fuiſſe, immo in ipſo monaſterii regimine perſtitiſſe, & in eo magiſtratu mortem oppetiiſſe accepimus. Meminit hujus Abbatis charta Elinandi Laudunenſis Epiſcopi, qua monaſterio Dionyſiano dat altare eccleſiæ ſancti Gotberti. *Inſtrumentum conceſſionis recitatum eſt & confirmatum in capitulo beati Dionyſii, in audientia domni Ivonis Abbatis & fratrum &c.* Actum eſt Lauduni tertio Idus Martii anno incarnati Verbi MXCV. regnante Rege Philippo anno regni ipſius XXXV. Epacta 18. Indict. XIII. An characteres Chronologici omnes congruant alius aliquis inſpiciat. Dubletus mortem Ivonis ad XVI. Cal. Martias annotat, quo die ſcribit celebratam anniverſariam ejus memoriam. Quo anno deceſſerit, neque ille memorat, neque ego memorabo. Ivoni ſubrogatus eſt Adam, de quo inferius longior erit ſermo.

XIV. Qui Abbates Foſſatenſis monaſterii fuerint haud certò dixerim. Nam Breulii indicem ſcatere mendis ex actis publicis ſuperiùs oſtendimus. Sed hîc, cum deſint acta, ex quibus ſeriem Abbatum addiſcamus, nihil nobis aliud ſuppetit præter mendoſum hunc indicem, in quo ſeries Abbatum hoc ordine texitur. Poſt Landricum, quem Breulius Ladicum vocat, hi habentur Guntherius, Robertus, Radulfus, Valderannus, Gulferius: quo tempore quiſque præpoſituram geſſerit, ille index non habet. Inter Ivonis epiſtolas legitur epiſtola XXVI. ad Vualterium ſeu Vulferium Foſſatenſem Abbatem; neque mihi dubium eſt, quin is ſit, quem Breulius Gulferium vocat. Ivo Carnotenſis Epiſcopus audiverat à Raimberto ſancti Quintini Bellovacenſis monacho Vualterium Abbatem moleſtia & intimo dolore affectum eſſe propter pravos ſui monaſterii mores, & collapſam vitæ ſeverioris diſciplinam, cui reſtituendæ fruſtra labores & conatus adhibebat, quamobrem ille tædio correptus, à miniſterio ſe abdicare ſtatuerat, cum magis eligeret abjectis honoribus ſalutem conſequi, quam ſervatis periclitari. Hunc admonet & illi auctor eſt Ivo, ut videat, ne quid agat imprudentiùs, neque falſa pietatis & religionis imagine decipi ſe patiatur: hortaturque, ne clerum dimittat, ſi quibuſdam ex his prodeſſe valeat, ſed eos ad bonum verbis & exemplis invitet, malos correptione & tolerantia ad meliorem frugem adducat, & omnes pariter amore proſequatur. Sin vero omnes ita improbo ſint animo, ut emendationem & diſciplinam penitus detrectent, neque precibus & pœnis ſuam contumaciam frangi patiantur, conſulit, ut à munere ſe abdicet, & ſuæ conſulat ſaluti, ſequaturque exemplum ſui patris Benedicti, qui propinato ſibi veneno his præeſſe deſtitit, quibus prodeſſe non poterat. Sed ecce tibi Ivonis epiſtolam. *Quoniam pro gratia tibi divinitus collata annonam, quam potes conſervis tuis fideliter adminiſtras, licet ipſos ingratos, & de ſua ſalute non ſatis ſollicitos invenias: non tamen ſub pondere & æſtu diei fatigeris, ut peracto die à patrefamilias diurnum denarium percipere merearis. Audivi enim à fratre tuo Raimberto monaſterii noſtri monacho, quod exteriorum tribulationum crebra infeſtatione vexatus, & propter indiſciplinatam monaſterii tibi commiſſi converſationem, quodam tædio tabefactus, onus tibi impoſitum diſponas deponere, & in otium te conferre, magis eligens in imo ſalvari, quam in ſummo periclitari, & hæc forſitan bona intentio eſt: ſed ſumma & frequenti libratione penſanda: ne angelus ſatanæ transfigurans ſe in angelum lucis, ſub hoc pallio piæ intentionis te à rectitudinis tuæ ſtatu dejiciat, & ſic paulatim ad perpetranda aliqua inordinata latenter inducat. Nam ſi aliquibus ibi prodeſſe potes, non eſt ſanum conſilium, ut fratres tibi ordinatè commiſſos inordinatè relinquas: ſed omnem ſollicitudinem tuam intus & foris illis impendens bonos verbo & exemplo ad meliora provoces, malos corrigendo toleres, omnes communiter ames. Sicut enim beatus Papa Gregorius, ibi æquanimiter portandi ſunt mali, ubi aliqui reperiuntur boni. Si autem apud te omnes ita ſint ſuæ ſalutis immemores, ut penitus ſit inutilis labor tuus; conſulo fraternitati tuæ, ut relicta terra maledicta, ad terram benedictam te conferas,*

ubi etſi non alterius tuæ ſaltem ſaluti provideas. Sic enim propinato ſibi veneno beatus LIB. XI.
pater tuus fecit Benedictus, qui præeſſe his noluit, quibus prodeſſe non potuit; quem ſi CAP. III.
imiteris, monaſticæ profeſſioni nullatenus adverſaris. Hæc pauca tibi pro multis ſcribere curavi perſuaſione prædicti fratris tui Raimberti, videlicet, ut in hoc conſiliis tui ſummam diligentiam attendas: quatenus aut cum aliquo fructu onus tibi injunctum longanimiter feras, aut ſine aliquo fructu tibi victurus deponas. Vale. Ex hac epiſtola non modo intelligis Vualterium Abbatem Foſſatenſem fuiſſe tempore Ivonis Carnotenſis Epiſcopi; ſed etiam in hoc monaſterio diſciplinam regularem longe deſciviſſe ab illa ſeveritate, quam olim induxerat Maiolus Abbas Cluuiacenſis, cum rem collabentem reſtituerat. De illo Abbate non aliàs memoria eſt.

XV. Neque hic mihi omittenda eſt cauſa, quæ agitata eſt anno MXCVI. in Synodo Turonenſi de Glannafolienſi monaſterio, de quo quidem ſuprà à nobis memoratum eſt. Diximus libro quarto cap. I. hujus hiſtoriæ, cum illud olim dirutum eſſet, à Roricone Comite & Bilechilde ejus uxore non modo reſtitutum eſſe, ſed etiam ſubjectum Foſſatenſi monaſterio, quoniam in hoc tunc florebat regularis diſciplina ſub Ingilberto Abbate. Ita vero hocce monaſterium traditum diximus, ut in poſterum Abbates & monachi Foſſatenſes, qui ſuccederent, rectores & præpoſitos traderent, quorum nutu & voluntate omnia ſecundum regulam ſancti Benedicti adminiſtrarentur, hancque novam Glannafolienſis monaſterii ordinationem Ludovicus pius litteris, quas ſupra retulimus, confirmavit. Ex eo tempore Foſſatenſes Glannafolienſi monaſterio Abbates & præpoſitos tradiderunt. Verum poſtquam provinciæ non amplius ſub unius poteſtate ſubjectæ ſunt, & in Andegavenſi provincia Comites extiterunt, qui provinciam ſuo regerent arbitrio. Tum Glannafolienſes ex opportunitate novæ adminiſtrationis detrectare jugum, neque amplius Foſſatenſibus ſe ſubjicere. Sed cum ex lege & longa annorum ſerie Foſſatenſibus ſubjecti antea fuiſſent, ex auctoritate Urbani II. cum Turonis Synodum ageret, ſe Foſſatenſium poteſtati ſubtrahere conati ſunt. Foſſatenſes quidem monachi ſua jura tuebantur ex Roriconis inſtitutione, qui Glannafolienſe monaſterium hac lege reſtituerat, & hoc Foſſatenſi monaſterio ſubjecerat; acta & litteras Imperatoris Ludovici proferebant, addebantque longam annorum poſſeſſionem. Verum Glannafolienſes vetera ſui monaſterii primordia adducebant, ajebantque indignum eſſe primum ordinis Benedictini in Gallia extructum monaſterium, & unde alia Gallicana monaſteria originem habuiſſent, obnoxium eſſe alteri monaſterio, quod à ſe tanquam aliquod examen profectum eſſet, addebantque extra regulam monaſteriorum eſſe, uti alterum alteri ſubjiceretur, conquerebanturque apud ſummum Pontificem de impotenti imperio Foſſatenſium. Facile Glannafolienſes cauſam obtinuerunt, quippè qui extra ditionem Philippi Francorum Regis agebant. Neque Rex, adverſus quem Urbanus infenſo erat animo propter Bertradam, jura Foſſatenſium tueri poterat. Urbanus igitur ſecundum rogationem Glannafolienſium judicium tulit. Hujus rei mentio eſt in chronico Caſinenſi lib. IV. cap. XVIII. *Idem Pontifex*, inquit, Urbanus ſcilicet, *pro negotiis eccleſiaſticis Gallias ingreſſus, in Turonenſi Concilio, ubi ipſe præſidebat, monaſterium ſancti Mauri in Glannafolio à Foſſatenſium monachorum tyrannide, priſtinæ dignitati, libertatique reſtituit, ſub magiſterio tantum Caſinenſis cœnobii perpetuo manſurum.* Mabillonius in hunc locum hæc animadvertit. *Verum immoderata & præceps videtur hæc Petri locutio, & ex nimio in proprium monaſterium ſtudio, contra ipſos Caſinates retorquenda. Non enim tyrannis dicenda eſt unius monaſterii ſubjectio alteri, legitima ratione & auctoritate facta & probata; alioquin tyrannidis etiam appellatio traduceretur ad ipſos, quod abſit, Caſinates, qui Glannafolium Caſino ſubjectum ab Vrbano Pontifice fuiſſe ſcribunt. Quamquam nulla ejuſmodi ſubjectionis mentio eſt in epiſtola Ivonis Carnotenſis Epiſcopi pro legitimo jure Foſſatenſium. Immo contrarium ex ejus verbis colligitur &c.* Hæc ille II. parte IV. ſæculi actorum Bened. Ivo nihilominus expoſtulatione Foſſatenſium commotus de eo negotio ad Paſchalem ſummum Pontificem ſcripſit. Extat epiſtola, quæ eſt ejuſmodi. *Quoniam judicia Romanæ Eccleſiæ à nemine foris retractari poſſe, eadem Romana Eccleſia docente didicimus ſi qui aliquando, ſe prægravatos ipſius Eccleſiæ auctoritate conqueruntur,*

 hoc eis conſilium damus, ut non deſcendant in Ægyptum propter auxilium, ſed ab ipſa ad eam confugiant, & inde expetant levamen, unde ſe conqueruntur habere gravamen: quia, quæ aliquando corripit paterna ſeveritate, eadem frequenter colligit materna pietate. Quod ideo prælibavimus beatitudini veſtræ, ut cauſam Foſſatenſium monachorum patienter audiatis: & quantum ſalva reverentia fieri poteſt, anxietatem eorum miſericorditer relevetis. Conqueruntur enim ſe in Concilio Turonenſi, fuiſſe prægravatos, quoniam ad ſuggeſtionem Comitis Andegavenſis dicunt fuiſſe ſubreptum domno Papæ Vrbano, monaſterium ſancti Mauri ſitum in patria Andegavenſi, quod ſub jure Foſſatenſis monaſterii antea per trecentos & amplius annos extiterat, de ejuſdem monaſterii jure auferret, & ordinato ibi Abbate liberum eſſe conſtitueret. Quod & factum eſt, Foſſatenſibus monachis jus ſuum reclamantibus, & multis, qui Concilio intererant, aliter ſentientibus: cum viderent privilegium, quo nitebantur Foſſatenſes monachi, de manibus eorum ab Andegavenſibus fuiſſe ereptum, & in plures partes fuiſſe conſciſſum. Adhibitis ergo multorum interceſſionibus, ſupplicant prædicti monachi, ut eorum negotium à majeſtate veſtra legitima diſcuſſione retractetur, vel miſericordia flectente, vel juſtitia dictante terminetur. Vale. Illius cauſæ meminit chronicon Malleacenſe ad annum M X C V I. *Turonis* Urbanus PP. *tenuit Concilium in monaſterio ſancti Martini: in quo inter alia inſtauravit abbatiam ſancti Mauri, & præcepit habere Abbates, & primus fuit Girardus.* Judicium Urbani PP. vim & auctoritatem habuit, & deinceps monaſterium Glanoafolienſe liberum fuit, neque amplius ſubjectum fuit Foſſatenſibus monachis. Rebus memoratis, quæ ſub Gotfrido Epiſcopo Pariſienſi geſtæ ſunt, ad ejus ſucceſſorem ſermonem converto.

CAPUT IV.

De quibuſdam Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis. De Guilelmo Pariſienſi Epiſcopo, de ejus electione, ordinatione, & de ejus actis; de die & anno ejus mortis. De Fulcone primùm Decano, tum Epiſcopo Pariſienſi. De ejus electione, ordinatione & de ejuſdem obitu. De Galone Epiſcopo, & de illius ad cathedram Pariſienſem tranſlatione.

I. VVilelmus ſeu Guilelmus Gotfrido Epiſcopo ſubrogatus eſt, filius erat Simonis de Mooteforti & frater Bertradæ uxoris Fulconis Andegavenſis Comitis, quam Philippus Rex ejecta uxore illicitè thoro aſciverat. Ille viridi ætate & annis florentibus à Clero Pariſienſi electus eſt Epiſcopus, ſed tamen his virtutibus ornatus erat, quæ Pontificem decent. Io Eccleſia Carnotenſi ſub Ivone maxime Epiſcopo innutritus fuerat. Ubi accepit electum ſe Epiſcopum, cathedram recuſare inſtituit. Timebat enim ne Philippi Regis gratiâ, & ſororis ambitu fuiſſet evocatus; & ob eam cauſam ab Ivone Carnotenſi conſilium cepit. Ivo, ne quid temerè conſuleret, miſit eum Lutetiam cum quibuſdam ſuæ Ivo Epiſt. 43. Eccleſiæ canonicis, *qui diligenter inquirerent, utrum in eum vota omnium concurrerent, utrum hæc electio mediante pecunia, vel aliqua eſſet à Rege extorta violentia.* Illi poſtquam rem diligenter inſpexiſſent, Ivoni id quod erat retulerunt, omnia ſcilicet ex Eccleſiæ legibus peracta eſſe. His auditis Ivo haud dubitavit

Guilelmo conſulere, ut electioni aſſenſum daret, neque vereretur oneri humeros ſupponere. *Quibus*, inquit Ivo, *bene cuncta renunciantibus, illi fratri dedimus conſilium, & aſſenſum, ut illi electioni cederet, & divinæ ordinationi ſe non ſubduceret. Timebamus enim, ne alius ex tranſverſo intruderet, & Eccleſiam ſimoniaca peſte macularet.* Auctor deinde fuit illi Ivo, ut, quoniam nondum omnino ætatem legitimam ad recipiendum hunc honorem haberet, per intervalla ad gradus eccleſiaſticos aſcenderet, & interim obtineret à ſummo Pontifice Urbano II. indulgentiam. *Addidimus quoque conſilio ejus, quia aliquantulùm infra annos legitimos nobis eſſe videbatur, ut promotiones ad gradus eccleſiaſticos per congrua intervalla differret, & interim aut per ſe, aut per nuncios Eccleſiæ pro his, quæ ad integritatem ordinationis minus ſunt, à paternitate veſtra indulgentiam poſtularet. Quod ſcribo abſens, ſi opportunitas ſe offerret, dicerem præſens, & pro ipſa eccleſia, & cum ipſa eccleſia à paternitate veſtra magna in vos fiducia poſtulo, ut nulli æmulo de ejus inſimulatione aurem de cetero commodetis, & per præſentium latorem mihi & ipſi Eccleſiæ litteris veſtris, quo ordine, & quomodo res incepta ad exitum cum gratia veſtra produci poſſit, vos ipſi diſponatis.* Illa Ivo pro Guilelmo ad Urbanum II. PP. qui tum in Galliis verſabatur; quæ quidem præclara de electione Guilelmi memorabat. Sed nihilomious rumor ſpargebatur artibus Bertradæ Guilelmum ad Pariſienſem cathedram evocatum eſſe, prævalebatque opinio gratiâ & auctoritate Regis quæſita canonicorum ſuffragia. Richerius Senonenſis Archiepiſcopus vix electionem admittebat. Urbanus II. ſummus Pontifex, cui univerſæ Eccleſiæ ſollicitudo & cura erat, pravis, qui de illa electione ſerebantur rumoribus excitatus, & adverſus Philippum Regem propter inconceſſas nuptias male affectus Guilelmi electiooi oon aſſentiebatur. Sed ut narrationi lucem afferam, de Urbani ſummi Pontificis geſtis quædam hîc memoranda ſunt.

Urbanus II. PP. malis Eccleſiæ temporibus ad ſummum Pontificatum evocatus II.
eſt. Cum Imperator Henricus IV. & Guibertus diro ſchiſmate Eccleſiam lacerarent, & mali mores perderent Eccleſiam. Ille quidem fortiter ſchiſmati & vitiis graſſantibus adverſabatur. Sed cum accuratam rerum ſub ejus Pontificatu geſtarum ſeriem texere non inſtituerim, quod ad res noſtras pertinet, à Concilio Placentino ſumam initium. Concilium celebratum eſt ab Urbano ſummo Pontifice anno MXCV. tempore Quadrageſimæ, in hac Synodo, quæ ex Epiſcopis Galliæ, Italiæ, & Germaniæ collecta eſt, multa pro fidei defenſione & reſtituenda Eccleſiæ diſciplina ordinata ſunt. Soluta Synodo Placentina Urbanus ſummus Pontifex in Galliam venit, celebravit XIV. Decembris eodem anno MXCV. apud Clarum montem Arverniæ generale Concilium, in quo, ut Bartholdus tradit, tredecim Archiepiſcopi cum eorum ſuffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque paſtorales virgæ. Multa in ea Synodo conſtituta ſunt, quæ hîc modò referre noo placet. Sufficit, ſi dixerim primatum Eccleſiæ Lugduneoſi in quatuor Lugduoenſes provincias aſſertum, confirmatumque eſſe. Epiſcopi quidem provinciæ Senonenſis judicio Claromontanæ Synodi parere haud dubitarunt. Richerius tameo Epiſcopus Senonenſis huic obtemperare neglexit, quapropter uſu pallii, & obedientiâ provincialium Epiſcoporum mulctatus eſt. Sed de eo judicio aliàs plura dicta ſunt, & inſuper quædam adjiciemus. Poſt Synodum Claromontanam Urbanus PP. Arelatem ſeu, ut alii volunt, Lemovicas veoit, & ibi natalem Domini celebravit. Sequenti anoo, qui MXCVI. fuit, tertia hebdomada Quadrageſimæ Turonis Synodum celebravit. Urbanus his geſtis in ſeptimaniam remeavit. *Vrbanus*, inquit Malleacenſe chronicon, *reverſus eſt Santonas, & celebravit ibi ſanctum Paſcha, & inde remeavit Romam, & in eundo remeavit Nemauſum civitatem, ibi item Concilium tenuit, & reconciliavit Philippum Regem.* Nemauſo, ut itinere maritimo in Italiam rediret, ad Montem Peſſulanum profectus eſt. Io eo loco ad Regis Philippi petitionem, qui in Synodo Nemauſenſi abdicata Bertrada, in communionem Eccleſiæ redierat, electio Guilelmi, quem clerus Pariſienſis Epiſcopum elegerar, tractata eſt. Cum Guilelmus nondum ætate ad ſuſcipiendum Epiſcopatum maturus haberetur, illi ætatis indulgentiam fecit. Quod ad cauſam ejus electionis pertinebat, rem Ivoni Epiſcopo demandavit, juſſitque

LIB XI CAP. IV. eum inquiſitionem in electionem facere & recipere ſacramentum ab iis, qui eum elegerant. Quod ſi electio legitima & canonica videretur, provideret, ut ordinaretur à Richerio Metropolitano Senonenſis provinciæ. Sed quoniam in celebri Synodo Claromontana, quia primatum Eccleſiæ Lugdunenſis agnoſcere detrectabat, uſus pallii illi interdictus fuerat, facta eſt illi à ſummo Pontifice poteſtas eo utendi in ordinatione Guilelmi, quem paulo ante feſtum ſancti Remigii Epiſcopum conſecravit. Hæc omnia ex epiſtolis Ivonis colligimus. Ivonis epiſt. 50. In epiſtola ad Richerium Senonenſem Archiepiſcopum de eo negotio his verbis loquitur. *De cetero ſciatis canonicos Pariſienſes Decanum videlicet, Cantorem, Rainaldum Archidiaconum, in præſentia noſtra ſecundum præceptum domni Papæ juraſſe, ſe nullo terrore Regis, vel dictæ Reginæ compulſos domnum Guilelmum Epiſcopum ſibi elegiſſe, neque aliquid ſimoniacæ pravitatis in ejus electione intendiſſe. Vnde mando ex parte domni Papæ, ut ſi Eccleſia Pariſienſis eum ſibi ordinari & conſecrari poſtulaverit, ante feſtum ſancti Remigii ſecundum auctoritatem & conſuetudinem Eccleſiæ veſtræ ei manum imponatis, & honore pallii ad tempus vobis interdicto, in ejus ordinatione & conſecratione uti nullatenus formidetis. Sic enim dominus Papa mihi conceſſit ad Montem Peſſulanum, cum ad petitionem Regis de ejuſdem Guilelmi electione tractaretur, & poſt multam ventilationem ejuſdem electionis diſcuſſio mihi à domno Papa committeretur.* Ipſe Ivo ſacramentum, quod præſtiterunt Decanus, Cantor, & Archidiaconus refert in epiſtola ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem apoſtolicæ ſedis Legatum, ubi de electione & ordinatione Guilelmi loquitur. Epiſtola eſt quinquageſima quarta, hæc & ſcripta eſt nomine Guilelmi Pariſienſis Epiſcopi, qui jam Epiſcopus ordinatus fuerat, & Gualterii Epiſcopi Meldenſis. Ad calcem illius epiſtolæ hæc leguntur. *Huic vero epiſtolæ interſerere curavi ego Ivo Carnotenſis Epiſcopus ſacramentum, quod ſecundum præceptum Papæ fecerunt Pariſienſes pro electo ſuo Decanus, Cantor, Archidiaconus reliquis conſentientibus. Non elegimus vobis in Epiſcopum Guilelmum propter munus acceptum, vel promiſſum ab aliquo, vel gratia contubernii, quod habebat ſoror ejus, vel propter minas nobis illatas à Rege, vel prædicta ejus ſorore. Sic nos Deus adjuvet & hæc ſacra evangelia. Sic purgatus, ſecundum quod apud Montem Peſſulanum Rege poſtulante Papa præceperat, ante feſtum ſancti Remigii, à ſuo Metropolitano eſt conſecratus.*

III. His temporibus, quibus ſimoniæ labes, aliaque mala cathedras, præpoſituras, aliaque eccleſiaſtica munera infecerant, præcipua ſummis Pontificibus cura erat, ut Epiſcopi, aliique clerici honores eccleſiaſticos virtutibus, aliiſque honeſtis artibus adirent, neque patiebantur, ne vel ſuſpicio ambitus, aut ſimoniæ quemquam eorum, qui ad Eccleſiæ honores eveherentur, afficeret. Multa perſuadebant Guilelmi electionem haud vitio carere. Is, ut dictum eſt, frater erat Bertradæ illius, quam Philippus Rex ejecta Berta legitima uxore & celebratis nefariis nuptiis ſibi aſciverat. Nondumque Guilelmo ea omnino ſuppetebat ætas, quæ ex canonibus ad ſumendum ſacerdotium idonea eſt. Itaque ſtatim atque omnium ſuffragiis electus eſt, omnes in eam ierunt ſententiam & pravis artibus Bertradæ, & Regis auctoritate illum ad epiſcopatum evocatum eſſe. Urbanus ipſe ſummus Pontifex non poterat in animum ſuum inducere ordinatè & canonicè eum electum eſſe; ſtatim venit in mentem Bertrada, cujus artibus in fratrem fuiſſent propenſa eligentium vota, & Regis auctoritas, qui amore Bertradæ canonicorum Pariſienſium voluntates ad eligendum Guilelmum, vel abnuentes compuliſſet. Eadem mens omnibus erat, eadem quiſque ſentiebat, & Hugo Lugdunenſis ſummi Pontificis legatus, & ipſe Archiepiſcopus Senonenſis, ad quem Guilelmi ordinatio pertinebat, electum ordinare differebat: eaque communis omnium exiſtimatio erat; ipſe Guilelmus cujus menti Deus plurima bona inſeverat, vix iſtud probè & legitimè factum eſſe credebat, etſi nullius ſe improbi facinoris agnoſcebat conſcium. Ivo, in cujus ſinu Guilelmus educatus fuerat, qui probos ejus mores noverat, hærebat dubius animi, quid ſentiret? donec inquiſitione facta vacillantem Guilelmi animum confirmavit, & ad ſuſcipiendum munus hortatus eſt; quin etiam ſummo Pontifici pravè de electione Guilelmi ſentienti meliora perſuaſit. Ivo haud ſuſpectus habebatur

Urbanus PP. ejecto Gotfrido ipſe hunc, quem magnis virtutibus ornatum eſſe noverat, non dubitaverat Carnotenſem Epiſcopum ordinare. Ivo nihil Regis auctoritate deterritus, Bertradæ nefandum conjugium palam redarguere auſus fuerat. Ille igitur certus nihil ad gratiam Regis conceſſum, obtinuit facile ab Urbano, ut Guilelmus ordinaretur. Si tamen, quod diximus, Decanus, Cantor, & Archidiaconus juramento affirmarent in electione nihil vitio factum eſſe. Demum cum eum ritè & canonicè electum eſſe conſtitiſſet, ordinatus eſt paulo ante feſtum ſancti Remigii anno M X C V I. Annum ejus ordinationis in hunc modum facile reperies. Certum eſt hunc non ordinatum eſſe antequam Urbanus in Galliam veniſſet, venit autem anno M X C V. Conſtat præterea Guilelmum non ordinatum eſſe, niſi poſt Claromontanam Synodum, quod patet ex his, quæ retulimus ex epiſtolâ Ivonis ad Richerium, qui pallii uſu privatus fuerat, quoniam Lugdunenſis Archiepiſcopi primatum agnoſcere detrectabat; ea vero cauſa in Synodo Claromontana acta eſt, judiciumque in ea Synodo pronunciatum eſt contra Richerium, adeo ut oportuerit ad ordinationem Guilelmi factam eſſe Richerio poteſtatem utendi pallio. Cumque Claromontana Synodus habita ſit anno M X C V. menſe Novembri, & ex epiſtolis Ivonis manifeſtum ſit ordinationem Guilelmi feſtum ſancti Remigii præceſſiſſe, haud dubiè Guilelmus Epiſcopus ordinatus eſt paucis diebus ante hunc ſancti Remigii feſtum anno M X C V I. Hîc annotare oportet aliquando in chartis ejus epiſcopatus annos numeratos eſſe ab anno ejus electionis, & aliquando ab anno ejus ordinationis, quæ varietas in antiquis chartis reperitur, uti mox oſtendemus.

LIB XI. CAP. IV.

Guilelmus ſtatim poſt ordinationem Eccleſiæ adminiſtrandæ operam poſuit. IV. Latiniacenſes monachi, qui antea reverentiam Epiſcopo Pariſienſi, & debitam exhibuerant obedientiam, excutere jugum tentaverunt. Guilelmus ſua ſuæque Eccleſiæ jura defendere haud dubitavit, quin etiam ob eam inprimis cauſam ad Urbanum ſummum Pontificem accedere, ut eo vindice ſua jura tueretur. Rem ab Ivone Epiſcopo accepimus, qui ad Urbanum PP. his verbis ſcribit. *Poſtquam diſceſſi è facie veſtræ beatitudinis, multis hinc inde concurrentibus cauſis, non fuit mihi facultas ad vos redeundi, nec per nuncium meum veſtram celſitudinem ſalutandi. Cum enim Pariſienſis Epiſcopus ad vos proficiſceretur, jam ferme compleverat iter octo dierum, quando nondum audieram eum ad vos eſſe venturum. Quo tamen audito per quemdam ſervientem ſuum miſi poſt eum litteras iſtas, quibus eum commendo paternitati veſtræ, ut pote apud nos enutritum & eruditum, & quantum videbatur in annis adoleſcentiæ ſuæ innocenter, & ſine querela converſatum. Pro eo itaque, quia ex indulgentia veſtra paſtoralem ſuſcepit ſollicitudinem, ſupplicamus paternitati veſtræ, ut eum materna pietate colligatis, paterna gravitate corrigatis, quatenus ex diſciplina veſtra correctior, & gravitate veſtra nobis reddatur gravior: videlicet, ut ſtudium venandi, & alia juvenilia deſideria in ſe comprimat, ſtudioſius ſolito orationi & lectioni incumbat. Præterea ſummopere rogamus excellentiam veſtram, ut eum munitum apoſtolicis litteris remittatis contra Latiniacenſem Abbatem & monachos ejus, qui neſcio qua nova libertate ſuos exceſſus tuentur, & ſubjectionem Pariſienſis Eccleſiæ debitam, & hactenus exhibitam contra canonicam inſtitutionem de cervice ſua excutere moliuntur. Hæ autem perſonæ hujuſmodi ſunt, quibus magis neceſſaria eſt ſubjectio, quam libertas, qui libertate in occaſionem carnis abutuntur, quibus ſi decem millia pædagogorum in Chriſto ad cuſtodiam deputarentur, vix tamen ſic regularis continentiæ legibus ligarentur. Sicut ergo decet diſcretionem moderationis apoſtolicæ, ita rem inter utrumque temperate; ut nec Pariſienſis Eccleſia ſuo jure minuatur, nec Latiniacenſe monaſterium aliquod gravamen à Pariſienſi Eccleſia indebite patiatur.* Monaſterium Latiniacenſe fuit ſemper ſubjectum Pariſienſi Epiſcopo, ut ex litteris ſummorum Pontificum, & ex aliis actis poſtea manifeſtum erit. Eodem primo ſuæ ordinationis anno dedit canonicis beatæ Mariæ eccleſiam ſancti Chriſtophori, quod antea memoratum eſt: charta eſt ejuſmodi. *In nomine ſanctæ Trinitatis &c. Ego Vuilelmus Dei miſeratione Pariſiorum Epiſcopus ante mentis oculos diem illum reducens, & periculum animæ meæ accuſante conſcientia metuens, canonicis beatæ Dei*

genitricis Mariæ quandam eccleſiam infra muros civitatis Pariſiis ſitam, & in honore beati Chriſtophori Martyris Deo conſecratam precibus amicorum noſtrorum & aſſenſu Vulgrini ejuſdem civitatis Archidiaconi liberam & quietam epiſcopali auctoritate concedimus, & quidquid juris in ea obtinemus, perpetuo eis habendum donamus. Vt autem hoc donum firmum inconcuſſumque permaneat, chartam iſtam fieri præcepimus, manuque propria firmavimus, manibuſque canonicorum noſtrorum firmandam tradidimus. Actum Pariſiis in capitulo ſanctæ Mariæ anno ab Incarnatione Domini M X C V I I. Vvilelmi vero anno primo Indictione quinta. Signum Vvilelmi Epiſcopi. Signum Fulconis Decani. Signum Gualeranni Præcentoris. Signum Vulgrini Archidiaconi. Signum Stephani Archidiaconi. Signum Ratnaldi Archidiaconi. Signum Roberti ſacerdotis. Signum Goderanni ſacerdotis. Signum Rogeri ſacerdotis. Signum Anſcheri diaconi. Signum Pontii diaconi. Signum Henrici diaconi. Signum Theodomi ſubdiaconi. Signum Nantonis ſubdiaconi. Signum Hugonis ſubdiaconi. Signum Liſiardi acolythi. Signum Petri acolythi. Signum Godefridi acolythi. Amelinus Cancellarius ſcripſit. In ea charta anni epiſcopatus Guilelmi numerantur ab ejus ordinatione. In ea quoque mentio eſt Vulgrini Archidiaconi, ad quem extant aliquot Ivonis Carnotenſis Epiſcopi epiſtolæ, de quibus ſermo erit, poſtquam ea retulerimus, quæ ad pontificatum Guilelmi pertinent. Is pariter conceſſit monachis ſancti Martini de Campis quædam altaria; extat charta donationis in hiſtoria hujus monaſterii data in capitulo ſanctæ Mariæ anno ab Incarnatione Domini MXCVIII. regnante Philippo Rege xxxviii. Vvilelmo Epiſcopo anno iii. Indict. vi. Epact. xv. concurrente iv. hîc anni numerantur ab ejus electione. Subſcripſit chartæ Urſionis Prioris ſancti Martini, qua vineas quaſdam commutavit cum Herluino filio Blardi anno MLXXXXIX. Fecit quoque præceptum de Orleyo & de ſancto Chlodoaldo, anno MC. regnante Rege Philippo. Regni ſui anno XL. Sicut in alia charta minoris Paſtoralis, in qua fit mentio Fulconis Decani, qui deinde Pariſienſis Epiſcopus fuit, data eſt anno M C. Regni Philippi X L. Epiſcopatus Guilelmi v. nempe ſi annos numeres ab ejus electione. Ex epiſtola Ivonis, quæ LXXIX. eſt, apparet circa hoc tempus Synodum habitam eſſe Stampis. Non aſſeveranter annum dixero, ſed re ad examen revocata hanc anno M X C V I I. habitam eſſe exiſtimo. Huic Concilio adſuerunt Daimbertus Archiepiſcopus Senonenſis, Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Guilelmus Pariſienſis, Joannes Aurelianenſis, Galterius Meldenſis, Humbaldus Antiſſiodorenſis. Nihil ex hac Synodo nobis ſupereſt præter epiſtolam, quam nomine Synodi, & provincialium Epiſcoporum ad Philippum Tricaſſinum Epiſcopum Ivo ſcripſit. Cauſam ex ipſa diſces epiſtola, quæ eſt ejuſmodi. *Congregatis in Stampenſi Concilio ſuper fraternitate tua, licet ingratis auditoribus nobis relata ſunt, de quibus valde mirati ſumus, quoniam & auribus piorum ſunt oneroſa, & ordini tuo, ſi vera ſunt, periculoſa: de quibus, quia eadem legati tui retulerunt, vel referre poterunt, interim ſilere decrevimus. Sed quia ad Concilium vocatus non veniſti, nec legatum, nec legitimam excuſationem ſcripto, vel dicto pro te miſiſti, potuiſſemus in te canonicam dediſſe ſententiam. Non enim metum mortis, aut cruciatus ſuſpicionem inferendi, ſed præſentem tantum ſecundum leges pro legitima excuſatione accipimus, ubi iter anticipare vel circuire nullæ anguſtiæ prohibuerint. Præterea quidam contemptus in litteris tuis notari potuit, quod nec nomen Metropolitani, ſicut in litteris excuſatoriis fieri ſolet, interpoſuiſti, nec ad eum aliqua excuſatoria verba direxiſti. Nos autem miſericordiæ magis intenti, quam judicio, inducias tibi à domno Metropolitano impetravimus uſque ad Dominicam proximam ante natalem Domini, quando futura eſt conſecratio Nivernenſis Epiſcopi. Monendo itaque mandamus, & mandando monemus, ut tunc præſentiam, remota omni excuſatione, domno Metropolitano exhibeas ſatisfacturus de objectis. Quod ſi adeſſe neglexeris, à modo non erit culpa noſtra, ſi pro miſericordia judicium ſuſceperis. Nec enim tibi timendum erit de Vicecomite, qui de ſe & filio ſuo, & omnibus ſuis omnem tibi ſecuritatem in præſentia totius Concilii promiſit.* Non diu huic Synodo Guilelmus ſuperſtes fuit. Anno enim M C I. deceſſit. Necrologium Eccleſiæ Pariſienſis annotat diem ejus obitus ad vi. Calend. Septemb. his verbis. De domo ſanctæ Mariæ obiit Guilelmus Epiſcopus, qui dedit

dedit nobis illud poteſtatis, quod ipſe & Archidiaconus habebat in eccleſia ſancti Chriſtophori martyris. LIB. XI. CAP. IV.

V. Dum Guilelmus Epiſcopus fuit, Eccleſiam Pariſienſem ornabant viri gravitate & dignitate meritiſſimi, Fulco ſcilicet Decanus, qui ejus ſucceſſor fuit, Galeranus Præcentor, de quo ſuperius à nobis dictum eſt, quem Gotfridus Epiſcopus auctoritate ſua reduxit à monaſterio ſancti Martini, ad quod pietatis ergo confugerat; erant præterea Archidiaconi Vulgrinus, de quo modò dicemus, & Stephanus, de quo pariter erit ſermo, & Rainaldus, cujus nominatim juramentum expetiit Urbanus II. PP. ut ejus teſtimonio valeret electio Guilelmi Epiſcopi. Sed quoniam extant aliquot epiſtolæ Ivonis Carnotenſis Epiſcopi ad Vulgrinum, de eo mihi dicendum eſt. Ille Ivonem Epiſcopum ſuper talem cauſam conſuluit, quædam mulier Judæa abjectâ Judaïcâ ſuperſtitione, ſancto baptiſmo initiata eſt, & religionem Chriſtianam ſuſcepit, & viro Chriſtiano ritè nupſit. Illa poſtea relapſa in priſtinam perfidiam, fidem Chriſtianam impiè deſeruit. Impietati aliud crimen adjunxit, relicta enim Chriſtiana religione, cum altero viro ſuæ conſorte perfidiæ nefarias contraxit nuptias. Vir Chriſtianus ſimiliter ſuo thoro alteram aſcivit uxorem. Quærit ab Ivone Vulgrinus, an alterum hoc viri Chriſtiani matrimonium validum ac legitimum ſit. Negat Ivo, adulteriumque eſſe perpetratum aſſerit. Sed ecce tibi Ivonis reſponſionem profero. *Breviter de Judæa baptizata & Chriſtiano nupta, poſtea vero ad judaiſmum reverſa, fraternitati tuæ reſpondemus: quoniam verum connubium fuit, quod inter perſonas ejuſdem legis nulla interveniente cauſa, quæ conjugium ſolvit, ritè celebratum fuit. Quamvis itaque mulier dupliciter fornicata ſit, quia ad judaiſmum rediit, & viro alteri, Judaici ſcilicet ritus nupſit; vir tamen Chriſtianus, qui aliam vivente ea duxit, procul dubio adulterium perpetravit. Canon autem manifeſtè dicit, ſicut ipſe bene noſti. Quia inceſtis conjunctionibus nihil veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Dicit enim beatus Auguſtinus in libro de nuptiis & concupiſcentia. Manet inter viventes quoddam conjugale, quod nec ſeparatio, nec cum alio copulatio poſſit auferre. Hieronymus etiam ad Oceanum de morte Fabiolæ. Præcepit dominus uxorem non debere dimitti, exceptâ causâ fornicationis: & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris præcipitur, hoc conſequenter redundat ad feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus tenendus. Multa in hunc modum reperiri poſſent, ſed te hæc bene noſſe non ambigo.* Epiſt. Ivonis 122. Eſt alia epiſtola, quæ CXXXI. eſt, quam Uulgrino ſcribit de preſbytero quodam, qui eccleſiam, quam regebat, inter manus Archidiaconi dimiſerat, & ope quorumdam laicorum ſponſam, quam olim reliquerat, quæque fratri ejus nupſerat, repetere conabatur, ſuadet illi, ut ſtet eo judicio, quod jam tulerat, & vim preſbyteri & laicorum hominum ſeveritate legum canonicarum coerceat. Hæc, ſi quis fuſiùs tractata videre voluerit, adeat illam, quam annotavi epiſtolam.

VI. Poſtquam Guilelmus Epiſcopus deceſſit, ad electionem alterius Epiſcopi acceſſerunt canonici, ſtudia eligentium in varias partes ſciſſa ſunt, ſed tamen major pars Fulconem Decanum elegit. Nihilominus quidam contra Fulconis electionem obſtrepere & reclamare coràm auſi ſunt, factionis principes erant Archidiaconi Vulgrinus & Stephanus, qui apud Ivonem de illa electione conqueſti ſunt. Ivo litteras graviſſimas ſcripſit ad Archidiaconos. Dicit affectum ſe dolore, quod audiret Eccleſiam Pariſienſem contentionibus & diſſidiis laborare. Sæpius experientiâ comprobatum eſſe, quanto rei Chriſtianæ detrimento ſchiſma Eccleſias diſcerperet. Quod ad Fulconis electionem ſpectabat, reſpondet, neque ſe approbaturum Fulconis electionem, neque alterius cujuſcumque, niſi illius, quem aut cleri populique conſenſus elegerit, aut judicium Metropolitani, & Epiſcoporum provincialium conſenſus probaverit. Quædam deinde adjicit documenta illis & Eccleſiæ tranquillitati utilia. Ut ſcilicet nemo privata exerceat odia, nullus ſuo magis, quam publico commodo ſtudeat. Addit ſe mirari, quod conſenſerint eam cauſam coram Rege examinari. Epiſtola illa CXXXVIII. eſt, habeturque ejuſmodi. *Cum de electione Epiſcopi apud vos ageretur, & à quibuſdam veſtrûm domnus Fulco Decanus veſter eligeretur, habita eſt, ut*

audivimus, inter vos fœda contentio, quæ & multorum aures offenderet, & de Eccleſia veſtra non bonum odorem longè latèque diſpergeret. De obtenebrata itaque pacis veſtræ ſerenitate fraterna compaſſione doluimus, quia, quæ gravamina de fraterno ſchiſmase Eccleſiis evenire ſoleant, experimento didicimus. Petitioni veſtræ tamen hoc reſpondemus, quia electioni domni Fulconis, vel alterius aſſenſum non dabimus, niſi quem aut cleri plebiſque conſenſus elegerit, aut Metropolitani judicium cum conniventia ſuffraganeorum habita legitima diſcuſſione probaverit. Conſulendo itaque monemus fraternitatem veſtram, ut nemo veſtrum in tanto diſcrimine privata odia exerceat, nullus privatum honorem, vel privatum commodum quærat, nullus fratrem ſuum publica infamia pulſet, niſi judiciario ordine probare poſſit, quod objecerit: ne dum temere non probanda objicit, ipſe talionem recipiat, & ſe & ſua in periculum mittat. Miramur autem prudentiam veſtram, quare adverſus Regem in præſentia Regis diſpoſuiſtis cauſam iſtam examinare, ubi plus poterit voluntas Regis, quam juſtitia legis, ubi nec veritas poterit cum pace diſcuti, vel inventa ſervari. Valete. Sæpius quidem ſchiſmate Eccleſias ſciſſas eſſe quiſquis res Eccleſiarum legit, novit utique, immo paucæ reperiuntur, quin aliquando hoc malo vexatæ ſint. Hoc vero valde memorandum eſt, quod non accepimus huc uſque Eccleſiam Pariſienſem eo morbo laboraſſe: neque ullam alicujus ſchiſmatis, quod acciderit in Eccleſia Pariſienſi, memoriam aliàs invenimus. Electiones Epiſcoporum ſemper quietæ fuerunt, & admirabilis ſemper fuit in electionibus cleri populique conſenſio. Neque in cauſa Fulconis rem in ſchiſma prorupiſſe dixerim; contentiones quidem ortas hîc eſſe fateor. Ex his certè, quæ poſtea referemus, apparet Fulconem pluribus ſuffragiis electum fuiſſe, aliquot tamen inter quos Vulgrinus & Stephanus fuerunt, interceſſiſſe. Sed demum rem eſſe diſcuſſam à provincialibus, & ab iis approbatam eſſe electionem; Fulconemque demum à ſummo Pontifice Paſchale ordinatum eſſe dicemus. Hæc vero quomodo geſta ſint, exponendum eſt. Sed primùm quædam mihi dicenda ſunt, quæ ad Fulconem ipſum pertinent.

VII. Fulco primum fuit canonicus Silvanectenſis Eccleſiæ, ut patet ex charta Urſi Silvanectenſis Epiſcopi, quæ refertur in hiſtoria ſancti Martini de Campis lib. v. ubi inter ſubſcriptiones clericorum ſeu canonicorum habetur nomen Fulconis, qui poſtea Decanus Pariſienſis fuit, qui & hoc nomine aliis pluribus chartis ſubſcripſit. Extat epiſtola Ivonis ad eum, cum adhuc Decanus erat, eſtque CXII. Conqueritur Ivo, quod Paganum quemdam & Hugonem Puteacenſem, quos communione Eccleſiæ privatos declaraverat, admiſerit ad communionem. Epiſtola eſt ejuſmodi. *Quoniam omnis injuria eccleſiaſtica, quæ admonitione non corrigitur, anathemate plectenda eſt, ſi ancillam Eccleſiæ veſtræ adverſus dominos ſuos calcitrantem excommunicaſtis, quod veſtri juris erat feciſtis, maxime cum dominorum poteſtatem in ſervos ſuos illibatam debere eſſe lex conſtituat, nec cuiquam hominum jus ſuum detrahi poſſe permittat. Quod autem ex conſuetudine Eccleſiæ veſtræ hoc vobis licere abſque alterius perſonæ interpellatione aſſeritis, non eſt hæc ſolius Pariſienſis Eccleſiæ conſuetudo, ſed etiam Carnotenſis, & aliarum Eccleſiarum, quibus epiſcopali auctoritate excommunicandi jus conceſſum eſt. Unde non aliud ſanius conſilium vobis dare poſſumus, quam ut conſuetudinem fortiter teneatis: à qua ſi ſemel ceſſeritis, non ad arbitrium veſtrum recuperare valebitis. De cetero culpo dilectionem veſtram, quod Paganum à nobis eccleſiaſticè excommunicatum, & apoſtolica auctoritate exigentibus culpis ſuis in infamiam pulſum, in communionem recipitis, & Hugonem Puteacenſem ſimiliter, quod à nobis fieri de veſtris excommunicatis manifeſtè culparetis. Moneo itaque, ut de cetero, quam à nobis juſtitiam in neceſſitate veſtra vobis fieri velletis, eandem nobis in noſtra neceſſitate faciatis: ne ſi vos negligentes invenerimus in noſtris, & nos ſimiles inveniamur in veſtris; & ut hoc apoſtolica auctoritate debere fieri ſciatis, litteras domni Papæ, quas miſit Senonenſi Eccleſiæ & Aurelianenſi & Pariſienſi interim vobis tranſmitto, quas jam bullatas domnus Metropolitanus accepit.* Credo id temporis vacuam Pontifice fuiſſe cathedram Pariſienſem. Fulco, ut dictum eſt, electus fuerat Epiſcopus à majore eligentium numero, quidam tamen electioni ejus interceſſerant, atque inprimis duo Archidiaconi Vulgrinus & Stephanus. Cumque contentiones exardeſcerent, rem placuit coram Rege ab Epiſcopis provin-

ciæ pertractari. Daimbertus itaque Metropolita Epiſcopos convocavit Pariſios, LIB XI. ut cauſa coram Rege diſcuteretur. Extat de hac re Ivonis Carnotenſis epiſtola CAP. IV. ad Daimbertum Archiepiſcopum Senonenſem, quæ ita ſe habet. *Apellatio, quam* Ivonis epiſt. *fecerunt Pariſienſes, ad vos referenda erat, ut vos eis diem & locum pro arbitrio ve-* 139. *ſtro præſcriberetis, & Epiſcopos ſuffraganeos ad hanc diſcuſſionem indulto congruo ſpatio invitaretis. Quod quia factum non eſt, præproperè facta mihi videtur domni Fulconis electio, & ejuſdem electionis futura diſcuſſio. Et quia deſideranti animæ nihil ſatis feſtinatur, poterit contingere, quod per Sapientiam dicitur. Hæreditas ad quam feſtinatur in initio, in noviſſimo benedictione carebit. Ad hanc autem diſcuſſionem à domino Philippo Rege invitatus eram, ſed hoc mihi diſplicebat, quia ſecundum morem eccleſiaſticum, & inſtitutionem canonicam è vobis talis admonitio non præceſſerat. Nunc vero audita veſtra admonitione, ſi conductum promiſſum Rex mihi dederit, Deo donante venire curabo. Si autem aliqua præpediente ratione venire non potero, neque tot de collegis convenerint, qui ad tanti negotii definitionem ſufficiant, aut in aliud tempus rem differte, aut ad ſedem apoſtolicam utramque partem ire permittite, ad quam iturus eſt domnus Fulco, ſive rata ſive irrita fiat ejus electio. Valete.* Ex litteris Paſchalis Pontificis apparet, hoc conſilium Ivonis Carnotenſis effectum omnino non habuiſſe. Epiſcopi certè ad ſummum Pontificem cauſam detulerunt. Ille moribus & gravitate Fulconis excitatus, haud dubitavit non modo ejus electionem approbare, ſed etiam ipſum Epiſcopum ordinare. Exrat in tertio ſpicilegio Paſchalis PP. epiſtola ad Daimbertum Senonenſem Archiepiſcopum de ea Fulconis ordinatione. *Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Daimberto Senonenſi Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venit ad nos cum tuo ſeu ſuffraganeorum tuorum teſtimonio, Pariſienſis Eccleſiæ electus per nuncios & per litteras ejuſdem Eccleſiæ preces afferens, ut à nobis Dei gratia deberet in Epiſcopum conſecrari. Nos perſonæ gravitatem videntes, morum maturitatem attendentes, infirmitati diuturnæ compatientes, Eccleſiæ preces duximus audiendas. Salvo igitur in omnibus Senonenſis Eccleſiæ jure, & perſonæ tuæ reverentia, eum noſtris tanquam beati Petri manibus largiente Domino conſecravimus. Ipſum itaque ad dilectionem tuam cum beati Petri gratia remittentes, litteris præſentibus plurimùm commendamus, omnipotentem Dominum rogantes, ut eum ad vos reducat incolumem; & Eccleſiæ ſuæ utiliorem fore concedat.* Paſchalis ſcribit ad ſe Fulconem acceſſiſſe cum teſtimonio Daimberti Metropolitani & epiſcoporum Senonenſis provinciæ, & ſe precibus Eccleſiæ Pariſienſis invitatum ad eum ordinandum, quod ultrò ipſe perfecerit, impulſus gravitate illius perſonæ, & morum ejus maturitate. Epiſcopi ſcilicet provinciæ nihil auſi fuerant definire, quoniam factio contraria potens erat. Ne igitur eorum ſententia magis æſtum factionis accenderet, quam extingueret, remiſerunt negotium ad ſummum Pontificem, ut ejus auctoritate factio penitus conquieſceret. In hac, quam ſupra deſcripſi, Paſchalis PP. epiſtola, quidam non de Fulconis, ſed de Galonis Pariſienſis Epiſcopi ordinatione agi cenſent, ſed male. Quod quiſque facile intelliget ex his, quæ jam retulimus antea de Fulcone Pariſienſi Epiſcopo, & quæ mox dicturi ſumus de Galone ejus ſucceſſore. Diximus ex Ivonis epiſtola Fulconem, cum de ejus electione lis eſſet, eundi Romam cepiſſe conſilium, ſive rata, ſive irrita fieret ejus electio. Poſtquam igitur de Fulconis electione coram Rege à Metropolitano, provincialibuſque Epiſcopis Pariſiis actum eſt, eorumque omnium conſenſu ea approbata eſt, Romam ille profectus eſt cum litteris Metropolitani & provincialium Epiſcoporum & ipſius Eccleſiæ Pariſienſis ſupplicibus litteris, quibus rogabatur ſummus Pontifex, ut Fulconem Epiſcopum ordinaret. Paſchalis teſtimonio Epiſcoporum provinciæ Senonenſis, maturitate ejus morum & perſonæ gravitate provocatus, Pariſienſis Eccleſiæ precibus annuit, & ipſum ordinavit Epiſcopum. Nec mora ad Daimbertum Archiepiſcopum de hac ordinatione ſcripſit, quam ait peractam eſſe ſalvo illius jure. Quæ omnia Fulconi maxime conveniunt, qui ſcilicet ætate maturus erat & moribus pollens, ſed qui nondum ordinatus erat Epiſcopus: quod inprimis notandum eſt; hoc enim Galoni non convenit, qui quidem moribus præditus erat: ſed jampridem ordinatus fuerat Epiſcopus, vel antequam unanimi cleri acclamatione

LIB XI CAP. IV. ad cathedram Pariſienſem evocatus eſt. Hoc facile addiſcas ex Ivonis litteris, qui de Galone ſic ſcribit in epiſtola CXXVI. *Notum facimus*, inquit, *veſtræ paternitati, quod clerus & populus Pariſienſis Eccleſiæ voto & voce domnum Galonem Belvacenſi Eccleſiæ conſecratum in Epiſcopum elegerunt.* Vides Galonem jam Epiſcopum ordinatum & conſecratum eſſe, antequam Epiſcopus Pariſienſis renunciatus eſt. Id pariter intelligas ex aliis ejuſdem epiſtolæ locis, hunc enim Ivo in contextu epiſtolæ Epiſcopum vocat; adde quod Daimbertum provinciæ Senonenſis Metropolitanum rogat, non ut illi manus imponat, & ejus celebret ordinationem: ſed ut ejus electioni ſuffragetur, curetque, ut ſibi Metropolitano fiat poteſtas à ſummo Pontifice illum transferendi à ſede Bellovacenſi ad cathedram Pariſienſem. *Paternitati veſtræ ſuggerimus, quatenus eidem electioni adſtipulando à domno Papa poſtuletis, ut prædictum Epiſcopum per manum veſtram transferri præcipiat.* Quæ omnia oſtendunt Galonem epiſcopum jam antea ordinatum fuiſſe. Sanè epiſtola ejuſdem ſummi Pontificis ad clericos Eccleſiæ Pariſienſis nihil memorat, quod ad Galonis ordinationem ſpectet. Superior igitur epiſtola, quæ pariter eſt Paſchalis PP. in qua ſermo eſt de ordinatione Pariſienſis Epiſcopi, quam ipſe ſummus Pontifex peregerit, pertinet ad Fulconem; de cujus electione lis erat & controverſia, & quem Paſchalis PP. ad rogationem Eccleſiæ Pariſienſis ordinaverat: non ad Galonem, qui jam antea Epiſcopus Bellovacenſis ordinatus fuerat. Fulco non diutius Eccleſiam Pariſienſem rexit, obiit enim anno MCIV. ſexto Idus Aprilis, ut habet necrologium Eccleſiæ Pariſienſis *VI. Idus Aprilis de domo ſanctæ Mariæ obiit Albertus ſacerdos, atque Fulco Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui fecit unam domum in clauſtro.* Eo vero, quem diximus, anno mortuum eſſe, ſignificant acta Galonis ejus ſucceſſoris, quæ poſtea referemus. Fulconi ſucceſſit Gualo, ſeu Galo, aut Vvalo, de quo mihi dicendum eſt.

VIII. Galo ſub Ivone olim apud Bellovacos in Eccleſia ſancti Quintini canonicum regularem, ut dicunt, egerat, deinde ejuſdem loci Abbas fuerat, poſtmodum electus eſt à majore & ſaniore parte Epiſcopus Bellovacenſis. Verum haud quieta ejus electio fuit. Quidam enim factione magis, quam auctoritate & numero prævalentes aliò abrepti Stephanum de Garlanda virum magis nobilitate generis, quam morum integritate clarum Epiſcopum elegerunt. Sed cum hoc tempore mos eſſet conſenſum Regis obtinere, & ab eo bona epiſcopalia accipere, neutrum à Rege obtinuit, qui enim Galoni adverſabantur, Regem adierant, Regiſque odium in Galonem concitaverant, dicebantque hunc diſcipulum Ivonis Carnotenſis fuiſſe, ejuſque imbutum documentis, regiis mandatis haud pariturum, immo & hunc Paſchalis PP. auctoritate electum eſſe, quem ſciret poteſtati regiæ adverſaturum. His aliiſque ejuſmodi ſermonibus Rex perſuaſus, adhibito ſacramento, negavit ſe Galonis electioni daturum eſſe aſſenſum. Cum in ea ſententia Rex Philippus permaneret, Anſelmus Cantuarienſis & Ivo Carnotenſis Epiſcopi de hac Galonis electione ad Paſchalem PP. litteras miſerunt; ambobus notus erat. Anſelmus olim Abbas Beccenſis, cum eo amicitiæ vinculo conjunctus fuerat: & cum Ivo eccleſiam ſancti Quintini apud Bellovacos regeret, Galo ejus diſcipulus fuerat. Extat ad ſummum Pontificem Anſelmi epiſtola, quam hîc libet deſcribere. *Eccleſia Belvacenſis veſtro conſilio directa, & auctoritate roborata, domnum Galonem Abbatem eccleſiæ ſancti Quintini elegit, & electum deſiderat ſibi conſtitui Epiſcopum. Eſt enim in quantum humana poteſt judicare cognitio, ſic aptus & utilis ad hoc in omnibus, quæ in eligendo Epiſcopo conſideranda ſunt: ut melior & aptior in eadem Eccleſia inveniri nequeat. Sed quoniam deſideranti nihil ſufficit, donec quod deſiderat aſſequatur; non eſt contenta eadem Eccleſia ſuis precibus, ſed & aliorum, quos ſuum deſiderium apud veſtram celſitudinem adjuvare poſſe exiſtimat, auxilium ſtudioſe poſtulat. Eſt enim experta in præteritis temporibus, & in ſimili negotio multos eſſe, quorum conſuetudo eſt malum dicere bonum, & bonum malum; & quærere, quæ plus ſua ſunt, quam quæ Ieſu Chriſti; & qui acuunt linguas ſuas ſicut ſerpentes: quos timet ne ſimulata columbina ſimplicitate ſuo veneno bonum inceptum inficere & annihilare contendant. Quamvis igitur longe nunc ſim ab illo, tam propter familiarem dilectionem, quam invicem habemus,*

Anſel. epiſt. 69. lib. 3.

& propter notitiam, inſtant mihi, quatenus quid de ejuſdem viri teſtimonio ſentiam, ſanctitati veſtræ fideliter ſuggeram; & quantùm in me eſt apud eam, ut quod deſiderant nulla occaſione annihiletur, precibus, quibus poſſum efficiam. De perſona itaque, quam eligunt, ſecundum conſcientiam loquor, quia in prædicta Eccleſia ad epiſcopatum nec meliorem nec æqualem inveniri poſſe intelligo; nec aliquid de illo, aut fama, aut experimento, quod ejus obſtet electioni, aliquando ſenſi: ſed multa, quæ ejus electionem approbant, experimento & fama cognovi. Quapropter licet de veſtra auctoritate, quod ex vobis eſt, non dubitemus: tamen quibus poſſumus mente ad veſtigia veſtra proſtrati precibus flagitare præſumimus, quatenus eidem Eccleſiæ poſt multas, quas noſtis tribulationes, quas paſſa eſt, miſericordia veſtra ſubveniat, & quod bene inceptum eſt ſine dilatione perficiat. Præclarum eſt hocce ſancti Anſelmi de Galone teſtimonium, quem his exornat laudibus, ut neminem in tota Eccleſia Bellovacenſi digniorem epiſcopatu reperiri poſſe exiſtimet. Neque minoris eſt pretii teſtimonium, quod Ivo Carnotenſis de Galone refert ad eumdem ſummum Pontificem epiſtolâ CXXIV. ſic ſe habet. *Belvacenſes clerici melioris famæ & conſilii ſanioris præcedente conſilio veſtro, conſilio optimatum diœceſis ſuæ, & laude populi domnum Galonem virum vita honeſtum, liberalibuſque ſtudiis & eccleſiaſticis diſciplinis ornatum, in Epiſcopum ſibi elegerunt Stephani illius repudiati complices, quos ſibi pelliculis peregrinorum murium, atque aliis hujuſmodi ancupiis ineſcaverat, huic electioni non adſenſerunt, nec tamen ei aliquid, quod ſacris canonibus obviet, objicere potuerunt. Cum vero rem per ſe impedire non valerent, Regem adierunt, quædam verba auribus ejus inſtillaverunt, quæ facile in cor ejus eliquaverunt: videlicet, quod prædictus electus diſcipulus meus fuerit apud me nutritus, apud me eruditus, addentes, quod à ſanctitate veſtra fuerit electus, & quod magnus ei futurus eſſet adverſarius, ſi in regno ejus aliquando fieret Epiſcopus. Rex itaque virulentis his verbis ſuccenſus, & ab omni bona voluntate turbatus, non vult electioni aſſenſum præbere, nec electo bona epiſcopalia dimittere. Unde electores ejus ad paternitatem veſtram jam confugiſſent, niſi quia metropolitanus eorum eos detinet condicto die inter contradictores & electores, ſicut dicitur pacem volens componere, vel forſitan propter voluntatem Regis rem callidè impedire. Supereſt ergo, dilectiſſime pater, ut pro poteſtate, & auctoritate veſtra, ſicut cœpiſtis Eccleſiæ, prout clerici rationabiliter poſtulaverint, ſuccurratis, & conſilium veſtrum inconfuſibile faciatis, ne inſidiatores, & detractores veſtri ſubſannando dicere incipiant. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Ex his maximorum hujus ætatis hominum teſtimoniis conſtat Galonem magnis præclariſque fuiſſe decoratum virtutibus. Ille ſub Ivonis diſciplina in Bellovacenſi monaſterio ſancti Quintini humanarum divinarumque litterarum tirocinium poſuerat, adeoque profecerat, ut tantorum taliumque Pontificum laudem meruerit: pareſque ſcientiis mores habuiſſe ex eorumdem litteris comperimus, unde eum ob eam cauſam maximè prædicatum eſſe legimus, adeo ut neminem illi in Bellovacenſi Eccleſia huic præferrent; licet his ornamentis honorem, quem non ambiverat, eſſet meritus, nullo tamen modo conſenſum Regis potuit obtinere, adeo potens erat Stephani factio, cujus propinqui in aula Regis auctoritate ſicut & dignitate prævalebant: neque Galoni quidquam profecit, quod ordinatus fuerit Epiſcopus. Rex ſemper infracto ſtetit animo, neque uſquam ſe vinci paſſus eſt. Dum res Galonis in eo ſtatu verſarentur, Fulco Pariſienſis Epiſcopus ſupremum diem obiit. Clerus cœtu facto elegit Galonem, quem diximus electum, ordinatumque Bellovacenſem Epiſcopum, collige ex his, quæ de Galone locuti ſumus, quam ſana mens cleri Pariſienſis fuerit, quod ille nihili reputaverit odium Regis in Galonem, quodque nullâ aliâ ratione adductus ſit, ut eum eligeret Epiſcopum, quàm publica ejus virtutum exiſtimatione. Verum poſtquam electus eſt, obſtabant ejus electioni duo impedimenta, Rex adverſo in eum animo erat. Neque canones patiebantur transferri à ſede in alteram ſedem, tumque ſummo Pontifice opus erat, cujus beneficio & diſpenſatione transferretur Galo ad cathedram Pariſienſem. Ivo rem hanc Eccleſiæ Pariſienſi utilem & Galoni honorificam reputans, de ea electione ad Daimbertum Senonenſem Archiepiſcopum epiſtolam ſcripſit, eſtque centeſima vigeſima ſexta, ſic ſe habet. *Notum facimus veſtræ paternitati, quod clerus*

LIB. XI. CAP. IV.

LIB. XI. CAP. IV. *& populus Pariſienſis Eccleſiæ voto & voce domnum Galonem Belvacenſi Eccleſiæ conſecratum in Epiſcopum elegerunt, & ipſam electionem cum litterarum adſtipulatione miſſis ex clero idoneis perſonis prædicto Epiſcopo præſentantes, ut paſtoralem prædictæ Eccleſiæ curam ſuſciperet, humiliter & devote petierunt. Sed quia tranſlationes Epiſcoporum neceſſitate urgente Metropolitani auctoritate & ſummi Pontificis diſpenſatione fieri oportet; nos, in quantum in nobis eſt, eidem electioni aſſenſum præbentes, paternitati veſtræ ſuggerimus, quatenus eidem electioni aſtipulando à domno Papa poſtuletis, ut prædictum Epiſcopum per manum veſtram transferri præcipiat, cum propriam ſedem obtinere non valeat. Ita enim & veſtrum miniſterium honorificabitis, & Eccleſiæ deſolatæ ſolatium præbendo, eligentium & electi devotionem vobis arctius aſtringetis. Et in hoc vobis conſilium damus, ne ſi alio exitu res proveniat, Eccleſiæ veſtræ dignitas in aliquo minuatur, & mutua caritas, non tam firmo vinculo colligetur.*

IX. Ex Ivonis voto res feliciter ceſſit; Galo namque ex diſpenſatione ſummi Pontificis & Regis conſenſu epiſcopatum Pariſienſem adeptus eſt, & ſollemniter in cathedra collocatus. Sed tamen priùs Romam profectus eſt, & ab ipſo Paſchale ſummo Pontifice diſpenſationem obtinuit. Extant in minore paſtorali litteræ Paſchalis ſummi Pontificis ad clericos Eccleſiæ Pariſienſis, quas & hic licet tibi exhibere. Ejuſmodi ſunt. *Et nobis & vobis gaudendum eſt, quod poſt multa quæ veſtræ Eccleſiæ contigerunt adverſa, Dei vos miſericordia reſpexit. Perſonam ſi quidem idoneam, & ſacris canonibus congruentem ad veſtræ Eccleſiæ gubernationem, ſua vobis benignitate conceſſit. Ipſum igitur ad vos redeuntem, litterarum commendatione proſequimur, rogantes, ut eum plena affectione diligatis, plena humilitate veneremini. Confidimus enim eum eccleſiaſticæ diſciplinæ futurum eſſe cuſtodem, & ſalutis veſtræ ſollicitum proviſorem. Huic ſedulis officiis obedite, & gratiam vobis in eo conciliate cœleſtem. Hunc ad recuperanda Eccleſiæ bona, quæ prædeceſſorum illius tempore, tam in perſonis, quam in prædiis diſtracta dicuntur, communibus adjuvate præſidiis. Ad quam cauſam, adjuvante Domino, ſtrenuè peragendam noſtræ auctoritatis ei vicem conceſſimus: quatenus, ſi Epiſcopi, aut quorum parochiani bona ipſa diripiunt, aut quorum in parochiis bona eadem habentur; aut nolunt, aut deſides ſunt Eccleſiæ veſtræ juſtitiam ipſe vel interdicendi vel excommunicandi eos, ni ſatisfecerint, habeat facultatem. Illud ſane, quod apud quoſdam clericorum fieri audivimus, ut videlicet majores præbendarii à minoribus hominia ſuſcipiant: & huic cohibendum præcipimus, & litteris præſentibus, ne fiat ulteriùs interdicimus. In hujuſmodi ſi quidem conciliatione, & notatur ambitio, & gravius videtur Eccleſiæ ſcandalum generari. De cœnobio ſancti Elegii quid agendum ſit, ejus proviſioni commiſimus. Dicitur enim & loco importuniſſimo ſitum, & inhabitantium deſidiam tam infame, quam ærumnæ vehementer expoſitum. Datum Lateranni VIII. Idus Aprilis.* Cum ſumma reverentia receptæ ſunt ſummi Pontificis litteræ. Extant litteræ cleri Pariſienſis ad Paſchalem ſummum Pontificem, quibus illi gratias refert, ob conceſſum ſibi Epiſcopum, quem canonici imitari ſtudeant, & cujus documentis ad virtutem & bonos mores informentur. Litteræ ſic ſe habent. *Paternitati veſtræ quantas poſſumus gratiarum actiones toto mentis affectu referimus, quoniam idoneam, ac perutilem nobis perſonam in Epiſcopum concedendo provida diſpenſatione conſuluiſtis, & Eccleſiam noſtram inter adverſariorum procellas, quaſi ſine capite, diu vacillantem tanti paſtoris conſolatione miſericorditer reſpexiſtis: qui nimirum juxta legem forma gregis factus, ſuæ doctrinæ verbo, nos in templum Dei ædificet, & religioſæ converſationis exemplo informet. Ei itaque tum veſtro ſuper hoc mandato, tum pro honeſto converſationis merito diligenter ſervire ſtudemus, & tanquam patri debitam in omnibus obedientiam impendimus. Apoſtolicam vero ſollicitudinem latere non volumus, quod Comes de Dammartino terras noſtras, quibuſdam injuſtis exactionibus infeſtare non ceſſet, quas idem cum patre ſuo pro eadem re præcepto Vrbani Papæ quondam excommunicato, & tandem ſatisfaciente, & prædictas exactiones dimittente antea dimiſit. Precamur igitur, ut ſicut prædictus anteceſſor veſter patrem prædicti Comitis à ſua compeſcuit nequitia, & ita filium veſtræ diſcretionis refrenet providentia, & Epiſcopis Belvacenſi & Meldenſi, ut eum excommunicent, & ejus caſtella interdicant, donec nobis ſatisfaciat, injungatis.* Ex his patet Galonem Romam veniſſe, & à Paſchale ſummo

Spicileg. tom. 3.

Pontifice bene acceptum fuiſſe, & illi poteſtatem factam eſſe recipiendæ cathedræ Pariſienſis. Verùm quanto in honore Romæ fuerit ex Eadmero ſcriptore vitæ ſancti Anſelmi accipe. Sic in libro ſecundo loquitur. *Inter hæc venit ad nos Vualo Epiſcopus Pariſiacenſis, vir bene religioſus & eccleſiaſticarum conſuetudinum inſtitucionibus ab ineunte ætate imbutus. Hic Romæ notus, & apoſtolicæ legationis miniſterio functus, familiaritate Patris Anſelmi potiebatur. Igitur iſte à Roma ad nos veniens, quorumdam ſanctorum reliquias ſecum ferebat, quas, ut certò comperimus, ſibi Romæ datas habebat. Itaque cum Anſelmo me præſente loquens, innotuit ei, quid reliquiarum à Roma ſecum detulerit. Ad quod cum ille Deo gratias ageret, Epiſcopus unum os, quod de capite ſanctæ martyris Dei Priſcæ eſſe aſſerebat à pixide protulit, & id qualiter adeptus fuerit, illico ſubinferens, ait. Romæ eram, & oratorium nominatæ martyris, in quo beatiſſimus Apoſtolorum princeps altare ſacravit vetuſtate conſumptum, dirutum eſt & corpus martyris in nova recondendum eccleſia me aſtante levatum eſt. Igitur cum loci ipſius Cardinalis reliquias ſanctæ in ſuo jure haberet, & ipſe idem familiaris mihi exiſteret, os iſtud, quod videtis de ſacro corpore ſumptum mihi pro ſigno mutui amoris dedit, finierat Præſul in iſtis. Aſt ego earumdem reliquiarum habendarum amore illectus, ut ex ipſo oſſe mihi partem daret, deprecari Epiſcopum cœpi. Et ille, accipe, inquit, quantùm inde primo conatu frangere poteris, tuum ſit. Accepi, & en extra quam ſperabam, in principio mei conatus, una mihi particula in dexterâ manu remanſit. Cumque de parvitate ipſius mœrorem animi diſſimulare nequirem, & ut ſemel adhuc frangere inde mihi liceret, magnopere geſtirem, rupit deſiderium meum pater Anſelmus & ait. Noli, noli, quod habes ſufficiat tibi. In veritate quippe dico tibi, quia pro toto auro, quod Conſtantinopolim, & ultra citrave habetur, non omitteret Domina ipſa cujus eſt, quin illud ſibi vindicaret in die reſurrectionis cunctorum. Quamobrem, ſi debitam illi reverentiam exhibueris, æque ſuſcipiet, ac ſi toti corpori ejus exhiberes, quod ego audiens acquievi, & quam decentius potui, ipſum ex hoc uſque ſervavi; de quo oſſe poſt plures dies, Petrus quidam monachus Cluniacenſis, vir ſuo tempore magnæ auctoritatis, qui Camerarius erat domini Papæ Vrbani, atque Paſchalis, ad nos veniens à me percunctatus eſt, quid ſentiret. At ille ubi me referente, qualiter id adeptus fueram, vera omnino eſſe confeſſus eſt, quæ Epiſcopus inde dixerat, ſeque præſentem fuiſſe aſſeruit, quando idem os à corpore martyris ſublatum à Cardinali ſuſceperat.* Eadem idem auctor repetit libro quarto Novorum, ſed paucioribus verbis. His præclaris artibus Galo Pariſienſem cathedram adeptus eſt. Cum Rex prohiberet ne Bellovacenſi cathedrâ, ad quam vocatus fuerat, potiretur, inſperatò ad Pariſienſem Epiſcopatum evectus eſt. Tum quiſque ex amicis, qui eo tempore maxime doctrina, ſanctitate vitæ, & eccleſiaſticis honoribus præcellerent, omni ſtudio incubuerunt, ut Paſchalis PP. hanc electionem approbaret, & ejus tranſlationi aſſentiretur. Galo ipſe Romam perrexit. Paſchalis non modo illius petitioni annuit, ſed ipſi etiam contra invaſores rerum eccleſiaſticarum ſuas vices delegavit. Clerus deinde Pariſienſis, eum tanquam patrem, morumque ſuorum inſtitutorem complexus eſt. Quæ vero in epiſcopatu præclarè & honorificè geſſerit, ſuis locis memorabimus. Sed antea hæc, quæ in Synodo Claromontanâ geſta ſunt, & inprimis ad res Pariſienſes pertinent, exponamus.

CAPUT V.

De primatu Eccleſiæ Lugdunenſis primùm à Gregorio VII. PP. inſtituto, tum ab Vrbano PP. II. in Synodo Claromontana confirmato. De interceſſione Archiepiſcoporum Senonenſium &c. De Philippo I. Rege Francorum, de ejus divortio cum Bertha matre Ludovici VI. & de ejus nuptiis illicitis cum Bertrada, & de his, quæ nuptias conſecuta ſunt.

I. DUm Eccleſia Pariſienſis poſt mortem Gotfridi vacua eſt Pontifice, Urbanus II. PP. in Galliam venit, habuitque apud Clarum-montem celebrem Synodum, cui, ut habet Bertholdus, tredecim Archiepiſcopi cum ſuffraganeis adfuerunt, & ducentæ quinque paſtorales virgæ numeratæ ſunt. Habita eſt illa frequentiſſima Synodus anno MXCV. præclaraque in ea Synodo decreta conſtituta ſunt ad rem Eccleſiæ reſtituendam, & reformandos clericorum mores, quos horum temporum improbitas magnopere corruperat. Sancitos in eo Concilio canones referre non mihi propoſitum eſt, ſed duo triave duntaxat capita illuſtrare, quæ maxime ad res noſtras attinent. In ea Synodo de primatu Eccleſiæ Lugdunenſis contra Senonenſis Eccleſiæ antiqua jura ſtatutum eſt. Richerius tum Archiepiſcopus Senonenſis erat, qui in ipſa Synodo adverſus decretum reclamavit. Hoc argumentum mihi breviter exponendum eſt. A principio non fuerunt in Galliis Primates, qui in provincias, & metropoles juriſdictionem haberent, & ſi quando hoc nomine Metropolitæ appellati ſunt, honoris ſolummodo fuit appellatio, non juriſdictionis. Diximus alias Drogonem Mettenſem Epiſcopum Primatis honore decoratum eſſe, & hoc nomine in quibuſdam Synodis ſedendi prærogativam habuiſſe. Sed nihilominus ille nuſquam Primatis poteſtate uſus eſt, conceſſus tantùm illi eſt honos loci ob ſplendorem natalium, erat enim Caroli-magni Imperatoris filius, & Ludovici-pii frater. Anſegiſus poſtea Senonenſis Archiepiſcopus eam Primatis dignitatem conſecutus eſt hâc, quam aliàs expoſuimus, ratione. Poſt mortem Ludovici junioris Carolus-calvus Anſegiſum Romam miſit, ut cum Joanne octavo ſummo Pontifice de Imperio & nomine Imperatoris ſibi aſſerendo ageret. Legatio haud caruit ſucceſſu. Carolus enim Imperator Romæ dictus eſt, & à Joanne PP. coronam & inunctionem recepit. Imperator, ut gratum memoremque animum in Senonenſem Pontificem ob rem bene geſtam teſtaretur, obtinuit litteras à Joanne VIII. PP. quibus Primatem eum in Galliis & Germániis creabat. Has litteras ipſe Imperator anno DCCCLXXVI. Synodo Pontigonenſi obtulit. Ea in Galliis nova erat dignitas, quæque haud grata Pontificibus fuit. Obtinuit nihilominus Anſegiſus in Synodo honorem loci, & ante quoſlibet Metropolitas locum cepit. Hincmarus inprimis renitebatur, ſed ſcripto etiam admittere primatum coactus eſt. Chronicon ſancti Petri Vivi de eo primatu his verbis loquitur. *Obtinuit domnus Anſegiſus Archiepiſcopus Senonenſis à beatiſſimo Ioanne PP. & à Carolo-auguſto, ut eſſet*

Supra lib. 4. cap. 1.

eſſet primus poſt PP. & teneret primatum totius Galliæ & Germaniæ, & fortiora quæque & graviora dijudicaret, Synodumque evocaret, ſi quælibet inſurrexerint, cunctique ei obediant Galliæ & Germaniæ Epiſcopi, ſicut Epiſcopo Romano. Voluit autem ei reſiſtere Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, ſed minime potuit, convictus apoſtolica auctoritate. Suo enim tempore Eccleſia Senonica magno & pacifico viguit honore Doctiſſimus antiſtes Petrus de Marca in eruditiſſimo opere de Primatibus exiſtimat hanc dignitatem Anſegiſo ſolummodò conceſſam eſſe, non vero ejus ſucceſſoribus, certè litteræ Joannis Pontificis videntur innuere hanc primatus dignitatem uni Anſegiſo conceſſam eſſe. Verumtamen ipſi Archiepiſcopi Senonenſes hanc tam uni Anſegiſo, quam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus datam fuiſſe contenderunt, quod Odorannus & Clarius antiqui rerum Senonenſium auctores commemorant; neque diffiteri poſſumus plures ex Anſegiſi ſucceſſoribus hanc retinuiſſe prærogativam, eamque à pluribus, qui Anſegiſum ſecuti ſunt retentam ſervatamque eſſe. In chronico ſancti Petri Vivi ad annum DCCCCXCIX. legimus Seguinum Archiepiſcopum Senonenſem primatum cum palliu à Joanne PP. accepiſſe. *Iſte Seguinus*, inquit, *apud urbem Romam per manum Ioannis PP. Archiepiſcopale pallium, quo anteceſſores ejus infulati ſunt, & primatum Galliæ ſuſcepit.* Et hoc nomine Remis Seguinus Remenſi Synodo adverſus Arnulfum præfuit. *Certe Seguinus venerabilis vitæ Senonenſium Archiepiſcopus Domini Papæ Ioannis vices per Gallias ſibi creditas innovavit, & ita à latere Apoſtolici, cum decreto Apoſtolici veniens, ejus vices uſque ad præſens, omnium Epiſcoporum Galliæ conſenſu proſecutus eſt. In hujus ergo præſentia Arnulfus ſe ipſum ſacerdotio exuit.* Hujus quoque primatus meminit Aimoinus Floriacenſis monachus in vita Abbonis Floriacenſis Abbatis, cum memorat, quæ olim retulimus de Dionyſiano Concilio. *Ortaque*, inquit, *ſubito ſeditione, tantus in Epiſcopos timor irruit, ut publica ſtatione relicta, ſtatim quiſque diffugeret, inter quos Seguinus Senonum Archiepiſcopus primatum Galliæ in ea Synodo ſibi uſurpans, primatum quoque fugæ ſibi arripuit &c.* Ex his omnibus perſpicuum eſt à Seguino Archiepiſcopo Senonenſi renovata eſſe jura primatus, quæ jam à tempore Anſegiſi Pontificis, in cujus gratiam primùm inſtituta fuerant, aut incuriâ poſteriorum Eccleſiæ Senonenſis Pontificum, aut deſuetudine jam penitus vel propè abolita fuerant. Ejus ſucceſſor Leothericus hanc pariter prærogativam ſibi confirmari curavit, quod chronicon ſancti Petri Vivi conceptis verbis annotat. *Anno milleſimo adclamante clero, & populo electus eſt in epiſcopatu domnus Leothericus ipſius Eccleſiæ Archidiaconus, cui reſiſtebant plurimi clericorum cupientes epiſcopium: qua de re Romam adiit Gerbertum Papam, qui & Silveſter dictus eſt, cujuſque diſcipulus in Remenſium urbe fuerat juvenis; quem ille gratanter recepit, cum benedictione apoſtolica remiſit, & totius Galliæ primatum dedit.* Unde Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis Leothericum patrem ac primatem ſuum vocat in inſcriptione epiſtolæ XXXI. Poſt mortem Leotherici Senonenſis Eccleſia diro ſchiſmate laboravit Gelduino & Mainardo de cathedra Senonenſi certantibus, ac demum Mainardus ejecto Gelduino cathedra potitus eſt. His temporibus jura primatus conſervare haud promptum fuit, quibus ſuam cathedram retinere vix poterat legitimus Pontifex. Gebuinus paulo poſt Lugdunenſis Archiepiſcopus aſſerendi ſibi ſuiſque ſucceſſoribus primatus occaſionem cepit. Gregorius VII. tunc ſummum gerebat pontificatum. Gebuinus ab eo ſupplex popoſcit, ut ſuam Eccleſiam hac inprimis decoraret dignitate, honoreſque ſuæ civitatis referebat, dicebatque eſſe caput Lugdunenſium provinciarum. Gregorius ſeu ut Gebuino faveret, ſeu nomine Lugdunenſium provinciarum deceptus, ratus ſcilicet ex quatuor provinciis Lugdunenſibus jus aliquod Eccleſiæ Lugdunenſi in quatuor illas provincias fuiſſe attributum, Gebuino ejuſque ſucceſſoribus primatus prærogativam in Lugdunenſem, Rotomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem provinciam conceſſit, & de ea re litteras Gebuino dedit. *Quapropter*, inquit Gregorius, *quia, dilectiſſime in Chriſto frater Gebuine, poſtulaſti à nobis, quatenus dignitatem ab anteceſſoribus noſtris conceſſam Eccleſiæ, cui Deo auctore præeſſe dignoſceris confirmaremus; & quæque ſua ab infeſtatione hoſtili apoſtolicæ ſedis defenſione tueremur, inclu-*

LIB. XI. CAP. V.

Aaaaa

nati precibus tuis confirmamus primatum ſuper quatuor provincias, Lugdunenſi Eccleſiæ tua &c. & inferius. *Provincias autem illas, quas vobis confirmavimus, dicimus Lugdunenſem, Rotomagenſem, Turonenſem & Senonenſem, ut hæ videlicet provinciæ condignam obedientiam Lugdunenſi Eccleſiæ exhibeant.* Alteram epiſtolam Gregorius miſit ad Archiepiſcopos Rotomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem, qua auctoritate apoſtolica præcipiebat, ut Lugdunenſi Eccleſiæ honorem & reverentiam exhiberent. Datæ ſunt hæ litteræ anno M L X X I X. Hæc Lugdunenſis Eccleſiæ primatûs initia fuerunt. Rodulfus Turonenſis Archiepiſcopus huic decreto ſtatim acquievit, quod intelligimus ex litteris Gebuini, quas ex codice Andegavenſi Baluzius edidit. Verum haud pariter his aſſenſus eſt Richerius, cui ſtatim ſuæ Eccleſiæ jura tueri decretum eſt, huic ſanè novo inſtituto interceſſit. Anno MXCV. Urbanus II. in Gallias venit, habuitque Synodum apud Clarum montem. In ea Synodo negotium primatûs Lugdunenſis pertractatum eſt, & conſtitutum, ut Eccleſia Lugdunenſis primatum haberet ſuper Lugdunenſem, Rotomagenſem, Turonenſem & Senonenſem provincias, & Urbanus II. de ea re decretum edidit; quomodo Richerius interceſſerit, & quæ ejus interceſſionem ſecuta ſint, breviter docebimus. Cum in Concilio Claromontano ſermo incidiſſet de primatu Lugdunenſi, & huic Synodo adeſſet ipſe Richerius Senonenſis Archiepiſcopus, cauſam definire ſtatutum eſt. Primùm lecta ſunt Lugdunenſis Eccleſiæ privilegia. Richerius juſſus eſt reſpondere. Verum cum ille differret, ad tertium diem datæ illi induciæ ſunt. Poſt diem tertium Richerius per ſpeciem negotii & morbi ſe à Synodo ſubduxit, rogatuſque per legatos, ut reſponſum daret, iterum inducias petiit. Verùm cum adeſſe differret, & dies definiendæ cauſæ immineret, Senonenſis provinciæ Epiſcopi obtinuerunt, ut in diem alterum cauſa prorogaretur, ſi modo illi in Synodi ſententiam, ſi ille reniteretur, conſenſuros ſe promitterent. Jam ſextus dies agebatur, cum Richerius necquidquam rogatus ultrà procraſtinari pararet. Ex Concilii judicio ſancitum eſt *Senonenſem Archiepiſcopum Lugdunenſi tanquam primati ſubjectionem obedientiamque debere, quia & catalogorum auctoritas, & ſedis apoſtolicæ, idipſum conteſtabatur auctoritas.* Provincialium Epiſcoporum quiſque definitioni pariturum ſe pollicitus eſt. Aliarum provinciarum diverſum conſilium fuit. Jam pridem provincia Turonenſis primatum Lugdunenſem agnoverat, & Gebuinus Turonenſi Archiepiſcopo & Epiſcopo Andegavenſi ſcripſerat, & utriuſque laudaverat obedientiam: ſed Rotomagenſis provincia mandato ſummi Pontificis obtemperare differebat. Guilelmus Archiepiſcopus non aderat, & p[illegible]o, provinciæ hujus Epiſcopi, ſi qui intererant Arvernenſi Synodo, admittere decretum diſtulerunt, donec Rotomagenſis Archiepiſcopus huic aſſentiretur. Cum res in eo ſtatu verſaretur Hugonis Lugdunenſis Archiepiſcopi legati Agano Epiſcopus Eduenſis, & Lambertus Atrebatenſis Richerium Senonenſem Archiepiſcopum adierant, ut eum ad obediendum judicio Synodi, impellerent. Sed cum in ſententia permaneret, nec ſe adduci pateretur, ut reverentiam Lugdunenſi Archiepiſcopo exhiberet, Urbanus, ut ejus contumaciam coerceret, eum uſu pallii exuit, prohibuitque, ne ejus ſuffraganei ei honorem & obedientiam deferrent, donec ipſe, Lugdunenſis Archiepiſcopi primatum honore & reverentiâ proſequeretur; parque ſententia in Rotomagenſem Archiepiſcopum pronunciata eſt, niſi pariter nova Lugdunenſis primatus jura intra tres menſes dicto ſcriptoque agnoſceret. De ea re Urbanus Papa decretum ſcripſit, quod extat, datum eſt apud Clarum montem Kalendis Decembris anno M X C V. Urbani PP. octavo.

II. Neque propterea Richerius uſquam adduci potuit, ut ſuo cederet jure, & Lugdunenſem Metropolitam ut ſuæ provinciæ primatem honore & reverentia proſequeretur, etſi provinciæ Senonenſis Epiſcopi ea novi primatus jura approbabant, & Claromontanæ Synodi judicio acquieſcebant. Richerius ſoluta Synodo Claromontana ſuffraganeos ſuos hortabatur ad defenſionem jurium ſuæ Eccleſiæ; reſcripſit Ivo Carnotenſis Epiſcopus ad eum epiſtolam, quæ quinquageſima eſt, conſulitque, ut ſi quæ habeat privilegia à ſummis Pontificibus,

aut quædam acta autentica, quibus ſuæ Eccleſiæ jura & libertates adverſus Lugdunenſem Eccleſiam tueatur, ea ad provinciales Epiſcopos mittat, ut his Metropolitanum defendant: ſin vero ea non habeat ad manum, auctor eſt, ut interim judicio ſummi Pontificis pareat, & ne id in auctoritatem aſſumatur, teſtetur id fieri abſque prejudicio privilegiorum, vel autenticarum ſcripturarum, ſi quando reperiri poterunt. *De veteri querela*, inquit, *quam habet adverſus Senonenſem Eccleſiam Lugdunenſis Eccleſia, laudo & conſulo, ut ſi qua habetis privilegia apoſtolicâ manu roborata, vel ſcripta autentica, quæ primatum Lugdunenſis Eccleſiæ, quem aliquando ex catalogis civitatum conjicimus extitiſſe, ab Eccleſia veſtra remaneant, & libertatem, quam deſideramus eidem Eccleſiæ defendant, ea confratribus noſtris oſtendatis, & eadem paternitati noſtræ tranſmittatis, quibus tanquam firmis ſuſtentaculis innitamur, & libertatem matris noſtræ pro poſſe noſtro tueamur. Quæ ſi modo ad manum non habetis, non eſt conſilium meum, ut contra torrentem brachia dirigatis; immo apoſtolicis ſanctionibus interim acquieſcatis abſque prejudicio privilegiorum vel autenticarum ſcripturarum, ſi quando reperiri poterunt, quæ hanc ſubjectionem ab Eccleſia veſtra removeant, & ejuſdem Eccleſiæ libertatem defendant.* Hoc vero judicium tantæ auctoritatis fuit apud Ivonem, ut ad ordinatiooem Guilelmi Pariſienſis Epiſcopi obtinuerit ab Urbano indulgentiam pro Richerio, qua in ejus ordinatione uſus pallii concedebatur per diſpenſationem, ut ſupra renunciatum eſt; & cum ad ordinationem Saoctionis Epiſcopi Aurelia ocnſis ab Archiepiſcopo Senonenſi iovitaretur apud caſtrum Nantonis, huc accedere noluerit. *Quem cum à nobis*, ioquit Ivo, *ex admonitione Senonenſis Archiepiſcopi conſecrari poſtulaſſet apud caſtrum Nantonenſe, omnino recuſavimus, propter primatum Lugdunenſis Eccleſiæ, quem irrationabiliter refutat illa ſedes, & interdictum ſedis apoſtolicæ.* Hæc Ivo ſuo & comprovincialium nomine ad Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, & vicarium ſedis apoſtolicæ. Verum neque judicium Claromontani Concilii, neque exemplum provincialium Epiſcoporum, ueque iuterdictio adverſus ſe pronunciata Richerii animum vincere potuerunt, nec ab eo obtinere, ut Lugdunenſis Eccleſiæ primatum poſthabita ſuæ Eccleſiæ auctoritate revereretur. Imo in ſententia ſua ad mortem uſque periſtitit, quod ipſe Paſchalis PP. ad eumdem Hugonem ſignificat. *Ea ſi quidem cauſa*, inquit Urbanus PP. *in plenario Arvernenſi Concilio tractata & definita eſt. Et cum Richerius Senonenſis Archiepiſcopus ſynodali definitioni minime acquieviſſet, in Turonenſi pariter, ac Nemauſenſi Concilio per tuam eſt induſtriam repetitus, & ſupradictus quidem Richerius pro ſua pertinacia interdictus obiit, ſuffraganeis ejus tibi tanquam Primati, & ſynodali judicio obedientiam jam profeſſis.*

III. Poſt mortem Richerii, quæ accidit anno MXCVI. ſexto Calendas Januarii, Daimbertus Archiepiſcopus Senonenſis electus eſt. Statim poſt electiooem clerus Senonenſis ad provinciales de ejus electione ſcripſit, iique parabant ordinationem celebrare tempore Quadrageſimæ, ſed Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus & ſummi Pontificis legatus in Gallia prohibuit. Haud ferebat Daimbertum ordinari antequam ſibi Lugdunenſi Archiepiſcopo, ut pote Primati reverentiam, quam Richerius denegaverat, profiteretur. Ivo ſcilicet acceptis à clero Senonenſi litteris de Daimberti electione ad Hugonem Lugdunenſem ſcripſerat, ut acciperet ab eo, quid agendum cenſeret; multa in commeodationem Daimberti ſibi ſcripta eſſe dicebat, eum pluribus dotibus præditum, nobilitate generis clarum eſſe, morum honeſtate decoratum, & experientia rerum publicarum probatum. Reſcripſit Hugo, ut abſtineret ab ejus ordinatione, donec electus ſubjectionem & obedientiam eſſet profeſſus. Provinciales Epiſcopi ab ejus ordinatione ægrè abſtinuerunt, pluſque legatiooi apoſtolicæ detulerunt, quam ejus dignitati: non enim exiſtimabant differendam electi ordioationem, quoniam prius Primati obedientiam teſtari negligeret. Id vero contra decreta Patrum & regulam Eccleſiæ Ivo inprimis contendebat, & de ea re graviſſimas litteras ad Hugonem Archiepiſcopum ſcripſit, quæ extant; memoratque ſe quidem ab eo ordinando abſtitiſſe, ſed eum rogat, ne amplius ſibi illiſque ea præſcribat mandata, quæ exequi non valeant; ſe quidem paratos eſſe in iis omnibus illi obtemperare, & quæcumque perpeti pro

rectæ fidei defenſione, pro aſſerenda morum integritate contra perditorum hominum conatus. Verum non eodem eſſe animo circa ea, in quorum contemptu vel obſervatione ſalutem ſuam minime ſciant periclitari. Se præſertum ad ea attendere, quæ ſancti Patres inſtituerunt, eorumque maxime tenenda eſſe veſtigia, hocque conſonum eſſe decretis Zozimi ſummi Pontificis, qui Narbonenſibus ſcribit, ne quidem ſuæ ſedis auctoritati licitum eſſe contra ſtatuta Patrum quidquam concedere, vel immutare. *Contra ſtatuta Patrum*, inquit, *concedere aliquid vel immutare, ne hujus quidem ſedis poteſt auctoritas, apud nos*, inquit, *inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Multa inſuper ſummorum Pontificum aggerit teſtimonia, qnibus hanc Zozimi PP. ſententiam confirmet. Auctoritate inprimis utitur Gelaſii PP. qui Dardaniæ Epiſcopos admonet, ne perturbari ſinant jura & privilegia metropolitanorum & comprovincialium Epiſcoporum, meminerint Epiſcopi ſe ſub metropolitanis eſſe conſtitutos, atque adeo ſtudeant ab iis alios ſubſtitui, ſi eos decedere contigerit, hancque eſſe veterem Eccleſiæ conſuetudinem. Quæ cum ita ſint, ait ſe mirari, cur velit antiquos Eccleſiæ mores abrogari, & hos novis traditionibus recentioribuſque inſtitutis cedere, quippe qui velit, ut Senonenſis electus anre conſecrationem, ſe ſibi ſiſtat, & jure primatus ſubjectionem & obedientiam ſibi profiteatur, *quod hactenus nec in Senonenſi provincia, nec in aliis provinciis antiquitas inſtituit, nec conſuetudo ſervavit.* Addit deinde nihil in Daimberto eſſe, quod ejus remoretur ordinationem, nihil in ejus electione perperàm actum, hunc natalium ſicut & morum ſplendore refulgere, perfunctum illum diaconatus officio cum approbatione omnium, qui eum noverant, nec pretio, nec ambitu ſibi comparaſſe cathedram. Quod vero Hugo diceret electum de manu Regis epiſcopatus inveſtituram accepiſſe: reſpondet nec ſibi

Ivo epiſt. 60. relatum ab aliquo, qui viderit, nec cognitum. *Quod tamen ſi factum eſſet, cum hoc*, inquit, *nullam vim ſacramenti gerat in conſtituendo Epiſcopo, vel admiſſum, vel omiſſum, quid fidei, quid ſacræ religioni officiat ignoramus. Cum poſt canonicam electionem Reges ipſos apoſtolica auctoritate à conceſſione epiſcopatuum prohibitos minime videamus.* Hanc deinde partem Ivo pluribus proſequitur. Demum & eum enixè rogat, ut permittat Daimbertum conſecrari, pollicetur ſe ei auctorem futurum, ut poſt conſecrationem primatum Lugdunenſem agnoſcat, & ſecundum traditiones Patrum Lugdunenſi Archiepiſcopo honorem exhibeat & reverentiam. Quod ſi Daimbertus reſiſtere pergat, facturum ſe ſpondet, quod apoſtolica ſedes præceperit. Sin vero Lugdunenſis Archiepiſcopus his acquieſcere negligat, & ex hoc ſchiſma aliquod confletur, denunciat ſe à culpa fore liberum, qui ſcilicet antè malum illi renunciaverit. De hac ſimiliter Daimberti electione & ad Urbanum PP. ſcribit. *De Senonenſi electo*, inquit, *cujus conſecratio à legato veſtro Lugdunenſi Archiepiſcopo ob hoc impeditur, quia ei jure primatus ſui ante conſecrationem ſuam, obedientiam non profitetur, quid nobis agendum ſit reſcribat veſtra paternitas. Cum enim nulla aliquo accuſante alia cauſa prætenderetur, propter quam ejus conſecratio differretur; eo tamen jubente propter reverentiam veſtram manus ab ejus conſecratione continuimus, cum de profeſſione à Metropolitanis Primatibus facienda nihil legamus conſuetudine firmatum, vel legibus inſtitutum, ultra quas metas nihil conceſſum eſſe Primatibus teſtatur Papa Nicolaus, ita ſcribens inter alia Radulfo Bituricenſi Archiepiſcopo Primates vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, definimus.* Neqne Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus his ſe vinci paſſus eſt, neque Epiſcopi provinciæ quidquam contra ejus prohibitionem aggredi auſi ſunt, quia ſedis apoſtolicæ legatione fungebatur. Daimbertus cum nec ordinationem à provincialibus obtinere poſſet, neque contra jura ſuæ ſedis Lugdunenſis Archiepiſcopi primatum velletagnoſcere: cum intelligeret quoque Hugonem in hâc ſententia permanere, prohibitoſque provinciales Epiſcopos quominus ordinationem ejus peragerent, Romam profectus eſt, nbi abſque ulla conditione ab Urbano II. PP. ordinatus eſt. Paulo poſt anno ſcilicet MXCIX. Daimbertus iterùm Romam petiit, vocatus ad Synodum, & ad

negotium primatus Lugdunenſis definiendum, diſcuſſum eſt, tumque præſentibus LIB. XI.
legatis Lugdunenſis Archiepiſcopi Daimbertus jura primatus Lugdunenſis agno- CAP. V.
vit, quod Urbanus Hugoni ſignificat, cujus extat epiſtola in doctiſſima diſſertatio-
ne de primatibus, in qua hæc. *Nuper autem*, inquit Urbanus PP. *cum ad Apoſtolorum*
limina tam pro ejuſdem cauſæ actione, quam pro communi ſynodi vocatione rediiſſet, præ-
ſentibus legatis tuis Iſmeone Dienſi Epiſcopo, Girino Decano, & item Girino capella-
no, ſedis apoſtolicæ cogente judicio, omni demum tergiverſatione caſſata, in manu no-
ſtra profeſſus eſt te & Lugdunenſis Eccleſiæ primatum agnoſcere, & de cetero tibi tuiſ-
que legitimis ſucceſſoribus tanquam Primatibus obedire. Similiter etiam pollicitus eſt
ſtatuto à nobis tempore, id eſt uſque ad proximam beati Dionyſii ſollemnitatem ſe ad
vos venturum, & in conſpectu Lugdunenſis Eccleſiæ idipſum ore proprio profeſſurum,
niſi canonicum impedimentum evenerit, quo tranſacto infra triginta dies idipſum im-
plere curabis &c. Extat & teſtimonium Goffridi Abbatis Vindocinenſis, qui ad Goff. lib 2.
Ivonem Carnotenſem ſcribens, narrat ſe, cum Roma rediret, Lugduno tranſiiſſe, ep. 18.
& ſe ab ipſo Archiepiſcopo audiviſſe *domnum Senonenſem cum illo feciſſe pacem,*
& omnem obedientiam illi promiſiſſe. Ex his manifeſtum eſt à Daimberto agnitum
eſſe primatum Lugdunenſem. Lugdunenſes Archiepiſcopi ex hac prærogativa
quædam ſibi jura tribuebant, quæ Epiſcopi provinciæ Senonenſis illis non de-
beri contendebant. Quando Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus conatus eſt
obtinere, ut Daimbertus vel ante ordinationem ſuum primatum agnoſceret, &
reverentiam ſuæ ſedi, vel ante conſecrationem profiteretur. Ivo conteſtatus eſt,
& id contra Eccleſiæ conſuetudinem, & Eccleſiarum jura eſſe oſtendit, & Daim-
bertus Romam petens à ſummo Pontifice ſine bac conditione ordinationem
obtinuit: quamobrem cauſa excidiſſe Hugo Lugdunenſis viſus eſt. Alia præ-
terea jura ratione novi primatus Lugdunenſis Archiepiſcopus aſſumebat, ita
Nivernenſem Epiſcopum ordinare inſtituit, quod Ivo reprehendit, aſſerens jus
hoc ad Metropolitanum, ſed nullo modo ad Primatem pertinere. Hugo re-
ponebat jus illud ad ſe devolutum propter contumaciam Archiepiſcopi, qui,
cum nollet poſt judicium Claromontani Concilii & decretum Urbani II. Pri-
mati Lugdunenſi honorem & reverentiam exhibere, uſu pallii & obedientia
ſuffraganeorum mulctatus eſſet, ordinationem etiam ſuffraganeorum celebrare
prohibitus erat. Ivo tamen reclamabat, dicebatque tum jus ordinandi Epiſco-
pos provinciæ ad provinciales Epiſcopos omiſſo Metropolitano pertinere. Ar-
chiepiſcopi Lugdunenſes jure primatus poteſtatem præterea aſſumebant Con-
cilii celebrandi, & Epiſcopos quatuor provinciarum ad Synodum convocandi:
ita Joannes Archiepiſcopus Lugdunenſis Senonenſem provinciam ratione ſui
primatus ad Synodum vocavit. Daimbertus Archiepiſcopus Senonenſis, Ivo
Carnotenſis, Vvalo Pariſienſis Epiſcopus, Joannes Aurelianenſis Epiſcopus,
aliique provinciæ ejuſdem Epiſcopi contrà reſtiterunt, & epiſtolam vehemen-
tiſſimam contra hanc convocationem ſcripſerunt, quæ extat inter epiſtolas Ivo-
nis. Contendebant inprimis id inſtitutum eſſe contra ſanctorum Patrum aucto-
ritatem & conſuetudinem Eccleſiæ. *Iure primatus veſtri invitaſtis nos ad Concilium*
apud Auſam celebrandum, in quo tractare diſpoſuiſtis de fide, & inveſtituris laico-
rum; ad quod venire minime contemnimus, ſed terminos, quos poſuerunt patres noſtri,
terminos antiquos tranſgredi formidamus. Nuſquam enim reverenda Patrum ſanxit
auctoritas, nuſquam hoc ſervare conſuevit antiquitas, ut primæ ſedis Epiſcopus Epiſ-
copos extra provinciam propriam poſitos invitaret ad Concilium: niſi hoc, aut Apoſto-
lica ſedes imperaret, aut una de provincialibus provinciis, pro cauſis, quas intra pro-
vinciam terminare non poterat, primæ ſedis audientiam appellaret; quod non de corde
veſtro prophetamus, ſed apoſtolica auctoritate muniri irrefragabilibus ſententiis approba-
mus. Jura ſua deinde defendunt ex teſtimonio & auctoritate Nicolai PP. &
Anacleti ſummi Pontificis epiſtolâ. Hæc enim etſi ſuppoſita, vim tamen id tem-
poris & auctoritatem habebat. Hæc deinde adjiciunt. *His auctoritatibus muniti,*
nolumus Eccleſiis noſtris inauditam novitatem inducere, vel jura earum antiquitus in-
ſtituta permutare. Nihil Joannes potuit evincere, necquidquam contendens Lug-
dunenſes quatuor provincias unius ejuſdemque provinciæ rationem habere.

LIB XI. CAP V.

IV. Ex his quæ allata ſunt intelligimus Lugdunenſi Eccleſiæ nullum jus nullamque primatus prærogativam ab initio fuiſſe, ſed hujus honoris exordium repetendum eſſe à Gregorio VII. qui primus Archiepiſcopo Lugdunenſi hunc honorem detulit: cum vero reniterentur aliæ metropolitanæ ſedes præter Turonenſem, negotium demum in Concilio Claromontano definitum, ſtatutumque eſſe, ut quatuor Lugdunenſes provinciæ Lugdunenſi Archiepiſcopo, tanquam primati ſubjicerentur. Nondum tamen Senonenſis Archiepiſcopus his acquievit, donec Daimbertus in Synodo Romana ſe pariturum eſſe Archiepiſcopo Lugdunenſi, ut Primati, pollicitus eſt, & reipſa hunc primatus honorem agnovit. Cum in eo ſtatu res primatus Lugdunenſis eſſent, Ludovicus VI. Rex Francorum ad cauſam acceſſit, Rex moleſte ferebat provinciam Senonenſem, quæ ſui juris, ſuæque ditionis erat, ex novo inſtituto civitati alienæ ditionis & poteſtatis in rebus eccleſiaſticis ſubjacere. Quod ut intelligas breviter de eo argumento dicendum eſt, exponendumque poſtea quomodo Ludovicus VI. Rex cum Calliſto ſummo Pontifice de ea cauſa expoſtulaverit. Poſtquam acciſæ ſunt Burgundionum opes, Regibus Francorum Lugdunum paruiſſe conſtans eſt memoria: & ne res altius repetam Carolo magno, Ludovico pio hanc civitatem ſubjectam fuiſſe haud dubium eſt. Et poſt mortem Lotharii junioris, in partitione ejus regni, Lugdunum & Vienna in ſortem Caroli calvi venerūnt: Lugdunenſis civitas Regum Francorum fuit uſque ad tempora Lotharii Regis Francorum, qui urbem hanc ceſſit Conrado Regi filio Rodulfi Regis Burgundiæ in dotem Mathildis ſororis, quæ illi nupſerat, id vero accidit anno DCCCCLXVII. Ex eo tempore Burgundiæ Reges poſthabito Rege Francorum, & poſtea Imperatores Germaniæ hanc poſſederunt. Conrado enim Regi ſucceſſit filius Rodulfus, qui abſque prole moriens hæredem ſcripſit Conradum Auguſtum, quem adoptaverat in filium, quique Giſelam ejus neptem uxorem duxerat. Huic Conrado ſucceſſit Henricus III. Aiunt ſub ejus imperio Lugdunenſem civitatem in jura Archiepiſcopi Lugdunenſis ceſſiſſe. Fridericus Imperator ſicut Imperio ſubrogatus eſt, ita aliis Henrici juribus, Burgundiæ ſcilicet & Arelatenſi regno ſucceſſit. Salutatus eſt, inunctuſque Imperator anno MCLVII. Huic Lugdunenſis Archiepiſcopus fidem & obſequium juravit. Sub Friderici principatu diſſidia exorta ſunt inter Lugdunenſem Archiepiſcopum & Guigonem Forenſem Comitem, de urbe Lugdunenſi erat contentio, uterque pro urbis poſſeſſione conſequenda decertabat; ſummorum Pontificum judicio in has conventiones diſceſſum eſt. Quædam poſſeſſiones, quæ in Arvernia erant, Comiti: jura vero in civitatem capitulo & Eccleſiæ Lugdunenſi attributa ſunt, conventionis acta apud Paradinum habentur. Conventio acta eſt anno MCLXXIII. Poſtquam externæ injuriæ proviſum eſt, motus inteſtini urbem Lugdunenſem lacerare cœperunt, cives ſub Philippo Auguſto adverſus Archiepiſcopum & canonicos turbas excitare: adeoque ſucceſſu temporis exarſere diſſidia, ut populus indignè ferens ſe impotentiâ Pontificum Lugdunenſium opprimi, ad Ludovicum IX. confugerit. Rex Baillivum, ſeu magiſtratum Matiſconenſem huc ire juſſit, qui jus in civitate Regis nomine reddidit. Hoc accidiſſe ferunt anno MCCLXIX. Paulo poſt ſub Philippo III. reddita Archiepiſcopo ſua in urbem jura, ſed urbis tuitio Regi attributa eſt, Philippuſque Rex Francorum ſub ſuo mundeburdio civitatem recepit anno MCCLXXI. menſe Martio, & anno ſequenti Petrus Lugdunenſis Archiepiſcopus ratione rerum temporalium Philippo III. Regi fidem rite & ſollemniter profeſſus eſt. Poſtquam jus tuitionis & defenſionis confirmatum, facile Regibus fuit omnino in poſſeſſionem urbis venire; hocque peractum eſt anno MCCCXII. quod in chronico Comitis de Monteforti habetur ad hunc annum. *Eodem anno*, inquit, *Philippus Rex Franciæ habuit Lugdunum integraliter data compenſatione in redditibus Archiepiſcopo Lugdunenſi, pro jure quod ſibi in Lugduno Eccleſia vindicabat, interveniente conſenſu, & auctoritate Clementis V. PP. tunc in Vienna Burgundiæ Concilium celebrantis, & ſic deinceps Lugdunum ad Regem & regnum Franciæ pleno jure pertinet.* Poſſem alia plura de hoc negotio adjicere. Sed hæc ad res noſtras ſufficiunt.

Ex his perſpicuum eſt temporibus Philippi primi Lugdunum ſub poteſtate Regum Francorum non fuiſſe ; eorum igitur maxime intererat, ne provincia Senonenſis Lugdunenſi Eccleſiæ ſubjiceretur. Sed Philippus cum aliis negotiis detineretur, & ob amorem Bertradæ in ſe ſummum Pontificem concitaſſet, non ille decreto Urbani interceſſit. Verum ejus filius Ludovicus VI. rem ex proprio & reipublicæ commodo æſtimans, huic novæ inſtitutioni adverſari cœpit, & de eo negotio apud ſummum Pontificem graviſſime conqueſtus eſt. Extant ejus litteræ ad Calliſtum ſummum Pontificem in ſpicilegio tertio, unde eas deſcripſimus. *Scripſit nobis ſublimitas veſtra de captione illius apoſtatæ Burdini, & de incolumitate ſtatus veſtri : unde, pater dulciſſime, plurimum & præ ceteris vos amamus, honoremque veſtrum ſtudium noſtrum in omnibus eſſe intelligimus. De ſententia ſane in metropolitanum Senonenſem pro noſtro honore relaxata animum noſtrum ex parte mitigaſtis ; ſed quoniam ad tempus eſt relaxata, ſuſpenſum vehementer, ac dubium reddidiſtis. Videtur enim aliquam adhuc ſpem habere Lugdunenſis Archiepiſcopus ſuper illa, quam quærit, ſubjectione ; ſed ut verum fatear, ſuſtinerem potius regni noſtri totius incendium, capitis etiam noſtri periculum, quam hujus ſubjectionis, & abjectionis opprobrium. Videtur enim ad noſtrum reſpicere contemptum contra nos hoc modo fieri, quod nunquam extiterit factum. Novit autem experientia veſtra regnum Francorum in obſequiis promptum, in neceſſitatibus amicum vobis extitiſſe, nec à fidelitate Romanæ Eccleſiæ precibus, aut promiſſionibus Imperatoris nos avelli unquam potuiſſe ; & quanto animi fervore, quantaque mentis humilitate vobis obedierimus, ut ſi taceat vox veſtra, clament opera noſtra, monſtrent obſequia mea. Vt enim cetera dimittam, illud inter alia meminerit paternitas veſtra, quod quamvis gravi, ut ſcitis laborarem infirmitate, moleſtia corporis vehementer urgente, Remenſi tamen Concilio, cum labore quidem noſtro, ſed cum honore veſtro intereſſe ſtuduimus, & plus veſtræ voluntati, quam noſtræ facultati ; plus honori veſtro, quam dominio noſtro conſuluimus. Hoc vobis, dulciſſime pater, memorando ſcripſimus : non quia non placeat nobis hoc feciſſe, ſed quia volumus hoc à memoria veſtra non receſſiſſe. Si quid igitur valet, ſi quid poteſt apud vos amor noſter, & obſequium noſtrum, rogamus ac petimus, ut Senonenſis Eccleſia, quæ ab alia, de qua nunc pulſatur ſubjectione, huc uſque aliena extitit, & libera per vos non fiat ancilla : ſed antiqua ejus libertas auctoritate apoſtolica roboretur, & privilegii firmitate muniatur : in quo tamen nihil à vobis contra juſtitiam exigitur. Si enim opponitur, quod veterum inſtitutio Lugdunenſi Eccleſiæ primatum contulerit : reſpondetur ex oppoſito, quod antiquæ libertatis poſſeſſio Senonenſem Eccleſiam ab ejus ſubjectione defendit. Quod enim antiqua poſſeſſione acquiritur, nullo, ut fertur, jure adimitur : etiam ſi de jure Romanæ Eccleſiæ fuiſſe cognoſcitur. Hac igitur ratione Senonenſis Eccleſiæ libertas manere debet inconcuſſa & intacta, nec pulſari aut violari debet pro ſubjectione noviter & impudenter facta. Facta enim, ut dicitur, latenter & quaſi furtivè ſubjectio iſta, neſciente ſcilicet clero Senonenſi, inconſultis etiam Epiſcopis illius diœceſis, ignorante etiam Rege, in quibus omnibus dignitas pendet Eccleſiæ & ſubjectio taliter facta reſpicere potius videtur ad ignominiam male accipientis, quam ad commodum male neſcientis. Res enim communis communi tractanda eſt conſilio, non latenti & privato colloquio. Cum igitur dignitas ſit Eccleſiæ, non perſonæ, ſi Senonenſis Archiepiſcopus iſte, & quidem ſolus de non ſolo fecit, quod non oportuit, ſi promiſit, quod non debuit ; Eccleſia tamen Senonenſis, quod ſuum eſt non amiſit, nec privatam libertatem, quam ex antiquitate habuit ; nec cogenda eſt ad ſubjectionem, quam nunquam exhibuit. His ita ſe habentibus, videat, dulciſſime Pater, diſcretio veſtra, ne civitas Lugdunenſis, quæ de alieno eſt regno, de noſtro floreat detrimento, ne ſubjiciatur amicus amico : quia ſi decipitur pro amico amicus, juſte fiet de amico inimicus. Rex ergo Franciæ, qui proprius eſt Romanæ Eccleſiæ filius, ſi in facili cauſa, ſi in levi petitione contemnitur, nulla ſpes in majori relinquitur, nec ulterius in aliis patietur repulſam, ſi in iſtis ſuſtinet repulſionis offenſam. Melius eſt enim regiæ honeſtati à precibus deſiſtere, quam de repulſa nævum ruboris contrahere. Quod minus in litteris continetur, præſentium lator Algrinus viva voce ſupplebit, cujus verba tanquam ex ore noſtro ſuſcipite & cuſtodite.* Archiepiſcopus Senonenſis hoc Regis præſidio munitus abnuit deinceps

agnoſcere primatum Lugdunenſem, unde Humbertus Lugdunenſis, cum Sugerius Abbas, qui præfecturam regni Francorum gerebat abſente Ludovico VII. Rege, qui ad expeditionem tranſmarinam profectus erat, Humbertum Lugdunenſem vocaſſet ad publicos regni conventus, quos Carnuti indixerat, ubi de pecuniis colligendis, & ad ſubſidium Chriſtianorum in Orientem mittendis agebatur, reſcripſit huc non iturum, ubi Senonenſis Archiepiſcopus detrectaret ſibi honorem ob primatum debitum reddere. *Verum quia nos*, inquit, *pro officio & pro jure primatus, ex parte domini Regis & optimatum Regni, ad colloquium, quod apud Carnutum celebrari debet, invitaſtis, ſciat caritas veſtra, quod donec Senonenſis Archiepiſcopus in eadem cauſa primatûs nobis derogare non veretur, & apoſtolicis mandatis contumax & rebellis exiſtit, pudor nobis eſt ad illas progredi partes, ubi domino PP. contradicitur, & Lugdunenſis Eccleſia debito honore fraudatur.* Succeſſione temporis ea res permanſit, poſtquam enim Lugdunum in poteſtatem Regum Francorum venit, Lugdunenſis civitas primatûs jura retinuit: Senonenſis tamen Eccleſia ſemper contra hunc primatus honorem conteſtata eſt; Quin etiam Rotomagenſis Archiepiſcopus à primatu Lugdunenſi receſſit, ſeſeque Primatem ſuæ provinciæ Normanniæ ſcilicet dixit, & deinceps ab eo appellatio ad ſedem apoſtolicam fuit. Quod unum jus Eccleſiæ Lugdunenſi in alias provincias relictum eſt, ut ſcilicet in cauſis eccleſiaſticis ad eum à ceterorum metropolitanorum judiciis fieret provocatio. Poſtquam de primatu Lugdunenſis Eccleſiæ occaſione Concilii Claromontani actum eſt, hic adjiciam cauſam Philippi Regis, quæ & in eadem Synodo judicata & Pariſiis finita eſt.

VI. Scribenti res Eccleſiæ Pariſienſis ſæpe contigit & quædam adjicere de regni ſtatu regumque geſtis, pauca tamen ſub Philippi Regis principatu de regni adminiſtratione à nobis memorata ſunt, quoniam nemo propè reperitur, qui hac ætate res Francorum ſcripſerit, adeo ut pleraque digna memoratu, ſi quæ fuerint, in oblivione jaceant. Unum tamen eſt, quod hiſce commentariis conſignatum velim, quodque his temporibus magnas turbas excitavit; nuptias intelligo Philippi Regis cum Bertrada uxore Fulconis Andegavenſis Comitis, quas Summi Pontifices Urbanus II. & Paſchalis II. condemnaverunt. Sed cum hoc negotium, poſtquam per annos aliquot in pluribus Synodis agitatum eſt, demum Pariſiis in celebri Epiſcoporum conventu finitum abſolutumque ſit, hoc ab initio mihi tractandum eſt. Philippus Rex cum nondum pueritiæ annos exceſſiſſet, curante patre Henrico Remis Rex Francorum inunctus eſt anno MLIX. Hac inunctione & regno & familiæ Henricus Rex ſapienter providit: anno enim ſequenti eum de vita decedere contigit. Rex moriens reliquit regni & Regis tutelam Balduino Flandriæ Comiti, qui amitam Philippi Regis uxorem duxerat. Balduinus regnum ſapienter moderatus eſt; poſt aliquot annos, mortuo Comite, Philippus regni habenas ſuſcepit, uxoremque duxit Bertham Florentii Comitis Friſiæ filiam circa annum MLXXI. ex qua Ludovicum filium ſuſcepit, haud paucos annos Philippus cum ea permanſit. Sed poſtmodum per ſpeciem cognationis eam ejicere, alteramque uxorem ducere uſus licentia temporum inſtituit.

VII. Hac tempeſtate Comes Andegavenſis erat Fulco, quem ob morum aſperitatem vulgo Richinum vocabant; is plures habuit uxores, poſt diſſolutum ejus cum Ermengarde matrimonium nuptias cum Bertrada Simonis de Monteforti filiam contraxit. Puella erat annis florentibus, nobilitate & forma præſtans, quæ tædio ingrati conjugii ad Philippum Regem Francorum fugit, qui cum ea poſt ejectam Bertham nuptias contraxit, quod intelligimus ex litteris Ivonis Epiſcopi Carnotenſis, qui has improbavit, & Remos ad Synodum cum aliis Epiſcopis ire abnuit. Ea res turbas graves commovit. Urbanus enim certus illiciti conjugii litteras ad Epiſcopos Gallicanos miſit, quibus præcipiebat, ut Regem eccleſiaſtica animadverſione ad emendationem impellerent. Hugo Lugdunenſis anno MXCIV. Synodum Auguſtoduni celebravit, *in qua*, inquit Bertholdus, *Rex Galliarum Philippus excommunicatus eſt eo quod vivente uxore ſua alteram ſuperinduxit.* Anno ſequenti tempore quadrageſimæ Urbanus PP. Pla-

centinam

centinam Synodum in Italia celebravit, ad quam teſte Bertholdo Philippus LIB. XI
Rex miſit legatos, qui renunciarent Summo Pontifici Regem iter ingreſſum in CAP. V.
Italiam, ſed legitimis cauſis impeditum, ne ulteriùs proficiſceretur, rogare inducias uſque ad Pentecoſtem, quas impetravit. Eodem anno Rex in Concilio Claromontano propter illicitum matrimonium communione privatus eſt. Ivo Carnotenſis Epiſcopus meminit hujus excommunicationis epiſtola CCXI. *Computaverunt eandem conſanguinitatem alio tempore in prædicta curia legati Fulconis Andegavenſis Comitis, & probaverunt, cum accuſaretur Rex Francorum Philippus, quod prædicto Comiti conſanguineo uxorem ſuam ſubtraxerat, quam etiam illicitè retinebat, propter quam accuſationem & patrati inceſtûs comprobationem excommunicatus eſt Rex à domno Papa Vrbano in Claromontenſi Concilio. Et cum poſt factum divortium prædictus Rex eſſet reverſus ad prædictæ mulieris conſortium, excommunicatus eſt in Pictavenſi Concilio à Cardinalibus Ioanne & Benedicto.* Hac interdictione Rex perculſus eſt, anno enim ſequenti mutavit ſententiam, & in Synodo Nemauſenſi ab ipſo Summo Pontifice Eccleſiæ reconciliatus eſt, quod Bertholdus non appellato Concilio ſignificat. Sed chronicon Malleacenſe expreſſis verbis id teſtatur: ad hunc enim annum ſic ſcribit. *Reverſus eſt Vrbanus Santonas, & celebravit ibi ſanctum Paſcha, & inde remeavit Romam, & in eundo remeavit Nemauſum civitatem, ubi item Concilium tenuit, & reconciliavit Philippum Regem Francorum.* Poſt ſpatium unius aut alterius anni recruduit haud bene obducta cicatrix. Rex enim eodem recidit, ſeu illecebris voluptatis iterum captus, ſeu blandimentis mulieris illectus, quæ haud patienter ferebat ſe è toro regio dejici, & inſtar pellicis haberi. Philippus iteratum defendebat contubernium ex viduitate: Bertha enim ejus uxor, jamdiu deceſſerat, & ex conſenſione ipſius Fulconis, qui nuptias illicitas id temporis haud improbabat. Tunc erant in Galliis ſummi Pontificis legati, qui Concilium Pictavis celebraverunt, & iterum Regem à communione Eccleſiæ alienum declaraverunt. De novâ illâ excommunicatione Ivo loquitur in loco, quem ſuprà retulimus. Sed inprimis illius meminit Gotfridus groſſus in vita Bernardi Tironienſis Abbatis. *Per idem tempus*, inquit, *duo Cardinales Ioannes & Benedictus apoſtolicæ ſedis legatione fungentes ad urbem Pictavium Concilium convocaverunt; in quo CXL. Patres adfuerunt, qui Philippum Regem Francorum propter Fulconis Comitis Andegavenſium uxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percuſſerunt. Qua excommunicatione compertâ Guilelmus Dux Aquitanorum, qui aderat totius pudicitiæ ac ſanctitatis inimicus, timens ne ſimilem vindictam pro conſimilibus culpis pateretur, nimio furore ſuccenſus juſſit omnes illos prædari, flagellari, occidi. Quod miniſtris ſuis facere incipientibus, Pontifices & Abbates omnes huc illucque diffugiunt, & ut temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt.* Rex aliquandiu perſtitit in ea ſententia, poſtea tamen prope fuit, ut ipſe Romam iret, ut obtineret abſolutionem. Cum vero à propoſito variis exortis cauſis dimoveretur, data eſt à Paſchale Summo Pontifice provincia Richardo Albanenſi legato, ut ipſum à vinculo excommunicationis ſolveret. Richardus anno MCIV. apud Balgentiacum, quod opidum ad Ligerim ſitum eſt, Epiſcoporum conventum indicit. Quæ hic geſta ſunt, accipies ex Ivonis epiſtolâ, quam ſuo
Epiſcoporumque nomine ad Paſchalem ſcripſit. *Notum facimus*, inquit, *pa-* Epiſt. 144.
ternitati veſtræ quod III. Calendas Auguſti plures Epiſcopi tam Remenſis, quam Senonenſis provinciæ invitati à domno Richardo Albanenſi Epiſcopo legato veſtro, & convenimus in quoddam municipium Aurelianenſis Epiſcopatus nomine Balgentiacum, ad faciendam abſolutionem Regis ſecundum tenorem litterarum, quas ſuper hac re miſerat moderatio veſtra. Convenit etiam Rex & lateralis ſua, & ſecundum præceptum veſtrum tactis ſacroſanctis Evangeliis, parati fuerunt abjurare abſolute omnem carnalis copulæ conſuetudinem, inſuper & mutuam collocutionem, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum uſque ad veſtram diſpenſationem. Sed quia in litteris veſtris continebatur, ut in hac abſolutione conſilium prudentium ſibi adhiberet dominus Albanenſis Epiſcopus, totum onus conſilii voluit ex arbitrio pendere Pontificum; Epiſcopi vero neſcio quid conjicientes, ſemper replitabant ſe de-

 bere eſſe conſilii comites, non duces. Quamvis quibuſdam noſtrûm videretur, quod prædicta abſolutè ita poſſet, ſicut prætaxata eſt honeſte fieri, & propter quorumdam ſimultates non ſatis rationabiliter impediri. Cum igitur res indefinita remaneret in medio, Rex clamitans inculcabat ſe malè eſſe tractatum, qui tamen per ſe & per nos adhuc pulſat ad aures paternitatis veſtræ, ut ſecundum moderationem litterarum veſtrarum, & verba quæ domino Galoni Coepiſcopo noſtro injunxiſtis, cauſam ejus temperetis, ne contingat de eo illud Salomonis, qui multum emungit, elicit ſanguinem; diſpenſationis autem modus nulli unquam ſapientium diſplicuit. Unde beatus Cyrillus ad Gennadium presbyterum. Sicut enim, qui mare navigant, tempeſtate urgente, navique periclitante quædam exemerunt, ut cetera ſalva permaneant: ita & nos cum non habemus ſalvandorum omnium negotiorum certitudinem, deſpicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia. Et quia hæc ſuggerenda dicimus, non docendo noſtræ ſuggeſtionis ſumma eſt, ut imbecillitati hominis amodo, quantum cum ſalute ejus poteſtis, condeſcendatis, & terram, quæ ejus anathemate periclitatur ab hoc periculo eruatis. Reconciliatio in hunc modum retardata eſt. Rex interea in propoſito conſequendæ reconciliationis permanebat, indignéque ferebat rem diutius protrahi. Quod cum Paſchalis ſummus Pontifex ex quorumdam Epiſcoporum litteris accepiſſet, epiſtolam Epiſcopis provinciæ Senonenſis, Remenſis & Turonenſis mittit, ſignificatque ſe ſuas vices commiſiſſe Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo, ut Regem ſub certis conditionibus, ab excommunicatione abſolveret. Sed ecce tibi litteras Paſchalis ſummi Pontificis.

VIII. *Ex tomo XI. Spicileg.* *Significatum nobis eſt quorumdam veſtrûm litteris, quia filius noſter Francorum Rex feminam illam, pro qua toties commonitus, imo excommunicatus fuit juxta præceptum noſtrum abjurare decreverat: ipſa etiam mulier Regem abjurare parata ſit. Super quarum converſione perſonarum, non minimum exultavimus: quia ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, gaudium eſſe angelis Dei ipſo Domino teſtante didicimus. Quam nimirum cauſam fratri noſtro Richardo Albanenſi Epiſcopo reminiſcimini à nobis fuiſſe commiſſam. Si ergo idem frater, Franciæ jam fines egreſſus eſt, nos eandem cauſam aſpirante Domino, una vobiſcum peragendam venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo committimus. Convenientibus itaque vobis in unum, ſi communis filius Francorum Rex, & illa ejus lateralis, tactis ſacroſanctis Evangeliis, omnem carnalis copulæ conſuetudinem abjuraverint, mutuum quoque colloquium & contubernium, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum, nunquam videlicet ad idem flagitium redituri, ſicut quorumdam veſtrum litteris ſignificatum eſt: Satisfactionem eorum vice noſtra vobiſcum Atrebatenſis Epiſcopus ſuſcipiat, & à vinculo excommunicationis abſolvat: quatenus largiente Domino filium Eccleſia, & Regem ſibi Francia reconciliatum epiſcopali miniſterio gratuletur.*

IX. Poſtquam Epiſcopi ſummi Pontificis litteris admoniti ſunt, & dies & locus à Lamberto Epiſcopo Pariſiis indictus eſt, demum Philippus Rex Francorum pollicitus emendationem anno MCV. IV. nonas Decembris Eccleſiæ reconciliatus eſt. Rem accipe ex actis, quæ Sirmondus deſcripſit ex codice Igniacenſi, aut potius ex epiſtola Lamberti, quam ad Paſchalem ſummum Pontificem de ea reſcripſit. *Convenientes Pariſiis Archiepiſcopi dominus Daimbertus Senonenſis, Rodulfus Turonenſis, Epiſcopi quoque Ivo Carnotenſis, Ioannes Aurelianenſis, Humbaldus Autiſſiodorenſis, Gualo Pariſienſis, Manaſſes Meldenſis, Baldricus Noviomenſis, Hubertus Silvanectenſis, fecerunt recitare litteras à veſtra ſede, pro ſatisfactione & abſolutione Regis miſſas. Litteris itaque lectis & intellectis miſerunt ad Ioannem Aurelianenſem, & Gualonem Epiſcopos ſciſcitantes, ſi Rex juxta tenorem litterarum veſtrarum ſatisfaceret, & carnalis & illicitæ copulæ peccatum abjurare decreviſſet, quibus benigne reſpondens ait, ſe Deo & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ libenter velle ſatisfacere, & Apoſtolicæ ſedis præcepto, Archiepiſcoporum quoque & Epiſcoporum præſentium acquieſcere conſilio. Igitur in præſentia prædictorum Epiſcoporum, necnon & Abbatum, Adam Pariſienſis de titulo ſancti Dionyſii, Rainaldi de titulo ſancti Germani Pariſienſis, Olrici Pariſienſis de titulo ſancti Maglorii, item Rainoldi Stampenſis de titulo ſanctæ Trinitatis; Archidiaconorum etiam plurimorum, & honorabilium clericorum, & laicorum circumſtantium, advenit Rex ſatis devotè multumque humiliter nudis pedi-*

Digitized by Google

bus, peccato renuncians, & excommunicationem emendans, & ſic ex veſtra auctoritate LIB XI. *abſolutionem ſuſcipere meruit. His itaque geſtis, tactis ſacroſanctis Evangelis, abju-* CAP. V. *ravit copulam & flagitium illicitæ conjunctionis in hæc verba. Audias tu Lamberte Epiſcope Atrebatenſis, qui hic apoſtolicâ vice fungeris: audiant Archiepiſcopi, & præſentes Epiſcopi, quod ego Philippus Rex Francorum peccatum & conſuetudinem carnalis & illicitæ copulæ, quam hactenus cum Bertrada exercui, ulterius non exercebo: ſed peccatum iſtud & flagitium penitus, & ſine omni retractatione abjuro, cum eadem quoque femina mutuum colloquium & contubernium, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum non habebo; hæc omnia, ſicut litteræ Papæ dicunt, & vos intelligitis, ſine omni malo ingenio obſervabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſacroſancta Ieſu Chriſti Evangelia. Similiter & Bertrada, cum excommunicationis vinculo ſolveretur, tactis ſacroſanctis Evangelis, in perſona ſua hoc idem juravit ſacramentum. Sancta Trinitas Deus noſter ſanctitatem veſtram pro Eccleſia laborantem & orantem diutius cuſtodiat incolumem: & quia cum ſancta Romana Eccleſia in judicio & juſtitia nobiſcum ſtetiſtis retribuatur vobis in reſurrectione mortuorum. Actum Pariſiis anno Dei Chriſti MCV. IV. Nonas Decembris anno pontificatus Paſchalis PP. II. quinto.* Eadem prope reperies tom. III. ſpicileg. Summi Pontifices in hoc negotio ſapienter egerunt, qui ſcilicet in Philippum vetitis illigatum nuptiis ex ſanctis canonibus animadvertere haud veriti ſunt, idque in generali Synodo: neque provincias immeritas, innoxiamque plebem percutere anathemate aliâve eccleſiaſticâ cenſurâ plectere ullo modo aggreſſi ſunt. Chronicon quidem Turonenſe ſancti Martini refert anathemati & interdicto ob noxam Philippi Regis ſubjectum fuiſſe Francorum regnum. Verum id unde hauſerit haud intelligo; neque quippiam prorſus reperias in veteribus illius ætatis monumentis unde hoc elicias, quin immo contrarium penitùs evincas ex actis ipſius negotii. Primus adverſus Philippum Regem claſſicum cecinit Ivo Carnotenſis Epiſcopus, & ſæpius in epiſtolis adverſus divortium Philippi, & ejus nuptias cum Bertrada ſupradicta uxore loquitur, de ejus pariter anathemate, deque ejus interdictione à ſacris; ſed ne verbum quidem dicit de publicâ interdictione regni: ſummis quippe Pontificibus & Epiſcopis propoſitum erat Regis morbum ſanare, ſed ſine regiæ majeſtatis & ſubditorum offenſâ. In Synodo Auguſtodunenſi primùm in has Philippi Regis nuptias actum eſt, ut Bertholdus memorat, aitque tantummodò in ea Philippum fuiſſe excommunicatum; & ſupra retulimus ex Ivonis epiſtolis Regem Philippum in Synodo Claromontana communione Eccleſiæ propter nefarias inceſtaſque nuptias privatum eſſe, ſed nihil ab eo accepimus graviùs fuiſſe pronunciatum. Pictavis deinde adverſus eundem Regem Synodo frequenti à legatis Paſchalis lata eſt ſententia, quod ex Gotfrido groſſo monacho æquali horum temporum ſuperiùs memoratum eſt. Sed propterea in populos animadverſum eſſe, id ex eo non intelligimus, quod invictum eſt argumentum nihil adverſus regnum, regiamque auctoritatem in hoc anathemate actum fuiſſe, quod & ipſa abſolutio exhibet, quam ſuperius retulimus, quæ Regi emendationem pollicenti abſque ulla cujuſcumque rei alterius, vel facti commemoratione data eſt, quin & ſummus Pontifex in epiſtola ad Gallicanos Epiſcopos, quâ committit abſolutionem Lamberto Epiſcopo Atrebatenſi, non meminit interdicti aut publici anathematis in Franciam, ſed tantummodo excommunicationis latæ in Regem, quod etiam ex Ivone potes elicere, qui quidem de excommunicatione Regis ſcribit ad Paſchalem, rogatque eum, ut imbecillitati hominis aliquid indulgeat *Epiſt. 44.* *& terram, quæ ejus anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruat*, quid aliud innuit? niſi regem fuiſſe quidem anathemati ſubjectum, non tamen regnum ejus, quod tamen periclitetur propter audaciam quorumdam, qui tempus nacti novas res moliendi turbas data occaſione excitarent. Sane Epiſcopi, ſicut antea ſacra peragebant, & clerici omnes ſuum, quemadmodum prius implebant miniſterium, & plebs pro more conventus & liturgiam agitabat, neque populos, civitates, & provincias à fide & obſequio deſciviſſe accepimus, quandiu Philippo Regi ſacris & communione interdictum eſt. Quædam tamen, quæ contra hanc ſententiam ſcripta videntur, hic explicanda ſunt, annotandumque inprimis, ita à

Digitized by Google

LIB. XI CAP. V. ſacris prohibitum fuiſſe Regem, ut etiam ſollemni ritu pro more illius ætatis uti coronâ vetitus ſit; hâc ſcilicet tempeſtate Reges in feſtis diebns ſollemnioribuſque Eccleſiæ conventibus ferre coronam conſueverant, & in baſilicis regio veſtitu regioque apparatu intereſſe; hancque conſuetudinem à majoribus ſuis hauſerant: coronam vero è manibus Epiſcoporum accipiebant. Cum vero Philippus Rex communione Eccleſiæ fuiſſet privatus, coronæ hoc modo accipiendæ & deferendæ jure privatus quoque fuit, quippe, qui nec ſacris intereſſe, nec ab Epiſcopo coronam accipere poſſet. Sicque locus Ivonis explicandus in epiſtolâ quadrageſimâ ſextâ, in quâ ſcribens ad Urbanum PP. dicit ituros Romam nuncios, qui ipſum circumveniant. *Qui ergo venturi ſunt*, inquit, *confidentes in calliditate ingenioli ſui, & venuſtate linguæ ſuæ, prædictis de cauſis impunitatem flagitii ſui ſe impetraturos Regi à ſede apoſtolica promiſerunt, hac ratione ex parte uſuri, Regem cum regno ab obedientia veſtra diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, niſi Regem ab anathemate abſolvatis.* Quod adeo verum eſt, ut Ivo graviter arguerit Turonenſem Archiepiſcopum, quod Regi coronam impoſuerit, quo tempore à ſacris & communione Eccleſiæ prohibitus erat. Sic enim ſcribit in epiſtola LXX. *Turonenſis enim Archiepiſcopus prædictæ Eccleſiæ pædagogus & in Natale Domini Regi contra interdictum veſtrum coronam imponens, hac arte à Rege obtinuit, ut Ioannes, qui per Ioannem defunctum Epiſcopum multis ſubmurmurantibus & male ſentientibus factus eſt Archidiaconus, eidem Eccleſiæ præficeretur Epiſcopus.* Quod ipſum inculcat epiſtola LXXVII. *ſciatis etiam, quia Turonenſis Archiepiſcopus contra interdictum legati veſtri, in Natale Domini Regi coronam impoſuit, & ut iſte Epiſcopus fieret, hac mercede promeruit.* Sed ab Orderico ſcriptore æquali illorum temporum accipe, quæ fuerit hujus excommunicationis ratio, & quid ob eam cauſam præſtitum ſit adverſus Regem lib. VIII. ſic legitur. *Tempore igitur Vrbani & Paſchalis Romanorum Pontificum fere quindecim annis interdictus fuit* Rex; *quo tempore nunquam diadema portavit, nec purpuram induit, nec ſollemnitatem aliquam regio more celebravit. In quodcumque opidum, vel urbem Galliarum Rex adveniſſet, mox à clero auditum fuiſſet, ceſſabat omnis clangor campanarum & generalis cantus clericorum. Luctus itaque publicus agebatur, & dominicus cultus privatim exercebatur, quandiu tranſgreſſor Princeps in eadem diœceſi commorabatur. Permiſſu tamen præſulum, quorum Dominus erat, pro regali dignitate capellanum ſuum habebat, à quo cum privata familia privatim miſſam audiebat.* Intelligis ex hoc Orderici loco interdictum Regi uſum coronæ tempore excommunicationis, quoniam ſcilicet in regio ſollemnique habitu ei vetitum erat celeberrimis Eccleſiæ conventibus intereſſe. Neque aliud Ivo ſignificatum eſſe voluit, cum locutus eſt de reſtitutione coronæ & abſolutione Regis, niſi de uſu coronæ reſtituendo in ſacris conventibus, ſi Rex nempe vinculo excommunicationis ſolutus ſacris publiciſque conventibus intereſſet. Spectabat igitur illa reſtitutio coronæ ad uſum ſollemnem in conventibus ſacris geſtandæ coronæ, non ad jus moderandi ſceptri & imperii adminiſtrandi: illa coronæ geſtandæ rario ritûs erat & ceremoniæ, quæ in ſacris cœtibns fieret; non nota imperii abrogati, & abolitæ regiæ poteſtatis. Rex enim, ſicut prius, omnem iu ſubditos poteſtatem exercebat, actis publicis ſubſcribebat, provincias Comitibus committebat, & electionibus Epiſcoporum, ſicut prius dabat conſenſum, neque vel homuncionem ab eo propter interdicta ſacra defeciſſe priſci annales narrant. Clerici tantummodò propter notam publicamque noxam & propter excommunicationem abſtinebant ab ejus communione, & in opidis ubi morabatur, nt memorat Ordericus, ſacra plerumque non fiebant, ſed non propterea toto regno baſilicæ claudebantur, à ſacris non abſtinebatur ubique, neque omittebatur res ſacra: immo pro more omnia peragebantur, publicè agebantur ſynaxes, ex ambone conciones ad populum habebantur, clerici ſua obibant officia, & ex eccleſiaſtica conſuetudine ſacerdotes ſacris faciendis operam ponebant. His in eum modum expoſitis facile explicabuntur ea qnæ Flaviniacenſi chronico continentur. Cum enim de Rege Philippo & de nefariis ejus nnptiis ſermonem habet, & ſummo Pontifice, qui morbum ejus curare & eum ſanare

Digitized by Google

ſtudebat, ſic habet. *Regem quoque pellicis ſuæ proſtitutione ſuperbum, à reproba ejuſdem conjunctione ſequeſtratum tentavit, interdicta illi corona, niſi obediret: ſed neſcit impetus mala quæ fecit, niſi cum pro eiſdem peccatis cœperit jam puniri.* Et quæ paulo inferius ſcripta ſunt. *Quantam autem fidei frugem virilis illa propugnationis cæleſtis ſeges attulerit, hinc colligi poteſt, quod poſtea cum apud urbem Senonum cum Regina ſua per xv. fere dies remoratus fuiſſet, clauſis tota urbe eccleſiis, nulla facta eſt eis chriſtianitas, in tantum, ut Ieſabelis furor uſus novitate profanà manus impias in Deum expendens, miſſis apparitoribus eccleſiam frangeret, & in ea ſibi miſſam à ſui ſimilibus dici cogeret.* Ex his locis nihil aliud concludas, niſi quod ſuperius diximus propter excommunicationem, jure ferendæ in ſacris celebritatibus coronæ Regi interdictum eſſe, & clericos ob manifeſtum crimen, & deo aſſociatum ex æquitate in regium caput anathema ejus fugiſſe communionem: neque propterea Regem regnandi vices omiſiſſe, neque ſubditos ab obſequio & fide in Regem deſciviſſe.

X. Alterum eſt quod quidam objiciunt, dicunt illi toto excommunicationis tempore formulam hanc, regnante Chriſto, non autem, regnante Philippo, ſubſcriptam eſſe, jamdiu hoc tanquam commentum falsò excogitatum exploſerunt viri doctiſſimi, allatiſque compluribus exemplis ex veteribus monumentis oſtenderunt hanc formulam jam ante excommunicationem Philippi Regis, & poſt ejus tempora fuiſſe in uſu. Reges ſcilicet modeſtè de ſe ſentientes Deum rerum omnium Dominum agnoſcebant, regnumque ſuum ab ipſo acceptum ipſi referebant, & hâc formula Chriſto regnante ſummam reverentiam teſtabantur. Quod vero hæc formula ante excommunicatum Philippum fuerit in uſu ex hoc accipe, quod eam formulam habes in his actis, quæ hic ſubjicio. In charta Burgulienſis monaſterii, qua Guilelmus Aquitanorum Dux ſub Roberto Rege huic loco donationem ſcribit cum hac concluſione. *Actum in civitate Turonis publicè menſe Iunio regnante Roberto unà dominante Ieſu Chriſto æterno, qui regnat in ſæcula ſæculorum.* Sæpius ſuppreſſum eſt nomen Regis, cujus rei teſtimonium exhibet charta Moiſſiacenſis: ſic enim ad finem legitur. *Ieſu Chriſto Domino noſtro regnante cum æterno Patre & Spiritu ſancto, ejuſdem Domini noſtri incarnationis anno MLXII.* Quo tempore regnabat Rex Philippus, quem nondùm excommunicatum fuiſſe haud dubium eſt. Charta Bellovacenſis ſic habet. *Actum in ipſa beati Vedaſti baſilicà in præſentià populi & cleri IV. Calend. Iulii anno Incarnationis Domini MLXXII. Indictione quarta anno regni Philippi XIII. epiſcopatus domini Guidonis & regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.* Similiter Dolenſis charta circa annum MLXXIX. cum hâc clauſulâ *regnante Domino Ieſu Chriſto.* Necdùm hoc tempore Philippus Rex communione privatus fuerat. Sed agnoſcant ſuum commentum, ii qui aſſerunt tempore excommunicationis ſuppreſſam formulam regnantis Regis, ſubſtitutumque nomen Jeſu Chriſti, quod Pariſienſibus chartis omnino contrarium eſt, ut liquet ex his actis, quæ tibi proferimus. Inter chartas monaſterii ſancti Martini Campenſis extat una quædam Belvacenſis Epiſcopi, quæ his verbis concluditur. *Anno Incarnati Verbi MXCIX. regnante Philippo Rege.* Et ut ſcriptum legimus in minore paſtorali, Guilelmus ſcripſit chartam de Orleyo, & de ſancto Chlodoaldo anno MC. *regnante Philippo Rege.* Charta ſancti Benigni Divionenſis. *Actum Divione anno MCI. regnante Rege Philippo.* Charta monaſterii Burgulienſis. *Facta eſt hæc charta, & firmata in clauſtro ſancti Porcherii anno ab Incarnatione Domini Ieſu Chriſti MCII. Regnante Philippo Francorum Rege.* Charta Jotrenſis monaſterii. *Actum Noviomi Dominicæ Incarnationis anno MCIII. Indict. II. regnante Rege Philippo, Epiſcopante domno Baldrico anno V.* Charta ſancti Hilarii Pictavenſis hæc eadem pariter *anno MCIV.* charta ſancti Cypriani Pictavenſis. *Anno MCV. Philippo Rege in Francia, & Vuilelmo in Aquitania* Ex his actis publiciſque monumentis, quorum indices integros, ex quibus haud pauca deſcripſimus, reperies in libro, quem vir doctiſſimus ſcripſit de formula regnante Chriſto, lector intelligit temerè à quibuſdam ſcriptum eſſe propter excommunicationem in Regem pronunciatam, Regis Philippi nomen in actis publicis eſſe ſuppreſſum, ſubſtitutumque

nomen Jeſu, qnod prorſus ab omni veritate abhorret. Hæc vero omnia, quæ hic attulimus, probant Philippum Regem ob illicitas nuptias à communione Eccleſiæ dejectum eſſe, coronæ uſu privatum eſſe, quandiu extra communionem Eccleſiæ fuir, quippe qui non intereſſet pnblicè eccleſiaſticis conventibus his ſollemnibus diebus, quibus Epiſcopi ſoliti erant coronam ejus capiti imponere; nihil vero gravius contra ejus regnum decretum eſſe conſtat, quidquid ſcripſerit Aimoini continuator, & chronici ſancti Martini Turonenſis auctor, qui contra acta ſincera falsò dixerunt regnum interdicto ſubjectum fuiſſe. Nonnulli aſſerunt matrimonium ex ſummi Ponrificis diſpenſatione ratum habitum eſſe, quod ego nolim affirmare: quod certum eſt, paucis poſt reconciliationem annis Philippus Rex mortem oppetiit Meloduni anno MCVIII. quarto Calendas Auguſti, corpus ejns in baſilicâ monaſterii Floriacenſis ſepultum eſt. Bertrada poſt ejus mortem in Fontebraldenſe monaſterium receſſir, eaque vitæ emendatione & donationibus vitæ anteactæ facta expiare ſtuduit, Altamque Bruieriam, quod vetus & dives eſt hujus ordinis in agro Carnotenſi monaſterium, fertur condidiſſe & dotaſſe. Verum antequam ultrà progrediar, quædam mihi adjicienda ſunt, quæ ſub eodem Principe geſta ſunt, atque imprimis, quæ ad Hieroſolymitanam expeditionem pertinent.

CAPUT VI.

De expeditione Hieroſolymitanâ, quæ primum ab Vrbano PP. II. in Synôdo Claromontana promulgata eſt. De Hugone magno, & aliis Ducibus; qui ſumpta cruce hanc expeditionem ſuſceperunt. De his, quæ hac in expeditione acciderunt. De expugnatione Niceæ, Antiochiæ & Hieroſolymæ.

I. SED cum potiſſimum Concilium Claromontanum habitum ſit ad hortandos Chriſtianos ad Hieroſolymitanam expeditionem, de ea hic paucis dicendum eſt, non quod ea expeditio ad res Pariſienſes pertineat, ſed quod initia illius expeditionis, deſcriptaque brevis rerum geſtarum ſumma haud parum conferet rebus explicandis, quæ Pariſiis actæ ſunr, quando Reges Francorum ſumpta cruce, velut ſacræ expeditionis teſſerâ, ad profectionem ulrramarinam, ut vocant, bellumqne hoſtibus Chriſtianæ religionis inferendum ſe aliquando accinxerunt, ut alias memorabimus. Quæ cauſa inprimis Urbanum ſummum Pontificem ad expeditionem indicendam impulerit breviter diſſero. Ex quo Jeſus Chriſtus dominus noſter diriſſima quæque ſupplicia pro noxis mortalium expiandis perpeſſus eſt, ac demum mortem oppetiit acerbiſſimam: urbs Hieroſolyma paulo poſt iram Dei ſævientis experta eſt. Everſa namque funditus civiras eſt, & Titi Veſpaſiani armis deleta eſt gens perfida, quæ filium Dei crudeliter interfecerat. Sub Hadriani principatu urbs inſtaurara eſt, & ubi templum olim Dei immortalis erat, erectum alterum eſt profanæ gentilitati ſacrum. Res ea permanſit ad tempora Conſtantini Auguſti, qui ſuſcepta Dei religione vana ſuſtulit ſimulacra, & in urbe ubi Chriſtus vixerat, ubi ſacrum pro

ſalute hominum fuderat ſanguinem, templa Deo extruxit. Tum Helenæ Auguſtæ pietas clara fuit, quæ multo honore locum proſecuta eſt, cuique contigit ſanctam crucem invenire, cui appenſum fuerat orbis liberati pretium. Poſtea locus venerabilis fuit; & crebris Chriſtianorum itineribus memorabilis. Chriſtiani deinceps huc religionis causâ proficiſci ſoliti ſunt, rem Deo gratam facturos rati, ſi loca viſerent, ubi Chriſtus natus fuerat, ubi adoleverat, ubi tranſegerat noctes dieſque vel orando, vel concionando, ubi pœnis & laboribus conſumptus animam exhalaverat. Multi divitiis, opibus & honoribus potentes huc ſecedere, ut ad Chriſti exemplum, vitam & mores informarent, & illic ſedem ponere conſueverant, teſtis ſanctus Hieronymus & nobiliſſimæ matronæ, quæ relictâ Româ in hoc religionis domicilium ſeceſſerunt. Id temporis frequentes apud Chriſtianos fuerunt hæ ad Hieroſolymam profectiones, neque modo ex Italia Chriſtiani huc ad colendum Deum ventitare, ſed & ex omnibus orbis Chriſtiani partibus; Oroſium ætate ſancti Auguſtini ex Hiſpania ad inviſenda Chriſti veſtigia, & Severum Sulpitium ex Gallia, plureſque alios huc properaſſe antiqui rerum Chriſtianarum commentarii memorant: eadem itinera ſequentibus ſæculis peracta fuiſſe & illorum temporum acta teſtantur. Verum inclinante imperio Orientis multum invaſione barbarorum impedita ſunt. Hieroſolyma ulciſcente Deo Chriſtianorum peccata multarum barbararum nationum præda & ſpolium fuit. Perſæ ſub Phocæ imperio Syriam devaſtarunt, & capta Hieroſolyma magnam civium partem gladio peremerunt. Hanc deinde occupaverunt Arabes, qui Mahumetis inſaniam ſectabantur. Cum deinde poſt multos annos varios caſus ſub variorum dominorum principatu ſancta urbs fuiſſet experta, in Ægyptiorum poteſtatem venit. Turcæ demum gens Scythica, pulſis Ægyptiis, Hieroſolymam occupaverunt, & ſubacta Syria, magnam Aſiæ partem ſuis legibus ſubjecerunt, adeo ut hac tempeſtate Nicomediam uſque armis penetraverint. Poſtea Ægyptii Perſis expulſis eamdem urbem receperunt. Res Syriæ & Palæſtinæ in eo ſtatu verſabantur ſub pontificatu Urbani II. PP. Noſtri turbidis rebus Orientis haud tamen abſtiterunt à peregrinationibus, quas à Patribus didicerant. Sed præter moleſtias longi difficiliſque itineris, à barbaris plura mala patiebantur, graſſatores eorum vitæ inſidiabantur, lucrumque peregrini reputabant, ſi relictis ſpoliis incolumes ex eorum manibus evaderent. Spoliatis rerumque omnium egenis ingreſſus in ſacram urbem non patebat, niſi perſoluto pretio. Cives Hieroſolymæ haud leviora ſubibant mala, immodicis vectigalibus premebantur, quibus perſolvendis, ſi deeſſent, aut pœnâ capitis, aut bonorum omnium multâ plectebantur, ſuppliciorum genus omne, quod avaritia, quodque crudelitas ſuggereret, experiebantur; quodque graviſſimum erat nulla ſpes aut leniendi aut finiendi doloris ſupererat. Imperium Orientis fractum armis barbarorum nutabat, & ſæpius Imperatores auxilium à Chriſtianis Regibus necquidquam expectaverant. Sed demum miſeris opitulari in hunc modum Deus rerum omnium Dominus conſtituit. Sub Philippi Regis principatu quidam Petrus nomine Ambianis natus primum militiam ſecutus, tum abjecto ſago Deo colendo ſe penitus dedidit, ac demum vitam ſolitariam in eremo agere cœpit, & paulo poſt incenſus vehementiore Chriſti amore in Palæſtinam eundi pro more illius ætatis conſilium cepit. Defunctus ille plurimis difficillimiſque laboribus Hieroſolymam attigit, urbemque ingreſſus loca viſit Chriſti veſtigiis honorata. Ille vero miſerabili Chriſtianorum ſervitute commotus cœpit inquirere, num ſpes aliqua rei Chriſtianæ his in locis reſtituendæ affulgeret; id vero cum Simeone civitatis Patriarcha communicare. Petrus vir erat acerrimi judicii, facundiæ haud vulgaris partæ magis naturâ, quam arte quæſitæ, celer ad cogitandum & ad exequendum promptus, auctor eſt illi, ut de ea re ſcribat ad ſummum Pontificem Urbanum II. & ad Reges Occidentis, ut Orienti ſuccurrant, polliceturque operam, effecturumque ne vana expectatio ſit. Simeoni gratum conſilium fuit. Petrus acceptis ab eo litteris in Italiam navigavit, Urbanumque ſummum Pontificem nactus ei litteras reddit, illique commemorat mala, quibus Orientis eccleſiæ affligeban- LIB XI. CAP. VI.

tur, rogatque, ut pro ſua ſollicitudine gementi auxilium ferat, nec ultra patiatur Sarracenorum Turcarumque imperium accreſcere, qui victores Aſiæ jam Europæ immineant. Alexius Imperator Orientis jam antea Gregorium VII. PP. mali impendentis admonuerat, rogaveratque, ut jacenti Eccleſiæ Orientis auxilium ferret; Gregorius illi quidem ferre opem decreverat, ſed impeditus eſt exortis ea tempeſtate cum Henrico Imperatore de inveſtituris diſſidiis, quæ rem Chriſtianam remque publicam diu turbaverunt, & Auguſto ſummoque Pontifici incredibiles creaverunt moleſtias. Urbanum PP. ſermones Petri eremitæ commoverunt, adeo ut illicò res acciſas Orientis erigere ſibi propoſuerit. Anno itaque M X C V. propoſitum perducere ad finem inſtituit. Eo igitur anno cum nondum res Chriſtiana quieſceret, & omnia permiſceret Imperatoris Henrici perfracta audacia, & ſchiſma Guiberti falſi Pontificis laceraret Eccleſiam. Ipſe Urbanus tot malis circumventus rem nihilominus arduam, & quam nemo ſuperiorum Pontificum animo conceperat, aggreſſus eſt, ut res Orientis reſtitueret, & Turcam Aſiæ victorem attereret. Italiam itaque deſerere, & in Gallias pedem inferre cœpit. Verum cum mores illius ætatis corruptiſſimi eſſent, & diſciplinæ eccleſiaſticæ vis concidiſſet, ad rem eccleſiaſticam quoque collabentem reſtituendam animum adjecit. Eo igitur anno Placentinam Synodum coegit, ingreſſuſque eodem itinere Gallias ad Clarummontem, quod opidum Arverniæ caput eſt, Synodum generalem indixit, quæ frequentiſſima fuit. Decretis pluribus editis pro reparandis damnis, quæ mali mores, gliſcenſque corruptela Eccleſiæ intulerant, graviſſima oratione ad ferendum Palæſtinæ auxilium omnes adhortatus eſt.

II. Sermonem exorſus eſt ſummus Pontifex à celebrandâ Palæſtinâ, eam eſſe regionem, quam Deus olim fuerat dilecto populo pollicitus, quam inprimis ex omnibus locis tanquam hæreditatem ſelegerat, quamque præcipuo amore diligere dignatus fuerat. Illa, inquiebat, terra eſt, quam Deus conſciam fecit myſteriorum, hanc quondam Chriſtus ſelegit, ut ibi naſceretur, ubi vitam ageret, hanc ſignis miraculiſque illuſtravit, illam Chriſtus ſuo irroravit ſanguine, ut in ea tanquam in agro feraci fidelium multitudo increſceret, unde poſtea coaluit Eccleſia. Illa naſcenti Eccleſiæ paravit cunabula; illa mater eſt gentis Chriſtianæ, gentis electæ, quam Chriſtus in libertatem aſſeruit. Patiemini, aiebat, illam urbem ſub jugo ſervæ & ancillæ ingemiſcere? filios liberæ ſub Agarenorum ſervitute opprimi? In animum revocate ſacrum Dei templum, domum illam orationis, ubi populi olim expiata ſacrificiis peccata, ex qua olim Chriſtus ejecit negotiatores, illa non modo facta eſt ſpelunca latronum, ſed dæmonum receptaculum, ſedes impietatis & ſuperſtitionis domicilium. Quid dicam de civitate Sion, cujus portas Dominus dilexit ſuper omnia tabernacula Jacob, illa jacet luctu obſita, vacua populo, hoſtis immaniſſimi præda: cives in ea jugulati, ſacerdotes ante ipſa altaria more pecudum mactati, virginum pudor inceſtatus, temerata caſtitas matronarum, nulli ſexui, nulli ætati gladius barbarorum pepercit, reliquiæ barbarici furoris Chriſtiani, veſtram implorant opem, à vobis auxilium poſcunt, ſi quid religionis & pietatis reliqui eſt, nolite his auxilium denegare. Recogitate amabo flagitia, quibus iram numinis accendiſtis, ponite ob oculos effrænatas libidines, & ſacrilega facinora, quæ perpetraſtis; vendita ſunt quaſi ad nundinas ſacerdotia, altaria manibus laicorum profanata ſunt, inceſta conjugia domos veſtras contaminant, rixæ, jurgia, latrocinia paſſim & cædes opida & agros devaſtant. Ecce Deus ſcelerum vindex mucronem veſtris cervicibus intentat, paratque ictum inferre, niſi præclarè factis manum ſævientem protinus averteritis, & vindictam emendatione vitæ & ſanctioribus inſtitutis præveneritis. Ecce vobis tempus reparandi offenſas, & pœnæ bonis operibus redimendæ. Quin modò vos devovetis religioni & ad expeditionem ſacram vos accingitis, confeſtim icite inter vos ſanctum fœdus, in Aſiam infeſtis ſignis contendite, armis repoſcite civitates & provincias, quas impius Arabs, & Scytha ſacrilegus invaſerunt. Sit initæ ſocietatis & profeſſæ devotionis teſſera, ſignum ſanctæ Crucis, hoc vexillo amiſſam recipite hæreditatem, quo Chriſtus orbem terrarum jacentem erexit.

Hæc

Hæc aliaque ejuſmodi locutus eſt ſummus Pontifex, quæ tanti momenti fuerunt apud omnes, ut plerique ſtatim ſacram militiam conceptis votis profeſſi ſint, & ſignum Crucis ſanctæ, quæ Chriſtianæ expeditionis teſſera erat, illicò aſſumpſerint. Ademarus inprimis Anicienſis Epiſcopus, & Guilelmus Auranſienſis nullâ morâ militiam ſacram profeſſi ſunt, & acciſi ſummi Pontificis pedibus, & Deo teſte in ſanctam jurarunt expeditionem, complures ſimiliter ex optimatibus nomen dederunt. Soluto Concilio Epiſcopi in ſua quiſque parrochia omnes ad ſectandam ſacram militiam adhortati ſunt. Incredibile memoratu eſt, quiſque quaſi dato ſigno nomen profiteri cœpit. Cœpta quidem eſt primùm apud Francos expeditio, ſed mox per omnes Europæ provincias iiſdem animis & ſimili populorum concitatione confecta eſt. Hæc vero res quomodo geſta ſit, breviter & ſummatim commemoro. Poſtquam Urbanus PP. claſſicum ad Hieroſolymitanam expeditionem cecinit, induciæ perpetuæ per Gallias indictæ ſunt, quas Treugam ſeu Treviam Domini vocabant, qui nomen militiæ dabant pro notâ concepti voti & juratæ peregrinationis ſuper humeros cruces vel ſericas, vel ex auro textas, vel ex panno quocumque confectas aſſuebant. Continuò innumerabilis hominum multitudo in argumentum profeſſi nominis crucem ſumpſit. Sed inprimis viri & dignitate & nobilitate clari, quorum nomina in actis illorum temporum recenſentur. Inter eos maxime commendari ſunt Hugo magnus frater Philippi Francorum Regis, Raimundus Comes Tholoſanus, Godefridus filius Bononienſis Comitis Dux Lotharingiæ, cujus in hac expeditione magnificum nomen fuit, ejus fratres Balduinus & Euſtachius, & eorum propinquus Balduinus de Burgo. Neque vero ſingulorum nomina appellare inſtitui, non poſſum tamen omittere Boamundum Roberti Appuliæ Ducis filium, & Tancredum ejus ex ſorore nepotem. Sed inter cereros ſpectabatur Petrus ille eremita auctor incentorque expeditionis, qui vitæ ſeveritate arctioreque diſciplina multum exiſtimationis acquiſiverat, Chriſtianam exercebat philoſophiam, cibo vili utebatur, eoque tantummodo ad abigendam famem, ſimplici aſperoque veſtitu, & nudis ambulabat pedibus. Jam vero auſteris moribus adjunxerat innatam facundiam, qua plebem ad expeditionem illam accendere ſolebat. Ille collecta ingenti hominum multitudine anno M X C V I. iter per Germaniam ingreſſus eſt, cum turbâ hominum inconditâ diſciplinæ & obſequio inſuetâ. Ferunt ad quadraginta hominum millia fuiſſe, qui Petrum ſequerentur. Ille imperitæ multitudinis dux in Bulgaria ſuorum magnâ parte amiſsâ vix Conſtantinopolim pervênit, ubi nactus eſt Galrerum virum & fortem & ſtrenuum, qui Germaniam, Hungariam & Bulgariam emenſus, eum prævenerat, illumque cum magna hominum turba in Thracia operiebatur. Illi junctis copiis uno agmine in Bithiniam Niceam verſus tranſeunt. Hanc urbem Turcæ bello invaſerant. Noſtri, dum Petrus abêſſet, tumultuariò in Turcas irruunt, hi copias duce Solimanno eduxerant, fortiterque noſtrorum ictus ſuſtinentes, facile inordinatam Chriſtianorum aciem fregerunt, exercitumque male pugnantem penitus deleverunt, x x v. hominum millia cæſa ſunt, caſtra direpta, gladioque peremptæ mulieres cum monachis, qui in caſtris permanſerant, tria tantummodo hominum millia, qui primùm ſe opido, ad quod confugerant adventu militum, quos Imperator ſummiſerat, evaſerunt. Hæc mala ſors fuit eorum, quos Petrus adduxerat in Aſiam. Ex his exploratum fuit, non parem Eremitæ ducendo regendoque agmini, quam concitandis populis fuiſſe induſtriam: ex his quoque, quæ modo memorata ſunt, quiſque intelligit paratas ad hanc expeditionem copias non in unum aliquem exercitum cojiſſe, neque conflatam ex variis populis unam aciem ſub unius ejuſdemque ducis auſpiciis. Sed plerúmque, pro ut ſors dabat, in agmina incompoſita, turmaſque inordinatas coaluiſſe. Ex hoc multa damna his copiis acciderunt; cum enim imperata facere negligerent; & impetu magis, quam recta ratione facinora militaria agerentur, inconſultò ſe periculis variiſque caſibus objiciebant. Melior erat conditio eorum, qui ſub egregio aliquo Duce nomen dabant, & ſub ejus vexillis pugnare aggrediebantur. Viri enim Principes, qui opibus & LIB. XI. CAP. VI.

Ccccc

poteſtate ceteris anteibant, vexilla quique ſuo nomine explicare cœperant, & ſinguli delectum facere, & milites ad ſua ſigna vocare conſueverant. Hugo magnus Dux Veromanduorum Regis Francorum frater, quem Guibertus Abbas multis exornat laudibus, dicit eum mores optimos cum ſumma nobilitate conjunxiſſe, & pari his dotibus formâ præditum fuiſſe. Ille igitur ſe ad iter Hieroſolymitanum accingere meditans, ad menſem Februarium conventum ex optimatibus, & cum iis præſente Philippo Rege Pariſiis publicum habet de voto concepto colloquium. Statim atque opportunum tempus fuit, nondum comparato exercitu, iter ingreſſus eſt per Italiam: ad intimam uſque Appuliam felix iter fuit. Verum dum haud conſultò amotus ab agmine, proficiſcitur Dyrrachium, in manum Græcorum incidit, eum ad præfectum urbis duxerunt, qui in ſpeciem Hugonem habuit honorifice, ſed re vera eum ſub libera cuſtodia tenuit, miſitque ad Imperatorem. Anna Comnena in libris, quos de vita Alexii patris ſui ſcripſit, dicit Hugonem juxta Dyrrachium feciſſe naufragium, eumque à Græcis captum, dum ſcaphâ incolumitati conſulit, ductum Dyrrachium, atque inde Conſtantinopolim, detentumque ab Alexio patre ſub libera honorificaque cuſtodia. Mox dicemus qua ratione in libertatem ſit vindicatus.

III. Melioribus auſpiciis Godefridus Dux Lotharingiæ expeditionem ſuſcepit. Is vendito patrimonio collectiſque undequaque pecuniis cum innumerabili hominum turba & inſigni clarorum hominum comitatu in Aſiam contendit, per Germaniam ire perrexit, Auſtriam cum numeroſo exercitu prætergreſſus, demum peragrata Hungaria & Bulgaria Adrianopolim feliciter advênit, docuitque quantùm valeret agmen ſub Ducis optimi imperio. Godefridus accepit Hugonem magnum detentum ſub cuſtodia, miſit illicò ad Alexium legatos, qui virum hujuſce nobilitatis, alioſque ejus ſocios repoſcerent. Alexius metu Francorum in dies magno numero adventantium, qui eos quaſi obſides retinebat, ne quid Franci in Græcos molirentur, non potuit perſuaderi, ut iis libertatem redderet. Dux, qui hucuſque copias & agmen à præda prohibuerat, juſſit agros devaſtari, diripi provinciam, & Græcos pro hoſtibus haberi. Alexius his commotus ſtatim nobiles captivos ſolvit, & hac reſtitutione pacem cum Francis pepigit. Rebus ita compoſitis Dux Conſtantinopolim agmen adduxit. Imperator ſummo ardebat deſiderio videndi Ducis, & ſæpius eum per nuncios rogaverat, ut in urbem veniret. Græcæ fidei Dux ſe credere verebatur. Alexius cum precibus & officiis nihil efficeret, viribus & bello eum aggreditur. Primùm illi omni commeatu interdicit. Dux ſuburbanum agrum deprædatur. Imperator offenſus jubet impreſſionem in noſtros fieri, noſtri ſe tueri fortiter & vim vi referre parant, fit cædes utrinque; inter hæc ecce à Boamundo Dux litteras accipit, monet ne Imperatori perfido ſe committat, verſus Adrianopolim ſuos reducat, ſe in principio veris adfuturum junctiſque armis proviſuros, ne quid mali exercitus patiatur. Audivit Alexius brevi adventurum Boamundum, cujus arma jam ſuo damno aliquando expertus fuerat; verituſque ne ad evertendum Orientis Imperium ſocietatem inirent, Godefridum omnibus officiis ſibi conciliare inſtituit. Rogat iterum, ut non vereatur urbem ingredi, filium Porphyrogenitum obſidem fore. Dux conditionem accipit, acceptoque Porphyrogenito, in urbem palatiumque ire haud amplius detrectat. Imperator Godefridi animum honorificis officioſiſque demulcere ſermonibus, ejus merita, quæ ex famâ didicerat, extollere, eumque muneribus & honoribus cumulare, quæ omnia Duci pergrata fuerunt. Menſe Martio Dux in Bithiniam exercitum traduxit. Vix ab urbe Dux caſtra moverat, ecce cum numeroſo exercitu Boamundus Tarentinus Princeps Roberti Apuliæ Principis filius, cujus ſigna ſequebatur Tancredus ejus ex ſorore nepos, ille ſuſpectus Imperatori erat, quamobrem huic tendere inſidias, ejuſque veſtigiis inſiſtere copias juſſerat, ut ſi ſe offerret opportunitas, impetum facerent. Intellexit dolum ſagax Princeps, prudentique diſſimulatione artes eluſit, aut vi & fortitudine repulit injuriam, poſtquam ad urbem adventavit, Imperator illum ad colloquium vocavit, detrectantemque eum impulit Dux Godefridus, honorifice ab Imperatore

habitus eſt, eoque ſalutato, in Bithiniam pariter cum copiis deſcendit. Dum hæc agerentur, ecce Conſtantinopolim acceſſit Raimundus Comes Tholoſanus, cum Epiſcopo Anicienſi, eum comitabantur complures opibus & nobilitate clari, ſe inprimis illi ſocium adjunxerant Raimbaldus & Guilelmus, hic Epiſcopus, ille Comes Auraußenſis, poſt multos labores vix ad urbem advenerunt iter ſecuti difficillimum, primum in Italiam profecti, Aquileiam verſus iter direxerant, in Iſtriam, inde in Dalmatiam tranſierunt: loca hæc incolebat populus agreſtis, cui parum curæ erat agros colere, inprimis paſcendis gregibus, alendiſque armentis aſſuetus. Hi relictis vicis & opidis in montes & rupes ad noſtrorum conſpectum fugiebant, & poſtremum agmen ſæpius invadebant. Sed Comes promptus ad repellendam audaciam ſæpius quoque ingenti barbarorum internecione ſuorum cædem ulciſcebatur. Has aliaſque ejuſmodi incultas regiones noſtri emenſi, demum Dyrrachium abruptis itineribus, & inde Conſtantinopolim pervenerunt. Comes admiſſus eſt benigne ab Imperatore. Solebat Alexius obſequii & fidei juramentum à noſtratibus exigere, ut ſi forte opida & provincias è manibus Turcarum, aut Sarracenorum eriperent, ea ſe ſub ejus poteſtate poſſidere profiterentur, hominium igitur, ut vocant, de provinciis nondum acquiſitis ſibi exhiberi poſcebat. Duces, qui præceſſerant, hanc ei fidem polliceri haud dubitaverant, rati ſcilicet id ſuis rebus conducere, ut eum in longinqua terra longe à laribus avulſi faventem amicumque experirentur, id quoque illi quodammodo deberi exiſtimabant, qui ſcilicet Imperii Orientis opida, & civitates armis repoſcerent. Comes Tholoſanus abnuerat ſe juramento illi obligare, quippe qui nulla poſſeſſione illi obnoxius eſſet: nec ſe propterea fiduciarium ejus & ſubditum vellet profiteri. Alexius ægrè repulſam ferens, jubet ſuos noctu in caſtra Comitis irrumpere, & obvium quemque trucidare. Milites imperata faciunt, noctu in Tholoſanos irruunt, complures necant, hi exciti ſuorum cæde gladiis repellunt Græcos, & damna ſuorum hoſtili expiant ſanguine. Res magnas turbas excitatura videbatur. Comes Duci Lotharingiæ per nuncios ſignificat, quæ geſta ſint, & ab eo aliiſque auxilium poſcit, ut de injuria vindictam ſumat, neque hanc ſuam eſſe magis, quam aliorum offenſam. Noſtratibus quidem Græci Imperatoris fides dubia ſuſpectaque habebatur: verum, ne caſus ille noſtratium conſilia retardaret, pacem componere decretum eſt, Comiti Tholoſano Dux auctor fuit, ut privatam injuriam publico commodo poſthaberet, Imperator inſcio ſe illatam injuriam aſſerebat, ſuoſque apertè criminabatur. Demum in has conventiones diſceſſum eſt, ut Comes fidem Alexio juraret, injuriam vel condonaret, vel diſſimularet. Comes pace compoſitâ urbem ingreſſus eſt, quem Imperator amplexus multis donavit muneribus. Scribunt & Robertum Flandriæ Comitem, qui paulo antè cum numeroſo agmine huc acceſſerat, huic negotio conficiendo operam opportunam præſtitiſſe. Longus, ſim neque dicendi faciam finem, ſi enumerem quoſlibet, qui ad hanc expeditionem vexilla erexerunt: neque tamen viros dignos memoratu Robertum Northanniæ Ducem, Stephanum Carnotenſem Bleſenſemque Comitem prætéribo. Cum innumerabilis hominum multitudo Bithiniæ campos operiret, Ducibus propoſitum eſt aliquid exordiri Chriſtiano nomine dignum. Bithiniæ caput eſt Nicea, illam urbem, in qua olim vindicata Chriſti divinitas eſt, Turcæ impii ceperant, Solymannus urbi præerat, hanc urbem noſtri obſidione cingere cœperunt. Alexium noſtrates rogaverunt, ut imperium Chriſtiani exercitus acciperet. Verùm dubiam noſtrorum habens fidem, haud ſe illis credere auſus eſt, Taninum cum noſtris verſari juſſerat, cujus opera ad bellum uterentur, vir erat mentis improbæ, ad facinus & fallaciam natus, quem Alexius tanquam egregium fraudum artificem noſtris adjunxerat, ut poſtea compertum eſt. Antequam obſidio cœpta ſit exercitus recenſitus eſt, numerata ſunt ſexies centum peditum millia & centum millia militum loricatorum, idque præter monachos, mulieres & nondum maturos ad arma juvenes, Fulcherius Carnotenſis, qui & ipſe aderat, totidem fuiſſe commemorat. Hoc exercitu cœpta eſt obſidio menſe Maio

LIB. XI. CAP. VI.

LIB. XI. CAP. VI. incunte. Non animus eſt ſigillatim deſcribere, quæ Guilelmus Tyrenſis, Fulcherius, aliique ſcriptores de hac celebri obſidione narrant ad longum, hic breviter rem memoranti ſufficit, ſi dixerim urbem ad ſummas redactam eſſe anguſtias, deleto ſubſidio, quod Solimannus in urbem ſummittere conabatur, & dejecta turre, per quam in urbem patefactus erat ingreſſus. Scribunt quidam auctores urbem artibus Tanini, de quo ſupra ſermo fuit, Orientis Imperatori Alexio traditam: alii non repugnantibus magis, quam approbantibus Ducibus traditam, aſſerunt in ejus poteſtatem veniſſe. Capta urbs eſt anno MXCVII. xx. Junii.

IV. Noſtri deinde iter inſtitutum proſecuti ſunt. Ad bivium cum perveniſſent, malis avibus à ſe invicem diſceſſerunt, rati diviſo agmini melius fore propter commeatus exercitui neceſſarios. Dum igitur alii ad lævam flectunt, alii ad dextram declinant, Solimannus in vindictam deleti ſubſidii, & captæ urbis collecto inprimis ingenti equitum numero, alteram noſtrorum aciem inopinatò adoritur. Ex equitibus ſagittariis conflatus erat hoſtium exercitus Fulcherius, trecenta & ſexaginta millia pugnantium fuiſſe ſcribit. Hi eminùs ſagittis pugnam exordiuntur. Noſtri lanceis & gladiis pugnare aſſueti, hoc inſueto bellandi genere terrefacti ſunt, dum ab hoſte ſentiunt ſe appeti denſâ velut grandine ſagittarum immiſſione, neque hoſti eminùs pugnanti vulnus infligere integrum erat: noſtrorum complures ſauciati ad tentoria fugiunt, jamque pluribus occiſis inclinata acies erat, & propè erat, ut exercitus ſunderetur, delereturque: cum ecce Hugo magnus, Godefridus, Balduinus, Euſtathius admoniti per nuncios, cum quinquaginta equitum millibus advolant ad opem ferendam, eorum adventu inſtauratur pugna, noſtri recipiunt animos, & contra hoſtes audaciùs feruntur, hoſtes non ſuſtinuere impetum: ſed ſtatim cedere, urgentibuſque iis, qui integri ad pugnam advenerant, retrò pedem ferre incipiunt, tum fuſi fugâ ſibi conſulere, fit hoſtium magna cædes, eorum caſtra direpta ſunt, atque ita noſtrates magnam retulerunt victoriam, ſed non incruentam. Initia certaminis ſuneſta fuere, ſed prælium felici exitu conſummatum eſt. Poſt pugnam conventum eſt inter Duces, ut juncto utroque agmine omnes demum procederent. Aliquot diebus reficiendo corpori conſumptis, in Piſidiam ventum eſt; ingreſſi noſtri ſunt campos vehementi æſtu ferventes, ubi nec fontes, nec fluvii reperiebantur, quæ res agmini valde noxia fuit, plures enim ſiti conſumpti ſunt, quin & pecora & equi æſtu & ſiti perierunt, ac demum prope Antiochiam Piſidiæ caſtra poſuerunt. Illic quidam è Ducibus ſepoſitis ſociis explorare vias urbes & opida circumeuntes, agmen præire cœperunt, & ad oram maritimam accedere. Tancredus inprimis Tarſum venit, cum civibus de deditione urbis pepigit, ea conditione, ut vexillum ſuum ſuper mœnia collocaretur, & ad adventum exercitus urbe potiretur. Cum res in eo eſſet ſtatu, ecce Balduinus advênit & Tancredi vexillum ejici juſſit, ſuumque locari, impatienſque moræ urbem ſibi tradi à Turcis. Quod fomes deinde fuit diſſidiorum, quæ poſtea inter utrumque acciderunt, quæque vix & ægre compoſita ſunt. Boamundus & alii plerique Duces Balduini facinus criminati ſunt. Ille poſtea Tancredi præclarè facta æmulari ſtuduit, collectis enim aliquot militibus in intima Syriæ loca, & trajecto Euphrate, in Meſopotamiam uſque proceſſit, & facile caſtella aliquoe expugnavit. In Meſopotamia urbs eſt celebris Edeſſa nomine, quæ ſub poteſtate cujuſdam Principis erat, urbem ille à Turcica invaſione defenderat, & inter barbarorum arces civitatem ſervaverat, & quod amplius eſt religionem Chriſtianam ſemper Edeſſani religioſe coluerant, gemebant illi vallati undequaque opidis arcibuſque Turcarum. Poſtquam in Aſiam noſtri venerunt, poſt expugnatam Niceam & fuſos cæſoſque Turcas, fama Chriſtiani nominis & Francicæ virtutis longè divulgata eſt. Audito igitur Balduinum cum ſuis in Meſopotamiam veniſſe, nuncios ad eum mittunt, rogantque, ut ſibi opituletur, & ad ſe veniat, ut junctis viribus Turcicam potentiam evertant, & rem Chriſtianam reſtituant. Ille quidem initio animi dubius hærebat quid ageret, ac demum conſilio ſuorum excitatus ad urbem acceſſit, ingreſſuſque eſt inter plauſus populi, & cum

Principe civitatis amicitiam iniit. Edeſſanus Princeps annis & ſenio erat con- LIB. XI.
fectus,& ſine prole erat, etſi in Balduinum æmulatione quadam & invidia ure- CAP. VI.
batur, tamen quia gratus erat populo, eum loco filii habere, cum illo theſau-
ros, immo & ſummam urbis poteſtatem partiri, ipſumque demum facta adop-
tione hæredem ſucceſſoremque ſcribere. Hæc quidem honorifica Balduino,
grataque populo, cujus odium tanto vehementius in principem deflagrabat,
quanto concitatius ſtudium in Balduinum eſſe videbatur. Cives tempus eſſe
rati, quo injuriam ſibi ſæpius illatam ulciſcerentur, orta ſeditione Edeſſanum,
necquidquam repugnante Balduino, necant, huncque communi conſenſu
Principem civitatis ſalutant. In hoc principatu poſitus Balduinus multa opida,
caſtellaque è manibus Turcarum eripuit, agroſque Edeſſæ vicinos à præda-
tione, & hoſtium incurſione liberavit.

Dum hæc in Meſopotamia feliciter ſuccedunt, exercitus integer verſus An- V.
tiochiam ibat, haud procul ab ea urbe, quæ Syriæ & totius Orientis caput eſt,
pons erat lapideus ſuper Orontem fluvium, quem Robertus Nortmanniæ Dux,
qui agmen cum ſuis antecedebat, oppugnare cœpit, aditus pontis turribus mu-
nitus erat, ad cujus præſidium ſagittarios & alios milites intulerant. Dum cer-
tatur, ecce agmen integrum accedit. Noſtri pugnam inſtaurantes magno cona-
tu pontem adorti capiunt, dum alii trajecto amne, ubi vadum erat, hoſtem
fugant, qui tranſitum prohibebat. His ita geſtis agmini liberum fuit iter ad
Antiochiam uſque.

Antiochia urbs erat nobiliſſima Syriæ & orientalis diœceſis caput, ubi pri- VI.
mùm, qui Chriſti fidem amplexi ſunt, dicti ſunt Chriſtiani. Exinde illa urbs &
ſancti Petri cathedrâ inſignis fuit, & viginti provinciarum juriſdictione, qua-
qua ſe ſe Oriens latè diffundit. Hanc urbem obſidione cingere, & omnibus vi-
ribus oppugnare decretum eſt. Præcipua hujus obſidionis capita brevi contraham
verborum compendio. Hanc urbem jam à quatuordecim annis Turcæ occupa-
verant, urbemque Aexianus Turca habebat, qui audiens adventare ingentem
Chriſtianorum exercitum, urbem & commeatibus & militibus inſtruere cœpit,
& à Sultano auxilia poſcere. Noſtri interea ad urbem accedentes, & ſi haud
pauci propter hiemem imminentem differre ad vernam tempeſtatem obſidio-
nem ſuadebant. Cœpta tamen obſidio eſt die XVIII. menſis Octobris anno
MXCVII. Militum erant trecenta millia præter mulierum, monachorum
& clericorum vulgus innumerabile. Noſtri obſidioni inſiſtebant, cum annonæ
caritate laborare cœperunt, neque difficultatem levare poterant, devaſtatâ
uſquequaque provinciâ, frumento pabuloque præter modum ab initio con-
ſumptis. Huc acceſſit aliud periculum: Turcæ qui urbes proximas habebant
ferre Antiochenis auxilium parabant, & in caſtra inopinatò irrumpere. Hoc
malum imminens fortitudine & induſtria Franci depulerunt. Admoniti haud
procul auxilium adeſſe, noctu cohortes è caſtris educunt, quæ euntes obviam,
commiſſo certamine, lanceis & gladiis rem ſtrenue geſſerunt, & hoſtem magna
affecerunt clade, cæſis duobus hominum millibus. Ecce continuò noſtri alte-
ram referunt de hoſte victoriam. Genuenſes ad littus haud procul ab Antio-
chia appulerant, cibariis naves erant onuſtæ, noſtri ex cibariorum inopia,
quæ eos conficiebat, crebrò huc accurrere ſolebant, ut frumentum, aliaque ad
uſus vitæ neceſſarios pararent. Intellexere Antiocheni huc ire ſolitam turbam
inconditam, huic ſtruere inſidias ſtatuunt, emittunt è portis quatuor militum
millia, qui noſtros nihil tale expectantes invadunt. Forte cum multitudine
erant Comites egregii Boamundus & Tholoſanus Comes & aliquot alii haud
ignobiles, qui legatos Ægyptios ad naves reduxerant. Hoſtes noſtros percu-
tiunt, & huc illucque diſpertiunt. Godefridus admonitus periculi, in quo noſtri
verſabantur omnes, qui in caſtris erant, jubet arma capere, optimateſque
hortatur ad rem adverſus hoſtem bene gerendam, nullaque mora noſtri his
occurrunt, gladiis & lanceis infeſtis plures perimunt: fit hoſtium magna ſtra-
ges tam eorum, quos gladio ſuſtulerant, quam eorum, qui hauſti flumine
ſunt, dum præcipites in urbem fugiunt. Memorabile factum Godefridi nar-

 tant, qui ictu gladii medium diſſecuit equitem. Scribunt eo die cæſa duo hominum millia; major fuiſſet cædes, niſi nox prælium diremiſſet. Interea fames caſtra Francorum affligebat, neque impaſtis ſubveniendi ſuppetebat copia. Sed longe graviſſimum aliud malum ingruebat. Sultanus, qui Perſidis imperium gubernabat, ingentem exercitum ad auxilium Antiochenorum miſit, cui ducem Cobargathum, noſtri Corberanuum vocant, præfecit. Noſtri nuncio exterriti conſulunt invicem, quid facto ſit opus, ire obviam hoſti decretum eſt. Sed Boamundus brevi urbe potituros eſſe pollicetur, ſi velint ſibi urbis principatum concedere. Vix quartus & decimus annus effluxerat, ex quo Antiochiâ Turcæ potiti ſunt, multique adhuc è civibus Chriſtianam religionem profitebantur: illis vero neque in urbe gerere magiſtratus, neque exercere militiam licebat, ſed tantummodò negotiari, aut artem aliquam factitare, unde vitam tolerarent. Hoc communi malo, quidam è civibus & privata ſtimulatus injuria, ob ſtuprum illatum uxori, prodere urbem Chriſtianis aggreſſus eſt. Jamdiu ille Boamundi operâ filii ſui, quem conſcium meditati facinoris fecerat, conſuetudine utebatur, decretumque erat urbem prodere. Civis ille opulentia & gentis antiquitate longe alios præcedebat, cui neſcio quo caſu data jampridem turris cujuſdam cuſtodia. Placuit hac parte urbem prodere. Boamundus re cum Ducibus communicata, & retento ſibi, ſi res ſuccederet, urbis principatu, exequi propoſitum ſtatuit, ut conventum cum amico fuerat. Nocte igitur intempeſta ſcalas ad murum admovent, qua parte Boamundus admonuerat, iovaduntque primùm turrim, tum vicinas circumquaque turres necatis cuſtodibus, effractaque urbis porta noſtri effuſi è caſtris in urbem armari ſubeunt, diſperſique per vias & plateas urbis magnam barbarorum ſtragem edunt. Scribunt horum temporum auctores cæſa ea nocte decem hominum millia. Capta eſt urbs tertia die Junii anno MXCVIII. poſt novem menſes, quam urbs obſidione cincta eſt.

VII. Capta urbe, nondum quies Chriſtianis fuit. Urbs quidem dives erat, ſed poſt novem menſium obſidionem difficultate anonæ laborabat, ſupereratque arx valido firmata præſidio, quam nullis conatibus poſſes expugnare. Huc accedebat malum aliud: haud procul ab urbe aberat Corbagathus cum copiis ingentibus, qui & ipſe urbem oppugnaret, & viciſſim vallaret obſidione. Quamdiu urbs in eo ſtatu verſata eſt, tandiu pluribus malis objecta fuit; foris imminebat hoſtilis gladius, domi præter præſidium, quod erat in arce, cibariorum penuriâ populus tabeſcebat, neque ullis conatibus ſæviens fames arceri poterat. Quidam, ut ſe ex his eriperent anguſtiis, ſacræ militiæ deſertores ex urbe clanculùm diſceſſerant. Verum non propterea noſtri animis conciderunt, ſed numine jejuniis & publicis precationibus placato, rem arduam & Chriſtiano nomine dignam aggreſſi ſunt; erumpere è portis omnes ordinata acie conſtituunt, & infeſtis gladiis hoſtem aggredi, in plures acies partitum agmen eſt: ſed primæ præficiunt Hugonem fratrem Regis Francorum, qui rem fortiter geſſit, primùm duo hominum millia, qui noſtros ab egreſſu prohibebant fudit, primuſque aciem hoſtium nihil tale metuentem adortus eſt. Hoſtis non ſuſtinuit noſtrorum impetum, ſed fractus & cæſus, undique ſe fugæ mandavit; præclaram Franci retulerunt victoriam: hoſtes enim longè prævalebant & numero peditum equitumque: direpta poſtea ſunt caſtra, in quibus neſcio an pluris æſtimanda cibariorum copia, an pretioſa omnis generis ſupellex, certe noſtri invenerunt unde egeſtati & fami ſuccurrerent. Tum qui arcem tuebantur, ſalva ſibi ſuiſque libertate deditionem fecerunt. Rebus feliciter confectis Epiſcopus Anicienſis ſummi Pontificis legatus rem ſacram ordinare exorſus eſt, Chriſtiano ritu ſcilicet expurgare baſilicas, quas Turcarum ſuperſtitio polluerat, aut ſacrilegia inceſtaverant, clerum deſcribere, cæremonias in morem Romanæ ſedis inſtituere, Patriarcham tamen græci ritus virum probum, qui multos labores pro tuenda religione Chriſtiana ſuſtinuerat revereri & retinere decretum eſt, ſed ille longe à moribus noſtris alienus Conſtantinopolim relicta cathedra receſſit, in cujus locum ſubrogatus eſt Bernardus, qui Ec-

cleſias ad inſtituta Romanæ Eccleſiæ compoſuit. Summam urbis poteſtatem habuit Boamundus, quem Principem Antiocbenum appellaverunt. Viſum deinde Ducibus fuit Alexium admonere, & eum rogare, ut cum copiis, prout conventum fuerat, nullâ interpoſitâ morâ accederet, juvaret noſtros ad expeditionem Hieroſolymitanam conficieudam, ſciretque ſe conventis non ſtaturos, ſi ipſe promiſſa exolvere negligeret. Delegari viri magni nominis Hugo magnus, qui nuper in acie præclare ſe geſſerat, & Balduinus Comes Hamacorum, qui in itinere à Turcis captus eſt. Hugo vero ſalutato Alexio, cum cerneret ſibi deeſſe pecuniam ad ſuſtinendam dignitatem, in Galliam rediit. Interea Antiochiæ peſtis in urbe ſæviebat, & promiſcuè nobiles plebemque ſine diſcrimine perimebat: lues hæc ſuſtulit Ademarum Podienſem, ſeu Anicienſem Epiſcopum, qui legatus erat apoſtolicæ ſedis, & tanquam dux peregrinationis habebatur: alios pariter nobiles idem malum necavit. Dum peſtilentia crudeliter ſævit, populus malum ratus non ſine nutu Dei graſſari, varias ſubinde irati numinis cauſas ſibi vel verè, vel falsò excogitat, ſed penè omnes cauſam mali refundebant in retardatam expeditionem Hieroſolymitanam, dictitabant ſe tandiu voti reos fore, quandiu extorres è ſacris mœnibus agerent, neque ſe liberatos voto, niſi ſanctæ urbis expugnatione. Quid hîc moramur, inquiebant, quin ſtatim eò feramur, quo tendunt omnium animi, quo profecturos eſſe nos teſte Deo promiſimus. Hæc aliaque ejuſmodi proferebant; quin etiam publica acclamatione ſolebant Dnces & optimates ad perſolvendum votum fatigare. Principes tamen differendum eſſe cenſebant, ut corpora, dum quies erat, poſt multos labores, refocillarent. His tamen placuit copiarum partem è mœnibus educere, & vicina aliquot caſtella, & opida aggredi, ut ſimul & cibaria ex his locis exportarent, & vicinitatem hoſtibus liberarent. Dum hæc geruntur ecce legati nomine Alexii Imperatoris Antiochiam adveniunt, poſcuntque urbem Alexio reddi, ut conventum fuerat. His reſponſum eſt primùm ab Imperatore violata pactorum jura, ex pactis eum pollicitum eſſe Latinorum arma omni ſubſidio adjuturum, ſubminiſtraturum noſtris frumentum, ſummiſurum auxilia, neque tamen quidquam ab eo præſtitum eſſe, exercitum Latinorum fame & annonæ difficultate pene oppreſſum eſſe, ejus ducem diſceſſiſſe à caſtris, cum pericula ab hoſte ingruerent, neque laborantibus noſtris adfuiſſe, neque ejus præſentiâ, ut ex pactione promiſerat, noſtros confirmaſſe, neque ſe ampliùs pactis obligatos, quorum fidem prior corruperat. Neque hîc mihi omittendum eſt, quod narrant de lancea Domini, quam ſcribunt repertam, dum Corberannus Antiochiam à noſtris captam premit obſidione. Quidam clericus nomine Petrus, dum foditur terra in baſilica ſancti Petri Apoſtoli oſtendit forte lanceam, eamque eſſe aſſerebat, qua Chriſti latus in cruce perfoſſum eſt, teſtabatur hujus rei ſe cælitùs admonitum à beato Andrea. Ademarus Podienſis Epiſcopus hæc renuncianti haud fidem adhibebat: Comes tamen Tholoſanus teſtimonium Petri religiosè excipiens, hanc veneratione & honore proſequi, & alios omnes ad eandem religionem excitare, illamque tanquam ſignum ſacrum conto præfigere, & ad augendam audaciam in prælus præferre ſolebat. Poſtquam præclaro certamine devicti hoſtes ſunt, cœpit populus de lanceæ fide dubitare, & Petrum arguere falſitatis; ille perſiſtere & ad fidem dandam ignem accendi juſſit: illæſum ſe per flammas iturum eſſe pollicetur. Verum ex hac probatione non aucta, immo imminuta fides eſt, ille etenim accenſam feſtinanter tranſgreſſus pyram, paulo poſt ſeu ex aduſtione, ſeu ex alio aliquo caſu exanimis jacuit, quod de oſtento cæleſti dubiam fidem fecit.

Poſtquam refocillandis corporibns tempus aliquod conſumptum eſt, feriò de VIII.
Hieroſolymâ recipiendâ conſilium habitum eſt. Iter igitur ingreſſi ſunt, receptis in itinere pluribus opidis, demum ad muros urbis Hieroſolymæ pervenerunt ſeptima die menſis Junii anno M X C I X. Guilelmus Tyrenſis tradit noſtros non exceſſiſſe numerum quadraginta millium hominum, inter quos viginti millia peditum & mille quingenti equites militiæ idonei recenſiti ſunt;

IB. XI. AP. VI. in orbe ait fuiſſe quadraginta hominum millia, qui urbem defenderent. Vix credibile eſt tantam multitudinem in urbe, turribus & muris munitâ, à paucioribus expugnatam & devictam eſſe. Sed tantus terror occupaverat mentes barbarorum, tanta formido erat Chriſtiani nominis poſt receptam Niceam, expugnatam Antiochiam, & deletos ingentes Turcarum exercitus, ut noſtri aucti animis nihil non auderent, & hoſtes ad noſtrorum conſpectum prorſus animo caderent. Quinta die poſtquam obſidio cœpta eſt, urbem oppugnare, & murum qoatere, & vim turribos inferre moliti ſunt. Sed cum non modo machinis, ſed ſcalis etiam carerent, nihil effectum eſt. Quamobrem fabricandis machinis, conficiendiſque mangonibus & ſcalis operam poſuerunt. Dum ſe quiſque his exercet, ſitis noſtros excruciat, rari circa urbem ſunt fontes, & ſi qui forte erant horum ora & aditus cives ante noſtrorum adventum celaverant. Multis laboribus ſiti ſubventum eſt, & majore induſtriâ extructæ ſunt machinæ. His comparatis ad urbis oppugnationem noſtri acceſſerunt. Magnis animis utrimque certatum eſt: noſtri demum certando defeſſi, nocte pugnam dirimente è prælio diſceſſere: nondum ſol ortus erat cum pugna inſtauratur acrior. Sed penè noſtri deſpondebant animum, cum Dux Godefridus appoſita ad murum machina, demiſſoque ſuper murum ponte, in urbem audax cum fratre Euſtachio inſilit, quorum exemplum plures ex optimatibus ſequuti ſunt, qui ſemel ingreſſi urbem, portam multitudini aperuerunt, per quam irruptio facta eſt. Noſtri effuſi per urbem ingentem ſtragem fecerunt. Dum hæc aguntur Comes Tholoſanus perterritis barbaris ad clamorem noſtrorum, vi quoque ſibi viam facit, & cum ſuis pariter in urbem irrumpit, & urbi capiendæ multam operam præſtitit. Magna hominum occiſio per vicos & plateas peracta eſt, pauci, qui in arcem Sion confugerant, facta deditione incolumes evaſerunt. Urbs direptioni data eſt, & quas quiſque ædes occupaverat, has ſibi, uti priùs conventum fuerat, retinebat. Poſtquam urbs capta eſt, & à cæde temperatum eſt, purgata urbs eſt, gratiæ Deo immortali actæ ſunt ob rem bene geſtam; urbs capta eſt anno M X C I X. xv. menſis Julii. Poſtquam aliquot dies elapſi ſont, conventus inter optimates habitus eſt, in quo de Rege urbi præficiendo actum eſt. Dux demum Godefridus pene omnium ſuffragiis Rex renuntiatus eſt: certè præclaris ille inſtructus erat ornamentis, magniſque præditus virtutibus, nobilitate generis inſignis erat, egregiâ corporis forma, quantum bello & marte præſtaret io hoc aliiſque locis oſtenderat. Sed, quod hoc tempore maximè laudes, pietare & religione valebat. Virtutibus & meritis regnum conſecutum eſſe omnes fatebantur. Hæc Hieroſolymitani regoi exordia fuerunt.

IX. Godefridus acceptis regni gubernaculis ordinandæ quidem urbi tempus & operam impendit: Sed nihil habuit antiqulus, quam rem ſacram ad rectam Eccleſiæ formam componere. Caonicos inprimis inſtituit, & redditibus uberrimis dotatos templo dominico & ſancti Sepulchri baſilicæ præpoſuit, qui rem agerent ſacram, & pro populo vota Deo perpetuò perſolverent. Secum monachos adduxerat viros Chriſtianæ ſeveritatis tenaces & antiquæ obſervatores diſciplinæ, quibus ædes ad monaſterium condendum, & patrimonium ingens pius Rex ſubmioiſtravit, rem ſcilicet gerere inſtituerat, non modo ex regiâ, ſed etiam ex ſacerdotali ſollicitudine. Rumor urbis expugnatæ exterruit Perſas & Ægyptios; illi quibus antea ſibi invicem adverſari, & mutuis odiis decertare conſuetum erat, jam inita ſocietate & junctis viribus delere nomen Chriſtianum inſtituunt. Ægyptius inprimis Calipha, cujus imperio antea parebat Hieroſolymitana civitas, ægre ferebat urbem ſibi ſuiſque ereptam eſſe. Promiſcuè igitur Arabes, Ægyptii & Perſæ ſeu Turcæ in Chriſtianos coujurant, & collecto innumerabili exercitu verſus Hieroſolymitanum agrum iter faciunt. Noſtri audito eorum adventu Deum publica ſupplicatione ſibi propitium reddere, jejuniis & precationibus placare ſtudent, clamare in templo *Parce Domine, & ne des hæreditatem gentibus in perditionem.* His rite peractis, noſtri ire hoſtibus obviam parant, conflato è ſuis exercitu, qui conſtabat ex novem ad plurimum peditum

millibus

millibus cum mille ducentis ferme equitibus. Hoc parvo & tenui comitatu adverſus hoſtem proficiſcuntur. Iter igitur ingreſſi ſunt, eum vero veniſſent ad locum, qui Ibelis dicitur, offendunt armenta boum gregemque equorum & camelorum cum cuſtodibus equitibus, qui ad conſpectum noſtrorum ſe fugæ mandarunt; Franci receptâ prædâ, & captis aliquot ex equitibus, addiſcunt, quo in loco hoſtis moretur, quis numerus hoſtium ſit, quid moliatur, quo tendat. Noſtri nihilominus pleni audaciâ, ordinata acie adverſus hoſtem intrepidi proficiſcuntur, ſequebatur præda, quam ceperant. Hoſtes Francorum audaciâ terrefacti, & ampliorem noſtrorum eſſe numerum ex præda, quæ ſequebatur opinati, manus nobiſcum conſerere non auſi ſunt; ſed terga verrere, & fugæ ſe dare præcipites. Non par victoriæ fuit barbarorum internecio. Sed caſtra plena divitiis, & commeatu referta direpta ſunt, ampliſſimaque relata de hoſte ſpolia. Deo acceptam, ut decebat, victoriam Chriſtiani retulerunt. Regnum Hieroſolymitanum id temporis haud longè latèque patebat: hujus caput erat urbs Hieroſolyma: ad illud pertinebant aliquot urbes variis in locis poſitæ, à ſe invicem interjectis barbarorum opidis disjunctæ, eaque opida, quæ Chriſtianorum erant, objecta magis erant incurſionibus Sarracenorum, quoniam plerumque neque undequaque præcincta muro, neque populo referta; huc accedebat, quod vix hoſtes vicini ſinerent terram arari, neque frumentum ſeri, neque meſſem colligi Ob eam cauſam variis malis urbs affligi ſolebat, ſed inprimis cibariorum penuriâ laborare, quæ res plerumque novum regnum, novoſque incolas ad ſummas adducebat anguſtias. His tamen incommodis Rex pro ſingulari illa, qua præſtabat prudentia eximiaque animi fortitudine ſolebat providere. Dum hæc geruntur, Godefridus morbo correptus eſt acerbo, qui Regem optimum brevi ſuſtulit. XV. Calend. Auguſti anno M C. mortuus eſt. Sepultus eſt in eccleſia dominici Sepulchri, quæ ad montem Calvarium extructa fuerat. Quis quantuſque fuerit Godefridus, ex his quæ dicta ſunt, facile quiſque intelligit. Natus eſt ex Euſtachio Comite Bolonienſi; mater ejus Ida dicta eſt, hæc ſoror erat Godefridi Lotharingiæ Ducis, qui Godefridum ex ſorore nepotem ſcripſit hæredem, unde ille poſt mortem avunculi & ducatus poſſeſſionem & Ducis nomen ſumpſit. Habuit tres fratres virtutibus & honoribus inſignes, Balduinum Comitem Edeſſanum, qui deinde regno Hieroſolymitano ſubrogatus eſt, Euſtachium Comitem Bolonienſem & Guilelmum; præter præclara facinora, quibus ejus vita decorata eſt, hoc illi præclarum magnificumque contigit, quod poſt captam Hieroſolymam cum quæreretur, quis Rex inter tot præclaroſque Duces, qui natalium ſplendore, opibus, potentia & virtutibus enitebant, is Rex omnium propè ſuffragio appellatus ſit. Uno tantummodo anno regnum Hieroſolymitanum moderatus eſt. Balduinus ejus frater in ejus locum ſubrogatus eſt, de quo aliàs erit dicendi locus. Hæc duximus breviter memoranda, ut cum aliquando dicetur de expeditionibus ultramarinis, lector ſciat, unde illarum expeditionum origo ſit. Jam redeamus ad illa, quæ modo retulimus acta fuiſſe ſub pontificatu Urbani II. PP. & principatu Philippi Regis Francorum. LIB. XI. CAP. VI.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Paſchale ſummo Pontifice, & ejus in Gallias profectione. De Galone Epiſcopo Pariſienſi, & de tempore ejus electionis. De monaſterio ſancti Eligii, quod Foſſatenſibus monachis datum eſt. De ſtudiis & ſcholis Pariſienſibus.

I. URBANUS PP. qui Hieroſolymitanæ expeditionis præco fuerat, deceſſit quarto Calend. Auguſti anno MXCIX. Die quarto & decimo poſt ejus mortem Summus Pontifex renuntiatus eſt Rainerius preſbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis, Abbas ſancti Laurentii & ſancti Stephani extra muros, appellatuſque eſt Paſchalis ſecundus. Jam antea plura memoravi, quæ ad ejus pontificatum ſpectant. Ille per legatos Philippum Regem Francorum ob illicitas nuptias communione privavit, & idem, quod diximus, eundem Regem reſipiſcentem per Lambertum Atrebatenſem Epiſcopum Lutetiæ Pariſiorum communioni Eccleſiæ rite & ſollemniter reſtituit. Neque inſtitui ſingula commemorare, quæ ille dum Pontifex eſſet præclare geſſit. Sed hoc referre oportet, quod ad noſtras res pertinet. Cum anno MCVII. relictâ Italiâ in Gallias veniſſet, primùm ad Cluniacenſe monaſterium perrexit, ubi olim monaſticæ inſtitutionis tyrocinium poſuerat. In Tuſcia natus erat, cumque aliquando decreviſſet ſæculo nuncium remittere, & Chriſtianæ vitæ acerbiora quæque inſtituta ſectari, ſuperatis Alpibus ad Cluniacum venit, ubi ſciebat id temporis regularem florere diſciplinam. Gregorio VII. ſummo Pontifice ab Hugone Abbate Romam miſſus fuerat, ut cum ſummo Pontifice de quibuſdam ſui monaſterii negotiis ageret. Gregorius ſummam in eo pietatem cum pari ſapientia conjunctam deprehendit: quamobrem eum Romæ commorari juſſit, & paulo poſt catalogo Cardinalium eum adſcripſit, & mortuo, ut dictum eſt, Urbano II. PP. dictus eſt ſummus Pontifex. In hoc faſtigio conſtitutus, haud dubitavit ea repetere loca, ubi humiliter & modeſtè de ſe ſentiens, prima ſuæ magnitudinis ſemina jecerat. Aſceræ hujus loci eum revereri, ut ſummum Pontificem, & tanquam patrem complecti, quem numero commilitonum habuerant. E Cluniaco ad aliud ejuſdem ordinis monaſtrium perrexit, ad Charitatem ſcilicet. Hoc cœnobium ad Ligerim ſitum eſt, in eoque loco eccleſiam ſollemni ritu ſanctus Pontifex dedicavit. Sacris ritè peractis ex eo loco ſecundum Ligerim Turonos delapſus eſt, ut ante ſepulchrum ſancti Martini vota & preces Deo perſolveret. Carnutum deinde venit, ut demum Pariſios peteret. Ubi Philippus Rex intellexit Paſchalem ſummum Pontificem Pariſios adventare, tum ſtatim illi cum filio Ludovico, quem Regem deſignaverat, ire obviam, & multis, ut decebat, eum honoribus proſequi, & Paſchalis pariter eum ut filium benigne complecti, & ſuam illi ſanitatem gratulari. Eo tempore Galo Epiſcopus Pariſienſis, qui ei notus erat, ſingularem cum clero Pariſienſi illi reverentiam exhibuit. Suggerius in libro de geſtis Ludovici VI. ſcribit eum aliquandiu permanſiſſe in monaſterio ſancti Dionyſii, eumque veneratum eſſe oſſa ſanctorum Martyrum, qui pretio ſanguinis fidem nobis pepererunt. Cum in eo loco verſaretur audivit legatos Henrici V. Imperatoris cum quo de inveſtituris graves agitabat diſcordias, Trecas deinde contendit, ubi Synodum habuit: in ea maxime de Hieroſolymitana expeditione actum eſt, & de Treuga ſeu Trevia Domini. Hujus Synodi mentio eſt in chro-

Sug. in vita Lud. groſ.

nico ſancti Petri Vivi ad annum MCVII. his verbis. *Tenuit Concilium apud Trecas Papa venerabilis Paſchalis ſecundus, in quo intentio ejus maxima fuit de Hieroſolymitano itinere, & de Trevia Domini.* Illius quoque meminit Abbas Urſpergenſis. His geſtis Paſchalis PP. in Italiam reverſus eſt, quædam mihi de Galone breviter hîc adjicienda ſunt. LIB. XI. CAP. VII.

II. Galo, quod dictum eſt, primùm ad Bellovacenſem cathedram evocatus eſt: ſed etſi ejus electio canonica legitimaque cenſebatur: tamen Stephani factio, in quem nonnullorum ſuffragia conſenſerant, longe prævalebat. Nam, ut ille gratia & auctoritate præſtabat apud Regem prohibuit, quominus Galo à Rege & conſenſum & poſſeſſionem honorum Epiſcopalium obtineret. Galo propterea Romam petiit. Baronius ad annum MCIV. dicit eum delegatum in Poloniam à Paſchale PP. Certum eſt eo anno Galonem in Gallia verſatum eſſe, atque adeo Baronium haud accuratè deſcripſiſſe annos Galonis; quapropter, quantùm ad res noſtras pertinet, hîc diligenter ſubducenda mihi eſt omnis ratio ætatis Galonis, ex hac temporum rectâ computatione conſtabit, quo anno in Polonia legationis munere defunctus ſit, & quo anno poſtea Epiſcopus Pariſienſis ſit renuntiatus. Primum in eam facile deſcendo ſententiam, Galonem ſuffragiis majoris & ſanioris partis cleri Bellovacenſis electum eſſe Epiſcopum anno MC. Neque, ut priùs ſit electus, perſuadent tempora Pontificatus Paſchalis II. qui anno ſuperiore ad cathedam Romanam evectus eſt, & litteræ Ivonis Carnotenſis, neque poſteriùs Galonem dictum eſſe Bellovacenſem Epiſcopum oſtendunt, quæ modo dicturi ſumus. Cum Galo non obtineret conſenſum Regis, Ivo ad Paſchalem de eo negotio ſcripſit; ſupra ejus epiſtolam deſcripſimus. Ivo Paſchalem admonet, Galonem advocatum eſſe ad cathedram Bellovacenſem, impeditum tamen factione Stephani, quominus cathedra potiretur. Quid reſcripſerit ſummus Pontifex haud liquet. Cum tamen neque Stephanus à propoſito deſiſteret & regiâ auctoritate ſuas partes tueretur, Galo Romam ire & Ivo euntem comitari inſtituit. Ivo jam Alpes propè attigerat, cum ab incepto itinere deterritus eſt; Galonem nihilominus Romam perrexiſſe ipſa Ivonis epiſtola memorat his verbis. *Hac itaque neceſſitate commoti præſentiam ſanctitatis veſtræ adire cupientes de his quæ dicta ſunt, cum multis aliis vobiſcum tractare cupientes, venimus pæne ad Alpes, in quarum anguſtiis, quia inſidias nobis paratas audieramus, ut magnorum hominum conſilio, inito itinere ſuperſedimus. Domnum itaque Gualonem confratrem & Coepiſcopum noſtrum, qui in ſuſpectis locis ad ſe occultandum aptior eſt, paternitati veſtræ tranſmiſimus, in cujus ore verba noſtra poſuimus, quatenus eum tam pro ſua, quam pro noſtra neceſſitate paterne audiatis, & quæ corrigenda ſunt, caſtigetis, & quæ utiliter ſtatuenda, firmiter ſtatuatis. Quamvis enim, quod ratio ſuadet, vel quod uſus approbat, vel epiſcopalis moderatio diſponit, per ſe ſatis vigere videatur: tamen clarius ſit, & quaſi quadam luce irradiatur, cum id quod prohibendum eſt, vel præcipiendum eſt, decreto apoſtolico roboratur.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt, Galonem ordinatum eſſe Epiſcopum, etſi plures ejus electioni intercedebant: à quo vero ſit ordinatus, haud dixerim. Si conjecturæ locus eſt cum Metropolitanus Remenſis ei manus imponere, ipſumque conſecrare abnueret, exiſtimo & hunc à provincialibus Epiſcopis ordinatum eſſe: plures propterea hanc ejus ordinationem reprehendiſſe in animum meum induco, & Galonem, ut patet ex epiſtolâ, quam ſuperiùs retulimus, Romam profectum eſſe, ut hanc Paſchalis ſummus Pontifex ratam haberet: hocque ex verbis Ivonis facile colligi poſſe arbitror. Galonem vero Romam profectum anno MCI. ſeries ipſa rerum indicat. Summus quidem Pontifex ejus ordinationem approbavit, ratamque habuit. Verum efficere non potuit, ut cathedra potiretur. In qua exiſtimatione fuerit Galo apud Paſchalem ſummum Pontificem, ex hoc collige, quod eum ſummus Pontifex legatum à latere miſerit in Poloniam, cujus legationis meminit Longinus ſcriptor rerum Polonicarum his verbis. *Summi Pontificis Paſchalis ſecundi nuncius cum poteſtate legati de latere Gualdo*, ſeu potius Galo, *Epiſcopus Bellovacenſis, in Poloniam, Boleſlao de Moravica expeditione redeunte, venit, qui à Boleſlao comiter exceptus. Polonica viſitata, prout à ſummo Pontifice juſſus erat,*

Ivo Epiſt. 100.

 eccleſia, rigore juſtitia in ſceleratos Boleſlai tunc illum animante, acuenteque aſſiſtentia, duos Epiſcopos provinciæ Gueſnenſis culpa exigente damnavit, & ſuis per ſententiam depoſitionis privavit ſedibus. Qui tamen hi fuerint, & quarum Eccleſiarum Epiſcopi, vario & diligenti in quibuſlibet annalibus ſcrutinio facto, legiſſe me non memini. Reor tamen ea conjectura evidenti, quod unus depoſitorum Epiſcoporum fuit Ezyaſlaus, qui Cracovienſem epiſcopatum nulla ſummi Pontificis auctoritate: ſed ſola Ducis Poloniæ donatione detinebat. Editus eſt à Duciſſa Sbiſlava conſorte Boleſlai Ducis Poloniæ in anni hujus fine infans egregius, quem præfatus Gualdo Epiſcopus Bellovacenſis, cum aliis Polonorum Epiſcopis in Cracovienſi Eccleſia de ſacro fonte levavit, qui patre jubente, avitum nomen Vuladiſlaus accepit. Hæc iſte auctor. Hanc legationem obiit Galo anno MCII. & anno ſequenti Romam rediit, ut ſuæ legationis ſummo Pontifici rationem redderet. Illius legationis meminit Eadmerus in vita ſancti Anſelmi, quod à nobis ſupra notatum eſt. Eodem anno MCIII. aut circa initium anni ſequentis Galo in Galliam reverſus eſt, & poſt mortem Fulconis, quæ accidit ſexto Idus Aprilis anno MCIV. ipſe à clero ſolemniter & ritè electus eſt Epiſcopus Pariſienſis. Eodem anno Calendis Auguſti Galo adfuit in conventu Balgenciacenſi pro reconciliatione Philippi Regis, cujus rei mentio eſt in epiſtola Ivonis CXLIV. ex qua intelligimus, Galonem Epiſcopum cum aliis Epiſcopis conventui interfuiſſe, & jam id temporis Galonem Epiſcopum Pariſienſem appellatum eſſe: ſic enim ſcribit in ea epiſtola, quæ eſt ad Paſchalem. *De cætero ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicando ſuggerimus, ut dominum Galonem coepiſcopum noſtrum de Belvacenſi Epiſcopatu, quem propter ſacramentum domini Ludovici habere non poteſt, per manum Senonenſis Archiepiſcopi transferre jubeatis, in Pariſienſem Epiſcopatum, quem ei gratanter & devotè concedunt pro veſtro amore Rex & Regis filius. Qualiter autem in eum cleri & plebis vota conveniant, dicet vobis præſentium portitor clericus Pariſienſis Eccleſiæ canonicus, ut cognoſcatis eum bene poſſe transferri, qui ſedem propriam nulla ratione prævalet adipiſci.* Parte ſuperiore ejuſdem epiſtolæ ea referuntur, quæ ad Balgentiacenſem conventum pertinent.

III. Ex his omnibus, quæ attulimus, corrigitur error eorum, qui ſcribunt Galonis legationem referendam eſſe ad annum MCIV. quod prorſus fieri nequit. Poſtquam Galo ad ſedem Pariſienſem evocatus eſt: cum Paſchalis PP. Galonem non juberet per Daimbertum Senonenſem metropolitanum transferri, ipſe moræ impatiens Romam iterum profectus eſt, & paulopoſt Pariſios venit cum litteris ejuſdem ſummi Pontificis, quas antea retulimus; in reditu vidit Lugduni ſanctum Anſelmum cum Eadmero, cui dedit partem reliquiarum ſanctæ Priſcæ Martyris. Demum cum Galo Pariſios veniſſet, admiſſus à clero Pariſienſi, in cathedrâ collocatus eſt, cœpitque eccleſiam Pariſienſem adminiſtrare. Aderat conventui Pariſienſi anno MCV. quando Philippus Rex pollicitus emendationem per Lambertum Atrebatenſem Epiſcopum Eccleſiæ publicè reconciliatus eſt. Antea hujus reconciliationis acta, quibus Galo Epiſcopus Pariſienſis ſubſcripſit, à nobis deſcripta ſunt. Ex his porro omnibus notiſſimum eſt & Fulconem deceſſiſſe menſe Aprili anno MCIV. & eodem anno paulopoſt Galonem in ejus locum ſubrogatum eſſe, neque tamen ritè poſitum in cathedra Pariſienſi, niſi ſub initium anni MCV. Etſi hoc utique conſtat, in chartis tamen veteribus, in quibus deſcribuntur anni ejus Pontificatus, hi enumerantur ab ejus electione, ideſt ab anno MCIV. Extat in hiſtoria ſancti Martini Campenſis charta Galonis Epiſcopi, qua huic monaſterio dat tria altaria, data eſt MCVII. anno tertio illius Epiſcopatus. Legitur & in chartulario ſanctæ Genovefæ charta ejuſdem Galonis de libertate canonicorum illius eccleſiæ, quæ data eſt anno MCVII. tertio illius Epiſcopatus anno, de qua ſequenti tomo fuſior erit ſermo. Extat pariter in Foſſatenſi chartulario charta, de qua mox erit ſermo, ubi eadem annorum nota reperitur, adeo ut nullum dubium ſit, quin Fulco deceſſerit illo anno, quem ſupra notavimus, & eodem anno Galo Epiſcopus Pariſienſis electus ſit.

IV. Superius in epiſtola Paſchalis ſummi Pontificis ad canonicos Eccleſiæ Pariſienſis

legimus datum eſſe ab eo mandatum Galoni Epiſcopo Pariſienſi, ut ipſe inquireret in puellas monaſterii ſancti Eligii, & his pro rerum & temporum opportunitate provideret. Huic negotio operam poſuit Galo anno MCVII. ſcripto enim præcepto puellarum monaſterium Foſſatenſibus monachis attribuit. Quod ex actis ipſis mihi memorandum eſt. Aliàs exordia hujuſce monaſterii à nobis relata ſunt, & diximus hocce monaſterium conditum dotatumque à ſancto Eligio, Aureamque virginem ab eo huic monaſterio præpoſitam eſſe, conſtatque tunc temporis & pietate & diſciplinâ floruiſſe, & ut exiſtimo, ſequentibus annis diſciplina monaſtica & præclara morum inſtitutio in eo loco magnopere celebrata eſt. Verum haud diffiteor primum illum vigorem annis labentibus, ſenium & cariem contraxiſſe, & puellas demum in graviſſimos animi morbos longa annorum ſerie incidiſſe. Duas præſertim res huic malo contuliſſe exiſtimo, domeſtica ſcilicet bella, & barbarorum incurſiones, quæ ſæpius Lutetiam afflixerunt poſt mortem Ludovici-pii. Difficile enim eſt armis undequaque obſtrepentibus puellas eundem vitæ tenorem retinere. Sed nihil magis, puto, relaxandæ diſciplinæ fecit locum, quam vicinitas regiæ domus; cum enim plures in aula reperiantur, qui otio & voluptatibus diffluant, facile fuit ex vicinitate, quaſi ex contagione malum cum puellis communicare. Diximus aliàs palatia Regum Francorum extra inſulam & in ſuburbanis extructa eſſe. Verum illa palatia penitùs deſtructa ſunt, cum Reges Carolinæ gentis poſthabitâ Lutetiâ villas & curtes regias incolere cœperunt. Comites deinde abſentibus Regibus domos ſibi Lutetiæ extruere, non quidem ampliùs, quemadmodum Reges in ſuburbanis, ſed intra ipſius inſulæ ambitum, ut ſe urbemque à barbaris tuerentur. Ita Odo, ac deinde Robertus, & Hugo commorati ſunt in inſulâ, in eoque loco, qui modo juri dicundo ſacer eſt. Hîc veterem fuiſſe regiam Francorum Capetianæ gentis norunt, qui vel primoribus labris res noſtras attigerunt. Cum igitur palatium Regum eſſet juxta puellarum monaſterium, facile Aulici cum puellis ſocietatem jungere, principio quidem, ut fit, honeſte confabulari, verum ex frequenti uſu & crebra conſuetudine ſenſim cum puellis ſuos mores communicare. Quo ſemel pravis colloquiis corrupta eſt honeſtas animi, & abiit virgineus pudor; tum puellæ ire præcipites, quo cæca eas cupiditas raperet, atque deinceps in vita nullum modum habere. Sæpius Pontifices prava eorum conſortia arguerant, modo ſapientiſſimis monitis, modo minis eas ad ſanitatem revocare moliti fuerant: ſed fruſtrà. Reges quoque ægrè patiebantur virgines Deo devotas omnem exuiſſe verecundiam, & eas per hominum ora traduci. Paſchalis ſummus Pontifex Galoni hoc monaſterium maxime commendaverat, præceperatque, ut monaſterium vel emendaret, vel aboleret. Galo cum agnoviſſet eas ita in pravum induruiſſe, ut prius frangi, quam corrigi poſſe viderentur, communicato cum Rege conſilio, puellas è monaſterio dejecit, earumque ædes bonaque Foſſatenſibus monachis attribuit, hoc eò libentius perfecit, quod Paſchalis PP. qui eo anno Pariſios venerat, hoc illi iteratò commendaverat. Habetur in chartulario Foſſatenſi charta Galonis, & regium ea de re præceptum, quæ hîc edere oportet. Sic ſe habet Galonis charta.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ratio quidem & ſanctarum ſcripturarum monet auctoritas, ut qui paſtoraliter Eccleſiis præſident, vigilanti cura, paſtorali ſollicitudine ſubditorum vitam inquirant, & inſpiciant, ut in Eccleſiis ſibi commiſſis, ſi inhoneſtas & incorrigibiles viderint perſonas, aut ad ſtatum religionis ſtudeant revocare, aut alias omnino perſonas commutare, ne male viventium exemplo bene viventes corrumpantur, & paſtores ſi diſſimulaverint, aut tacuerint ex conſenſu taciturnitatis in perpetuum condemnentur. Omnibus igitur notum fieri volumus, monaſterium ſancti Eligii Pariſienſis, ordini monachorum antiquitus fuiſſe deputatum, ſed tandem diabolico inſtinctu, fragilis ille ſexus ad tantam turpitudinis prolapſus eſt miſeriam, ut publicæ ſæcularitati impudenter adhærens, voto caſtitatis rupto, propoſito religionis abjecto, templum Dei ſpeluncam fornicationis effecerit, & vocem noſtræ ammonitionis nullatenus audierit. Ego igitur Galo Dei gratia Pariſiorum Epiſcopus, & Guilelmus Archidiaconus tantum ſcandalum, tantam peſtem minime ferentes, ex præcepto qui- V.

LIB. XI. CAP. VII.

dem domini PP. Paſchalis, ex concilio Regis noſtri Philippi, & filii ſui Ludovici hortatu & canonicorum noſtrorum, infames & incorrigibiles perſonas pro turpitudine, vere à prædicto monaſterio eliminavimus, & omnino alienavimus, & altiori religionis ordine, cum Dei auxilio ſanctum locum decoravimus. Noverint igitur omnes tam poſteri, quam præſentes, quod monaſterium ſancti Eligii cum omnibus ad illud pertinentibus, eccleſiæ beati Petri Foſſatenſis, ſalvo quidem jure Pariſienſis Eccleſiæ, perpetuo habendum concedimus. Ita ſcilicet, ut Abbas Foſſatenſis prædictum monaſterium, tanquam cellam ſuam poſſideat, & in monachos illic Deo militantes plenam ac perfectam Abbatis poteſtatem exerceat, inſtitutum eſt, ut duodecim ad minus monachi cum ſuo Priore ad ſerviendum illic Domino apponantur, qui juxta regulam ſancti Benedicti ad ordinem tenendum ſufficere videantur. Sciendum vero eſt, quia illam eandem poteſtatem, quam prædeceſſores noſtri in monaſterium ſancti Eligii & in Abbatiſſam illius loci antiquitus habebant, nos in Abbatem Foſſatenſem ex integro habemus, & in perpetuum retinemus, quantum ſcilicet ad cœnobium ſancti Eligii, & ad res illius monaſterii pertinere videntur. Sed ut totius altercationis moleſtia in poſterum excludatur, quid poteſtatis Epiſcopus, quid juris aut conſuetudinis canonici ſanctæ Mariæ tam in Abbatiſſam, quam in monaſterium illud poſſederint, & modo poſſideant, evidenter & aperte diſtinximus. Sciendum igitur eſt, quod quoties Epiſcopus Abbatiſſam ad juſtitiam vocavit, illa procul dubio omnem executura juſtitiam ante Epiſcopum ſe præſentavit, ſi autem vel ſervus, vel ancilla, vel hoſpes illius monaſterii contra præſentiam Epiſcopi, aut contra proprias res illius aliquid forte feciſſet; Abbatiſſa audito prius Epiſcopi mandato, in præſentia Epiſcopi, illos ad juſtitiam faciendam adduxiſſet, & poſt juſtitiam Epiſcopi, Abbatiſſa ſuos diſtrictus accepiſſet, ſi voluiſſet. Quod ſi Abbatiſſa ſervos vel ancillas illius monaſterii libertate donare, aut terram alienare, aut manufirmam facere voluiſſet, nullam poteſtatem, nullam id faciendi licentiam habuiſſet, abſque aſſenſu Epiſcopi, & abſque charta ſigillo ejus à Cancellario firmata. Hanc ergo poteſtatem in Abbatiſſam & in monaſterium ſancti Eligii anteceſſores noſtri habuiſſe dignoſcuntur. Et nos quoque in Abbatem Foſſatenſis eccleſiæ eandem poteſtatis dignitatem, ut ſuperius determinatum eſt, obtinemus. Nihil ſcilicet noſtri juris relinquentes, vel relaxantes, ſed tantummodo Abbatiam in cellam commutantes. Canonicis vero beatæ Mariæ prædictum monaſterium ſancti Eligii per ſingulos annos, duos paſtus ex conſuetudine debita perſolvit, unum ſcilicet in feſtivitate ſancti Pauli, alterum in feſtivitate ſancti Eligii. Ita ſcilicet, quod uterque paſtus in refectorio canonicorum recipitur: conſuetudo tamen eſt, ut conventus præfati monaſterii unam cum canonicis beatæ Mariæ proceſſionem faciant, & in diebus rogationum & in diebus Aſcenſionis & in funeribus canonicorum, alias etiam proceſſiones, aut pro aëris ſerenitate, aut pro aliqua tempeſtate ſine neceſſitate, ſi canonici facere diſpoſuerint, neceſſe eſt prædictum conventum canonicorum inſtituta ſequi, eoſque ſi mandaverint, in his proceſſionibus ſemper commutari. Illud etiam ſilentio præterire nolumus, quod quoties mater Eccleſia à divino officio ceſſaverit, cœnobium ſancti Eligii ex neceſſitate ceſſare, & tacere oportebit. Sub hac igitur diſtinctione poteſtatem, jura, conſuetudines tam Epiſcopi, quam canonicorum comprehendimus, ut nulla de cætero controverſia oriatur, & jus & conſuetudo utriuſque eccleſiæ præſenti privilegio defendatur. Salvo igitur, ut dictum eſt, jure Pariſienſis Eccleſiæ, aſſenſu quidem Regis noſtri Philippi & filii ejus Ludovici, communi tamen canonicorum noſtrorum conſenſu eccleſiæ beati Petri Foſſatenſis monaſterium ſancti Eligii in cellam poſſidendum concedimus, ea videlicet ratione, quoties Foſſatenſis Abbas debitam poſſeſſionem in Pariſienſi Eccleſia fecerit, ibidem in præſentia Epiſcopi profiteatur monaſterium ſancti Eligii ex dono Epiſcopi, beneficio Pariſienſis Eccleſiæ ſe habere & poſſidere. Volumus tamen illud determinari, quod homines prædicti monaſterii in exercitum Regis nullatenus debent ire. Sed Abbas aut Prior ex conſilio & mandato Epiſcopi debent monere & in exercitum ire aut mittere definitum eſt, &c. Signum Galonis Epiſcopi. Signum Berneri Decani. Signum Adæ Præcentoris. Signum Guilelmi Archidiaconi. Signum Rogeri presbyteri. Actum publice in capitulo ſanctæ Mariæ anno Incarnationis Dominicæ MCVII. Indictione XV. Epacto XXV. concurrente I. Philippo Rege regnante. Anno Epiſcopatus Galonis III. Gilbertus Cancellarius ſcripſit. Has Galonis Epiſcopi Pariſienſis

litteras Philippus Rex aliis regiis litteris confirmavit, quas tibi ex eodem
chartulario Foſſatenſi exhibeo.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Philippus Dei gratia Francorum Rex. VI.
Notum fieri volumus univerſis ſanctæ Dei Eccleſiæ cultoribus tam futuris, quam &
præſentibus, quod divina providente clementia, & aſſenſu domini Papæ Paſchalis,
monitione quoque & conſilio canonicorum ſanctæ Pariſiacenſis Eccleſiæ; necnon & aſ-
ſenſu noſtro, & Ludovici filii noſtri, Galo Pariſiacenſis Epiſcopus ab eccleſia beati
Eligii membro videlicet epiſcopatus ſui, propter intemperatam, quam impudenter age-
bant fornicationem, moniales quamvis canonice ſæpiſſime correptas, templum tamen
Domini aperte pravo uſu violantes, ac correptionem Paſtoris penitus negligentes, ſpe
melius agendi à præfata domo dejecit. Acceptis itaque Domini Papæ litteris, tunc
temporis Pariſius venientis; dataque licentia ordinem religionis inibi ponendi noſtra
licentia & ordinatione, cum filii noſtri obſecratione, beato Petro Foſſatenſi, ejuſdemque
loci Theobaldo Abbati, præfatam eccleſiam beati Eligii in cellam duodecim monacho-
rum, cum Priore ſuo perpetualiter poſſidendam conceſſit & habendam, ſalvo quidem jure
ſuæ poteſtatis & Eccleſiæ Pariſienſis, quemadmodum & in ipſius charta determina-
tum eſt. Et ut hæc charta firma & inconvulſa permaneat, memoriale iſtud inde fieri,
& noſtri nominis charactere & ſigillo, ſignari & roborari præcepimus, aſtantibus de
Palatio noſtro, quorum nomina intitulata ſunt & ſigna. Signum Hugonis de Crecio
tunc temporis Dapiferi noſtri. Signum Vvaſtionis de Piſciaco tunc temporis conſtabu-
larii noſtri. Signum Pagani Aurelianenſis tunc temporis buticularii noſtri. Signum
Vvidonis tunc temporis Camerarii noſtri. Actum Pariſiis in capitulo ſanctæ Mariæ
anno ab Incarnatione Domini MCVII. anno vero regni noſtri XLVII. *Stepha-*
nus Cancellarius relegendo ſubſcripſit.

Hæc vero, quæ his actis continentur, effectum conſecuta ſunt. Puellæ ejectæ VII.
è monaſterio ſunt, & ipſum monaſterium cum bonis ad hoc pertinentibus
monachis Foſſatenſibus traditum eſt, qui in eo loco cellam, ſeu, ut vocant,
prioratum fecerunt, monaſterium ſancti Eligii deinceps Abbati Foſſatenſi ſub-
jectum eſt, reſque per multorum annorum ſeriem ejuſmodi fuit, donec ipſum
quoque monaſterium Foſſatenſe abolitum eſt, & in locum monachorum ſuc-
ceſſerunt canonici, & ea ratione forma monaſterii Eligiani penitus immutata
eſt, quod ſuo loco aliàs Deo adjuvante referemus, modò ad alia orationem
converto.

Antequam huic libro finem imponam quædam adjicienda ſunt de ſtudiis Pari- VIII.
ſienſibus. Superiùs diximus litterarum ſtudia Pariſiis celebrata eſſe tempore Caro-
li-magni, & ſub principatu Caroli-calvi quodammodo ab interitu revocata eſſe,
ſed poſtea propè concidiſſe tum propter bella domeſtica; tum propter incurſio-
nes barbarorum, quorum armis inprimis hæc urbs regia vexata, & in ſummas an-
guſtias ſæpius adducta eſt. Hac tempeſtate muſæ ne mutire quidem his in locis
audebant. Litteræ, quæ nuper cæca ſepultæ oblivione, vix convaleſcere &
meliorem habitum recipere incipiebant. Iterum his graſſantibus malis, ad interi-
tum propè conjectæ ſunt. Jam diximus reddita pace ſcholas ſtatim Pariſiis aper-
tas fuiſſe, eoque confluxiſſe omnes litterarum ſtudioſos. Sed conſtat litteras
deformes & incultas prodiiſſe: tum Odilonem, qui poſtea Cluciacenſis Abbas
fuit, & poſtea Abbonem, qui Floriacenſis, Pariſios veniſſe diximus. Continua-
ta deinde ſtudia Pariſiis ſunt, ſed majore ſtrepitu, quam apparatu, non enim
ſitum & ſordes, quas, cum deliteſcerent, contraxerant, tam cito deterſerunt.
Quæ vero initia melioris habitus & receptæ quodammodo valetudinis primor-
dia mihi commemorandum eſt. Gerbertum monachum Aureliacenſem, qui
poſt modum Remenſis Archiepiſcopus, ac poſtea Ravennatenſis, ac demum
ad Romanum ſummumque pontificatum evocatus eſt, litteris prope ab interitu
revocandis haud parum contuliſſe exiſtimo. Gerbertus, ut habet chronicon
Virdunenſe, fuit monachus Aureliacenſis cœnobii, cui ingenium ad litteras
addiſcendas promptum, quemque eo pluris æſtimes, quod ille non æmulatio-
ne, ſed ſolummodo diſcendi amore provocatus diſciplinis addiſcendis animum
intenderit. Apud Aureliacum in hoc celebri ſancti Geraldi cœnobio littera-

LIB. XI. CAP. VII. rum tyrocinium poſuit, atque primùm Grammaticæ operam poſuit, ac poſtea traditus Epiſcopo in diſciplinis mathematicis eo præceptore uſus eſt. Ille pro modulo ſui temporis eruditus, jacentes diſciplinas erigere vehementer ſtuduit, neque laboribus, neque impenſis pepercit, quod licet intelligere ex itineribus, quæ fecit, & libris, quos undequaque parari ſibi curavit, ut probant ejus epiſtolæ. Demum his inſtructus adjumentis, in has Galliæ regiones venit, & Remos uſque profectus eſt, ubi litteræ publice docebantur, & ubi ſe magiſtrum profeſſus, magnâ famâ, magnâque diſcipulorum frequentiâ litteras docuit. Nobiliſſimi quique juvenes huc diſcendi gratia confluebant. Hugoni Capetio erat filius Robertus ex uxore Adelaide feminâ præſtantiſſimâ, quæ filium contra morem illorum temporum ſcientiis imbui curavit. Helgaldus vitæ Roberti Regis ſcriptor ſcribit à matre Adelaide eum traditum erudiendum Gerberto, qui in ſchola Remenſi artes liberales docebat. *Fuit idem Rex Robertus*, inquit, *ſapientiſſimus litterarum, cujus prudentiſſimo cordi erant inſita à Deo data perfectæ ſcientiæ dona. Nam à piiſſima matre ſchola Remenſi traditus domino Gerberto ad erudiendum eſt datus, qui eum ſufficienter liberalibus inſtitueret diſciplinis, ut in omnibus Deo omnipotenti complaceret virtutibus almis.* Etſi hæc ille auctor, attamen Hugo Pariſiorum Comes, cujus id temporis ſumma in regno auctoritas erat, quique poſtea Rex Francorum fuit, non ſolum Remos Robertum filium miſit, ſed Gerbertum etiam Pariſios advocavit, ut filium erudiret, id certè Ditmarus ſcriptor æqualis illorum temporum conceptis verbis ſignificat. Sic enim de Gerberto loquitur. *Ingreſſus vitam monaſtitam factus eſt præceptor Roberti Regis filii Hugonis, in regia aula aliquando verſatus, ad Remenſem, deinde ad Ravennatem Archiepiſcopatum ſibi aditum præparavit.* Vides Gerbertum in aula regia, id eſt Pariſiis primum verſatum eſſe, ac deinde Remos veniſſe, ubi dejecto Arnulfo, ad cathedram Remenſem evectus eſt. Gerbertus igitur & ſedulo ſtudio & cura illa ſingulari libros colligendi multum inſtaurandis ſcientiis contulit. Sed inprimis Roberti Regis exemplum omnium animos ad litteras excolendas excitavit. Solent enim ſubditi mores principum æmulari, & omnem vitæ ſuæ rationem ad eorum formam componere. Complures igitur & magni Principis exemplo, & nova ſciendi cupiditate accenſi omnem adhibuerunt operam, ut diſciplinas ſitu & ſquallore obſitas expolirent, iiſque primævum reſtituerent nitorem. Aliàs oſtendi litteras, quæ etiam hac infeliciſſima ætate prope exanimes corruerant, Pariſiis tamen quoquo modo excultas eſſe, neque in hac urbe regia uſquam docendi munus interruptum eſſe exiſtimo, niſi forte excipias acerba illa tempora, quibus Lutetia vi Nortmannica oppugnata longam obſidionem paſſa eſt. Aliis quidem in locis ſcholas variis temporibus celebratas fuiſſe conſtat, ſed ſub aliquo tantummodo profeſſore, quo decedente ſtatim, aut paulo poſt ſcholæ inſtitutæ vacabant, neque amplius in eo loco ſcientiarum inſtitutio habebatur. Turonis tempore Caroli-magni Alcuinus ſcholas aperuit, eoque doctore celeberrimæ fuerunt. Sed poſt ejus mortem, aut pene ignotæ delituerunt, aut quaſi intermortuæ jacuerunt, idque ferme ad tempora Heurici Regis ſub cujus principatu Berengarius litteras docere cœpit. Lugduni & Mettis & Aurelianis ſcholas ſub eodem Caroli-magni principatu aliquandiu floruiſſe ex certis monimentis accepimus: litteras pariter in quibuſdam locis claruiſſe ſub Ludovico-pio, aut Carolo-calvo ſuperius ex actis publicis oſtendimus. Remis vero maximè ſtudia in pretio fuiſſe Flodoardus memorat, ex quo præſertim Fulco Remenſis Archiepiſcopus illa aut inſtituit, aut reſtituit. Circa annum DCCCLXXXII. quo tempore Remigius Autiſſiodorenſis monachus celebri famâ litteras primùm Remis, deinde Pariſiis docuit. Illa deinde ſchola multos annos non interrupto docendi munere florentiſſima fuit. Carnuti Fulbertus, quem ſcribunt Gerberti diſcipulum fuiſſe, magna celebritate litteras docuit, ſed illo ſublato, vix ulla Carnotenſis ſcholæ memoria eſt. In Beccenſi pariter monaſterio ſub Henrico Rege Lanfrancus ſcholam excitavit, quam deinde Anſelmus aliquo tempore vir pietate & doctrina inſignis continuavit. Iis quoque ereptis hanc ſcholæ celebritatem cecidiſſe certum eſt. Ut ad ſtudia Pariſienſia redeam, nunquam

interrupta

interrupta eſſe exiſtimo à Caroli-magni ætate, nam ſub Ludovici-pii, & Caroli-calvi imperio Pariſiis celebrata fuiſſe ſupra oſtendimus, quinetiam incunte ſæculo decimo Pariſiis quoque litterarum magiſtros fuiſſe ex Odonis vita probatum eſt. Jam vero undecimo quoque ſæculo Pariſiis in honore fuiſſe conſtat, & modo diximus litteris inſtaurandis haud mediocriter contuliſſe Gerbertum & Robertum Regem. Gerberti clariſſimi diſcipuli extiterunt Robertus Rex, Fulbertus, qui Carnuti magno diſcipulorum concurſu litteras docuit, & poſtea hujus urbis Epiſcopus fuit. Sevinus & Leothericus, qui Senonenſes Archiepiſcopi fuerunt, Lambertus Lingonenſis Epiſcopus, ut alios mittam. Robertum Regem celebrat Trithemius de ſcriptoribus eccleſiaſticis. *Rupertus*, inquit, ſeu magis Robertus *Rex Franciæ nobilis, fortis, caſtus, doctus & religioſus inter eccleſiaſticos ſcriptores locum meritò recepit, quippe qui cantus & reſponſoria dulci & regulari modulamine ad honorem Eccleſiæ catholicæ compoſuit, in litteris humanitatis, præſertim in muſica doctiſſimus fuit: tantæ autem religionis, ut horas canonicas in eccleſia decantaret cum clericis, foris apud ſe legeret tum ſuis: tantæ pietatis & miſerationis fuit in pauperes, ut ſuis ſi aliquando veſtimentis ſpolians, eorum nuditates multis vicibus operiret: de ejus manibus liber nunquam recedebat, adeo ut pro tribunali ſedens inter judiciorum & cauſarum ſtrepitus in ſinu apertum haberet pſalterium. Vnde & poſt mortem miraculis coruſcaſſe legitur. Ejus eſt vulgata ſequentia, quæ cantatur diebus Pentecoſtes de ſancto Spiritu. Veni ſancte Spiritus. Reſponſorium de ſancto Petro. Cornelius centurio. Iudæa & Ieruſalem, & illud Alleluja. Eripe me de inimicis. Reſponſorium, Cornelius centurio. Romæ ſummo Pontifice miſſam celebrante, ſancto Petro in altari tempore offertorii tum magna devotione obtulit. Accurrentes autem miniſtri altaris arbitrati ſunt magni ponderis aurum obtuliſſe divitem Regem, ſed ſchedulam reperientes ſcriptam & notatam, admirabantur ingenium & devotionem Principis collaudantes. Hinc Papa decrevit ob memoriam ſanctiſſimi Regis rogantibus clericis, ut hoc reſponſorium in honorem ſancti Petri deinceps cantaretur.* Hoc igitur principe litteræ, quas temporum ſuperiorum infelicitas perdiderat, quemadmodum olim ſub auſpiciis Caroli-magni, reviviſcere, & quaſi ab interitu iterum revocari cœperunt. Sub illius Regis principatu Pariſiis ſcholæ inprimis florebant in monte ſanctæ Genovefæ apud canonicos illius baſilicæ. Anſelmus canonicus Leodienſis æqualis, aut ſuppar illorum temporum in actis Notgeri Epiſcopi Leodienſis tradit Huboldum juvenem in eo loco litteris dediſſe operam. *Quid de Huboldo dicam, qui dum adoleſcentulus à ſcholari diſciplina hinc aufugiſſet, Pariſios veniens ſanctæ Genovefæ canonicis adhæſit, ubi multorum ſcholarium inſtructor fuit, ubi cum aliquandiu domino Notgero ignorante moraretur, tandem canonica epiſcopalis ſententiæ exetutione, compulſus eſt redire pluribus relictis ſtudiorum ac moralitatis inſignibus; cujus vitam bene ſatis morigeratam acceptans Epiſcopus, gratia ac donis muneratum, ad virtutis ſtudium pluribus accendit.* Ex hoc teſtimonio patet, tum ſcholas Pariſiis celebres fuiſſe, ad quas ſcilicet juvenes cupidine ſciendi accenſi confugere conſueverant; reipſa in ea urbe multitudinem clericorum ſeu potius diſcipulorum, tunc Lutetiæ verſatos ex Helgaldo colligas, qui dicit innumerabilem tum monachorum, tum clericorum multitudinem Roberti Regis exequiis interfuiſſe. Poſtquam enim mortem Roberti Regis memoravit, ſic ſcribit. *Fuerat ibi ingens luctus, intolerabilis dolor, dum monachorum ingemiſcens turba pro abſentia tanti patris, clericorum innumerabilis multitudo ærumnas ſuas ab ipſo ſancto pie relevatas, dolens viduarum & orphanorum infinitus numerus, beneficia ab eo recepta deplorans dabat voces ad cælum immenſas.* Aſſentior facile eorum ſententiæ, qui clericorum nomine ſignificari aiunt eos, qui ſcholas profeſſorum adirent, & eorum imbuerentur doctrina, ſane in pluribus locis ea ætate hoc vocabulo appellatos eſſe certum eſt, & plerumque, eos, qui illis temporibus ſtudiis Philoſophiæ & Theologiæ appellebant animum, eo nomine vocabant.

LIB. XI. CAP. VII.

Cum igitur complures magni Regis exemplum ad litteras excolendas excitaſſet, ſtudia inprimis Lutetiæ Pariſiorum clarere cœperunt: neque multo poſt IX.
exortæ ſunt inter ſtudiorum magiſtros concertationes, quibus ſcribunt occaſionem dediſſe Berengarii pravam de ſanctiſſimo altaris ſacramento opinionem;

LIB. XI CAP. VII Berengarium namque ſcribunt Pariſiis litteras eſſe profeſſum. Idque ex Lanfranci verbis eliciunt, qui adverſus Berengarium ſic loquitur. *Quando in ſcholis*, inquit, *militavimus ſemper contra fidem catholicam auctoritates collegiſti*. Quo in loco niſi Pariſiis ambo militarunt. Quidquid fuerit, conſtat id forme temporis inſignes magiſtros ſcientiarum Pariſiis extitiſſe, qui certare ſententiis cœperunt, quorum mentio eſt in fragmento hiſtoriæ à Roberto uſque ad Philippum. Hoc tempore tam in divina quam in humana *philoſophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum Epiſcopus, Guido Longobardus, Maingaudus Teutonicus, Bruno Remenſis, qui poſtea vitam duxit eremiticam. In dialectica quoque hi potentes extiterant ſophiſtæ, Ioannes qui eandem artem ſophiſticam vocalem eſſe diſſeruit. Robertus Pariſiacenſis, Roſcelinus Compendienſis, Arnulfus Laudunenſis. Hi Ioannis fuerunt ſectatores, qui etiam habuerunt auditores*. Ex hoc patet diviſos in ſectas id temporis magiſtros & profeſſores philoſophiæ, ac Joannem primum auctorem fuiſſe illius ſectæ, quam nominalium vocant. Quis porro fuerit iſte Joannes, neque ego, neque quivis alius indicet, qua enim freti auctoritate, quidam hunc aiunt eſſe Joannem Henrici Francorum Regis medicum, quem aiunt fuiſſe artis ſuæ peritiſſimum & ſophiſtam argutiſſimum, de quo loquitur Ordericus Vitalis. Hic Joannes de quo ſermo in fragmento hiſtoriæ auctor fuit ſectæ nominalium. Nam cum rerum omnium, quæ exiſtunt, nihil ſit niſi ſingulare, & nulla ſit rerum ſingularium ſcientia, ut pote quæ mutationi & varietati obnoxiæ ſint, cumque ſcientia proprie pertineat ad res univerſales, quæ certæ ſunt & immutabiles; quæſitum eſt an illa rerum univerſalitas eſſet aliquid reale, an verò ſola nominum appellatione, & vocum denominatione diſtingueretur? Sciſſæ ſunt in varias diverſaſque partes ſententiæ. Quidam hoc univerſale aliquid eſſe reale: quidam è contrario defendere nihil in illo univerſali eſſe præter inanes vocum nominumque ſonos, unde aliquando vocales, ſed plerumque nominales appellati ſunt, qui hanc poſteriorem opinionem defendunt. Etſi Joannes ab eo, quem attulimus ſcriptore auctor illius hæreſis dicitur, vulgo tamen Roſcelinum Compendienſem canonicum, de quo plura dicta ſunt, principem ſectæ, primumque hujus ſententiæ aſſertorem nominant. Certe in ea epiſtola, quam ſupra retulimus, quæque in operibus Abaelardi reperitur, quamque vulgo exiſtimant Gaufrido Pariſienſi Epiſcopo ſcriptam eſſe, hæc habentur ad finem epiſtolæ. *Hic pſeudodialecticus, ita & pſeudochriſtianus, cum in dialectica ſua nullam rem partes habere æſtimat, ita divinam paginam impudenter pervertit, ut eo loco, quo dicitur Dominus partem piſcis aſſi comediſſe, partem hujus vocis, quæ eſt piſcis aſſi, non partem rei intelligere cogatur. Ne quid igitur mireris, ſi is qui in cælum os ponere conſuevit, in terris inſaniat, & qui dominum perſequitur, membris ejus deroget, & nemini parcit, qui nec ſibi parcere poteſt*. Ex his patet Roſcelinum hunc delapſum in abſurdas opiniones. Dictum eſt ſuperius hunc Roſcelinum reprehenſum ab Anſelmo Beccenſi Abbate, quod diceret in Deo tres perſonas eſſe tres res ab invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli, ita tamen ut una ſit voluntas, & poteſtas: aut Patrem & Spiritum ſanctum eſſe incarnatum, & tres Deos vere poſſe dici, ſi uſus admitteret. Diximus eum ob eam cauſam fuiſſe in Sueſſionenſi Concilio condemnatum. Illum vulgo ſcriptores dicunt ſectæ Nominalium auctorem inventoremque fuiſſe, forte quoniam poſt Joannem acerrimus hujus ſectæ fuerit aſſertor & propagator. Otho Friſingenſis de eo in hunc modum loquitur, cum de Abaelardo ſermonem habet. *Habuit tamen primo præceptorem Roſcelinum quemdam, qui primus noſtris temporibus in logica ſententiam vocum inſtituit*. Ex his omnibus intelligimus ſcholas quidem Pariſiis celebres ſemper fuiſſe, ſed cum prope dejectæ & intermortuæ jacerent, ſub Roberto Rege è tumulo quodammodo revocatas eſſe, atque deinceps magno ſtrepitu magnaque celebritate litteras in medium prolatas eſſe. Etſi vero hæc ita ſe habere certò comperimus, haud tamen promptum eſt ſeriem magiſtrorum, qui Pariſiis docuerunt oſtendere, neque hæc initia renaſcentium ſtudiorum ſigillatim memorare. Non enim ſtatim periti ſcriptores evaſerunt, qui res ſuorum temporum memoriæ commendarent, adde quod ſcriptores ſæpius inventi ſunt, qui res geſtas ſuorum principum, & ſuo-

Digitized by Google

rum temporum præclaro ſermone deſcriberent, nullus prope inventus ſit, qui res artium & ſcienriarum exordia & progreſſus in acta referrent, & geſta doctorum hominum ab oblivione vindicarent; hinc accidit, ut nobis ſciſcitantibus, quæ ratio ſtudiorum hac ætate fuerit: nihil occurrat ſcripto mandatum, aut ſi quid forte reperiarnr, illud undequaque magno ſtudio, magnoque labore comparatum, & tanquam ex naufragio tabulas, collectum eſſe oporteat. Ex illis qualibuſcumque fragmentis ſatis deprehendimus ætate Roberti Regis, ejus filii Henrici & Philippi Francorum Regum, qui undecimo ſæculo regnum Francorum tenuerunt litteras Pariſiis floruiſſe; ſed quæ fuerit ratio ſtudiorum, quis tradendarum diſciplinarum magiſtris modus fuerit, haud ita exploratum fuit, donec magiſtri inter ſe ſententiis & opinionibus diſſidere, & ſecum ipſi decertare cœperunt. Jam primas rixarum diſſidiorumque cauſas ſupra retulimus, eaſque diximus habuiſſe originem à Joanne & Roſcelino, qui vocalium & nominalium aſſertiones primi defendere inſtituerunt. Illæ vero diſputationes exortæ Pariſiis ſunt ſub Philippo Rege. Sed inprimis illæ exarſerunt, cum Guilelmus Campellenſis, & poſtea Petrus Abaelardus adverſus ſe invicem decertare, & quaſi collatis ſignis confligere primùm aggreſſi ſunt. Cum eorum certamina ſub Philippo Rege cœpta ſint, ea hic memorare me oportet.

X. Guilelmus Campellenſis, ſeu de Campellis ſic dictus à loco ubi natus eſt. Solebant enim plerique ea ætare locorum ubi nati fuerant nomen aſſumere. Eo modo diximus ahàs Robertum de Arbriſſellis ab originis loco nominatum. Campelli vero opidum eſt Briegii, haud procul à Meloduno. Guilelmus ille fuerat diſcipulus Anſelmi Laudunenſis, quem æquales illorum temporum ſcriptores ob ſummam cum pari doctrina conjunctam pietatem laudant, ſed maxime ob egregiè his malis temporibus excultam latinam linguam. Guilelmus cum veniſſet Pariſios, ibi Philoſophiam magnâ auditorum frequentiâ docuit. Et credo à Galone Pariſienſi Epiſcopo ad archidiaconatum Eccleſiæ Pariſienſis evocatus eſt, in hancque facile inducor ſententiam, quod cum Fulco Epiſcopatum Pariſienſem adeptus eſt, tres alii Archidiaconi Eccleſiæ Pariſienſis erant, unde conſtat non ante tempora Galonis archidiaconatum hujus Eccleſiæ fuiſſe conſequutum. Anno tertio Galonis Epiſcopi Pariſienſis ſubſcripſit chartæ Foſſatenſi, quam ſupra retulimus, ex qua apparet in locum Vulgrini Archidiaconi ſubrogatum, & Pariſiorum Archidiaconum fuiſſe, quippe qui in ſubſcriptionibus priorem locum obtinear; ad eum, ut exiſtimo, ſcripta eſt epiſtola CLXXXIII. Ivonis Epiſcopi Carnotenſis, quæ eſt ad Vvilelmum Eccleſiæ Pariſienſis Archidiaconum. Petrus Campellenſis multis præclariſque ornamentis præditus erat, pietate inprimis pollebat, & chriſtianis virtutibus haud vulgarem adjunxerat doctrinam. Neque Galo Epiſcopus Pariſienſis dubitaverat poſt mortem Vulgrini eum Archidiaconum Eccleſiæ Pariſienſis appellare. Guilelmus id temporis in clauſtro Eccleſiæ Pariſienſis cum magna laude & frequenti auditorum celebritate Dialecticam docebat, quod teſtatur ipſe Abaelardus, qui eo tempore Pariſios venit, & eo magiſtro uſus eſt. Sed quoniam de Petro Abaelardo habendus ſermo, de eo quoque quædam in anteceſſum mihi dicenda ſunt.

XI. Petrus Abaelardus natus eſt in opido Armoricæ ſeu minoris Britanniæ, quod Palatium dicitur, haud procul Namnetis ſitum. Pater ejus Berengarius dictus eſt, & mater ejus Lucia. Pater ejus militiam fuerat ſectatus, quanquam primùm contra morem horum temporum litteris appulerat animum. Ille Abaelardum filium propterea diſciplinis imbui curaverat. Abaelardus litterarum dulcedine aliquando delinitus, majore in dies earum tenebatur deſiderio, aviduſque diſcendi huc ibat, ubi profectum majorem ſe facturum eſſe ſperabat. His ipſe illectus Pariſios venit, ubi Guilelmus Dialecticæ docnmenta magnâ auditorum frequentiâ parique æſtimatione tradebat. Cœpit primùm ſub eo magiſtro merere & ſub ejus auſpiciis Dialecticæ artem addiſcere. Guilelmus Campellenſis vir gravitate & doctrina pro temporum illorum conditione inſignis, hac qua erat ætate magis audientrum animos præceptis utilibus ambibat imbuere, quam eorum gratiam bellè diſſerendo captare. Abaelardus his dotibus præditus erat, quibus

LIB XI Cap. VII.

plerumque ſolent præcellere juvenes, qui ingenio & audacia valent, promptus erat ad diſcendum, celer ad cogitandum. Acerrimus diſputator erat, & in diſputationibus æſtu quodam abreptus, auditorum animos facile in ſe concitabar, ita ut ſui admirationem pareret. His quidem artibus multorum ſibi conciliaverat amicitiam, ſed plures æmulos & gloriæ ſuæ obtrectatores hac juvenili audacia ſibi paraverat. Celeberrima hoc tempore jactabatur de natura univerſali controverſia. Guilelmus Campellenſis realitatem in univerſali defendebat, Petrus, qui ſolebat magiſtri opiniones impugnare, & hanc quoque ſententiam magno ſtrepitu prolatis argumentis profligare, & tantâ ſui fiduciâ procax juvenis locutus eſt, ut poſt diſputationem ſibi palmam tribueret, & magiſtrum à ſe in diſputatione debellatum jactaret, ſeu hæc diſputatio famam Abaelardo fecerit, ſeu ipſe de ſe majora ſentire cœperit, artem ipſe magiſter profiteri cœpit, quam diſcipulus exercebat, & Dialecticam publicè docere. Petrus non eſt auſus ludum Pariſiis aperire, hac auctoritate & famâ, qua Guilelmus Archidiaconus Pariſienſis valebat. Melodunum igitur conceſſit, & in eo loco magna celebritate, parique æſtimatione Dialecticam docuit, adeo ut ſummorum hujus artis magiſtrorum famam aut exæquare aut anteire videretur: captus tamen urbis regiæ & frequentia & amplitudine, cum propter æmulationem Guilelmi viri gratia & auctoritate pollentis, necdum Pariſiis magiſterium exercere auderet, Corbolium venit, ut Lutetiæ Pariſiorum viciniot, & auditotum numero & famâ doctrinæ creſceret. Verum dum ſcholæ aſſiduus indulget, incidit in morbum, recepta valetudine in patriam remeavit. Poſt aliquot annos Pariſios reverſus eſt, ubi iterum magiſttum Rhetoricæ habuit Guilelmum, qui id temporis in ſuburbana Lutetiæ ſe receperat, inſtitueratque cœnobium canonicorum regularium. Vulgo jactabant eum adipiſcendi epiſcopatus gratiâ hoc vitæ genus ſecutum eſſe, ut hâc pietatis imagine ad ſe clericotum & populorum mentes concitaret, hoſque rumores auxit, quod paulo poſt ad cathedram Catalaunenſem evocatus eſt. Verum his improbis rumoribus contraria ſunt anteacta ejus vitæ facinora, boni mores, ſumma doctrina & ſingularis viri graviſſimi pietas: neque hic moror Abaelatdum, qui quo ſit affectus in Guilelmum animo apertè in ſcriptis declarat. Petrus Campellenſis in hoc ſeceſſu haud deſtitit à docendi munere, mox dicemus ad has exercitationes inprimis excitatum ab Hildeberto Cenomanorum Epiſcopo. Id temporis renovata eſt decertata multoties de univerſali contentio. Abaelardus, ut ſolet, ſibi applaudit, & Petrum à ſe jactat ſæpius in diſputatione ſuperatum. Quidam magiſter in ſchola Pariſiaca Guilelmo ſucceſſerat, ille cum cerneret Abaelardum multum famæ & exiſtimationis in diſputando ſibi acquiſiviſſe, & celebratum ejus nomen, ſcholam ipſe ſuam ei tradidit, rogavitque, ut in ſuum locum ſubrogatus magiſterium exerceret. Libens Abaelardus ejus poſtulationi acquievit. Cœpit igitur Pariſiis publicè docere. Guilelmus moleſtè tulit juvenem ſibi in docendo æmulum eſſe, cum non haberet, quod Abaelardo exprobraret, in magiſttum illum, qui ſcbolam tradiderat, vim omnem iracundiæ convertit, ejuſque mores criminatus, tantum effecit, ut à docendi munere Petrus abdicaretur, & alius magiſter auctoritate publica ſubrogaretur. In bunc modum Abaelardus à ſchola Pariſienſi profectus eſt Melodunum, ubî ſcholam iterum inſtauravit. Tunc multi Guilelmum ſimulatæ pietatis arguebant, ut pote qui vitam ſolitariam & ſeceſſionem profeſſus, & in ſuburbana regiæ urbis divertiſſet, & ambiret diſcipulorum celebritatem. Ille ut pravis rumoribus occurreret, in villam paulo ab urbe remotiorem cum ſociis, quos aggregaverat, diſceſſit, neque tamen docendi officium omiſit. Abaelardus deſiderio Pariſiorum incenſus, nactus opportuniratem amoto æmulo ſtudiotum Lutetiam rediit. Non poterat Abaelardus docere in Pariſienſi ſcbola diſciplinas: cum jam antea huic præeſſet publicus profeſſor. Abaelardus extra urbem Lyceum inſtituit in monte Locotitio, qui mons eſt ſanctæ Genovefæ, & ubi olim ſcholas floruiſſe memoratum eſt. Statim omnes ad montem adrepere, & relictâ Pariſienſi ſcholâ, ad Abaelardi caſtra transfugere. Guilelmum hæc fama perculit, motus igitur exiſtimatione Abaelardi, & magno diſcipulorum concurſu, pro-

tinus in urbem reverſus eſt. Ad adventum Guilelmi pauci auditores, qui magiſtro Pariſienſi adhæſerant, eum deſerere, & ad Guilelmum accedere, magiſter ipſe paulo poſt relicto penitus docendi munere monaſticam vitam amplexus eſt. Dum Guilelmus Pariſiis exercitationes inſtaurat, & Abaelardus in monte ſanctæ Genovefæ docendi magiſterium exequitur, diſcipuli utriuſque magiſtri, ſæpius inter ſe contendere, & inter ſe quaſi manus conſerere aggrediuntur. Dum hæc Pariſiis aguntur, Lucia Abaelardi mater ad eum ſcribit Berengarium ejus patrem pertæſum rerum humanarum in monaſterium ſeceſſiſſe, & ſe pariter eodem deſiderio teneri, & eadem conſilia meditari, hortaturque filium, ut ad ſe veniat, neque ſe ea meditantem deſerat. Abaelardus relictâ ſcholâ confeſtim Namnetas profectus eſt. Rebus familiæ ordinatis, in Franciam, in has ſcilicet regiones rediit. Abaelardus huc uſque humanioribus Rhetoricæ & Philoſophiæ diſciplinis ſtudium & operam poſuerat, necdum rebus divinis appulerat animum, tum igitur ſacra Theologiæ arcana penetrare inſtituit, & huic ſtudio ſe penitùs dedere. Ea tempeſtare Anſelmus Laudunenſis Eccleſiæ Decanus, inſignis non modo liberalium artium, ſed litterarum etiam ſacrarum magiſter habebatur; ad eum audiendum accedebant ex omnibus Europæ provinciis examina diſcipulorum, Lauduni magna cum laude Rhetoricam docuerat, & purioris latinitatis elegantiam ſectari dicebatur. Deinde omne ſtudium converterat ad exponendos ſacros tum veteris tum novi fœderis libros. Fama hujus doctoris, ſummumque diſcendi deſiderium, quo Abaelardus tenebatur, facile eum impulerunt, ut ſtatim Laudunum iret, ad audiendum virum omnium ore celebratum. Laudunum igitur Abaelardus venit, Anſelmumque ſenem, annis, doctrinâ famâque conſpicuum audivit. Juveni præclarè de ſe ſentienti haud grata fuit ſenis eruditiſſimi expoſitio, quam quiſque avidè excipiebat, & in quâ nihil præter inania vocabula notatu dignum eſſe judicabat: hunc itaque negligere, rarius illum ſacras paginas illuſtrantem audire, & in privatis colloquiis ejus expoſitiones carpere, eumque dicteriis proſcindere; & vulgò dicebat ſe admirari, quod ad intelligendos ſacros libros, præter expoſitiones & gloſſas vulgatas opus haberent magiſtro, qui ſacrum textum explicaret, ex his qui aderant unus excepit, num ipſe aggrederetur quemvis è ſacris codicibus librum exponere, idque ſolummodo ex vulgata interpretatione? Abaelardus accepit conditionem, & poſtera die, Ezechielem prophetam ſuo inprimis fretus ingenio publicè explanare & interpretari inſtituit. Poſtea cum ex hoc novo conatu laudem haud mediocrem eſſet conſecutus, & plures ejus expoſitionem ſcripto exciperent. Anſelmus annorum & morum gravitate reverendus, eâque famâ doctrinæ, qua pollebat, haud tulit juvenem litterarum ſacrarum ignarum, qui vix aditum ſcholæ Theologicæ ſalutaverat ſibi temerè obtrectare, ac ſecum de palma doctrinæ Lauduni contendere, duo præterea ex diſcipulis Anſelmi, quibus præcipua laus erat doctrinæ, ſeu odio ſeu æmulatione, in Abaelardum accendebant ſenem, tantúmque ſuſurris & ſermonibus effecerunt, ut Anſelmus illi docendi munere interdiceret, & pro ſua auctoritate vetaret, ne is ſacrarum paginarum textum publice illuſtraret. Ita Abaelardus à Laudunenſi magiſterio abdicatus eſt, qui deinde in has conjectus anguſtias Pariſios reverſus eſt.

LIB XI. CAP. VII.

Cum Pariſios venit, hoc illi felix contigit, quod Guilelmus ad Epiſcopatum Catalaunenſem eo fermè tempore evocatus eſſet, neque quiſquam alius haberetur, qui ingenio & ſcientiâ ſecum certaret. Oblatum eſt itaque illi magiſterium ſcholæ Pariſienſis, Petrus docendi munus ultro ſuſcepit. Lectiones exorſus eſt, ab Ezechiele Propheta, & iterum ſacrum illum vatem cœpit exponere. Abaelardus his dotibus, quibus præditus erat, magnum ſibi diſcipulorum numerum facile comparavit; nemo hac felicitate ingenii, nemo eâ ſcholæ celebritate litteras docuit: ultra ſpem & expectationem omnia juveni ſuccedebant: haud dixerim, an plus quæſtus fecerit, an plus acquiſiverit exiſtimationis. Verum dum pleniſſimis ventis navigat incautus, ad ſcopulos appulit: fœdis deinde jactatus tempeſtatibus prope fuit, ut naufragium faceret. Hæc vero breviter commemorabo. Erat id temporis puella quædam Heloiſſa nomine Fulberti XII.

cujuſdam Pariſienſis canonici neptis, illa præclaris tum animi, tum corporis doribus prædita erat; ejus avunculus inprimis curaverat, ut ſcientiis imbueretur: adeoque felici promptoque ad diſcendum ingenio erat, ut in eo ſexu, eâque ætate vel doctioribus viris eruditione propè antecelleret. Multa tunc ferocem Abaelardi animum à pietate & Chriſtianis virturibus avertebant; effervescebat rapido quodam æſtu gloriæ, dum cerneret ſe præcinctum innumerabili diſcipulorum turbâ, qni ſuos avide ſermones excipiebant, neque quemquam æqualem ſibi in excolendis tradendiſque diſciplinis reputabat: neque deerant præclara corporis & animi adjumenta, qnæ juvenes commendant, quæque juvenibus fiduciam & altos ſpiritus addere ſolent; neque quidquam aſperi aur ſeveri, quod fermè Philoſophis accidit, ejus mores retinebant, ſales & jocos ſermonibus aſpergere ſolebat, hymnos & hilares cantilenas ex tempore dictare & carmen ſuaviter modulari noverat, magis ad oblectationem, quam ad ſeria Philoſophiæ ſtudia comparatum ingenium habere videbatur: bis aliiſque inſtructus erat, quæ niſi ratione & religione, tamquam frænis, regas vehementiſſimos animis motus concitant. Abaelardus, qui propter celebritatem ſcholæ ſe jam inſolentiùs efferebat, facile aliis cupiditatibus ſe abripi paſſus eſt. Cœpit ille Heloiſſam puellam perditè amare, illique privatis, quantùm poterat colloquiis, & clandeſtinis epiſtolis amorem ſuum ſignificare. Cum nondum res votis ſuis ſuccederet, aliam conciliandi amoris & alliciendæ puellæ rationem inire inſtituit. Fulbertus Heloiſſæ avunculus ut canonicus baud procul à baſilicâ beatæ Mariæ ædes habebat, neque binc longè erat ſchola, ubi Abaelardus magno bominum numero exercitationes agebat. Hic rogare Fulbertum, ut ſe hoſpitem & convictorem domo recipiat, non tantum ſibi otii eſſe abs re philoſophicâ, ut familiæ provideat, & ea curet, quæ ad quotidianos uſus vitæ neceſſaria ſunt. Fulbertus ultrò eum in ſuas ædes recepit, æſtimans id ſibi quæſtui fore & Heloiſſæ emolumento, illam ſcilicet multùm ex ejus documentis profuturam. In hunc modum boſpitio receptus eſt à Fulberto, qui neptem jam bene inſtitutam Abaelardo novo boſpiti magnopere commendavit: ita ut in eum tanquam in ſapientiſſimnm morum diſciplinarumque magiſtrum omnem poteſtarem tranſmitteret. Non referam ea, quæ ſincerè magis, quam verecundè Abaelardus, & ipſa Heloiſſa deſcripſerunt, quæque ille in hiſtoriâ ſuarum calamitatum, bæc in epiſtolis memorant. Dicam paucis verbis. Brevl ex uſu domeſtico, & familiari conſuetudine, mores puellæ profligati ſunt, expugnataque virginis pudicitia eſt, adeo ut poſt aliquod tempus ex Abaelardo gravida fieret; quæ res multa deinde mala multaſque moleſtias illi attulit. Ejus diſcipuli ægrè patiebantur animnm magiſtri pravis amoribus ab officio diſtrahi. Fulbertus Heloiſſæ avunculus re comperta Abaelardum è ſuis ædibus expulit. Neque animus eſt ſingula recenſere, quæ Abaelardus pluribus narrat, & mala ſigillatim exponere, quæ deinde conſecuta ſunt, neque hæc omnia ad res noſtras pertinent. Satis ſit ſi dixerim Heloiſſam enixam eſſe filium, quem Aſtrolabium dixit. Fulbertus interea exacerbatus perniciem Abaelardo minabatur, ille ut ejus animum placaret, pollicirus eſt eam ſibi uxorem fore. Reipſa paulo poſt Pariſiis coram avunculo, & quibuſdam ex amicis, in quadam baſilica noctu ex inſtitutis eccleſiæ illi juncta eſt matrimonio. Prima conventio fuerat matrimonium haud palam fore, ne id contrarium philoſophicæ honeſtati videretur. Fulbertus nibilominus factum prodere, & ſæpius dictitare celebratum ſollemni ritu conjugium, Heloiſſam eſſe Abaelardi uxorem. Heloiſſa amore Abaelardi ardens ad inſaniam rem denegare. Verum cum rumor celebrati matrimonii percrebreſceret, & affectata Heloiſſæ diſſimulatio ſæpius Fulbertum ad iram accenderet, Abaelardus eam ad Argentolienſe monaſterium miſit, ubi habitum monaſticæ vitæ ſumpſir, non velum, quod eo tempore religioſi propoſiti & conſummatæ converſionis inſigne erat. Tum avunculus aliique ejus propinqui ira exardeſcunt, ſeque illuſos clamitant, & furore vebementiùs perciti infandum facinus perpetrare aggrediuntur, pudendamque ob flagitium Abaelardo plagam infligere. Noctu artibus ejus famuli, quem pecunia corruperant, in ejus ædes ſubeunt, &

ſummo mane ingreſſi ejus cubiculum, haud veriti ſunt eum hâc parte excidere, quâ peccaverat. Hic caſus vitæ periculum & ſummam verecundiam illi intulit: adeo ut curato vulnere ex multo animi dolore in monaſterium Dionyſianum relictis ſcholis ſe receperit, vitamque monaſticam ſit profeſſus, & pariter Heloiſſa in Argentolienſi monaſterio ſe regulari diſciplinæ penitus ſubjecerit. LIB. XI. CAP. VII.

XIII. Hæc Pariſiis acta ſunt ſub Philippi Regis principatu. Jam vero in hanc narrationem, quam ex Abaelardo & Heloiſſâ deſcripſi, mihi quædam inquirenda ſunt, quæ ad ſcholas Pariſienſes & rationem ſtudiorum hujus temporis pertinent. Ex pluribus hoc mihi præcipuè annotandum eſt, quod celebrata eo tempore Pariſiis ſchola fuerit & frequentia diſcipulorum, & magiſtrorum exiſtimatione, quodque eo tempore ſcholæ præfuerit Guilelmus Campellenſis Archidiaconus Eccleſiæ Pariſienſis, qui magna celebritate & ſingulari doctrinæ commendatione dialecticam publicè docebat. *Perveni tandem Pariſios,* inquit Abaelardus, *ubi jam maxime diſciplina hæc*, dialectica ſcilicet, *florere conſueverat; ad Guilelmum ſcilicet Campellenſem præceptorem meum in hoc tunc magiſterio re & famâ præcipuum.* Publicus igitur philoſophiæ ſeu dialecticæ profeſſor erat eo tempore Guilelmus, qui paulo poſt ſcholam Pariſienſem reliquit, & in ſuburbanis urbis Pariſienſis monaſterium regularium canonicorum condidit, & ubi litteras quemadmodum prius in urbe ſolitus erat, docere inſtituit. Poſt quam vero Guilelmus ex urbe diſceſſit, profeſſor alter in ejus locum ſubrogatus eſt, quod ex ipſo Abaelardo diſcimus, qui tradit tantum ſibi famæ & exiſtimationis comparaſſe ex diſputationibus, quas habuerat cum Guilelmo, ut omnes diſcipuli quotquot Pariſiis verſabantur, ſibi adhærerent, & magiſter ipſe, qui Guilelmi locum ceperat illi ſuam ſcholam offerret, & libens traderet, quam deinde deſerere ſit compulſus curâ inprimis Guilelmi, qui haud facile Abaelardum Pariſiis docere patiebatur, quod his verbis Abaelardus deſcribit. *Hinc*, ſcilicet ex diſputationibus, quas de dialectica habuerat cum Guilelmo, *tantum roboris, & auctoritatis noſtra ſuſcepit diſciplina, ut ii, qui antea magiſtro illo adhærebant, & maxime noſtram infeſtabant doctrinam, ad noſtras convolarent ſcholas, & ipſe, qui in ſcholis Pariſiacæ ſedis magiſtro noſtro ſucceſſerat, locum mihi ſuum offerret, & ut ibidem cum ceteris noſtro ſe traderet magiſterio, ubi antea ſuus ille & noſter magiſter floruerat. Paucis itaque diebus ibi me ſtudium dialecticæ regente, quanta invidia tabeſcere, quanto dolore æſtuare cœperit magiſter noſter, non eſt facile exprimere. Nec conceptæ miſeriæ æſtum diu ſuſtinens callide aggreſſus eſt me etiam tunc removere, & quia in me quod aperte ageret, non habebat, ei ſcholas auferre molitus eſt, turpiſſimis objectis criminibus, qui mihi ſuum conceſſerat magiſterium, quodam æmulo meo in ejus locum ſubſtituto.* Hæc omnia clarè oſtendunt ex longo uſu, & ex veteri conſuetudine ſcholam Pariſiis inſtitutam eſſe cum publicis profeſſoribus, qui ſibi invicem ſuccederent, eamque dictam eſſe ſcholam urbis Pariſiacæ, quam demum Abaelardus conſecutus eſt, quando Lauduno Pariſios rediit. *Poſt paucos itaque dies Pariſius reverſus, ſcholas mihi jamdudum deſtinatas, atque oblatas, unde primo fueram expulſus annis aliquibus quietè poſſedi; atque ibi in ipſo ſtatim initio gloſſas illas Ezechielis, quas Lauduni exceperam, conſummare ſtudui.* Illa vero publica ſchola intra ſepta Eccleſiæ Pariſienſis habebatur. Unde Guilelmus Pariſienſis Archidiaconus hanc regebat, & in ea diſciplinas publice profitebatur. Sed nihil magis probat ſcholam Pariſienſem eo in loco poſitam eſſe, quam quod Abaelardus memorat de ædibus Fulberti Pariſienſis canonici, quas dicit proximas fuiſſe ſcholæ, in qua de dialectica, aliiſque ſcientiis diſſerebat. *In hujus itaque amorem tenus inflammatus*, inquit Abaelardus, *occaſionem quæſivi, quâ eam domeſtica, & quotidiana converſatione familiarem efficerem, & facilius ad conſenſum traherem. Quod quidem, ut fieret egi cum prædicto puellæ avunculo, quibuſdam amicis intervenientibus, quatenus domum ſuam, quæ ſcholis noſtris proxima erat, ſub quocumque procurationis pretio ſuſciperet: hanc videlicet occaſionem prætendens, quod ſtudium noſtrum domeſtica noſtræ familiæ cura plurimum præpediret, & impenſa nimia me gravaret.* Fulbertus cum eſſet canonicus Pariſienſis vicinas matri eccleſiæ ædes habebat, quibus proxima erat ſchola publica, ut conceptis verbis Abaelardus teſtatur, quod certum eſt at-

Digitized by Google

gumentum eam ſcholam prope majorem Eccleſiam ſitam fuiſſe. Et ea ratione Guilelmus Campellenſis, & ſi Archidiaconus Eccleſiæ Pariſienſis, facile tamen ſcholæ magiſterium in eo loco exercebat. Certe ab initio ſcholæ conſtitutæ ſunt juxta ædes, immo in ipſis ædibus Epiſcoporum, quod & Caroli magni conſtitutione & decreto Concilii Aquiſgranenſis ſancitum eſt: ut ſcilicet in epiſcopiis & monaſteriis ſcholæ inſtituerenrur. Scholæ illæ inprimis cœptæ ſunt ad clericorum inſtitutionem, unde ſcholares clerici vulgo dicebantur, & eam ob cauſam ſcholas erigi jubent & conſtitutiones regiæ & decreta Conciliorum; locus & Epiſcopium & monaſterium deſignatur, hoc monachis, illud clericis, uterque locus juxta baſilicam erat, & ita poſitum eſſe oportebat, ut monachi & pariter clerici ſimul rei ſacræ faciendæ, & litteris operam collocarent, ita Alcuinum intra ſepta baſilicæ ſancti Martini Turonenſis ſcholas feciſſe diximus, ita Aurelianis ſcholam juxta baſilicam ſanctæ Crucis, id eſt juxta majorem eccleſiam, & in monaſterio ſancti Aniani extructam eſſe ex capitulari Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis addiſcimus. Certum eſt deinde ſcholam publicam intra urbis muros, ſeu intra inſulæ ambitum Pariſiis extructam fuiſſe. Unde Abaelardus publicam perpetuamque illam ſcholam *Pariſiacam* vocat, & ſic eam vult eſſe diſtinctam ab illis ſcholis, quæ fortuitò & ad tempus in ſuburbanis aperiebantur. Circumſpicienti vero omnem inſulæ ambitum, nullos id temporis locus aptior ſcholis inſtituendis occurrit, quam ſpatium illud majori Eccleſiæ vicinum, & proximum ædibus Epiſcoporum: neque ullus Pariſiis habebatur locus convenientior erudiendis clericis. Ex his omnibus conſtat ſcholam publicam Pariſiis intra ſepta majoris eccleſiæ inſtitutam eſſe, & in eo loco prima ſtudiorum Pariſienſium cunabula extitiſſe, & ex ea ſchola ortum habuiſſe celeberrimam hanc Pariſiorum Academiam, quæ deinde eruditione, doctrina, celebritate, & frequentia diſcipulorum claruit, in qua magni nominis profeſſores tradere diſciplinas & præclara ingenia litteras excolere deinceps inſtituerunt. Neque quis opponat, quod in ſuburbanis ſancti Victoris & ſanctæ Genovefæ inſtitutæ eo tempore ſcholæ ſint, diximus ſcholam Pariſiacam perpetuam fuiſſe. Guilelmo ſcilicet Campellenſi, quando in ſuburbana ſancti Victoris ſeceſſit, & in eo loco monaſterium condidit, alius ſucceſſit; hic deinde magiſter ſuam ſcholam Petro conceſſit: Verum Guilelmus tantum ſuis artibus effecit, ut expelleretur, & alius illi ſubrogaretur. Demum ſchola Abaelardo tradita eſt, poſtquam Guilelmus Catalaunenſis Epiſcopus ordinatus eſt, vides eſſe in Pariſienſi ſchola perpetuam profeſſorum ſucceſſionem, quod non pariter in ſuburbanis ſcholis reperies, nam ante Guilelmum in ſuburbanis ſancti Victoris, & in monte ſanctæ Genovefæ, cum Abaelardus eo in loco litteras docere cœpit, nullus magiſter habebatur, & in hujus locum neminem huic ſucceſſiſſe accepimus. In hac ſchola Pariſiaca non tradebantur prima grammaticæ rudimenta, quæ pueri addiſcunt: ſed majores tantum modo diſciplinæ docebantur. Ut plurimum de dialectica movebantur quæſtiones, & hanc artem Pariſiis vulgo tradi conſuetum erat. Diſcipuli adverſus profeſſorem ſæpius in diſputationem veniebant, & diximus Abaelardum haud ſemel contra Guilelmum Campellenſem pugnaſſe. Famoſa illo tempore de univerſali controverſia fuit, & multis argumentis decertata. Artis quoque oratoriæ præcepta in ea ſchola tradebantur, & Abaelardus ſcribit ſe ad Guilelmum acceſſiſſe, cum de hac arte publice diſſereret, ut Rhetoricam edoceretur. Aliquando lectiones habebantur de ſacris libris, qui ex gloſſis & expoſitionibus illuſtrabantur, quo quiſque magis ingenio valeret, plus laudis & exiſtimationis conſequebatur; non enim tam ex doctrina & lectione Patrum, quam ex ingenii ſubtilitate laus erat. Diximus Ezechielem Prophetam ab Abaelardo ejuſmodi expoſitionibus illuſtratum fuiſſe. Illa porro ſtudiorum argumenta ad nutum & arbitrium profeſſorum ſeligebantur, neque ea tempeſtate ſcientiæ, quæ reviviſcere incipiebant, & adhuc tanquam in infantia verſabantur, aut certa aliqua methodo aut expeditis præceptionibus addiſcebantur. Sed pro conditione illius ætatis plerumque confuſis, perplexiſque regulis diſciplinæ tradebantur. Hæc ſummatim diximus de ratione ſtudiorum Pariſienſium. Supereſt ut aliquid

addamus

addamus de Petro Abaelardo & de celebritate ejus ſcholæ. Tanta certe fuit illius magiſtri fama, ut ex omnibus Europæ provinciis diſcipuli ad eum audiendum advolarent. De ea re Fulco Diogillenſis Prior ſic loquitur. *Affluentiſſime tibi paulo antè mundi hujus gloria blandiebatur, & te incertis fortuna caſibus eſſe obnoxium non ſinebat advertere. Roma ſuos tibi docendos tranſmittebat alumnos, & quæ olim omnium artium ſcientiam auditoribus ſolebat infundere, ſapientiorem te ſe ſapiente tranſmiſſis ſcholaribus monſtrabat. Nulla terrarum, nulla montium cacumina, nulla concava vallium, nulla via difficilis, licet obſita periculo & latrone, quominus ad te properarent, retinebat. Anglorum turbam interjacens, & undarum procella terribilis non terrebat: ſed omni periculo contempto, audito tuo nomine ad te confluebat. Remota Britannia ſua animalia erudienda deſtinabat. Andegavenſes eorum edomita feritate tibi famulabantur in ſuis. Pictavi, Vaſcones & Iberi; Normannia, Flandria, Teutonicus & Suecus tuum colere ingenium, laudare & prædicare aſſiduè ſtudebat. Præterea cunctos Pariſiorum civitatem habitantes, & intra Galliarum proximas & remotiſſimas partes, qui ſic à te doceri ſitiebant, ac ſi nihil diſciplinæ non apud te inveniri potuiſſet. Ingenii claritate & ſuavitate eloquii, & linguæ abſolutioris facilitate, necnon & ſcientiæ ſubtilitate permoti, quaſi ad limpidiſſimum philoſophiæ fontem iter accelerabant.* Et ipſa Heloiſſa de Abaelardi fama & ingenii ejus exiſtimatione ſic loquitur. *Quis etenim Regum, aut philoſophorum tuam exæquare famam poterat? Quæ te regio aut civitas, ſeu villa videre non æſtuabat? Quis te, rogo, in publicum procedentem conſpicere non feſtinabat, aut diſcedentem collo erecto, oculis directis non inſectabatur.* Chronicum Moriniacenſe his verbis de Abaelardo loquitur. *Petrus Abaelardus monachus & Abbas vir erat religioſus, excellentiſſimarum rector ſcholarum, ad quas pene de tota latinitate litterati confluebant.* Guilelmus Campellenſis, & Petrus Abaelardus plurimum ad commendationem ſtudiorum Pariſienſium contulerunt; in poſterum enim factum eſt, ut civitas Pariſienſis & magiſtris doctiſſimis & multitudine diſcipulorum abundaret: & ſcientiæ magna demum celebritate Pariſiis docerentur. Cum nullâ temporis notâ annos Abaelardi conſignaverim, quædam hic mihi de iis adjicienda ſunt, unde & illius ætatis, & ejus ſtudiorum annos facile deducas. Abaelardus natus eſt anno M L X X I X. cum enim ille mortem obierit anno M C X L I I. natus annis L X I I I. oportet eum natum eſſe eo anno, quem aſſignavimus. Circa annum M C. aut paulo poſt veniſſe Pariſios ex ejus epiſtolis poſſumus æſtimare. Sic de ſe ipſo loquitur. *Quod & ipſi, qui inter conſcholares noſtros præcipui habebantur, tanto majori ſuſtinebant indignatione, quanto poſterior habebar ætatis & ſtudii tempore.* Et paulo poſt. *Factum tandem eſt, ut ſupra vires ætatis meæ de ingenio meo præſumens, ad ſcholarum regimen adoleſcentulus aſpirarem, & locum, in quo id agerem, providerem inſigne videlicet tunc temporis Meldunum caſtrum & ſedem regiam.* Saltem vigeſimum, aut vigeſimum ſecundum annum attigerat, quando docendi munus ſuſcepit. Deinde ex vehementioris ſtudii labore morbum contraxit, ille recuperandæ ſanitatis gratia Namnetas rediit, & in natali ſolo annos aliquot tranſegit, hoc ipſe diſertis verbis teſtatur. *Non multo autem interjecto tempore ex immoderata ſtudii afflictione correptus, infirmitate coactus ſum repatriare, & per annos aliquot à Francia quaſi remotus, quærebar ardentius ab iis, quos dialectica ſollicitabat doctrina. Elapſis autem paucis annis, cum ex infirmitate jamdudum convaluiſſem, Præceptor meus ille Guilelmus Pariſienſis Archidiaconus, habitu priſtino commutato, ad regularium clericorum ordinem ſe convertit: ea ut referebant intentione, ut quo religioſior crederetur, ad majorem prælationis gradum promoveretur, ſicut in proximo contigit, eo Catalaunenſi Epiſcopo facto.* Anno ut puto M C V I I I. aut anno ſequenti Guilelmus Campellenſis receſſit in cellam ſancti Victoris, & ut hanc temporum rationem ſic deducam faciunt verba Abaelardi, qui ſcribit paucis poſt annis ſe rediiſſe Pariſios, quo tempore Guilelmus habitum canonicorum aſſumpſerat. Vulgò tradunt creatum epiſcopum Catalaunenſem anno MCXIII. eo igitur anno Abaelardus Pariſiis cœpit docere. *Poſt paucos itaque dies inquit Pariſius reverſus, ſcholas mihi jamdudum deſtinatas, atque oblatas, unde primo fueram expulſus annis aliquibus*

LIB. XI. CAP. VII.

Heloiſ. epiſt.

Fffff

quiete poſſedi. His verbis nemo eſt, qui non intelligat, quatuor ſaltem, aut quinque annis Abaelardum in ſchola Pariſienſi verſatum eſſe, atque adeo non ſe recepiſſe ad monaſterium Dionyſianum ante annum MCXVII. aut XVIII. hæc de annis Abaelardi annotanda eſſe duximus.

CAPUT VIII.

De reſtitutione monaſticæ & canonicæ diſciplinæ in Eccleſia præſertim Pariſienſi. De canonicis, ac de prima regularium canonicorum inſtitutione.

I. CUm ſuperiori ætate prope corruiſſet vis diſciplinæ Chriſtianæ, Deus ſanctos homines excitavit, qui bonis artibus pravos mores emendarent, & ſeverioribus inſtitutis priſcæ Chriſtianitatis vitam revocarent. Cluniacenſium monachorum nova inſtitutio, parque Ægyptiacæ eremo ſeveritas exactaque vitæ agendæ ratio, quam ſanctiſſimi hujus loci Abbates inſtituerunt, aliaque virtutum Chriſtianarum documenta, quæ dictis factiſque tradiderunt, haud parum damnis Eccleſiæ reſarciendis contuliſſe exiſtimo. Puduit enim pleroſque mortalium in luto vitiorum demerſos hærere, cum cernerent ſanctos homines neglectis ſæculi honoribus, contemptiſque perituris voluptatibus, per arduum iter niti ad æternas opes, & ad immortalem gloriam tendere. Complures quidem Cluniacenſium bonâ famâ illecti patrimonia relinquere, & ſpes ſæculi abjicere non dubitarunt, ut intra Cluniaci ſepta acerbam quidem, ſed ſanctam Chriſtianamque diſciplinam exercerent: multi quoque opibus & honoribus potentes eorum operam manumque adhibere, ut hominum temporumque vitio collapſam monaſticam vitam reſtituerent. Sæpius illis quoque condere & dotare cellas & monaſteria, ut eorum exemplo tepidos ſegneſque monachos ad honeſtatem vitæ & arctiorem vivendi formam excitarent. Ne alias perluſtrem provincias, & externis utar exemplis ſub Hugone Capeto Rege Burchardus Comes Corbolienſis operâ Majoli Cluniacenſis Abbatis & ejuſdem loci monachorum uſus eſt, ut Foſſatenſe monaſterium ad ſanctiorem vitæ formam reduceret. Hugo ipſe Rex Francorum Odilonem Cluniacenſem Abbatem advocavit, ut repararet damna, quæ bella graſſanſque temporum licentia monaſterio Dionyſiano intulerant. Robertus ejus filius pariter Francorum Rex advocavit Vvilelmum Divionenſem Abbatem, qui ſub Majolo Abbate apud Cluniacum monaſticæ regulæ, ſeveriorisque vitæ documentis præclarè inſtitutus erat, ut monaſterium Pratenſe, quod ſub Ingone à regulæ Benedictinæ melioribus inſtitutis deflexerat, ordinaret. Jam vero Milo de Monteletherici & ejus uxor Hodierna monaſterium Longipontis in parochia Pariſienſi condiderunt, & hunc in locum Cluniacenſes monachos induxerunt: neque mihi ſilentio prætereundum eſt celebre monaſterium ſancti Martini à Campis, quod Henricus Rex extruxit, ac primùm canonicis donavit, ſed poſtea ejus filius Philippus Rex facta donatione monachis Cluniacenſibus attribuit. Cum igitur Cluniacenſes monachi ob vitæ auſterioris inſtituta, & arctiorem ordinandæ vitæ rationem magnopere commendati eſſent, undequaque accerſebantur; cumque in pluribus, vel Pariſiis, vel vicinis Pariſiorum locis monaſteria inſtituiſſent, & præcipua Pariſienſis Eccleſiæ cœnobia hortantibus Regibus ſanctiori diſciplinæ reddidiſſent, haud dubium eſt, quin & eorum operâ & exemplo diſciplina monaſtica reſtituta ſit. Ex his, quæ attulimus, quiſque intelligit ad mores illius ætatis reformandos plurimùm alumnos Cluniacenſes contuliſſe, quod

enim Pariſiis actum eſſe cernimus, & in aliis locis factitatum eſt. Quin etiam ſummi Pontifices, qui olim è ſeptis Cluniacenſis monaſterii evecti ad honores eccleſiaſticos, & demum ad ſummum Eccleſiæ Pontificatum evocati induſtriam operamque in reparandis Eccleſiæ cladibus poſuerunt. Exemplo Cluniacenſium monachorum, alii pariter non modo eorum ſequi veſtigia inſtituerunt, ſed, ut fit, quædam etiam addere, & per anguſtius iter ad cælum tendere. Celebris eſt ea ætate Carthuſienſium inſtitutio, qui in aviam ſolitudinem ſeceſſerunt, & in præruptis montibus poſiti jam terram relinquere, & cælo propinquam vitam agitare viſi ſunt. Non alios enumerabo, qui & hac fermè ætate ſancta æmulatione accenſi in condendis novis monaſteriis, noviſque ordinibus inſtituendis mentem & animum adjecerunt. Robertus de Arbriſellis monaſterium de Rota & Fontebraldenſe monaſterium inſtituit. Bernardus Abbas Tironienſis in agro Carnotenſi monaſterium Tironienſe, alia monaſteria, aliaſque cellas condidit, ubi maxime pietas, & vitæ regularis diſciplina enituit. A Roberto Moliſmenſi Abbate Ciſtercienſe monaſterium hoc fermè tempore cœptum eſt, quod & ſanctitate monachorum celebratiſſimum fuit, & numero monaſteriorum longiſſime propagatum eſt. Aliis recenſendis non immorabor, ne longior ſim. Ex his porro notum eſt, tantùm ea tempeſtate monaſticam diſciplinam in honore fuiſſe, quantùm ſuperiore proxima ætate eam pravi mores, & temporum poſteriorum improbitas corruperant. His bonis artibus reformati monachorum mores ſunt, & in monaſteriis cœperunt florere monaſticæ virtutes, quæ ex clauſtris evaſerant. Jam vero & videamus quibus modis clerici, quorum quoque in omnibus fermè locis exoleverat canonica diſciplina, ad meliorem vivendi formam revocati ſunt.

II. Antea memotavimus, quam effuſa fuerit borum temporum licentia, & quomodo clerici hac temporum infelicitate in pravos corruptoſque mores inciderint; ſimonia late graſſabatur, vitæ eccleſiaſticæ honeſtatem peſſumdederant violata plerumque cælibatus jura res ſacræ non ex Dei cultu & honore; neque augmento religionis, ſed ex privatis commodis æſtimationem & pretium habebant. Pernicies hæc nobiliores Eccleſiæ partes invaſerat, adeoque imis viſceribus morbus inhæſerat, ut nulla vi depelli, nullis artibus ſanari poſſe videretur. Deo tamen, in cujus manibus corda ſunt hominum, & his clericorum morbis inſanabilibus medelam ferre decretum eſt. Eccleſia Romana, quæ ex ſuperiorum temporum iniquitate, & pravorum hominum impotentiâ magnos intolerandoſque labores tulerat, ſub ſanctioribus Pontificibus bene inſtituta alias eccleſias ad probitatem melioremque diſciplinam erudire cœpit. Hac enim ætate complures extiterunt ſummi Pontifices, qui vitiis, quæ in agro Eccleſiæ ſuccreverant, evellendis, omnem diligentiam adhibuerunt. Victores, Gregorii, Urbani, Paſchales & alii indefeſſo ſtudio, animoque infracto rem eccleſiaſticam reſtituere, & ad meliorem frugem reducere aggreſſi ſunt. Illi Synodos celebrarunt, ediderunt decreta, ex canonibus ſevera judicia ſæpius exercuerunt, ut ſimoniam omnia devaſtantem ex Eccleſia depellerent: cathedras & ſacerdotia ſine reſpectu perſonarum ſacrilegis emptoribus, venditoribuſque abſtulerunt, reoſque contumaciæ convictoſque ſacrilegi mercimonii è contubernio fidelium expulerunt. Simili odio, ſimilibuſque pœnis proſecuti ſunt clericos, qui Eccleſiæ caſtitatem pravis facinoribus, & pravâ vitæ conſuetudine corrumperent. Quin etiam & eâ ætate haud pauci Epiſcopi amore boni & diſciplinæ accenſi lollium in agrum Domini improborum hominum manibus injectum tollere adorti ſunt. Hi quoque dictis & factis clericorum vitam emendare, & bonos mores decretis & Synodis revocare ſtuduerunt. Sed nihil his temporibus utilius reſtituendæ clericali diſciplinæ fuit, quam canonicorum regularium inſtitutio; quæ ea tempeſtate cœpta eſt, & haud parum rebus eccleſiaſticis reſtituendis emendandiſque clericorum moribus opportuna fuit. Illi enim ex novis vivendi inſtitutis, & arctiore vitæ diſciplina mores regularium monachorum ad canonicos tranſtulerunt, iique propterea regulares canonici dicti ſunt, & quoniam his inptimis temporibus Pariſiis viſi ſunt, de iis eorumque origine mihi dicendum eſt.

LIB XI. Cap. VIII Olim de initiis canonicorum & prima eorum origine ſum locutus; nunc & mihi de origine regularium canonicorum inquirendum, & dicendum eſt, quando
III. primùm Pariſiis extiterint. Clerici aliàs in ædibus privatis habitabant, id
Lib. 6. cap. 1. certò ex Nicæna Synodo, aliiſque compluribus Synodis notiſſimum eſt. Sequentibus temporibus nonnulli ex his in congregationem coaluerunt, ſed non propterea ii canonici fuerunt, aut dicti ſunt. Clerici quidem apud Græcos primùm, tum apud Latinos canonici dicti ſunt, non quod in commune viverent, & vitam more canonicorum agerent, ſed quod canoni, ſeu matriculæ Eccleſiæ inſcripti, & ex ejus ſtipendiis alerentur; hæc olim allatis argumentis & probationibus à nobis aſſerta ſunt, quæ quiſquis conſulere poteſt. Nondum igitur canonici, quos quærimus, illi extiterunt. Neque canonicos reperio ante inſtitutionem Chrodogangi Epiſcopi Mettenſis. Superius oſtendimus ab eo petendam originem canonicorum. Quidam tamen longe ante hæc tempora cœpiſſe exiſtimant, ſed falsò, quod ut probem, quædam hic mihi repetenda ſunt, quæ jam cum de canonicis eſſet ſermo, à nobis allata ſunt. Cum Carolus-martellus devictis tum domeſticis, tum externis hoſtibus rerum potiretur, Pontifices, qui ſtudio rei Chriſtianæ afficiebantur, in hoc maxime incubuerunt, ut pro ſua ſollicitudine repararent clades, quas bella ſuperiora Eccleſiæ attulerant; clerici quippe longe deſciverant à priſtina diſciplina: & vitia temporum graſſantibus bellis contraxerant. Inter eos vero, qui reſtituendæ canonicæ diſciplinæ plurimùm ſtuduerunt, clarus habetur Chrodogangus Mettenſis Epiſcopus, qui ex clero congregationem fecit, clericos tanquam in cœnobio collegit, iis præcepta & vitæ canonicæ documenta tradidit, & ex ſtipendiis Eccleſiæ annonam & vitæ ſubſidia ſuppeditavit. Ea canonicorum prima inſtitutio fuit, hæcque fuit non canonicorum, ut quidam malè tradunt, ſed clericorum reformatio, ſeu clericalis diſciplinæ reſtitutio. Paulus diaconus in libro de Mettenſibus Epiſcopis de hac nova inſtitutione ſic loquitur de Chrodogango. *Hic clerum adunavit, & ad inſtar cœnobii juxta ſepta clauſtrorum converſari fecit, normamque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent; quibus annonas, vitæque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis ſolummodo officiis excubarent.* Laudat Paulus diaconus Chrodogangum, ob novam illam cleticorum, ſeu potius canonicorum inſtitutionem. Ipſe Chrodogangus ſatis indicat ſe auctorem hujus inſtitutionis fuiſſe, quando ſcribit ſe affectum fuiſſe dolore, quod videret clerum populumque in magnam incidiſſe negligentiam: tumque cœpiſſe inquirere, quid agendum foret: eoque tempore Deo aſpirante & fratribus & ſolatium & conſilium præbentibus ſcripſiſſe regulam, cujus obſervatione clerus ſe à vitiis coerceret, & meliora ſequeretur inſtituta. *Cum in tantam,* inquit, *negligentiam clerum plebemque deveniſſe conſpicerem, cœpi mæſtus conquirere, quid agere deberem, ſed divino fultus auxilio, fratrumque ſpiritualium conſolatione adjutus, volui neceſſitate compulſus parvum decretum facere, per quod ſe clerus ab illicitis coerceat, vitioſa deponat, mala diu longéque uſurpata derelinquat, ut dum mens ab aſſuetis vitiis vacuatur, facilius, quæ bona optimaque ſunt, inſerantur.* Non aliquo exemplo alterius, ſed Deo inſpirante aggreſſus eſt Chrodogangus clericos cogere, & eos in unum collegium, ſeu conventum congregare, eos clauſtro includere, iis vivendi leges præſcribere, ſtipendia & alia vitæ ſubſidia ex Eccleſiæ facultatibus ſuppeditare; his aliiſque ejuſmodi ſignificat à ſe primum clerum collectum, ut collapſam improbitate temporum diſciplinam reſtirueret; hocque exordium eſt canonicorum, neque canonicorum tam reformatio & reſtitutio, quam nova, eaque prima inſtitutio fuit, quæ ab eo tempore in alias ſeſe diffudit eccleſias. Quid eſt vero, quod ante hoc tempus in Eccleſiis nihil de canonicorum collegiis & capitulis auditum eſt? nihil in antiquis eccleſiarum tabulariis ſcriptum, nihil memoriæ commendatum legimus? Poſt Chrodogangi inſtitutam canonicorum congregationem, quiſque Pontificum in ſuis Eccleſiis ſimiliter in matribus Eccleſiis congregationem canonicorum collegit, & deinceps eorum antiqua Eccleſiarum tabularia meminerunt, præcepta Regum in eorum gratiam deſcripta ſunt, chartæ veteres Epiſcoporum habentur, ubi ca-

Digitized by Google

nonicorum ſit mentio: in Synodis ad eorum mores retinendos reperiuntur decreta: partitiones, quas Epiſcopi cum iis fecerunt de bonis eccleſiaſticis, reperiuntur; antehac vero nulla eorum memoria eſt, neque in ſinceris Regum noſtrorum præceptionibus, neque in antiquis eccleſiarum ſcriniis uſquam eorum mentio eſt; neque ullæ habentur bonorum eccleſiaſticorum partitiones, quæ hæc Chrodogangi tempora præcedant. Nonne licet ex his certum elicere argumentum, collegia canonicorum, non ante hoc tempus extitiſſe, quorum nulla præcedit recordatio, & eo tempore cœpta eſſe, quo celebris eorum habetur commendatio. Clericos quidem nonnullos antea canonicos dictos eſſe concedimus: ſed alias oſtendimus, eos longe diverſos fuiſſe ab iis, quos Chrodogangus, & ad ejus exemplum alii Pontifices inſtituerunt. Fuerunt quoque antea quædam congregationes clericorum: ſed non collegia, aut capitula canonicorum; in his non ſucceſſio erat clericorum perpetua: hi non addicti perpetuo alicui baſilicæ, non in partitionem bonorum cum Epiſcopo venerunt, ut canonici: ſed ſeminaria propriè clericorum erant fortuitò inſtituta, quæ & ſtatim extincta eſſe accepimus. Jam vero hanc, quam verſamus materiam, in principio libri ſexti hujus hiſtoriæ pertractavimus, locum cuique licet conſulere. Verùm ad hanc rem illuſtrandam juvat & quædam adjicere de regula Chrodogangi, quæ habetur in ſpicilegio primo, & nova Conciliorum collectione tomo ſeptimo: & quam Joannes Morinus olim attulit Româ, quæque in manus Caroli Cointii venit, quamque contulit cum Labbeanâ & Dacherianâ: fateturque, hanc, quam à Morino habuit, in pluribus convenire cum Dacherianâ, quam cum Labbeanâ: attamen nec ipſe diffitetur veram & genuinam regulam Chrodogangi Mettenſis Epiſcopi eam eſſe, quam Labbeus in Conciliorum collectione publicavit. Scribit Labbeus eam ad ſe Româ miſſam, deſcriptamque fuiſſe è veteri manuſcripto bibliothecæ Heildelbergenſis, quæ Romam olim deportata eſt. Ex multis certè locis intelligimus hanc regulam ſcriptam eſſe clericis Mettenſibus ſancti Stephani, quæ Mettis mater eſt Eccleſia, ut ex variis hujus regulæ locis intelligitur. Cap. IV. *Cum iterum ipſum ſignum audierint, ſic omnes in eccleſia ſancti Stephani ſint, & tunc in Dei nomine completorium cantent.* Et infra in eodem cap. *Etſi contigerit, ut opus ſit poſt completorium aliqua cauſa in clauſtra nunciare, tunc ad illum cuſtodem de ſancto Stephano veniat, & illi patefaciat, & ipſe hoc in clauſtro nunciet.* Et capite XXIV. *Archidiaconus vero, & Primicerius, ſeu illi tres cuſtodes eccleſiarum, unus de ſancto Stephano, alius de ſancto Petro, tertius de ſancta Maria, qui in majoribus utilitatibus occupati ſunt, iſti diſpenſentur.* Et in capite XXXIV. *Dicta tertia, ſi Epiſcopus non venerit, tunc presbyter eccleſiæ ſancti Stephani, in vices illius juxta capacitatem ſuam & legat & doceat.* Sed quod ſcriptum reperitur ad finem cap. XX. nullum dubitandi locum relinquit, quin ea regula data ſit clericis Mettenſis Eccleſiæ, in eo enim capite legitur additio Angilramni Epiſcopi Mettenſis ſucceſſoris Chrodogangi. *Mihi autem*, inquit, *Angilramno Archiepiſcopo, atque capellano excellentiſſimi Regis Caroli addi placuit, quia dum nos, & clerus noſter à Pentecoſte uſque ad octavas ipſius Paſcha ſecundum vel adventum Spiritus ſancti devota mente celebrare videmur, ut his ſacratiſſimis octo diebus clerus ſancti Stephani Protomartyris, vel noſter licentiam habeat carnem edendi, exceptis illis, qui pro compendio animarum ſuarum, & pœnitentia indicta ſe abſtinere voluerint.* Hæc omnia clarè oſtendunt hanc regulam ſcriptam eſſe primis Mettenſis Eccleſiæ canonicis; alias vero regulas ex ea depromptas eſſe, & quibuſdam additionibus auctas; hocque ex eo facile concludas, quod regula nulla anterior vetuſtiorque in auctoritatem adducatur, & hæc paucioribus comprehenſa ſit capitibus: aliæ vero auctiores & triplo majores ſint. Notandum inſuper ex nullo loco hujuſce regulæ poſſe colligi, fuiſſe prius vel congregationes, vel regulas canonicorum. Verum ex aliis regulis hoc ipſum in promptu eſt colligere. Hujus rei unum, aut alterum exemplum exhibeo ex Dacheriana regula. In cap. VII. hujus regulæ ſic legimus. *Solet in pleriſque canonicorum congregationibus irrationabiliter atque indiſcrete fieri, ut nonnulli clerici, qui & divitiis affluunt, aut parum, aut nihil utilitatis Eccleſiæ conferant.* Et cap. LIII. *Reprehenſibilem apud pleroſque canonicos*

LIB. XI. CAP VIII. *inoleviſſe comperimus uſum, eo quod contra morem eccleſiaſticum cucullas, quibus ſolis monachis utendum eſt, induant.* Ex his duobus capitibus, quæ in Dacheriana regula leguntur, non vero in Labbeana, manifeſtum eſt Dacherianam auctam eſſe & interpolatam, cum jam multi Pontifices canonicos in ſuis Eccleſiis inſtituiſſent; haſque additiones factas eſſe exiſtimo poſt Concilium Aquiſgranenſe, quod habitum eſt anno DCCCXVI. & ut id credam, faciunt hæc duo capita, quæ ſupra retuli, aliaque, quæ in hac Dacheriana regula leguntur, quæ ex Aquiſgranenſi Synodo deſumpta ſunt, & quæ in primæva & genuina illa regula non habentur.

IV. Regula igitur illa, quam Chrodogangus ſcripſit aute annum DCCLVII. eo enim anno hunc deceſſiſſe annales eccleſiaſtici Francorum memorant, prima eſt regula canonicorum, neque Româ illam allatam eſſe ex nullo deducas argumento, ſed eam Chrodogangus ſcripſit, ut clericos ad honeſtatem morum advocaret, & labentem diſciplinam erigeret, iſque canonicos inſtituit, quos clauſtro & cœnobio continuit. Eamque primam inſtitutionem canonicorum fuiſſe haud dubitanter aſſero. Neque hæc inſtitutio regularium, ut modo vocamus, canonicorum fuit, ſed tantummodo canonicorum: hoc enim ſolummodo nomen habuerunt veteres illæ congregationes canonicorum, quas quiſque Epiſcopus in ſua pariter ordinavit Eccleſia. Annotandum vero non ea regularum obſervatione, quam Chrodogangus præſcripſit, inſtituta in aliis Eccleſiis canonicorum collegia, ſeu capitula. In paucis eccleſiis canonici ſe unius domus ambitu, tanquam uno cœnobio omnes continuerunt, immo nec plerique ſtatim ſe uno clauſtro incluſerunt; & Aquiſgranenſe Concilium in regulis canonicorum ſuas cuique manſiones attribuit. Sed ne externa quæram exempla canonici Pariſienſes ſemper in ſeparatis ædibus haud quidem longè: ſed tamen ſeparatis à ſe invicem commorari, vel ab initio ſoliti ſunt, nec niſi poſt longum annorum intervallum ſe clauſtro includere cœperunt: id pariter in pleriſque eccleſiis contigit. Sed alia erat ratio cœnobiorum, in quibus monachi ad canonicos defecerunt. Diximus antea in quibuſdam locis monachos repudiatâ regulâ monaſticâ canonicorum inſtituta, quæ magna pietatis & religionis famâ cœperant, ſectatos eſſe, quin & Dionyſiani monachi, ſicut retulimus, anteà relicta diſciplina monaſtica canonicorum in morem vivere inſtituerunt, plures alii monachi, vel Pariſiis à monachis ad canonicos tranſierunt, quemadmodum antea memoratum eſt. In illis monaſteriis, ubi monachi regulam canonicorum relicta regulari diſciplina aſſumebant; ii ſe una domo & clauſtro, ſicut antea uno cœnobio continebant, obſervabantque ea fermè inſtituta, quæ in regula Chrodogangi habentur. Neque hi canonici, quos Chrodogangus inſtituit, quoſque alii Pontifices ad ejus exemplum inſtituerunt, fuerunt cannnici regulares. Neque ullo modo canonici dicti ſunt regulares, quoniam ad normam ſibi præſcriptam omnem vitæ rationem ordinabant. Neque in ullo illorum temporum inſtrumento canonicos regulares dictos eſſe comperimus, neque Dionyſiani regulares canonici dicti ſunt, neque monachi Fontellanenſes, neque Augienſes monachi, quando relicta diſciplina monaſtica canonicorum moribus inſtitutos ſe voluerunt, non propterea appellati ſunt regulares canonici, ſed tantummodo canonici. Hincmarus dicit ſe veniſſe in monaſterium Dionyſianum, *ubi ab ipſis rudimentis infantiæ ſub canonico habitu educatus, indeque eductus in palatio domni Ludovici Imperatoris non modico tempore manſi: converſis autem ad regularem vitam & habitum fratribus in monaſterio ſancti Dionyſii, ubi nutritus fueram, in illud ſæculum fugiens ſine ſpe, vel appetitu epiſcopatus, aut alicujus prælationis diutius degui, & exinde aſſumptus &c.* Et in chronico Fontellanenſi ubi mentio eſt monachorum, qui canonicorum mores, & inſtituta ſequebantur, quos deinde Anſigiſus Abbas ad primam monaſticæ vitæ ſeveritatem revocavit: ſic loquitur. *Clerum nobiliſſime auxit, ac regulari ordine ſecundum egregii patris Benedicti normam, ut vitam degerent multipliciter decertavit. Nam ex deſidia priorum patrum, qui gregis ſibi commiſſi curam minus devote geſſerunt, ſtatus almæ regulæ prædicti patris Benedicti, jam quaſi caſurus videbatur, licet illi, qui Domino militabant*

Digitized by Google

canonico ordine irreprehenſibiliter converſarentur. Ex duobus his locis collige primùm canonicos id temporis ſimpliciter dictos eſſe ſine ulla alia adjectione: alterum eſt, quod præcipue annotatum eſſe oportet, quod in his duobus locis canonici expreſſis verbis diſtinguntur ab iis, qui regularem vitam, id eſt monaſticam vitam profitebantur: quod congruit ſuperioribus proximis Conciliis, in quibus de canonicis & monachis ſtatutum eſt. In his enim canonici ſemper diverſi ſunt ab iis, qui regularem diſciplinam agere inſtituerunt. In Concilio Arelatenſi anno DCCCXIII. *Providendum neceſſe eſt unicuique Epiſcopo, qualiter canonici vivere debeant, necnon & monachi, ut ſecundum ordinem canonicum, vel regularem vivere ſtudeant, ut ait Apoſtolus. Vnuſquiſque, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Canonici & monachi jubentur canonice, & regulariter vivere, quæ duo Arelatenſis canon diſtinguit, illud canonicorum, hoc vero monachorum eſt: tantum igitur abeſt, ut ea ætate canonici regulares eſſent, aut dicerentur, quin immo longe alii & diverſi à regularibus eſſent. Canon XXI. Concilii Maguntiaci ejuſdem anni, hoc etiam diſtinctius docet. *Præcipimus*, inquit, *ut unuſquiſque Epiſcopus ſciat per ſingula monaſteria, quantos quiſque Abbas canonicos in ſuo monaſterio habeat: & hoc omnino ambo pariter provideant, ut ſi monachi fieri voluerint, regulariter vivant: ſin autem, canonice vivant omnino.* Ex hoc loco luce ipſa clarius eſt, eo tempore, id eſt aliquot annos poſt tempora Chrodogangi ſub Caroli-magni principatu nullum omnino canonicum regularem extitiſſe: cum canones duo tantummodo conſtituant hominum genera, qui ſub diſciplinâ vivant, monachos ſcilicet & canonicos: neque tertium eſt aliquod eorum genus, qui quidem vivant canonice & regulariter, & ſint ſimul regulares & canonici, & qui propterea regulares canonici dicantur. Canonicorum quidem alii ſub Epiſcopi auſpiciis agebant, alii, ut diximus, ſub Abbatis regimine, quales fuerunt ab initio canonici ſancti Martini Turonenſis, vel quales erant illi canonici, qui à monachis ad canonicos defecerant, ſeu qui deſertores ſeverioris regulæ faciliorem vitæ tramitem aſſumpta canonicorum diſciplina ingreſſi fuerant. Verum neque his, neque illis diverſa diſciplinæ documenta fuerunt. Patres in Conciliis tradunt, quod modo oſtendimus, & poſtea ampliùs declarabitur. Concilium Remenſe anni DCCCXIII. ſolos canones omnibus in univerſum canonicis præſcribit, & monachis regulam ſancti Benedicti. Sic de utriſque canon octavus & nonus loquuntur, canon quidem octavus eſt de canonicis ſolummodò. *Lecti ſunt canones, ut quiſque canonicus legem vitamque ſuam minime ignoraret, quod omnimodis non expedit, ſicut in decretali legitur Innocentii.* Et canon nonus ſic habet. *Lecta eſt regula ſancti Benedicti, ut ad memoriam reduceretur, Abbatibus minus ſcientibus, ſi qui forte adfuerint, qualiter & ſe & ſuos ſecundum eamdem regulam cuſtodire valerent, atque gubernare.* Etſi præſcribuntur præſertim canones canonicis omnibus, quædam tamen obſervabant inſtituta, & ad eorum formam omnem vitæ rationem ordinabant. Sed non ea diverſa ſunt, quæ canonicis Epiſcoporum, ab his quæ canonicis Abbatum & monaſteriorum traduntur, adeo ut hi regulares canonici, illi ſolummodo canonici dicantur. Sint tibi pro argumento hi duo canones Turonenſis Concilii anni DCCCXIII. Sic habet canon XXIII. *Canonici & clerici civitatum, qui in Epiſcopiis converſantur, conſideravimus, ut in clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimulque in uno reficiantur refectorio, quo facilius poſſint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vitâ & converſatione ſua admoneri & doceri: victum & veſtimentum juxta facultatem Epiſcopi accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi per diverſa vagari, ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur; dimiſſoque eccleſiaſtico officio incipiant indiſciplinatè vivere, & propriis deſervire voluptatibus.* Sic vero ſe habet canon XXIV. qui eſt de canonicis ſub Abbate & in monaſterio agentibus. *Simili modo & Abbates monaſteriorum, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur eſſe, ſollicitè ſuis provideant canonicis, ut habeant clauſtra, & dormitoria, in quibus ſimul dormiant, ſimulque reficiantur, horas canonicas cuſtodiant, victum & veſtitum, juxta quod poterit Abbas, habeant, quo facilius ad Dei ſervitium poſſint conſtringi: ſintque Abbates ſibi ſubditis bene vivendo duces, & prævii viamque demonſtrent, qua recte gra-

diendo ad meliorem vitam pervenire valeant Vides parem ntriſque tradi diſciplinam, parem utriſque præcipi rerum obſervationem, & canonicos ubique ambos tantùm dici, & qui ſub Epiſcopo prope matrem baſilicam in clauſtris agerent, & qui ſub Abbate & præpoſito in monaſteriis canonicorum vitam exercerent: neutros vero regularem vitam actitaſſe, neque alteros regulares appellatos eſſe. Quæ cum ita ſint, aſſerimus Chrodogangum non reſtituiſſe, ſed inſtituiſſe canonicos: id apertis verbis indicat Paulus diaconus. Chrodogangus ipſe non dicit ſe ad inſtitutionem canonicorum inductum eſſe aliquo alterius exemplo, ſed hoc conſilium cepiſſe, cum videret clericos in ſummam negligentiam eſſe delapſos. Ante Chrodogangum nulla canonicorum congregatio in baſilicis majoribus, aliiſque minoribus cernitur, poſt Chrodogangi inſtitutam canonicorum congregationem. In unaquaque majore Eccleſia celebrata ſunt canonicorum collegia & capitula, in Conciliis ſunt decreta de canonicis poſt Chrodogangi ætatem, ſub Carolo-magno nullum prope Concilium eſt, ubi canonicis in diſciplina continendis non edita ſint ſtatuta, immo Concilia ipſa ad hoc ipſum convocata eſſe accepimus; ut canonicorum vitam ordinarent, ut eos ad vitæ clericalis honeſtatem, & ad bonos mores informarent. Fruſtra ſunt igitur, qui ſcribunt canonicorum inſtitutionem fuiſſe ante tempora Chrodogangi. Nonnulli quædam argumenta proferunt, ut ſuam ſententiam confirment: verum ex his quæ libro ſexto paucis à nobis relata ſunt, facile diluas hæc qualiacumque ſunt illorum argumenta. Jam diximus congregationes, quæ hoc tempus præceſſerunt, fuiſſe potius ſeminaria, ubi juniores clerici ad virtutem & Chriſtianam militiam tanquam tyrones informabantur, aut fortuitæ, & ad tempus tantummodo erectæ congregationes clericorum potius, quam perpetua canonicorum collegia uni alicui perpetuò addicta eccleſiæ; ubi vero canonicorum mentio eſt ante hoc Chrodogangi tempus, ſcire oportet tum haberi ſermonem clericorum canonicorum, qui inſcripti canoni Eccleſiæ ſeu matriculæ, quique annonam ab eccleſia recipiebant. Nihil vero moror aut ſcriptores, qui poſt hanc ætatem ſcripſerunt, neque acta poſteriorum temporum. Cum enim poſt Chrodogangum crebræ canonicorum in Eccleſiis congregationes fuerint, ſcriptores de anteactis temporibus & de inſtitutis ſuperiorum temporum, ut ſæpe fit, haud exactè locuti ſunt, & ſuos mores ad antiqua tempora perversè tranſtulerunt. Sed de his ſatis eſt.

V. Neque regulares canonici ſua ducunt initia à Synodo Aquiſgranenſi, in qua de canonicis & de moribus eorum actum eſt; hocque modo mihi exponendum eſt. Etſi canooici à canone Eccleſiarum nomen habent: communi tamen uſu poſtea receptum eſt, ut vulgò canonici à canonibus dicerentur, quoniam iis pro regula canones & decreta Conciliorum erant. Chrodogangus quidem canonicis regulam præſcripſerat: verum eam neque omnes Epiſcopi, neque omnes canonici admittebant, neque penitùs eam admittere poterant. In regula præſcriptum erat, ut omnes canonici non modo in uno clauſtro, ſed etiam in una eademque domo agerent: immo & in uno cubarent dormitorio. Verum neque ſtatim hiſce legibus clerici ſe ſubjecerunt, neque Epiſcopis ſtatim promptum fuerat ædes comparare, aut etiam fundos & redditus canonicis ſuppeditare, quibus canonici alerentur. Neque Epiſcopi, quibus id integrum erat vincere animos omnium, & omnes ad communem vitam compellere potuerant, cum præſertim regula Chrodogangi vim & auctoritatem legis non haberet, & canones, quos canonici pro regula admittebant, diſperſi in pluribus Conciliis, neque in unum collecti eſſent. Cum res in eo ſtatu eſſent, placuit quibuſdam Epiſcopis rogare Ludovicum Imperatorem, ut frequentem cogeret Synodum, ubi Epiſcopi duas res pro rebus canonicorum ordinandis exequerentur. Primùm quidem ut Pontifices colligerent in unum ſententias ex ſanctis Patribus, & decreta ex Conciliis, quæ ad vitam clericorum inſtituendam pertinerent, & ex his librum deſcriberent, quem clerici facile compararent, rati ſcilicet id his utiliſſimum fore, ut pote, qui haberent id in uno libello, quod ſparſim legitur in pluribus libris, & pluribus Synodis: alterum erat, ut Epiſcopi ad cano-

nicorum vitam recte inſtitueudam quaſdam præſcriberent regulas, quæ vim legis eccleſiaſticæ haberent, & ad quarum normam vita omnis canonicorum ordinaretur. In eum modum igitur Aquiſgrani anno DCCCXVI. ut habent acta, aut anno DCCCXVII. ut habent antiqui horum temporum annaliſtæ, habitum eſt Concilium, ubi hæc duo, quæ diximus, Imperator ab Epiſcopis fieri præcepit, quæque non modo ex actis ipſis colliguntur, ſed & in ipſa præfatione verbis expreſſis continentur. *Adjunxit* Imperator *etiam monendo, ut quia canonicorum vita, ſparſim in ſacris canonibus, & in ſanctorum Patrum dictis erat indita, propter ſimplices quoſque minuſque capaces, aliquam ex eiſdem ſacris canonibus & ſanctorum patrum dictis, inſtitutionis formam pari voto, parique conſenſu excerperent, per quam patenter prælatorum & ſubditorum vita monſtraretur, quatenus omnes, qui canonica cenſentur profeſſione, per vicem propoſiti ſui inoffenſo greſſu incederent, & in Chriſti militia devotiùs unanimes, & concordes exiſterent.* Non vero illæ ſententiæ, è ſanctis Patribus ab Epiſcopis deſcriptæ ſunt, neque leges canonicis præſcriptæ, quod diſciplina canonica peſſum ire cœpiſſet; ſed ut regulæ & inſtituta canonicorum, quæ ſibi quique præſcripſerant communi lege ſervarentur, & publicâ firmarentur auctoritate. *Suſcipientes*, inquiunt Epiſcopi, *libentiſſimè, hilariterque ejus ſaluberrimam multis modis Deo miſerante profuturam admonitionem, licet plerique auxiliante Chriſto devotè ac religiosè cum ſibi ſubjectis canonicam ſervent inſtitutionem, & in pleriſque locis eadem ordo pleniſſimè ſervetur, omnium tamen id animis ſedit, ut ſecundum ejuſdem Principis admonitionem, unà divino freti auxilio, ejuſdem piiſſimi Principis non modico adjuti juvamine, ejus videlicet liberaliſſimà largitione copiam librorum præ manibus habentes ex canonica auctoritate, & ſanctorum Patrum dictis, veluti ex diverſis quoſdam floſculos carpentes, hanc inſtitutionis formam excerperent, & canonicis obſervandam conferrent: ut quorum forte labore ob tarditatem ingenii, ſeu inopiam librorum, ſparſim digeſta difficile comprehendi poſſet, ſolerti ſtudio in eodem opere breviter congeſta perfacile ab iis reperiri poſſet, per quam, ut præmiſſum eſt, & prælati recto tramite incedere, & ſubditis normam vivendi abſque ignorantiæ obſtaculo ſalubriter noſſent præbere.* Ex his verbis liquidò patet non his regulis, quæ in Aquiſgranenſi Concilio canonicis traditæ ſunt, diſciplinam canonicæ vitæ emendatam fuiſſe, cum plerique canonici devotè & religiosè præſcriptam inſtitutionem ſervarent, & in pleriſque locis ordo canonicus *pleniſſime ſervaretur*; ſed ut, quæ inter ſcripta Patrum, & quæ inrer diverſorum Conciliorum canones de clericis decreta eſſent, in unum corpus redigerentur, ad manum omnibus eſſent, iiſque præſertim, quibus deeſſet copia librorum. Deinde Patres in eadem Synodo quaſdam conſcripſerunt regulas canonicis obſervandas: ut eas non modo eccleſiaſticâ, ſed ut eas etiam regiâ munirent auctoritate. Illæ vero regulæ plerumque è Chrodogangi regulâ decerptæ ſunt, & interdum in quibuſdam locis de ſeveritate ejus regulæ nonnihil Epiſcopi remittunt. Exempli gratia Chrodogangus præcipit, ut canonici omnes in uno dormitorio ſomnum capiant: Aquiſgranenſe Concilium ſuas cuique canonicorum manſiones attribuit. In eâ igitur Synodo, non facta eſt reformatio vitæ canonicorum, ſed publica promulgatio regulæ, quæ nondum ab Eccleſia Gallicana in univerſum recepta fuerat, neque eccleſiaſticâ & regiâ auctoritate confirmata. Unde intelligis, quam malè nonnulli ab ea Synodo ducant originem regularium canonicorum, & alii aſſerant canonicorum primam inſtitutionem, à qua canonici longè deflexerant, à Patribus Aquiſgranenſis Concilii reſtitutam eſſe. Verùm, ut certiùs hæc, quæ inquirimus initia reperiamus, inveſtigandum nobis eſt, quo in ſtatu res canonicorum ſæculo undecimo verſarentur.

LIB. XI. CAP. VIII

VI. Jam multoties annotatum eſt hâc temporum licentiâ clericos plerumque à canonicâ honeſtate & diſciplinâ plurimùm excidiſſe, neque modo clericos, ſed monachos ipſos præſcriptam ſibi à patribus, auctoribuſque ſuis regulam deſeruiſſe & in licentiorem vitam delapſos eſſe: quomodo vero ad priſtinos mores in pluribus locis revocati ſint, antea diximus. Neque diffitemur ex hac illius ætatis pravitate canonicos pariter labem quamdam contraxiſſe, conſtat tamen in pluri-

bus eccleſiis canonicos nonnihil priſcæ conſuetudinis & antiquæ honeſtatis retinuiſſe. Nonnulli quidem ſui temporis pravis moribus ſe abripi paſſi ſunt; adeo enim hac infeliciſſima ætate corruptela graſſabatur, ut quaſi torrens ruptis molibus oppoſitis optimum quemque in tranſverſum raperet, & vix aliqui periculum evaderent. In aliquot canonicorum collegia ſimoniæ vitium irrepſiſſe ex actis illorum temporum didicimus; ſed Eccleſiam Pariſienſem hac labe infectam fuiſſe non accepimus. Inſignes Epiſcopi qui his fermè temporibus Pariſienſem Eccleſiam rexerunt, haud ſinunt nos in eam venire ſuſpicionem: nota eſt Reginaldi Pariſienſis Epiſcopi pietas, & ſanctæ ejus conſuetudinis inſtitutio, qui à patre ſanctiſſimo prognatus paternos mores æmulari ſtuduit. Franconis pariter nota eſt religio, qui bonis artibus ex decanatu Eccleſiæ Pariſienſis ad Epiſcopatum Pariſienſem aſcendit. Imbertum, qui ſecutus eſt, generis amplitudine, & morum nobilitate claruiſſe certum eſt. Godefridus huic ſucceſſit: quanti pietatem faceret & diſciplinam Eccleſiæ tectam ſartamque eſſe vellet, ipſe oſtendit, quando Galeranuum Præcentorem Eccleſiæ Pariſienſis è monaſterio ſancti Martini Campenſis etiam reluctantem revocavit; oſtendit pariter his donationibus, quibus Cluniacenſes & Beccenſes monachos ſæpius affecit. Guilelmi ejus ſucceſſoris pietas & religio commendata eſt laudibus Ivonis Epiſcopi Carnotenſis, qui hac ætate diſciplinæ eccleſiaſticæ vindex & morum acerrimus caſtigator habebatur. Fulconem Paſchalis ſummus Pontifex ſcriptis ad clerum Pariſienſem litteris magnopere commendavit. Galonem, quæ diximus, quæque alias ſumus dicturi, religione clarum & ſeverioris diſciplinæ fuiſſe defenſorem probant, & elogia quibus eum exornare non veriti ſunt clara ſui temporis lumina Ivo Carnotenſis & Anſelmus Cantuarienſis Pontifex. Decanos quoque & alios, ut honoribus, ita & virtutibus præfulſiſſe in Eccleſia Pariſienſi, Eccleſiæ illius monumenta teſtantur. Franco & Fulco Decani Pariſienſes fuerunt, qui bonis artibus Pariſienſem cathedram conſequuti ſunt, & inter decora Eccleſiæ Pariſienſis numerare licet Galonis Epiſcopi electionem; non enim aut natalium ſplendore, neque Principis gratiâ, ſed ſolummodò virtutum ſuffragio ad cathedram Pariſienſem advocatus eſt; in quo negotio ambiguum eſſe dixeris, an electi, an eligentium major laudatio ſit? cum ille honores mereretur, hi honores merentem votis conſentientibus Epiſcopum appellaverint. Sed ne videar etiam diſſimulare nævos Eccleſiæ Pariſienſis, nolim affirmare unumquemque penitùs à vitiis horum temporum abhorrentem fuiſſe: cum præſertim habeatur epiſtola Alexandrii PP. II. in qua Joſcelinus Archidiaconus Eccleſiæ Pariſienſis à ſummo Pontifice arguitur, quod pecuniâ hunc honorem fuerit conſecutus, & quod iiſdem pravis artibus ſibi ad Sueſſionenſem Epiſcopatum gradum facere voluerit: quam ob cauſam vetat ſummus Pontifex, ne à Gervaſio Remenſi Archiepiſcopo ordinationem accipiat. *Et quanquam*, inquit Alexander, *admonitione non videaris egere, te tamen admonemus, atque præcipimus, ut Ioſcelinum Sueſſionenſi Eccleſiæ non conſecres Epiſcopum, qui archidiaconatum ſimoniace obtinuiſſe non contentus epiſcopari etiam pecunia contendit.* (Alex. epiſt. 18.) Etſi hoc eruimus ex litteris Alexandri II. ſummi Pontificis, vix tamen adducor ut credam Joſcelinum in hanc perniciem incidiſſe, quippe qui monaſterio ſancti Martini de Campis piam fecerit donationem & proprium allodium conceſſerit, quod quod ſupra à nobis memoratum eſt. Sic ſe habet donatio. *Noverint univerſi, quoniam Dominus Ioſcelinus Archidiaconus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ altare Campennini, & unum Penthini allodium, de redemptione animæ ſuæ ſollicitus, Eccleſiæ ſancti Martini tradidit. Quod donum, ut permaneret, aſſenſu atque favore fratris ſui Vdonis confirmavit. Qui etiam Vdo tam reſpectu divino, quam fratris precibus devictus, decimam ejuſdem allodii, quæ juris illius erat, præfatæ Eccleſiæ ſubrogavit. Actum anno regni Philippi Regis ſeptimo, indictione quarta. Signum Vvidonis &c.* Ex hâc charta apparet Joſcelinum pietate & religione præditum fuiſſe. Oportet igitur eum aut falsò accuſatum eſſe, aut certè reſipuiſſe. Ceterum unum aliquem in Eccleſia Pariſienſi, non eſt, quod quis miretur, hoc affectum eſſe & convaluiſſe ex morbo, qui univerſam penè Eccleſiam tamquam publica lues

LIB. XI. CAP. VIII

infecerat, cum eccleſias integras, & inſignia collégia hoc vitio non tam infecta, quam penitùs corrupta fuiſſe deprehenſum ſit: cum in una Synodo Lugdunenſi XLV. Epiſcopos ob eam pravitatem è ſedibus dejectos fuiſſe horum temporum acta commemorent. Non certe unius ob noxam, ſi qua tamen fuit, condemnanda eſt tota Pariſienſis Eccleſia, quæ vel eo tempore, quo publicus morbus graſſabatur, magnis viris abundavit. Quamquam Eccleſiæ Pariſienſis clerici & canonici inprimis non in ea vitia inciderunt, quæ temporum illorum pernicies attulerat, haud tamen poſſum negare etiam quamdam ex communi temporum morbo labeculam eos contraxiſſe. Canonici ſcilicet Eccleſiæ Pariſienſis à primæva ſeveriorique inſtitutione pauliſper deſciverant. Qui enim antea, ut prius memoratum eſt, clauſtro includebantur, qui vix quemquam ſuis ædibus recipiebant, qui communi menſâ utebantur, id temporis nullis ſe ſeptis includi patiebantur, in ſuis ædibus privatim veſcebantur, & quoſvis vel convictores admittebant. Hæc omnia patent ex his, quæ de Abaelardo, & de Fulberto canonico Pariſienſi memorata ſunt. Sequenti tomo referemus, quomodo canonici Pariſienſes antiquam reſtituerint canonicam diſciplinam, & antiqua receperint inſtituta, ut ſe denuo cœperint clauſtris munire, in commune veſci, & communibus ferculis in eadem uti menſa, & penitùs omnes laicos è ſuis ſeptis abigere. Sed cum illa reſtitutio ortum inprimis habuerit à canonicis regularibus, ut dicemus inferius, qui hoc tempore novam canonicorum ordinarionem inſtituerunt, & more cœnobitarum vivere: & hi condere cœnobium in Victorinis ædibus cœperint, habuerintque exordium à Guillelmo Campellenſi. De novâ hac inſtitutione primo dicam, ac deinde prima exordia domus Victorinæ referam.

VII.

Haud facile dictu eſſe cenſeo, quæ ſit præcisè origo regularium canonicorum, cum eorum nullus certus auctor inſtitutorque dicatur, nec ſingulæ familiæ canonicorum, quæ primùm undecimo ſæculo cœptæ ſunt, unum aliquem conditorem agnoverint, nec quæ in pluribus locis ſocietates canonicorum regularium erectæ ſint, ab una aliqua domo, tanquam examina, profectæ reperiantur, ſed ſingulæ pro perſonarum conditione, temporum, locorum, rerumque opportunitate ordinatæ ſint. Hoc igitur tam incertum eſt, quam certum canonicorum regularium exordia undecimo ſæculo incepta eſſe. Abaelardus annis prioribus ſæculi XII. ſcribens, dixit expreſſis verbis eorum inſtitutionem novam eſſe. *Cur & vos ipſi canonici regulares? à vobis ipſis noviter appellati, ſicut & noviter exorti, magno ambitu murorum clauſtra veſtra ſepientes more monachorum, ab illecebris & tentationibus ſæculi manetis diviſi?* Verum vel hoc undecimo ſæculo plures hujuſce novæ inſtitutionis varia tradunt initia. Sunt qui à ſancti Rufi canonicis regularium canonicorum initia ducant, quos in regularem congregationem coaluiſſe anno MXXXVIII. Avenionenſis hiſtoria narrat ſub Benedicto I. Avenionenſium Epiſcopo, qui quatuor canonicis ſuæ Eccleſiæ, Arnaldo, Odiloni, Pontio, & Durando Abbatiam ſancti Rufi, quæ in ſuburbanis erat, donavit, ut eo in loco erigerent novam canonicorum regularium congregationem; addit auctor illius hiſtoriæ haberi acta hujuſce donationis, in quibus horum canonicorum nomina recenſentur. Charta ſancti Martini Campenſis memorat anno MLX. factam eſſe ab Henrico Rege donationem hujus loci canonicis regulari converſatione Deo famulantibus: quibus verbis ſignificantur canonici regulares, & charta dedicationis hujus eccleſiæ, quæ celebrata eſt anno MLXVII. canonici dicuntur *cœnobialiter viventes*, quoniam in commune vitam agebant, & in morem cœnobitarum. Marlotus Remenſis hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptor aſſerit canonicos Dionyſianos, qui regulares ſunt jam Remis inſtitutos eſſe anno MLXVII. quod & allatis documentis veteribus approbat. Adducit enim chartam ipſam, quæ eo anno, quem diximus, deſcripta eſt, in eaque hæc leguntur verba. *Eccleſia itaque meo ſumptu, & labore ad integrum reſtituta, cum diverſis ædificiis ad neceſſitatem fratrum accommodatis, canonicos ibidem ad laudem Dei conſtitui, beati Auguſtini regulam ordinemque profitentes.* Sic in ea charta loquitur Gervaſius Archiepiſcopus Remenſis auctor illius do-

Abaelard. Epiſt. ad canonic. regul.

nationis. Ex his aliiſque Marlotus colligit Dionyſianos canonicos Remenſes *in Galliis vetuſtiores eſſe, qui Auguſtinianæ regulæ jugo collum ſubjecerunt.* Quidam nihilominus primam regularium canonicorum inſtitutionem tribuunt Ivoni, qui apud Bellovacos canonicos regulares in Eccleſia ſancti Quintini primum congregavit, utunturque teſtimonio antiquæ editionis Sigeberti, ubi ad annum MLXXVIII. hæc verba legas. *Ab hoc tempore cœpit reſlorere in eccleſia beati Quintini Belvacenſi canonicus ordo, primum ab Apoſtolis, poſtea à beato Auguſtino Epiſcopo regulariter inſtitutus, ſub magiſtro Ivone venerabili ejuſdem eccleſiæ præpoſito, poſtea Carnotenſium Epiſcopo.* Hæc ex editione Pariſienſi anno MDXIII. quo primum chronicon Sigeberti editum eſt: quæ non reperta ſunt in ſinceris exemplaribus illius ſcriptoris, ut patet ex accurata editione, quam ex ipſo auctoris autographo ſe typis excudiſſe aſſerit Aubertus Miræus, qui hoc Sigeberti chronicon Antuerpiæ in lucem protulit anno MDCVIII. Neque illa additio decerpta eſt ex Roberto de Montibus Sigebertini chronici continuatore, ut licet advertere ex illa illius ſcriptoris continuatione, quam Lucas Dacherius ad calcem operum Abbatis Guiberti adjecit, & ex ejus acceſſionibus ad Sigebertum. Unde igitur in primam editionem hæc verba de Ivonis inſtitutione irrepſerint, haud dixero. Intelligis ex his omnibus incertam eſſe originem canonicorum regularium. Verumtamen conſtat hanc novam inſtitutionem cœptam eſſe ſæculo XI. ſed longe difficillimum eſſe, vel tempus, vel ipſum novæ inſtitutionis locum aſſignare, cum præſertim hujus inſtitutionis diverſæ fuerint ſodalitates & familiæ, quas non ab uno aliquo capite profectas eſſe agnoſcimus. Cum enim ineunte hoc XI. ſæculo viri aliquot, quos pietas & religio afficiebat, à clericis proſpicerent non cuſtodiri præcepta canonum, & ipſos à priſcâ canonicorum obſervatione longe deflexiſſe, inquirere inter ſe cœperunt qua ratione hæc damna repararent, & quomodo ſalubria malis graſſantibus adhiberent remedia. Inquiſitum eſt inprimis in cauſas graſſantis mali: proclivem animum hominum in malum eſſe invenerunt, euntemque ſæpius non quò ratio & æquum eum ducerent, ſed quò præceps impetus eum raperet, quò immoderati affectus eum pertraherent, ſæpius eò ruere, quò habendi cupiditas, honorum voluptatumque libido eum impellerent; ea vero tanquam frænis coercenda eſſe: quapropter re accurate expensâ & diligenter diſcuſsâ in hanc diſceſſerunt, ſententiam clericos eſſe quibuſdam vinculis conſtringendos, ne extra rectæ rationis limites evaderent, ſed potius religionis Chriſtianæ ſeveriora inſtituta inviolatè cuſtodirent. Viſum eſt igitur habendi vehementius deſiderium voluntariâ paupertatis ſponſione eſſe refrænandum, honorum dignitatumque ambitum votivâ rerum ſæcularium abrenunciatione eſſe coercendum, libidinem, aliaſque cæcas voluptates caſtitatis & continentiæ devotione eſſe propellendas: & ne cæcæ voluntatis impetus in tranſverſum eos ageret, cenſuerunt eam arctiore obedientiæ vinculo eſſe conſtringendam. Quomodo vero ea præſcripta ſint canonicis, qui ob eam cauſam regulares dicti ſunt, breviter memorare aggredior.

VIII. Anno DCCCXVI. celebratum eſt Aquiſgrani Concilium, in quo, ut mox à nobis annotatum eſt, maxime de canonicis actum eſt, & de regula ipſis præſcribenda. In eâ regulâ etſi haud pauca ſunt, quæ manifeſtè reperiuntur eſſe decerpta ex ipsâ ſancti Benedicti regulâ, quædam tamen ab eâ penitus aliena ſunt. Exempli gratia in regulâ Aquiſgranenſis Synodi facta eſt canonicis poteſtas utendi lino, veſcendi carnibus, dandi & accipiendi, proprias res & Eccleſiæ poſſidendi, quod prorsùs prohibitum eſſe monachis omnes noverunt. Sic Aquiſgranenſe Concilium loquitur cap. CXV. *Quamquam enim canonicis, quia in ſacris canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus veſci, dare & accipere, proprias res & Eccleſiæ cum humilitate & juſtitia habere, quod monachis, qui ſecundum regularem inſtitutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum eſt: non tamen in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus, eorum à monachorum diſtare debet vita.* Et in capite XX. *Ea quoque traduntur, quæ nuſquam monachis permiſſa ſunt. Proinde qui & ſuas & Eccleſiæ habent facultates, & utilitatem*

Eccleſiæ, aut interiùs aut exteriùs conferunt, accipiant in congregatione cibum & potum, & partes eleemoſynarum, & his contenti ſint, ne plus accipientes, pauperes gravare videantur &c. Licebat igitur canonicis in partem oblationum, ſeu eleemoſynarum venire, quod non pariter monachis licitum erat. Poſt Concilium Aquiſgranenſe diſciplina Eccleſiæ ſæculo ſequenti longè collapſa eſt, ſacra profanaque, quod ſæpe diximns ſævientibus vitiis permixta ſunt. Sæculo vero undecimo, cum exemplum monachorum Cluniacenſium, & ipſius Roberti Regis eximia pietas complures ad meliorem ſanctioremque diſciplinam adduxiſſent, quidam clerici, ſeu magis, canonici factâ unanimiter congregatione vitam ſeveriorem profeſſi ſunt ſub unius Abbatis, aut præpoſiti regimine. Ii quædam ſeligere ex regulis & moribus monachorum, & quædam ex inſtitutis canonicorum conſervare; lino iis uti conſuetum & carnibus veſci, hæc aliaque ejuſmodi habuerunt, quædam etiam mutuati ſuot à monachorum regulis. Illi eoim quippiam proptium poſſidere flagitium eſſe putaverunt, & propoſitum converſionis, quemadmodum monachi, publica ſollemnique ſponſione ediderunt: uode & canonici, & regulares dicti ſunt, deductâ appellatione à monacbis & canonicis. Exiſtimo autem primùm in quibuſdam congregationibus canonicorum, qui olim è monachis ad canonicos defecerant, id contigiſſe, & poſtea ad eorum exemplum à clericis quibuſdam coalitâ in unum ſocietate ejuſmodi congregationes conflatas eſſe: id vero primùm in Galliis factitatum eſt, & congregationem ſancti Rufi Avenionenſis bis primis temporibus ortum habuiſſe exiſtimo, & alias ſimiliter familias erectas ad illius aut aliarum, quæ oon nobis notæ ſunt, exemplum. Hæc autem nova inſtitutio quibuſdam quæſtionibus dedit locum, illæqne inprimis in Italia agitatæ ſunt, cum in unâ eademque canonicorum congregatione, alii ſnis facnltatibus uti, in propriis ædibus commorari, & alia more canonicorum ſui temporis agere vellent; aliis vero nihil proprium, ſed omnia in commnne poſſidere, & vitam regularem in morem cœnobitarum agere propoſitum eſſet. Extat epiſtola Petri Damiani lib. v. ad clericos Fanenſis eccleſiæ, quæ his verbis incipit. *Diu eſt, dilectiſſimi, quod in his partibus fama vulgavit, non parvæ ſimultatis inter vos emerſiſſe diſcordiam, ob id videlicet, quia nonnulli veſtrum aggrederentur in canonica regula vivere, plerique autem non acquieſcerent, volentes tantum apud ſe in ſuis proprietatibus habitare. Quod quidem non miramur, quia rarum non eſt: ſed dolemus potius, quia inhoneſtum eſt; ſatis enim videtur abſurdum, ut clerici quis prætendat in ordine ſpeciem, & ſæcularium tenere vivendo converſationem: & quem à laicorum turbis profeſſionis conditio ſeparat, turpe eſt, ſi vel domeſtica converſatio, vel peculii abominanda proprietas laicum eſſe demonſtrat.* Et iterum ioferius. *Plane quo pacto quis valeat dici canonicus, niſi ſit regularis? quomodo monachus, niſi juxta vim ſui nominis; ſit etiam ſingularis? Volunt ſi quidem canonicum, hoc eſt, regulare nomen habere, ſed non regulariter vivere. Ambiunt communia Eccleſiæ bona dividere, aſpernantur autem, apud Eccleſiam communiter habere. Enimvero non eſt hæc primitivæ Eccleſiæ forma; ſatis exorbitat ab inſtitutionis apoſtolicæ diſciplina, quibus nimirum erat cor unum, & anima una, & vendebant agros, ponebantque pretia ad pedes Apoſtolorum, & dividebant ſingulis, prout cuique opus erat: nec quidquam eorum, quæ poſſidebat aliquid, ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, & quæ ſequuntur.* Patet occaſiooe regularium canonicorum, qui oefas ducebant quidquam proprii poſſidere, Petrum Damiani adbortatum eſſe canonicos Fanenſes ad communem vitam, ad relinquendas facultates, & ſpes ſæculi penitus abjiciendas; quamobrem banc eamdem epiſtolam his verbis concludit. *Quapropter chariſſimi,* inquit, *ſi vultis in populo Dei, quibus ad exemplum præpoſiti eſtis, inter vos lucetis quaſi luminaria in mundo, verbum vitæ continentes; ſi vultis, inquam, inter eos animarum lucra conquirere; ſi errantes, ad religionis libet rectitudinem provocare, in vobiſmetipſis prius, ſi quæ ſunt obliqua, dirigite, & ad ſcholam Chriſti ſimul convenientes, in communione vitæ, & unione ſpiritus concorditer permanete. Non inter vos diviſio ſit domorum, non ſciſſura mentium, non diverſitas facultatum.* Extat & altera epiſtola ejuſdem auctoris ad Alexandrum II. PP. ubi invehitur acerrimè in clericos, ſeu potius canonicos, qui ſolebant peculium ſervare; cum vero canonici *Lib. 1. Epiſt. 18.*

LIB. XI. CAP. IX. dicerent id licitum ſibi eſſe ex regula canonicorum, id adverſari aſſerit communi veterum Patrum ſententiæ, advocarque ſummi hujus Pontificis auctoriraræm, ut pravam hanc conſuetudinem emendet. Alexander PP. II. in Concilio Romano anno MLXIII. bis coovenientia decreta ſancivit cap. IV. *Præcipienees ſtatuimus, ue hi prædictorum ordinum, qui iiſdem prædeceſſoribus noſtris obedientes caſtitatem ſervaverint; juxta Eccleſias, quibus ordinati ſunt, ſicut decet religioſos clericos, ſimul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſia competit, communiter habeant, & rogantes monemus, ut ad apoſtolicam communem vitam ſummopere pervenire ſtudeant, quatenus perfectionem conſecuti cum his, qui centeſimo fructu ditantur, in cæleſti patriâ mereantur adſcribi.* Ex his, quæ retulimus, quiſque facile intelligit regulares canonicos ſæculo undecimo exortos eſſe; neque unum aliquem ducem & auſpicem babere; neque omnes congregationes unam aliquam familiam agnoſcere, unde ortæ ſint; bas canonicorum regularium congregationes inſtitutas eſſe ad mores clericorum, ſed maxime canonicorum reformandos; eorum vitam ordinatam maxime fuiſſe ad morem cœnobitarum, ita ur communi domo, communi menſâ, communibuſque bonis uterentur, nihil proprii ſibi retinerent, veſcerentur tamen carnibus, & linum induerent. Hi vero ſancti Auguſtini regulam ſequi ſe, & obſervare profitentur, ſeque hujus ſanctiſſimi præſulis diſcipulos eſſe gloriantur.

IX. Ea certe inſtitutio haud parum contulit reſtituendæ clericorum diſciplinæ; ſtatim enim collegia in pluribus locis excitata ſunt: complures ſanctioribus ſtudiis incitati buic familiæ nomen dederunt; quidam novas ædes condere, & dotare ad novos iocolas recipiendos: alii novas colonias inſtituere & ſe canonicorum regularium duces & magiſtros in quibuſdam locis profiteri; unde mirum in modum hac ætate illæ coogregationes propagatæ ſunt. Sed inter collegia regularium canonicorum longè celeberrimum hoc, quod in ſuburbanis Lutetiæ Pariſiorum cœptum eſt ſub auſpiciis Guilelmi Campelleoſis, de quo antea plura dicta ſunt. Cum bæc nova colonia pietate, doctrina aliiſque ornamentis jam à principio decorara ſit, & piis doctiſque hominibus tanquam lucidis ſyderibus effulſerir, antequam huic volumini finem imponam, de ejus initiis quædam referre oportet.

CAPUT IX.

De Guilelmo Campellenſi, & de ejus ſeceſſione. De initiis domus ſancti Victoris, de nova inſtitutione canonicorum regularium illius loci, & de eorum fundatione, & primo eorum Abbate.

I. ETſi eccleſia ſancti Victoris antiquorum monimentis magnopere commendata eſt, & præclara fuerunt hujus Abbatiæ decora; prima tamen initia haud ita nora ſunt. Primus hujus domus auctor & ioſtitutor dicitur Guilelmus Campellenſis, de quo plura jam memorata ſunr. Ex Abaelardo & actis publicis accepimus eum ſub Galonis epiſcopatu fuiſſe Archidiaconum Eccleſiæ Pariſieoſis, oec Abaelardus modo, ſed nonnulli etiam illius ætatis ſcriptores illum ob ſingularem doctrinam celebrant; & præcipuè, quoniam rhetoricam, dialecticam, & litteras ſacras magna cum laude Pariſiis plures annos docuit. Abaelardus fatetur eum famâ & doctrinâ aliis magiſtris & profeſſoribus ſui temporis præſtitiſſe: aliàs ſignificat eum celebritate ſcholæ, & numero diſcipulorum floruiſſe: diximus anteà eum cum Galone Epiſcopo Pariſienſi ſub-

ſcripſiſſe chartæ quâ puellas propter corruptos mores è ſancti Eligii monaſterio ejicit. Idem ille Guilelmus Archidiaconus ſubſcripſit chartæ Galonis, quâ donat monaſterio ſancti Martini de Campis quatuor altaria. Data eſt eodem anno. Anno vero M C V I I I. Guilelmus Campellenſis amore religionis accenſus ſeveriorem vitæ diſciplinam inſtituit & relicto archidiaconatu Pariſienſi regularium canonicorum inſtituta ſectari cœpit. Erat in ſuburbanis Lutetiæ capella quædam ſub nomine ſancti Victoris Martyris Deo dedicata, in epitaphio Ludovici VI. Regis locus ille appellatur vetus cella, ubi erat capella ſancti Victoris. Albericus Ciſtercienſis ordinis ſcriptor ad annum M C X X I X. dicit olim fuiſſe cellam monachorum Maſſilienſium, in quorum locum ſucceſſiſſe memorat canonicos regulares de ſancto Rufo de Valentia, quos ait ab Hugone accitos eſſe. *Domus*, inquit, *ſancti Victoris quæ erat prioria nigrorum monachorum de Maſſilia ejectis prædictis monachis, adductus eſt conventus regularium de ſancto Rufo de Valentia per M. Hugonem, qui dictus eſt de ſancto Victore, & de Regis auctoritate, & ita multiplicata religione habet ordo iſte bene triginta Abbatias & pluſquam octoginta priorias.* Erſi autem ille id affirmat, canonici tamen Victorini haud fatentur uſquam fuiſſe monachorum Maſſilienſium cellam; certè id nullis veteribus monimentis approbes. Albericum puto in hanc ſententiam induxit nomen ſancti Victoris martyris: neque id verum eſt, quod Albericus narrat, Victorinam congregationem ortum habuiſſe è canonicis de ſancto Rufo è Valentia, neque id actis antiquis conſignatum reperimus. In ea porro cella recluſum monachum & recluſam ſeorſum degere ſolitam aſſerunt: quin etiam addunt, paulo antequam ſe Guilelmus hûc reciperet, mortem oppetiiſſe Baſillam virginem recluſam, quæ in capella veteri ſancti Victoris ſepulta eſt, hancque capellam modo vocitatam dicunt capellam ſancti Sebaſtiani, narrantque ſepulchrum illius virginis noſtra ætate in ea repertum cum hac inſcriptione. *Hic jacet ante piam Baſilla recluſa Mariam.* Hæc illius domus antiqua traditio eſt. Quidquid fuerit, certum eſt non ab Hugone inductos in eum locum canonicos regulares, ſed à Guilelmo Campellenſi, quod Abaelardus in hiſtoria ſuarum calamitatum apertè teſtatur his verbis. *Elapſis autem paucis annis*, inquit, *cum ex infirmitate jamdudum convaluiſſem, præceptor meus ille Guilelmus Pariſienſis Archidiaconus, habitu priſtino commutato ad regularium canonicorum ordinem ſe convertit, ea, ut referebant, intentione, ut quo religioſior crederetur, ad majorem prælationis gradum promoveretur; ſicut in proxime contigit, eo Catalaunenſi Epiſcopo facto. Nec tamen, hic ſuæ converſionis habitus, aut ab urbe Pariſiaca, aut à conſueto philoſophiæ ſtudio eum revocavit: ſed in ipſo quoque monaſterio, ad quod ſe cauſa religionis contulerat, ſtatim more ſolito publicas exercuit ſcholas &c.* His conſona ſunt, quæ ſcribit Robertus de Montibus monachus Gemmeticenſis, qui Sigeberto additiones, & appendicem ſubjecit, quem Dacherius ad finem operum Guiberti Abbatis edidit; ille in opuſculo, quod ſcripſit de immutatione ordinis monachorum, ſic loquitur de monaſterio ſancti Victoris Pariſienſis. *Eodem tempore magiſter Vvilelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus, vir admodum litteratus, & religioſus, habitum canonici regularis aſſumens, cum aliquibus diſcipulis ſuis extra urbem Pariſienſem in loco, ubi erat quædam capella ſancti Victoris martyris, cœpit monaſterium clericorum. Aſſumpto autem illo ad Epiſcopatum Catalaunenſium, venerabilis Gelduinus diſcipulus ejus, primus Abbas ibi factus eſt, ſub cujus regimine multi clerici nobiles ſæcularibus, & divinis litteris inſtructi, ad illum locum habitaturi convenerunt, inter quos magiſter Hugo Lotharienſis & ſcientia litterarum, & humili religione maximè efforuit. Hic multos libros edidit; quos, quia vulgo habentur, non oportet enumerare.* Pudet me noſtratium, qui exordia tam celebratæ domus, ubi litteræ conjunctæ cum ſumma pietate maximè floruerunt, commendare memoriæ neglexerunt: adeo, ut neceſſe ſit vel ad externos ſcriptores confugere, vel quædam fragmenta undequaque colligere, ut ejus originem qualitercumque referamus.

Guilelmus Campellenſis igitur collectis quibuſdam è ſuis diſcipulis, qui pie- II.
tate inprimis & religione valebant, in ſuburbana urbis ſeceſſit, habitumque &

LIB. XI
CAP. IX.

diſciplinam regularium canonicorum ſuſcepit: ille quâ præditus pietate & doctrina, aliiſque virtutibus erat ornatus, novæ congregationi præerat, & ipſe philoſophiam Chriſtianam magis operibus & factis docebat, quam ſermonibus. Cum vero ſingularem in ſcholis laudem fuiſſet conſecutus, permulti dolebant ereptum ſummum magiſtrum, & ejus ſeceſſionem publico damno cœptam eſſe palam conquerebantur; hortari eum cœperunt, ut non cum tanto aliorum detrimento ſibi conſuleret, neque reconderet illa bona, quæ Deus ut aliis diſtribueret, abunde & liberaliter illi contulerat. Extat epiſtola Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi, qua illi morum converſionem gratulatur, laudatque, quod veram ſit philoſophiam amplexus, quod repudiatis eccleſiaſticis honoribus humilem & abjectam, ſed ſanctiorem vitam degere maluerit. Sub finem epiſtolæ eum admonet, ne tamen à docendo abſiſtat, neque ob eam cauſam abnuat aliis proficere. Sed ecce tibi ipſam deſcribimus epiſtolam. *De converſione & converſatione tuâ lætatur & exultat anima mea, illum proſequens actione gratiarum, cujus muneris eſt, quod nunc tandem philoſophari decreveris: nondum quippe redolebas philoſophum, cum ex acquiſita philoſophorum ſcientia, morum tibi minime depromeres venuſtatem: nunc autem ſicut ex lance mellis dulcedinem, ſic ex ea bene agendi formulam expreſſiſti. Hinc eſt quod eccleſiaſticis dignitatibus omiſſis elegiſti abjectus eſſe in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hinc eſt quod ambitioſam ſupellectilem inexorabili odio proſequeris, quod inſtitoriam abdicas lectionem, quod magnum quæſtum judicas pietatem cum ſufficientia; hinc denique eſt quod intra fines virtutis totum te colligis, quod de vita tua cum natura non deliberas, minus attendens quid caro poſſit, quam quid ſpiritus velit; hoc vere philoſophari eſt: ſic vivere magnum jam cum ſuperis eſt inire conſortium; nulla hinc ad ſuperos via compendioſior; eò facile pervenies, ſi tamen exoneratus inceſſeris. Porro animus ipſe ſibi ſarcina eſt, donec & ſperare deſinat & timere: nondum enim beatè vivit, quem vel voti torquet dilatio, vel à voto decedendi metus excruciat. Diogenes, quia nullius ſperavit favorem, nullius potentiam formidavit. Ille in dolio ſuo tam ſpe vacuus, quam timoris expers, locupletem tranſegit paupertatem. Porro quæ ſic infidelis Cynicus abhorruit, tanto amplius neceſſe eſt, ut Chriſtianus doctor abhorreas, quanto fructuoſior eſt profeſſio, quæ per fidem operatur. Morum hæc offendicula ſunt, & ad virtutem gradientes remorantur. Eruditus ſermo, & cultus abjectior, ſeverius retracta veræ religionis inſtituta religioſum exhibent Chriſtianum: nunc autem exhibebis & perfectum exprimes philoſophum, ſi nec ſperes aliquid, nec extimeſcas; hoc eſt verum animi robur, & integrum mundi contemptum denunciat. Fert autem fama id à quibuſdam tibi perſuaſum, ut ab omni lectione penitus abſtineas: ſuper hoc attende quid ſentiam; citra profectum proficit, quiſquis alteri cum poteſt, non prodeſt; virtus eſt etiam male uſuro, virtutis miniſtrare materiam. Præterea ſub Evangelico te cohibuiſti conſilio, quo juvenis à Chriſto audivit: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Holocauſtum igitur habeo offerre non ſacrificium: de eorum quippe differentia apud Gregorium ſuper Ezechielem ſic legiſti. In ſacrificio quidem pars pecudis, in holocauſto autem totum pecus offerri conſuevit, & poſt pauca, cum quis ſuum aliquid Deo vovet, ſacrificium eſt: cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo voverit, holocauſtum eſt: offer ergo te totum Domino Deo, quoniam Domino Deo totum te devoviſti, alioquin promiſſo eum defraudas holocauſto. Denique ſapientia abſcondita, & theſaurus abſconditus, quæ utilitas in utriſque? durum melius diſperſum rutilat, quam ſignatum; nihil à vilibus tophis gemmæ differunt, niſi in medium deducantur; ſcientia quoque diſtributa ſuſcipit incrementum, & avarum dedignata poſſeſſorem, niſi publicetur, labitur. Noli ergo claudere rivos doctrinæ tuæ: ſed juxta Salomonem deriventur fontes tui foras & aquas tuas in plateis divide.* Guilelmus Campellenſis, ut licet ex hac epiſtola intelligere, ita ſe totum inſtitutioni canonicorum regularium tradiderat, ut penitus ſe abdicaſſet ab archidiaconatu Pariſienſi, à docendi munere, aliiſque publicis exercitationibus. Complures tamen non approbabant virum doctrinâ litteriſque præſtantem à ſcholis ſe ſubducere, ejus ſeceſſiontm tanquam inertem laboris fugam & otium inutile criminabantur. Hæc quidem, ſed inprimis amicorum preces eum

ad

ad recipiendos ſcholæ labores impulerunt. Cœpit igitur quemadmodum in urbanis ſcholis, ita in ſuburbanis ædibus publice docere, eaque, qua ſolitus erat, auditorum celebritate, diſcipulorumque frequenti concurſu hoc officium executus eſt. Abaelardus de eo ſic loquitur in prima epiſtola. *Nec tamen hic ſuæ converſionis habitus, aut ab urbe Pariſiaca, aut à conſueto philoſophiæ ſtudio eum revocavit; ſed in ipſo quoque monaſterio, ad quod ſe cauſa religionis contulerat, ſtatim more ſolito publicas exercuit ſcholas. Tum ego ad eum reverſus, ut ab ipſo rhetoricam audirem, inter cætera diſputationum noſtrarum conamina, antiquam de univerſalibus ſententiam patentiſſimis argumentorum diſputationibus ipſum commutare, imo deſtruere compuli &c.* Alia retulimus, quæ idem auctor refert in hiſtoriâ ſuarum calamitatum. Verum cum Guilelmus in ſuburbanis magno frequentique concurſu litteras utique doceret, quidam, ut ſunt mentes hominum, eum reprehendere ſimulatæ religionis, quippe qui per ſpeciem ſeceſſionem feciſſet, amaret tamen turbam, & ſtrepitu hominum gauderet. Ille ſeu, ut his rumoribus occurreret, ſeu quod veriùs eſſe exiſtimo, ut popularem auram tumultumque hominum fugeret, in villam remotiorem cum ſuis, quos congregaverat, ſe recepit: quo tempore Abaelardus ſcholam ad montem ſanctæ Genovefæ aperuit. Abaelardus ſcribit illicò Guilelmum æmulatione ejus ſcholæ permotum reverſum eſſe Pariſios. Sed melius ejus reditum puto interpretandum eſſe, rediiſſe enim Guilelmum arbitror, quoniam coloniæ canonicorum inſtituendæ locum haud idoneum reputaverat. Rediit ergo Pariſios, ubi publicas exercitationes, quemadmodum anteà ſolebat, inſtauravit. Paulo poſt Abaelardus relicta ſchola Namnetas profectus eſt matre advocante, quæ ſeceſſionem meditabatur. Interim Guilelmus aſſiduus ſcholæ moderandæ inſiſtebat; dum agit rem ſtrenuè electus eſt Catalaunenſis Epiſcopus. Antequam ulteriùs pergam quædam hic inſerenda ſunt de primis domus Victorinæ inſtitutis. LIB XI. CAP. IX.

Guilelmum in ſeceſſu comitati ſunt aliquot ex ejus diſcipulis, qui ſub ejus auſpiciis canonicorum regularium mores & regulas ultrò amplexi ſunt: multorum quidem nomina memoriæ non commendata ſunt: ſed conſtat inter eos fuiſſe Gilduinum, qui Guilelmo ſucceſſit, & primus Abbatis nomen accepit, beatus Thomas, qui poſtea, quoniam contra quorumdam imporentiam jura eccleſiæ defendebat, gladio peremptus martyr mortem oppetiit, Garnerus qui ſupprior fuit doctrinâ & pietate clarus, qui ſexdecim libros ex ſancti Gregorii operibus ſcripſit: alii quoque erant, ſed eorum nomina tempus abolevit. Etſi Guilelmus Hildeberti aliorumque precibus provocatus, ſtudio litterarum animum intendebat, & ſcholæ operam collocabat. Sanctiorem tamen vitam ſeveriorem que vivendi rationem exprimere factis conabatur, ut diſcipulorum mores ad chriſtianam philoſophiam informaret; his præcepta regulaſque præſcripſit, quas ne latum, ut aiunt, unguem nemo tranſgrederetur. Cavebat inprimis, ut in eccleſia precationes Deo cum ſingulari modeſtia & ſumma pietate nocte dieque agerentur, & omnes pſallerent ſapienter, ſed & magnam noctis partem concinendis Dei laudibus impenderent. De his Jacobus de Victriaco ſic loquitur. *Circa primam noctis horam ad matutinas ſurgentes, in hymnis & pſalmis, & canticis ſpiritualibus Domino ſuaviter & devotè jubilando, reſiduum noctis plerumque impendunt. Æſtatis autem tempore à veſpera uſque ad auroram nocturnum frequenter protrahunt officium &c.* quanto magis incumbebant in laudes Deo perſolvendas, tanto magis cavebant, ne inutilibus colloquiis tempus tererent neve habitum interiùs cum Deo ſermonem externa colloquutione interrumperent; diebus ſollemnibus, immo quocumque die feſto nefas erat miſcere cum externis hominibus ſermonem, profeſtis vero diebus in communi auditorio, ſi res poſceret, ſed breve colloquium ſerere licebat; in ædibus cunctos tenebat tranquillum ſilentium, & quiſque modeſtiâ, & vultu placido pacem animi, & mentis ſerenitatem oſtendebat. Et ſi domi omnia quieta erant, haud tamen quies erat à labore manuum: ſtatim enim atque exierant è choro labori inſiſtebant. Jacobus de Victriaco in hunc modum de Victorinis canonicis loquitur. *Certis temporibus & horis conſtitutis infra terminos ſuos manibus ſuis corporaliter* III.

LIB XI. CAP. IX. *laborant.* Labor quidem in conſtitutionibus illius domus præcipitur, ubi etiam ratio laboris exprimitur. Omnes ad opus agendum ſimul ibant redibantque: ſequebanturque præeuntem domus præpoſitum, ſeu priorem, aut è ſenioribus aliquem, omnes pariter idem opus actitare, neque aliud ſuo modulo, niſi juſſum injunctumque aggredi debebant. Nemini licebat inter operandum confabulari, neque niſi poreſtate facta inceptum opus relinquere, ſi pluvia caderet, aut frigus ſæviret, domi opus exercebatur, neque à labore licebat abſiſtere, niſi dato ſigno. Præclara hæc quidem erat laboris inſtitutio, ne, ſi labore corpus non exerceretur, ſitum & rubiginem contraheret, immo hâc operoſa exercitatione quiſque à ſe pœnam exigebat, cui Deus ſummus judex hominem peccati reum addixit, ut ſcilicet, labore & ſudore vultus ſui vitam toleraret. Sed hæc interna erant & domeſtica. Guilelmus Campellenſis, qui amore religionis honores Eccleſiæ abjecerat, & aſperum vitæ genus ſelegerat, diſcipulos inprimis ad pietatem magno ſtudio informari curaverat; ſed ne pietas in cœco & obſcuro loco poſita brevi deficeret, hanc ſcientiis & diſciplinis fovere, ac velut accenſis facibus illuſtrare inſtituit. Initio quidem ſtatuerat à docendi munere prorſus abſiſtere, ſed ab amicis admonitus, & reputans poſtea è commodo eccleſiæ eſſe, ut traderet aliis diſciplinas, quas magnis laboribus, & longa ſcholarum exercitatione paraverat, ipſe in ſuburbanis ædibus, in quas ſeceſſerat, ſcholam aperuit, & qua erat æſtimatione, cum magna diſcipulorum celebritate, ſicut antea ſolitus erat, litteras docuit. Ita fuit domus Victorina domicilium ſcientiarum; in hanc domum multi nobiles litteris inſtructi ſe receperunt, qui deinde pietate & doctrina floruerunt, in ſerie hujus hiſtoriæ de his ſigillatim ſermo erit. Complures Epiſcopi Eccleſiæ Pariſienſis in rebus ſuæ parrochiæ eorum operâ uſi ſunt, & miniſterio, multi pariter ad ſummos Eccleſiæ honores meritorum ac virtutum ſuffragio evaſerunt, horum memoriam in ſuis locis & temporibus celebrabimus. Adeo vero clara & illuſtris fuit hæc canonicorum regularium Victorina inſtirutio: ut ex eo loco tanquam ex ſeminario virtutis & ſcientiæ ſurculi, ac velut propagines peterentur, quæ inſitæ in aliis terris uberrimos fructus ediderunt. Guilelmus Campellenſis his inſtitutis initium dedit, quibus ordinandis, ut exiſtimo, Galo Epiſcopus Pariſienſis eum haud mediocriter juverat. Cum enim ille Abbas, ſeu præpoſitus fuiſſet Bellovacenſis cœnobii ſancti Quintini, ubi Ivo, qui deinde Epiſcopus Carnotenſis fuit, canonicos regulares primum inſtituerat, & cum Guilelmo Campellenſi amicitia & conſuetudine conjunctus eſſet, ille, ut credibile eſt, regulas & documenta ad ordinandam hanc diſciplinam cum eo communicaverat. Sed ad commendationem Victorinæ domus nihil majus afferri poteſt, quamquæ Jacobus de Vitriaco libro II. occidenr. hiſtoriæ attulit, *Sancti Victoris*, inquit, *ſanctitatem gloriamque poſteris commendamus. Sunt aliæ congregationes canonicorum regularium devotæ, humiles & Deo amabiles, qui ſancti Victoris canonici nuncupantur, eo quod Dei martyr patronus advocatus ſie eorum, in quibus hujus ordinis primordia claruerunt. Primus ſi quidem & præcipuus hujus ſanctæ religionis conventus extra muros Pariſienſis civitatis in eccleſia, quæ dicitur ſancti Victoris, quaſi lucerna Domini ſuper candelabrum poſita, non ſolum propinquam civitaeem, ſed remotas circumquaque regiones ad Dei cognitionem & ad caritatem inflammat, tamquam probatica piſcina, & luter æneus in templo Domini ſcholaribus Pariſiis commorantibus, & variis populis undique confluentibus aquas purificationis ſubminiſtrans. Hæc ſcilicet ſancta, & omni acceptione digna militantium in caſtris Domini congregatio; eſt refugium pauperum, conſolatio languentium, fulcimentum & quaſi baſis debilium, recreatio laſſorum, relevatio lapſorum, partus tranquilliſſimus ſcholarium, qui de mundi hujus naufragiis evadere cupientibus ſinum miſericordiæ aperie, & in gremio ſuo velut pia mater eos fovet & nutrit. Multis à principio magiſtris viris illuſtribus, litteratis & honeſtis, velut ſtellis fulgentibus illuſtrata, & quaſi margaritis pretioſis decorata, inter quos amantiſſimus, & præcipuus magiſter extitit cithariſta Domini, organum Spiritus ſancti magiſter Hugo de ſancto Victore dictus, qui malo-granata tintinnabulis adjungens exemplo ſanctæ converſionis multos ad honeſtatem incitavit, & melliſlua doctrina multos ad*

Digitized by Google

ſcientiam erudivit. Multos autem aquarum viventium puteos effodiens : libris ſuis, quæ de fide & moribus tam ſubtiliter, quam ſuaviter diſſerendo edidit, incerta & occulta ſapientiæ divinæ pluribus aperuit ; immortalem ſui memoriam, velut compoſitionem odoris, & opus pigmentarii, omni ore quaſi mel dulcoratum, velut muſicam in convivio vini ; & tamquam naves poma ferentes, poſteris relinquendo. Hi ſi quidem prudentes & honeſti viri extra Pariſienſis urbis tumultum ſeorſum congregati ſupra firmum & ſtabile fundamentum regulæ ſancti Auguſtini inſtitutiones honeſtas, & ſalutares obſervantias ſtatuerunt.

IV. Guilelmus haud diu novam congregationem rexit, paucos enim annos, poſtquam in ſuburbanis litteras publicè docere cœpit, electus eſt Epiſcopus Catalaunenſis. Ille ne deeſſe Eccleſiæ videretur, quo tempore ad emendandos mores clericorum Pontifices doctrina & religione commendati quærebantur, ultrò electioni aſſenſus eſt. Sic eo tempore haud pauci è cœnobiis & congregationibus ad cathedras Eccleſiarum vocati ſunt. Ne alios apellem Lanfrancus & Anſelmus è Beccenſi monaſterio ad Cantuarienſem Epiſcopatum acciti ſunt. Ivo è Quintiniana congregatione, quæ Bellovacis coaluerat, & cui ipſe præſidebat ad Carnotenſem epiſcopatum advocatus eſt. Quin etiam Galo Ivonis ſucceſſor primùm Bellovacenſem cathedram ſuffragiis majoris & ſanioris partis clericorum aſſecutus eſt : cum autem adverſa factione prohiberetur, ne cathedram haberet ; canonicè Pariſienſis Epiſcopus electus eſt, & ad eam ſedem ritè tranſlatus eſt. Quo ſtudio rei chriſtianæ promovendæ Guilelmus accenſus erat, haud dubium eſt, quin multa geſſerit in epiſcopatu & religioni congrua, & valde utilia Eccleſiæ : ſed cum acta hujus Eccleſiæ non ſuppetant pauca tantummodò de eo referre licet. Quod certum eſt, Guilelmus nondum ordinatus Epiſcopus ſuæ providit familiæ, cavitque nequid detrimenti ex ejus abſentia res Victorina caperet ; immo à Rege Ludovico VI. litteras obtinuit, quibus Victorina congregatio regiâ auctoritate munita conſiſteret, Abbatem canonicorum ſuffragiis & votis electum haberet. Et demum ex regia donatione poſſeſſiones & terras obtineret. Litteræ datæ ſunt Catalaunis. Sed ecce eas ipſas tibi deſcribimus ex annalibus M S S. illius domus.

V. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Quoniam Deo diſponente bona, quæ temporaliter agimus, & contra adverſariom noſtrum arma ſons inexpugnabilia, & æternæ hereditatis indubitanter nobis acquirunt præmia, ratio conſolit, neceſſitas cogit, ut dum tempus habemus, bonum ad omnes, maxime ad domeſticos fides operemur, ut pauperes ſpiritu noſtræ largitatis munificentiâ neceſſitatis obtineant remedium : & noſtra fragilitas eorum orationibus adjuta in diſtricto examine judicem ſibi miſericordem inveniat ac propitium. Eleemoſyna enim teſte ſcriptura, & oratio juſti aſſidua vitiorum incentiva extinguit, & Dominus cujus imaginem portamus valet inoffenſum reddere, in cujus manus durum & horrendum eſt incidere. Illoſtris vero memoriæ anteceſſores noſtri, quorum excellentia & qoorum virtute regnum Francorum uſque in hodiernam diem floruit, ad laudem & gloriam Dei, cui ſervire regnare eſt, multat in regno noſtro Eccleſias fundaverunt, & immenſis eas donariis honorare decreverunt, eleemoſynis quidem peccata redimentes, & amicos in æterna tabernacula facientes. Ego igitur Ludovicus Dei gratia Francorum Rex anteceſſorum noſtrorum exemplis informatus, & accuſante conſcientia diem extremi examinis ante oculos reducens, ob remedium animæ noſtræ, pro ſalute etiam patris noſtri Philippi Regis, & anteceſſorum noſtrorum in eccleſia beati Victoris, quæ juxta Pariſiorum civitatem ſita eſt conſultu quidem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & Optimatum regni noſtri, canonicos regulariter viventes ordinari volui, qui videlicet, tam pro nobis, quam pro ſalute regni noſtri Dei miſericordiam implorarent, & memoriam noſtri & noſtrorum anteceſſorum in ſuis orationibus haberent. Et ne cura temporalis neceſſitudinis fratrum, ſpiritale propoſitum ad exteriorum ſollicitudinem inclinaret, eamdem præfatam eccleſiam noſtræ largitatis beneficio & dotavi & ditavi. Convenientibus vero in unum Catalauni Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus & ceteris regni noſtri optimatibus communi aſſenſu diffinivimus, quatinus prædicti canonici de grege ſuo, vel de alia eccleſia, quem vellent ſibi Abbatem eligerent : ita tamen, quod in illa Abbatis electione, nec Regis aſſenſum*

quærerent, nec Regis auctoritatem ullatenus expectarent, nulliuſque alterius perſonæ voluntatem, vel laudem attenderent, ſed quem Deus eis concederet inconſulto, ut diximus, Rege, vel qualibet alia perſona canonicè eligerent, & Pariſienſi Epiſcopo irrefragabiliter conſecrandum offerrent. Promulgavimnus etiam in eodem conventu villas, prædia & cetera beneficia, quæ ad uſum canonicorum præfatæ contulimus eclefiæ; & hæc omnia perpetuo jure, perpetua libertate eis habenda conceſſimus; nihil poteſtatis, nihil noſtri juris reſervantes nobis: ſed omnia, quæ ad nos pertinere videbantur eis omnino emancipantes; hæc ſcilicet Puteolis villam, quæ eſt in territorio Nantonenſi cum ſervis & ancillis, cum feodis militum, cum terris cultis & incultis, cum vineis & ſilvis, cum omnibus ad eam pertinentibus; mercatum etiam in eadem villa fieri per ſingulas hebdomadas regia poteſtate in perpetuum annuimus; aquam etiam, quæ proxima eſt eidem villæ, quæ ſcilicet aqua Eſſonia vocatur, omnia inquam iſta, quemadmodum poſſidebam in perpetuo poſſidenda conceſſimus; Orgeniacum etiam, quod in territorio Milidunenſi ſitum eſt, cum ſervis & ancillis & ceteris omnibus, quæ ibi poſſidebam, huic dono adjunximus. Vnum etiam ex molendinis noſtris, quæ ſunt apud veteres Stampas prædictis canonicis perpetuò poſſidendum tradidimus. Apud Corbellas etiam juxta caſtrum Nantonis viginti arpennos praſorum, & viaturam de Buſſiaco, quam à Teſcelino Bunocenſi comparavimus, & quidquid apud idem Boſſiacum, quod juxta Liricanſum ſitum eſt habebam. Buſſiacum inſuper villam, quæ in territorio Aurelianenſi ſita eſt, cum ſervis & ancillis, cum omnibus appendiciis ſuis. Hæc omnia inquam eiſdem canonicis plena libertate perpetuo obtinenda annuimus. Apud Fontanetum etiam in territorio Pariſienſi terram duabus carrucis ſufficientem, & quinque hoſpites & decem ſolidos cenſus in eadem villa partim à ſupradictis hoſpitibus, partim ab alia terra, & ibidem torcular unum & dimidium, cum preſſuris ad ea pertinentibus; & apud Muſteriolum, quod eſt juxta idem Fontanetum, terram unius carrucæ, cum uno hoſpite præfatæ contulimus Eccleſiæ. Præterea ſciendum eſt, quod canonici ſancti Severini de caſtro Nantonis apud Vriacum villam terram ſervos & ancillas antiquitùs poſſidebant, medietatem cujus poſſeſſionis prædeceſſori noſtro Regi videlicet Philippo ſano uſi conſilio conceſſere: hac ſcilicet commutatione, quod idem Philippus noſter prædeceſſor pro hac conceſſione eiſdem canonicis ſancti Severini omnes conſuetudines, quas apud Brolium eorumdem canonicorum villam juxta Puteolis ſitam juſtè, vel injuſtè pertinere videbatur, præter corvatas ter in anno remiſit; præter hæc etiam apud prædictum Vriacum terram ad fiſcum noſtrum pertinentem poſſidebamus, quam ſcilicet terram cum medietate ſupradictæ poſſeſſionis cum prædictis etiam corvatis præfatæ ſancti Victoris eccleſiæ plena libertate habenda tradidimus. Notum etiam omnibus fieri volumus, quia eccleſiam beatæ Mariæ de Puteolis, & altare de Amponvilla cum toto atrio, cum medietate magnæ decimæ, cum terra inſuper noſtri juris in eadem Amponvilla exiſtente: panes etiam ad altare de Eſtragoſa pertinentes; omnia quidem iſta, ſicut obtinebamus, præmemoratis canonicis regularibus de integro poſſidenda conceſſimus. Vt autem præfata ſancti Victoris eccleſia præſcripta noſtræ largitatis beneficia legitimo haberet dono, legitimo obtineret ordine, ea quæ regis juris, quæ noſtræ erant proculdubio poteſtatis, eidem eccleſiæ inviolabiliter obtinenda noſtra manu tradidimus. Eccleſias vero, & quæ juris eccleſiaſtici ſunt in manu Daimberti Senonenſis Archiepiſcopi reddidimus. Ipſe autem utilitati fratrum providens prætaxatis regularibus eadem omnino conceſſit. Confirmatum eſt etiam in ſupradicto Epiſcoporum, ac procerum noſtrorum conventu, quod quicumque alodia ſua, quæ ſub noſtra tutela ſunt; vel quidquid, quod ad fiſcum, vel feodum noſtrum attinet eiſdem regularibus impertiri voluerit, diligenter annuimus, & regia auctoritate firmamus. Annuimus etiam, quod ſi aliquot ex ſervis, vel ancillis ſuis præfati canonici manu-mittere voluerint, noſtro ſuper hoc aſſenſu minime requiſito, quos vel quot voluerint, ſervos, vel ancillas jugo ſervitutis abſolvant, perpetuæ libertati tradant, remota ſcilicet omnium calumnia & ſopita totius retractationis moleſtia. Illud inſuper ſummopere determinavimus, & determinando definivimus, quod omnia, quæ ſuperior continet pagina eo jure, ea libertate, qua tenuimus, prædicta ſancti Victoris eccleſia in æternum poſſideat; & hoc præceptum noſtrum, quod noſtri nominis charactere ſignavimus in ſignum perpetuæ firmitatis obtineat. In ſupradictis tamen omnibus ſalva auctoritate, ſalvo jure, ſalva debita obedientia Senonenſis

Digitized by Google

LIB. XI. CAP. IX. Archiepiſcopi & Pariſienſis Epiſcopi. Signum Rodulphi Remorum Archiepiſcopi. Signum Ludovici Regis. Signum Liziardi Epiſcopi Sueſſionenſis. Signum Ivonis Carnotenſis Epiſcopi. Signum Galonis Pariſienſis Epiſcopi. Signum Manaſſe Meldenſis Epiſcopi. Signum Ioannis Aurelianenſis Epiſcopi. Signum Godefridi Ambianenſis Epiſcopi. Signum Autiſſiodorenſis Epiſcopi Humbaudi. Signum Philippi Trecenſis Epiſcopi. Signum Humberti Sylvanectenſis Epiſcopi. Actum Catalauni in palatio publicè. Anno Incarnationis Dominicæ M C X I I I. Anno vero regni noſtri v. Data per manum domni Stephani Cancellarii. Signum Anſelli tunc temporis Dapiferi noſtri. Signum Hugonis Conſtabularii. Signum Guydonis Camerarii. Signum Gilliberti Bonticullarii.

VI. Illud præceptum regium confirmavit Paſchalis ſummus Pontifex, datis ob eam cauſam litteris, quæ ita ſe habent.

VII. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Gilduino priori & ejus fratribus in eccleſia ſancti Victoris ſecus Pariſius canonicam vitam profeſſis, tam præſentibus, quam futuris in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Filius ſiquidem cariſſimus noſter Ludovicus illuſtris Francorum Rex pro ſua & patris ſui anima, veſtram eccleſiam ſuis beneficiis donans, noſtra hæc petiit auctoritate firmari. Statuimus ergo, ut canonicæ obſervantiæ diſciplina præſtante Domino ſemper in veſtra eccleſia conſervetur. Obeunte autem veſtræ congregationis Abbate libera vobis eligendi Abbatis facultas maneat, omnis ſæcularis poteſtatis contradictione ſepoſita. Porro villas prædia & cetera beneficia, quæ ſupradictus Rex de ſuo jure veſtris uſibus delegavit, nos vobis veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum poſſidenda ſancimus. Villam ſcilicet Puteolis in territorio Nantonenſi, cum ſervis & ancillis, cum feodis militum, cum terris cultis & incultis, cum vineis & ſilvis, cum omnibus ad ea pertinentibus, in qua mercatum per ſingulas hebdomadas fiat; aquam etiam, quæ proxima eſt eidem villæ, quæ ſcilicet aqua Eſſonia vocatur, ſicut ab eodem Rege poſſidebantur. Orgeniacum in territorio Milidunenſi, cum ſervis & ancillis & ceteris omnibus, quæ idem Rex ibidem poſſidebat. Vnum etiam ex molendinis regiis apud veteres Stampas. Apud Corbellas juxta caſtrum Nantonis viginti arpennos pratorum, & viaturam de Buſſiaco, quam idem Rex à Teſſelino Bunocenſi comparavit, & quidquid apud idem Buſſiacum, quod juxta Liricantum ſitum eſt, habebat. Buſſiacum inſuper villam, quæ in territorio Aurelianenſi ſita eſt, cum ſervis & ancillis & omnibus appenditiis ſuis. Apud Fontanetum in territorio Pariſienſi terram duabus carrucis ſufficientem, & quinque hoſpites & decem ſolidos cenſus in eadem villa, partim ab alia terra, & ibidem torcular unum & dimidium cum preſſuris ad ea pertinentibus. Apud Muſteriolum, quod eſt juxta idem Fontanetum, terram unius carrucæ cum uno hoſpite. Apud Vriacum villam medietatem poſſeſſionis cum ſervis & ancillis, quam Philippus Francorum Rex præfati Ludovici pater à canonicis ſancti Severini de villa Nantonis quarumdam conſuetudinum, quas apud Brolium ipſorum villam tenuerat, remiſſione commutavit. Item apud pro.prædictum Vriacum terram ad fiſcum pertinentem. Item corvatas apud Brolium ter in anno. Item terram regii juris in Amponvilla. Confirmamus etiam, quæ à confratre noſtro Daimberto Archiepiſcopo conceſſa ſunt, videlicet eccleſiam ſanctæ Mariæ de Puteolis panes etiam ad altare de Eſragoſa pertinentes. Quæcumque præterea in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juſtè & canonicè poteritis adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prædictam eccleſiam veſtram temerè perturbare, & ejus poſſeſſiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva canonica Pariſienſis Epiſcopi reverentia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conceſſionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore Dei & Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat; atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructus bonæ actionis percipiant,

 & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

VIII. *Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii Kalend. Decemb. Indiction. VIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXIV. Pontificatus autem domni Paſchalis ſecundi Papæ anno XVI.*

IX. His litteris Guilelmus Campellenſis fecit, ut domus ſancti Victoris pontificia, regiaque auctoritate munita nomen publici collegii & approbatæ congregationis haberet, quam Rex primùm donationibus amplificavit, regiaque honeſtavit munificentia, & quam ſummus Pontifex litteris approbavit, cuique poteſtatem fecit Abbatis ſibi eligendi: Guilelmus enim Campellenſis auctor conditorque hujus congregationis ſub nomine prioris hanc primùm rexerat, & poſtquam ipſe ad cathedram Catalaunenſem accitus eſt, Gilduinus canonicis Victorinis præpoſitus eſt, ut litteris pontificiis continetur. Is Pariſiis natus eſt & ſub Guilelmo Campellenſi non modo diſciplinarum, ſed etiam pietatis poſuerat tyrocinium, ipſumque honores eccleſiaſticos deſerentem, & fugientem hominum turbas ſecutus eſt, & ſe in nova canonicorum regularium inſtitutione ſocium illi adjunxit, illique in regimine domus Victorinæ fuerat ſubrogatus; cum vero Paſchalis PP. ſcriptis litteris creandi Abbatis Victorinis canonicis poteſtatem permiſiſſet, illum haud mora domus Victorinæ primum Abbatem conſtituerunt. Gilduinum hunc honorem meritum fuiſſe præclara, quæ deinde geſſit, quæque ſuis locis memorabuntur, oſtendunt; multos annos hunc magiſtratum geſſit, & ſub ejus regimine multi, ut narrat Robertus de Montibus, nobiles & eruditi juvenes nomen congregationi Victorinæ dederunt, inter quos Hugonem nominatim appellat, hunc fuiſſe *Lotharienſem* dicit: ſed eum Saxonem & in pago Halberſtadenſi natum & è nobili loco ortum eſſe aſſerunt Schedelius & Joannes Buſchius. Quantùm ille celebratus ſit pietate, religione, aliiſque chriſtianis virtutibus, quantùmque litterarum commendatione & doctorum piorumque voluminum ſcriptione claruerit aliàs docebimus. De Gilduino in ſequentibus libris honorifica erit mentio. Hæc primordia fuerunt domus clariſſimæ, cujus inſtitutor primuſque auctor extitit Guilelmus Campellenſis, in cujus commendationem quædam hìc adjiciam, quæ eum præclarè geſſiſſe in Epiſcopatu comperimus.

X. Poſtquam anno MXIII. ordinatus eſt Epiſcopus Catalaunenſis, hoc felix illi contigit, quod conſecraverit Abbatem Claravallenſem Bernardum monachum Ciſtercienſem, qui poſtea vitæ ſanctitate magniſque operibus illuxit. Quemadmodum res geſta ſit narrat, Guilelmus Abbas auctor vitæ ſancti Bernardi. Rem paucis verbis refero. Cum Bernardus ad Claram-vallem miſſus eſſet cum monachis aliquot, ut his Abbas præficeretur, prima cura monachorum fuit, ut Bernardus benedictionem ritè ab Epiſcopo acciperet. Quoniam vero ſedes Lingonenſis, ad quam ea res pertinebat, vacua erat pontifice: viſum eſt eum ducere Catalaunos ad Guilelmum virum pietate & doctrina inſignem, qui tunc temporis Eccleſiæ Catalaunenſi præerat. Bernardus igitur adjuncto ſibi comite Ebbodone in eam perrexit civitatem, ubi benignè acceptus eſt ab Epiſcopo, qui antiquam admiratus in juvene monacho ſapientiam, haud veritus eſt eum Abbatem conſecrare, neque vir annis & factis venerandus dubitavit cum eo vitæ & amicitiæ conſuetudinem jungere, adeo ut Guilelmus ad Claram-vallem ſæpius commearet & ædibus Catalaunenſis Epiſcopi in poſterum Claravallenſes monachi pro hoſpitio uterentur. Grata honorificaque utriſque ea animorum conjunctio fuit: Guilelmo quidem, qui primus cum Bernardo Abbate amicitiam iniit, ac velut primos ejus amicitiæ fructus percepit. Bernardo pariter opportuna, quem pontifex doctrina & pietate venerabilis his ſuæ adminiſtrationis initiis & apud ſuos & apud exteros magnopere commendavit. Idem auctor rem narrat ex qua colligas, quanti ſanctum Abbatem faceret. Bernardus ex jejuniis duriſque corporis exercitationibus penitus tabeſcebat, malumque adeo in dies ingraveſcebat, ut vita ejus in periculum adduceretur. Neque tamen ille quidquam de vitæ auſteritate remittebat, neque Epiſcopus evincere potuit,

Digitized by Google

ut in ſe clementiùs ageret. Guilelmus Catalaunenſis Epiſcopus, ut frangeret Bernardi animum ad Ciſtercium, ubi habebatur conventus, ſeu ut vocant capitulum generale, cootendit, rogat Abbates, qui aderant, ut jus omne omnemque ſibi in Bernardum auctoritatem tranſmittant, adco ut per unius anni curriculum ipſe ſibi morem gerere teneatur. Abbates admirati piæ caritatis & ſollicitudinis ſacerdotalis officium ultrò ejus poſtulationi aſſenſi ſunt. Pontifex illicò ad Claram-vallem reverſus Bernardo humilem caſam extra ipſius clauſtri ambitum extrui curat, vetatque, ne in potu, aut cibo, quem regula jubet, modum teneat, cavetque inprimis, oe quis eum de cura domus & negotiis monaſterii angat & ſollicitet, & paulo ioferius hæc. Cum monachi etiam ipſa ciborum amarulentia delectarentur, & timeret inprimis Bernardus Abbas ne hæc ipſa delectatio ooxia eſſet. *Cumque ſuſpectam aliquatenus haberet ſpiritualis patris quotidianam correptionem, quaſi carni eorum pluſquam ſpiritui deferentem, aliquando ad judicium Catalaunenſis Epiſcopi, qui tunc forte aderat, res delata eſt. Super quo vir ille potens in verbo, ſermonem ad eos aggreſſus, ad eum finem perduxit, ut omnem hominem, qui quæcumque Dei dona recuſaret propter gratiam Dei, inimicum eſſe gratiæ Dei, & ſpiritui ſancto reſiſtere pronunciaret, &c.* Idem auctor teſtatur Guilelmum Catalaunenſem Epiſcopum auctorem fuiſſe monaſterii Trium-fontium. *Cum inquit novas ſui ordinis domos ædificare cœpiſſent, petente & agente Guilelmo Epiſcopo in Epiſcopatu Catalaunenſi, eam quæ dicitur Trium-fontium conſtruxerunt.* Quæ omnia probaot, qua pietate & exiſtimatione virtutis Guilelmus Campellenſis epiſcopatum geſſerit, cum quo ſanctus Bernardus & vinculo amicitiæ, & vitæ neceſſitudine conjunctus fuerit; & illius quoque meminit idem ſanctus in epiſtolis. Anno MCXV. apud Catalaunos habitum eſt Concilium v. Idus Julii à Conooe Præneſtinenſi Epiſcopo, ut habet chronicon ſancti Petri Vivi, Guilelmum Catalaunenſem Epiſcopum Synodo interfuiſſe certum eſt, ſed quid in ea geſtum ſit, incertum, acta enim nobis non ſuppetunt. Alii præterea auctores memoriam Guilelmi Campellenſis faciunt Raynerius monachus ſancti Laurentii Leodienſis, Otho Friſigenſis & alii, ſed hæc ad noſtrum propoſitum ſufficiunt. Obiit Guilelmus Epiſcopus Catalaunenſis anno MCXX. VIII. Calend. Februarii, quo die ejus obitus annotatur in necrologio ſancti Victoris his verbis. *Item anniverſarium magiſtri Guilelmi Catalaunenſis Epiſcopi, & noſtri canonici.* Hæc de Guilelmo Campellenſi Archidiacooo Pariſienſi, qui cum maguâ doctrinæ & pietatis exiſtimatione litteras Pariſiis profeſſus eſt; qui deinde amore ſolitudinis in ſuburbana Lutetiæ Pariſiorum ſeceſſit, & ibi iecit fundamenta celebratiſſimæ domus Victorioæ, ac demum inde ereptus ad Catalaunenſem cathedram, haoc Eccleſiam per ſeptem annos laudabiliter rexit.

CUm ad juſtam magnitudinem hic tomus excreverit, huic demum finem imponere decretum eſt: prius tamen cenſeo docendum eſſe lectorem, quomodo huic operi ſcribendo appulerim animum. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Franciſcus Harlæus, ex quo maximi Regis judicio ad hanc Pariſienſem cathedram evocatus eſt, omnem operam, omnemque iodustriam oon modo regeodæ, ſed etiam exornandæ Eccleſiæ poſuit, ille libros liturgicos, breviaria ſcilicet & ſacramentaria corrigi & emendari; decreta pariter Pariſienſium Epiſcoporum, ſuaque colligi & excudi juſſit: & ſi quando res poſtulavit his operibus examinandis, operam haud mediocrem impendere non recuſavit. Inter hæc advertit deeſſe ſcriptorem, qui res Eccleſiæ Pariſienſis memoriæ commendare ſit aggreſſus, eſſe res geſtas io Eccleſia Pariſienſi, quæ cæca oblivione ſepulta jaceant, quæque in lucem proferri, & ante omnium oculos poni mereantur; haud decere Eccleſiam cujus ſedes Gallici imperii metropolis ſit, quæ antiquitate, rerum geſtarum & ſuorum Pontificum gloria & amplitudine clara ſit, in obſcuro eſſe. Cum præſertim complures Eccleſiæ Galliarum auctores ſuos nactæ ſint, qui res ſuas collegerint, & ſtylo ſiot proſecuti. Dum ſapientiſſimus Præſul has cogitationes volvit animo, forte ad eum adiit Carolus Cointius, qui ſcripſit annales eccleſiaſticos Francorum: data opportunitate illuſtriſſimus Pontifex hoc illi negotium dat, uti nanciſcatur XI.

LIB. XI. CAP. IX.

aliquem, qui velit hiſtoriam Eccleſiæ Pariſienſis ſcribere. Tunc ego forte liber vacabam ab exercitationibus publicis, ſtudiiſque rerum eccleſiaſticarum, ad quæ per aliquot annos animum adjunxeram, vetuſque mihi cum Cointio intercedebat amicitiæ neceſſitudo. Ille igitur me hortatur, uti opus hoc ſcribere aggrediar, laborem dignum eſſe presbytero, cui res eccleſiaſtica pretio ſit; monetque, ne ignavo inertique otio ætatem teram, ingentem eſſe ad ſcribendum materiam; hæc ille aliaque ejuſmodi, quibus me dubium & ancipitem confirmat; nec mora ad illuſtriſſimum Archiepiſcopum me ducit, qui me benigne & humaniter, ut ſolet, recepit, teſtatuſque eſt me haud ſibi ignotum ingratumque eſſe, quippe qui in ædibus Maglorianis, quod publicum eſt clericorum Pariſienſium ſeminarium, res hiſtoriæ eccleſiaſticæ eſſem aliquot annos profeſſus; pluribus ille ſignificat rem fore Eccleſiæ utiliſſimam ſibique acceptiſſimam; addebat ſe haud denegaturum acta, quæ in chartophylacio Archiepiſcopali ſervarentur; pollicebaturque adjuturum me, quantum gratiâ & auctoritate poſſet, ut cetera, quæ neceſſaria eſſent, facile compararem. Ita ſcribendæ hiſtoriæ Pariſienſis provincia mihi tradita eſt; hocque opus non ſolum auſpiciis; ſed etiam conſiliis & mandatis Illuſtriſſimi Pontificis inceptum eſt. His vero juvat adjungere quomodo me ad ſcribendum accinxerim. Tres quatuorve annos inquirendis evolvendiſque veteribus chartis, tabulariis Eccleſiæ Pariſienſis & monaſteriorum, quantùm licuit, excutiendis impendi, perſcrutandiſque omnibus & urbis & parrochiæ Pariſienſis angulis; multa collegi, magna cura magniſque laboribus deſcripſi acta vetera; amici haud pauca mihi commodarunt: ſed etſi neminem hic nominatim appello, haud tamen licet prætermittere ſilentio clariſſimum virum Antonium Vyon Dominum d'Herouval, qui promovendis litteris, ſcriptoribuſque adjuvandis ætatem conſumpſit, & quem ſcriptorum quiſque noſtri temporis accepti memor officii multis laudibus commendavit; ille modò octogenario major anteactæ ætatis ſolatium habet, quod omnibus olim eruditis profuerit, hoc dolore nunc & ille & nos afficimur, quod iiſdem, ſicut ſolebat, prodeſſe per ætatem non liceat. His ſubſidiis ita comparatis tandem opus ſcribere aggredior. Verum vixdùm aliquot paginas impleveram; cum ecce caſus inopinatus pæne omnia mea evertit conſilia: mihique vires & animum rei perficiendæ propè ſuſtulit. Anno MDCLXXXII. die Paraſceves paſchæ dum Chriſtum patientem & ſacroſancta myſteria tacita mente pronus veneror & adoro; ecce corrupti humores capite exundant diffluuntque in inferiores corporis partes; muſculoſque & nervos afficiunt, & in parte ſiniſtra totam corporis compagem penitùs diſſolvunt; ipſe humi tanquam ictu fulminis percuſſus projicior: non ita tamen, ut quaſi ſtupore aliquo attonitus hæream, erat enim mens ſana, eadem loquendi & cognoſcendi poteſtas, idemque rationis uſus, qui prius fuerat: ſed torpor iners & inutilis à lævâ parte membra occupat. Poſt duos treſve menſes me ipſum utcumque colligo, reditque animus, vireſque meas in * aliò opere, quod editum eſt libet explorare; ex felici ſucceſſu audacior evado. Iterum animum ad opus relictum adjicio, & inter moleſtias & incommoda malæ valetudinis ſcribo & edo in lucem undecim libros hiſtoriæ Pariſienſis, ab ipſis ſcilicet incunabulis illius Eccleſiæ, ad ætatem Ludovici VI. id eſt ad annum ferme MCVIII. Si quid in ſcribendo fuerit omiſſum, ſi quod erratum in ſcriptione aut in editione exciderit haud lectori mirum videbitur id ægro mihi accidiſſe, quod perſpicacioribus & valentioribus accidere ſolet, meminerit, lector, me agrum incultum & neglectum ſubigere, neminemque hac qua utor valetudine vel manum, vel operam mihi, uſquam præſtitiſſe. Vale, & bene mihi precare.

* *Epiſtola dedicator. & præfatio ad tom. 8 annal. eccleſiaſt. Francorum.*

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Primus numerus paginam, alter lineam indicat.

A

ABBATISSA quomodo ſe debeat gerere. Pagina 310. linea 10. *& infra*.
Abbatiſſæ non dent velum. p. 346. l. 22
Abbatum officium. p. 376. l. 20
Abbo Nivernenſ. p. 434. l. 29
Abbo Monachus Pratenſis. p. 504. l. 5. ſcribit libros de obſidione Lutetiæ p. 578
Abbo Decanus monaſterii S. Germani à Pratis. p. 525. l. 15
Abbo Epiſcopus Sueſſion. p. 537. l. 28
Abbo Abbas Floriac. dat ſtudiis operam Pariſiis. p. 579. l. 22. Romam mittitur. p. 601. l. 27. monachorum cauſam agit in Synodo. p. 615. l. 15. Apologeticum ſcribit. p. 609. l. 6. in ſimoniacos invehitur. p. 609. l. 35. venit Pariſ. p. 767. l. 44
Abaelardus. *Vide* Petrus
Acephali ſeu Severiani Hæretici. p. 337. l. 35
Acharius Epiſcopus Noviomenſis. p. 154. l. 15
S. Achilleus diaconus & martyr. p. 7. l. 55
Actardus Namnet. Epiſ. p. 433. l. 34. p. 447. l. 1
Acta conventus Pariſienſis ſincera. p. 334
Adalarius Comes. p. 489. l. 29
Adalbero Remenſis Archiepiſc. Capetum Regem inungit. p. 600. l. 10
Adalbertus Comes occiſus. p. 387. l. 41
Adalbertus Marchio excommunicatur. p. 494
Adalelmus Catalaunenſis Epiſcopus. p. 350. l. 31
Adalelmus nepos Roberti viri nobilis. p. 504. l. 52. & p. 506. l. 39
Adalgiſus & Geilo Duces Caroli M. cæſi à Vitichindo. p. 272. l. 35
Adalgiſus Ædu. Epiſcopus. p. 481. l. 19
Adela Regina. p. 653. l. 21
Adelaïs Regina uxor Hugonis Capeti mater Roberti Regis. p. 630. l. 27. reſtituit monaſterium Argentol. p. 631. l. 23. multa dona confert. *ibid.* charta donationis. p. 631. l. 27
Adelelmus Comes Normannos vincit. p. 540. l. 12
Adelelmus Pariſienſis Epiſcopus. p. 536. l. 9
Adelhardus tertium agmen ducit in Fontanetica pugna. p. 388. ad Francos mittitur. p. 389. l. 24
Adelhelmus Sagien. Epiſ. p. 523. l. 34
Adhelneus Abbas Foſſat. p. 537. l. 33
Adelmannus. Briatenſis Epiſcopus. p. 669. l. 45
Ademarus Podienſis Epiſcopus. p. 759
Adicus Foſſatenſis monachus Comitem Burchardum adit. p. 602. l. 42
Adraldus Abbas S. Germani à Pratis, obtinet chartam à Roberto Rege p. 654 l. 54 & p. 655. l. 43. & ab Imberto Epiſ. altare villæ novæ S. Georgii. p. 655. l. 43. & tria alia altaria. p. 656. l. 21. annus ejus obitus. p. 657. l. 10
Adraldus Clericus. p. 636. l. 12
Adraſtus Abbas Agaunenſis monaſterii. p. 232. l. 5
Adventus Epiſcopus Pariſienſis. p. 35. l. 10
Adulphus Pariſienſis Epiſcopus. p. 224. l. 24
Æga præfectus palatii Chlodovei Regis. p. 169. l. 4. ejus mores. *ibid.* moritur. *ibid.* l.
Ægidius Remenſis Epiſcopus. p. 103. l. 42. & p. 120. l. 4. legatus apud Guntchramnum Regem. p. 124 l. 38
Ægyna Saxo. p. 150
Ætherius Lugd. Epiſcopus. p. 129. l. 53
Æneas fit Pariſienſis Epiſcopus. p. 417. Epiſtola de ejus electione. p. 418 & alia pro ejus ordinatione, intereſt Synodo apud Tuſſiacum. p. 428. l. 21. p. 445. l. 48. ſubſcribit epiſtolæ Synod. Concil. Sueſſ. p. 446. l. 47. adeſt Synodo Trecenſi p. 447. l. 38 fert humeris feretrum S. Mauri. p. 448. l. 37. dat Foſſatenſibus præbendam. *ibid.* l. 40. ſcribit contra Photium & Græcos. p. 455. dies & annus ejus obitus diſentitur. p. 456. & p. *ſeqq.* ejus elogium. p. 457. vindicatur à calumnia. p. 458. verus annus ejus obitus ſtatuitur. p. 459. præcepta obtinet à Carolo Calvo. p. 460. adeſt Conciliis Vermerienſi & Attiniacenſi. p. 456. l. 49. & l. 54. & p. 459. p. 561. p. l. 2. litteris clarus. p. 577. l. 24
Aetius magiſter militum. p. 59. l. 22
Aetius Pariſ. Archidiaconus. p. 108. l. 47. & p. 561. l. 12
Agapitus PP. Marinum legatum in Gallias mittit. p. 543
Agapius in Dinienſem Cathedram irrepit inde dejicitur in Synod. Cabill. p. 176. l. 38
Agilbertus Pariſienſis Epiſcopus. p. 145. l. 41. p. 199. l. 21. p. 202. fit Epiſcopus in Anglia. p. 203. cum Scotis de celebratione paſchatis diſputat. fit Epiſcopus Pariſ. 204. l. 36. plura de eod. p. 205. obit & in monaſterio Jotrenſi ſepelitur. p. 206. inventio ejus corporis. *ibid.*
Agius Epiſcopus Aurelianenſis. p. 393. l. 51. p. 433. l. 54
Agmantum villa Sen. diœceſ. p. 466. l. 13
Agnes Abbatiſſa. p. 92. p. 102. l. 40
SS. Agoardus & Aglibertus martyres. p. 28. l. 23
Agomarus Epiſcopus Sylvanectenſis. p. 173. l. 41
Agreſtius Epiſcopus. p. 78. l. 2
Agricola Cabillonenſis Epiſcopus. p. 77. l. 56
Agrippinenſe Concilium. p. 36. l. 42
Agrippinus Æduenſis Epiſcopus. p. 80. l. 7
Aigulfus Abbas Dionyſianus. p. 159
Aimo Dux. p. 179. l. 3
Aimoïnus Floriacenſis alius à Pratenſi. p. 88. l. 30
Aimoïnus monachus Pratenſis. Scribit libros de miraculis S. Germani Pariſ. Ep. p. 577. l. 40
Aiſtulfus Rex Longobardorum Exarchatum invadit. p. 231. l. 19. Romanos agros populat. p. *ibid.* Semel & iterum vincitur. p. 234. & 235. mortem obiit. p. 235. l. 42
Alanus Autiſſiodorenſis Epiſcopus. p. 55. l. 46
Albericus Abbas S. Germani à Pratis. p. 610. l. 54
Albericus decanus monaſterii Dionyſ. p. 610. l. 41
Albericus Pariſienſis Epiſcopus. p. 544. l. 34
Albertus Epiſc. Pariſ. ſe abdicat ab epiſcopatu. p. 633. l. 23 *& infra.*
Alboinus Rex Longobardorum. p. 230. l. 40
Albuinus Comes. p. 495. l. 8
Alcuinus. p. 282. l. 46 & p. 283. & de eodem. p. 284. non fuit monachus. *ibid.* honores illius doctrinæ delati, obitus & ſepultura. *ibid.* & p. 285. adverſus Felicianam hæreſim ſcribit. p. 294. l. 11
Aldricus Senonenſis Archiep. p. 350. l. 28
Aldricus Cenomanenſis Epiſcopus mittitur ad Pippinum Regem Aquitaniæ p. 377. l. 10. canonicos clauſtro includit. p. 378. l. 38. litem habet cum monachis S. Carilephi. p. 379. recipit ſua jura in Aniſolenſe monaſterium p. 389. l. 35. & eadem ei aſſeruntur. p 389 paralyſi affligitur. p. 408. l. 46 dat villam Foſſat. monaſt p. 415. charta donationis. p 416
Alexander II. PP. Berengarium habitis Synodis condemnat. p. 675. l. 35
Alitgarius Cameracenſis Epiſcopus. p. 347. l. 54. p. 350. l. 32
Alpaïs ſecunda uxor Pippini Heriſtallii & mater Caroli Martelli & Childebrandi. p. 214. l. 27
Alſtemus Rex Angliæ. p. 530. l. 29
Altaria ſæpius laicis etiam concedebantur. p. 635. l. 47. cuilibet licitatori dantur pro pretio p. 680. l. 15. plura de ea re. *ibid.* aliud eccleſia, aliud altare. p 681. l. 22. al-

cativum redemptiones quando in oſu & quando condemnatæ. p. 681. l. 48. & p. 682. Canonici & monachi licitè altaria retinebant. p. 682. l. 22
Amalbertus Abbas Dionyſianus. p. 224. l. 22
Amalharius Trevirenſis Archiepiſcopus. p. 306. l. 11
Amalricus Archiepiſcopus Turonenſis. p. 408. l. 50. fit judex in cauſâ Remenſium clericorum. p. 409. l. 31. p. 412. l. 49
Amaltrudis uxor Stephani Comitis donat Sulciacum Eccleſiæ Pariſ. p. 304
Amandus Epiſcopus. p. 154. l. 15
Amatheus Epiſcopus. p. 350. l. 37
Amelina filia Galteri Penelli facit donationem monaſt. Longi-Pontis. p. 688. l. 51
Amelius Pariſienſis Epiſcopus. p. 74. l. 27. Aurelianenſi Concil. II. intereſt. ibid. l. 17. III. l. 30. IV. p. 75. l. 26. an Lutetiæ condiderit baſilicam. ibid. l. 42
Amelius Burdegalenſis Epiſc. p. 76. l. 9. p. 565. l. 11
Amelius Bigorritanus Epiſcopus. p. 115. l. 15
Angelelmus Epiſcopus Autiſſiodorenſis. p. 322. l. 42
Aagilmodus Sueſſ. Epiſcop. p. 433. l. 55
Aniſolenſe monaſterium ſeu ſancti Carileph. p. 379. l. 4. Epiſcopis ſubjectum. ibid. l. 7. de ejus primatu diſſeritur. p. 484
Anna Reginâ uxor Henrici Regis. p. 639. l. 51. & p. 461.
Annobertus Senonenſis Epiſcopus. p. 173. l. 36
Anſcharius Subdiaconus Lingonenſem ſedem occupat. p. 426. l. 32
Anſchericus Pariſ. Epiſ. p. 507. l. 27. fit Pariſ. Epiſ. p. 515. ejus elogium. ibid. obtinet præcepta à Carolo III. p. 516. intereſt conventui apud S. Goarem. p. 530. l. 20. annus ejus obitus. p. 533. & p. 561. l. 39
Ancherus Comes. p. 496. l. 25
Anshelmus Comes Palatii Caroli M. interficitur. p. 267. l. 35
Anſegiſus Archiep. Senonenſ. p. 484. l. 29. de ejus primatu. ibid. & p. 485. & p. 736
Anſelmus Archiep. Cantuar. ad Gaufridum Pariſ. Epiſ. ſcribit, & ad Galerannum præcentorem Eccleſ. Pariſ. p. 699. extant ejus epiſtolæ. p. 701. & 702. pro Galone Epiſc. ſcribit. p. 732
Anſelmus docet publice Lauduni. p. 773
Anſoaldus Epiſcopus Pictavenſis. p. 165. l. 33
Anſoldus ſcribit donationem Canon. de Pariſ. carcere. p. 633. l. 2
Anſovaldus. p. 121. l. 37. p. 124. l. 8
Antichriſti brevi venturi rumor falsò ſparſus. p. 613. l. 45
Antiochia obſidetur à Chriſtianis. p. 757. l. 22. capta eſt p. 758. l. 28
S. Antoninus refert fabulam hominis redivivi coram S. Brunone. p. 706. l. 41
Apedemius, ſeu Apedinius Pariſienſis Epiſcopus. p. 49. l. 36
Apocriſiariorum origo & munus. p. 273. l. 31
Aragiſus Dux Beneventanus. p. 280
Archambaldus Senon. Archiep. p. 486. l. 25
Archiclavis Eccleſiæ S. Martini Turon. p. 676. l. 41
Archidiaconi non exigant cenſus à clericis. p. 308. l. 46. Archidiaconorum officium. p. 449. l. 41. quando plures tique presbyteri. p. 430. Archidiaconi Pariſ. clari. p. 561. l. 8
Archipreſbyter non fiat ex laïco. p. 150. l. 47
Arduinus Comes. p. 379. l. 54
Arefaſtus detegit hæreſim Aurelianis ſerpentem. p. 615. l. 15
Argentoïlum ſeu Argentolium. p. 610. l. 44. hoc in loco fundatur monaſterium. ibid. l. 48
Argundus Epiſcopus Aurelian. p. 173. l. 41
Aridius Nivernenſis Epiſcopus. p. 77. l. 52
Ariminenſe Concilium. p. 38. an hæretici Epiſcopi, qui fraudi Ariminenſi ſubſcripſerunt. p. 39
Ariſtarchus quis ſit. p. 366. l. 35
Armorica provincia. p. 401. l. 18
Arnoldus filius Drogonis nepos Pippini Heriſtallii. p. 119. l. 11
Arnulfus ad Chlotarium deficit. p. 140. l. 26. conſiliis Dagoberti præficitur. p. 149. l. 38. fit Mettenſis Epiſcopus. p. ibid. l. 41. intereſt Concil. Remenſi. p. 150. l. 21. p. 153. l. 12
Arnulfus Abbas. p. 355. l. 49
Arnulfus Imperator victoriam de Normannis refert. p. 521. l. 22
Arnulfus Imperator munificus erga monaſt. S. Emmerammi. p. 650. l. 34
Arnulfus Comes Flandriæ p. 546
Arnulfus Remenſ. Archiep. p. 600. l. 27. Synodum cogit. ibid. l. 46. in Remenſi Concil. depoſitus. p. 601. l. 3. reſtituitur. ibid. l. 28
Arnulfus Aurelianenſis Epiſcopus. p. 609. l. 7. infenſus eſt Abboni Floriacenſi Abbati. ibid.
Artaldus Remenſis Archiepiſcop. Ludovicum ultramarinum inungit. p. 541. l. 24. in monaſterium S. Baſoli ſecedit ibid. l. 43. mortuus p. 546. l. 5
Arrius presbyter Alexandrinæ Eccleſiæ fidem oppugnat. p. 35. & 36. Arrianorum fraus in Ariminenſi Concilio. p. 39. Auxentius, Urſacius, Valens, Gaius, Megaſius, Juſtinus. Arriani. p. 40. l. 37
Aſcaricus & Ragaiſus Reges Francorum. p. 58. l. 24
Aſcelinus Laudunenſis Epiſ. p. 660. l. 34
Aſcelinus monachus ſcribit ad Berengarium ſuadetque saniora. p. 671. l. 26
Aſcelinus Pariſienſis Epiſcopus. *Vide* Albericus.
Aſclepius Dux. p. 118. l. 22
Aſſelina Abbatiſſa Calenſis. p. 287. l. 8
Aſtrolabius filius Abaëlardi & Heloiſſæ. p. 774. l. 41
S. Attalas Abbas Bobienſis. p. 167. l. 48
Atech & Genobaudes Reges Francorum. p. 58. l. 17
Athanagildus Rex. p. 120. l. 38
Attiniacum & Attiniacenſis conventus ſub Pippino. p. 249. l. 26
Atto Viridunenſis Epiſcopus accuſatur. p. 426. l. 38
Auctor hujus Hiſtoriæ cur ſcribere cœperit. p. 799. quid illi in ſcribendo contigerit. p. 800
Audobertus. Pariſ. Epiſcopus. p. 169. l. 33. ſubſcribit donationi monaſt. Foſſat. p. 173. l. 35
S. Audoenus qui & Dado vocatus eſt filius Authatii amicitiam contrahit cum S. Eligio p. 152. Dagoberto carus, fit Rotomagenſis Epiſcopus. p. 164. ejus epiſtola ad Chrodobertum p. 193. pacem cum Pippino compoſuit. p. 211. l. 53. apud Clippiacum obit, effertur Rotomagum. ibid.
Audulfus regiæ menſæ præpoſitus p. 275. l. 25
Auguſtinus monachus à ſancto Gregorio mittitur ad Anglos. p. 135. l. 6 Ethelbertum Regem ad religionem Chriſtianam convertit. ibid. & p. 136. l. 38. S. Gregorium interrogat de variis eccleſiarum inſtitutis. ibid. fit Epiſcopus Cantuarienſis, fruſtra Scotos admonet, ut paſcha cum Romanâ Eccleſiâ celebrent. p. 203. l. 9
Auguſtus Abbas Bituricenſis. p. 93. l. 28
Avolus Aquenſis Metrop. p. 77. l. 53
S. Aurea Abbatiſſa monaſterii S. Eligii. p. 161. l. 4. in Galliis nata. p. 102. peſte obiit. p. 201. l. 55. & ſeq.
Aureliani perſecutio ſævit in Galliis. p. 27. l. 31
Aureliani urbs incenſa. p. 115. l. 56
Aurelius martyr Cordubenſis. p. 464. de eo & ejus tranſlatione plura. p. 465
Autbertus Cameracenſis Epiſcopus. p. 179. l. 10
Autcharius Dux legatus Pippini ad Aiſtulfum. p. 231. l. 47
Autharius Abbas S. Vincentii S. Germani de Pratis. p. 213. l. 17
Aymardus Abbas Cluniacenſis. p. 603. l. 30
Aymo Abbas Foſſat. p. 537. l. 32

B

BABO Abbas S. Germani. p. 248. l. 34
Babolenus primus Abbas Foſſatenſis monaſterii, ejus vita diſcutitur. p. 170. & 171
Baduradus Epiſcopus Paderbonenſis. p. 378
Baldricus Noviom. Epiſ. p. 746. l. 44
Balduinus Noviomenſis Epiſ. p. 648. l. 7
Balduinus monachus Dionyſ. chartam obtinet ab Eduardo Angl. Rege. p. 653. l. 56
Balduinus Comes Judith am rapit. p. 428. l. 49
Balduinus Philippi Regis & regni tutelam ſumit. p. 685
Balmundus Archid. Senonenſis p. 433. l. 11
Baptiſmus quibus in locis confertur. p. 397. l. 12
Baptiſmus die Paſchatis celebrandus. p. 127. l. 9. & p. 344. l. 25. plora de baptiſmo. ibid.
Baptiſmus. p. 305. de eo multæ quæſtiones. ibid. & p. ſeqq.
Bardas frater Theodoræ Auguſtæ. p. 452. arguitur ab Ignatio. ibid. Ignatium in exilium mittit. p. 453. l. 14
Baſilica S. Bacchi. p. 645. l. 40
Baſilica S. Bartholomæi data Maglorianis. p. 548. l.
Baſilica S. Chriſtophori & de ejus antiquitate. p. 558. l. 3
Baſilica S. Dionyſii à Dagoberto Rege conſtructa. p. 155. de ea & de ejus fundatione plura ibid. & ſequentes p.
Baſilica ſanctæ Genovefæ ſeu ſanctorum Apoſtolorum. p. 573
Baſilica S. Germani Autiſſ. p. 213. l. 13. p. 521. de ejus antiquitate inquiritur. p. 511. & 512

Digitized by Google

Baſilica S. Germani veteris. p. 572. l. 2
Baſilica SS. Gervaſii & Protaſii. p. 572. l. 43
Baſilica ſeu Eccleſia S. Honorinæ data Beccenſibus monachis. p. 694. l. 1
Baſilica S. Juliani. p. 567. l. 46
Baſilica S. Laurentii. p. 78. l. 26. p. 118. l. 41
Baſilica S. Marcelli. p. 564 de ejus nobilitate & antiquitate. p. 564. & ſeqq.
Baſilica S. Mariæ, ſeu major baſilica Eccleſiæ Pariſ. p. 83. l. 30. p. 510. de ea plura & de ejus antiquitate. p. 555. & p. ſeqq.
Baſilica S. Martini Campenſis dedicatur. p. 691. l. 53
Baſilica S. Mederici. p. 569. de ejus antiquitate. ibidem ubi de ea plura referuntur, & p. ſ.q. data à Raynaldo Ep. Pariſ. Capitulo majoris eccleſiæ. p. 570. l. 4. facta baptiſmalis eccleſia. ibid. l. 35. preſbyter plebanus huic præficitur. ibid. charta capituli Pariſ. de ea re. l. 45. deinde Capiceriι huic præficiuntur. p. 571
Baſilica S. Opportunæ. p. 513
Baſilica S. Severini. p. 645. l. 24
Baſilica S. Stephani. p. 213. l. 4. p. 510
Baſilica S. Stephani veteris. p. 350. l. 42. de ejus antiquitate & loco ubi ſita erat. p. 557. l. 48. & p. 558
Baſilica S. Stephani de greſſibus. p. 645. l. 18
Bathildis in familia Erchinoaldi majoris domus unde orta. p. 177. ejus forma & mores. ibid. fit Regina & uxor Chlodovei Regis. ibid. multis virtutibus clara eſt. filium Chlotarium enixa eſt. ibid. Simoniam coercet. 196. l. 1. tributa capitatim ſolvenda abrogat ibid. mancipia Chriſtiana Judæis eſſe prohibet. ibid. l. 8. Calenſe monaſterium condit. ibid. l. 10. huic Bertilam Abbatiſſam præponit. p. 196. l. 35 ejus munificentia in Eccleſias & monaſteria. p. 197. Corbeienſe monaſterium extruit & dotat. p 97. l. 1. Secedit in Calenſe monaſterium. p. 199. l. 33. ejus mors & ſepultura, annus & dies ejus obitus. p. 200. l. 7. & infra. vindicatur à calumnia. ibid. l. 39. tranſlatio. p. 358
Baubinus Archiepiſcopus Turonenſis. p. 320. l. 36
Bego Comes reſtituit monaſterium Foſſatenſe. p. 323. & obtinet litteras à Ludovico Pio. ibid. Bego Comes Pariſ. p. 591. l. 38
Benedictus Abbas Ananienſis. p. 318. l. 22. ejus genus, mores & inſtituta. ibid. Ludovicus Pius ejus operâ utitur ad reſtituendam in monaſteriis diſciplinam. ibid. & p. 319. & p. 355. l. 49
Benedictus Abbas Foſſatenſis alius ab Ananienſi. p. 323. obtinet litteras à Lud. Pio. p. 323. & 324
Berengarius de eo & de ejus Hæreſi. p. 660. natus Turonis, Fulberti diſcipulus. ibid. fit Archidiaconus Andegavenſis. p. 663. l. 21. Berengarius ſuos à Scoto errores hauſit. p. 666. l. 19. Quæ ejus prava doctrina. p. 668. l. 56. hanc ſpargit. p. 669. l. 33 ad Lanfrancum Cantuarienſem Archiep. ſcribit. Romæ condemnatur. p. 670. l. 30. in conventu Brionenſi vincitur. p. 671. l. 6. Vercellis ejus doctrina condemnatur. p. 672. & pariter Pariſiis p. 673. ad Richardum ſcribit. p. 673. l. 49. Romæ ſub Nicolao II. confeſſionem edit. p. 674. l. 45. in hæreſim relabitur. p. 675. Giraldus eumdem condemnat in Aquitania. p. 675. l. 27. an reſipuerit & quando. p. 676 ſecedit in inſulam prope Turonis. p. 676. l. 35. ejus obitus. p. 677. l. 56. ejus elogium. p. 677
Bernardus Comes Barcinonenſis. p. 350. crimen diluit ſacramento. p. 353. l. 2
Bernardus Comes. p. 539 l. 54
Bernardus Pippini Regis Italiæ filius Rex Italiæ renunciatur. p. 312. l. 3 deficit à Ludovico, excæcatur, moritur. p. 325
Bernardus Abbas Clarevall. conſecratur à Guilelmo Campell. Epiſc. Catal. p. 798
Bernardus Patriarcha Antiochenus. p. 758. l. 56
Bernardus prior monaſterii Longi-pontis. p. 628. l. 39
Bernecharius Epiſcopus Pariſ. p. 224. l. 25
Berno primus Abbas Cluniacenſis. p. 603. l. 19
Bernoinus Carnotenſis Epiſc. p. 350. l. 34
Berta prima uxor Roberti Regis. p. 612. an monſtrum ediderit. p. 612
Berta uxor Philippi Regis. p. 744. l. 39
Bertarius Regis cubicularius. p. 139. l. 51
Bertarius major domus Theodorici Regis. p. 212. occiditur. ibid.
Bertha ſeu, Aldiberga filia Chariberti Regis Pariſiorum nubit Ethelberto Regi Anglorum. p. 134. Regem & gentem ad Chriſti Religionem convertit. p. 135. l. 27. laudatur à ſancto Gregorio PP. ibid. l. 34
Bertharius Thoringorum Rex. p. 92. l. 20
Berthramnus Epiſcopus Burdigalenſis. p. 109. l. 18. p. 120. l. 44. p. 126. l. 41
Berthramnus Archidiaconus Pariſ. fit Epiſcopus Cenomanenſis de eo plura. p. 128. l. 24. & p. 561. l. 10
Berteradis uxor Chlotarii II. p. 145. l. 29
S. Bertilla Abbatiſſa Calenſis. p. 196. l. 35. educitur è Jotrenſi monaſterio. ibid. ejus præclari mores. p. 201. l. 14. & infra. Annus & dies ejus obitus, ejus reliquiarum veneratio. p. 200. l. 43
Bertoaldus Abbas S. Dionyſii. p. 224. l. 21
Bertrada uxor Pippini Regis inungitur à Stephano PP. p. 233. l. 52. in Italiam proficiſcitur. p. 260. l. 28. ejus obitus & ſepultura. p. 273. l. 2
Bertrada uxor Fulconis Andegavenſis Comitis cum Philippo Rege nuptias agit illicitas. p. 744. l. 46
Bertulfus Abbas Bobienſis. p. 167. l. 48
Bigargienſis conventus de eo plura, an habitus ſit à Dagoberto. p. 164. & 165
Bilildis Regina uxor Childerici Regis cum Rege interficitur & filio Dagoberto. p 209. ejus ſepulcri inventio. ibid.
Blidegiſilus Pariſ. Archidiaconus fundat monaſterium Foſſatenſe. p. 171. l. 40. charta dotationis refertur. p. 172. & p. 561. l. 14
Boamondus Roberti Appuliæ Ducis filius. p. 753. l. 24. in Aſiam cum exercitu venit. p. 754. l. 50. & deinde in Bithiniam p. 755. l. 50. fit Dux Antiochenus. p. 759. l. 2
Bobo dux. p. 117. l. 8. & p. 121. l. 36
Bobo dejicitur ex cathedra Dinienſi ad quam irrepſerat. p. 176. l. 28
Bobuleous Abbas Bobienſis. p. 167. l. 49. diſtinguendus à Babolen. Foſſatenſi Abbate. p. 170. & infra.
Bondonivia monialis ſcribit vitam S. Radegundis. p 92. l. 40
Boniſacius Archiepiſcopus Moguntinus. p. 227. l. 54. an unxerit Pippinum Regem. p. 229. l. 50
Boſo Rex Provinciæ. p. 496. l. 40
Braidingus Matiſcenſis Epiſ. p. 433. l. 53
Britones deficiunt à Carolo M. vincuntur ab Audulfo. p. 275. l. 23
Britones unde Britanni dicti? p. 407. l. 20
Brunichildis uxor Sigiberti Regis. p 106. l. 51. p. 120. l. 39. ex aula Theodoberti ad Theodoricum tranſit. p. 138. filiis bellum in Chlotarium perſuadet, nepotes Theodobertum & Theodoricum adverſus ſe invicem excitat. p. 138. l. 39. & infra. capitur & necatur. p. 140. l 54. & p. 141. l. 7
Bruno Colonienſ Archiep. p. 546. l. 23
Bruno Andegavenſis Epiſ. an defenderit Berengarium. p. 672. p. 672. l. 13
S. Bruno. p. 703. an prodigio impulſus ſeceſſerit in eremum. p. 703. & p. ſeqq. Dei amore incitatus ſeceſſit in eremum. p. 704 unde fabula prodigii exorta. p. 706. l. 13. qui auctores eam referant. p. 706. qui eam rejiciant. p. 707. & 708
Brunulfus avunculus Chariberti occiditur. p. 153. l. 43
S. Budocus p. 548 l. 36
Bulla pro Regineoſibus monachis data de corpore S. Dionyſii ſuppoſita eſt. p. 652. l. 32
Burchardus Carnotenſis Epiſcopus. p. 408. l. 39. de ejus cauſa. ibid.
Burchardus Corboïlenſis Comes pietate clarus. p. 601. l. 55. Elyzabetham viduam uxorem ducit. p. 602. l. 16. monaſterium Foſſat. obtinet. ibid. p. 602. l. 48. Cluniacenſes inducit in Foſſ. monaſt. p. 603. donationes Foſſatenſibus ſcribit. p. 621. l. 35. fit monachus Foſſatenſis. p. 624. l. 6. dies & annus ejus obitus. ibid. l. 32. ſcribit chartam in gratiam Foſſat. mon. p. 625

C

CALA & Calenſe monaſterium primùm à S. Chrotilde conditum. p. 196. l. 16. tum iterum extructum & dotatum à S. Bathilde Regina ibid. de Abbatiſſis Calenſ. monaſterii. p. 287
Campulus Sacellarius contra Leonem III. conjurat. p. 295
Canonici qui & quando primùm eſſe cœperint. p. 319. l. 25. quomodo differant à clericis & p. 320. eorum prima inſtitutio à Chrodegango. p. 321. l. 16. in Aquiſgranenſi Concil. ſcribitur regula canonicis. p. 322. l. 18. & infra.
Canonici, & monachi non adeant ad monachas & canonicas. p. 346. l. 37. de canonicis ſtatuitur. p. 397. l. 18
De canonicis & eorum regulis plura referuntur. p 780 & 781. & 782
Canonici diſtincti à regularibus. p. 783. In Aquiſgranenſi Concilio quid ſtatutum de Canonicis. p. 784. & 785

Google

Canonici Eccleſiæ Pariſienſis. p. 303. l. 30. quando primùm, & quo tempore inſtituti. p. 561
Canonici regulares inſtituuntur Pariſiis à Guilelmo Campellenſi. p. 790. & 791
Canonici Eccleſiæ S. Marcelli. p. 566. l. 36. Adrianus PP. privilegium ſcribit. p. 566. l. 46
Canonici baſilicæ S. Genovefæ obtinent à Roberto Rege privilegium. p. 627. & ab Henrico Rege. p. 654. l. 13
Canonici S. Germani Autiſſiod. p. 213
Canonicorum regularium origo. p. 787. de iis plura referuntur. p. 788. & 789
Capella regia quando primùm Pariſiis. p. 550. l. 11. *& infra.* Maglorianis datur. p. 550. l. 44
Carbonacum villa regia. p. 260. l. 52
Cardinales tituli, ſeu parochiæ in urbibus. p. 397
Carterro Francus. p. 58. l. 54
Carolinæ familiæ inclinatio. p. 500
Carolomannus filius Caroli-martelli. p. 221. l. 29. ſecedit ad monachos Caſſinenſes. p. 223. l. 48 mittitur ad Pippinum pro Aiſtulpho Longobardorum Rege. p. 332. l. 51
Carolomannus filius Pippini inungitur Stephano PP. p. 233. l. 52. Rex ſalutatur Sueſſionis. p. 258 dividit regnum cum fratre moritur. p. 260. l. 49. Remis ſepelitur *ibid.*
Carolomannus filius Caroli-calvi. p. 481. l. 11
Carolomannus filius Ludovici-balbi. p. 496. l. 4. cum fratre inungitur apud Ferrarias. p. 496. mortuo fratre ſolus regnat. p. 497
Carolus qui poſtea Martellus dictus eſt filius Pippini & Alpaïdis. p. 214. l. 31. mortuo patre cuſtodiâ detinetur. p. 219. l. 15. evadit. *ibid.* l. 24. Chilpericum ad Vinciacum vincit. p. 222. &c. *ibid.* ejus obitus & ſepultura. p. 221. l. 8. fabula de ejus damnatione rejicitur. p. 221. *& ſeqq.* ejus adverſus Sarracenos expeditiones. p. 222
Carolus filius Pippini Regis qui magnus dictus eſt inungitur. p. 233. l. 52. Noviomi Rex ſalutatur. p. 258. dividit provincias cum Carolomanno. *ibid.* in Aquitania rem feliciter gerit. p. 260. l. 13. Hilmitrudem uxorem ejicit, ejecta deinde filia Deſiderii eam recipit. p. 260. l. 43. occupat Regnum fratris Carolomanni. p. 260. l. 51. In Saxones bellum movet. p. 261. l. 21. apud Heriſtallium ſcribit literas Pratenſibus monachis. *ibid.* adverſus Deſiderium in Italiam proficiſcitur. 263. l. 6. Ticinum obſidet *ibid.* l. 12. & Veronam capit. *ibid.* l. 21 Romam proficiſcitur. p. 263. l. 26. Ticinum capit & Deſiderium Regem. *ibid.* l. 34 potitur tota Longobardia. *ibid* baſilicam S. Dionyſii inſtaurat. p. 265. l. 48. Dionyſianis chartas ſcribit. *ibid. & ſeq.* l. 1. Saxones vincit. p. 266. & Rotgandum Ducem Forjulienſem necat. p. 266. l. 51. in Hiſpania aliquot urbes capit. p. 267. Vaſcones ejus agmen poſtremum cædunt. *ibid.* l. 45. Saxones vincit & ad deditionem compellit. p. 268. l. 9. *& ſeq.* Carolus ſub Hadriano venit Romam. p. 271. Pippino filio Italiæ regnum cedit. Ludovico regnum Aquitaniæ. p. 271. l. 11. Caroli Duces male pugnant cum Vitichindo. p. 272. Saxones bis fudit. 273. l. 4 ſcribit conſtitutionem pro ſcholis inſtaurandis. p. 282. *& ſeq.* amat litteras p. 282. l. 37. vetat ne Epiſcopi eant ad bellum. p. 285. Felicem & Elipandum condemnari curat. p. 290. l. 46. Romam venit, & Imperator ſalutatur. p. 297. non ivit Hieroſolymam p. 299. de conjuratis pœnas exigit. p. 298 l. 28 diſtribuit theſauros. p. 310. l. 30. *& infra.* Carolus Ludovicum Imperatorem creat p. 311. l. 12. obiit p. 312. l. 19. ejus elogium. *ibid.*
Carolus filius Caroli-magni regno Neuſtriæ à Patre donatur. p. 287. l. 40
Carolus-calvus naſcitur. p. 328. l. 39. Rex coronatur. p. 378. l. 54. adverſus Lotharium proficiſcitur. p. 386. pactionem jurat. *ibid.* l. 48. ad Fontanetum cum Lothario pugnat. p. 388. l. 14 ſcribit præceptum Foſſatenſibus. p. 389. cum fratre Ludovico fœdus init. p. 390. l. 56. cum fratribus partitur provincias. p. 391. pretio pacem à Normannis redimit. p. 399. l. 34. Carolus nepoti Pippini Aquitaniæ regnum tradit. p. 405. l. 33. à Ludovico fratre è regno ejicitur. p. 424. reſtituitur. p. 425. Aurelianis inunctus. p. 435. l. 49. ſcribit ad Nicolaum PP. p. 448. l. 1. chartam ſcribit Foſſat. Fit Abbas Dionyſianus. p. 463. Rex Lotharingiæ proclamatur. p. 479. & 480. cum fratre Ludovico eam partitur. 480. Carolus proclamatur Imperator p. 484. l. 15. ad Andrnacum fuſus eſt, in Italiam venit. p. 489. l. 50. moritur. p. 490. l. 13. ejus ſepultura, tumulus, & elogium. p. 490. ejus præcepta. *ibid.* & p. 491. Ingelvino Epiſcopo Pariſ. præceptum ſcribit. p. 498. ejus cura pro litteris. p. 578. l. 16
Carolus Lotharii majoris filius Provinciam cum Ducatu Lugdunenſi obtinet. p. 412. l. 22
Carolus filius Pippini Aquitaniæ Regis fit clericus. p. 405. l. 40
Carolus filius Ludovici Germaniæ Regis qui Craſſus dictus. p. 503. Imperator Italiæ Germaniæ & Italiæ Rex *ibid.* Lutetiæ obſeſſæ auxilium dat. p. 507. l. 16. abdicatus ab imperio moritur. p. 507. l. 44
Carolus III. Rex qui ſimplex dictus eſt. p. 496. à Fulcone Rex inungitur. p. 521. l. 44. ſolus regnat. p. 522. l. 36. p. 529. vincitur p. 539. l. 36. ſub cuſtodia detinetur. p. 540. l. 6. in libertatem reſtituitur. p. 540. l. 33. moritur. p. 540. l. 52
Carolus Dux Lotharingiæ frater Lotharii Regis & patruus Ludovici. p. 599. l. 56. è regni ſpe dejicitur. p. 600. l. 6. Lauduni capitur. *ibid.* l. 36. Aurelianis turre includitur. l. 37
Carolus Noviom. Epiſc. p. 653. l. 36
Carolus Filius Pippini Aquitaniæ Regis. p. 382. l. 30
Caſtrodunum. p. 105. l. 46
Catulla matrona. p. 366. l. 44
Catulliacum vicus civitatis Pariſ. p. 19. l. 13
Cæſarius monachus Ciſtercienſis refert fabulam hominis redivivi. p. 706
Chaino Abbas Dionyſianus. p. 159. l. 32
Chardericos Abbas Dionyſ. p. 159. l. 32
Charibertus Rex Pariſiorum. p. 102. l. 8. decedit. p. 102. l. 40
Charibertus filius Chlotarii II. & frater Dagoberti in Novempopulania & utrâque Aquitaniâ regnat. p. 153. moritur. p. 154. l. 32
Charta ſocietatis inter Dionyſianos & Remigianos monachos. p. 380. l. 32
Childebertus Rex Francorum Pariſiis ſedem regni habet. p. 69. l. 5. filius Chlodomeris Regis cædem molitur. p. 70. Lugduni cum Uxore Ultrogotha monaſterium fundat. p. 76. l. 32. ejus erga pauperes liberalitas. p. 82. l. 5. Monaſterium condit Arelate. p. 83. l. 25. Cellam villam donat Eccleſiæ Pariſ p. 23 baſilicam Pariſ. extruit. p. 83. l. 28. & ad Caſtrum Nantonis. p. 82. l. 27. ejus conſtitutio contra Idololatras. p. 84. moritur. *ibid.* ejus ſepultura & Epitaphium. *ibid* ædificat & dotat baſilicam & monaſterium Vincentianum, ſeu Pratenſe. p. 85. ſcribit verè an falsò pragmaticum. p. 87. l. 36
Childebertus II. filius Sigiberti Rex ſalutatur. p. 107. l. 20. cum Chilperico patruo fœdus init. p. 117. l. 28. & l. 20. & cum Gunctramno Rege. *ibid.* l. 19. Fredegundem repetit. p. 124. l. 11. regnum Gunthramni Regis ſuſcipit. p. 132. l. 42. capit Lutetiam. p. 133. l. 19. moritur. *ibid.* l. 20. ejus elogium. *ibid.*
Childebertus III. filius Theodorici frater Chlodovei III. p. 215. l. 1. dat præcepta Dionyſianis. *ibid.* l. 28. *& infra* & p. 218. moritur. *ibid.* l. 16
Childericus Rex Francorum. p. 56. l. 44. p. 62. & 63
Childericus filius Chlodovei II. p. 195. l. 16. Rex Auſtriæ renunciatur. p. 198. l. 45. fit Rex Neuſtriæ. p. 207. l. 53. & p. *ſeq.* Bodilonem jubet virgis cædi. p. 208. l. 48. interficitur. p. 209. ejus ſepulcrum invenitur. *ibid.*
Childericus Rex appellatur filius Theodorici IV. p. 220. l. 36. & p. 223. l. 39. abdicatur & in monaſterium conjicitur. p. 228. & 229
Chillardus, ſeu Helladius Abbas S. Germani de Pratis. p. 215. l. 44. & p. 224. l. 18
Chilpericus Rex Francorum cum fratribus dividit regnum Surſſionis ſedem regni habet. p. 102. l. 6. Tornacum confugit. p. 107. l. 12. accuſat Prætextatum. p. 108. Calam venit. p. 116. contra ſacramentum Pariſ. venit. p. 118. l. 46. cum Childeberto fœdus init. p. 120. l. 1. *& ſeqq.* interficitur. p. 121. l. 55. in baſilica S. Vincentii ſepelitur. p. 22. l. 34. ejus filius & filiæ. *ibid.* & ejus mores. *ibid.*
Chilpericus filius Chariberti Regis Aquitaniæ moritur. p. 151. l. 33
Chilpericus filius Childerici Regis, qui & Daniel dictus eſt, Rex renunciatus eſt. p. 219. l. 30. cum Carolo-martello ad Vinciacum pugnat & vincitur. p. 219. l. 39. iterum vincitur. *ibid* l. 51. Carolo traditur. p. 220. moritur. *ibid.* l. 6 varia ejus præcepta. *ibid.*
Chiltrudis filia Caroli-martelli. p. 221. l. 38
Chlodio Francorum Rex. p. 59
Chlodoaldus puer filius Chlodomeris Regis eripitur è manibus patruorum. p. 70. l. 26. renuntiat ſæculo. *ibid* l. 48. ſecedit in Provinciam. p. 71. l. 10. apud Novientum monaſterium

monaſterium condit. *ibid.* l. 25. mors ejus & ſepultura. *ibid.* l. 43
Chlodobertus filius Chilperici moritur ejus ſepultura & epitaphium. p. 116
Chlodomeris Rex Francorum Aurelianis ponit regni ſedem, in Burgundiam bellum movet, Sigiſmundum capit, & necat. Ipſe dum iterum in Burgund. bellum gerit interficitur. p. 69. tres filios impuberes relinquit. *ibid.*
Chlodoveus Francorum Rex. p. 59. ad Tolbiacum vincit Alemannos. p. 63. l. 32. baptiſmum ſuſcipit. *ibid.* curatur à S. Severino *ibid.* l. 43. adverſus Gothos pugnat feliciter. p. 64 Lutetiam ſedem regni facit. *ibid.* l. 4 palatium habet extra inſulam. p. 64. l. 48. & p. 65. baſilicam SS. Apoſtolorum extruit. *ibid.* l. 30. moritur. p. 66. l. 16. ejus ſepultura elogium & epitaphium. p. 68
Chlodovei filii quatuor regnum partiuntur. p. 69
Chlodoveus filius Chilperici artibus Fredegundis interficitur. p. 116. 117
Chlodoveus II. filius Dagoberti ex Nanthilde regno Auſtriæ & Burgundiæ præficitur. p. 164. præceptum ejus de Foſſatenſi monaſterio. p. 171. 44. argentum abſidis baſilicæ S. Dionyſii erogat pauperibus. p. 179. l. 34. ejus præceptum pro Dionyſianis. 188. an ſincerum. p. 191. & p. 192. Auſtriæ regnum occupat. p. 195. l. 12. tres liberos è Bathilde ſuſcipit. *ibid.* l. 15. moritur. *ibid.* l. 50
Chlodoveus III. filius Theodorici. p. 214. l. 53. Dionyſianis præceptum ſcribit. p. 215. l. 26. habet placitum in Bladanacurte. p. 215. l. 19
Chlotarius Rex Sueſſionis regnat. p. 69. l. 5. filios Chlodomeris necat. p. 70 ſolus rerum potitur. p. 92. Radegundem uxorem poſt ſeceſſionem repoſcit. p. 92. moritur Compendii. p. 101 ante obitum multa facit religioſe. *ibid.* ſepelitur in baſilica S. Medardi. p. 101. l. 55. ejus quatuor filii regnum partiuntur. p. 102. l. 2
Chlotarii II. baptiſmus, levatur è fonte à Guntchramno Rege, Chlotarius vincitur ad Arnannam fluvium. p. 138. fit trium regnorum Rex. p. 140. ordinat provincias. p. 142. & 143. edictum ſcribit. *ibid.* ejus uxores. p. 146. ejus mors, ſepultura & elogium. p. 151. l. 44 *& infra.*
Chlotarius III. filius Chlodovei II. excipitur è ſacro fonte à S. Eligio. p. 177. l. 50. regnare incipit. p. 195. l. 52. obiit. p. 207. l. 5. ejus ætas. *ibid.*
Chlotarius à Carolo-martello Rex renunciatus. p. 219. l. 45. moritur. *ibid.* l. 55
Chorepiſcopi in Concilio Reginoburgenſi aboliti. p. 301. l. 29. *& infra* aboliti etiam in Synodo Pariſ. p. 345. l. 32. vetantur ordinationes facere, niſi uſque ad Subdiaconatum. p. 397. l. 4
Chriſtianus Autiſſiod. Ep. p. 433. l. 49
Chriſti ſanguis Mantuæ repertus. p. 302. l. 3
Chriſtianum ſervituti ſubjici prohibet Concil. Cabillonenſe can. 12. p. 176. l. 11
Chriſtivili monaſterium quid ſit. p. 213. l. 55
Chriſtophorus primicerius. p. 258. l. 55. & p. 259
Chrodegandus Epiſ. Sagienſis. p. 513. l. 47
Chrodegangus Epiſcopus Mettenſis legatus Pippini ad Aiſtulfum. p. 231. l. 46. ſcribit regulam canonicis. p. 521. l. 16. & p. 782
Chrodobertus Pariſienſis Epiſcopus. p. 395. an ſcripſerit epiſtolam ad ſanctum Audoenum p. 193. & 194
Chronologia actorum tranſlationis S. Launomari. p. 458
Chroiberga & Chroiſuiga filiæ Childeberti Regis. p. 85. l. 12
Chrotildis Regina filia Chilperici Regis Burgundionum. p. 73 nubit Chlodoveo. *ibid.* ei ſanctiora perſuadet. *ibid.* Extruit ædem SS. Apoſtolorum. p. 65. l. 49. ſecedit Turonos. p. 69. l. 9. filiorum peccata deflet. p. 70. l. 35. moritur Turonis ſepelitur Lutetiæ in baſilica SS. Apoſtolorum. p. 73. l. 17. dies & annus ejus mortis. p. 73. l. 50
Chrotildis filia Chlodovei Regis uxor Amalarici Regis Wiſigothorum fide clara &c. p. 72. l. 42. moritur & ſepelitur Lutetiæ in baſilica S. Petri. p. 73. l. 6
Chunaldus Abbas Dionyſianus. p. 159. l. 32
Chunibertus Colonienſis Epiſcopus. p. 153. l. 55. & p. 169. l. 21
Chuonradus Comes Pariſienſis. p. 496. l. 9. & p. 593. l. 45
S. Ciſerianus Epiſcopus. p. 548. l. 35
Circadæ jus, & nomen quando cœperit eſſe in uſu. p. 184. l. 49. & p. 185
Claudius Taurinenſis Epiſcopus. p. 334. l. 48
Claudius preſbyter. p. 66. l. 56
Clematius Epiſ. Carpentoractenſis. p. 77. l. 47
Clementia Abbatiſſa Calenſ. p. 287. l. 8
Clementinus Aptenſis Epiſcopus. p. 77. l. 54
Cleri Pariſienſis elogium. p. 94. & 95. ejus epiſt. ad Paſchalem ſummum pontificem. p. 554. l. 42
Clerici quibus annis ordines recipiant. p. 74 l. 41, qui non admitterentur ad clericatum. *ibid.* l. 56. & p. 75. l. 3 ſtipendia negantur clericis non implentibus officium. *ibid.* p. 75. l. 9. clerici civitatis. *ibid.* l. 16. ſervi & coloni arcentur à clericatu. *ibid.* l. 21. de clericorum cauſis. *ibid.* & p. 144. & p. 150. l. 34. clericus uxorem non ducat. p. 76. l. 24
Clericis honos habendus. p. 127. l. 27
Clerici non ferant teſtimonium. p. 127. l. 34
Clerici vetantur fruges in horrea & acervos congregare, ut vendant. p. 308. l. 27. juramentum inhibetur clericis. p. 308. l. 39
Clerici & monachi non adeant palatium. p. 349. l. 52
Clerici ab Ebone ordinati. p. 409. l. 21. reſtituuntur. p. 444
Clerici vagi revocentur ab Epiſ. p. 428. l. 16
Clericorum viduæ alteri non nubant. p. 127. l. 30
Clericorum diſciplina. p. 376. l. 28
Clericus uno ſaltem anno probationem faciat. p. 397. l. 16
Clippiacum villa regia. p. 149. l. 55. & p. 151. l. 27
Cluniacenſis monaſterii initia & primi Abbates. p. 603. l. 13
Cluniacenſes monachi haud parum reſtituendæ diſciplinæ contulerunt. p. 778
Cœmeterium vetus. p. 45. l. 4. & p. 47. l. 48
Collectio Gallicana canonum. p. 111. & 112
Colmanus Epiſcopus. p. 204. l. 8
Columba virgo ſub Aureliani perſecutione martyrium ſubit. p. 27. l. 38
S. Columbanus. p. 136 l. 51. Luxovienſe monaſterium conſtruit. p. 137. Brunichildis in odium incurrit. *ibid.* Lutetiam venit. l. 38 Bobium monaſterium condit. l. 46
Comites vetantur cogere ruſticanos vendere fruges minoris &c. p. 347. l. 6
Comites Pariſiorum qui & quando cœperunt. p. 589. & 590. de iis plura. *ibid. & ſeqq.*
Comitum prima initia. p. 580. de eorum dignitate plura. *ibid.* in aula varia agebant miniſteria. *ibid.* l. 50. præfecti urbium Comites vocati. p. 581. l. 6. à regibus creabantur. *ibid.* l. 14. exercebant judicia. l. 28. & militiam. l. 39. ibant ad regni comitia. l. 51. Comites ſub Francorum Regibus. p. 585. l. 13. quomodo honoribus aucti. *ibid.* l. 29. *& in ſeqq.* Comites auctoritate creſcunt ex Chlotarii magnitudine. p. 584. l. 16. aucti pariter ſub Majoribus Palatii. *ibid.* l. 49. ex Placitis. p. 585. ex Pippini principatu. *ibid.* ſub Carolo magno. *ibid.* quomodo increverint ſub Ludovico-pio. p. 586. l. 22 ex turbis domeſticis *ibid.* l. 44 & p. 587. aſſerunt comitatus ſuis filiis. p. 587. l. 42. & 588. ſub Carolo-ſimplice omnem ſibi poteſtatem ſumunt. p. 589
Compendium ſeu Carlopolis. p. 488. l. 9
Concilium Aquiſgran. ſub Carolo M. p. 301. l. 23. ſub Lud. Pio anno 816. p. 317. l. 37. ſub Lud. Pio. p. 375
Concilium ad Attiniacum. p. 474. l. 19
Concilium Aurelianenſe I. p. 66. l. 29. II. p. 74. l. 18 III. *ibid.* l. 30. IV. p. 75. l. 26. V. p. 76. l. 25
Concilium Brennacenſe. p. 113. l. 48
Concilium Cabillonenſe ſub Gunthramno. p. 308
Concilium Cariſiacenſe anno 853. in quo quatuor capita eduntur. p. 411. l. 56
Concilium Claromontanum. p. 736
Concilium ad Coloniam villam. p. 392. l. 4
Concilium Dionyſianum. p. 607
Concilium Duziacenſe. p. 474. l. 37
Concilium Exoldunenſe. p. 709. l. 7
Concilium Francofurtenſe contra Felicem Urgelitanum. p. 289. l. 48. *& ſeqq.*
Concilium Gallicanum contra Pelagianos. p. 55. l. 22
Concilium Lingonenſe. p. 422. l. 53
Concilium apud Lauriacum. p. 392. l. 4
Concilium Matiſconenſe. p. 126. l. 28
Concilium Meldenſe anno 845. p. 393. l. 34. & anno 972. p. 545. & p. 709. l. 25
Concilium apud Muritum. p. 406
Concilia Pariſiis ſæpius habita. p. 563. l. 46
Concilium Pariſienſe I. p. 40. & 41. II. p. 76. l. 15. III. p. 80. & 82. IV. p. 103. *& ſeq.* V. p. 108. *& ſeqq.* VI. p. 142. & 143. VII. ſub Lud. Pio anno 828. p. 342. *& ſeqq.* VIII. ſub Carolo-calvo anno 846. p. 395. l. 35. Concilium Pariſienſe IX. p. 400. ſub Carolo-calvo anno 848. & anno 849. X. habitum eſt de cauſa Nomenoii. p. 403.

Kkkk

anno 1050. contra Berengarium. p. 672. l. 9. anno 992. p. 711. l. 47
Concilium Piſtenſe an. 862. p. 419. l. 55
Concilium Pontigonenſe anno 876. p. 484. l. 22
Concilium Romanum contra Monothelitas. p. 174
Concilium Reginoburgenſe. p. 301. l. 29
Concilium Remenſe anno 625. p. 150. l. 18. & pariter anno 981. p. 601. l. 2
Concilium apud Saponarias. p. 423. l. 6. & p. 425. l. 59
Concilium Senonenſe anno 980. p. 607. l. 17
Concilium Sueſſionenſe anno 853. de clericis ab Ebone ordinatis depoſitis & an. 862. p. 432. & anno 866. de iiſdem clericis reſtitutis. p. 444. *& ſeqq.*
Concilium ad Theodonis villam anno 844. p. 392. l. 5
Concilium Trecenſe an. 867. p. 447. l. 27
Concilium Turonenſe II. p. 102. l. 9
Concilium apud Tuſſiacum anno 850. p. 427. l. 45
Concilium ad Vermeriam anno 853. p. 411. l. 44. & an. 869. p. 473. l. 19
Concilium in Verno Palatio. p. 392. l. 28
Confeſſio ut ſit plena, ſit cogitationum æque ac delictorum. p. 309. l. 25
Conſtantia Regina uxor Roberti Regis. p. 613. l. 15. in hæreticum acerba. p. 617. l. 47. Hugonem Belvacenſem jubet interfici. p. 620. l. 13. Henrico filio infenſa. Roberto favet. p. 657. l. 6. Henrico cedit. p. 657. l. 20. ejus obitus & ſepultura. p. 657. l. 22
Conſtantini donatio an ſincera. p. 455. l. 54
Conſtantinus cathedræ Romanæ invaſor. p. 253. l. 45
Conſtantius manus temperat à ſanguine Chriſtianorum. p. 30. & 31
Conſtantius Conſtantini filius favet Arrianis. p. 38. Nicomediæ moritur. p. 44. l. 40
Conſtitutio Chlotarii. p. 143. & 144
Conſtitutio Caroli M. de ſcholis. p. 282. ejuſdem ne Epiſcopi eant ad bellum. p. 285
Conſtitutum Ludovici-pii de monaſteriis. p. 322. l. 47
Conſtitutus Senonenſ. Metropolitan. p. 77. l. 50. & p. 105
Conventus Aurelianenſis. p. 355. l. 17
Conventus Balgenciacenſis. p. 745. l. 48
Conventus apud baſilicam S. Dionyſii. p. 481
Conventus apud Carſiacum. p. 378. l. 51
Conventus ad Carſiacum anno 849. p. 421. & iterum anno 853. *ibid* & anno 877. p. 487
Conventus Epiſcoporum ad Bonoilum ann. 856. p. 412. l. 56
Conventus Pariſ. de imaginibus. p. 329. l. 19
Conventus Noviomagenſis. p. 352. l. 35
Conventus Sylvaneꝺ. p. 481. l. 52
Conventus ad Theodonis villam in quo Ebo depoſitus eſt. p. 362. l. 27
Conventus Vvormariæ ubi Ludovicus Lothario & Carolo provincias dividit. p. 382. l. 58
Convoion Abbas Rotonenſis. p. 402. l. 29. Romam mittitur. *ibid.* l. 38
Copronymus contra cultum imaginum ſynodum indicit. p. 329. l. 45
Corbagathus ſeu Corberannus vincitur à Francis. p. 758. l. 30
Corbonacum villa Regia. p. 260. l. 52
S. Corentinus. p. 548. l. 34
S. Cornelii monaſterium. p. 488. l. 7
Coronæ uſus ſolemnioribus diebus. p. 746
Creſcentia virgo. p. 565. l. 44
SS. Criſpinus & Criſpinianus martyres ſocii ſancti Dionyſii. p. 24. l. 51

D

DAGOBERTUS filius Chilperici. p. 116. l. 5. ejus mors, ſepultura & epitaphium. *ibid.*
Dagobertus filius Chlotarii II. p. 147. narratio Dagoberti cervum inſequentis refertur. p. 147. refellitur. 148. l. 38. & p. 149. à Patre regno Auſtriæ donatur. p. 149. l. 24. diſceptatio inter Chlotarium & Dagobertum componitur. p. 150. paternum regnum ſolus ſuſcipit. p. 152. l. 52. & p. 153. fratri Chariberto Novempopulaniam, & partem Aquitaniæ donat p. 153. l. 34 pravis affectibus ſe permittit. p. 154. l. 3. extruit & dotat Baſilicam S. Dionyſii. p. 155. & 156. Dagobertus apud Spinogilum ægrotat p. 165. in monaſterio S. Dionyſii moritur. p. 165. l. 19. fabula de ejus vexatione poſt mortem rejicitur. p. 165. l. 29 *& infra.* ejus elogium p. 166. de annis Dagoberti diſputatio. p. 166. & 167
Dagobertus filius Sigiberti II. à Grimoaldo è regno dejicitur & in Scotiam mittitur. p. 194. l. 50. redit in Auſtriam, male pugnat cum Theodorico, moritur. p. 218
Dagobertus III. filius Childeberti III. patri ſuccedit. p. 218. l. 59. moritur. p. 219. l. 27
Dæmoniaci purgati. p. 539. l. 14
Daimbertus Archiepiſc. Senonenſis p. 731. l. 1. & l. 21. & p. 487. l. 13. renuit agnoſcere primatum eccleſ. Lugd. p. 739. l. 38. ordinatur Romæ. 740. l. 54. primatum Lugd. agnoſcit. p. 741. l. 2. intereſt reconciliationi Philippi Regis. p. 746. l. 45
Dalphinus Lugd. Epiſcopus. p. 200. l. 48
Dalphinus Abbas S. Germani de Pratis. p. 215. l. 59
S. Damaſceni de Euchariſtia ſententia. p. 665. l. 8
Damaſus legatus Stephani ſummi Pontificis. p. 541. l. 52
Decani præpoſiti monaſteriis S. Dionyſii & S. Germani à Pratis. p. 525. l. 14. & p. 610. l. 11
Decimæ. p. 127. l. 10
Decimæ perſolvendæ Eccleſiis ubi Miſſa auditur & recipitur baptiſmus. p. 309. l. 1
Decimas Epiſcopi Clericis aſſerere tentant. p. 608. l. 3. datæ monaſteriis & capitulis. p. 681. l. 58. quod ægre Epiſcopi patiebantur. *ibid.* l. 40
Defenſor Epiſcopus Andegavenſis. p. 9. l. 44
Deodefridus Epiſcopus Pariſienſis. p. 253. l. 30. & p. 263. l. 48
Deſideratus Epiſcopus Cabillonenſis. p. 210. l. 23
Deſiderius creatur Rex Longobardorum. p. 255 l. 44. *& infra.* prava molitur conſilia adverſus ſummum Pontificem. p. 259. l. 53. Chriſtophoro & Sergio oculos erui jubet. p. 260. l. 6. in agros Romanorum copias mittit. p. 262. l. 53
Deſiderius Dux. p. 127. l. 8
Deſiderius Dux Tholoſ. p. 121. l. 45
Diaconiſſæ abolitæ in Galliis. p. 74. l. 24
Dido Epiſcopus Pictavenſis. p. 207. l. 32
Dinamius Dux Maſſilienſis. p. 582. l. 24
Diocletiani perſecutio non invaſit Gallias. p. 30
S. Dionyſius primus Epiſcopus Pariſienſis. p. 14. quando Lutetiam venit. *ibid.* Ruſticum preſb. & Eleutherium diac. ſocios ſibi adiciſcit. p. 14. & 15. ſub Feſcennino præſide martyrium cum ſociis facit. p. 16. de carcere S. Dionyſii. p. 17. quibus ante mortem ſuppliciis affectus p. 18. quo in loco mortem pertulerit. p. 18. l. 35. ſepelitur ad v. ab urbe lapidem. p. 19. l. 36. *& infra* S. Dionyſii XII. Socii in Belgica ſecunda Evangelium annunciant. p. 23. de die & anno quo S. Dionyſius paſſus eſt. p. 25. & p. 28. quo tempore & qua perſecutione paſſi ſunt ſocii ſancti Diony. p. 28. de ejus ſepulcro. p. 106. illi S. Eligius mauſoleum fabricat. p. 155. l. 34. mittitur à S. Clemente. p. 220. l. 47. de libris ſancti Dionyſii diſſeritur. p. 336. *& ſeqq.* Hilduinus pro S. Dionyſio Areopagitâ ſcribit. p. 366. de ea controverſiâ ad longum diſſeritur. p. 367. & p. *ſeqq.* an à S. Clemente miſſus ſit. p. 372. l. 20. de corpore S. Dionyſii controverſia. p. 646. *& ſeq.* variæ tranſlationes corporis S. Dionyſii. p. 649. l. 7. Henricus Imperat. obtinet à Carolo III. manum S. Dionyſii. p. 649. l. 22. ſæpius Reges auxilium S. Dionyſii experti ſunt. p. 653
An Dionyſiani monachi ſuum habuerint in monaſterio Epiſcopum. p. 240. *& ſeqq.* & p. 275. Dionyſiani, qui à monachis ad canonicos transfugerant, auctoritate Epiſcopali priſtinum habitum recipiunt. p. 242. & 243. Dionyſiani ad electionem Pariſ. Epiſcoporum appellati. p. 244. ordinantur ab Epiſcopo Pariſ. p. 244. l. 55. an Epiſtola Hadriani Dionyſianis data, ſincera. p. 278. *& ſeq.* Dionyſianis ſcriptum privilegium falſum eſt. p. 292. & 293. Dionyſiani à monachis ad Canonicos deficiunt. p. 319. l. 6. & p. 322. l. 5. recipiunt monaſticam diſciplinam. p. 353. l. 18 *& infra.* præceptum Ludovici-pii de ea re. p. 354. Dionyſiani cum Remigianis ineunt ſocietatem. p. 380. l. 9. controverſia inter Regienſes monachos & Dionyſianos de corpore S. Dionyſ. p. 646. *& ſeqq.* obtinent privilegium ab Alexandro II. p. 720. paucis inquirimi in privileg. p. 721. l. 18. Cum Gotfrido Epiſ. Pariſienſi litigant. p. 721. l. 26
Dionyſianum Concilium ſicut latrocinium finitum. p. 608
Doda uxor Arnulfi. p. 149. l. 39
Dodo Abbas Dionyſianus. p. 159
Dodo Abbas. p. 267. l. 13
Dodo Andeg. Ep. p. 453. l. 38
Domigiſilus. p. 121. l. 37
Dominica dies obſervanda. p. 127. l. 6. p. 310. l. 6. & p. 346. l. 56. & p. 347. l. 1

Donatus Abbas Caſſinenſis. p. 232. l. 51
Droctegandus Abbas Gorzienſis legatus Pippini ad Stephanum PP. p. 231
Droctoveus primus Abbas monaſterii Pratenſis. p. 86. l. 46. de eo. *in ſeqq.*
Drocus, ſeu Drogo filius Pippini & Plectrudis. p. 214. l. 26. fit Dux Campaniæ. p. 217. l. 56
Drogo filius Caroli-magni in monaſterium conjectus. p. 315. l. 23. Metenſis Epiſcopus, Archicapellanus. p. 383. l. 5. primatum in Galliis obtinet. p. 39. l. 37. & *p. ſeq.* p. 485. l. 58. & p. 756
Duces & de eorum dignitate. p. 581. l. 54. præpoſiti provinciis p. 582. ad nutum Regum creabantur. p. 581. l. 22. Duces quibus filii ſuccedebant. p. 581. l. 43. Duces Britannorum. Duces Bajoariæ. Duces Aquitaniæ p. 582. l. 46
Dungalus monachus recluſus Dionyſiani monaſterii. p. 334. l. 47. & p. 355
Durandus Abbas Troarnenſis ſcribit contra Berengarium p. 669. l. 41

E

EBroïnus Comes. p. 122. l. 19
Ebo Remenſis Archiepiſcopus. p. 342. p. 350. l. 28. in baſilicâ S. Medardi exauctorat Ludovi. Pium. p. 361 ipſe deponitur. p. 362. l. 17. reſtituitur. p. 390. l. 27 Ebonis cauſa retractatur. p. 400. de ejus depoſitione Epiſt. Synod. p. 447. l. 33
Ebolus nepos Gozlini Epiſ. Pariſ. fit Abbas Pratenſis. p. 504. l. 14 p 506. l. 31. ejus elogium. p. 517. & p. 518. fuit Cancellarius. p. 524. l. 50. Abbas Dionyſianus. p. 525. l. 35. moritur. *ibid.* l. 40
Ebolus Pictav. Comes. p. 532. l. 3
Ebrigiſilus Epiſcopus Meldenſis. p. 206. l. 45
Ebroïnus major domus. p. 198. l. 35. Theodoricum Regem ſenuncat. p. 207. l. 15. mittitur in Luxovienſe monaſterium. p. 208. l. 5. exit è Luxovio. p. 209. l. 51. Leudeſium majorem domus interficit. *ibid.* l. 9. perſonatum Regem creat. p. 110. l. 13 Martinum & Pippinum vincit. p. 211. l. 10. Ebroïnus interficitur. p. 211. l. 39
Ebroïnus Pictavenſis Epiſcopus. p. 379. l. 41. fit Abbas Pratenſis. p. 391. l. 51. præſidet in Vernenſi Concilio. p. 392. l. 31. moritur. p. 464. l. 33
Eccleſiæ Pariſienſis prima baſilica ubi primùm. p. 15. l. 13
Eccleſia nec altare dividatur inter hæredes. p. 309. l. 22
Eccleſiæ ſenior quæ ſit. p. 565. l. 46
Eccleſiarum & rerum eccleſiaſticarum invaſores. p. 81. l. 2. &c.
Eccleſiaſticæ diſciplinæ inclinatio. p. 607. l. 50
Eccleſiaſticæ res non commutentur abſque Regis conniventiâ. p. 409. l. 17
Eccleſiaſticæ cauſæ. p. 349. l. 17
Edelbodus Anglorum Rex. p. 428. l. 49
Eggebardus Comes Pariſienſ. p 592. l. 3
Eghartus regiæ menſæ præpoſitus. p. 267. l. 55
Eginhardus Abbas. p. 72
Eginhardus Abbas Foſſatenſis. p. 426. l. 47. & p. 536. l. 27
Einardus Abbas Foſſatenſ. p. 536. l. 30
Elafredus Abbas Foſſat. p. 322. l. 55
Eleutherius diaconus ſocius S. Dionyſii. p. 21 & 22
Eleutherius nepos Agliberti Pariſ. Epiſcopi fit Epiſcopus Geviſſaium. p. 205. l. 36
S. Eligii patria & parentes, Pariſios venit, ſellam fabricat ex auro, in pretio habetur apud Chlotarium, pietati ſe addicit. p. 152. l. 9. *& infra.* fit charus Dagoberto Regi. p. 159. ejus virtutes referuntur. p. 160. legatus mittitur ad Judicailem. p. 161. l. 9. Solemniacenſe monaſterium condit. *ibid.* l. 37. & virginum monaſterium Pariſiis. p. 161. l. 41. huic Auream virginem præficit. *ibid.* l. 45. extruit baſilicam S. Pauli. p. 162. extinguit ignem in Eccleſiâ S. Martialis. *ibid.* l. 11. ejus miracula. *ibid.* l. 29 Monothelitam hæreticum è regno ejici curat. p. 162. l. 46. & alium ſeductorem ex urbe. p. 165. ſimiliter & pſeudo-Epiſcopum. p. 163. l. 13. fit Epiſcopus Noviomenſis. l. 44 ejus mors, ſepultura & honos poſt mortem habitus p. 163. l. 51. annus & dies ordinationis S. Eligii. p. 168. l. 28. Chlotarium III. è fonte ſuſcipit. p. 177. l. 37. viſio S. Eligii de Chlotario, Childerico, Theodorico Regibus & Bathilde Regina. p. 194. l. 29. & p. 195. l. 17. mors & ſepultura. p. 197. l. 33. honos ejus corpori habitus, ejus reliquiæ, & tranſlatio. *ibid* & p. 198
Elipandus Archiepiſcopus Toletanus ſpargit per Hiſpaniam hæreſim Felicianam. p. 290. condemnatur in Synodo Francofurdienſi. *ibid.* l. 48
Eloquius Abbas Latiniacenſis. p. 216. l. 34
Elyſiardus Epiſcopus Pariſienſis. p. 552. l. 20. ejus obitus. *ibid.* l. 19. præceptum obtinet à Lothario & Ludovico Regibus pro clauſtro, & literas à Benedicto PP p. 552. 553
Emilianus Abbas Latioiac. monaſt. p. 179. l. 1. p. 216. l. 34
Emma filia Regis Roberti & uxor Rodulfi Regis. p. 540. l. 20
S. Emmerammi monaſterium. p 646. l. 10. in eo falsò dicitur repertum corpus S. Dionyſii. *ibid.*
Ennodius Dux Turonicæ & Pictavenſis urbis. p. 582. l. 6
Epiſcopi non alant canes. p. 127. l. 25
Epiſcopi non ſolebant ſubjici pœnitentiæ. p. 176. l. 50
Epiſcopi regia conſtitutione vetantur ire ad bellum. p. 271. l. 16. *& infra* & iterum. p. 296. l. 20
Epiſcopi non adeant forum etiam pro ſuis negotiis. p. 308. l. 33. circumeant parochiam, nec graveni preſbyteros. *ibid.* l. 45
Epiſcopi vagi quos Scotos vocant non faciant ordinationes. p. 309. l. 51
Epiſcopi habent facultates Eccleſiæ tamquam res commendatas. p. 344. l. 55. & p. 345. non debent à civitate diſcedere. p. 345. l. 21
Epiſcopi ſemel ſaltem in anno celebrent Synodos. p. 345
Epiſcopi regulariter eligantur. p. 396. l. 6
Epiſcopi viſitent plebem. p. 396. l. 38
Epiſcopi vetantur jurare ſuper ſacra. p. 396. l. 52
Epiſcopi Gallicani ad Nomenoium Synodicam mittunt. p. 405
Epiſcopi habent jus in colonos Seniorum. p. 410. l. 56
Epiſcopi Britones admonentur, ut ſe ſubdant Metropoli Turon. p. 426. l. 41. & p. 427. l. 13. & iterum. p. 446. l. 49
Epiſcopi non ſine nutu Regis eligebantur. p. 488. l. 40
Epiſcopi populum ad emendationem morum adhortantur. p. 638
Epiſcopis quis honor deferatur. p. 494. l. 43
Epiſcoporum electio canonica. p. 82. l. 25
Epiſcoporum cauſæ. p. 127. l. 19
Epiſcoporum Gallicanorum ſententia de imaginibus. p. 332. l. 35. & p. 354. l. 34. de quibus Sirmondus & Mabillonius. p. 385
Epiſcoporum officium. p. 375
Epiſcoporum ædes non fiant diverſoria fœminarum. p. 396. l. 27
An Epiſcopum ſuum habuerint Dionyſiani monachi. p. 240. *& ſeqq.*
Epiſcopus non ambitu, non præmio fiat. p. 76. l. 28. vacante cathedra clericum non ordinet. *ibid.* vivente altero alter non fiat. p. 76. l. 31
Epiſcopus qui neglexerit adeſſe Synodis ceſſet ab officio. p. 396. l. 43
Epiſtola S. Germani ad Brunechildem. p. 96. l. 29
Epiſtola Hadriani PP. data Dionyſianis. p. 276 an ſincera. p. 278 l. 27
Erchanraus Catalaun. Ep. p. 433. l. 45
Erchenradus I. Pariſienſis Epiſcopus. p. 263. l. 51. Dionyſiani cum eo litigant. p. 264. de duobus Erchenradis. p. 265. l. 2. & p. 326. l. 32. Canonicos inſtituit. p. 561. l. 25
Erchenradus junior fit Epiſcopus Pariſienſis. p. 357. l. 37. ſubſcribit depoſitioni Ebonis. p. 362. mittitur ad Pippinum Regem Aquitaniæ. p. 377. l. 11. it obviam corpori S. Liborii. p. 378. l. 24. Judex ſtatuitur in cauſa Anilolenſium monachorum. p. 379. l. 42. adeſt Concilio Meldenſi. p. 395. l. 35. obtinet præceptum à Carolo-calvo. p. 405. l. 45. p 412. l. 50. de anno ejus obitus. p. 415. l. 8. ſubſcribit pluribus chartis. *ibid.* l. 45. ejus elogium. p. 562. l. 43
Erchinoaldus major domus Chlodovei Regis. p. 174. l. 6. ejus mores. *ibid.* Aurelianis cum Nanthilde venit. l. 16. ejus mors & mores. p. 197. l. 25
Eriſpoïus Rex Britanniæ minoris Nomenoïo patri ſuccedit. p. 407
Erluinus Conſtant. Ep. p. 434. l. 1
Ermenarius palatii Chariberti præfectus. p. 131. l. 30. interficitur. *ibid*
Ermenfredus Epiſcopus Pariſienſis. p. 304. l. 8
Ermenfredus Sedunenſis Archi. p. 642. l. 8
Ermenfredus miles ſcribit donationem monachis Foſſat. p. 622. l. 44
Ermengardis uxor Lotharii. p. 326. l. 43

Ermengrade Abbatiſſa Calenſis. p. 287. l. 7
Ermenricus Argentoli fundat monaſterium. p. 630. l. 48
Erpuinus Sylvaneſt. Epiſ. p. 433. l. 26
Erricus, ſeu Heiricus monachus Autiſſidio. p. 578.
Erychius Viennenſis Metropol. p. 77. l. 48
Ethelbertus Cantuariorum Rex. p. 134. fidem docente Auguſtino amplectitur. p. 135. l. 24
Euchariſtia quomodo ſancte Sumenda eſt. p. 320. l. 3
Euchariſtia ſeu Euchariſtiæ ſacramentum de eo ſcribit Joannes Scotus. p. 261. l. 47. Paſchaſius rectius de eo ſcribit. p. 661. cui ante Ratherium non tam expreſſe de eo ſcriptum ſit. p. 662. l. 24. de ratione illius ſacramenti quidam male ſentiebant. p. 663. l. 20. de Euchariſtia ſcribit Rabanus ad Egilonem. Quinam ſentiebant corpus Chriſti in ſeceſſum ire. p. 265. l. 16. quando primum diſputatum de ſacramento Euchariſtiæ. p. 668
S. Eucherius Epiſcopus Aurelianenſis. p. 221. l. 46 ejus revelatio de damnatione Caroli-martelli rejicitur. *ibid* & p. *ſeq.*
Eudo Dux Aquitaniæ. p. 582. l. 53
Eugenius II. ſummus Pontifex. p. 328. l. 49. moritur. p. 339. l. 49
Eugenius Toletanus an ſcripſerit hymnum. S. Dionyſii. p. 367. l. 5
S. Eugenius martyr ſocius S. Dionyſii. p. 24. l. 53. Martyrium ſubit p. 33. l. 47. an primus Toletanus Epiſcopus p. 34. de variis ejus tranſlationibus. *ibid.* & p. 534. & *ſeq.*
S. Eulogius martyr Cordub. p. 425
Eunius Venetenſis Epiſcopus. p. 117. l. 23
Euphratas Epiſcopus condemnatus in Concilio Agrippinenſi. p. 36. l. 41. adeſt in Concilio Sardicenſi. p. 37
Euphronius Epiſc. Turon. p. 80. l. 46. p. 102. l. 35
Euſebius Pamphili Cæſarienſ. Epiſcopus. p. 317. l. 56
Euſebius I. Pariſienſis Epiſcopus. p. 79 l. 16. Chlodoaldum ordinat presbyterum *ibid.* l. 40
Euſebius II. Pariſ. Epiſ. p. 131
S. Euſtaſius Abbas Luxovienſis. p. 168. l. 6
Exarchus Imperatoris Ravennæ ſedem ponit. p. 230. l. 43
Excommunicatio celebris Hugonis militis. p. 243. l. 40
Expectatus Forojulienſis Epiſcopus. p. 77. l. 55

F

FASDA apud Francos quid ſit. p. 682
Faileuba Regina uxor Childeberti. p. 133. l. 22
Fames Galliam affligit. p. 537. l. 25
Faramodus Epiſcopus Pariſ. frater Ragnemodi. p. 131. l. 7
Faraulfus Chilperici cubicularius. p. 125. l. 34
Fardulfus index conjurationis contra Carolum M. p. 288 fit Abbas Dionyſianus. *ibid.* l. 38. plura de eo. *ibid.* Fardulfus fit Miſſus dominicus. p. 298. l. 53. ædes extruit Carolo M. p. 300. l. 55
Faro Epiſcopus Meldenſis. p. 179. l. 43
Fauſtinianus Epiſcopus Aquenſ. depoſitus in Concil. Matiſcon. II. p. 126. l. 41
Fedolius ſeu Fedolus Epiſcopus Pariſienſis. p. 225. l. 55
Felix Epiſcopus Bituricenſis ordinatur à S. Germano Pariſ. Epiſc. p. 93. l. 12
S. Felix diaconus & martyr. p. 7. l. 54
Felix Epiſcopus Pariſ. p. 49. l. 34
Felix Urgelitanus Epiſcopus novam de Chriſto hæreſim docet. p. 289. l. 53. condemnatur in Synodo Francofurtenſi. p. 290. l. 48. Palinodiam cantat, deponitur, & mittitur in exilium. p. 294. l. 23
Felix Coriſopitenſis Epiſcopus. p. 402. l. 3
Feminæ non ſibi velum imponant. p. 346. l. 21
S. Ferreolus presbyter & martyr. p. 8. l. 15. p. 567. l. 47
S. Ferrucio diaconus & martyr. p. 8. l. 13
Feſcenninus præſes. p. 9. l. 13
Filia non nubat abſque arbitrio parentum. p. 81. l. 22
Firminus Uceticus Epiſcopus. p. 77. l. 48
Firminus Comes Arelatenſis. p. 581. l. 9
Flavianus Epiſcopus Pariſienſis. p. 49. l. 35
Flavius Epiſcopus Cabillonenſis p. 129. l. 53
Floacatus major domus in Burgundia conſtituitur. p. 174. l. 18
Flodoardi & aliorum calumniæ in Æneam Pariſ. Epiſ. exploduntur. p. 458. & *ſeq.*
Florentius Epiſcopus Matiſconenſis. p. 91. l. 9
Foillanus & Ultanus fratres S. Furſei. p. 178. l. 56
Formoſus Epiſ. excommunic. p. 494
Formula *regnante Chriſto*, cur & quando in uſu. p. 749
S. Fortunatus diaconus. p. 7. l. 54
Fortunatus ſcriptor vitæ S. Marcelli alius à Pictav. Ep. p. 46. l. 18
Foſſatenſis monaſterii fundatio & dotatio. p. 171. l. 39. ejus privilegium. p. 173. l. 44. præceptum huic monaſterio ſcribit Carolus-cal. p. 389. De eo plura. p. 175. l. 37. in eo inclinat regularis diſciplina. p. 602. l. 24. huic ſubjicitur Glannafolienſe monaſt. p. 359. l. 30. ſubtrahitur ejus juriſdict. p. 723. l. 12. huic jungitur monaſterium Virginum S. Eligii. p. 765. & 766
Francofurtenſis decreti de imaginibus explicatio. p. 331. l. 19
Franco Pariſienſis Epiſc. p. 634. l. 15. ſuis Cancellarius. p. 634. l. 38. ad Fulbertum de variis rebus ſcribit. p. 234. l. 37. apud eumdem, & apud Leothericum Senon. Archiep. de Lyſiardo Archidiac. conqueritur. p. 633. l. 42. & p. 635. duas villas recipit Buxas & Scabioſas. p. 636. l. 4. litteræ referuntur. p. 636. annus & dies ejus obitus p. 636. l. 52
Franco Rotomag. Archiep. cum Rollone paciſcitur. p. 530. l. 53. & 531. l. 3
Franco Cenomanenſis Ep. p. 350. l. 32. p. 379. l. 25
Francorum origo. p. 57. & 60. & *ſeq.* de Francis & de variis eorum expeditionibus. p. 58. 59. 60. & 21. de eorum religione. p. 61. l. 44. Franci Salii. p. 38. l. 43. Attuarii. p. 58. l. 48. Francorum clades ad Roticidam vallem. p. 128. l. 4
Fraſtrada uxor Caroli-magni. p. 273. l. 5
Freculfus Lexovienſis Epiſ. p. 350. l. 32
Freculfus Sancton. Epiſ. p. 433. l. 32
Fredebertus ordinatus ab Ebone. p. 410. l. 7
Fredegarii hiſtoria, ſeu Chronicon. p. 174. l. 35
Fredegundis uxor Chilperici Regis. p. 107. l. 6. & p. 108. an Chilpericum occidi curaverit. p. 122. l. 4. venit Pariſios, Guntchramno ſe committit. p. 132. pugnat feliciter. p. 132. l. 53. iterum pugnat ad Latofaum p. 133. ejus mors & ſepultura. *ibid.* & p. 114
Fredeuna uxor prima Caroli III. p. 542. l. 3
Froclandus Sylvaneſt. Epiſ. p. 648
S. Frodulfus. p. 217. l. 28 & 50
Frotarius Burdegal. E. p. 428. l. 27. p. 433. l. 49. p. 433. l. 50. p. 476. l. 43
Frotmundus Comes Senon. p. 623. l. 34
Fulbertus Canonicus Pariſ. avunculus Heloiſſæ. p. 775. l. 56 & p. 774
Fulbertus Carnotenſis Epiſ. pietate & doctrina floret. p. 618. l. 30. portentum interpretatur. p. 618. l. 45. ſcribit ad Albertum Epiſ. Pariſ. extat ejus epiſt. p. 633 accibe Franconi Epiſ. Pariſ. reſpondet. p. 635
Fulchricus Trecenſis Epiſc. p. 431. l. 55 p. 433. l. 44
Fulcharius, ſeu Flodegarius Andegavenſis Epiſcop. p. 350. l. 35
Fulco Comes Palatii. p. 379. l. 53
Fulco Chorepiſcopus locum Ebonis occupat. p. 393. l. 49
Fulco Comes Andegav. p. 637. l. 17
Fulco Remenſis Archiep. p. 504. l. 27. p. 505. l. 17
Fulco Decanus Eccleſiæ Pariſienſis. p. 729 l. 4. eligitur Pariſ. Epiſc. de eo plura. p. 730. l. 28. ejus electio diſcutitur. p. 731. l. 1. approbatur à Paſchale PP. à quo & ordinatur. p. 731. l. 18. de eo Paſchalis ad Daimbertum ſcribit. p. 731. annus & dies ejus obitus. p. 732. l. 20
Fulradus Abbas S. Dionyſii. p. 224. l. 15. & l. 47. ad Stephanum PP. mittitur legatus. p. 232. l. 6. Fulradus in Italia legatus Pippini multa honorifice agit. p. 235. l. 30. & *infra.* quando fuit Abbas Dionyſianus. p. 236. p. *ſeq.* Epiſtola Stephani PP. ad Fulradum. p. 238 & 239. an ſincera. p. 240. & *ſeqq.* ejus obitus. p. 246. l. 19. elogium. *ibid.* & ſepultura *ibid.* teſtamentum ſcribit. p. 268. de obitu Fulradi & ejus muneribus. p. 273. l. 8. & *infra.* Lebrahenſe monaſterium Dionyſianis ſubjicit. p. 421. l. 58
Fulradus Epiſcopus Pariſienſis. p. 535. l. 2. & *ibid.* l. 36. ejus obitus. p. 536. l. 9
S. Furſeus in Hibernia natus. p. 178. l. 26. in Angliam tranſiit ad Sigibertum Regem. *ibid.* 34. in Galliam venit Erchinoaldus hunc ſuſcipit. l. 43. apud Latiniacum condit monaſterium. *ibid.* moritur. p. 179. corpus ejus Peronam transfertur. *ibid.* l. 5. conditus in Eccleſia, quam conſtruxerat Erchinoaldus. *ibid.* l. 7. elevatur ab Eligio. l. 10. dies ejus anniverſarius ejus obitus & tranſlationis celebratur. l. 12. & *infra.*
SS. Fuſcianus & Victoricus martyres ſocii ſancti Dionyſii. p. 23. l. 50. & p. 24. l. 8

G

GAIRBFREDUS Comes Pariſ. p. 590. l. 27
Gairinus Comes Pariſi. p. 590. l. 32
Gairinus Comes Pictavenſis frater S. Leodegarii. p. 209. l. 55
Galactorius Comes. p. 582. l. 14
Galerannus præcentor Eccleſiæ Pariſienſis ſecedit ad Martinianos p. 699. revocatur ab Epiſcopo. ibid. ad eum ſcribit Anſelmus Cantuari. Archiep p. 700. laudatur ejus revocatio. ibid. l. 38
Galeſuintha Regina. p. 120. l. 28
Galliarum ſtatus p. 1 diviſio in provincias & populos. p. 3. adminiſtratio. p 4. religio. p. 5. & 6. de Galliæ Celticæ primis Eccleſiis. p. 6. & 7. ſtatus Galliarum poſt Decium Imperatorem p. 25. l. 45. & p 26. Gallia Belgica. p. 28. quo tempore Evangelium recepit. p 29. perſecutio Diocletiani Gallias non afflixit. p 30. l. 27. perſecutio Maximiani ſævit in Galliâ Belgicâ. p. 32. Galliarum ſtatus ſub Honorio. p 49. & 59. l. 20. unde crebra in Galliis certamina. p 683. l. 2. Galliarum regnum non interdicto poſitum eſt ob noxam Philippi Regis. p. 747
Gallicanæ Eccleſiæ inſtituta laudat S. Gregorius PP. p. 136. l. 39
Galo Epiſcopus Pariſi. p. 732. l. 26. eligitur Epiſ. Pariſi. non poteſt obtinere à Rege regalia. p. 732. l. 32. eligitur Epiſ. Pariſ. p. 733. l 45. de ejus tranſlatione ſcribit Paſchalis PP. ad clerum Pariſ. p. 734. l. 18 S. Anſelmi amicus. p 735. l. 6 Roma ex reliquiis S. Priſcæ attulit. ibid. l. 10. intereſt reconciliationi Philippi Regis. p. 746 l. 44. de ratione ejus annorum. p. 763. l. 6 & 764 fit legatus ſummi Pontificis. ibid dat Foſſatenſibus monaſt S. Eligii. p 765. ejus charta pro monaſt S. Eligii Foſſat. data. p. 765. & 766
Galterius Epiſcop. Aurel. p. 496. l. 25
Galterius Decanus monaſt. Dionyſ. p 610. l. 40
Galterus Abbas S. Germani Pratenſis. p. 524. l. 5
Galterus Abbas Dionyſ. p. 490. l. 20
Garnegaudi donatio facta Eccleſiæ S. Martini. p. 327
Garnerus ſupprior domus Victorinæ. p. 793. l 32
Garno Abbas Curbonienſis. p. 458. l. 6
S. Gatianus Epiſ. Turonenſ. p. 9. l. 28
Gaufredus turpis facit donationem monaſterio Longi-pontis. p. 688. l. 54
Gaufridus fit Epiſcopus Pariſi. p. 686. l. 4. monachis Longi-pontis dat Eccleſiam p. 687. l. 37. dat duo altaria monaſterio Longi-pontis. p. 691. l. 4. dat Martinianis monachis altare. p. 693. l. 41. pietate & religione clarus. p. 695. l. 14. agit nomine Gregorii PP. vii. in quibuſdam negotiis. p. 695. l 16. Richerium Senonenſ. Archid. ordinat. p. 709. dies & annus ejus obitus. p. 718. l. 55. & p. ſeq.
Gaufridus Epiſcopus Carnotenſ. Vide Goffridus.
Gaufridus Comes. p. 379. l. 54
Gaufridus Vicecomes. p. 618. l. 33
Gebuinus Lugd. Archiep. obtinet primatum in Lugd. provincias. p. 737. l. 42
Gelduinus pravis artibus in ſedem Senonenſem intruditur. p. 678. l. 36 dejicitur. p 679. l. 18
Genaubodes, Marcomeres, & Sunno Reges Francorum. p. 59 l. 5 & l. 10 21. & infra.
S. Genovefa nata Nemptodori patre Severo matre Gerontia. p. 50. l. 2. & 3. occurrit S. Germano Autiſſiodorenſi Epiſc. l. 24. ſpondet Deo virginitatem l. 35. Lutetiam venit. p. 51. l. 31. paralyſi affligitur, purgatur à calumniis opera S. Germani. p. 52. l. 15. varia de ea & ejus ſanctitate referuntur. p. 253. annus & dies ejus obitus inquiritur. p 53. & 54. acta ejus vitæ examinantur. p. 54. l. 36. variæ ejus reliquiarum evectiones referuntur. p. 55. l. 25. ejus reliquiarum ſolemnis relevatio ibid, l. 52. tranſlatio. p. 56. l. 2. honos ejus thecæ & reliquiis habitus. p. 56. ejus corpus ad Dravetum defertur. p. 399. l. 18
Gentiliacenſis Synodus. p. 249. l. 34
Georgius nomenclator excommunicatur. p. 494. l. 36
Georgius monachus S. Sabæ. p 465. martyrio defungitur. ibid.
Gerardi Comitis lis cum Dionyſianis monachis. p. 256. & p. 590. l. 49. & p. 591
Gerardus Epiſcopus Egoliſmenſis ſepultus in Eccleſ. S. Dionyſii. p. 721. l. 38
Gerardus II. Comes Pariſ. p. 592. l. 29
Gerardus Abbas Bronienſis. p. 534. l. 15. ejus in S. Eugenium pietas. ibid. l. 33. fit monachus Dionyſianus. l. 48. ad Bronium transfert reliquias S. Eugenii. p. 535
Gerberga uxor Ludovici IV. Regis, ſeu ultra-marini. p. 542. l. 27. & l. 52. Hugoni magno ſe & filium committit. p. 543. l. 46
Gerbertus fit Remenſis Archiep. in locum Arnulfi. p. 600. l. 54. diſciplinis reſtituendis plurimum confert. p. 767. l. 49. de eo. ibid. fit præceptor Roberti Regis. p. 768. l. 20. ejus diſcipuli. p. 769. l. 6
S. Germanus Autiſſiod. Epiſcopus in Britanniam cum S. Lupo proficiſcitur Nemptodori Genovefam puellam videt & ei benedicit. p. 50. iterum cum Severo Trevirenſi Epiſcopo in Britanniam iter facit. p. 51. l. 40. Lutetiam Genovefam à calumniis vindicat. ibid. l. 43. quo anno primum in Britanniam profectus ſit, quo ſecundo. p. 53. l. 49. & ſeq quo anno obierit. ibid. l. 25
S. Germanus Pariſienſis Epiſcopus ejus patria, parentes. p. 80. l. 6. fit monachus, preſbyter & Abbas. l. 8. Epiſcopus Pariſienſis. l 29. intereſt Synodo Pariſienſ. III. l. 41. Childebertum Regem ſanat. p. 82. l. 18. an ſcripſerit privilegium Pratenſibus monachis. p 89. & ſeqq. venit Turonos. p. 92. l. 34. & Auguſtodunum. p. 93. ejus pietas. p. 95. ſcribit ad Brunichildem. p. 96. Charibertum arguit. p. 97. l. 46 moritur. p. 98. l. 14. intereſt dedicationi Eccleſ. Cenoman. p. 99. l. 46. ſubſcribit teſtamento Domnoli Cenoman. Epiſ. p. 100. intereſt Concil. Turonenſ. II. p. 102. Concilio Pariſ. IV. Sigiberto Regi mortem prænuntiat. p. 106. l. 40. ejus obitus. p. 107. l. 23. S. Germanus auget donationibus monaſterium S. Vincentii. p 87. Epiſtola ejus ad Brunichildem. p. 97. l. 29. ejus epitaphium. p. 98. l. 39 Elogium. p. 99. Corporis S. Germani tranſlatio p. 246. l. 43. & ſeqq. an acta ejus tranſlationis ſincera p. 247. S. Germani corpus ad Cumbas defertur. p. 399. l. 16. refertur. ibid l. 56. aliæ ejus corporis evectiones. p. 469. S. Germani corpus defertur Pariſ. tempore obſid. p. 507. cultus illi redditus. p. 518
Germanus Patriarcha adverſatur iconomachis. p. 329. l. 38
Germoaldus Abbas vices Audoberti Pariſ. Epiſ. in Concil. gerit. p 169. l. 36 & p 175. l. 49
Gerſon narrationem prodigii S. Brunonis refert. p. 706. l. 27
Gervaſius Remenſ. Archiep p. 639. l. 52. inungit Remis Philip. Regem. p. 642. l. 7. & p. 787. l. 56
Gibuinus Lugdun. Archiep. p. 487
Gilduinus primus Abbas domus Victorinæ. p. 793. l. 30
Giberga uxor Carolomanni. p. 258. l. 29. ad Deſiderium fugit. p 261. l. 4. & p. 262. l. 43
Giſla, ſeu Giſela ſoror Caroli M. Abbatiſſa Calenſis. p. 287. l. 22. Eccleſiam extruit. p. 287. l. 25. ejus obitus & ſepultura. ibid ejus donationes. ibid.
Giſlabertus homo Germanus an furatus ſit corpus S. Dionyſii. p. 650. l. 48
Giſlemarus filius Varattonis præfecturam palatii invadit, obit. p. 221. l. 47
Giſlardus Epiſcopus Namnetenſis. p. 405. l. 23
Giſlebertus Carnuten. Epiſcop. p. 433. l. 56
Giſlebertus Epiſcopus Pariſ. p. 605. l. 36. ad eum ſcribit Gerbertus p. 606. moritur. ibid.
Giſlebertus Comes Lotharienſis. p. 538
Glannafolienſe monaſt. ſubjicitur Foſſat. p. 359. l. 30. ſubtrahitur ejus juriſdictioni. p. 723. l. 38
Godefredus Silvanect Epiſcopus. p. 350. l. 28
Godefredus Abbas Foſſ. p. 536. l. 33
Godefridus & Sigefridus Reges Nortmannor. p 502. l. 44
Godefridus filius Comitis Bononienſis Dux Lotharingiæ p. 753. l. 21. in Aſiam tendit. p 754. l. 18. Conſtantinopol. venit. p. 754. l. 44 in Bithiniam. l. 48. in obſidione Antiochiæ medium hominem ſecat. p. 757 l. 56 in urbem Hieroſolymam inſilit. p. 760. l. 17. Rex Hieroſoly. renunciatur. l. 31. ejus mors & elogium. p. 761
Godeſaldus Cabilon. Epiſcop. p. 433. l. 52
Godinus Filius Vvarnacharii. p. 152. l. 8. inceſtas nuptias contrahit. ibid. ducitur ad baſilicas S. Dionyſii, S. Aniani, & S. Martini, interficitur. ibid.
Godobaldus Abbas S. Dionyſii. p. 224
Godofredus quomodo apud Dionyſianos Epiſcopus. p. 245. l. 20. p. 382. l. 19
Godogiſilus. p. 106. l. 33
Goffridus Comes Landonenſis. p 636. l. 6
Goffridus Abbas Vindocinenſis an ſcripſerit epiſtolam contra Robertum de Arbriſellis. p. 712. ejus epiſtola refertur. ibid ejus vita & mores p 715. l. 24
Gontramnus Comes. p 496 l. 25
Goiſuintha Regina. p. 120 l. 38

Gomatrudis uxor Dagoberti repudiatur. p. 153. l. 48
Goſbertus Abbas. p. 72. l. 5
Gotecelinus præcentor & Archid. Eccleſ. Pariſ. p. 643. l. 56
Goimarus Archiclavis & Decanus S. Germani à Pratis. p. 515. l. 15
Gotfridus Pariſienſis Epiſ. *Vide* Gaufridus.
Gotfridus Carnotenſis Epiſ. it Romam, ut eluat ſimoniæ crimen. p 696 deponitur. p 697
Gotteſchalcus monachus de prædeſtinatione Dei doctrinam novam ſerit. p. 420. & 421. ejus doctrina proſcribitur. *ibid.* l. 39
Gozlinus Abbas deficit à Ludovico & Carolom. p. 496. l. 9
Gozlinus Abbas Pratenſis corpus S. Germani ad Eccleſiam revehit. p 469. *& ſeq.* præceptum obtinet à Carolo-calvo pro partitione bonorum. p 470. *& ſeq.* p. 488. & 489. ejus elogium. p. 503. l. 15. Pariſienſis Epiſcopus. *ibid.* obiit. p. 506. l. 19. Ejus elogium alterum dies & annus ejus obitus. p. 508. & 509. præceptum obtinet à Carolo-calvo. p. 509. p. 561. l. 34
Grattanus Imperator male pugnat, Lugduni occiditur. p. 48. l. 38
Gregorius Aſbeſta Syracuſanus Epiſcopus. p. 453. l. 41
Gregorius PP. III. Caroli-martelli opem implorat adverſus Luitprandum. p. 231
Gregorius Turonenſis falſò accuſatur. p. 113. ejus colloquium cum Chilperico. p. 115. cum Priſco Judæo controverſiam habet p. 117. l. 41. de ejus hiſtoria. p. 131. l. 25. de ſeptem Epiſcopis miſſis in Galliam. p. 370. l. 4
S. Gregorius PP. Auguſtinum in Angliam mittit. p. 135. l. 6. ejus operâ Regem & gentem ad Chriſtianam religionem convertit. p. 135. & p. 136
Gregorius PP. VII. committit Epiſcopo Pariſ. quædam negotia. p. 695. l. 14 dat Gebuino Archiep. Primatum in Lugd. provincias. p. 737. l. 45
Griffo, ſeu Grippo filius Caroli-martelli ex Sonechilde. p. 221. l. 30
Grimoaldus major domus regnum Dagoberti junioris invadit. p. 194. l. 50. apprehenditur, ducitur ad Chlodoveum, necatur. p. 195. l. 3. & 4. fabuloſa ejus adoptio refellitur. *ibid.* l. 6. *& ſeqq.*
Grimoaldus filius Pippini & Plectrudis. p. 214. l. 26. ejus præclari mores. p. 218. l. 4. Theutſindam uxorem ducit. *ibid.* l. 40. occiditur. *ibid.* l. 44
Gualo, ſeu Vvalo Abbas Pratenſis. p. 610. l. 45
Gualtarius Aurel. Ep. p. 434. l. 3
Gualterius Archid. *Vide* Vvalterius.
Gualterius Epiſ. Pariſ. p. 543. l. 54. chartam obtinet pro eccleſia S. Mederici. p. 544
Guarinus Bellovacenſis Epiſ. p. 617. l. 43
Guarlinus Bituric. Archiep. p. 618. l. 43
Guerpinus Meldenſ. Comes. p. 581. l. 20
Guibertus Abbas de ſeceſſione S. Brunonis ſcribit. p. 705. l. 28
Guido Carcaſſon. Epiſ. p. 524. l. 8
Guido de monte Letherici de eo & de ejus familia. p. 686. l. 25. fundat cum uxore monaſterium Longi-pontis. l. 54. fit monachus. p. 688
Guido de Rupeforti. p. 686. l. 31
Guiladus, ſeu Vvilardus Conſtantienſis Epiſcopus
Guilelmus Epiſcopus Belvacenſis. p. 579. l. 18
Guilelmus Senonen. Archiep Ludovicum ultra-marinum ex Angliâ reducit. p. 541. l. 21
Guilelmus Remenſis Archiep. p. 659. l. 21
Guilelmus Epiſcopus Pariſ. Ejus electio examinatur. p. 725. approbatur. p. 726. ejus ordinatio quo anno contigerit. p. 727. l. 7. contra Latiniacenſes monachos agit. p. 727. l. 24. dat Canonicis majoris Eccleſiæ eccleſiam S. Chriſtophori. p. 727. l. 52. quomodo computandi ejus anni. p. 728 l. 15. Synodo Stampenſi intereſt. p. 728. l. 32. annus & dies ejus obitus. *ibid.* l. 54
Guilelmus Dux Nortmannorum. p. 541. l. 40. interficitur. p. 546 l. 32
Guilelmus Abbas Divionenſis reſtituit diſciplinam in monaſterio Pratenſi. p. 628. l. 31. obtinet præceptum à Roberto Rege. *ibid.* l. 42
Guilelmus Comes Corboïlenſis. p. 659. l. 20
Guilelmus Rotomag. Archiep. primatum Lugd. agnoſcere abnuit. p. 738 l. 55
Guilelmus Epiſcopus Arauſienſis. p. 755. l. 5
Guilelmus Campellenſis Archidiaconus Pariſienſis. p. 771. l. 19. philoſophiam Pariſiis docet. *ibid.* l. 25. rhetoricam docet. p. 772. l. 22. l. 32. in cellam S. Victoris Martyris ſecedit. p 790. & 791. Hildebertus Cenomannenſis Epiſcopus ad eum ſcribit. p. 792. cum diſcipulis inſtituit Domum Victorinam p 793. ad Catalaunenſem cathedram vocatur. 795. cum S. Bernardo init amicitiam. p. 798. ejus obitus. p. 799
Guilibertus Catalan. Epiſ. p. 433. l. 39
Guitmundus Averſanus Epiſ. ſcribit contra Berengarium. p. 669. l. 48
Gundoaldus Dux exercitus. p. 132. l. 47
Gundobaldus nothus ex Chlotario, de eo plura. p. 124. l. 52. & p. *ſeq.*
Gundobaldus Meldenſis Comes. p. 581. l. 12
Gunduiſus Dux Maſſil. p. 582. l. 23
Guntbaldus monachus pro Ludovico-pio agit. p. 352. l. 31. & 48
Guntbaldus Rotomagenſis Archiepiſc. p. 395 l. 38. Pariſiis Concilium indicit. p. 400
Guntbertus Ebroicenſ. Epiſ. p. 433. l. 33. p. 445
Guntchramnus Boſo. p. 106. l. 33. Legatus apud Guntchramnum Regem. p. 124. l. 38
Guntchramnus Rex filius Chlotarii Aurelianis regni ſedem habet. p. 102. l. 5. cum Sigiberto fœdus init. p. 106. Prætextatum reſtituit. p. 112. l. 30. tutelam Chlotarii & ejus regni ſuſcipit. p. 123. placitum habet Pariſiis. p. 124. l. 37. ejus imperium moderatum. p. 124. l. 23. Gundobaldum per legatos necat, urbem convenarum delet. p. 125. l. 43. in natales Chlotaro nepotis inquirit. p. 125. l. 49. Meroveo & Chlodoveo filiis Chilperici juſta perſolvit. cum Childeberto pactionem ſcribit. p. 129. ejus obitus, & elogium. p. 131. l. 42. & p. 132
Guntierius Abbas Foſſat. p. 658. l. 22. chartam obtinet à Roberto Rege contra Nivardum militem. p. 658. l. 25
Guntharius puer filius Chlodomeris Regis interficitur. p. 70. l. 20
Guntharius Colonienſis Archiep. p. 438

H

HADRIANUS ſummus Pontifex creatur. Suppetias poſcit à Carolo contra Longobardum. p. 262. l. 30. *& infra.* Pippinum & Ludovicum filios Caroli M. baptiſmo & ſacra unctione initiatus. p. 271. an ſcripſerit Dionyſianis privilegium. p. 275 l. 27. moritur. p. 292. l. 32. Hadriano miſſa capitula de imaginibus. p. 332. l. 32
Hadrianus II. fit ſummus Pontifex. p. 447. l. 53
Hadrianus III. PP. moritur. p. 483
Hadrianus Valeſius doctrina & eruditione clarus. p. 469. l. 18
Hæreſis Neſtorii & Eutychis condemnata. p 76. l. 20
Hæreſis Monothelitarum condemnata in Synodo Romana. p. 174. & 175. & in Cabillonenſi Concil. *ibid.*
Hæreſis Feliciana proſcripta in Synodo Francofurtenſi. p. 290. l. 48. Romæ condemnata. p. 293. l. 51. & p. 294. l. 16
Hæretici Aurelianis detecti. p. 614. l. 15. cremati. p. 615
Hagano Comes. p. 537. l. 28. & p. 533
Halduinus Altivillaris Abbas. p. 410. l. 17. ordinatus Diaconus ab Ebone. p. *ibid.*
Hedenulfus Laud. Epiſcop. p. 478. l. 43
Hegilvich Abbatiſſa Calenſis. p. 357. l. 51
Heilardus Lexovien. Epiſ. 433. l. 38
Helias Equaliſmorum Epiſc. p. 433. l. 40
Helias Trecenſis Epiſc. p. 550. l. 33. moritur. p. 577. l. 48
Heloïſſa neptis Fulberti Canonici Pariſ. p. 773. l. 56. plura de ea. p. 774
Hellutus diſcipulus S. Germani Autiſſ. p. 546. l. 52
Hemerardus Ambian. Epiſ. p. 433. l. 27
Henardus Laudun. Epiſcopus. p. 648. l. 6
Henarchus Abbas Foſſat. p. 322. l. 56
Henricus Dux Pariſienſi urbi fert opem. p. 505. l. 34. à Nortmannis interficitur. p. 505 l. 52
Henricus Imperator. p 646. l. 25
Henricus prior de Longo-ponte. p. 691
Henricus Rex Anglorum venit ad baſilicam S. Dionyſii p. 653. l. 41
Henricus Dux Burgundiæ Hugonis-capeti frater. p. 613
Henricus filius Roberti Regis procurante patre Rex inungitur. p. 620. l. 52. poſt mortem patris ad regnum venit. p. 637. l. 3. Conſtantiam matrem & Comitem Odonem ad obſequium cogit. p. 637. Stephanum Comitem Meldenſem acie vincit. p. 638. l. 36. prope mœnia civitatis Eccleſiam S. Martini extruit. p. 638. l. 41. Synodum contra Berengarium indicit. p 672

Henricus Imperator Epiſcopos ſimoniæ reos arguit. p. 677. l. 37
Heraclius Epiſcopus Pariſ. intereſt Concilio Aurelianenſi. p. 66. l. 16. & 52. S. Remigius ad eum ſcribit. p. 67
Heraldus Archiep. Turon. p. 427. l. 7. & 34. p. 433 l. 23. p. 446. l. 6
Herbertus Epiſcopus. p. 350. l. 37
Herbertus Abbas monaſterii S. Genovefæ. p. 55. l. 30
Herbertus Abbas S. Genovefæ *iterum.* p. 399 l. 17
Herbertus an & quomodo apud Dionyſianos Epiſcopus. p. 145. l. 12
Heribaldus Autiſſiod. Epiſ. p. 350. l. 33. p. 412. l. 50
Heribaldus Autiſſiod. Epiſ. Rabanum interrogat de Euchariſtia. p. 665. l. 21
Heribertus Comes Veromand. p. 539. l. 35. ſub cuſtodia Carolum Regem tenet. p. 540. l. 6
Heribertus hæreticus Aurelianis crematus. p. 614. l. 17. & p. 615
Herichus Rex Nortmannorum. p. 399. l. 48
Herigerus Abbas Laubienſis ſcribit de Euchariſtia. p. 665. l. 56
Hermannus Nivernenſis Epiſcopus. p. 408. l. 34. de eo acta quæſtio in Synodo ad Vermeriam. p. 411 l. 45
Heriſtallium villa regia. p. 261. l. 18
Heriveus Remenſis Archiep. p. 538. l. 13. moritur. p. 539. l. 8
Hermenigildus Rex. p 120. l. 40
Hermentrudis uxor Caroli-calvi coronatur. p. 446. & 447. l. 15
Herveus Eccleſiæ S. Martini Turonenſis Archiclavis p. 676. l. 41
Hieremias Senonenſis Archiepiſcopus. p 333. l. 16
Hieronymus diacon. Cordub. p. 465. l. 43
Hieroſolyma obſeſſa. p. 759. l. 53. capta. p. 760. l. 29
Hieroſolymitana expeditio. p. 750
S. Hilarius contra Arrianos Synodos convocat. p. 39. l. 44
Hilarius Decanus Eccleſiæ Pariſ. p. 606. l. 48
Hildebertus Cenomannenſis Epiſcop ſcribit ad Guilelm. Campell. p. 792
Hildebertus Abbas Foſſatenſis. p. 625. l. 38. obtinet privilegium pro vicario in Eccleſiâ majore. p 625. l. 45
Hildebrandus Sagienſ. Epiſ. p. 433. l. 34 p 514. l. 18
Hildebrandus Luitprandi Regis Longobard. nepos. p. 232. l. 12
Hildebrandus Legatus Turonis in Synodo Berengarium erroris convincit. p. 674. in Synodo Lugdun. ſimoniacos deponit. p 679
Hildegardis uxor Caroli M moritur. p. 272. l. 38. & ejus filia. *ibid.*
Hildegarius Meld. Epiſ. p. 433. l. 28
Hildemannus Bellovacenſis Epiſ. p 350. l. 31
Hilmitrudis uxor Caroli-magni. p. 258. l. 28
Hilduinus Abbas Dionyſianus. p. 316 l. 46. mittitur in Italiam cum Lothario p. 328. l. 52. & p 329 recipit à Ludovico-pio libros S. Dionyſii. p. 336. Abbas trium monaſteriorum. p 339. l. 53. de eo plura. p. 340. S Sebaſtiani & aliorum SS. recipit reliquias. *ibid.* plures chartas illi ſcribit Ludovicus-pius p. 340. Monachis Pratenſibus chartam partitionis bonorum ſcribit. p. 341. & 342. in Ludovicum-pium agit. p 352. l. 21. mittitur in exilium. p. 352. l. 40. ſcribit Areopagitica. p. 364. init ſocietatem cum Remigianis. p. 382 l. 1. annus & dies ejus obitus. p. 391. l. 48. & p. 577. l. 12
Hilduinus junior Abbas Pratenſis. p. 464. l. 48. quo anno obierit. p. 469. l. 22
Hilduinus Abbas S. Michaëlis ad Moſam. p. 182. l. 22
Hincmarus Dionyſianus monachus obtinet poteſtatem exeundi è monaſterio ab Inchado Epiſ. p. 241. l. 49. & annuente Erchenrado Epiſcopo fit Epiſcopus p 242. l. 31. & p 394. l. 44. adeſt Concilio Meldenſi & Pariſ. p. 395. l. 36. ejus ordinatio Pariſiis diſcutitur. p 400. de eo habetur ſermo. *ibid.* l. 41. ejus ordinatio Erchenrado probata. p. 409. l. 47 & ab aliis Epiſcopis & à Rege *ibid* p 412. l. 50. Gottelchalcum in Synodis condemnat p. 421. l. 39. p. 423. l. 22. ſchedulas offert Synodo Sueſſionenſi contra clericos ab Ebone ordinatos. p. 444. *& ſeq.* in Trecenſi Concil ſuam cauſam defendit p. 447. l. 38 accuſat Hincmarum Laudu. in variis Synodis. p. 474. eum deponit in Synodo Duziacenſi p. 478 l. 21. Synodo Trecenſi intereſt. p. 494. Hincmari obitus. p. 497. l. 38 de eo. p. 577. l. 20
Hincmarus Laudun. Epiſ. p. 433. l. 40 ejus diſſidia cum avunculo. p. 473. ejus cauſâ tractatur in variis Synodis in Duziacenſi imprimis Synodo. p. 474 & 475 *& ſeqq.* condemnatur & deponitur. p. 478. l. 21. excæcatur. p. 478. l. 37. reſtituitur in Synodo Trecenſi. p. 495
Hirmiofridus Bellovac. Epiſcopus. p 412. l. 52
Hodierna uxor Guidonis de Monte-Letherici. p. 287. l. 14. fundat monaſterium Longi-pontis. p 687
S Honorina quæ & unde fuerit, de ejus tranſlat. & de cultu ejus reliquiarum p. 522. l. 42. & p. 523. baſilica ejus datur monachis Beccenſibus. p 594
Honorius Imperator Ravennæ commoratur. p. 230. l. 44
Hoſtem debere quid eſt. p. 489. l. 31
Hubertus Abbas Pratenſis. p. 717. l. 14. obtinet præceptum à Philippo Rege. l. 54. dies & annus ejus obitus p. 719. l. 7
Hubertus Meldenſ Epiſcopus. p. 350. l. 34
Hubertus Silvanect. Epiſc. p. 746. l. 44
Huboldus docet in monte S. Genovefæ. p. 769. l. 33
Hucboldus Abbas S Germani à Pratis. p. 525 l. 5
Hugo filius Drogonis nepos Pippini Heriſtallii. p 219. l. 9. ejus educatio. *ibid.* fit Epiſcopus Pariſienſis. p. 224. l. 56. ejus dignitates, mores, obitus & ſanctitas. p. 225
Hugo Abbas S. Dionyſii. p. 224. l. 19
Hugo Abbas S. Dionyſii adeſt inunctioni Philippi Regis. p. 642. l. 11. retegit corpus S. Dionyſii. p. 647. & p. 719. l. 46
Hugo Abbas & Marchio. p. 493. l. 2. p. 496. l. 24. potentia commendatus. p. 497
Hugo filius Roberti Regis fratris Odonis, qui albus & magnus dictus eſt. p. 538. l. 25. patris mortem ulciſcitur. p. 539. l 34. Hadvigem filiam Henrici Imperat. uxorem ducit. p 541. l. 37. Normannos vincit. p. 542. l. 9. & l. 29. excommunicatur. p. 543. l. 28. ejus obitus & ſepultura p 543. l. 49. tres reliquit liberos Othonem Hugonem & Henricum, fit Comes Pariſienſis. p. 597. l. 23
Hugo-capetus filius Hugonis-magni. p. 545. ſcribit chartam donationis Maglorianis monachis. p 548 & 549. fit Comes Pariſ p 598. l. 29. Rex Novioml ſalutatur. p. 600. l. 8. inungitur l. 9. facit poteſtatem Dionyſianis eligendi Abbatem. p. 210. l. 29 & Pratenſibus. *ibid.* l. 41. ejus obitus & ſepultura p. 211. l. 9. pietas ejus erga reliquias SS. Vvalarici & Richarii. p. 212. l. 23. ſcribit præceptum de bonis Diisgentium datis. *ibid.*
Hugo major filius Roberti Regis p. 620. l. 15. Rex Compendii inungitur. *ibid.* aſpere à patre & matre tractatus, res patris diripit. *ibid.* l. 25. mores mutat. l. 35 ab Italis in Regem petitur. *ibid* l 41 ejus mors & ſepultura l. 46
Hugo frater Philippi Regis ſumpta cruce ad expeditionem ultra-marinam ſe accingit. p. 753. l. 20. ejus elogium & iter in Aſiam p. 754. l. 2. capitur. l. 22. ſolvitur. l. 30. primam aciem ducit contra Corbagathum. p. 758. l. 41
Hugo Dienſis Ep ſ. Legatus ſummi Pontificis. p. 709. l. 14
Hugo Nivernenſis Epiſ. propinquorum artibus evehitur ad cathedram p. 678. l 15
Hugo Abbas Pratenſis. p. 719. l. 14
Hugo Belvacenſis gratia apud Robertum valet. p. 220. l. 3. Conſtantiæ Reginæ artibus interficitur. *ibid.* l. 13
Hugo Lotharii junioris ex Valtrada filius. p 496. l. 53
Hugo Archiepiſcopus Biſontienſis. p. 642. l. 7
Hugo Lingonenſis Epiſcopus Berengarium arguit.
Hugo Archiepiſcopus Senonenſis. p. 55. l. 45
Hugo filius Caroli-magni in monaſterium conjectus. p. 325. l. 23
Hugo Abbas ſancti Martialis. p 636. l. 44
Hugo Lugdun. Archiep p 739. l. 40. Daïmbertum prohibet ordinari. *ibid.* & p. 740 l 48. habet Synodum Auguſtoduni contra Philippum Regem. p 744. l. 54
Hugo miles, & ejus excommunicatio. p. 643. l. 33
Hugo Abbas Cluniacenſis. p 687. l. 18
Hugo filius Heriberti Comitis Remenſem cathedram occupat. p. 543. l. 7. in Synodis variis dejicitur & excommunicatur *ibid.* fruſtra tentat cathedram recipere p 542. l. 7
Humbaldus Antiſſiodor. Epiſ. p 746. l. 43
Humbertus Pariſ. Epiſ. *Vide* Imbertus. p 677. l. 13
Hunaldus Vaifarii Ducis Aquitaniæ pater movet bellum in Aquitania. p. 260. l. 13. deditur Carolo Regi. *ibid.* l. 24. p. 582. l. 53
Hunfridus Morinenſ. Epiſ. p. 433. l. 46
Hunfridus Comes Barcinon. p. 425. l. 40
Hypatius Epheſinus Epiſcopus. p. 337 l 43
Hypoſtaſis quando cœperit ſignificare perſonam. p. 338. l. 51. & p. *ſeq.*

Digitized by Google

I

JESSÆUS Ambianenſis Epiſcopus. p. 306. l. 12. p. 350. l. 30. in Ludovicum-pium conjurat. p. 352. loco motus eſt p. 352. l. 44. moritur. p 377. l. 47
S. Ignatius quando ſcripſerit epiſtolas. p. 339. l. 26. & infra.
Ignatius Patriarcha Conſtantinopol. p. 452. in pſeudo-ſynodo dejicitur. p. 453. l. 45
Imaginum ſanctarum cultus prohibitus ab iconomachis. p. 252. l. 41 & infra. defenſus in Concilio Gentiliacenſi p. 253. l. 9. de imaginibus decretum ſtatuitur in Concilio Francofurdienſi. p 292. l. 54. de imaginibus & earum cultu diſſertatio. p 329. l. 20. de imaginibus tres ſententiæ. p. 330. l. 49. quæ ſententia Epiſc. Gallicanorum de imaginibus colendis. p. 332 l. 35. & p 334. l. 34
Imbertus Epiſcopus Pariſi. p. 636 l. 56. ſubſcribit chartæ S. Martini à Campis p 639. l. 52. ejus genus & varia nomina p. 642. l. 23. fuit Archidiaconus Lingon p. 642. l 25. vocatus eſt & Enzelinus. p. 642. l. 41. Eccleſiam Foſſat. dedicat. p 643. l. 10. dat terram Maſingiacum. l. 25. adeſt retectioni corporis S. Dionyſii. p. 648. l. 6 dies & annus ejus obitus. p 677. l. 33
Irmno Noviomenſis Epiſcopus. p 409. l. 56
Importunus Pariſ. Epiſcopus. p 194 l. 7. & 199. l. 2
Incendium Lutetiam vaſtat. p. 127. l. 47. p. 638. l. 28
Inchadus Pariſienſis Epiſcopus p. 304. l. 23. villas Pariſienſibus Canonicis diſtribuit. p. 322. l. 32. obtinet præcepta pro Eccleſ. Pariſ. p. 325. & 326. chartam partitionis ſcribit Canonicis. p. 349. l. 31. cæcus ſubſcribit ſynodali præcepto Dionyſianorum p. 354. l 25. annus & dies ejus obitus. p. 357. l. 32. & p. 562. l. 37
Indictum, ſeu Dionyſianæ nundinæ. p 491. l. 25
Ingelbertus Abbas Foſſatenſis. p 389. l. 42. & p. ſeq. & p. 415. l. 45 moritur. p. 416. l. 41
Ingelvvinus Epiſcopus Pariſienſis. p 456. l. 44 intereſt & ſubſcribit Concil. Duziacenſi. p 459. l. 54. p 470. l. 6. p. 474. l. 39. Tornutienſi privileg. ſubſcribit. p. 482. p. 487. l. 44 præficitur conſiliis Ludovici-balbi. p. 489. intereſt Trecenſi Synodo. p. 494 Ingelvinus commendatur. p. 497. l. 46. ejus obitus, quo anno. p. 498 & p 563. l. 29
Ingenaldus Pictavor. Epiſ. p. 433. l. 37
Ingo Abbas S. Germani à Pratis. p. 628
Ingunthis filia Sigiberti Regis & Brunichildis. p. 120. l. 45
Innocens Epiſcopus Cenomanenſis condit Anſolenſe monaſterium. p. 379. l. 3
Innocentius III. mittit ad Dionyſianos corpus S. Dionyſii. p. 373. l. 9
Infula beatæ Mariæ. p. 461. l. 40
Inundatio Pariſiis. p. 118. l. 41
Joanna à Lotharingia Abbatiſſa Jotrenſis. p. 206. l. 18
Joannæ Papiſſæ fabula rejicitur. p. 412. l. 22
Joannes Tullean. Epiſ. p 484. l. 27
Joannes Silentiarius legatus Copronymi Imp. p. 251. l. 44
Joannes Phiculenſis Epiſ. p 443. l. 14
Joannes VIII. ſummus Pontifex. p. 483. in Galliam venit. p. 494. l. 2. Trecis Synodum celebrat. ibid. in Italiam redit. p. 495
Joannes X. PP. pro liberando Carolo Rege ſcribit. p. 540. l. 25
Joannes Erigena floret ſub Carolo-calvo. p. 661. l. 27. ſcribit adverſus Gotteſchalcum. ibid l. 41. ſcribit librum de Euchariſtia. p. 661. l. 47. perverſe. p. 666. l. 17. ab eo hæreſim hauſit Bereng. ibid. l. 18. reprehenſus eſt ab Hinc. p. 666. l. 25. ab Adrevaldo Floriacenſi. ibid l. 28. Vercellis ejus doctrina condemnatur. p. 672. & Pariſiis. p. 673. l. 5
Joannes Aurel. Epiſ. p. 746
Joannes auctor ſectæ nominalium. p. 770. l. 17
Jocundiacum palatium. p. 357. l. 23
Jonas Eduorum Epiſc. p. 433. l. 52
Jonas Epiſcopus Aurelianenſis. p. 333. l. 16. p. 550. l. 29. & p. 577. l. 11
Jonas Nivern. Epiſcop. p. 350. l. 33
S. Jonius martyr. p. 28. l. 35
Jordanus Epiſcopus Lemovicenſis. p. 371. l. 54
Joſcelinus Archidiaconus. p. 691. l. 6. & l. 22. & p. 693. l. 25
Joſcelinus Comes Milodunenſis ſcribit donationem Foſſatenſ. monachis. p. 621
Joffridus Epiſ. Conſtantienſis fratris artibus neſcius cathedram conſecutus. p. 678. l. 18
Irene Auguſta. p. 330. l. 23 reſtituit cultum imaginum. ibid.
Irmino Abbas S. Germani de Pratis. p. 321. l. 10
Iſaac Lingonenſ. Epiſ. p. 433. l. 48
Iſaac de Vendeverenſi. p 494. l. 34
Iſembardus Abbas Pratenſis. p. 719. l. 22. obtinet præceptum à Philippo Rege. ibid.
Jucundinus martyr ſub Aurel. p. 27. l. 41
Judæi plures religionem Chriſtianam ſuſcipiunt. p. 118. l 9. arcentur à muneribus publicis. p. 143. l. 25. vetantur habere ſervos Chriſtianos. p. 150. l. 40
Judicaïle Rex Britannorum Pariſios venit, ſe ſubjicit Dagoberto. p. 161. l. 6. ſe principatu abdicat. ibid. l. 30
Juditha ſecunda uxor Ludovici-pii Imperat. p. 328. l. 38. Pictavos ducitur. p. 352. l. 25. crimen diluit p. 352. l. 47
Judith filia Caroli-calvi. p. 428. l. 49
Judocus frater Judicaïlis Regis ſæculo renunciat, venit Pariſios. p. 161. l. 23
Julia virgo martyr. p. 27. l. 41
Julianus creatur Cæſar. p. 43. l. 2. Pariſiis hiemem tranſigit. l. 20. ſalutatur Imperator. l. 36. fingit ſe adhærere Chriſtianæ religioni. p 44. Juliani palatium Lutetiæ. p. 44. l. 45
S. Juliani baſilica. p. 115. l. 7
Julianus Coïnſis Epiſcopus apocriſiarius. p. 273. l. 37
Julianus martyr. p. 567. l. 46. de ejus baſilica quæ S. Juliani pauperis dicta eſt. p. 567. l. 54. de ea plura. p. 568
Ivo de Bello-monte dat Beccenſibus monachis eccleſiam S. Honorinæ ad Confluentium. p. 694. l. 1
Ivo Abbas S. Dionyſii. p. 721. l. 47. ſimoniæ falſo arguitur. p. 722. l. 1
Ivo Carnotenſis Epiſ. p. 697. l. 24 ejus patria ortus & educatio. ibid. eligitur Carnotenſis Epiſ. p. 697. l. 34. Romæ ab Urbano conſecratur. ibid. l. 50. pro Galone Epiſ. ſcribit. p. 733. l. 23. & l. 56. de Hugone Lugd. conqueritur, quod nolit ordinari Daimbertum niſi agnito primatu. p. 739. l. 52 & p. 740. adeſt reconciliationi Philippi Regis. p 746 l. 43. Inſtituit Canonicos regulares Bellovacis.
Juſtinus puer novem annorum martyrium facit. p. 32. l. 55. & p. 33
Juſtus martyr ſub Aureliano. p. 27. l. 41

L

LAICI abſtineant à regimine monaſteriorum & monachorum. p. 396. l. 10
Lambertus Dux Spoletanus. p. 493. excommunicatur. p 494
Lancea qua confixum Chriſti latus Antiochiæ reperta. p. 759. l. 38
Landebertus Abbas S. Germani Autiſſiodorenſis. p. 223. l. 14
Landebertus Abbas S. Germani Autiſſiod. apud Pariſios. p. 512. l. 7
Landericus Epiſcopus Pariſ. p. 179. l. 38. ejus pia opera. p. 179. l. 49. Corpus S. Landerici in Eccleſia S. Germani Autiſſiodor colitur. p. 180. ejus privilegium conceſſum Dionyſianis. p. 180. & 181. an ſincerum. p. 182. & 183. & ſeqq.
Landericus major domus. p. 132. l. 49. p 138. l. 27
Landricus Abbas Foſſatenſis ſub eo Comes Corbolienſis obtinet chartam defenſionis in monaſt. Foſſat. p. 659. l. 28
Landetrudis Abbatiſſa. p. 223. l. 31. & p. 573
Lanfrancus Cantuarienſis Archiep. ſcribit contra Berengarium. p. 669. l. 50
Lantfredus Abbas S. Germani de Pratis. p. 246. l. 48. & infra. eo Abbate transfertur corpus S. Germani. p. 246. & ſeqq. ejus obitus. p. 248. & p. 270
Lantrannus Turonenſis Archiepiſcopus. p. 348. p. 350. l. 19
Latiniacum datum Dionyſianis à Nanthilde. p. 174. l. 25. & p. 178. l. 23
Latiniacum ad Matronam ſitum, de illius opidi initiis &c. p. 178. l. 47. Furſeus ibi condit monaſterium. ibid. de Latiniacenſi monaſterio. p. 576. l. 3
S. Launomari corpus quando tranſlatum Bleſas. p. 457. l. 42. acta ejus tranſlationis falſa. p. 458
Laurentius presbyter in Angliam trajicit. p. 136. l. 15. Cantuariæ Epiſcopus, Scotorum errorem fruſtra corrigit. p. 203. l. 43
Laus perennis in monaſteriis Agaunenſi S. Salabergæ & S. Dionyſii. p. 157. l. 15. & infra.
Leander Epiſcopus Hiſpalenſis. p 141. l. 2
Leidradus Lugdunenſis Archiepiſcopus. p. 306. l. 10
Leo IX. PP. an bullam ſcripſerit Reginenſibus monachis pro corpore S. Dionyſii. p. 651. & p. 652. obiit. p. 674. l. 12. contra ſimoniacos Remis habet Synodum. p. 678. l. 14
Leo Abbas Legatus PP. in Galliis Moſomi & Remis Synodum habet. p. 601. l. 18

Leo

Digitized by Google

Leo Iſauricus Imperator primus Iconomachus. p. 329. l. 32
Leo Iſauricus bellum imaginibus indicit. p. 230. l. 31. Romani ab eo deficiunt. ibid. l. 54
Leo Ravennatenſ. Epiſcopus. p. 267 l. 12
Leo III. creatur ſummus Pontifex. p. 292. l. 33. ejus privilegium Dionyſianis datum, ſuppoſitum eſt. ibid. l. 51. & p. ſeq. Campulus & Paſchalis facta conjuratione in eum irruunt. p. 295. Leo III. in Galliam venit. p. 296. l. 4. iterum in Galliam venit. p. 302. obit. p. 317. l. 8
Leo Armenus Iconomachiam renovat. p. 331. l. 43
Leobaſarius Abbas S. Dionyſii. p. 159. l. 12
Leobinus Carnotenſis Epiſcopus. p. 77. l. 52. & p. 78
S. Leodegarius Archidiaconus Pictavenſis. p. 207. l. 34. fit Epiſcopus Auguſtodunenſis. l. 42. Childerici Regis Auſtraſiæ partibus adhæret. p. 207. l. 53. in Childerici odium incurrit. p. 208. l. 18. mittitur ad Luxovium. p. 208. l. 39. capitur, multis pœnis afficitur, ac demum interficitur. p. 210
Leonas Archiepiſcop. Senonenſis. p. 67
S. Leonorius Epiſc. p. 348 l. 23
Leontius Burdigalenſis Metropolit. p. 77. l. 52. p. 563. l. 15
Leontius Epiſcopus Burdegalenſis. p. 75. & 76
Leothericus Senon. Archiep. p. 485. l. 46. p 613. l. 36. contra hæreticos Aurelianis Synodo adeſt. p. 617. l. 36. & p. 618. l. 3. reprehenditur à Roberto Rege. p. 618. l. 26. quo anno mortuus. p. 678. l. 30. concedit altaria canonicis B. Mariæ. p. 622. l. 27. de ejus primatu. p. 737. l. 32
Leovigildus civis Barcinon. p. 465. l. 46
Leudaſtes Comes Turonicus. p. 123. & p. 119. l. 27
Leudebertus Epiſcopus Pariſienſis. p. 150. l. 18
Leudeſius major domus Theodorici. p. 209. l. 54. interficitur. p. 210. l. 7
S. Levianus. p. 558. l. 14
S. Leutfredus, de ejus tranſlatione, & de eo plura. p. 523. l. 20
S. Leuthernus Epiſcopus. p. 538. l. 34
Leuvigildus Gothorum Rex in Hiſpania. p. 120. l. 34
S. Liborii corpus Paderbonam transfertur. p. 378. l. 24
Liberalis Oxomenſis Epiſcopus. p. 402. l. 3
Libri Dionyſiani an ſinceri. p. 116
Ligeris incrementa. p. 215. l. 52
Liſoius hæreticus Aurelianis crematus. p. 614. l. 18
Litteræ quando floruerunt, quando inſtauratæ. p. 282. & ſeqq.
Liutberga uxor Taſſilonis Ducis Bajoariæ. p. 286
Liziardus, ſeu Lizierius Archidiaconus graves exercet inimicitias cum Francone Pariſ. Epiſ. p. 635. reprehenditur à Leotherico Senon. Archiep. p. 635. l. 7. fit decanus. ibid. l. 30. cum Imberto Pariſ. Epiſ. agit pacifice. p. 635. l. 35. p. 643. l. 33
Longobardi in Italiam veniunt. p. 230. l. 39. Ticini regni ſedem ponunt. p. 230. l. 42
Lotharius filius Ludovici-pii mittitur in Italiam. p. 328. in patrem conjurat. p. 352. l. 6. adverſus patrem cum fratribus bellum concitat. p. 360. patrem in cuſtodia tenet. p. 360. l. 35. exauctorat p. 361. in Dionyſiano monaſterio dimittit. ibid. patri reconciliatur. p. 362 patre mortuo Galliam totam occupare tentat. p. 385. Adverſus Ludovicum proficiſcitur, tum adverſus Carolum. p. 386. ad Fontanetum vincitur. p. 388. l. 40. ad Attiniacum fugit. Cum fratribus pacem componit. p. 391. ſecedit in monaſterium Prumienſe. p. 412. l. 25. moritur. ibid. ejus provincias filii partiuntur. ibid.
Lotharius filius Lotharii obtinet provincias inter Moſam & Renum. ejus divortium cum Theotberga. p. 478. l. 46. it Romam. p. 479. l. 30. moritur. ibid. l. 35
Lotharius Rex Franc. filius Ludovici-ultramarini inungitur. p. 543. l. 44 bellum movet adverſus Richardum Ducem Normanniæ p. 546. l. 37. contra Othonem in Lotharingia bellum movet. p. 551. l. 31. cum eo pacem componit haud æquis conditionibus. p. 551. moritur. p. 552. l. 1
Lucretius Deenſis Epiſcopus. p. 77
Ludovicus filius Caroli-magni Rex Aquitaniæ Romæ inungitur. p. 271. l. 23. ex Aquitania profectus patrem adit. p. 275. l. 5. creatur Imperator. p. 312. l. 12. & infra. ejus virtutes. p. 315. Pippinum filium Aquitaniæ præficit. p. 316. l. 21. Lotharium Bajoariæ. ibid. In villa Attiniaco pœnitentiam agit. p. 328. l. 29. jubet celebrari Concilia in quatuor civitatibus p. 342. in eum fit conjuratio. p. 352. Ludovicus deſeritur à ſuis, cum filio & uxore ſub cuſtodia à Lothario tenetur &c. p. 360. exauctoratur. p. 361. reſtituitur ibid. Lotharius ei obſequium præſtat. p. 362. ſcribit ad Hilduinum de S. Dionyſio. p. 363. ejus obitus. p. 383. l. 3. ejus mores, & elogium ibid. cum fratribus partitionem provinciarum facit. p. 398
Ludovicus Caroli-calvi filius qui poſtea balbus dictus eſt. p. 428. l. 50. & p. 419. l. 21. poſt mortem patris Rex inungitur. p. Compendii moritur. p. 495. l. 52. ſcribit præceptum Ingelvino Epiſcopo Pariſ. p. 499
Ludovicus Rex Bajoariæ adverſus patrem arma capit. p. 335. contra Lotharium proficiſcitur. p. 386 & p. 387. cum Carolo fratre copias jungit. ibid. l. 51. pugnat cum Lothario ad Fontanetum. p. 388. l. 14. cum fratre Ludovico fœdus init. p. 390. l. 56. Caroli fratris regnum invadit. p. 424. l. 33
Ludovicus filius Lotharii Italiam obtinet. p. 412. l. 20. Lotharingiam fruſtrà poſcit. p. 480. moritur. p. 481. l. 171 & p. 483
Ludovicus Abbas S. Dionyſii à Normannis cum fratre Gozlino captus. p. 414. l. 19 de eo plura. ibid. l. 49. & p. ſeq. obtinet privil. à Carolo-calvo. p. 430. ſcribit partitionem Dionyſianis. p. 432. & p. 438. moritur. p. 465. l. 10
Ludovicus filius Ludovici-balbi. p. 496. l. 4. inungitur cum fratre in monaſt. Ferrarienſi. p. 496. l. 32. Ludovicus & Carolomannus regnum partiuntur. p. 496. l. 43. Normannos acie vincit. p. 497. obit. p. 497. l. 23
Ludovicus Caroli-ſimplicis filius fugit in Angliam p. 541. l. 9 redit in Galliam. p. 541. l. 16. Rex inungitur. p. 541. l. 24. Normanniam occupat. p. 542. l. 21. proditus cuſtodia detinetur. p. 542. l. 51. liberatur. l. 54. moritur. p. 543. l. 37
Ludovicus filius Ludovici Germaniæ Regis. p. 496. invadit Galliam. p. ibid l. 18. moritur. p. 497. l. 15
Ludovicus v. Rex filius Lotharii regnare incipit. p. 552. l. 3. moritur. ibid & p. 399
Ludovici vi. præceptum de viaturâ Eccleſiæ Pariſ. p. 558. contra primatum Eccleſiæ Lugd. ad Calixtum PP. ſcribit. p. 743. l. 9
S. Ludovicus intereſt tranſlationi S. Furſei. p. 179. l. 27
Lues fœda Pariſiis graſſatur. p. 542. l. 39
Lugdunum. p. 7. quando primùm fidem recepit. ibid.
Lugdunenſes quatuor provinciæ. p. 3. l. 37
Lugdunenſis prima. p. 7
Lugdunenſis ſecunda. p. 8. l. 45. quando primum fidem recepit. ibid. & quando Lugdunenſis quarta. p. 9
Lugdunenſis urbis variæ viciſſitudines. p. 742. quando ex regno Francorum diviſa. ibid. l. 19. & quando ad jura Francorum redierit. p. 744. l. 22
Lugdunenſis Eccleſiæ primatus. Vide primatus.
Luitgardis Regina uxor Caroli-magni p. 196. l. 33
Luitprandus Rex Longobardorum Romanos aggreditur. p. 220. l. 56
Luitprandus Longobardorum Rex Exarcharum tentat invadere. p. 231. l. 2
Lupus Abbas Ferrarienſis dat libellum adverſus Ebonem. p. 409. l. 38. p. 434. l. 4. ſcribit ad Æneam Ep. Pariſ. p. 463. l. 6
Lupus Catalaunenſis Epiſcopus. p. 410. l. 18
Lupus Dux Campaniæ. p. 583. l. 49
Lupus Dux Vaſconum. p. 260. l. 22
Lutetia Pariſiorum p. 11. de initiis & antiquitate illius urbis. ibid. & p. 12. Julianus illius meminit. p. 12 & 13. quando primùm fidem ſuſcepit, Dionyſius hujus civitatis primus Epiſcopus. p. 13
Lutetia ad nullius ſortem venit p 103. l. 20. Lutetiæ ſcholæ excitatæ. p. 283. diripitur à Normannis. p. 399. obſidetur à Normannis. p. 503. l. 44. & ſeqq. Lutetiæ nomen & inſignia. p. 509. & 510. Lutetia Pariſiorum incendio deflagrat. p. 618. l. 29

M

S. Macutus Epiſcopus. p. 548. l. 23
Magiſtri diſciplinarum inter ſe diſſident. p. 770. quinam floruerant ſcientia ſub Rege Roberto. p. 770. l. 7
Maglorianis monachis datur capella S. Bartholomæi. p. 530. l. 44. datur & capella S. Georgii. p. 550. l. 52. Magloriani in ſuburbana ſedem transferuntur, p. 551. l. 9. tranſlati ad domum hoſpitalem S. Jacobi de alto paſſu p. 551. l. 20. his ſuccedunt preſbyteri Orat. ibid. multis donis monaſterium afficit Rex Robertus. p. 630
S. Maglorius, de eo plura. p. 546. l. 52. & ejus corporis & aliorum ſanctorum corporum tranſlatio. p. 547. l. 6. & infra. & p. ſeq. quo anno Pariſios delata ſunt SS. corpora. p. 550. l. 5

Magno vel Magnus Senonenſis Archiepiſcopus. p. 306. l. 7
Mainardus Senon. Archiep. p. 639. p. 645. l. 40
Mainardus ad Senonenſem cathedam vocatur. p. 678. l. 40. Gelduini artibus de ſede dejicitur. *ibid.* reſtituitur. p. 679. l. 9
Majolus Abbas Cluniac. p. 603. l. 32. reſtituit diſciplinam in monaſterio Foſſat. p. 604. l. 7. obtinet à Rege Hugone donationis chartam. p. 604. vocatus ad Dionyſianum monaſt. moritur. p. 605. l. 25
Maldabertus Epiſcopus Pariſienſis. p. 263. l. 46
Malla & placita non habeantur in atriis eccleſiarum. p. 410. l. 49
Mallulfus Sylvanectenſis Epiſcopus. p. 122. l. 21
Malo Epiſcopus Pariſienſis.
Manaſſes Epiſcopus Aurelianenſis. p. 55. l. 46
Manaſſes Archiepiſ. Remenſis. p. 695. l. 16. S. Brunoni infenſus. p. 705. l. 24. deponitur. *ibid.* l. 25
Manaſſes Epiſcopus Meldenſis. p. 746. l. 44
Manumiſſionis præceptum ab Odone Rege datum. p. 526
S. Marcellus martyr ſocius S. Dionyſii. p. 24. l. 56
S. Marcellus Epiſcopus Pariſienſis ejus patria, mores, ſanctitas, miracula, mors & ſepulcrum. pp. 46. 47. & 48
S. Marcelli baſilica, de ea plura referuntur. p. 564. *& ſeqq.*
Marcomeres & Sunno Reges Francorum. p. 59. l. 10
Marculfus inſcribit ſuum opus Landerico. p. 179. l. 51
Marcus Epiſcopus Pariſ. p. 35. l. 10
Marcus Epiſcopus Aurelianenſis. p. 76. l. 45
Marinus Legatus in Galliis plures Synodos congregat adverſus Hugonem. p. 543. l. 10
Marſilia Abbatiſſa Calenſis. p. 287. l. 9
Martialis primus Lemovicenſis Epiſcopus, quando venit in Gallias. p. 368. & 372
S. Martialis Lemovicis fidem annuntiat: an Apoſtolus. p. 636. l. 40
S. Martinus Pariſ. ſanat leproſum. p. 48. ejus Oratorium Pariſiis. p. 128. l. 10
S. Martini præpoſitura de Sodobrio. p. 526. *& ſeq.*
S. Martini Turonenſis Archiclavis Herveus. p. 676. l. 41
S. Martini Eccleſia dedicatur. p. 692
Martinus & Pippinus patrueles cum Ebroïno confligunt & vincuntur. p. 211. l. 8. Martinus necatur. *ibid.* p. 211. l. 28
Martyria quando primum in Galliâ. p. 369 & 370
De Martyrologiis Hieronymi, Flori, Bedæ & Vvandalberti. p. 467. & 468
Martyrologium Uſuardi p. 466. l. 52. de eo plura p. *ſeq.*
Maſſius Epiſcopus Pariſienſis. p. 34. l. 53
Matfridus Comes. p. 530. l. 24
Matfridus Comes Aurelianenſis. p. 377. l. 49
Mathildis Regina filia Chonradi Imperat. p. 642. l. 48
Matiſconenſe Concilium II. p. 126. l. 28
Matrimonium quibus gradibus prohibitum eſt. p. 81. l. 13. pro matrimoniis illicitis non exigatur pecunia. p. 308. l. 52
Matrona fluvius. p. 117. l. 13
Matthæus Arauſicanus Epiſcopus. p. 77. l. 47
S. Mauri corpus transfertur ad Foſſatenſe monaſterium. p. 448. l. 17. S. Mauri vicus unde. p. 458. l. 47
Mauritius de Soliaco Epiſcopus Pariſ. p. 180. l. 19
Mauritius Epiſ. vult reſtituere moniales in monaſt. Argentol. p. 632. l. 25
Maximus Imperium invadit. p. 48. l. 37
S. Medericus de ejus ſanctitate, obitu & honoribus illi poſt mortem redditis, & ejus reliquiis p. 217. ejus tranſlatio. p. 501. l. 42. de die ejus depoſitionis. p. 502. l. 26
Medovechus Meldenſis Epiſcopus. p. 77. l. 51. & p. 78. l. 10
Megetius Epiſcopus. p. 78. l. 1
Mellanius, ſeu Mellonus Epiſcopus Rotomag. p. 8. l. 50. & p. 9
Mellaubodes Francorum Rex p. 58. l. 55
Mellitus Abbas à S. Gregorio mittitur in Angliam. p. 136. l. 25
S. Melorus p. 548. l. 35
Meroveus filius Chilperici Regis Turonos venit. p. 107. Rotomagi inceſtas nuptias contrahit cum Brunichilde. *ibid.* l. 51. rebellat contra patrem. *ibid.* capitur. p. 108. fit clericus. *ibid.* mittitur ad Aniſolenſe monaſterium Turonos venit. *ibid.*
Merſeidus Epiſcopus Pariſienſis. p. 225. l. 23
Methodius Patriarcha ſcribit vitam S. Dionyſii. p. 374. l. 2
Michael Imperator iconomachus. p. 331. l. 45. ſcribit ad Ludovicum-pium contra imaginum cultum. p. 332. l. 10. ad eum mittit libros S. Dionyſii. p. 336
Michael. Imp. filius Theodoræ. p. 452
Milo de Monte-Letherici. p. 686. l. 31
Milo Trecenſis Vicecomes. p. 686. l. 35
Miſſi dominici. p. 299. quod & quale eorum officium. *ibid.* & p. 300. Cum Epiſcopis adeant monaſteria. p. 410. l. 33. videant an decimæ & nonæ ſolvantur. p. 410. l. 46
Mommolenus Epiſcopus Noviomenſis. p. 198. l. 21
Monachi quando primum cœperint, & quæ eorum prima inſtitutio. p. 186. l. 8. & 187
Monachi vagi coercentur. p. 393. l. 32
Monachi vetantur ire ad comitatum. p. 397. l. 24. non ejiciantur è monaſterio ſine conſcientia Epiſcopi. *ibid.*
Monachi duo S. Medardi præciduntur à communione fratrum & deponuntur.
Monachi vagi ad Abbates revocentur. p. 428. l. 16
Cauſæ monachorum ad Regem deferre ſolitæ. p. 456
Monaſterium S. Carilephi. p. 379. l. 40
Monaſterium S. Chlodoaldi. p. 72. l. 3. fit collegium Canonicorum. *ibid.*
Monaſterium Domni Chriſtivili. p. 573
Monaſterium Virginum fundatur Pariſiis à S. Eligio p. 161. l. 41. datur Foſſat. p. 765. 766. & 767
Monaſterium S. Vincentii. p. 85. l. 32. de eo plura *in ſeqq.* illius Eccleſiæ fundatio. *ibid.* ejus privilegium. p. 89. l. 30. an ſit ſincerum. p. 90. l. 41. p. 574. l. 2
Monaſterium Latiniacenſe. *Vide* Latiniacum.
Monaſterium Longi-Pontis. p. 687. l. 14. ejus fundatio. p. *ibid.* quo anno accidit. p. 688. l. 11. Priores hujus monaſterii. *ibid.* l. 38
Monaſterium S. Dionyſii fundat Rex Dagobertus. p. 155. & 156. in eo erat ab initio laus perennis. p. 157. l. 15. de pluribus chartis hujus monaſterii. pp. 159 & 158. domicilium eſt multorum regum p. 463. ac præſertim Caroli-calvi. p. 464. hujus monaſterii curam gerunt præpoſitus decani &c. p. 464. l. 2. de eo & ejus nobilitate. p 574. & 575. de ſcholis in eo habitis. p. 577. l. 29
Monaſterium Foſſatenſe. *Vide* Foſſat. &c.
Monaſterium & baſilica S. Martini de Campis. p. 638. l. 44. Henrici I. charta fundationis. p. 639
Mons-Letherici de eo plura. p. 686. hunc foſſis & muris clauſit Theobaldos filans ſtupas. p. *ibid.*
Morardus Abbas S. Germani à Pratis. p. 610. l. 56
Mulieres quæ filios tenent ad confirmandum non diſcedant à viris, ſed agant pœnitentiam. p. 308. l. 23
Mulieres non ingrediantur altare, nec corpus, nec ſanguinem porrigant. p. 346. l. 33
Mumbolus Abbas Latiniacenſis. p. 216. l. 35
Mummolus præfectus. p. 118
Mummolenus Dux. p. 321. l. 36

N

NANTARUS de Montegaio. p. 693. l. 24
Nanthildis uxor Dagoberti. p. 153. l. 48. moritur. p. 174. l. 21. ejus ſepultura & teſtamentum. *ibid.*
Nantinus Comes Engoliſmenſis. p. 581. l. 10
Nantriacum datum Eccleſiæ Pariſ. p. 462
Natalia mulier & martyr: de ejus martyrio & tranſlatione. p. 464. l. 52
Nectarius Abbas S. Symphoriani Auguſtod. p. 80. l. 9
Nemptodorum vicus agri Pariſ. p. 50. l. 2. & p. 51. l. 32. p. 129. l. 32
S. Nicaſius in pago Vulcaſſino martyrio defungitur. p. 9. l. 11
Nicæa obſeſſa à Chriſtianis. p. 755. l. 45. capta. p. 756. l. 8
Nicenum Concilium II. pro imaginibus. p. 330. l. 33
Nicepharus Imperium invadit, obtruncatur. p. 331. l. 43
Nicetius Trevirenſis Metropol. p. 77. l. 49
Nicetius à Rege ducatum obtinet. p. 582
Nicolaus PP. I. an decretum fecerit de geminâ prædeſtinatione. p. 423. l. 22. ad Epiſcopos Galliæ. ſcribit de Photio. p. 447. l. 48. & p. 454. obiit. *ibid.* l. 53. Photium condemnat. p. 454
Nicolaus PP. II. Romæ condemnat Berengarium. p. 674. l. 33. in eos, qui ordinationem acceperant à ſimoniacis utitur indulgentia. p. 679. l. 22
Nithardus pugnat ad Fontanetum. p. 388. l. 38. ſcripſit hiſtoriam civilium bellorum. p. 388. l. 1
Nocetum villa. p. 116. l. 13
Noctes pro diebus numerabantur apud Gallos & Germanos. p. 256. l. 44 & p. 257
Nomenoïus Dux Britonum, ſeu Britanniæ minoris. p. 401. l. 35. affectat regnum. p. 402. l. 43. Epiſcopos ejicit. p.

402. l. 6. ſeptem, ſeu novem Epiſcopos in Britannia conſtituit. *ibid.* l. 20. Epiſcopi Pariſiis congregati ad eum ſcribunt. p. 403. plura de eo & ejus cauſa. p. 405. moritur. p. 407
Nonæ & decimæ ſaltem Eccleſiis dentur. p. 409. l. 13
Norbertus Regis cuſtos. p. 214. l. 17. obiit. p. 218. l. 2
Normanni infeſtant Galliam. p. 395. l. 13. & p. 398. & p. *ſeq.* ad Carolivennam veniunt. p. 399. l. 25. Lutetiam iterum invadunt. p. 428. obſident Lutetiam. p. 503. ſoluta obſidione Senonas & Meldos petunt. p. 507. duce Rolloue Galliam vaſtant. p. 530. *& ſeqq.* Lugdunenſem ſecundam provinciam obtinent à Carolo III. p. 532. fiunt Chriſtiani. p. 535
Normannia quando ſic dicta. p. 533
Nortingus Veronenſis Epiſcopus. p. 420. l. 2. *& infra.*
Noto Remis occupat locum Ebonis. p. 393
Novientum oppidum. p. 71. l. 10. p. 127. l. 30
Nummana cum viro Ermenrico fundat Argentolii monaſterium.
Nundinæ, ſeu mercatum S. Dionyſii. p. 218. l. 23
De Nundinis litigat Gerardus Comes cum Dionyſianis. p. 256
Nundinæ, ſeu indictum. p. 491. l. 25

O

DE Oblationibus & decimis ſtatutum. p. 127. l. 12
Oblationes malis artibus factæ condemnantur. p. 308. l. 18
De oblationibus & earum ratione multa referuntur. p. 689. l. 5. & p. 690
Obſidio celebris Lutetiæ Pariſ. p. 503. & p. *ſeqq.*
Odacar Comes. p. 530. l. 21
Odalricus ordinatur Archiep. Remenſ. p. 546. l. 24
Odgiva filia Edouardi Anglorum uxor altera Caroli III p. 541
Odilardus monachus Pratenſis. p. 465. l. 29
Odilbertus Mediolanenſis Epiſcopus. p. 306. l. 6
Odilo Dux Bajoariæ. p. 582. l. 54
Odilo Abbas Cluniacenſis Dionyſiani monaſterii diſciplinam reſtituit p. 610. l. 52. & habet nomen Abbatis Dionyſ. *ibid.* l. 34. & p. 767. l. 44
Odo Comes Trecenſis vincitur à Burchardo Comite p. 613. l. 30
Odo Abbas S. Dionyſii cum Mauritio Pariſ. Epiſ. litem habet. p. 632. l. 15
Odo Decanus Eccleſiæ Pariſienſis. p. 702. l. 52
Odo frater Henrici Regis adeſt retectioni reliquiarum S. Dionyſii. p. 647
Odo Bellovacorum Epiſc. p. 435. l. 45. p. 476. l. 42. p. 495
Odo egregius miles. p. 505. l. 22
Odo Comes Pariſ. p. 503. l. 56. auxilium Pariſ. adducit. p. 506. l. 35. Rex Francorum ſalutatur. p. 507. l. 46. & p. 519. & 520. à Vvalterio Rex inungitur, Normannos ad Montem falconem vincit. p. 508. Vvalgarium Comitem necat. p. 521. l. 27. defectionem in Aquitania comprimit. p. *ibid.* colloquium habet cum Arnulfo Imperatore. p. 522. l. 7. ejus obitus & ſepultura. *ibid.* l. 24. litteris excolendis ſtudet. p. 579. l. 34. & plura de eo. p. 595. l. 14
Odo Abbas Foſſat. p. 434. l. 22. p. 450. l. 34
Odo I. Abbas Foſſatenſis. p. 536. l. 41
Odo II. Abbas Foſſat. p. 657. l. 25. à Roberto Rege chartas obtinet *ibid.* intereſt dedicat. baſil. Foſſat. p. 658. l. 18
Odo decanus Eccleſ. Pariſ. p. 643. l. 49
Odo qui fuit Cluniacenſ. Abbas dat ſtudiis operam Lutetiæ. p. 579. l. 6. & p. 603. l. 21
Odolricus Abbas S. Martialis. p. 636. l. 49
Ollo Bituricenſis Comes. p. 581. l. 18
O'μοούσιον vocabulum quando in uſu. p. 663. l. 47
Oneſiphorus, quis. p. 366. l. 35
S. Opportuna & de ejus baſilica. p. 513. honos redditus ejus reliquiis p. 514. ejus reliquiæ Lutetiam tranſlatæ. *ibid.*
Optatus Abbas Foſſatenſis. p. 322. l. 56
Optimates à Carolo ad Ludovicum deficiunt. p. 424. invadunt bona eccleſiarum. p. 680. l. 10
Orationes pro defunctis. p. 309. l. 45
Oratorium non fiat ſine dotatione. p. 75. l. 57
Oratorium S. Martini. p. 572
Ordinatio ſervorum non fiat ſine voluntate dominorum. p. 76. l. 26
Oreſtes Epiſcopus Vaſatenſis. p. 326. l. 42
Oſcherius Dux Normannorum. p. 398
Oſvvinus Rex Nordamhumbrorum. p. 203. l. 46
Otho Rex Germaniæ. p. 542. l. 3
Othelcius Abbas Foſſ. p. 517. l. 39
Otmundus diaconus Pariſ. p. 435. l. 29
Ottulfus Tricaſſ. Epiſ. p. 494. l. 52

P

PÆONIUS Comes. p. 581. l. 20
Paganus dat altare Montis-martyrum Campenſibus monachis. p. 680. l. 47
Palladius Comes Gaballitanus. p. 581. l. 9
Palladius Sanctonicus Epiſcopus. p. 126. l. 42
Papolenus Abbas Stabulenſis. p. 171. l. 50
Pappolus Epiſcopus Carnotenſis. p. 105
Pardulus Laudunenſis Epiſcopus. p. 409. judex in cauſa Remenſ. clericorum. *ibid.* l. 32. p. 445. l. 48
Pariſienſe Concilium in quo Arriani condemnati ſunt. p. 40. 41. & 42. quo anno habitum. p. 40. l. 59. Status civitatis Pariſienſis tempore Honorii Imper. p. 49. Pariſienſe Concil. II. p. 76. l. 22. Concilium Pariſ. III. p. 80. *& ſeqq.* Concil. IV. p. 103. *& ſeqq.* Concil Pariſienſe V. contra Prætextatum. p. 108. *& ſeqq.* Pariſ. Concil. VI. p. 142. & 143. VII. p. 142. ex quatuor provinciis. p. 143. l. 55. & 56. quo in loco habitum. p. 350. l. 48
Pariſienſis conventus de imaginibus. p. 329. l. 19
Pariſienſis Eccleſiæ elogium. p. 226. l. 5. p. 699. in Pariſienſi Eccleſia ſemper viget diſciplina. p. 786
Paſcha per ſex dies celebretur. p. 127. Paſchatis celebrandi mos apud Reges Francorum. p. 259. l. 41. De Paſchatis annunciatione. p. 103. & 126. l. 12
Paſchalis II. PP. de eo. p. 762. in Gallias venit *ibid.* ſcribit ad Daïmbertum de electione Fulconis Pariſ. Epiſ. p. 731. l. 21. non de Galonis electione. p. 732. l. 39. & p. 752. ſcribit pro reconciliat. Regis Philippi. p. 746. l. 22
Paſchalis Primicerius contra Leonem III. conjurat. p. 295. moritur.
Paſchalis fit ſummus Pontifex. p. 327. l. 29. moritur. p. 328. l. 50
Paſchaſius Ratbertus Abbas Corbeienſis ſcribit librum de corpore & ſanguine Domini. p. 661. l. 54. ejus ſententia de Euchariſtia orthodoxa. p. 662. quo anno ſcripſerit. p. 663. l. 13. tempore Paſchaſii quidam de Euchariſtia male ſentiebant. p. 663. l. 20
Paſtelas Pergenſis Epiſcopus. p. 329. l. 52
S. Paternus. p. 548. l. 36
Paternus Epiſcopus Arrianus. p. 40. l. 46
Paulinus Epiſcopus Aquileienſis Forojulii Synodum habet de proceſſ. S. Spiritus. p. 292. l. 26
Paulus Epiſcopus Pariſ. p. 44. l. 55
Paulus PP. moritur. p. 253. l. 42
Paulus Aſtalfa. p. 260. l. 6
Paulus Rotomagenſis Archiepiſcopus. p. 412. l. 50
Pennemellarenſe monaſterium. p. 465. l. 52
Peregrinationes & itinera ad ſancta loca. p. 309. l. 53
Perſecutio Maximiani in Galliis ſævit. p. 31. Diocletiani perſecutio non invaſit Gallias. p. 30. l. 37
Petri cujuſdam epiſtola ad Pariſ. Epiſcopum refertur. p. 710
Petrus de Ordeimonte Epiſcop. Pariſ. p. 180. l. 29
Petrus Foriſempronii. Epiſ. p. 487. l. 48
Petrus Senogalliæ Epiſ. p. 487. l. 49
Petrus Piſanus vir doctrina clarus. l. 45
Petrus Capuanus. p. 373. l. 13
Petrus Virodunenſis Epiſcopus reus conjurationis abſolvitur. p. 289. l. 24
Petrus Meldenſis Epiſ. p. 653
Petrus Abbas Pratenſis Cancellarius Philippi Regis. p. 719. l. 19
Petrus Eremita it Hieroſolymam. p. 752. l. 42. ejus mores & inſtituta. p. 755. l. 56. in Aſiam cum exercitu tranſit. *ibid.*
Petrus Abaelardus an ſcripſerit epiſtolam Gotfrido Pariſ. Epiſ. p. 711. l. 13. ejus ortus, educatio, & inſtituta. p. 771. l. 49. adverſus Campellenſem diſputat p. 772. l. 7. Melodunı aperit ſcholam. l. 25. docet Pariſiis. p. 772. l. 39. in monte S. Genovefæ. p. 773. l. 4. audit Anſelmum Laudun. l. 23. Pariſiis munus docendi ſuſcipit. l. 47. amore Heloïſſæ capitur. p. 773. l. 56. & 774. in monaſterium Dionyſ. ſecedit. p. 775. ejus annorum ratio expenditur. p. 777
Pharamundus Rex Francorum. p. 59. l. 29
Phatir Judæus. p. 118. l. 27
Philippus Rex Francorum. p. 641. l. 47. & l. 56. Remis ſollemniter inungitur. p. 642. l. 1. dat monaſterium Campenſe Cluniacenſibus. p. 692. cujus donationis charta extat. *ibid.* Bertam uxorem ducit. p. 744. l. 39. cum Bertrada illi-

Digitized by Google

citas nuptias agit. *ibid.* l. 49. excommunicatur. p. 745. l. 5. reſipiſcit. l. 14. relabitur. *ibid.* excommunicatur iterum. p. 745. l. 32. in conventu Balgenciacenſi reſipiſcentiam profitetur. p. 745. Pariſiis abſolvitur à Lamberto Atrebatenſi Epiſ. p. 746. l. 39. ob ejus noxam regnum Francorum non eſt interdicto poſitum. p. 747. quid ſit, quod privatus ſit uſu coronæ. p. 748. neque ob noxam uſus eſt formula *regnante Christo.* p. 749. dat chartam donationis monaſterii S. Eligii Foſſatenſibus. p. 767
Photius de eo & ejus ſchiſmate p. 452. fit Patriarcha Conſtantinopol. p. 453. ſcribit contra Eccleſiam Latinam. p. 454. l. 33
Phronimius Agathenſis Epiſcopus. p. 120. l. 45
Piato Martyr ſocius S. Dionyſii. p. 24. l. 9
Pientia virgo & martyr. p. 9. l. 13
Pippinus major palatii Dagoberti p. 149. l. 38. p. 155. l. 32. major palatii Sigiberti Regis. p. 169. l. 18. Pippinus filius Anſigiſili & Grimoaldus male pugnant p. 211. l. 8. ſolus Auſtriam regit ſuo nutu. p. 112 l. 20. ad Textritium feliciter pugnat. Theodoricum vincit, & Neuſtriam invadit p. 112. ſummam rerum obtinet & ſolus tria regna moderatur. p. 114. ejus genus & virtutes. *ibid.* Plectrude ejectâ Alpaidem ducit. p. 214. Heriſtallius dictus. p. 218. l. 53. obitus ejus. *ibid.*
Pippinus filius Caroli-martelli. p. 221. l. 29. rem agit cum Carolomanno fratre. p. 223 l. 35. ſolus rem gerit. l. 48. ejus elogium. p. 217 quomodo Rex ſalutatus p. 227. *& ſeqq.* opem Stephano pollicetur. p. 231. l. 35. in Longobardos expeditionem decernit. p. 232. l. 39. inungitur à Stephano PP. p. 233. l. 43. Clulas occupat, Aiſtulphum vincit, ad pacem accipiendam cogit. p. 234. l. 33. *& infra.* bellum redintegrat, iterum Aiſtulfum vincit. Exarchatum recipit quem donat Eccleſiæ Romanæ. p. 235. Gentiliacenſe Concilium celebrat. p. 149 *& ſeqq.* adverſus Vaifarium bellum feliciter gerit. p. 254 l. 3 *& infra.* Turonos venit. *ibid.* l. 26. ad monaſterium S. Dionyſii. p. 254. l. 37. dividit duobus filiis provincias *ibid.* l. 42. mors ejus, ſepultura & elogium. *ibid.* l. 50. & p. 255. varia ejus præcepta p. 235. l. 27. ejus placitum pro Dionyſianis contra Gerardum Comitem. p. 156
Pippinus filius Caroli-magni inungitur Rex Italiæ. p. 271. l. 13
Pippinus Caroli M. filius major natu in patrem conjurat. p. 287. l. 42 & p *ſeq.* conjurationis ſocii necantur, ipſe in monaſterium detruditur. p. 188. l. 13. & 14
Pippinus filius Ludovici-pii fit Rex Aquitaniæ. p. 316. l. 22. in patrem cum optimatibus conjurat. p. 352. l. 18. moritur. p. 382. l. 28
Pippinus filius Pippini Aquitaniæ Regis. p. 382. l. 3. à Carolo-calvo partem Aquitaniæ recipit. p. 405. l. 34
Piſtæ locus in agro Rotomag. p. 429. l. 25
Piſtenſis Synodus quo anno ſit habitus. p. 431. l. 40
Placidus Matiſconenſis Epiſcopus. p. 77. l. 56
Placitum Pariſ. ſub Guntchramno. p. 124. l. 17. & in Clippiaco villa. p. 149. l. 55. & p. 151. l. 27. placitum ad Brennacum in quo decreta in Longobardos expeditio. p. 232. l. 41
Placitum quid ſit quando & quibus in locis haberetur, placitum quo tempore non ſit. p. 398. l. 4
Placitum apud Marſnam. p. 407. l. 54
Placitum non habeatur in atriis eccleſiarum. p. 410. l. 49. quando ſieri licitum. *ibid.*
Plectrudis uxor Pippini Heriſtallii ejicitur. p. 214. poſt viri mortem, tutelam regni & nepotum capit. p. 219
Pœnitentes à carnium eſu & vini potu abſtineant, p. 309. l. 30
Pœnitentes non ſuſceptores ſint in baptiſmo. p. 447. l. 20
Pœnitentiales libri non quilibet admittendi. p. 308. l. 38. & p. 345. l. 50
Pontigo ubi ſita. p. 484. l. 22
Portentum in Aquitania. p. 618. interpretantur Gauſlinus Archiep. Bituric. & Fulbertus Carnot. p. 618. l. 43
Pothinus Lugdunenſis Epiſcopus. p. 7. l. 20
Præbendæ nomen quando in uſu. p. 449. l. 23
Præcepta Ludovici-pii pro Foſſatenſi monaſterio. p. 313. l. 24
Præceptum Lud. Pii pro Eccleſiâ Pariſi. p. 325. p. 326. & 327
Præceptum Ludovici-pii pro Foſſatenſi monaſterio. p. 338. l. 47
Præfectus ab Orientis Imperatore miſſus Romam & res Romanas adminiſtrat. p. 230 l. 47
Præpoſitura de Sodobrio. p. 526. & 527
Præſtariæ quid. p. 150
Prætextatus Epiſcopus Cavallicus. p. 77. l. 46
Prætextatus Epiſcopus Rotomagenſis. p. 108. l. 24 accuſatur in Concil. Pariſi. in exilium mittitur reſtituitur. p. 112. l. 24 occiditur in Eccleſia. p. 112. p. 126. l. 53
Preſbyteri officio abdicati pœnitentiam agant in monaſterio, aut alibi. p. 308. l. 45
Preſbyteri non conſecrent Virgines. p. 346. l. 18
Preſbyter non habeat duas baſilicas. p. 346. l. 50
Preſbyteri cum voluntariis Eulogiis viſitent Epiſcopos. p. 597. l. 9
Priamus Rex Francorum. p. 59. l. 16
Primates in Galliis non fuerunt ab initio. p. 336
Primatus Drogonis Metenſ. Epiſ. p. 736
Primatus Eccleſiæ Senon. diſcutitur. p. 485. 486. 487 & p. 736. Anſegiſus hunc obtinet à Joanne VIII. *ibid.* ejus ſucceſſores ab eo. p. 737. l. 9
Primatus Eccleſiæ Lugdunenſis initia. p. 737. l. 45. in Concilio Claromontano aſſeritur. p. 738. l. 28. quæ ſint jura & prærogativæ Eccleſ. Lugd. p. 741 l. 17. Ludovicus VI. contra primatum Eccleſ. Lugd. ſcribit. p. 742. l. primatus Lugd jus in provincias alias. p. 744. l. 18
De primatu Eccleſiæ Lug. & Senon. diſſidia. p. 736. 737. 738. *& ſeq.*
Priſcus Judæus diſputat cum Gregorio Turon. p. 117. l. 44. interficitur. p. 118. l. 18
Priſcus Lugdunenſis Epiſcopus. p. 126. l. 36
Privilegium S. Landerici an ſincerum? p. 182. *& in ſeqq.*
De privilegiis monachorum. p. 187. l. 12. *& infra.*
Privilegium Dionyſ. p. 434
Privilegium Tornutienſe. p. 481
Privilegium Corbeienſe. p. 398. l. 18
Privilegium Leonis III. datum Dionyſianis. p. 293
Privilegium Caroli M. pro Dionyſianis falſum & ſuppoſitum. p. 312. l. 41. & p. *ſeq.*
Probatio per crucem quomodo fieret & quando in uſu. p. 165. l. 20.
Probatus ſeu Probatius Epiſcopus Pariſ. p. 74. l. 13
Probianus Bituricenſis Metropolitan. p. 77. l. 49
Probianus Epiſcopus Bituric. p. 93. l. 21
Proceſſio ſpiritus S. ſtabilita in Synod. Gentiliacenſi. p. 249. & in Synodo Forojulienſi. p. 292. l. 27. de *Filioque* diſputatio. p. 302. l. 23. *& infra.* quando hæc adjectio facta Symbolo. p. 250. l. 55. & p. 302. & 303
Prodigium an Pariſiis viſum ſit, quo perculſus S. Bruno ſeceſſerit in eremum. p. 703. l. 23.
Promotus preſbyter. p. 103. l. 36
Protadius major domus Theodorici. p. 138. l. 44. interficitur. p. 139. l. 3
Prudentius Epiſcopus Pariſ. 43. l. 1. ejus ſepulcrum. *ibid.* l. 32
Prudentius Trecenſis Epiſcopus in cauſa Remenſium clericorum. p. 409. l. 33. Ejus epiſtola ad ordinationem Æneæ Pariſ. p. 419. ejus doctrina. p. 422. & 423. ejus obitus. *ibid.*
Pudicus Namnetenſis Archiep. propter ſimoniam dejicitur. p. 678. l. 21
Puellæ non nubant invitis parentibus. p. 75. l. 35
Pugna ad Teruviam. p. 133. l. 12
Pugna ad Aroannam fluviolum haud procul à Doromello vico in agro Senonenſi. p. 138. l. 11
Pugna ad Lucofaum. p. 211. l. 9
Pugna ad Cotiam ſilvam. p. 219. l. 20
Pugna ad Vinciacum. p. 219. l. 36
Pugna ad Textricium. p. 212. l. 37
Pugna ad Fontanetum. p. 388. l. 14

Q

S. Quintinus martyr ſocius S. Dionyſii. p. 24. l. 30

R

RABANI Mauri de Euchariſtia ſententia proxima periculo. p. 663. l. 40. Epiſtolam de hoc argumento ſcribit. p. 664 & p. 665. l. 23
Rabanus Epiſcopus Moguntinus Gotteſchalcum condemnat. p. 421. l. 16
Rachis Rex Longobardorum ad Caſſinenſe monaſterium ſecedit. p. 231. l. 12. Rachis relinquit monaſterium & Deſiderio adverſatur. p. 235. l. 46
Radbodus Friſiorum Rex. p. 219. l. 24
S. Radegundis Regina Pictavos ſecedit & monacham ſe profitetur &c. p. 92. & 102. l. 38
Radegundis puella cara S. Bathildi. p. 200. l. 23
Radulfus Bituricenſ. Epiſcop. p. 428. l. 27
Radulfus Abbas Foſſat. p. 722. l. 22

Ragamfridus diaconus Eccleſiæ Remenſis. p. 409. l. 6
Ragenarius Dux Nortmannorum. p. 399. l. 39
Ragenarius Comes. p. 504. l. 14
Ragenfredus major domus regiæ p. 219. l. 22. male pugnat cum Carolo-martello ad Vinciacum. ibid. l. 37
Ragenoldus Dux Nortmannorum. p. 540. l. 6
Raginelmus Epiſ. Tornacenſis. p. 433. l. 42
Ragnecapius Pariſienſis Epiſcopus. p. 226. l. 2
Ragnemodus Epiſcopus Pariſ. p. 107. diaconus Turonos venit. ibid. l. 37. p. 109. l. 18. Prætextatum reſtituit, cognoſcit cauſam ſulcorum, qui S. Dionyſii ſepulcrum violaverant. p. 112. l. 56. & p. 113. l. 2
Idem Ragnemodus Theodoricum filium Chilperici ſuſcepit è lavacro. p. 118. l. 41. moritur. p. 130. de eo plura ejus elogium &c. ibid.
Ragnetrudis uxor Dagoberti. p. 154. l. 7
Ragnoardus Archiepiſcopus Rotomagenſis. p. 342. p 350. l. 29
Raimbaldus Comes Arauſienſis. p. 755. l. 4
Raimundus Comes Tholoſanus. p. 753. l. 20. in Aſiam venit. ibid.
Rainaldus Abbas Foſſ. p. 322. l. 56
Rainaldus Remenſis Archiep. p. 709. l. 49
Rainaldus Archidia. Eccleſ. Pariſi. p. 729. l. 8
Rainaldus Abbas Foſſat. p. 536. l. 49
Rainaldus Epiſ. Pariſ. *Vide* Raynaldus.
Rainardus Comes Senon. ex urbe ejicitur. p. 613. l. 35
Rainerius Abbas Dionyſianus. p. 719. l. 52. obtinet privilegium ab Alexandro PP. II. p. 720
Raingarius Noviomenſ. Epiſcopus. p. 350. l. 30
Ratbertus Epiſcopus Pariſ. p. 226. l. 1
Ratiſpona, ſeu Reginoburgum urbs Bajoariæ. p. 646
Ratramni, ſeu Bertrami monachi Corbeienſis opuſculum de Euchariſtia. p. 666. l. 34. hoc Petrus de Marca Joanni Scoto tribuit. p. 666. l. 44. rationes referuntur. p. 666. l. 49 Mabillonius negat. p. 667. l. 33. Ratramnus contra quos ſcribit? p. 668. l. 33
Ratramnus Corbeienſis monachus ſcribit adverſus Græcos. p. 432
Raynaldus Epiſcopus Pariſienſis Burchardi Comitis filius p. 606. l. 30. chartam donationis ſcribit Odæ fæminæ ibid. inſtituit vicarium Foſſat. monaſterio & de ea re ſcribit chartam p. 625. l. 45. chartam donationis ſcribit Canonicis Eccleſiæ Pariſ. p. 632. dies & annus ejus obitus. p. 633. l. 23
Reccaredus Rex. p. 120. l. 40. & 121. l. 19
Regimundus Comes. p. 428. l. 28
Regis petenda eſt auctoritas contra eos, qui publice peccant. p. 308. l. 10
S. Regulus martyr ſocius ſancti Dionyſii. p. 24. l. 41
Regum officium. p. 376. l. 41
Reitrudis cum viro ſcribit donationem Canon. de carcere Pariſ. p. 633. l. 3
Remigiani ineunt ſocietatem cum Dionyſianis. p. 380. l. 9
Remigius monachus Autiſſiodor. p. 579. l. 2
Remigius Decanus S. Germani à Pratis. p. 525. l. 24
Repudium in uſu apud Francos. p. 224. l. 28
Rex quomodo debeat regnum adminiſtrare. p. 347. l. 27
Richardus Abbas Foſſat. p. 322. l. 55
Richardus Dux Burgundiæ. p. 532. & p. 538. l. 29
Richardus Dux Nortmanniæ. p. 546. l. 29
Richerius Abbas Foſſat. p. 322. l. 56
Richerius Archid. Pariſ. p. 644. l. 8
Richerius Archiep. Senon. p. 487. l. 6. Ivonem renuit ordinare. p. 697. l. 43. Stampis habet Synodum p. 698. l. 17. ordinat Walterium Meldenſem Epiſ. p. 709. l. 22. non agnoſcit primatum eccleſiæ Lugd. p. 738. l. 11. & l. 50. & p. 739. ejus mors. ibid. l. 37
Richildis uxor Caroli-calvi. p. 487. l. 43
Rigunthis filia Chilperici Regis deſponſa Reccared. de ea plura. p. 120. & 121
Riogilum idem quod Ruolium. p. 257. l. 10
Robertus fit Dux pagorum inter Sequanam & Ligarim. p. 428. l. 45
Robertus filius Roberti Regis matri Conſtantiæ dilectus p. 637. l. 6
Robertus frater Odonis Pariſ. Comitis. p. 504. l. 2. fit Abbas S. Germani à Pratis. p. 525. l. 6. & S. Dionyſii ibid. l. 20. Rollonem è s. lavacro ſuſcepit. p. 333. l. 2. Rex ſalutatur & inungitur. p. 539. l. 7. occiditur. p. 539. l. 31. Comes eſt Pariſienſis. p. 596. l. 37
Robertus Abbas S. Germani de Pratis. p. 270. l. 19. præcepta illi conceſſa. ibid. l. 36. ejus obitus. ibid. l. 39
Robertus vir nobilis interfectus à Nortmannis. p. 504. l. 49
Robertus Abbas S. Germani. p. 324. l. 18
Robertus Rex Francorum Aurelianis Rex inungitur. p 600. l. 20. Bertam uxorem ducit. p. 612. huic repudii libellum dat. p. 613. l. 15. Conſtantiam alteram uxorem ducit. p. 613. l. 25 Burgundiam recipit. p 613. l. 21. & Senonas. p. 613. l. 32. Hæreticos Aurelianis jubet cremari. p 613. palatium conſtruit. p. 619. l. 5. cæcum illuminat. ibid. l. 10. ejus pietas & miſericordia in pauperes. p 619. l. 14. ejus in S. Dionyſium religio. ibid. l. 32. conſtruit baſilicas. l. 47. ejus obitus & ſepultura. p. 621. l. 1. quæritur annus obitus Roberti Regis. p 640 l. 6. *& infra.* p. 738 l. 212 ſcientiis clarus. p. 769. l. 6
Robertus Cantuarienſis Epiſ. p. 648 l. 5
Robertus Abbas Foſſat. p. 659. adfuit detectioni reliquiarum S. Dionyſii. ibid.
Robertus Prior monaſt. Longi-pontis. p 688. l. 16
Robertus de Arbriſello. p. 713. de ejus vita moribus & inſtitutis p. 713. 714. *& ſeq.* vindicatur à calumnia. p. 715. l. 39. & p. *ſeq.*
Rodoaldus Portuenſis Epiſcopus. p. 443. l. 13
Rodulfus Bituricenſis Archiepiſcopus. p. 395. l. 38. p. 433
Rodulfus Turonenſis Archiep. primatem Lugd. agnoſcit. p. 738. l. 8
Rodulfus Richardi Ducis Burgundiæ filius. p. 538. l. 29. Rex inungitur. p. 539. l. 52. moritur & ſepelitur. p. 541. l. 1. & 2
Rodulfus Turonenſis Archiep. adeſt reconciliationi Philippi Regis. p. 746. l. 43
Rogationes publicæ. p. 114
Rollo Danorum Dux. p. 530. l. 35. ejus in Galliam adventus & expeditiones. p. 530. & 531. Carnutum fruſtra obſidet. p. 531. 532. à Carolo Rege Lugdunenſem ſecundam obtinet. ibid. l. 48. fit Chriſtianus. l. 56
Ronco Laudun. Epiſ. p. 546. l. 15
Rorigo Comes Glannafolienſe monaſterium reſtituit, & Foſſatenſi ſubjicit. p. 359. l. 30
Roſcelinus Dialecticus errores de Trinitate ſpargit. p. 709. l. 36. dictus auctor ſectæ nominalium. p. 770. l. 28
Roſtagnus Arelatenſis Archiep. p. 494. l. 18
Rotardus Dux ad Stephanum PP. Legatus. p. 232. l. 6
Rotfredus Avenionenſ. Epiſ. p. 494. l. 25
Rotgandus Dux Forojulienſis in rebellione interficitur. p. 266. l. 51
Rothadus Seſſion. Epiſc. & de ejus cauſa. p. 443
Rothildis ſocrus Hugonis Comitis. p. 538. l. 19
Rotlandus Comes Britannici limitis. p. 267. l. 55
Rotoialum. p. 129. l. 38
Rotrudis uxor Caroli-martelli. p. 221. l. 28
Rotrudis uxor Comitis Pariſ. p. 257. l. 10
Ruſticus preſbyter & Eleutherius ſocii ſancti Dionyſii. p. 21. l. 47. & p. 22

S

SABIGOTHO eadem, quæ Natalia martyr Cordubenſ. p. 464. l. 52
S. Sacerdos Lugdunenſis Epiſcopus Pariſiis moritur. p. 79. l. 1
Saffaracus Epiſcopus Pariſienſis. p. 76. l. 15. intereſt Concil. Aurel. v. deponitur in Pariſ. II. p. 76. & 77
S. Salaberga pſallentium perenne inſtituit Lugduni Clavati. p. 157. l. 23
Salaco Dolenſis Epiſcopus. p. 447. l. 4
Salaro Alethenſis Epiſcopus. p. 402. l. 2.
Salvator Alethenſis Epiſ. p. 550. l. 6
Salvius Albigenſis Epiſcopus. p. 115. l. 37. & l. 44
S. Samſon de eo plura. p 546. l. 52. & p. *ſeq.*
Samſon preſbyter Cordub. p. 465. l. 50
Sancelina uxor Odonis tranſigit cum decano & canonicis Eccleſiæ Pariſ. 643. l. 48
Sancho Epiſc. Aurelian. p. 739. l. 20
Sanctimoniales vetantur mutare habitum. p. 393. l. 39
Sapaudus Arelatenſ. Epiſcopus. p 77. l. 45
Sardicenſe Concilium. p. 37
Sarraceni duces Carolum M. in Hiſpaniam vocant. p 267. l. 31
Saturninus Epiſcopus Arelat. Arrianus. p. 40. l. 42
SS. Savinianus, Potentianus, Altinus quo tempore paſſi ſunt. p. 10
Saxones baptiſmum recipiunt, & fidem pollicentur. p. 207. l. 21. & p. 275. l. 13.
Scebaldus Abbas Aniſolenſis. p. 379. l. 20

Scholares ſæpe clerici dicti ſunt. p. 769. l. 48
Scholæ à Carolo-magno in Galliis inſtauratæ. p. 182. & ſeq. Scholæ in Concil. Pariſ. erectæ. p. 245. l. 44. in tribus locis aperiendæ. p. 148. l. 49. de ſcholis & ſtudiis litterarum. p. 576. l. 47. ſcholæ publicæ inſtituendæ. p. 578. l. 29. & de iis plura. p. 767 l. 34. & *in ſequentibus paginis*. ſcholæ celebres ſub Roberto Rege. p. 769. l. 30. Guilelmo Campellenſi & Petro Abaelardo magiſtris floſent. p. 775. intra ſepta clauſtri eccleſiæ majoris poſitæ. p. 775. l. 43
S. Scophilus Abbas. p. 548. l. 36
Scotorum de celebratione Paſchatis conſuetudo p. 203. l. 25. & de ea re diſputatio. *ibid* & 204
S. Scubilio. p. 548. l. 36
Scubiculus diaconus & mart. p. 9. l. 22
Sedechias Judæus medicus. p. 490. l. 10
Seductor Turonos venit, deinde Pariſios. p. 224
Segemundus Meldenſis Epiſcop. p. 507. l. 34
Seguinus Archiepiſcopus Senon. *Vide* Sevinus.
S. Senator Epiſ. p. 549. l. 23
Senonenſis eccleſiæ primatus. p. 737. *Vide* Primatus.
Sepulcrorum violatores, de ſepultura ſtatutum. p. 397. l. 49
Sepulcrum marmoreum inventum in crypta ſanctæ Genovefæ. p. 45. l. 44
Sergius filius Chriſtophori primicerii. p. 258. l. 55 & p. 259
Severi Sulpitii ſententia de primis Galliæ Martyribus. p. 369. l. 59
Severinus Abbas Agaunenſis monaſterii. p. 63 l. 45. curat Chlodoveum Regem, ad caſtrum Nantonis ſecedit. p. 64. l. 23. baſilica S. Severini Pariſ. p. 72. l. 25
S. Severinus ſolitarius alter ab Abbate Agaunenſi. p. 72. l. 8. de eo *in ſeq.* ejus reliquiæ habentur in Eccl. Pariſ. *ibid.*
Sevinus Archiep. Senonenſis. p. 486. l. 35. Robertum Regem inungit. p. 600. l. 22. præſidet Remenſi Concilio. l. 52. in Dionyſiano Concilio injuriis afficitur. p. 608. l. 22. de ejus primatu. p. 717. l. 25
Seulfus Archiep. Remenſis. p. 539. l. 39
Siagrius Epiſcopus Auguſtodunenſis. p. 93. l. 8. p. 129. l. 53
Siagrius Epiſcop. Gratianopol. p. 77. l. 48
Sigefridus Dux Normannorum. p. 505. l. 55
Sigemundus Abbas Aniolenſis. p. 379. l. 38
Sigebodus Narbonenſ. Epiſ. p. 494. l. 54
Sigibertus Rex vicos circa Lutetiam incendit. p. 20 & p. 106. dividit cum fratribus regnum. p. 102. Promotum Caſtrodunenſem Epiſcop. defendit. p. 103. & *ſeqq.* interficitur p. 106
Sigiberti & Chilperici mors Comitibus audaciam fecit. p. 583. l. 45. & *infra*.
Sigibertus filius Theodorici Rex renunciatur. p. 240. l. 23. interficitur. p. 240. l. 50
Sigibertus filius Dagoberti ex Ragnetrude. p. 154. l. 7. excipitur è fonte ſacro à Chariberto. p. 154. l. 11. in Auſtria regnat p. 169. l. 17. partitur theſauros Dagoberti cum Chlodoveo & Nanthilde. p. 169. moritur. p. 194. l. 44. ejus ſepultura. *ibid.*
Sigiſmundus Burgundionum Rex vincitur à filiis Chlodovei, capitur, ducitur Aurelianos cum uxore & liberis, necatur &c. p. 69
Sigloardus Archidiaconus Remenſis. p. 409. l. 19
Sigoaldus Comes. p. 581. l. 19
Sigoberandus Pariſienſis Epiſcopus. p. 194. l. 25. interficitur. p. 198. l. 51. & p. 199. l. 38
Sigobertus monachus recluſus monaſterii Dionyſ. p. 224. l. 42
Sigofridus Epiſcopus Pariſ. p. 112. l. 55. & p. 213. obiit. p. 215. l. 14
Siguinus Arch. Sen. *Vide* Sevinus.
Silvanus Francus. p. 58. l. 53
Silveſter Redonenſis Epiſcopus. p. 723. l. 50
Simeon Patriarcha Hieroſoly. p. 751. l. 49
Simon Abbas transfert corpus S. Launomari Bleſas. p. 458. l. 7
Simonia graſſatur in Galliis. p. 607. & p. 677. l. 27
Contra Simoniam. p. 242. l. 18 & l. 51. & p. 63. l. 33
Simoniaca hæreſis Pariſiis condemnata p. 344. l. 40. & Turonis à Stephano Legato. p. 679. l. 33
S. Simphorianus. p. 93. l. 46
Simplicius Epiſcopus Pariſienſis. p. 236. l. 22. & p. 241. l. 13
Simidius Epiſcopus. p. 78. l. 1
Sonechildis uxor ſecunda Caroli-martelli. p. 221. l. 28
Sordarius Hunnorum Regulus baptiſmum recipit. p. 292. l. 23
Spiritus ſancti proceſſio à Patre *Filioque* procedit. p. 250. Symbolo quando-nam inſerta. *ibid.* & p. 251. quando in Hiſpania. p. 250. l. 28. quando in Gallia. p. 251. l. 33. & p. *ſeq.*
Stabilinus ſocer Rotgandi Ducis Forojulienſis. p. 266. l. 55
Stephanus de Garlanda eligitur Epiſcopus Bellovac. p. 712. l. 30
Stephanus II. aut III. PP. p. 230. l. 29. adverſus Aiſtulfum Regem Longobard. opem implorat. p. 231. l. 30. Papiam venit ad Aiſtulfum Regem. p. 231. l. 54. in Galliam proficiſcitur. p. 232. l. 2. venit ad Agaunenſe monaſterium. p. 232. l. 4. ad Pontigonem villam regiam. p. 232. l. 10. in monaſterium Dionyſianum venit. *ibid.* p. in morbum incidit. p. 233. l. 1. divinitus ſanatur, ejus revelatio. *ibid.* Pippinum Regem inungit, Bertradam ejus conjugem & filios Carolum & Carolomannum. p. 233. l. 43. & *infra*. altare in nomine SS. Apoſtolorum conſecrat. p. 234. l. 6. locum munit privilegiis. *ibid.* l. 26
Stephanus PP. IV. p. 254. l. 1. ex preſbytero ſanctæ Cæciliæ ſummus Pontifex creatur. p. 259. l. 9. mittit Sergium in Galliam. *ibid.* l. 11. Synodum Romæ congregat. *ibid.* l. 10
Stephanus V. fit ſummus Pontifex. p. 317. l. 20. venit in Galliam. Ludovicum Imperat. & Irmingardam coronat. *ibid.*
Stephanus Comes Meldenſis. p. 638. l. 15
Stephanus Comes Pariſienſis fit Miſſus dominicus. p. 298. l. 53. donat Sulciacum villam Eccleſiæ Pariſienſi. p. 304. de eo plura. p. 305. ſubſcribit diſtributioni theſaurorum Caroli M. p. 322. l. 9. & p. 592. l. 28
Stephanus prior Longi-Pontis. p. 688. l. 39
Stephanus miles de Vitri. p. 568. dat Longi-Pontanis monachis medietatem baſilicæ S. Juliani. p. 568. l. 26
Stephanus hæreticus Aurelianis detegitur. p. 615. l. 24
Stephanus Archidiaconus Pariſ. p. 729. l. 8. adverſatur Fulconis electioni. *ibid.* l. 44
Stercoraniſtæ, qui eorum error. p. 664. l. 45
Studia litterarum in Galliis floruerunt. p. 280. l. 54. & p. 281 & *ſeqq.* quæ fuerint Pariſiis. p. 767. l. 34. de iis plura & in *paginis ſeqq.*
Studia nuſquam à tempore Caroli-magni Pariſiis interrupta. p. 769. reſloreſcunt ſub Philippo & Henrico. p. 772. l. 6
Studioſorum magiſtri inter ſe diſſident. p. 769. l. 55
Subdiaconi jubentur abſtinere ab uxoribus. p. 74. l. 37
Subſannus Epiſcopus Venetenſis. p. 402. l. 2. & p. 447. l. 7
Sugerius repoſcit monaſterium Argentol. p. 632. l. 9
Sunifredus civis Barcinon. p. 465. l. 35
Sunnegiſilus auctor cædis Chilperici. p. 122. l. 13
Suriſnæ vicus agri Pariſ. p. 524. l. 18
Sybilla Abbatiſſa Calenſis. p. 287. l. 8
Symbolo Niceno quando adjecta hæc verba *Filioque*. p. 250. l. 55. & p. 301. & p. 303
Symbolum S. Athanaſii quando, & ubi ſcriptum. p. 303. l. 38
Synagoga Judæorum. p. 568. l. 6
De Synodis ſingulis annis habendis. p. 74. l. 54
Jus Synodi quando primùm inductum eſt. p. 182. l. 52. & p. 283
Synodi in placitis publicis habebantur. p. 249
Synodus. *Vide* Concilium.
Synodus Dionyſiana pro reſtituenda diſciplina monaſterii. p. 154. l. 23
Synodus Diœceſana habita Pariſ. p. 656. l. 22
Synodica ad Nomenoïum. p. 403

T

TABANENSE monaſterium apud Cordubam. p. 464. l. 55
Tancredus Boamundi nepos ex ſorore. p. 753. l. 25
Taſſilo Dux Bajoariæ Pippino Regi fidem obligat. p. 249. l. 22. à tribus exercitibus impetitur. p. 186. ſe Carolo M. dedit. *ibid.* in monaſterium mittitur. *ibid.* & p. 582. l. 54
Tempeſtas fœda Pariſiis incumbit. p. 542. l. 17
Teſtamentum Fulradi Abbatis. p. 268
Teſtes falſi & perjuri ejecti ab Eccleſiâ. p. 428. l. 20
Tetbaldus Comes Carnotenſis. p. 638. l. 34
Tetradius Veſuntienſis Metropol. p. 77. l. 52
Tetricus Lingonenſis Epiſcop. p. 77. l. 56
Teudo Vicecomes Pariſ. p. 535. l. 40
Teutboldus Lingonenſis Epiſcopus. p. 412. l. 52
Teuto Epiſcopus Ratiſponenſis. p. 650. l. 45
Teuto præpoſitus eſt à Majolo Foſſat. monaſt. tum Abbas efficitur. p. 623. l. 52. ſecedit in agrum Remenſem. l. 30. ad Cluniacum redit. p. 625. l. 58
Tharaſius Patriarcha Conſtantinop. p. 310. l. 26

Digitized by Google

Thedelmarus Abbas S. Germani de Pratis. p. 216. l. 13
Theobaldus Comes Carnotenſis. p. 546. l. 30
Theobaldus filans ſtupas claudit muris & foſſis montem Letherici. p. 686. l. 25
Theobaldus Epiſcopus Pariſ. p. 568. l. 48
Theobaldus filius Aymonis Corboïlenſis Comitis fit Abbas Foſſat. p. 623. l. 39. moritur p. 625. l. 44
Theodaldus filius Grimoaldi, nepos Pippini. p. 218. l. 46. & p. 219. vincitur à Francis. ibid.
Theodetrudis, ſeu Theodila multa prædia donat Abbati, & fratribus S. Dionyſii. p. 356
Theodiſclus Epiſcopus. p. 350. l. 37
Theodiſcus Epiſcopus Hiſpalenſis deficit ab Eccleſia p. 291. l. 29
Theodlechildis Abbatiſſa Jotrenſis. p. 196. l. 49. ejus tumuli & corporis inventio. p. 206 l. 47
Theodo Dux Bajoariæ condit monaſterium S. Emmerammi. p. 646. l. 31
Theodobertus & Theodoricus filii Childeberti Auſtriam & Burgundiam inter ſe partiuntur. p. 133. l. 45. & p. 134. Theodobertus Rex Auſtriæ. p. 134. Theodoberti & Theodorici victoria de Chlotario. p. 138 l. 14. Fratres inter ſe bellum gerunt. p. 38. & p. 139. confligunt in agro Tullenſi Theodobert. victus fugit. iterum pugnatum eſt ad Tolbiacum, & iterum victus. p 139. interficitur. p. 139
Theodoldus Comes Dionyſianus ſcribit donationem. p. 288. l. 23
Theodora Auguſta. p. 452
Theodoricus filius Childeberti Rex Burgundiæ fratrem vincit. p. 139. ipſe artibus Brunichildis interficitur. p. 140. l. 22
Theodoricus filius Chlodovei II. p. 195. l. 16. Rex renunciatur. p. 207. l. 15. abdicatur & mittitur in Dionyſianum monaſterium p. 208. l. 6. Rex iterum ſalutatur. p. 209. l. 52 & p. 210. plura de eo *in ſeqq.* moritur. p. 214. l. 32
Theodoricus IV. qui Calenſis dictus eſt Rex ſalutatur. p. 220. l. 26 moritus. *ibid.* l. 36
Theodoricus filius Caroli-magni in monaſterium conjectus. p. 325. l. 23
Theodoricus Veſontionenſis Epiſ. p. 494. l. 20
Theodorus monachus fit Epiſcopus Cantuarienſis. p 205. l. 18
Theodorus Presbyter ſcribit contra libros Dionyſianos p. 337
Theodorus Maſſilienſis Epiſcopus. p. 124 l. 36
Theodorus Patriarcha Hieroſolymitanus. p. 253. l. 52
Theodoſius Epiſcopus Arelatenſis abſtinetur in Concil. Cabill. p. 176. l. 40
Theodoſius Epiſcopus Autiſſiodorenſis. p. 67
Theodoſius Epheſinus Epiſcopus. p. 329 l. 52
Theodovaldus filius Chlodomeris interficitur. p. 70. l. 18
Theodrada Abbatiſſa monaſt. Argentol. filia Caroli-magni. p. 630. l. 52
Theoduinus Leod. Epiſ. ſcribit Epiſt ad Henric. Regem contra Berengarium. p. 669. l. 38. & p. 672. l. 20
Theodulfus Andegavenſis Comes. p. 581. l. 31
Theodulfus Pariſienſ. Epiſ. p. 533. l. 33. præceptum obtinet à Carolo III. *ibid* annus ejus obitus. p. 535. l. 31. de ea. p. 577. l. 11
Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus. p. 283. l. 27. p 306. l. 8. reus fit conjurationis. p. 317. l. 18. abſolvitur, obit. p. 326. l. 50
Theogaudus Trevirenſis Epiſ. p. 442
Theophilus Michaelis Imperatoris filius. p. 331. l. 55
Theoto filius Taſſilonis Ducis Bajoariæ p. 286. l. 48
Theutberga uxor Lotharii ejicitur. p. 427. l. 46. & p. 442
B Thomas domus Victorinæ Canonicus. p. 793. l. 38
Thomas ſervus ſe filium Irenes Auguſtæ mentitur. p. 331. l. 47
S. Thurianus Dolenſis Epiſcopus. p. 525. l. 41
Thuringi propter defectionem mulctati. p. 275. l. 25
Tordoldus diaconus epiſcopatum Tullenſem occupat. p. 426. l. 28
Toto Dux Nepeſinæ civitatis. p. 253. l. 42. frater Conſtantini pſeudo Pontificis Romani interficitur. p. 259. l. 3
S. Tremorus. p. 548. l. 35
Treuga Dei, ſeu Domini quando cœperit eſſe in Galliis & quid ſit. p. 683. l. 35. quibus diebus obſervata. p. 684
Trophimus Arelatenſis Epiſcopus quo tempore in Gallias miſſus. p. 368. l. 7. & p 370
S. Trudonis monaſterium. p. 221. l. 48
Turnoaldus Epiſcopus Pariſienſis. p. 215. l. 23. *ibid.* plura de eo. an fuerit monachus deinde Abbas Dionyſianus. p. 216. l. 1

V

VADDO major domus Rigunthis. p. 124. l. 37
Vaimeris Dux Campaniæ S. Leodegarium capit eique oculos effodit p. 210. l. 14. *& infra.* morte afficitur. *ibid.* l. 42
Valdebertus presbyter Romanus. p. 259. l. 2.
Valderannus Abbas Foſſat. p. 722. l. 22
Valdiomerus Abbas monaſterii S. Germani de Pratis. p. 216. l. 14
Valentina Synodus. p. 425. l. 53
Valentinianus ſenior in Gallias venit, & commoratur Pariſiis. p. 48 l. 22. & 27
Valterus Epiſcopus Tornacenſis. p. 379. l. 38
Vandemiris viri illuſtris & Ercamberti donatio. p. 212. l. 56. & p. 213
Varinus Abbas novæ Corbeiæ. p. 378. l. 2
Vaſcones rebellant. p. 160. l. 47
Udo Comes Carnotenus. p. 505. l. 19
Velleſius Vappincenſis Epiſcopus. p. 77. l. 55
S. Venalus, ſeu Guenalus. p. 548 l. 23
Venatio Epiſcopis interdicta. p. 308. l. 32
Vermandus Epiſcopus Noviomenſis. p. 379. l. 18
Veſlendis ſemina quæ propoſitum violavit. p. 494. l. 22
Vicariatus & eorum origo. p. 682. l. 9
Victorinæ Domus initia & inſtituta. p. 790. *& per totum caput.* Litteræ fundationis. p. 795. & 797
Victorinus Epiſcopus Pariſienſis. p. 35. ſubſcribit Synodo Agrippinenſi contra Euphratam. p. 36. l. 42. & p. 37. Concilio Sardicenſi intereſt. p. 37. l. 30. Et Concilio Pariſienſi. p. 40
S. Victoris cella. p 795. l. 6
Viduæ non ſtatim aliis præficiantur. p. 346. l. 14
Viduis dare velum non licet presbyteris. p. 346. l. 18
Viduæ velatæ non maneant in ædibus privatis. p. 346. l 26
Viduæ quæ fidem violaverint condemnantur. p. 428. l. 6
Vienna, Viennenſis Eccleſiæ initia. p. 7. l. 37
Viennæ obſidio. p. 497. l. 3
Vilfridus presbyter diſputat de paſchate celebrando. p. 204. l. 4. *& infra.* ordinatur Epiſcopus. p 204. l. 49
Vincentius Epiſcopus Bellicenſis. p. 77. l. 53
Virgines Deo ſacræ, quæ fidem violaverint. p 427. l. 6
Viſio S. Eligii de Chlotario III. & ejus fratribus. p. 195. l. 37
S. Viti corpus defertur ad novam Corbeiam. p 378. l. 9
Vitichindus Dux Saxonum in Daniam fugit. p. 267. l. 27. renovat bellum Adalgiſum & Geilonem duces Francorum vincit & Caroli exercitum fugit. p. 272. l. 30
Vivianus Epiſcopus Pariſ. p. 49. l. 33
Vivianus Abbas Dionyſianus. p. 629. l. 37. finit diſſidia cum Burchardo de Monte-maurentiaco. *ibid.* l. 20
Vivianus Dux male pugnat in Britanniâ. p. 407
Ultrogotha Regina. p. 85. l. 30
Unctio Regum Francorum quando cœperit. p. 227. l. 28
Urbanus II. PP. habet Synodum Placentinam. p. 725. l. 34. & Claromontanam. p. *ibid.* l. 35 Nemauſenſem. l. 50
Urbanus II. PP. expeditionem Chriſtianorum contra Sarracenos decernit. p. 732. ejus oratio in Claromontana Synodo. *ibid* l. 23
S. Unomachus. p. 548. l. 24
Urſicinus Epiſcopus. p 49 l. 36
Urſicinus Cadurcenſis Epiſcopus. p. 126. l. 44
Urſinus Epiſcopus Bituricenſis. p 93. l. 27
Urſio primus Prior monaſterii Campenſis. p. 681. & p. 692. l. 59. & p. 693. l 1
Uſuardus monachus Pratenſis transfert corpora ſanctorum. p 465. l. 28 auctor eſt martyrologii. p. 466. l. 52. & p. 467. ubi plura de eo, litteris clarus. p. 477. l. 37
Uſura prohibita. p. 347. l. 14. clericis pariter & laicis interdicitur. p. 397. l. 22
Vvaddo Comes Sanctonenſ. p. 581. l. 12
Vvaifarius Dux Aquitaniæ. p. 582. l. 53
Vvala Abbas Corbeiæ in exilium mittitur. p. 352. l. 42. moritur. p. 377. l. 48
SS. Vvalarici & Richarii corpora Hugo Comes Pariſ. in ſuum locum transfert. p. 611. l. 39
Vvaltelmus Carnot. Epiſ. p. 532. l. 2
Vvallo Metenſ. Epiſ. p. 503. l. 2
Vvalterius Senonenſis Archiepiſcop. Odonem inungit. p. 525. l. 37
Vvalterius Abbas Foſſat. p 722. l. 26
Valterus Meldenſis Epiſcopus. p. 648. l. 7

Digitized by Google

Vvalgarius Comes deficit ab Odone. p. 522. l. 16. capite plectitur. *ibid.*
Vvaldrada cum Lothario illicitas nuptias contrahit. p. 442
Vvaratto major domus Theodorici Regis. p. 211. moritur. p. 212. l. 13. baptiſmum recipit. p. 175
Vvarnaharius clericus Lingonenſis. p. 141. l. 16
Vvarnacharius exercitum & Auſtriam Chlotario dedit. p. 140. l. 47
Vvelandus Dux Normannorum. p. 428. l. 59
Vvenilo Archiepiſcopus Senonenſis. p. 395. l. 34. Judex fit in cauſâ clericorum Remenſium. p. 409. l. 31. p. 412. l. 49. accuſatur in Concilio Tullenſi. p. 425. l. 38. intereſt Synodo apud Tuſſiac. p. 428. l. 19. p. 433. l. 21
Vvichadus Abbas S. Germani de Pratis. p. 270. moritur. *ibid.* l. 23
Vvido Remenſis Epiſ. p. 648. l. 5
Vvilicharius Archiepiſcopus Senonenſis. p. 260. l. 52. Romam mittitur. p. 267. l. 12
Vvinius Epiſcopus Geviſſarum. p. 204. l. 40. & 205. l. 28
Vvintrio dux exercitus. p. 132. l. 47
Vulfadus Bituricenſis Archiep. ordinatur. p. 448. l. 7
Vulgrinus Archidiaconus Eccleſiæ Pariſ. p. 729. ad eum ſcribit Ivo Carnotenſis. *ibid.* l. 20. adverſatur electioni Fulconis. p. 729. l. 44

Z

Zacharias ſummus Pontifex p. 227 an ejus judicio Pippinus Rex ſit renunciatus *ibid.* & *in ſeqq.* ejus obitus p. 230. l. 27. adverſus Longobardos opem à Pippino poſcit. p. 231. l. 12
Zuentibolchus Lugdunum elavatum obſidet. p. 522. l. 15. fit Lotharingiæ Rex. p. 530. l. 1. interficitur. p. 530. l. 25

INDEX EPISCOPORUM PARISIENSIUM.

S. Dionyſius. Pagina 14. &c.
Malo. p. 33. l. 32
Maſſus. p. 34. l. 53
Marcus. p. 35. l. 10
Adventus. p. 35. l. 20
Victorinus. p. 35. & ſeqq.
Paulus. p. 44. l. 55
Prudentius. p. 45
S. Marcellus. p. 46. & ſeqq.
Vivianus. p. 49. l. 33
Felix. p. 49. l. 34
Flavianus. p. 49. l. 35
Urſicinus. p. 49. l. 36
Apedemius, ſeu Apedinius. p. 49. l. 36
Heraclius. p. 66. l. 25
Probatus, ſeu Probatius. p. 74. l. 13
Amelius. p. 74. l. 15. & p. 75. l. 24
Saffaracus. p. 76. l. 15. & ſeqq.
Euſebius I. indices habent Libanum, ſeu Libanium. p. 79. l. 15
S. Germanus. p. 80. & ſeqq.
Ragnemodus. p. 107. & p. 118. l. 41
Euſebius II. p. 131
Faramodus. p. 131. l. 21
Simplicius. p. 136. l. 12. & p. 141. l. 13
S. Ceraunus, ſeu Cerannius. p. 141
Leudebertus. p. 150. l. 18
Audobertus. p. 169. l. 33. & infra.
S. Landericus. p. 179. l. 58 & p. 180
Chrodobertus. p. 193
Sigoberrandus. p. 194. l. 25. & p. 198. & ſeq.
Importunus. p. 194. l. 17. & p 199. l. 21
Agilbertus. p. 195. l. 28. p. 199. l. 21. p. 202. & 203. & ſeqq.
Sigofridus. p. 212. l. 55. & ſeqq 215
Turnoaldus. p. 215. l. 13
Adulphus. p. 224. l. 54
Bernecharius. p 224. l. 55
S. Hugo. p. 224. l. 56. & p. ſeq.
Merſeidus. p. 225. l. 52
Fedolus, ſeu Fedolius. p. 225. l. 55
Ratbertus in codice Colbertino tantùm. p. 225. l. 1
Ragnecaptus. p. 226. l. 1
Madalbertus. p. 263. l. 46
Deodefridus. p. 253. l. 30. & p. 263. l. 48
Ercheuradus I. p. 263. l. 52. & p. ſeqq.
Ermanfredus. p. 304. l. 8
Inchadus. p. 304. l. 12
Ercheuradus II. p. 357. l. 37
Æneas. p. 417. & ſeq.
Ingelvvinus. p. 456. l. 44
Gotzlinus. p. 508. l. 24
Anſchericus. p. 507. l. 17
Theodulfus. p. 533. l. 33
Fulradus. p. 535. l. 36
Adelelmus. p. 556. l. 9
Gualterius, ſeu Vvalterius. p. 543. l. 54
Albericus, ſeu Aſcelinus. p. 544. l. 37
Conſtantius. p 545. l. 6
Garinus. p. 545. l. 7
Elyſiardus. p 552. l. 10
Giſlebertus. p. 605. l. 36
Raynaldus. p. 606
Albertus. p. 633. l. 23
Franco. p. 634. l. 15
Imbertus. p. 642. l. 13
Gaufridus, ſeu Gotfridus. p. 686. l. 4
Guilelmus. p. 724
Fulco. p. 730. l. 28
Galo. p. 732. l. 26

ABBATES MONASTERII S. GERMANI DE PRATIS.

Droctoveus. p. 42. l. 54. p. 86. l. 46
Scubilio. }
Deſiderius. }
Germanus. }
Sigo. } p. 213 l. 24
Childerannus. }
Humfridus. }
Autharius }
Valdromerus. p. 216. l. 14
Thedelmarus. p. 216. l. 23
Babo. p. 248. l. 34
Lantfredus. p 246. & ſeqq.
Vvichadus. p. 270. l. 19
Robertus. p. 270. l. 24
Irmino. p. 311. l. 20
Hilduinus. p. 355
Ebroinus Pictavenſis Epiſcopus. p. 391. l. 54
Hilduinus II. p. 464. l. 48
Gotzlinus. p. 469. & p. 502
Ebolus. p. 517. & 518
Hucboldus. p. 525. l. 4
Robertus. p. 525. l. 6
Hugo-magnus. p. 543. l. 52
Hugo-capetus. p. 610. l. 40
Gualo, ſeu Vvalo. p. 610. l. 45
Albericus. p. 610. l. 54
Morardus. p. 610. l. 56
Ingo. p. 628. l. 10
Guilelmus. p. 628. l. 32
Adraldus. p. 628. l. 39. & p. 655. l. 52
Hubertus. p. 717. l. 15
Robertus. p. 719. l. 8
Hugo. p. 719. l. 12
Petrus. p. 719. l. 19
Iſembardus. p 719. l. 22
Rainaldus. p. 746. l. 53

Digitized by Google

ABBATES MONASTERII DIONYSIANI.

Dodo. } p. 159
Argulfus. } p. 159
Chunaldus. } p. 159
Leobafarius. } p. 159
Charderieus. } p. 159
Chaino. p. 213. l. 38
Dalphinus. p. 215. l. 39
Chillardus, ſeu Hellardus. p. 215. l. 44
Turnoaldus Pariſienſis Epiſcopus. p. 215. l. 53
Hugo. p. 224. l. 19
Berthoaldus. p. 220. l. 51. & p. 224. l. 21
Godobaldus. p. 224. l. 22
Amalberius. p. 224. l. 45
Fulradus. p. 224. l. 48
Magnarius. p. 279. l. 53. & p. ſeq
Fardulfus. p. 288. l. 17. & 42
Vvalto, ſeu Vvaldo. p. 316. l. 29
Hilduinus. p. 316. l. 46
Ludovicus. p. 414. l. 49
Carolus-calvus Rex. p. 463
Guaicerius. p. 525. l. 22
Gozlinus. p. 501. l. 19
Ebolus, ſeu Ebulo. p. 521. l. 36
Odo Rex. p. 525. l. 43
Robertus. p. 525. l. 46
Hugo-magnus. p. 543. l. 51
Hugo-capetus. p. 610. l. 12
Robertus. p. 610. l. 15
S. Odilo. p. 629. l. 32
Vivianus. p. 653. l. 17
Robertus. p. 653. l. 54
Hugo. p. 642. & p. 653. l. 55
Rainerius. p. 719. l. 52
Ivo. p. 721. l. 47
Adam. p. 746. l. 53

FOSSATENSES ABBATES.

Babolenus. p. 170. & 171. & p. 216. l. 55
Ambroſius. p. 216. l. 56
Auſtroaldus. } p. 217 l. 3. & infra.
Vvalderamus. } p. 217 l. 3. & infra.
Madebodus. } p. 217 l. 3. & infra.
Odo. } p. 217 l. 3. & infra.
Gunteranus. } p. 217 l. 3. & infra.
Gogo. } p. 217 l. 3. & infra.
Atveranus. } p. 217 l. 3. & infra.
Elafredus. p. 312. l. 55
Richardus. p. 322. l. 55
Henatchus. p. 322. l. 56
Ramaldus. p. 322. l. 56
Richarius. p. 322. l. 56
Optatus. p. 322. l. 56
Benedictus. p. 323. l. 1. & l. 34. & p. ſeq.
Ingelbertus. p. 389. l. 42. & p. ſeq.
Eginhardus. p. 416. l. 47
Einardus. p. 556. l. 30
Godefredus. p. 556. l. 52
Odo. p. 536. l. 42
Rainaldus p. 557. l. 49
Adhelricus. p. 537 l. 32
Atmo. p. 557. l. 39
Otheleius. p. 557. l. 39
Magenardus. p. 602. l. 33
Majolus. p. 604 l. 16
Teuto. p. 623. l. 22
Theobaldus. p. 623 l. 40
Hildebertus. p. 625. l. 38
Odo. p. 657. l. 24
Guuterius. p. 658. l. 22
Robertus. p. 659. l. 15
Landricus. p. 659. l. 18
Radulfus. p. 722. l. 22
Valderannus. p. 722. l. 22
Valerius. p. 722. l. 26

De Epiſcopis & Abbatibus, qui his indicibus continentur, conſule indicem rerum & verborum, ubi plura de his recenſentur.

INDEX PRÆCIPUORUM CAPITUM ET SELECTORUM argumentorum, quæ in hoc volumine inprimis pertractata, aut illuſtrata ſunt.

De primis Eccleſiis Galliæ Celticæ. pag. 6. & infra.
De S. Dionyſio, & de tempore ejus prædicationis. p. 13
De Martyribus Belgicæ ſecundæ, & quâ perſecutione paſſi ſunt. p. 28. & infra.
Quomodo Antiſtites Gallicani ſe geſſerint poſt fraudem Ariminenſem, ubi de Victorino Epiſcopo Pariſienſi, & de primâ Synodo Pariſienſi. p. 35. & ſeqq.
De ſepulcro marmoreo reperto in baſilica S. Genovefæ p. 45
De origine & initiis regni Francorum. p. 57
De ſancta Genovefa, de ejus ætate, & anno ejus obitus. p. 50. & ſeqq
De Baſilica ſanctorum Apoſtolorum. p. 64
Quo in loco Pariſiis fuerit Palatium Regum primæ ſtirpis. p. 64. & ſeq
De ſanctis Chlodoaldo, & Severino Solitario. p. 71. & ſeq
& ſancta Chrotilde. p. 75
Baſilica ſancti Laurentii quæ. p. 78
De S. Germano Epiſcopo Pariſienſi p. 80
De Baſilica S. Vincentii, & ejus privilegiis. p. 84. & ſeqq
Quæ fuerit prima collectio canonum Eccleſiæ Gallicanæ. p. 110. & ſeqq
Ubi tumulus Chilperici Regis. p. 122
De Bertchramno Archidiacono Pariſienſi. p. 128
Quomodo Bertha filia Chariberti Regis gentem Anglorum ad fidem converterit. p. 134
De Conſtitutione Chlotarii II. p. 143
De conventu ad Clippiacum. p. 151
Quæ prima baſilica ſancti Dionyſii, an Dagobertus novam extruxerit. p. 155
De ſancto Eligio, & de ejus virtutibus. p. 159. & ſeqq.
Diſputatio de annis Dagoberti Regis. p. 166
De monaſterio Foſſatenſi. p. 171. & ſeqq.
De ſancta Bathilde, de ejus virtutibus. p. 177. & ſeqq.
De ſancto Furſeo, & monaſterio Latiniacenſi. p. 178
De ſancto Landerico. p. 179. & de privilegio ab eo Dionyſianis conceſſo. p. 180. & ſeqq.
Quando circadæ, & Synodi jus cœptum uſurpari. p. 184
De origine privilegiorum, quæ monachis conceſſa ſunt. p. 186
De præcepto Chlodovei junioris. p. 188
De monaſterio Calenſi, & de ſancta Bertila. p. 196
De morte & ſanctitate ſanctæ Bathildis. p. 200
De Agilberto Pariſienſi Epiſcopo. p. 202
De celebratione Paſchatis apud Scotos. p. 202. & ſeqq.
De ſancto Leodegario & Ebroino. p. 207. & ſeq.
De morte Childerici Regis, & de ejus tumuli inventione. p. 208. & 209

O oooo

De ſancto Mederico. p. 217
De viſione S. Eucherii, an viderit Carolum-martellum pœnis addictum æternis. p. 221
Pippini Regis Francorum electio quomodo facta ſit. p. 227
De Stephani PP. III profectione in Gallias. p. 231
Pippinus donat ſummo Pontifici provincias bello acquiſitas. p. 235
An Dionyſiani monachi habuerint ſuum Epiſcopum. p. 240. & ſeqq.
An ſincera acta tranſlationis S. Germani. p. 247
Conventus publici ſeu placita apud Francos. p. 249
De proceſſione Spiritus ſancti, quando hæc quæſtio primùm cœpta. p. 250. & ſeqq.
Lites monachorum ad Regem delatæ. p. 256
De probatione per crucem. p. 265
De Apocriſariis & eorum munere. p. 273
Quomodo ſcholæ reſtitutæ in Galliis ſub Carolo-magno. p. 280
Quæ fuerit hæreſis Feliciana. p. 289
De Miſſis Dominicis. p. 299
Filioque, hæc verba quando adjecta ſymbolo. p. 302
Quæſtiones de Baptiſmo expoſitæ. p. 305
Quomodo Carolus filium Ludovicum Imperatorem renunciaverit. p. 311
De prima origine Canonicorum. p. 319. & *in ſeqq. Vide infra.*
Duo Erchanradi Epiſcopi Pariſienſes. p. 326
Quis fuerit conventus de imaginibus Pariſiis, & quid in eo definitum. p. 329. & *in ſeqq.*
Dionyſiani libri an ſinceri, & quando allati in Gallias. p. 336
Partitio bonorum inter Abbatem, & monachos Pratenſes. p. 341
De celebri Concilio habito Pariſiis. p. 342. & *ſeqq.*
Quomodo Dionyſiani monachi, qui ad Canonicorum inſtituta transfugerant, diſciplinam monaſticam receperint. p. 355
Monaſterium Glannafolienſe ſubjectum Foſſatenſi 358
De Hilduini Areopagiticis, & de iis judicium. p. 363
S. Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus an Areopagita? p. 369. & *ſeqq*
De lite Anisoleoſium monachorum cum Aldrico Cenomanenſi Epiſcopo. p. 378. & *ſeqq.*
De vicariatu Drogonis Metenſis Epiſcopi, & prudentiâ Ebroini Pictavenſis Epiſcopi. p. 392. & *ſeq.*
Quomodo Hincmarus ſit creatus Epiſcopus Remenſis. p. 394
Quomodo Epiſcopi Armoricæ, ſeu minoris Britanniæ ſe ſubtraxerint à juriſdictione Turonenſis Archiepiſcopi. p. 401. & *ſeqq.*
De Clericis ab Ebone ordinatis. p. 408
Gotteſchalci de prædeſtinatione Dei opiniones condemnatæ, & de tractoria Prudentii. 419
De Synodo Piſtenſi, & de anno, quo habita eſt. p. 429. & de variis chartis Dionyſiani monaſterii, quorum ſinceritas examinatur. 431. & *infra.*
Unde inclinatio monaſticæ diſciplinæ. p. 436
De cauſa Rothadi Sueſſionenſis Epiſcopi &c. p. 442
Quomodo tranſlatæ reliquiæ ſancti Mauri ad Foſſatenſe monaſterium, & de celebritate tranſlationis p. 448
De ſchiſmate Photii, & de opere, quod ſcripſit Æneas contra Græcos. p. 452
Inquiſitio in diem & annum obitus Æneæ Epiſcopi Pariſienſis, ubi à fœda calumnia vindicatur. p. 457. & *ſeqq.*
De celebri tranſlatione Cordubenſium Martyrum. p. 464
De Uſuardo, de ejus Martyrologio, & de tempore, quo ſcriptum eſt. p. 466
Cauſa Hincmari Laudunenſis. p. 471
Conventus apud Cariſiacum. p. 483
De primatu Anſegiſi Archiepiſcopi Senonenſis. p. 485
De inclinatione familiæ Carolinæ. p. 500
Celebris obſidio Lutetiæ Pariſiorum, ubi plura, quæ ad urbem attinent, illuſtrantur. p. 503
De baſilica ſancti Germani Autiſſiodorenſis plura referuntur. p. 511
Et de Baſilicæ S. Opportunæ initiis. p. 513
De ſancta Honorina & de ejus tranſlatione plura. p. 522
De ſancto Gerardo Abbate Bronienſi. p. 534
Recenſio Abbatum Foſſatenſium ex antiquis chartis illuſtrata. p. 536
De celebri tranſlatione corporum ſanctorum Samſonis, Maglorii & aliorum, & de initiis capellæ ſeu baſilicæ ſancti Bartholomæi. p. 547. & *ſeqq.*
De nomine & antiquitate majoris Baſilicæ beatæ Mariæ Virginis. p. 555
De baſilica ſancti Stephani Martyris, & de baſilica ſancti Chriſtophori. p. 557 & *ſeqq.* & p. 560
De Canonicorum Eccleſiæ Pariſienſis primâ inſtitutione. p. 561
De claris Epiſcopis Eccleſiæ Pariſienſis. p. 563
De aliarum baſilicarum antiquitate ſancti ſcilicet Marcelli, S. Juliani, ſancti Mederici &c. p. 564. p. 567. & p. 569
De gloria & nobilitate monaſteriorum S. Genovefæ, ſancti Germani à Pratis, S. Dionyſii & Foſſatenſis. p. 573 & *ſeqq.*
De ratione ſtudiorum tempore Carolinæ familiæ. p. 578
De Comitibus, & quibus gradibus ad ſummam magnitudinem pervenerint. p. 580. & *paginis ſeqq.*
De Comitibus civitatis Pariſienſis. p. 589
De depoſitione Arnulfi Remenſis Archiep. & de ejus reſtitutione. p. 600. & *ſeq.*
De Burchardo Corbolienſi Comite, & de diſciplinâ ejus operâ in monaſterio Foſſatenſi reſtitutâ. p. 601
De Dionyſiano Concilio, in quo orta ſeditione Sevinus Archiepiſcopus Senonenſis peſſime habitus eſt. p. 607. & *ſeqq.*
De hæreticis, qui Aurelianis cremati ſunt. p. 614. & *ſeqq.*
Fundatio & reſtitutio Argentolienſis monaſterii ex beneficentia Adelaidis Reginæ. p. 630
Altaria laicis concedendi prava conſuetudo. p. 635
De anno obitus Roberti Regis diſquiſitio. p. 640. & *ſeq.*
De memorabili excommunicatione Hugonis viri nobilis, & ejus poſt mortem abſolutione. p. 644
De contentione exortâ inter noſtrates, & monachos Regienſes de corpore ſancti Dionyſii. p. 646
Diſputationes de Euchariſtia, quæ tempora Berengarii præceſſerunt. p. 660. & *ſeqq.*
De Berengariana hæreſi, & de Berengario plura p. 672. & *ſeqq.*
De pravis moribus, qui malis temporibus in Eccleſiam irrepſerant, ac præſertim de venditione altarium & aliarum rerum eccleſiaſticarum. p. 677. & *ſeqq.*
De Treuga Domini, quando & quomodo in uſu. p. 683
De familia Guidonis de Monte-letherici & fundatione monaſterii Longi-pontis. p. 686 & *ſeqq.*
De oblationibus & de earum variâ ratione. p. 689. & *ſeq.*
Quomodo monaſterium ſancti Martini de Campis donatum ſit Cluniacenſibus monachis. p. 692
De monaſterio beatæ Honorinæ ad Confluentium. p. 694
De depoſitione Gotfridi Carnotenſis Epiſcopi. p. 697. & ordinatione Ivonis Epiſcopi. *ibid.* & p. 698
De recta ordinatione Eccleſiæ Pariſienſis. p. 699
De Galeranno Præcentore, quem Epiſcopus Pariſienſis è Martiniano monaſterio revocavit contra ſententiam S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi. p. 699. & *ſeqq.*
An ſanctus Bruno Pariſiis redivivi hominis prodigio territus ſeceſſerit in eremum, ubi Carthuſienſium ordinis fundator extitit. p. 703. & *ſeqq.*
De epiſtola cujuſdam Petri magiſtri Pariſienſis falsò tributa Abaelardo. p. 709. & *ſeqq.*
De Roberto de Arbriſſello, qui vindicatur à calumnia. p. 712. & *ſeqq*
Cauſa Glannafolienſis monaſterii, quod ſubjectum fuerat Foſſatenſi, ſed Urbani PP. II. auctoritate priſtinæ libertati reſtitutum eſt.
De primatu Eccleſiæ Lugdunenſis in Claromontana Synodo confirmato, & de interceſſione Archiepiſcoporum Senonenſium p. 736 & *ſeqq* & de interceſſione Ludovici VI. ubi de ſtatu urbis Lugdunenſis. p. 741. & 743
De nuptiis illicitis Bertradæ cum Philippo Rege. p. 744. & *ſeqq.* an tunc interdicto ſubjectum regnum ſit. p. 747. & *ſeqq.*
Expeditio Hieroſolymitana. p. 750. & *ſeqq.*
Monaſterium Elegianum exactis puellis datur Foſſatenſibus monachis. p. 765
Studia literarum quomodo poſt tempora Roberti Regis maximè Pariſiis floruerunt, ubi plura de Guilelmo Campellenſi & Petro Abaelardo. p. 767. & *ſeqq.*
Monaſtica diſciplina operâ Cluniacenſium reſtituta. p. 778
De prima inſtitutione Canonicorum, & prima eorum regula & de primâ origine regularium Canonicorum. p. 780. & *ſeqq.* 787 & *ſeqq*
De recta ordinatione Eccleſiæ Pariſienſis. p. 785. & *ſeq.*
De initiis domûs Victorinæ p. 790

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGE.

PAgina 3. linea 37. *poſt hoc vocabulum*, provinciaa, *adde*. Deinde alia diviſio fuit in xvii. p. 15. l. 35. *ſcribe* CCCLXII. p. 17. l. 38. *ſ.* MCXXII. p. 20. l. 17. *ſ.* hoſtium. p. 28. l. 17. *ſ* CCLXXVIII. p. 29. l. 28. *ſ.* CCLXXVIII p. 34. l. 7. *poſt hæc verba* anno Chriſti DCCCCXX. *adde* ut habet Launoïus, vel ut ex actis colligitur, anno DCCCCXXVIII. p. 40. l. 37. *dele* Dominum. p. 49. l. 34. *ſ.* legitur. p. 69. l. 34. *ſ.* doloris. p. 70. l. 9. *ſ.* ob p. 74. *in tertia l. tituli ſ.* & Pariſienſi II. p. 78. l. 52. *ſ.* Leobino. p. 95. l. 12. *ſ* templa. p. 98. l. 30. *dele* De re. p. 103. l. 10 *ſ.* ſoniem. p. 109. l. 42. *ſ.* dexterâ. p. 111. l. 28. *poſt hæc verba* Et ſi ea. *adde* epiſtola p. 119. l. 19 *ſ.* pararet. p. 124 l. 10. *ſ* ex eâ. p. 156. l. 23. *ſ.* Theodila. p. 174. l. 53. *ſ.* tum p. 176. l. 33. *ſ.* ſecare. p. 197. l. 43. *ſ.* relevatum. p. 210. l. 39. *ſ.* Vaimeris. p. 218. l. 11. *ſ.* Drogonis. p. 219. l. 36. *ſ* ambibat, *& in quibuſdam aliis locis*. p. 221. l. 3. *ſ.* præſtiterit p. 223. l. 38. *ſ.* Godobaldum p. 228. l. 25. *ſ.* ſublimatur in regno. p. 231. l. 40. *ſ.* PP. *& in quibuſdam aliis locis* p. 251. l. 40. *ſ.* ſinceræ & intemeratæ. p. 298. l. 46. *ſ.* Farduli p. 328. l. 7. *ſ.* judiciariam. p. 343. l. 23. *poſt* generalem, *adde* epiſtolam. p. 344. l. 48. *ſ.* debeat. p. 368 l. 39. *ſ.* ambone, *& in quibuſdam aliis locis*. p. 378. l. 34. *ſ.* ſancti. p. 432. l. 14. *ſ.* carius. p. 436 l. 44. *ſ.* quod ſi Epiſcopus diſciplinam. p. 444. l. 41. *poſt verbum* celebraretur, *adde* Sueſſionis. p. 458. l. 27. *poſt hæc verba*, ſecum euntibus, *adde hæc*, à beato Launomaro ſe eſſe perculſum ait. Indicibili autem mœrore pariter & dolore confuſus die ſequenti, &c. p. 469. l. 21. *dele* ſancti Germani. p. 487. l. 13. *ſ.* Daïmbertus & l. 44 *dele* Imperatoris. p. 513. l. 6. *ſ.* vocant. p. 526 l. 48. *ſ.* earum. p. 536. & l. 9. *ſ.* Adelelmus & l. 31. *ſ.* xv p. 540. l. 23. *ſ.* miſerebatur. p. 547. l. 39. *ſ.* Seubilonis & *iterum* p. 548. p. 676. l. 41. *ſ.* Archielavis p. 772. l. 31. *ſ.* Guilelmus, & l. 34. *ſ.* Guilelmum.

In Epiſtola p. xvii. l. 20. *ſ.* concentus. *Hæc & alia ejuſmodi, quæ exciderunt, emendabit lector benevolus.*

PRIVILEGE DV ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre: A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Prevoſt de noſtre ville de Paris, Baillifs, Seneſchaux, leurs Lieutenans, & tous autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien amé le Pere GERARD DUBOIS, Preſtre de la Coogregation de l'Oratoire de JESUS, Nous a fait remontrer qu'il a eſté chargé par M^r^ l'Archeveſque de travailler ſur l'Hiſtoire de l'Egliſe de Paris, lequel ouvrage il deſireroit faire imprimer ſuivant l'ordre qu'il en a de noſtre tres-cher Couſin l'Archeveſque de Paris, s'il nous plaiſoit luy accorder nos Lettres ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, deſirant le traiter favorablement, Nous luy avons permis & permettons par ces Preſentes, de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de noſtre Royaume, par tels Imprimeurs & Libraires qu'il voudra choiſir, ce qu'il a fait de l'*Hiſtoire de l'Egliſe de Paris*, ſoit en latin, en françois ou en abregé, le tout en un ou pluſieurs volumes, en telle marge & en tel caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera, durant l'eſpace de dix années accomplis, à compter du jour que chaque partie ou volume ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois: Faiſons tres-expreſſes défenſes à toutes perſonnes, ſoit Imprimeurs, Libraires ou autres, de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer, faire imprimer, vendre & debiter en aucun lieu de noſtre Royaume, Païs & Terres de noſtre obeïſſance ce qu'a fait le Pere Gerard Dubois ſur l'Egliſe de Paris, ſoit en latin ou françois ou en abregé, conjointement ou ſeparement, ſous pretexte d'augmentation, correction, changement & titre & fauſſe marque, à peine de trois mil livres d'amende, payables ſans déport par chacun des contrevenans, & applicables un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſtel-Dieu, & l'autre tiers au Libraire, de confiſcation des Exemplaires contrefaits, des preſſes & caracteres qui y auroient eſté employez, & de tous dépens, dommages & intereſts, à condition qu'il ſera mis deux Exemplaires dudit Livre dans noſtre Biblioteque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres, un en noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres-cher & feal le ſieur Boucherat, Chevalier Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes, & à la charge de faire imprimer leſdits livres ſur de bon papier & en beaux caracteres, ſuivant les Reglemens de l'Imprimerie regiſtrez au Parlement, leſquelles ſeront enregiſtrées dans le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de noſtre bonne ville de Paris. Si vous mandons & enjoignons que du contenu en icelles vous faſſiez joüir pleinement & paiſiblement l'Expoſant ou ſes ayans cauſe, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun empêchement; Voulons auſſi qu'eu mettant au commencement ou à la fin dudit Livre, copie des Preſentes ou Extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour dûëment ſignifiees, & que foy ſoit ajoûtée aux copies collationnées

par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires comme à l'original ; commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent, faire pour l'execution des Preſentes tous Exploits & Actes neceſſaires, ſans demander autre permiſſion : Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le vingt ſeptiéme jour de Mars, l'an de grace mil ſix cens quatre-vingt-ſix, & de noſtre Regne le quarante-troiſiéme. *Et plus bas*, Par le Roy, NOBLET.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 30. Mars 1686. ſuivant l'Arreſt du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy du 27. Fevrier 1665. Signé, CHARLES ANGOT, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 5. Juin 1690.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

Je ſouſſigné ay cedé & tranſporté le preſent Privilege à FRANÇOIS MUGUET, premier Imprimeur du Roy, pour en joüir pendant le temps & de la maniere qu'il eſt porté par iceluy, ſuivant l'accord fait entre nous. Fait à Paris ce troiſiéme Avril mil ſix cens quatre-vingt ſix. Signé, GERARD DUBOIS.

Digitized by Google

Digitized by Google